JOANNIS LIGHTFOOTI, ... OPERA OMNIA: DUOBUS VOLUMINIBUS...

John 1602-1675 Lightfoot, ...

Digitized by Google

6
33 N
21

~~G.xl.~~ F. 7.

Digitized by Google

Digitized by Google


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



ROTERODAMI, Typis REGNERI LEERS, M DC LXXXVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

JOANNIS LIGHTFOOTI,

SS. TH. P.

Aulæ Catharinæ apud Cantabrigienſes Præfecti, Canonici Elienſis,

OPERA OMNIA:

Duobus Voluminibus comprehenſa, quorum Syllabus paginâ poſt Vitam Authoris ultimâ exhibetur.



ROTERODAMI,
Typis REGNERI LEERS,
MDCLXXXVI.

Cum Privilegio DD. Ordinum Hollandiæ & Weſt-friſiæ.

Digitized by Google



Digitized by Google

ILLUSTRI VIRO

GASPARI FAGEL,

PRÆPOTENTIUM HOLLANDIÆ
WEST-FRISIÆQUE ORDINUM
CONSILIARIO ET SYNDICO,

MAGNI SIGILLI CUSTODI,

FEUDORUM PRÆFECTO, ET SCRINIORUM
FEUDALIUM MAGISTRO;

AGGERUM RHENOLANDIÆ
DIRECTORI.

VIR AMPLISSIME,

P*Ræli mei hicce partus, tametſi, ex quo curas haſce librarias tracto, aliis ſanè permultis ortu poſterior; mole tamen & dignitate, quin & deſtinatione animi, atque adeo cœptu ipſo omnium eſt primus. Hoc enim Operis (ob varias cauſas, hîc ne moleſtus ſim, non enarrandas) fatum fuit, ut ad quadriennium ferè inter enitendi labores obhæſerit. Quam primum autem lucem aſpicere datum fuit, ad te, Vir*

Digitized by Google

verè illuſtris, viam affectat. Non tam ut patrocinium tuum imploret; quam enim inane hoc nomen ſit, cum omnes uſurpent, omnes norunt; & erat, quicquid fuerit, curis tuis majoribus & velut infinitis omninò importunum. Non etiam id ſpectabam præcipuè ut ab illuſtri nomine Tuo ſplendorem libro conciliarem: quamquam enim hoc imprimis pulchrum exiſtimabam, impudens tamen factum videbatur, nullâ aliâ de cauſa Te Virum terra noſtra & ſeculo primarium adire & occupationes Tuas graviſſimas interpellare. Sed prima & propria auſi mei ratio in Te ipſo ſita eſt, inque beneficiis illis quæ jam toties in familiam noſtram nullis officiis provocatus, noſtrum ad ruborem atque aliorum quorundam invidiam, pleno ſinu effudiſti. Vel nuper admodum quantum prioribus, magnis certè & multis, cumulum adjeceris, neque ego facile pro rei merito expoſuero, & Tu audire, ſola benefactorum conſcientia contentus, non deſideres. Nobis profectò, toties jam tamque inſi-

gniter

Digitized by Google

gniter favorem illum Tuum & benignitatem expertis, religio fuit, ulteriùs tacendo videri ea diſſimulare.

Miſcemus igitur privatam hanc noſtram communi geſtientium civium voci, quâ merita Tua ingentia de Patria Univerſa, de Eccleſia Dei, de re litteraria, deque artibus bonis grati & læti agnoſcunt; atque eximiam ſapientiam Tuam, inque agendo dexteritatem, & admirandam in rebus arduis conſtantiam non intermorituris laudibus extollunt.

Sed iſta equidem, ut quæ ingenii mei captum longiſſimè excedunt, melioribus deprædicanda relinquo. De re meâ porro ut loquar, Opus hoc Theologicum, magnam partem ex Anglico Latinum, ſumptibus meis jam in publicum producitur. Illius, doctorum judicio, ea indoles est & pretium, ut annumerari monumentis illis mereatur, quibus maximi viri ſeculum quique ſuum illuſtrarunt: quo melior me fiducia habet, ſi quid libertate hac peccem, id facere excuſatius;

ut

Digitized by Google

ut qui nihil niſi probum ad judicium Tuum in omni Litterarum genere egregie ſubactum adferre audeam. Et operæ pretium viſum fuit, ſi hac ratione oſtenderim, me, quem tot beneficiis Tuum feciſti, pro loco & conditione id agere, ut de bonis litteris & ſacris præcipuè ſtudiis bene videar mereri. Pluribus detinere immenſas Tuas curas non debeo; itaque deſino, Deum ter Opt. Max. precatus, ut Te Patribus ac Patriæ diu velit eſſe ſuperſtitem, utque conſilia Tua graviſſima ad tempora hiſce meliora felicia eſſe jubeat. Quod vero ac toto animo exoptat

Illuſtris dignitatis Tuæ

Humillimus ac devotiſſimus Cliens

Roterodami, ipſis Idibus Martii, CIↃ IↃC LXXXVI.

REGNERUS LEERS.

Digitized by

PRÆFATIO
AD
LECTOREM.

NEque magnum aut multum eſt, amice Lector, neque ſanè nihil, quod te volebam. Prolixè enim præfandi neceſſitatem excluſere, quæ ſparſa paſſim per univerſum opus vides præloquia. Et quiddam tamen ſupereſt, quod curam hanc & Editionem propriè attingit. Quale omnino eſt illud, quod tardius opinione & deſideriis tuis in lucem prorepit. Id verò per Typographum ſcito minimè ſtetiſſe: ſed fuerunt per idem tempus nonnulla alia, & ipſa ſuis curis digna, ſubjicienda prælo. Moræ etiam aliquid ab iis acceſſit, qui vertendo occupabantur, quique pro mole & ratione operis varii fuerunt, & propter varias cauſas ſubinde mutandi. Ea autem hîc Typographi ſollicitudo viguit, ut nulli prorſus rei parcens viros reperiret diligentes & idoneos; quales, præter noſtrates, & ex Angliâ ipsâ obtigerunt, harum rerum intelligentes, & qui cum Autore ipſo conſuetudine juncti vixerant. Præſto etiam fuêre duo reverendi & doctiſſimi viri, DD. Joſ. Hill, & Rich. Kidder, ille in noſtra urbe, hic Londini, qui pro ſe quiſque ſedulò operis dignitatem & nitorem plurimùm promoverunt. Nec minor cura fuit in emendandis typothetarum erratis: cui rei non modò homines habiles delecti ſunt; ſed ipſe quoque Typographus, quia quàm emendatiſſimum hoc opus prodire voluit, ſi quid fortè illos fugerat, ſagaci oculo indagavit & ſuſtulit: eâ uſus animi contentione, ut ne unam quidem pagellam, niſi ita luſtratam, miſſam fecerit. Quâ igitur re effectum eſt, ut pauci admodum codices æquè emaculati in publico conſpiciantur. Par diligentia adhibita fuit in reſtituendo quod in S. Scripturæ locis erat erratum; cujus generis perquam ampla ſeges extitit. Conſimili ratione quæ ex Thalmude aliiſque Judæorum monumentis deſcripta erant teſtimonia, vel relata ad loca aliena; collata diligenter & correcta invenies: commodante hîc operam ſuam homine Judæo, in hoc litterarum genere probè exercitato. Inſertæ præterea ſunt ſuis locis Chorographicæ Tabulæ, quas diuturno legendi S. Scripturam & ſcripta Hebræorum uſu vigili obſer-

vatione ipſe Autor collegerat; feliciſſimæ manus artificio (noſce, Lector, & judica) expreſſæ. De chartæ typorumque inſigni bonitate & elegantiâ, quæ & ipſa ad librorum commendationem faciunt plurimùm, quia res manifeſta eſt, nihil neceſſe eſt dicere; niſi quod & hinc perſpici velim, nulli neque curæ neque ſumptui, qui ad operis ſplendorem conferre aliquid poterat, eſſe parcitum. Denique, ne quid deſiderari poſſit omnino, additi ſunt ſub calcem Indices, quos vir quidam eruditus, argumenti utilitate & ſuavitate illectus, inter pervolvendum plenos accuratoſque collegerat atque digeſſerat. Quæ omnia ejuſmodi ſunt, ut confidere liceat, Editione hâc doctorum hominum votis ſatisfactum eſſe pleniſſimè; ut, ſi quid moræ intercurrit, hâc tot rerum ubertate abundè ſit penſatum. Si quem verò malè habeat, quòd omiſſam hic videat Sermonum ad populum ſyllogen, quam extare jam publicè conſtat; is reſponſum ferat, certo id conſilio à Typographo eſſe factum, inque eo obſequutum illum eſſe judicio doctorum aliquot in ipſa Anglia virorum. Cujus rei rationes equidem Lectorem per ſeipſum conjectare aut perſpiciendo indagare malo, quàm me hîc apertè dicere. Contrà autem Lector ſciat, Editionem hanc auctam eſſe duobus integris, iiſque utiliſſimis opuſculis, quæ nullibi hactenùs edita proſtant, genuinis Lightfooti fœtibus, ejuſdemque cum reliquis illius ſcriptis genii & dignitatis; quæ cùm hærere alicubi Typographus didiciſſet, & à viris doctis in Anglia commendari ſibi videret, non quievit, donec ære multo comparata reliquo corpori jungeret. In iis more ſuo, id eſt, doctiſſimè diſſerit de argumentis graviſſimis, Anathemate Maran Atha, & Canone Scripturæ conſignato, & quæ dum iſta agit, ambabus ſcilicet munificus, præterea admiſcet. Hoc itaque totum, quod felix fauſtumque ſit, jam prodit in dias luminis auras. Bonis omnibus venturum gratiſſimum, dubium iis eſſe non poteſt, quibus perſpectum eſt, quanto cum affectu illæ operis partes, quas Autor ipſe Latinè ediderat, paſſim per Europam acceptæ fuerint. Neque immeritò; quando ejuſmodi eſſe hoc ſcripti genus viderunt & faſſi ſunt doctiſſimi quique viri, ut non niſi à rari exempli & completæ cujuſdam doctrinæ homine proficiſci queat. Non enim è medio petitas quæſtiunculas quaſdam, ſed materias raras minimèque obvias, neque minùs utiles & neceſſarias ſectatur: eaſque maſculè aggreditur, nec niſi benè ſubactas & dijudicatas dimittit. Plurima paſſim eruit, quæ ſic ſatis incognita erant, certè

obſcura;

obſcura; atque illa luce eâ conſpargit, iis fulcit rationibus, ut difficile ſit manus non dare, certè non mirari vim ingenii, quam ſitam in ipſo comperimus planè ſingularem. Atque ejuſmodi etiam res paſſim, ubi in obviis magiſque tritis verſatur, patrare conſpicitur. Adeò ut certum mihi ſit, ſi cui educere atque in ordinem redigere lubeat, quæ pleno horreo admetitur Ligtfootus, latere in his libris theſaurum rerum ſacrarum pleniſſimum. Mea enim iſtæc eſt ratio, rem Theologicam his ferè quatuor perfici, ut argumentum S. Scripturæ omne accuratè teneatur: rerum deinde ſeries ſecundùm temporum locorumque diſtinctionem probè digeratur: expedita præterea adſit linguæ utriuſque ſacræ peritia: comprehendatur denique hiſtoria, præſertim Eccleſiæ, & ſpeciatim Judaicæ, omniumque illorum rituum, qui antiquiſſimis temporibus & Chriſti præcipuè ſeculo inter Judæos viguere. Ita verò in his omnibus ſe circumegit noſter, ut haud temerè inventurus ſis, quem univerſis iſtis parem illi ferre audeas. Quâ quidem in re me jam conſentientes habere video non tantùm qui ſunt in Anglia viri docti, ſed per cæteram Europam etiam alios permultos. Id certè omnium judicio in antiquitatibus Judæorum perrimandis præſtitiſſe videtur, quod ante eum nemo. Quæ una res quanti facienda ſit, nimirum is videt, qui quæ inde commoda viro Theologo proveniant, non neſcit. Mirum verò, quàm facili manu ipſe Autor hujus ſolius facultatis ſubſidio res difficillimas enodet, omnemque obſcuritatem, quæ, ex ſola ignoratione rituum Judaicorum, plurimorum oculos obſederat, diſcutiat. Tantummodo legantur quæ ſuper ſanctis Euangeliſtis eſt commentatus. Ego omnino ita judico, indolem linguæ quâ LXX. Interpretes utuntur, & ritus Hebræorum feliciter cognitos habere, ad inveniendam genuinam Novi Teſtamenti mentem ſupra quàm dici poteſt multum valere, & eſſe vice perpetui ejuſdemque certiſſimi commentarii. Ex quibus omnibus æſtimari poteſt, quid de pretio ac uſu ſcripti hujus ſit ſtatuendum. Nimirum habebunt hîc ſacris ſtudiis devoti adoleſcentes & SS. Min. Candidati, quibus adverſaria ſua & ſacros ad populum Dei Sermones utiliter & eleganter inſtruant ac exornent. Habebunt viri docti, quibus ſuam doctrinam variis graviſſimarum rerum lemmatis feliciter adaugeant. Habebunt denique Chriſtiani quilibet, quibus vera & haud protrita rerum ſacrarum expoſitio allubeſcit, ubi ſe utiliter occupent atque oblectent. Ipſa quinimo commentationis indoles ſine fuco, ſine faſtu, quibus non profana mo-

dò, ſed ſacra etiam multorum ſcripta in lucem quotidiè erumpunt, neſcio quid grati & amabilis in legentium animos inſinuat; tum dictio ipſa dilucida, facilis minimeque ambitioſa procurrit, diſſimilis illorum, qui hac tantùm parte vanis hominibus, ut pueris pavones, mirabiles eſſe ſtudent. Si quid autem ſubtiliùs auſteriuſque calamo ſubjiciendum fuit, quod in id genus argumento nimium quam frequenter evenire neceſſe fuit, ſuavi amœniorum mixturâ omne tædium & faſtidium diſcutit. Quæ omnia dum cogitando ruminor, experior me duci & trahi ad contemplationem imaginis & mentis doctiſſimi Autoris, & intueri in eâ virum apertè & candidè probum, hilarem, alacrem, erectum, nihil laboris refugientem, & ad omnia parem; poſthabitâ rerum aliarum curâ ſapientiæ ſtudiis unicè deditum; quicquid eruditum, elegans, pium & ad enucleandam mentem S. Scripturæ comparatum eſt, velut pretioſum theſaurum, exoſculantem; contra autem quod vile & protritum, magis etiam quod falſum & abſurdum eſt, cum faſtidio aſpernantem; quod verò cum Verbo Dei & ſacra Religione pugnat, ingenti cum odio averſantem. Qui vir cùm fuiſſe videri Autor debeat, ſi quid & ipſe alicubi aberraſſe deprehenditur, non exagitare illum decet, ut mos eſt hodie permultis, qui ut arietes petulci obvios quoſque à nemine laceſſiti cornibus impetunt; mortuos etiam jugulare, velut rem præclaram, laudi ſibi ducunt; atque inde auſpicia ſperatæ gloriæ exordiuntur: rati, ut quidam ajebat, draconem non fieri, qui ſerpens antè non fuerit. Sed expendere potiùs ac admirari oportet ingentem viri doctrinam, induſtriam & candorem; tum ſcripti hujus agnoſcere eximiam cum amœnitate junctam utilitatem; in quo, quemadmodum in lauta cœna, ſi non allubeſcit quippiam, laus tamen ſua & gratia cæteris manet: deplorare denique communem hominum ſortem, quâ ne iis quidem, qui ad ſumma perveniſſe viſi ſunt, à nævis ſuis liceat eſſe immunibus. Id ego te, Lector, quiſquis es, prorſus comperturum confido, ſicubi errat Lightfootus noſter, non niſi doctè errare; ſicut de magno olim in Eccleſia viro dictum ſcimus: quo ulteriùs in hac fragilitate ire, mortalium datum eſt nulli. Scribebam *Roterodami* VII. *Idus Martii* CIↃ IↃC LXXXVI.

JOH. TEXELIUS,
Eccleſiaſtes Roterodamenſis.

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM,

Præfixa primo Volumini in Londinenſi Editione Anglica.

QUamvis eruditiſſimi Auctoris Epiſtolæ & Præfationes variis hujus Voluminis Libris præfixæ, me magnâ laboris, qui mihi in generali Præfatione ſubeundus eſſet, parte ſublevent: attamen neceſſe videtur quædam de uſu hujuſcemodi eruditionis, de ipſo Auctore, deque Anglicis Libris in linguam Latinam tranſlatis, adjicere.

Ad primum quod attinet, non oportet lectorem in alieni operis Præfatione à me juſtam diſſertationem expectare, ſed quædam tantùm monita ad directionem & cohortationem ſtudioſorum, tum ne Auctor noſter tantùm temporis conſumpſiſſe, ac tam tædioſum laborem exantlaſſe fruſtra videatur, tum ne ipſe etiam aliquatenus malè collocati temporis ac laboris in recenſendo, emendando, ac edendo hoc, quod jam illis offero, opere arguar. Duæ mihi videntur eſſe potiſſimæ ſapientiæ latiori ſenſu ſumptæ, partes; quarum una ſita eſt in æſtimandis pro pretio ſuo diſciplinis, præſertim ex uſu quem nobis præſtare poſſunt, non verò ex eo quod viri celeberrimi eas excoluerint & magni fecerint, aut ex earum antiquitate, aut aliis levibus ac futilibus rationibus, quaſi iſta quicquam aliud eſſent præter ſigna, quibus aliquando earum dignoſcimus utilitatem. Altera verſatur circa cognitionem indolis, atque aptitudinis cujuſpiam ad aliquam, vel plures diſciplinas. Ad hæc duo præcipuè animum advertere ii debent, qui ſtudiis ſeſe dant, & aliquam, quæcunque tandem illa ſit, aggrediuntur artem, ut rectè eligere poſſint; quid nempe in ſe ſit maximi uſûs & momenti; & qua in re maximè proficere queant; quid in ſe optimum ſit, & ab iis feliciſſimè præſtari poſſit. Si nullus ſit alicujus rei uſus, nullum ex ea redeat commodum, nullo modo ſuſcipienda eſt. Si quis ſentit ſibi deeſſe ingenium & aptitudinem requiſitam rei cuipiam feliciter tractandæ, ne tentare quidem ejus ſtudium debet. At quamvis magnum ſit diſcrimen inter varii generis diſciplinas, ad earum utilitatem quod attinet, vix tamen ulla eſt cui ſuus non ſit uſus, & aliquando etiam multò major quàm quem ei tribuit ignorantia, aut invidia, aut conſuetudo, aut alicujus moroſitas.

Quatuor ſunt quibus Auctor noſter magno labore ac diligentiâ incubuit, at in quibus multùm horum Tractatuum lectione juvari poſſumus. I. *Chronologia Sacræ Scripturæ.* II. *Ejus Chorographia.* III. *Originales Textus, variæque eorum Verſiones.* IV. *Thalmudici Scriptores & Rabbini.*

Ut à Chronologia ordiamur, nihil eſt præter cognitionem relationis mutuæ quæ intercedit inter durationem rerum, ſeu ſimul, ſeu priùs, ſeu poſteriùs extiterint; & relationis præſertim quæ iis eſt cum converſionibus, & diſpoſitionibus ſolis & lunæ, hoc eſt, annis, menſibus, hebdomadibus & diebus, quæ conſtantiſſima ſunt, & omnibus notiſſima. Quamvis duratio alicujus rei poſſit connotari, & frequenter connotetur aliarum rerum duratione, (ac quænam ſit prima temporis menſura haud facilè definiri poteſt.) Verùm hoc ad inſtitutum noſtrum multùm non facit. Ex cognitione temporis quo Libri conſcripti ſunt, & rerum quas complectuntur, varii ducuntur uſus magni momenti, atque hi inter alios, de quibus paucis agemus. Primùm inde colligimus plures alias circumſtantias, ac proinde pleniorem &

ampliorem rerum cognitionem, quales ſunt locus, Auctores, conditiones, ſtatus, perſonæ ad quas ſcripta directa ſunt, rationes quare ſunt edita, & ſexcenta alia. Atque hinc ſæpiſſimè ducuntur ſubſidia ad veram libri lectionem cognoſcendam, & quid ſibi velit Author intelligendum: & in prophanis ac errori obnoxiis ſcriptis veritatem, vel falſitatem rerum, quæ in iis traduntur dignoſcendam. Prioris uſus multa ſunt in Scripturis, de quarum veritate dubitare non poſſumus, exempla. Ita pag. 80. *Vol. I. juxta Auctorem noſtrum, ſenſus hujus locutionis,* למלכות אסא, *id eſt,* regni Aſæ, 2 *Paralip.* 16: 1. *triceſimo ſexto anno, quo Baasha Rex Iſraelis dicitur aſcendiſſe in Judam, non denotat* perſonale, *ſed* nationale *regnum, ſi ita loqui liceat, hoc eſt, regnum Judæ* κατ᾽ ἀντίθεσιν *ad regnum decem Tribuum, poſtquàm ſeceſſerunt. Hoc liquet ex Chronologia, ſeu computatione regni Baashæ, quod dicitur* 1 Reg. 15: 33. *incepiſſe tertio Aſæ, & per viginti quatuor annos duraſſe, id eſt, ad viceſimum ſeptimum Aſæ annum; quam in rem omnes conſentiunt Tranſlationes. Itaque Baasha non potuit aſcendere adverſus Iſraëlem triceſimo ſexto Aſæ anno, ſi hoc intelligas de* perſonali *ejus regno. Nobis licebit ex Chronologia Scripturæ argumenta nectere, præſertim ubi omnes Codices & Verſiones conſentiunt, quicquid in contrarium aſſerat, & conjiciat nuperus magni nominis Criticus, qui ait,* Accuratam Chronologiam ad ullum tempus non poſſe auctoritati horum Librorum niti, *donec firmiora opinionis ſuæ attulerit argumenta, eamque clariùs explanaverit.*

Præfat. ad Crit. Vet. Teſtam.

Quicquid ſit, hoc aliaque ſequentia exempla ſunt argumenta atque indicia uſû quem præſtare Chronologia poteſt; quamvis auctoritas ac veritas hodiernæ lectionis in Hebraïcis Codicibus, ſupponatur tantùm, non probetur. Ita etiam initium regni Omri in Iſraëlem per duodecim annos, triceſimo primo anno Aſæ Regis Judæ, juxta Hebraicum Textum & omnes Verſiones, debet intelligi juxta ſenſum quem ſuppeditat Chronologia. Vid. Harmon. Vet. Teſtam. *p.* 81, 87. *Vol. I. Cùm dicatur Achaziah natus quadraginta duos annos, cum cœpit regnare,* 2 Paralip. 22: 2. *Jehojachin verò octo annos, debet id aliter verti quàm vulgò fit, ut conſentaneum ſit Chronologiæ, ſi Textus Hebraicus hìc non creditur mendoſus. Sed Græcus Textus & Orientales Verſiones, in quibus priori loco legitur numerus viginti duorum, vel viginti, loco quadraginta duorum; Orientaleſque eædem Verſiones quæ in poſteriori loco habent numerum decem & octo annorum, pro octo duntaxat* annis, *veriſimile faciunt eſſe hic mendum. Grotius verba faciens de* Iſaj. 7: 8. *confidenter aſſerit, in Hebraico Textu legendum eſſe* שש וחמש, *id eſt,* ſex & quinque, *non* ששים וחמש, ſexaginta & quinque, *(quamvis poſteriorem hanc lectionem confirmet conſenſus omnium Verſionum) ac proinde numerandos* ſex & quinque, *ſeu undecim annos, non* ſexaginta quinque, *ad id tempus quo Ephraïm ampliùs futurus non erat populus, ad everſionem Samariæ, & abductionem decem Tribuum. Verùm contendo hanc aſſertionem rejici debere, quomodocunque tandem locus explicari debeat, tum quia eſt contraria Chronologiæ, tum propter alias rationes. Nam hanc Prophetiam editam oportet ſaltem tertio Achazi anno, quia edita eſt regnante Pekah in Iſraële, cùm invaſit Hieroſolymam unà cum Reſin Rege Syriæ. Achaz cœpit regnare anno decimo ſeptimo Pekah, cùm eſſet ipſe viginti annos natus,* 2 Reg. 16: 1. *atque adeo non potuit cum eo regnare niſi per tres annos ad ſummum. Jam autem à tertio Achazi anno ad expugnationem Samariæ, quæ contingit nono Hoſeæ Regis Iſraelis, fuerunt octodecim anni, non undecim, ut vult Grotius. Imò ad initium obſidionis fuerunt quindecim anni. Nam Hoſeas cœpit regnare duodecimo Achazi,* 2 Reg. 17: 1. *unde colliguntur novem anni; Samaria capta eſt nono Hoſeæ, qui anni additi prioribus efficiunt octodecim annos. Ratio hujus hallucinationis Grotii extat* 2 Reg. 15: 30. *ubi dicitur* Hozeah interfeciſſe Pekah, & regnaſſe ejus loco. *Putat nempe Hoſeam*

ſtatim

Digitized by Google

ſtatim regnaſſe poſt mortem Pekah, quod neceſſe non eſt. Atque apparet ex alia computatione, fuiſſe interregnum in Iſraële per ſeptem annos, aut ſaltem Hoſeæ regni nullam habitam fuiſſe rationem, ut Auctor noſter obſervat. Cujus rei cauſam hanc probabili conjecturâ affert Noſter, quòd Shalmanezer Rex Aſſyriorum, cum ejuſque regnum ſubdiderit, & circiter ſeptem annos tenuerit; poſtea verò tributo impoſito regnare ſiverit, aut ipſe Hoſeah jugum illud armis excuſſerit. Auctor noſter pag. 103. Vol. I. idem obſervat ad explanationem Iſaj. 1: 9. 14: 28. Denique veriſimillima lectio notiſſimi loci Exod. 12. in Textu Samaritano, & Alexandrino Codice Verſionis Septuaginta Interpretum, ope Chronologiæ agnoſcitur. Alia ſunt multa loca tum in Prophetiis, tum præſertim in Epiſtolis, quæ explanari nequeunt abſque cognitione temporis tum ad lectionem, tum ad rem ipſam quod attinet, quemadmodum vice verſâ ſæpe materia, ſeu argumentum, eſt character & nota temporis.

Res eſt magni momenti probare impletionem Prophetiarum per Chronologiam, ut ſciamus fuiſſe revelationem, quâ, ſummo miraculo, prædicti ſunt contingentes eventus. Ejuſmodi eſt commoratio & ſervitudo Abrahami ejuſque poſteritatis in Canaane & Ægypto per quadringentos annos, ubi plenus & par numerus, pro non pleno & impari ſumitur, quod toties occurrit in Scriptura, ut Rabbini inde regulam conflaverint ad eam interpretandam. Ac numerus certè quadringentorum & triginta annorum, qui occurrit Exod. 12. ſatis oſtendit Scriptorem vel Compilatorem Pentateuchi in animo non habuiſſe Prophetiam ejuſque impletionem exactè conferre, ſed in chartam conjeciſſe quod ſcriptis, traditione, vel inſpiratione acceperat. Obſervatu etiam digniſſima eſt Prophetia de pollutione Altaris Jerobeami, circa trecentos & quinquaginta annos à prædictione numerandos, per Joſiam qui in eo immolavit Sacerdotes Baalis, & oſſa humana combuſſit, 1 Reg. 13: 2, 33. Obſervandæ ſunt quoque Prophetiæ Danielis de ſeptuaginta Hebdomadibus, hoc eſt, quadringentis & nonaginta annis, ex quo exierat decretum, ad Meſſiæ adventum; Prophetia de ſeptuaginta annis Babylonicæ Captivitatis; expreſſa appellatio Regis Cyri qui Judæis faviturus eſſet, & conceſſurus licentiam inſtaurandi Templi & Civitatis; prædictio deſtructionis Templi, antequam una præteriret generatio, quam edidit Servator noſter. Tempora prædictionis & completionis harum rerum, quibus liquet unam ante alteram fuiſſe, & quantum fuerit inter eas intervallum, obſervantur ac probantur ope Chronologiæ. Hæc afferimus ut nota exempla, quæ & otium & diligentiam, ſi quis ea expendere velit, requirunt. Denique Chronologia res memoriæ noſtræ infigit, & facit ut faciliùs & jucundiùs intelligantur ac memoriâ teneantur.

Sequitur Chorographia, ſeu cognitio locorum. Atque hæc etiam & mentem & memoriam non parum juvat. Non poſſumus rectè percipere, nec memoriæ mandare objecta intelligibilia, qualia ſunt habitus, indoles & diſpoſitio mentis humanæ, abſque aliqua circumſtantia quæ ſenſus percellat noſtros; nec objecta in ſenſus incurrentia, qualia ſunt actiones corporeæ, & ſermones, abſque aliqua cognitione loci. Atque hoc poſſumus in lectionibus noſtris deprehendere: cùm enim quippiam intelligere & memoriæ mandare cupimus, ſi deſint nobis tales in iis quæ legimus circumſtantiæ, eas nobiſmet ipſi fingimus atque imaginamur. Hoc etiam utile eſt ad præcavendos errores in interpretatione Scripturarum, & ſæpe neceſſarium, præſertim in Prophetiis, ubi ſæpe nomina illuſtrium locorum, urbium, montium, fluminum, adhibentur ad deſignandas totas regiones, earum incolas, horumque ſtatum ac mores, ut Iſaj. 2. & alibi paſſim; quod cùm ſit tritiſſimum, aliis non eget exemplis.

Codices & Tranſlationes magni etiam ſunt uſûs. I. Ad oſtendendam ac confirmandam integritatem cujuſpiam Codicis Originalis Textûs; quamvis inter hos magnum ſit diſcrimen, omneſque non ſint ejuſdem ponderis atque

que auctoritatis. Generatim loquendo, (ut meam proferam conjecturam) primo loco recenſeo Samaritanum Textum, ac Verſionem, poſt Hebraïcum Textum: ſecundo Paraphraſin Onkeloſii in Pentateuchum, deinde Syriacam Verſionem quæ extat in Anglicanis Polyglottis: tertiò Vulgatam Latinam: quartò hodiernam Septuaginta Interpretum Tranſlationem: quintò Arabicam: ſextò Æthiopicam: ſeptimò alias Chaldaïcas & Perſicas Paraphraſes. Verbi gratiâ, antequam lectionem Codicum Originalium, in loco antea allato, Iſaj. 7: 8. *non fuiſſe* שש, *ut affirmat Grotius, ſed* ששים, *ut habent omnia noſtra Exemplaria Hebraïca, veriſimillimo colligitur argumento ex conſenſu omnium noſtrarum Tranſlationum.* Deuter. 10: 6. *Hebraïcus & Samaritanus Textus ſibi invicem contradicunt, eſtque præterea integra ſententia in Hebraïco, quæ non eſt in Samaritano. Juxta Hebraïcum legimus:* Et filii Iſraël moverunt caſtra ex Beeroth filiorum Jaakan ad Moſerah, ubi Aaron mortuus eſt & ſepultus eſt. *Sed in Samaritico eſt:* Et filii Iſraël iverunt ex Moſerah, & fixerunt tentoria ſua inter filios Jaakan. *Deinde interpoſitis omnibus caſtrametationibus filiorum Iſraëlis, ut* Numer. 33. *ſequitur:* Tunc mortuus eſt Aaron, *&c. Sed cùm omnes Verſiones conſentiant cum Hebraïco Textu, validum hoc eſt pro ejus lectione argumentum; & poteſt ea conciliari aliquâ ratione cum Hiſtoria quæ habetur* Numer. 33: 31, 38. *ut fecit Auctor noſter pag.* 39. *Vol. I. Quamvis fatendum ſit accuratum Hiſtoriæ conſenſum in utroque loco, in Textu Samaritico, pro ejus lectione non leve ſuppeditare argumentum. Repetitiones Samaritani Textûs,* Exod. 17. *poſt* verſ. 14, 19, 22. *ex* Deuter. 24. *&* 5. *cum aliqua mutatione, ut in pluribus aliis locis; atque interpoſitio integræ ſententiæ,* Exod. 22: 10. *& alibi: hæc, inquam, cùm abſint ab omnibus Tranſlationibus, argumenta præbent in genere integritatis Codicis Hebraïci, & præſertim in hiſce locis. Nec poſſum credere, in illa vexatiſſima quæſtione de duobus Caïnan,* Geneſ. 10: 24. Luc. 3: 36. *Septuaginta Interpretum Textum non eſſe corruptum, Hebraïcum verò Textum rectè ſe habere, cùm Samaritanus Textus & Verſio, omneſque reliquæ Tranſlationes cum Hebraïco conveniant. Imò Vaticanum Exemplar Septuaginta Interpretum,* 1 Paral. 1. *omiſit alterum Caïnan, & Alexandrinum, ut in uno loco eum recenſet, ita in altero prætermittit.*

II. *Sed vice verſâ agnoſcendum eſt, aliquando conſenſum Verſionum argumentum eſſe defectûs, vel mendi in hodiernis noſtris Hebraïcis Codicibus. Nam quamvis Hebraïca Exemplaria ſint Originalibus proxima, & omnibus aliis longo intervallo præferenda: attamen nimiæ eſt pertinaciæ aut ſuperſtitionis credere nulla in eis eſſe* σφάλματα *notatu digna, quæ ope Verſionum emendari poſſint; cujus rei frequentia ſunt in reſtitutione aliorum ſcriptorum exempla, ut in Epiſtolis Ignatii, quas reſtituit Uſſerius Hiberniæ Primas. In loco notiſſimo* Pſalmi 22: 16. *Anglica Tranſlatio verè legit* כארו, perforarunt manus meas, & pedes meos, *ſed in hodiernis Codicibus Hebraïcis legimus* כארי ידי ורגלי, tanquam leo manus meæ & pedes mei. *Vitioſos eſſe hoc in loco Hebraïcos omnes Codices, & priùs ſcriptum fuiſſe* כארו, perfoderunt, *oſtendunt omnes Verſiones, exceptâ Chaldaïcâ Paraphraſi. Præterea in hodierna lectione Hebraïca nullus eſt ſenſus, niſi ſuppleatur verbum aliquod, ut fit in Paraphraſi Chaldaïca, quæ in hunc Pſalmorum Librum & reliqua Hagiographa valdè antiqua non eſt; ubi legimus:* נחתין כאריא, Inſtar leonis mordentes manus meas & pedes meos. *Sed hæc eſt duriſſima interpretatio, & ejuſmodi Ellypſis (quamvis Hebraïca Lingua eâ figurâ abundet) videtur contraria genio Hebraiſmi Biblici, & fortaſſe ſine exemplo. Non dicam juxta ipſam Maſoram, debere hanc vocem aliter verti quàm* inſtar leonis: *notat enim hic in vocem* כָּאֲרִי, *literam* כ *bis reperiri in Bibliis cum vocali* ָ, *ſed in duabus diverſis ſignificationibus; & alterum locum eſſe* Iſaj. 38: 13. *ubi eſt in Anglica noſtra Verſione:* I reckoned till morning that as a lyon ſo will he break all my

Digitized by Google

my bones: *id eſt, Reputabam uſque ad mane eum inſtar leonis fracturum omnia oſſa mea. Dubium non eſt quin hoc poſteriori loco* כארי *ſignificet* inſtar leonis, *ac proinde loco* Pſalm. 22. *aliud oportet eâ voce ſignificari. Hæc quidem ſatis nota ſunt eruditis, ſed non tyronibus in hoc ſtudii genere, adeoque eorum meminiſſe non eſt ſupervacaneum. Ita etiam* Pſalm. 145: 14. *omnes Verſiones, exceptâ Paraphraſi Chaldaicâ, interponentes integrum verſum hoc ſenſu:* Dominus eſt fidelis in omnibus ſuis verbis, & ſanctus in omnibus ſuis operibus, *veriſimillimum faciunt (præter argumentum ductum ex literis initialibus verſuum, quæ diſpoſita ſunt juxta ordinem Alphabethi, in quo una deeſſet litera, abſque hac interpoſitione) hæc verba omiſſa eſſe in hodiernis Codicibus noſtris, quæ in antiquioribus fuerunt, quicquid induſtrius & diligens* Hottingerus *calide in contrarium afferat ad defendendos Codices hodiernos: & quamvis repetitio hujus verſûs cum duarum vocum mutatione,* verſ. 17. *poſſit aliquod argumentum in aliam partem trahere. Celebris ille difficultate ſuâ locus,* Exod. 12: 40. Commoratio filiorum Iſraëlis, qua commorati ſunt in Ægypto, fuit quadringentorum & triginta annorum, *meritò eſſet ſuſpectus mendi, conſulto Samaritico Textu & Alexandrino Codice, quamvis evidenter hoc non evinceret Chronologia: uterque enim habet:* Commoratio filiorum Iſraël & patrum ipſorum in Ægy-pto & Canaan. *Romana etiam editio Septuaginta Interpretum addit* Ægypto, erram Canaan. Theſ. Philolog.

In veteri Jacobi vaticinio de natu minimo filiorum Joſepho, Geneſ. 49: 22. *amariticus Textus, à Septuaginta Interpretibus confirmatus, meliorem videtur ippeditare lectionem quàm Hebraicus, qui habet:* בְּנוֹת צָעֲדָה עֲלֵי־שׁוּר, *quod Anlica noſtra Verſio tranſtulit:* Whoſe branches run over the wal: *i. e.* cujus raii eunt ſupra murum. *At certè juxta hodiernam punctationem, vix illa modo conſtrui poſſunt, ſed in Samaritano Textu habetur* בני בנה הצעירה צעיר, *& apud Septuaginta Interpretes,* υἱός μου νεώτατος, *id eſt,* Joſephus filius eus natu minimus: *quod convenit etiam prædictioni de Reuben,* verſ. 3. Reuen primogenitus meus. *Geneſ.* 4: 8. *conſenſus Samaritanorum Textûs & Vermis, Syriacæ Tranſlationis, Septuaginta Interpretum, & Vulgati Latini, pro terpoſitione vocum* נלכה השדה, *(ut eſt in Samaritico Textu) id eſt,* Eamus in grum, *in alloquutione Caïnis ad Abelem, præter vocem* ויאמר, Et dixit, *ua neceſſario id requirit, & ſpatium vacuum relictum in Hebraïcis Codicibus, fat ut omnino videantur hodierni noſtri Codices hac in re mutili. Quod attinet ad agnum illud diſcrimen annorum, qui fluxere à Creatione ad Diluvium, à Diluio ad Abrahami nativitatem, quod eſt inter hodiernum Hebraïcum Textum, maritcum & Septuaginta Interpretes, id Chronologis diſcutiendum relinquo. on eſt hic locus ea de re diſputandi.*

Eſſe errata aliqua in noſtris Codicibus Hebraïcis, reſpectu literarum ſingularum, nſonarum & vocalium, (intelligo ſonos, non characteres vocalium, qui ſine duo non ſunt antiquiſſimi) non poteſt negari ab eo qui præconceptis opinionibus occatus non fuerit, ut tum aliis argumentis liquet, tum etiam ex Verſionibus. Non quidem probare omnia exempla ab eruditis allata, & præſertim quædam quæ mium redolent partium ſtudium, aut ferè in deſpectum Hebraïci Textûs affentur: ſed exiſtimo quædam exempla meritò poſſe afferri. Ut unum atque altem proferam, Pſalm. 2: 9. *legimus in Hebraico Textu,* תְּרֹעֵם, *id eſt,* Frans illos virgâ, *vel potiùs,* ſceptro ferreo. *Sed apud Septuaginta Interpretes, in Novo Teſtamento,* Apocal. 2: 27. *legimus,* Ποιμανεῖς αὐτοὺς, Paſces, *vel* ges eos, *conſentientibus omnibus Verſionibus, præter Chaldaicam Paraphraſin. ide meritò credimus eos legiſſe* תִּרְעֵם, *hoc eſt,* Paſces, *ſeu* reges eos. *Eſt quim ſenſus utriuſque lectionis ferè idem, adeoque varietas non eſt magni momenti. opter eandem rationem probabile eſt,* Hoſ. 13: 14. *veram lectionem Hebraici*

Digitized by Google

Textûs fuiſſe priùs אירה, Ubi ſunt, *quam Paulus ſequitur* 1 Corinth. 16: 55. *non* אהי, Ero tua vulnera, ô mors; *quamvis conjectura eruditiſſimi* Pocockii *de Metatheſi literarum* י *&* ה, *quam etiam in Lexico ſuo annotavit Buxtorfius, ſit ingenioſiſſima. Sed fateor citationem Chaldæi Paraphraſtis,* verſ. 10. *adeò id non probare, ut poſſit aliud mendum ejuſdem generis in Hebraïco Textu arguere, & Paraphraſtem eo in loco, non ſecus ac Vulgatum Interpretem, & reliquos omnes, legiſſe in Hebræo* אירה, ubi, *non* אהי, ero. *Nec dubito quin poſſit afferri exemplum, ubi* אהי *per Metatheſim interrogativè ſumatur. Attamen Buxtorfius in ſuo Lexico antea citato, innixus duobus hiſce locis, novam vocem nobis finxit* אהי, *pro* ubi. *Verſio noſtra Anglica, juxta hodiernum Textum Hebraïcum meliùs vertit* ero, *verſ.* 10. *&* 14. *Nam nihil frequentiùs occurrit, quàm futurum Verbi* היה *defectivè ſcriptum* κατ᾽ ἀποκοπήν. *Iterum* Amoſ. 9: 13. *videntur tres voces aliter lectæ à Septuaginta Interpretibus, quos ſequutus eſt Paulus* Actor. 15: 16. *quàm nunc leguntur in Hebraïcis Codicibus, quod non parùm mutat ſenſum. Pro* יירשו, poſſidebunt, *Septuaginta habent* ידרשו, quærent; *pro* את *nota Accuſativi,* אותי me; *& pro* אדום, Edom, אדם, homo, *vel* humanum genus. *Septuaginta, & Arabica ex iis ducta Verſio, legunt hac ratione: Chaldæus, Vulgatus & Syrus aliter, quò fit ut incerta remaneat genuina lectio, niſi aliâ quâpiam viâ deprehendatur.*

Not. Miſcell. ad Port. Moſ. cap. 4.

Hæc jam omnibus ferè nota ſunt, & à me allata duntaxat inſtar exemplorum, additis aliquot obſervatiunculis.

Præterea hîc omittere non debemus, punctationem Hebraïci Codicis non ſemper eſſe accuratam. Hoc ſatis liquet, tum ex multis anomaliis, quarum non meminit Maſſora, tum ex multis nominibus propriis quæ aliter ſcribuntur in Verſionibus, idque juxta analogiam Hebraïcæ Linguæ: ut שִׁנְעָר *&* בִּלְעָם, *quæ apud Septuaginta & Vulgatum Interpretes leguntur* Βαλαάμ *&* Σενναάρ, *unde veriſimile fit admodum punctata fuiſſe ſic,* שַׁנְעָר *&* בַּלְעָם, *ut* כְּנַעַן *cum Pathach, non Scheva, ante gutturalem.*

Atque ut hoc, occaſione datâ, adjiciam, merâ ſuperſtitione recentiorum Judæorum, imò etiam antiquiorum, ante ipſa Septuaginta Interpretum tempora, factum eſt, ut vocales vocis אדני, Adonai, *ſupponerentur voci* יהוה, Jehovah, *quæ fuit nomen proprium Dei Iſraëlis. Nam mihi veriſimilius eſt proprium hoc nomen Dei pronuntiatum fuiſſe, quia paſſim finem, aut initium nominum virorum conſtituit, ut in* יְשַׁעְיָהוּ, יִרְמְיָהוּ, *(punctari enim debent ut* יְהוֹנָתָן, יְרָבְעָם, *non* יִרְמְיָהוּ, *ut malè punctantur in Hebraïcis noſtris Codicibus)* יְהוֹנָתָן, *&c. quæ vulgò ſcribuntur* Iſajah, Jeremiah, Jonathan. *Nec minùs probabile eſt veram punctationem hujus nominis proprii* יְהוָה, *uti nunc punctatur, olim fuiſſe* יַהֲוֹה, Jahavoh, *ut* יַעֲקֹב, יִצְחָק, שְׁלֹמֹה, *&c. Atque hæc ὡς ἐν παρόδῳ.*

Alius eſt uſus & beneficium quod percipitur ex aliis Scripturarum Verſionibus, quòd nempe ſuggerant nobis ſignificationes loqutionum & verborum, de quibus alioqui non cogitaſſemus. Ita Iſaj. 28: 16. *legimus in Hebræo,* המאמין לא יחיש, *quod vertit Anglica noſtra Tranſlatio,* Qui credit non feſtinabit. *Sed Septuaginta Interpretes verterunt,* οὐ μὴ καταισχυνθῇ, *& Paulus,* Rom. 9: 33. *(*οὐ καταισχυνθήσεται*),* non pudefiet: *Paraphraſtes Chaldæus,* לא יזדעזעון, non turbabitur: *Syrus,* לא נדחל, non timebit. *Jam autem ex variis iſtis Tranſlationibus colligimus non eſſe vero abſimile Hebraïcæ voci eſſe haſce quatuor ſignificationes, præſertim cùm ſint tam affines, quamvis in hodiernis noſtris Verſionibus unius tantùm rationem habeamus. Atque hoc probabilius facit eruditiſſimus ille Linguarum Orientalium Magiſter* Pocockius, *qui teſtatur Verbum Arabicum* Hauſch, *quod reſpondet Hebraïco* חוש, *tria ſignificare, nempe* feſtinare, timere, pudefieri. *Quinque aut ſex ſignificationes præterea ei tribuuntur in Lexico Heptaglotto indefeſſi Doctoris Caſtelli, jam digniſſimi Cantabrigiæ Arabicæ*

Ibid. cap. 1.

Linguæ

Linguæ Profeſſoris, qui ferè cum jactura ſenſuum, membrorum & facultatum, (quæ nimium ſæpè ſors eſt ſervitutis Literariæ!) laborioſum hoc exantlavit opus, & ſubiit maximam laboris in Editione Polyglottorum Bibliorum Anglicanorum partem. Verùm ad poſtremam ſignificationem quod attinet, fateor nos non debere nimium fidere argumento quo notio aliqua vocis alicujus deducitur ex variis ſignificationibus ejuſdem vocis in alia Lingua. Nihil enim eſt frequentius populo, non longo temporis intervallo, propter varios eventus, mutatâ vocis ſignificatione aliam ipſi tribuere; at regionem aliquam quæ ab alia vocem mutuata eſt quampiam, novas ei ſuperaddere ſignificationes, & priſtinam aliquando planè abolere. Exempli gratiâ, vox conciere *habet varias ſignificationes in Lingua Anglica, quas in Latina non obtinet vox* concipio, *ex qua deducta eſt. Nec* infelix *Latinè ſignificat ſimul* unhappy & miſchievous, *infauſtum & ſceleſtum, quia utrumque apud Anglos ſignificat* unluckie, *quod reſpondet voci Latinæ* infelix. *Gallicæ voces* trier & cracquer, *nihil aliud, quod equidem meminerim, ſignificant præter* excerpere *vel* ſeligere, & crepitare, *non verò ut* to try & to crack *apud Anglos,* tentare, probare, & gloriari, *quæ Anglicæ voces ex Gallicis derivatæ ſunt. Denique vox Belgica* letten *non ſignificat duo contraria, nempe* impedire & permittere, *quia verbum* to lett *apud Anglos, quod illi reſpondet, utrumque denotat; quod etiam* Pocockius *affert inter exempla mul-* Loc. cit.
tarum aliarum Linguarum, in quibus voces quæpiam contraria ſignificant. Ita non ſequitur vocem עצר *in Hebraïca Lingua eſſe* ἐναντιόσημον, *quia Arabica vox quæ ei reſpondet, juxta quoſdam ex Arabum Lexicographis, eas obtinet ſignificationes.*

Novi quidem Anglicum to lett, *quatenus ſignificat* permittere, *deduci ex Belgica voce* laten, *non verò* letten: *ſed vox Anglica* lett *ſignificans* obſtare, *ſcribitur iiſdem literis, & unâ notione reſpondet Belgicæ voci* letten, *unde quis inferre poſſet, hanc eaſdem habere ſignificationes. Sed vereor ne lectorem meum defatigaverim, priuſquàm venerim ad præcipuam inſtituti mei partem, quæ in eo ſita eſt, ut oſtendam beneficia ac commoda Thalmudicæ & Rabbinicæ eruditionis, quæ præcipua fuit dos eruditi ac diligentis hujus Auctoris.*

Id ſtudii genus in hiſce Occidentalibus oris à centenis, aut paulò pluribus annis floruit, ſed jam, ut videtur, incipit negligi, partim quia quicquid inde educi poteſt optime exiſtimatur jam eſſe obſervatum, & paratum uſui noſtro, duro & aſſiduo labore, à viris eruditione ac judicio præſtantibus; qua in re poteſt eſſe aliqua hallucinatio: partim, quia requirit multum temporis ac laboris, nec ejus ope ea poſſumus conſequi commoda, quæ aliis facilioribus & jucundioribus conſequimur ſtudiis. Ex quo inſtauratum fuit, eandem expertus eſt ſortem ac Alchymia; quæſitum, probatum, atque in uſum revocatum fuit, non modò à viris moroſis, memoriâ tantùm valentibus, aut ſuperbiâ quadam vanâ percitis, ſed etiam à ſapientiſſimis, & qui judicio ac ingenio maximè valebant. Plurimi utriuſque generis, rationes & exempla magnæ ſtudii illius utilitatis prodiderunt. Fortaſſe nos addere poterimus aliquot exempla jam allatis, aut paulò ampliùs immorari uni aut alteri quod illi tantopere non urſerunt.

Primò igitur ipſa cognitio opinionum & conſuetudinum tantæ Gentis ac nunc ſunt Judæi, & olim præſertim fuere, magnifacienda eſt tum propter voluptatem, tum propter uſum. Eſt pars non exigua Hiſtoriæ, & quidem præſtantiſſimæ Hiſtoriæ, nempe humanæ naturæ, & ea etiam pars quæ maximè differt à noſtra, & vulgò minùs quàm omnes reliquæ nota eſt. Ac certè præcipuus uſus quem viri ſapientiſſimi ex pleriſque ducunt ſcriptis, eſt potiùs cognitio judiciorum hominum, eorumque conditionis, quàm naturæ & veritatis rerum de quibus agitur; ad obſervandum qui affectus, quæ cogitationes hominum animos invaſerint, quas opiniones & quas conſuetudines ſint ſequuti. Præſertim magni hìc eſt momenti cognoſcere miram ignorantiam, putidas fabulas, ridiculas orationes ac diſceptationes, in-

Digitized by Google

inſanas obſervationes ac explicationes, puerilia ratiocinia, ſtultam ſuperbiam, ſuperſtitioſamque indolem totius hujuſce populi, ſi excipiamus Maimonidem, & unum atque alterum ex recentioribus, qui Philoſophiæ majorem operam dederunt, & qui tamen plus ſatis ſuperſtitionis retinuerunt. Idem ille ſpiritus hypocriſeos, ignaviæ, ſuperbiæ & ſuperſtitionis, in quem Servator noſter & Prophetæ, eximii illi internæ, ac veræ juſtitiæ, ſolidæque ac ſpiritualis pietatis ac virtutis præcones, tantopere invecti ſunt ſuis temporibus, apparet adhuc ubique in eorum ſcriptis. Liquet etiam ex iis, quàm cæco & quàm hypocritico affectu, minùs momentoſas Religionis ſuæ partes, & additas à ſe traditiones præferant gravioribus & majoris multò momenti præceptis. Magno ſtrepitu clamant ſe eſſe peculiarem Dei populum, quem ſibi ſpeciali fœdere devinxit, ſuam Religionem divinam eſſe, & vel minutiſſimas inſtitutiones, ac ſubtilia quæque myſteria, ad Cabbalam *præſertim pertinentia, licet ex inepta & falſa interpretatione alicujus præcepti Legis, aut ex incerta & vana Traditione ducta, eſſe divini juris: dum flocci faciunt præcipuum præceptorum Legis finem, & ſcopum eorum quæ in inſtitutionibus illis vera ſunt ac utilia. Ut obſervent propria ſua decreta, omitti poſſe credunt caritatem & humanitatem ipſam, dum putant licitum eſſe interficere Iſraëlitam qui geſtat veſtem ex lino & lana confectam, nec licere educere è mari Ethnicum morti proximum. Ita loquuntur quaſi Deus tantopere amaſſet eorum Majores, poſteritatemque ipſorum iis ornaſſet donis, & eorum duntaxat causâ Deus creaverit mundum; & quaſi tantopere ſe iis devinctum putaret propter honorem quem ei exhibent, prælatis ejus Legibus ac Religione reliquis omnibus, ut neceſſe habeat eſſe ipſorum Protector ac Servator, nec unquam patiatur ullum ex caro hoc populo perire, & vix in malum aliquid incidere. Hic eſt omnium Religionum morbus, & qui nimium etiam paratus eſt in Chriſtianam omnium optimam irrepere, quæ id vitium in lucem protraxit, & ſeverè adeò damnavit in inſanis illis hypocritis Religioni Moſaicæ addictis, cui ſucceſſit.*

Poſſumus præterea obſervare, quàm Judæi & alii Orientales, miris & extraordinariis ſint opinionibus infecti, præſertim circa res ſpirituales, de quibus ſimilia ſentiunt Pythagoræis & Platonicis, qui eruditionem ſuam ex Oriente & Auſtro duxerunt. Quod uti uſui eſſe poteſt ad inventionem & inveſtigationem ulteriorem aliquando quàm unquam cæcum hominum genus tentaverit: ita etiam naturæ non parum noxium eſt, dum memoriam nugis, mendaciis atque ineptiis replet, quæ pertinaciſſimè creduntur, niſi ſubjiciantur ſupremæ facultati intellectûs, rationis ac judicii. Adde quòd apud Rabbinos eæ aliquando occurrant opiniones, ſeu caſu ortæ, ſeu Traditione, multæ inſtitutiones, ritus ac leges, quæ explicatione & applicatione commodâ poſſunt ſapientiſſimis viris egregia ſuppeditare monita. Eò quidem ſemper inclinavi ut crederem, maximam eorum doctrinæ partem, circa ſpiritualia in Theologia ac Philoſophia, ut de natura & attributis Dei, quædam de Meſſia, de natura atque ordinibus Angelorum, de Spiritu Sancto, & divinâ præſentiâ, (רוח הקודש, & שכינה) de reſurrectione mortuorum, de immortalitate animorum, ſtatuque eorum poſt mortem, de prima & ſecunda morte, de neſcio quo Purgatorio, de die Judicii, de originali peccato, &c. aliiſque quæ recenſet Du Voiſin *in ſua Theologia Judaïca; eò, inquam, ſemper propendi ut crederem Judæos, præſertim recentiores, quales ſunt* Rambam, Raſi, Saadias, Kimchi, Abarbanel, *&c. iſta accepiſſe, licet ſenſim ac ſine ſenſu, & cum aliqua interpolatione ac mixtura ab ipſis facta, ab Ethnicis & Chriſtianis Philoſophis, Patribus & Scholaſticis, qui primi talia docuerunt, & in mundum invexerunt. Dixi* maximam eorum doctrinæ partem, *non totam; atque hoc poſſem multis peculiaribus exemplis oſtendere, ſi hic eſſet fusè de re hujuſmodi agendi locus: ſed hoc ad primum uſum quod attinet ſatis erit.*

Secundus qui hauriri poteſt ex Thalmudicis & Rabbinicis Scriptoribus, pertinet ad

Digitized by Google

ad confirmationem Hiſtoriæ Servatoris noſtri Jeſu veri Meſſiæ. Ex iis apparet fuiſſe ejuſmodi homines, Jeſum nempe, ejuſque Diſcipulos, qui in ea vixerunt regione, eo tempore, qui has ediderunt actiones, & ſermones hoſce protulerunt; talia fuiſſe loca, opiniones, conſuetudines, ritus publicos & privatos illis temporibus. Judæi enim Scriptores qui tùm vixerunt, vel non multò poſt, aliique ex iis, talium rerum quæ facti *dicuntur meminerunt, narrant fuiſſe inter ſe ejuſmodi ritus ac conſuetudines, referunt & diſcutiunt tales opiniones & controverſias. Stylus eorum &* Φρασεολογία *perfectè ſimiles ſunt Euangeliſtarum ſtylo, imò & ipſa materia quæ eſt in eorum Libris, ut Proverbia, Parabolæ, Similitudines. Jam autem quicquid confirmat, vel minuit fidem alicujus Hiſtoriæ in circumſtantia quapiam, idem etiam facit circa reliqua: nam ut plurimùm qui verè vel falsò aliquid narravit, eodem modo alibi ſe geſſiſſe videtur. Supervacaneum non erit unum aut alterum proferre exemplum, ex noſtra ipſorum obſervatione, quandoquidem tot ab Auctore noſtro, aliiſque eruditis viris ſunt allata, ut hoc ſtudium commendetur. Quàm ſimilia ſunt hiſce verbis Servatoris noſtri in monte,* Matth. 6: 25. Luc. 12: 22. Ne ſolliciti ſitis animæ veſtræ quid manducetis, neque corpori veſtro quid induamini, &c. *hæc Babylonici Thalmudis, in Gemara Tractatûs* Sota, *fol.* 48. *col.* 2. רא׳ הגדול אומר כל מי שיש פת בסלו ואומר מה אוכל למחר אינו אלא מקטני אמונה, *id eſt,* Dicebat R. Eliezer ſenior, Quicunque unicum habet fruſtum in ſuo caniſtro, & quærit quid craſtinâ die comedet, eſt duntaxat ὀλιγόπιστος. *Hoc dictum laudatur ab Auctore noſtro in* Horis *ſuis* Hebraïcis, *non ex ipſo fonte, ſed ex Præfat.* R. Abuhab in Menorath Hammaor. *Rurſus in* Talm. Bab. Kidd. *in* Miſn. Miſn. 14. דם מתפרנסין שלא בצער אני שנבראתי לשמש את קוניאינו דין שאתפרנס שלא בצער, *id eſt,* Beſtiæ & aves paſcuntur ſine ſollicitudine; quidni ego, qui creatus ſum ad inſerviendum Domino & Creatori meo? *Matth.* 10: 35, 36. *Servator noſter dicit Diſcipulis ſuis,* ſe veniſſe ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, *&c. Eandem invenimus traditionem iiſdem fere verbis,* Talm. Bab. *cap.* 9. Miſn. 15. *longiora ſunt quæ ibi habentur, quàm ut huc transferri queant. Incipiunt hiſce verbis:* בקבעות משחא חוצפא, Circa tempora Meſſiæ abundabit impudentia: *& paulò poſt:* בן מנול אב בת קמה באמה כלה בחמותה אויבי איש אנשי ביתו, Filius malè habebit & contemnet patrem, filia ſurget contra matrem ſuam, nurus contra ſocrum, hoſtes alicujus erunt ejus domeſtici. *Idem habet R.* Judah *in* Talm. Bab. Sanhedr. *fol.* 97. *col.* 1. *Fateor inſolita iſta afferri à Rabbinis non tanquam effectus & conſequentias adventûs Meſſiæ, ſed quaſi immediatè anteceſſura ejus adventum. Quaſdam ex præcipuis parabolis Servatoris noſtri in Euangeliis reperimus abſque ulla mutatione, aut iis ſimillimas, pauculis immutatis, in Thalmudicis ſcriptis. Parabola divitis epulonis,* Luc. 16. *habetur in* Talm. Bab. Gem. Berac. *Parabola convivii nuptialis, & ſapientium ac ſtultarum virginum,* Talm. Bab. Gem. Shab. 153. *Hæ tranſlatæ à* Conrado Othone, *fuerant jam citatæ à* Sheringamio *in Præfatione ſua ad* Codicem Jomæ: *quarum poſtrema malè eſt verſa, quibuſdam additis ac detractis, dilucidioris explicationis cauſa, utque meliùs accommodaretur textui Euangeliſtæ. Præterea quàm exactè vera apparet exprobratio Servatoris noſtri adverſus Scribas & Phariſæos,* Matth. 23: 3. *ex ipſis eorum diſputationibus & decretis, in* Talm. Bab. Maaſ. Miſn. cap. 4. Miſn. 5. *& quàm meritò Servator noſter væ iis dixerit, quod majori curâ decimarent mentam, & anethum, & cuminum, quàm judicium exercerent? Maximi Doctorum & Sapientium illorum, quaſi magni momenti quæſtionem hanc proponunt, utrùm anethum (quod vocant* שבת*) debeat ſolvere decimas ſeminis, foliorum, & ſurculi ſimul, ut opinor, R. Eliezer credebat debere: ſed Sapientes (*חכמים*) qui id deferre ſolebant, judicabant nihil debere in eo decimari præter folia & ſemen, ſed tantum* השלהים ותרגר, *in* naſturtio & eruca. *Paucula loca hic poſſent addi, quorum alii non meminere, aut per otium eis non licuit*

talia memorare niſi paucis, ut indicarent conſuetudinem aliquam vel phraſin, & loca ipſa in Scriptoribus inveſtiganda lectoribus curioſis relinquerent. Atque, ut me contineam Præfationis terminis, hìc indicabo plura Thalmudis loca, in quibus mentio occurrit Jeſu noſtri, ut Eruditi aut Doctores ea, cùm licebit per otium, quærere poſſint. Pars eorum maxima in Buxtorfii Lexico Thalmudico *ſparſim inveniri poteſt. Obſervabo tantùm eos multas ineptias & mendacia veritati immiſcuiſſe. In* Talm. Babyl. Sanhedr. Gem. 43. 1. *Traditionis inſtar dicunt,* Jeſum ſuſpenſum fuiſſe (*è cruce*) die quæ Paſcha præceſſit, quia faſcinaverat, fefellerat, & abduxerat populum: & cùm è præcone publicè fuiſſet appellatus, qui appareret in ejus cauſa & innocentiam ejus teſtaretur, neminem qui id faceret repertum fuiſſe, quòd eſſet קרוב למלכות, regno propinquus, *id eſt, regnum affectaret:* ſed fuiſſe quinque ex ejus Diſcipulis *(nomina, excepto uno, cum noſtris conveniunt)* qui cauſam dixerunt, nec ſunt ultimo ſupplicio affecti. *Rurſus in eodem* Tractatu, *fol.* 101. 2. *& in* Sota, 47. 1. *dicunt,* Jeſum uſum eſſe incantationibus & ſortilegiis; *adduntque eum iviſſe in Ægyptum cum quodam* Joshua filio Perachiæ, *& excommunicatum fuiſſe à* R. Simeone. *Reliqua loca ſunt* Talm. Babyl. Avod. Zar. 17. 1. *& ea in quibus loquuntur de* בן סטרא, Apoſtata: *quo nomine Buxtorfius aliique putant obſcurè ſignificari Jeſum; ut* Talm. Babyl. Sanh. 67. 1. Shabb. 104. 2. *&* Talm. Hieroſ. Sanhedr. *cap. 7. circa finem. Facile eſſet de hoc negotio paginas implere; ſed hæc abundè ſufficient exempla ſecundi uſûs Thalmudicæ ac Rabbinicæ eruditionis. Lector etiam, dum hoc perleget Opus, multa inveniet loca & obſervationes ad hanc rem facientes, præſertim Cap.* 9. *Tractatus* de Miniſterio Templi, *& Sect.* 77. Harmoniæ Novi Teſtamenti.

His adjici debet uſus notiſſimus, nempe Rabbinorum ope explicari varia loca Veteris Teſtamenti de Meſſia; quo fit ut ea interpretatio Chriſtianis ipſis veriſimilior videatur, & varia Chriſtianorum dogmata adverſus Judæos demonſtrentur; ſeu à paucis negentur, ſeu pluribus, ſeu pleriſque recentioribus; idque ex Scriptoribus quorum ipſi auctoritatem magni faciunt. Hoc enim in negotio, ubi nobis res eſt cum Judæis, non quæritur quam auctoritatem Scriptores illi in ſe habeant, (licèt aliqua poſſit iis tribui) aut unde hauſerint opiniones ſuas. Talia ſunt, verbi gratiâ, tempus adventûs Meſſiæ, excellentia ejus naturæ, magnitudo ejus poteſtatis; eum futurum fuiſſe ſpiritualem Regem, qui ſpiritualem poteſtatem haberet in Satanam, ad eum & impios ad Tartara detrudendos; eum futurum fuiſſe miſerum, afflictum ac contemptum, quamvis ſumma quæque merentem; juſtificatio hominum ejus causâ; ſatisfactio per ipſius merita pro peccatis pœnitentium, &c. Non dicam nos eadem planè apud Judæos, & præſertim antiquiores, reperire; ſed ſaltem ita ſunt ſimilia doctrinis hiſce Chriſtianis, & ita ad eas accedunt, ſi clarè ac perſpicuè exponantur, ut qui ea credunt, rationem inde habeant, quâ bene diſpoſiti eſſe deberent ad credenda atque amplectenda dogmata Chriſtiana.

Ac primò quidem, quantùm mihi in hac Præfatione licebit, paucis referam varias Scripturæ interpretationes, præſertim ex antiquioribus, circa Meſſiam, quibus multò plures poſſunt addi. Iſaj. 9: 6. Nomen ejus vocabitur Admirabilis, *&c.* Maimonides *in ſuo* אגר״ת תימן, *fatetur ſex iſta nomina pertinere ad Meſſiam, conſtructis, ut nos facimus, vocabulis. Ita etiam* Aben Ezra. *Sed* R. Lipman, R. Solomo, *&* D. Kimchi *aliter ea conſtruunt; nempe,* Deum potentem & æternum Patrem, *&c.* vocaturum eum *(puerulum nempe)* Admirabilem, *&c.* Iſaj. 11: 1, 2. Et egredietur virga de radice Jeſſe. *Gemariſtæ in* Talm. Babyl. Sanhedr. 93. 2. *&* Maimonides *in ſuo* אגר״ת תימ׳, *& Chaldæus Paraphraſtes interpretantur de Meſſia.* Iſaj. 52: 13. Ecce ſervus meus prudenter aget, exaltabitur.

Tan-

Tanchuma in Jalkut id intelligit de Meſſia; & R. Houna eodem in loco refert verſum quintum Cap. 53. Vulneratus fuit propter tranſgreſſiones noſtras, ad afflictiones Meſſiæ. Tota Prophetia ab omnibus veteribus explicatur de Meſſia; quamvis R. Saadia, & Aben Ezra, quem viſum eſt ſequi Grotio, iſta referant ad Jeremiam; Kimchi verò, R. Solomo, & Abarbanel, multo minori cum ratione ac ſenſu, ad populum Iſraelis. Iſaj. 11: 10. Ipſum Gentes deprecabuntur: in Bereſ. Rabb. fol. 110. dicitur ſignificari Meſſias, & ita omnes Judæi Interpretes. Iſaj. 11: 4. Conflabunt gladios ſuos in vomeres, &c. dicitur intelligendum de temporibus Meſſiæ in Jalkut ex Thalm. Babyl. Shabb. Zachar. 11: 12. Et appenderunt mercedem meam triginta argenteos: R. Chanian & R. Jochanan in Bereſ. Rabb. credunt triginta hoſce nummos eſſe triginta nova præcepta quæ ſecum afferet Meſſias, quibus fiet aliqua in ipſorum Lege mutatio; quamvis quidam ibi objiciant triginta iſta præcepta datum iri Gentilibus, non Iſraelitis, ut etiam interpretatur Scholiaſtes R. Iſſachar. Zachar. 12: 10. Et me reſpicient quem perforarunt: (quem locum puto melius verti poſſe, ut adverſus Grammaticas Judæorum objectiones defendi queat) R. Douſa in Thalm. Babyl. Succ. 52. 1. reſpici Meſſiam putat. Buxtorfius in ſuo Lexico Thalmudico ſuppeditat nobis pluſquam ſexaginta loca, ubi Chaldæi Paraphraſtæ meminerunt Meſſiæ. Gloſſa Tanchumæ in Jalkut, in Iſaj. 52: 13. quam modo attulimus ab omnibus jam laudatur. Verba Prophetæ ſunt: הנה ישכיל עבדי ירום ונשא וגבה מאד, Ecce ſervus meus prudenter aget, exaltabitur, extolletur, & erit altiſſimus. Antiquus ille Auctor interpretatur: זה מלך משיח ירום מאברהם ונשא ממשה וגבה ממלאכי השרת שנ׳ וגבהם גבה להם: Hic eſt Rex Meſſias, exaltabitur ſupra Abraham, extolletur ſupra Moſem, & evehetur ſupra Angelos miniſterii: dicitur enim (Ezech. 1: 18.) Et altitudines eorum attollebantur ſupra ipſa. Novi quidem locum hunc, qui inſtar argumenti affertur, poſſe & debere aliter intelligi; ſed ſufficit inſtituto meo, ſenſum poſſe eſſe uti tranſtuli, juxta veterem hunc Auctorem, quia alioqui non probaret id cujus causâ laudatur. Hoc autem eſt præcipuè obſervandum, per animalia Ezechielis hunc Auctorem, & alios, intelligere ſummum ordinem Angelorum, quos in ſeptem dividunt, qui dicitur, חיות הקודש, ſancta animalia; & per גביהם, quod vertimus orbes, ipſi dorſa, intelligere eos dignitates: attamen, ut ajunt, erat גבה להם, altitudo vel dignitas ſupra ipſa, quæ erat dignitas Meſſiæ, qui proinde futurus erat ſecundus à Deo rerum omnium Creatore. Quod cùm ita ſit, quidni ab omni æternitate emanet à Deo? Doctrina hujus Auctoris directè contraria eſt opinioni Maimonidis, qui dicit dignitatem Meſſiæ fore majorem dignitate omnium Prophetarum, excepto Moſe. Nihil verò poteſt convenire magis cum primo Capite Epiſtolæ ad Hebræos, & præſertim 7. & 14. verſibus. Ac ſanè hoc Caput, & initium Euangelii S. Joannis, & Epiſtola Judæ, variaque in Joannis & Petri Epiſtolis, atque Apocalypſi, & alibi, adeò ſapiunt Cabbalam, tum ad materiam tum ad ſtylum quod attinet, ut mihi videatur, vel propter eam rationem, ea à Judæis libenter admitti debuiſſe. Hic ægrè memorarem tam ſtupidum Scriptorem qualis eſt Baal Hatturim, qui videtur formationem ſaltem & Chaos tribuere Meſſiæ, niſi doctiſſimus Auctor noſter in Harmonia Novi Teſtamenti obſervaſſet idem reperiri in Zohar & Bahir, qui inter Judæos maximi fiunt. In hæc verba, רוח אלחים מרחפת, Spiritus Dei movebatur ſuper aquas, Geneſ. 1: 2. is Auctor notat: זה היא רוחו של משיח, Hic erat Spiritus Meſſiæ. Nec minùs credo notum eſt quod habetur in Chaldaica Paraphraſi in Iſaj. 52: 13. ad finem uſque Capitis 53. ubi juſtificatio & remiſſio peccatorum diſertè adſcribitur Meſſiæ interceſſioni. Cap. 53: 1. Ideoque precabitur pro remiſſione peccatorum noſtrorum, & iniquitates noſtræ condonabuntur propter ipſum: & verſ. 6. & 7. Omnes

aber-

aberravimus tanquam oves; unuſquiſque vagatus eſt in ſua propria via. Sed viſum eſt Deo condonare nobis omnia peccata noſtra propter ipſum. Ille oravit, & exauditus eſt; imò priuſquàm aperiret os ſuum, acceptus erat. *Poteſt, fateor, dubium aliquatenus videri, num Paraphraſtes hiſce verbis,* precabitur pro remiſſione, *&c. intelligat Meſſiam, vel alium quempiam, propter ea quæ dicuntur à* verſ. 13. Cap. 52. *ad* verſ. 4. Cap. 53. *Videtur confuſiùs loqui, & modò deſignare Meſſiam, modò populum Iſraël, ut plurimi ſolent ex Scriptoribus eorum recentioribus. Sed dubium ſtatim diſcutietur, ſi obſervemus eum eidem tribuere remiſſionem peccatorum, de quo dicit,* Ille congregabit captivitatem Iſraël, & mittet impios in infernum: *quod cum non poſſit intelligi de populo Iſraël, debet intelligi de Meſſia. Nec mirum eſt Judæos eum honorem tribuere Meſſiæ, quandoquidem magnam ejus partem Majoribus ſuis tribuunt Abrahamo, Iſaaco, &c.* Thargum Hieroſolymitanum, *Geneſ.* 22: 14. *inducit Abrahamum cupientem, quotieſcunque filii Iſraël in neceſſitatibus ſuis Dei opem imploraturi eſſent, eum meminiſſe voluntariæ Iſaaci oblationis in ſacrificium, (talem enim eam fuiſſe putant) & condonare ac remittere ipſis peccata. In* Talm. Babyl. Berach. 7. 1. *Rabbi quidam interpretatur hæc verba in oratione Danielis,* Cap. 9: 17. propter Dominum, בשביל אברהם, *id eſt,* propter Abrahamum. *Sed clariſſimus & diſertiſſimus hanc in rem locus, quaſi ſcriptus fuiſſet à Chriſtiano latente ſub nomine & ſtylo Judæi, extat in libro magnæ exiſtimationis apud Judæos, propter antiquitatem ſuam, (licet conjiciam quibuſdam de rationibus Auctorem vixiſſe poſt* Muhammedis *tempora) qui vocatur* Peſikta. *Citatur in* Jalkut *in* Iſaj. 60: 1. Buxtorfius *jam dedit nobis hunc locum in Linguam Latinam tranſlatum, in* Arca Fœd. *cap.* 14. *Ejus partem huc, quàm minimam potero, brevitatis causâ, transferam, unam aut alteram poſtea adjecturus obſervationem.* התחיל הק"בה מתנה עמו וגו": Deus incipiens facere fœdus cum illo, (*Meſſia*) ſic eum alloquutus eſt: Illi quorum iniquitates ſunt tibi abſconditæ, imponent tibi ferreum jugum, quo te ſimilem facient juvencæ, ferè cæcæ præ labore, & te ſuffocabunt; propter eorum iniquitates lingua tua adhærebit (*præ angore*) palato tuo. An talia tibi placent? *Reſpondet Meſſias:* Fortaſſe hæ afflictiones ac mœrores durabunt per multos annos. *Deus reponit:* Se decreviſſe ipſum talia paſſurum per integram annorum hebdomadem; ſed ſi non conſentiat, ſtatim illa ablaturum. *Regerit Meſſias:* Se quidem iſta libenter ſubiturum, eâ lege ut nullus Iſraëlita pereat, ſed omnes ſerventur, quicunque vivent & morientur ipſius diebus, quicunque latent ſub terra, qui mortui ſunt uſque ab Adamo, imò omnes embryones, & intempeſtivi partus, denique omnes qui creati ſunt aut poſthac creabuntur.

Annon hæ expreſſiones accedunt ad doctrinam Chriſtianam de paſſionibus Meſſiæ pro peccatis totius humani generis, vel propitiationem Chriſti pro peccatis totius mundi? niſi quòd hi genuini Judæi, pro ſua arrogantia ac ſuperbia, id beneficium ad ſe ſolos trahant. Idem Auctor iterum narrat: Eſſe traditionem Magiſtrorum, in menſe Niſan eorum Patriarchas ſurrecturos, & dicturos Meſſiæ: O Meſſias, quamvis tui ſimus Majores, attamen excellentior es quàm nos, quia tuliſti iniquitatem filiorum noſtrorum, & duriores ac graviores tibi incubuere afflictiones, quàm ulli unquam contigere, aut contingent, &c. An placet tibi ut filii noſtri fruantur beneficiis quæ Deus vult ipſis largiri? Nam fortaſſe quia mala ab ipſis perpeſſus es,
Joann. 1: 11. cùm conjecerunt te in carcerem, (*Venit ad ſuos, & ſui eum non admiſerunt*) minùs ipſis faves. *Quibus reſpondebit Meſſias,* Quicquid fecit ſe id feciſſe propter ipſos, eorumque filios. *Quid iſta ſunt omnia, niſi quod docent Chriſtiani, Meſſiam fuiſſe hominem contemptum, (ut deſcribitur in exemplo al-*

lato

Digitized by Google

lato de conditione Chriſti) afflictum, ac crudeliter exceptum, etiam ab affinibus & popularibus? Verum eſt eodem in loco Auctoris iſtius, nos habere duas alias traditiones, de triumphante, ſplendido, ac proſpero ſtatu Meſſiæ, quem alteri ſucceſſurum putabant: ſed iſtæ ſunt traditiones plurium, una eſt R. Iſaaci, *altera* R. Simeonis. *Et quamvis ſupponeremus eas eſſe ejuſdem, attamen juxta illum, Meſſias multa mala perpeſſurus erat, nec mirum eſt ſi retinuerit antiquam opinionem de temporali potentia & magnitudine Meſſiæ. Paulo antea, in eodem loco, fingunt pro more ſuo, breve colloquium inter Deum & Satanam; ubi Deus Sathanæ dicit:* Lucem quam vidit ſub throno gloriæ ſuæ ad ipſum pertinere, & fore ut ipſum cum ignominia aliquando confunderet; & Sathanam, cum illum vidit, cecidiſſe & tremebundum clamaſſe, cum certè eſſe Meſſiam, qui ipſum & univerſum populum Ethnicum in gehennam eſſet conjecturus. Nam ideo Filius Dei eſt manifeſtatus, (*vid.* 1 *Joann.* 3: 8.) ut deſtruit opera Diaboli. *Multò plura poſſent obſervari ac transſcribi ex hoc loco, & multo plura afferri exempla: ſed recordari debeo me non Tractatum, ſed Præfationem ſcribere.*

Denique ſupereſt adhuc præcipuus uſus Thalmudicorum & Rabbinicorum Auctorum, nempe recta interpretatio Sacrarum Scripturarum, & præſertim Novi Teſtamenti. Inſpirata à Deo ſcripta inæſtimabilis ſunt humano generi theſaurus, propter tot ſententias, ac tot veritates quas complectuntur: at verus earum ſenſus cognoſci debet; alioquin quot ſententiæ, totidem erunt authentica mendacia. Quicquid ergo confert ad eruendum ſenſum, juxta uſum quem præbet, debet in pretio haberi. Nihil autem nos æque juvat ut id facile, expedite, ac perſpicuè facere queamus, ac cognitio phraſium, legum, opinionum, rituum & conſuetudinum, aliaque ad Judæos qui iis temporibus, quibus hæc ſcripta ſunt, vivebant, pertinentia. Hoc liquet ex magnis & frequentibus hallucinationibus veterum & recentiorum Interpretum, qui pietate quidem, acumine ac judicio æquè valebant ac alii, ſed his deſtituti erant præſidiis. Imò Hieronymus & Origenes, qui harum rerum peritiſſimi erant, multo felicius hæc ſtudia tractaſſent, ſi peritiores fuiſſent. Hoc autem ævo omnes Commentarii pleni ſunt hoc eruditionis genere; at ut nemo frequentius, ita nemo fortè felicius eo uſus eſt quàm doctus ac diligens Auctor noſter. Hic, ut antea feci, addam tantum unum aut alterum exemplum ex pluribus quæ ipſe obſervavi, ut ſint inſtar ſpeciminis exigui, quo conſtabit utilitas Orientalis eruditionis. Matth. 12: 36. ῥῆμα ἀργὸν, verbum inane, *cujus Servator noſter dicit unumquemque redditurum rationem, (non dicit punitum vel condemnatum iri) poteſt fortè idem deſignare, ac quod Thalmudici & Rabbini vocant* שיחה בטילה, *hoc eſt, colloquium de rebus inutilibus, cùm abundamus otio, nec habemus quod agamus, quemadmodum ſolet fieri in quotidianis hominum convenientium ſermonibus, quando quæritur, num quid novi? quid agat aliquis, & ſimilia. Poteſt hoc bene vel malè fieri, prudenter vel ſtultè, ideoque hujus rei reddenda erit ratio. Vid.* Maimon. Comment. in Pirk. Ab. *cap.* 1. *Id promiſſum Servatoris noſtri*, Matth. 18: 20. Ubi duo vel tres erunt congregati in meo nomine, ero in medio ipſorum, *poteſt optimè illuſtrari dicto* R. Chaninæ, Pirk. Ab *cap.* 3. שני יושבים ויש בינהם דברי תורה שכינה ביניהם. Si inter duos ſedentes ſit ſermo de Lege, Shechinah, vel divina præſentia erit inter illos. *Similia habentur* Talm. Babyl. Berac. 6. 1. *Quod habetur* Marci 14: 56. *de falſis teſtibus contra Servatorem noſtrum:* eorum teſtimonia non conveniebant, οὐκ ἦσαν ἴσαι μαρτυρίαι, *poteſt aliquatenus illuſtrari conſuetudine, de qua in* Talm. Babyl. Sanhedr. Miſn. *cap.* 5. *Solebant ſeptem quæſtiones proponere unicuique teſtium ſeparatim, videlicet in quo Jubilæo, vel ſpatio quadraginta novem annorum, res contigerat, & quo anno ejus Jubilæi? Quo menſe? Quâ die menſis? Quâ die? Quâ horâ? Quo loco? Si verba teſtium non conveni-*

 rent,

Digitized by Google

rent, teſtimonium vocabatur עדות בטילה, *ſeu vanum teſtimonium: ſi conſentirent,* עדות קימת, *id eſt, firmum teſtimonium. Obſcurius paulò eſt dictum Servatoris noſtri ad mulierem Samaritanam*, Joann. 4: 14. Qui biberit ex aqua quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam. *Poteſt lucem ei fænerari ſimile dictum in* Pirk. Ab. *cap.* 6. נותנת מלכות לו וממשלה וחקר דין ומגלים לו רזי תורה ונעשה כמעין שאינו פוסק וכנהר מתגבר והולך: Lex tribuit ei regnum, dominium, inveſtigationem judicii, & revelantur ei arcana Legis: efficitur tanquam fons qui nunquam ceſſat, & ſicut fluvius qui magis atque magis invaleſcit. קורת רוח ב״עה, *id eſt*, refrigerium ſpiritûs in mundo futuro, *quo R. Jacob* (*in* Pirk. Ab. *cap.* 4.) *pronunciat* unâ horâ frui eſſe præſtabilius totâ vitâ in hoc mundo, *admodum eſt affine* τοῖς καιροῖς ἀναψύξεως, temporibus refrigerii, *quæ ortum iri* ex præſentia Domini *ait Petrus*, Actor. 3: 19. *Conſilium Apoſtoli*, 1 Corinth. 8. *abſtinendi ab Idolothytis, natum eſt ex* συγκαταβάσει, *quâ erga eos utebantur, qui illicitum id eſſe legibus Judaïcis putabant.* Talm. Babyl. Avod. Zar. Miſn. *cap.* 2. בשר הנכנס לע״א מותר והיוצא אסור מפני שהוא מזבחי המתים: Licet quidem comedere carnem quæ defertur ad idolorum templa, & non eam quæ inde exit, quia eſt ſacrificium mortuorum, *id eſt, idolorum, vel hominum fato functorum. Locus* 1 Corinth. 11: 10. *ubi Paulus jubet mulierum caput velari inter orandum propter Angelos, non ita exercuiſſet Criticos & Interpretes, ſi conſideraſſent Apoſtolum alludere, aut reſpicere ad opinionem Judæorum, quâ putabant Angelos adeſſe, & quidem cum aliqua curioſitate, rebus humanis alicujus momenti, præſertim iis quæ ad Religionem pertinent. Diſcere hoc poſſumus, & ridere, lectâ hiſtoriolâ de* R. Joshua, *&* R. Joſe *Sacerdote in* Talm. Babyl. Chagig. 14. 2. ר׳ יהושע ור׳ יוסי הכהן היו מהלכין בדרך אמרו אף אנו נדרש במעשה מרכבה פתח ר׳ יהושע ודרש ואותו היום היה תקופת תמוז נתקשרו שמים בעבים ונראה כמין קשת בענן והיו מלאכי השרת מתקבצים לשמוע כבני אדם שמתקבצים במזמוטי חתן וכלה: *quorum verborum hic eſt ſenſus:* Cum R. Joshua & R. Joſe Sacerdos unà ambularent, dixerunt alter alteri, Loquamur de opere Mercavah, (*id eſt, Currûs, quo intelligunt partem Metaphyſicam Cabbalæ, vel Traditionis Philoſophicæ, quæ ſic dicitur à viſione Ezechielis, quâ eam myſticè doceri volunt*) R. Joshua cœpit, (erat autem dies ſolſtitii æſtivi) ſtatim cœli cooperti fuerunt nubibus, & apparuit veluti ſpecies vaccæ in nubibus, & miniſtrantes Angeli confertim erant congregati ad audiendum quid homines ſoleant facere in ſolennitatibus ſponſi & ſponſæ. *Quæ hiſtoria ſtatim in memoriam revocat quod habet Petrus* 1 Epiſt. 1: 12. Εἰς ἃ ἐπιθυμοῦσιν ἄγγελοι παρακύψαι, In quæ (*myſteria Euangelii*) cupiunt Angeli introſpicere. *Hinc fit ut non poſſim non aliquatenus mirari opinionem Auctoris noſtri, pag.* 86. *Vol. II. qui in ejuſmodi libris tantopere exercitatus erat, per Angelos ſignificari* Diabolos, *qui utebantur pulchritudine mulierum ad ineſcandos oculos & irretienda corda virorum. Fortaſſe mutavit opinionem in notis ad Epiſtolam ad Corinthios, quas mihi hactenus videre non licuit. Quicunque legerit Chaldaïcam Paraphraſin, quæ vulgò dicitur* Jonathanis *in Pentateuchum*, Geneſ. 35: 25, 26. *ubi dicuntur Angeli convenire certis temporibus ad laudandum Deum; atque in eadem Paraphraſi, ut &* Hieroſolymitana, *quomodo Angelus qui luctabatur cum Jacobo, cuperet ab eo dimitti, quia eo ipſo tempore matutino primùm à Creatione ejus ordo venerat laudandi Dei unà cum aliis: quicunque legerit longam hiſtoriam de* R. Chaninah *&* R. Kaſma *in* Medraſchim *editis cum* Zoar, *fol.* 46. *pag.* 2. *col.* 2. *de Angelis Aza & Azaël* (עזא & עזאל) *qui rebellarunt & murmurarunt adverſus Deum, ab eo deturbati ſunt ex ſanctis ſuis ſedibus, ludunt cum mulieribus, vincti ſunt longis fer-*

reis

Digitized by Google

reis catenis montibus tenebricoſis: quicunque, inquam, iſta legerit, non poterit eas non referre ad 1 *Cor.* 13: 1. *ubi ſit mentio* Linguarum Angelorum; *&* 2 Pet. 2: 11. *ubi memorantur* Angeli qui peccarunt, & deturbati ſunt è cœlis, & traditi in vincula tenebrarum; *&* Jud. 6. *ubi dicuntur* Angeli qui non ſervarunt priſtinam ſuam ſtationem, ſed reliquerunt ſuum domicilium, vinculis æternis ſub caligine reſervati. *Huc congeſſi quæ congeri poſſe credidi, multò plura, ſi neceſſe eſſet, additurus. Verùm jam tempus eſt finem imponere huic noſtræ Diſſertatiunculæ, & ad concluſionem totius properare.*

Initio hujus Præfationis promiſi me aliquid dicturum de eximio ac erudito Auctore noſtro. Pauca tantùm de eo dicenda habeo, ſed nihil aliud ad meam ipſius, aut aliorum quos conſului, cognitionem pervenit, aut properâ inveſtigatione reſcire potui. Natus erat in Comitatu Staffordienſi, *& educatus* Cantabrigiæ in Chriſti Collegio, *ſed eo ævo quo opiniones circa Theologiam aliæ, quàm quæ hodie, vulgò obtinuerant, quippe quas exteri Reformatores illic induxiſſent, antequam dogmata Theologica tranquillo, præconceptis opinionibus & partium ſtudio animo vacuo, ac fortaſſe adhibito judicio, expenſa fuiſſent. Vixit, & emicuit, eo præſertim tempore, quo in immenſum creverant Factiones; cùm plebecula, peſſima Magiſtra, omnium ignariſſima, ſui amantiſſima, & nullâ generoſitate imbuta, ambiretur; cùm publicè Rectores accuſandi mos erat receptiſſimus, & jurene, an injuriâ parum intererat, vituperarentur; cùm negotia clamoribus, audaciâ, & vi, ſub Religionis & Reformationis, quem proſperi ſtatim ſucceſſus confirmabant, pretextu peragerentur. Mirum non eſt ſi quis vir probus ac ingenuus, præſertim qui multo majorem operam dederat ad cognoſcendum quid ante plura ſecula in Judæa factum fuiſſet, quàm quid fieret in natali ſolo artibus ac conſiliis Enthuſiaſtarum, ac hypocritarum Politicorum: mirum, inquam, non eſt, ſi quis ejuſmodi abreptus fuerit ad conſentiendum quibuſdam opinionibus ac ritibus religioſis, conſuetudinibuſque civilibus, quæ poſtea ſedatiori & accuratiori judicio expenſa non probavit. Attamen probitas Noſtri, & animus à ſuis quærendis commodis alienus, eruditione adjutus, eum ſervavit immunem à furoribus oraculorum plebeculæ, Demagogorum, qui ſtudebant ab aliis ſecerni, & magni fieri, allatâ in medium doctrinâ aliquâ, aut conſuetudine peculiari, ſed non magis idonei erant docendæ atque adminiſtrandæ Religioni, quàm Agyrtæ condendæ Pharmacopœæ, aut regendo Medicorum Collegio.*

Exiguum ejus rei ſpecimen edidit, cùm in Univerſitate ipſa uſu Orationis Dominicæ prorſus abrogato, in Templo Univerſitatis, ut memini, protulit opinionem ſuam, de neceſſitate utendi publicè formulâ illâ precum; atque extraordinariam fortitudinem ac zelum oſtendit, eâ ante & poſt Concionem recitatâ.

Conciones quas habuit in Univerſitate ſuo ordine, quem rarò præterfluere ſivit, judicio maximè valentibus, & probè affectis (erant autem multi qui, calore remiſſo, omnia diligentiùs expendere incipiebant) gratiſſimæ. Semper enim novam aliquam & notatu dignam proferebat obſervationem, ſeu in explicatione loci alicujus Scripturæ, ſeu in ejus explicationis confirmatione, quam ſolebat ſequi peroratio quam recitabat graviter ac piè.

Ad ejus indolem quòd ſpectat, quantùm quidem eam novi, aut accepi ab iis qui eum meliùs norant, vel poteſt ex variis Præfationibus colligi; æquè modeſtus fuit ac eruditus, humilis, ac ſemet ipſum nimiùm fortaſſe parvi faciens. Amabili hac ac rarâ admodum virtute, videtur in errorem lapſus in judicio quod de ſe ipſo, meritoque ſuo tulit, & aliorum longioribus æquo commendationibus ac elogiis. Ut erat benigniſſimus ac beneficentiſſimus erga alios, ita etiam, ut accepi, beneficiorum acceptorum nunquam immemor fuit: unde fortaſſe factum eſt ut aliquando actionum gratiarum & laudum adeò largus fuerit, cùm majorem beneficii accepti, quàm juris, vel conditionis ejus à quo id acceperat, haberet

rationem.

rationem. Aſſiduus erat in ſtudiis, adeoque iis addictus, ut totum fere tempus ſuum in iis conſumeret; & fortaſſe addictior quàm oportuiſſet, cùm erat in ſtatione aliqua collocatus, ubi functio aut regimen aliquod ei impoſitum fuit.

Ejus eruditio optimè ex operibus ab eo editis nota eſt. Sita præſertim erat in Hiſtoria, Chronologia, Theologia Syſtematica, Orientalibus Linguis, ſed præſertim in Rabbinorum & Thalmudicorum ſcriptorum lectione ac cognitione. In hiſce ultimis ſine dubio multum temporis ac laboris impendit, ac puto me poſſe dicere, quantùm quidem ex ejus ſcriptis apparet, in utroque Thalmude, (in quorum intelligentia ſita eſt potiſſimùm eruditio Judæorum, quippe quibus eorum Jus Canonicum & Civile continetur) fuiſſe eum verſatiſſimum & peritiſſimum omnium Europæorum. Ejus eruditio in hoc ſtudii genere adeò nota erat & tanti fiebat, quo tempore cæpit Herculeus ille labor, atque opus incomparabile Bibliorum Polyglottorum Anglicanorum, quamvis jam minori, quàm par eſt, habeatur in pretio; ut ſæpe conſultus fuerit, & liberè etiam communicaverit Obſervationes ac Collectiones ſuas. In Apparatu horum Bibliorum editæ ſunt ejus animadverſiones in Chorographicas Tabulas Terræ Sanctæ, quas fecerunt Adrichomius, Trinius, &c. in qua aperit ac emendat magnum craſſiſſimorum errorum numerum; ejuſque ſententia plus ſemel laudatur in Prolegomenis. Quæ omnia tamen, præ iis quæ poſtea præſtitit in Chorographicis Diſquiſitionibus quas præfixit Horis ſuis Hebraïcis in Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem, pauca ſunt. Sed de iis alii fortaſſe brevi plura dicent.

Non eſt ab hoc noſtro argumento, & ſcopo hujus Præfationis alienum, hic ὡς ἐν παρόδῳ, occaſione datâ, aliquid dicere de Critica illa Gallica P. Simonii, quæ jam apud nos tantopere teritur. Is, quemadmodum in hoc ſuo Libro meritò commendavit magnum iſtud Polyglottorum opus; ita etiam quædam in eo vitia notare aggreſſus eſt, & plura alia circa alia argumenta obſervavit ſatis levibus nixus rationibus. Exempli gratiâ, fòrtaſſe quia vidit Collectores tantorum voluminum ita tempori & chartæ peperciſſe, ut Alexandrinum Exemplar Septuaginta Interpretum expreſſerint tantùm Notis marginalibus, quibus continentur loca in quibus à Vaticano Codice differt: credidit etiam eos rectè facturos fuiſſe, ſi eodem modo expreſſiſſent Samaritanum Textum & Verſionem Samaritanam Pentateuchi; cùm non eſſet eadem ratio horum atque illius. Fortè plures ſunt & majoris momenti varietates inter Hebraïcum & Samaritanum Codicem, quàm inter duo illa Exemplaria Verſionis Septuaginta Interpretum; & præterea lectio Hebraici Textûs Samaritanis characteribus, ac ſine punctis, ut etiam cognitio Dialecti Samaritanæ Verſionis, quæ adeò ab Hebraïca diſtat, & à Chaldaicis etiam omnibus Paraphraſibus differt aliquatenus, rationes ſatis validas ſuppeditabant ad integros iſtos Codices, uti factum eſt, edendos. Ac certè, ſi tale quodpiam conſilium ſequuti ea omiſiſſent, nemo non eos maximè culpatus eſſet.

Verùm animadverſio circa Proteſtantes, quàm alibi profert, aut judicii, aut ſinceritatis defectum arguit. Poſtquam oſtendit, uti ſperat, maximam difficultatem quæ occurrit in Tranſlatione Bibliorum, inde infert ignariſſimos fuiſſe Proteſtantes, aut negligentiſſimos, qui eam difficultatem non ſenſerint, cùm affirmarunt Verbum Dei Scripturis contentum, planum eſſe nec ullo modo intricatum. Quis unquam ex Proteſtantibus ita loquutus eſt? Dicunt quidem articulos ad ſalutem neceſſarios perſpicuè contineri in Scriptura; quæ ſententia, meo judicio, adeò certa eſt, & manifeſtò vera, ut nec ipſe, nec ullus alius eam unquam confutaturus ſit: & ad me quidem quod attinet, tantùm abeſt ut in ea non ſim ſententia, ut putem præter articulos neceſſarios, multos non neceſſarios (licèt magni uſûs) in Scriptura perſpicuè expreſſos reperiri. Nec tamen ignoro quid ſemper Proteſtantibus objicere ſoleant Pontificii.

Hiſt. Crit. Lib. 2. cap. 14. Ejus definitio vocis Authenticum, nempe, fidum Exemplar quod interpolatum fuiſſe ſuſpicari non poſſumus, non modò ex æquo, (ut ipſe liberaliter

agnoſcit)

Digitized by Google

agnoſcit) ſed multo meliori jure applicari poteſt omnibus recentioribus Latinis & Vernaculis Tranſlationibus, quàm Vulgatæ Latinæ, cujus magna pars quid ſibi velit, aut cujus ſit, nemo dixerit. Ipſe Codex Hebraicus, quamvis ſua etiam vitia habere poſſit, attamen ſine dubio infinito vicinior eſt Autographo, ut ipſe fatetur, quàm Verſio Vulgata, adeoque melius Exemplar haberi debet, & multo αὐθεντικώτερον. Similiter cum omnes recentiores Latinæ & Vernaculæ, licet ſuis nævis non careant, magis conſentiant cum hodierno Textu Hebraico, quam Vulgata Latina, ut omnes norunt, eas oportet eſſe ſinceriora Exemplaria, ac proinde αὐθεντικώτερα.

Ac certè rationes quas affert ingenioſus Theologus Pariſienſis, qui tantopere probat hanc αὐθεντίας notionem, ad hanc redeunt, quia ſic pronunciavit Concilium Tridentinum; rationes vero P. Simonii, ad vanam ſuſpicionem de reliquis omnibus Verſionibus ex Hebræo hauſtis, longumque per aliquot ſæcula Vulgatæ uſum, in corruptiſſima, ac ignorantiæ tenebris obnubilata Eccleſia. Defenſ. Hiſt. Crit. pag. [illegible]. Hiſt. Crit. lib. 2. cap. 14.

Hic Criticus, Bellarminus, & alii, ad tuendam Concilii famam, cùm doctiores eſſent quàm ut non viderent Proteſtantes ex eo decreto validiſſime argumentaturos adverſus Pontificios, contenderunt Concilii mentem non fuiſſe excludere hodiernum Hebraicum Textum, aut præferre ei Latinum. Sed aut contrarium verum eſt, aut mira fuit Concilii negligentia in re quam primum debuiſſet definire: nempe, quæ optima foret Verſio Scripturæ. Alioqui, quare non conſtituiſſent quoſdam è ſuis qui recenſerent ac emendarent Latinam Tranſlationem Sanctis Pagnini, ad quam à Leone Decimo excitatus fuerat; aut etiam ad novam accuratiorem adornandam? Præterea verba Decreti, In publicis lectionibus, diſputationibus, prædicationibus & expoſitionibus pro Authentica habeatur; & ut nemo eam quovis prætextu rejicere audeat vel præſumat, nihil aliud ſignificare poſſunt, niſi unumquemque teneri, aut prorſus negligere Hebraicum Textum, ejuſque uſum proinde rejicere; aut quantumlibet inveniat Vulgatam Latinam differre vel abire à Textu Hebraico, et tamen Verſioni mordicus adhærere, quod quid aliud eſt niſi hanc Hebraïco Textui præferre?

Hoc videtur eſſe maximum exemplum abſurditatis & pertinaciæ quarumdam opinionum Eccleſiæ Romanæ. Quapropter eruditus hic ac ingenioſus Criticus ſequitur hodiernam Galliæ conſuetudinem, quâ jam conantur emollire ac plauſibili, quantum fieri poteſt, explicatione ſua incruſtare dogmata; quæ, ad me quod attinet, ſi non modo plauſibilis, ſed vera etiam ſit, non modò etiam tolerandam, ſed commendandam etiam judicabo. Sed iſtas ſemper fuiſſe illorum Eccleſiæ opiniones, aut licèt veras, debere imponi omnibus Chriſtianis tanquam leges neceſſarias ad Communionem unà ineundam, nec ego unquam credam, nec alias ut credant inducam. Gaudeo, cùm cerno ea profectûs in ſolidiore cognitione ſpecimina inter populum ingenioſum, liberum ac generoſum, ut eum pudeat ineptiarum & mendaciorum, licèt antiquiorum, & nimiam auctoritatem conſequutorum.

Hic certè Scriptor eruditus eſt, & diu expendit penſum quod ſuſcepit: ſed quicquid habet non eſt hactenus inauditum; aut ſi ſit, non eſt ſemper fortaſſe verum. Multa habet jam vulgò nota, multas obſervationes, quæ tangunt Criticos & Commentatores tum Pontificios, tum vetuſtiores Reformatos, omnino ignaros, vel modicè peritos Linguarum Orientalium; ac qui nondum depoſuerunt præjudicia, quæ hauſerant ex Eccleſia infallibili, vel neotericis Theologiæ ſyſtematibus, de quibus tunc non licuit dubitare ſine Atheiſmi aut hæreſeos ſuſpicione. Plurimæ ſunt ex ejus obſervationibus, quæ licèt nunc primùm lucem viderint, attamen multis jam haud ignotæ erant Proteſtantibus, qui maluerunt eas diutiùs & maturiùs conſiderare, quàm æquo citiùs publicas facere. Denique opinor obſervari in genere poſſe illum eruditionis, libertatis, ratiocinandi ac ſerio in veritatem rerum inquirendi ſpiritum, in rebus Philoſophicis aut ad Ethicam & Religionem pertinentibus,

 bus,

bus, qui jam inter Gallos apparuit, hîc in noſtra Anglia longiùs & latiùs propagatum fuiſſe, modò iterum non opprimatur aut refrigeſcat audaciâ, ſuperſtitione, ambitione ac avaritiâ. Video enim Romano-Catholicos hactenus in Gallia, arctioribus coërcitos limitibus, Reformatos verò ubique nimiis diſtrictos negotiis, atque utroſque obicibus illis veluti ſufflaminatos ne quicquam alicujus momenti inveniant, aut multum in diſciplinis, Religione ac eruditione progrediantur. Denique, uti ſunt in novo hoc ac ingenioſo Critico variæ, novæ ac utiles obſervationes, ita etiam occaſionem dabit, & indiget etiam variis animadverſionibus.

Verùm, ut jam redeamus ad Auctorem noſtrum; quod Latinè ſcripſit æqualis eſt, aut fortè majoris momenti, quàm quæ Anglicè edidit, quæ hîc ab aliis ſunt Latinè tranſlata. Inter illa ſunt ejus Horæ Hebraïcæ & Thalmudicæ in primam ad Corinthios Epiſtolam, quam non videram cùm primum hæc Præfatio typis deſcripta eſt, ſed poſtea perlegi. Et cùm hujus editionis curatores peculiaribus quibuſdam de cauſis diſtulerint eam ad umbilicum adducere, ac publici juris facere ad hoc uſque tempus, neceſſe mihi fuit quædam in hoc folio immutare, aliaque addendi oblata eſt occaſio.

Antea memini ſimplicioris, meo judicio, & facilioris interpretationis loci illius tantopere vexati, &, ut videtur, adeò difficilis, 1 Corinth. 11: 10. Ideoque debet mulier poteſtatem habere ſupra caput ſuum, & propter Angelos, διὰ τοὺς Ἀγγέλους. Videtur recepta fuiſſe inter priſcos Judæos opinio, quoſdam ex Angelis bonis, cùm liberet, ſolitos cum curioſitate aliqua, & cordi aliquatenus quæ gererentur habentes, adeſſe rebus ad Religionem pertinentibus, ac cœtibus ſuis: contrà verò fortaſſe malos aliquot idololatricis Ethnicorum cœtibus, qui ſuggeſtione ac impulſione eorum cogebantur. Cùm hæc opinio nequaquam rationi adverſetur, Apoſtolus poſſet eam probare, eâque uti. Mirum mihi viſum fuerat Auctorem noſtrum, qui Judæorum ſcripta adeò verſavit, hoc in animum non revocaſſe; ſed contrà, pag. 86. Vol. II. locum interpretatum eſſe de malis Angelis qui pulchritudine mulierum utebantur tanquam illecebris quibus irretirent oculos & corda virorum. Suſpicabar tamen eum in Notis in Epiſtolam ad Corinthios ſententiam mutaſſe. Jam iis perlectis video, illum omiſiſſe prorſus priorem illam ac genuinam interpretationem, novamque aliam protuliſſe. Propter Angelos, hoc eſt, ait ille, propter nuntios vel legatos ſponſaliorum mulieribus licebat faciem aperire, ut oſtenderent pulchritudinem ſuam, vel velarent præ modeſtia. Quæ interpretatio, ut oſtendit quantum in conjiciendo valuerit, ita etiam mihi remotior & alienior videtur.

Primùm, difficile eſt reperire ullum in Scriptura exemplum, ubi ἄγγελοι ſine ulla additione, ſignificet munus aliquod, non verò ſpeciem Entium quæ vocamus Angelos: imò nec in ipſis Rabbinis, uti ipſe agnoſcit, reperimus vocem שלוחים abſque additione vocis קידושים, ſignificantem eos nuntios, niſi jam utraque ſimul expreſſa fuerit.

Secundò, Apoſtolus non modò loquitur de puellis quæ nondum nuptæ erant, ſed de mulieribus in genere, nuptis ac innuptis: cùm hæc ratio interpretationis, quare mulieres haberent poteſtatem ſupra ſua capita, pertineat tantùm ad innuptas. Atque hæc duntaxat, ut occaſione oblatâ uterer, & paginam implerem.

Proximè præteritis temporibus difficillimis, non immeritò fuit Noſter abductus à munere quod ruri exercebat, & Aulæ S. Catharinæ Cantabrigiæ præfectus ab iis qui ſua ſpectantes commoda, rationem habebant virorum doctorum & eruditione celebrium, eoſque ad ſe alliciebant. In ea ſtatione fuit ad felicem uſque reditum ſummi noſtri Regis ad legitimam poſſeſſionem coronæ & regni, quo tempore ſtatim ſe adjunxit Eccleſiæ Anglicanæ; ubi ejus innocentia ac eruditio adeò Superioribus innotuerunt, & præſertim Reverendiſſimo ac Generoſiſſimo Archiepiſcopo (τῷ νῦν ἐν ἁγίοις) & Cuſtodi Sigilli Bridgmanno, æquiſſimis proborum ac

erudito-

Digitized by Google

eruditorum virorum fautoribus, ut ſemper cum eo, ut accepi, benignè, liberaliter ac reverenter egerint. Ac certè Dedicationes præfixæ Latinis ejus Commentariis in Marcum & Joannem, ſatis oſtendunt tum eos qui ipſum beneficiis devinxerant, tum gratum ejus adverſus ipſos animum. Horum curâ ac benignitate confirmatus fuit in muneribus quæ obtinebat antequàm Rex regno ſuo reſtitueretur, & præterea donatus eſt Præbendâ Elienſi.

In hiſce ſtationibus conſtitutus ſtudiis ſuis incubuit, conſtanterque ac fideliter officio ſuo functus eſt, uſque ad mortem, quæ contigit menſe Decembri Anni 1675. *Atque hoc quidem de Auctore hactenus. Multo plura in ejus laudem ſine dubio poſſent dici ab iis quibus interceſſit aliquod cum ipſo commercium, vel melius notus fuit. Quæ potui ejus meritis ac memoriæ juſta perſolvi.*

Supereſt jam ut ultimo loco aliquid adjiciam de editione variorum Auctoris Tractatuum, & ita finem imponam longiuſculæ huic Præfationi. Cum omnia ejus ſcripta magni hic fierent, & pluris etiam in tranſmarinis regionibus, ubi non ſemel de iis interrogatus ſum, atque aliquot ejus ſcripta Anglica rariora evaſiſſent, aliquot Typographi optarunt ea iterum recudere, & juſtum inde conficere Volumen; quem in finem rogarunt me ut ea ordine diſponerem, recenſerem, emendarem, & Præfationem aliquam ipſis præfigerem, uti jam feci.

Ea diſpoſui juxta commodiorem eorum uſum, non juxta tempora quibus ab Auctore noſtro edita ſunt: ideoque primo loco poſui Generales Harmonias Veteris & Novi Teſtamenti, tum peculiares Libros, & Harmoniam quatuor Evangeliſtarum, ejus Commentarium in Acta Apoſtolorum, Obſervationes in Geneſin & Exodum, & inſtar [illegible], *duos ejus Tractatus de Templi Miniſterio, & Miſcellanea quæ complectuntur varias obſervationes utiles ad interpretationem Scripturarum. Poſtremum opuſculum ſcripſit cum junior eſſet, cùmque ea eruditio ita exculta, ac per varia opera diſperſa non eſſet; unde mirum videri non debet, ſi quædam ordinaria & vulgò cognita in eo occurrant. Suſtuli centena aliquot menda in locis laudatis, in Hiſtoria, in Chronologia, & Figuris. In primis tamen quædam reliqui quæ dubitabam utrùm eſſent Typothetarum errores, an verò peculiaris ratio ſcribendi Auctoris noſtri, in qua à trita orbita nonnihil recederet. Præcipua mea cura fuit in emendandis Hebraïcis, Thalmudicis & Rabbinicis citationibus, in quibus magnus erat mendorum numerus. Hoc præſertim allaborandum exiſtimavi ut emendatæ forent, quia plurimæ citationes & tranſlationes Auctorum non leve auxilium ad eos intelligendos tyronibus ſuppeditant, cùm cæteroquin ſatis tædioſæ ac difficiles ſint. Sunt plurima & utilia exempla, quibus multa egregia diſcuntur, ſimul cum Lingua. In Chronologia etiam magnus erat mendorum numerus; quæ manifeſta erant ſuſtuli, ſed quædam quæ mihi videbantur hallucinationes, dubitans an Auctoris ipſius eſſent, reliqui aliis obſervanda & emendanda, ſi eorum cauſam deprehenderent. Sanè nunquam abſolviſſem, ſi vel minimas minutias obſervare voluiſſem, qualia ſunt* Interregna, *regna variorum Regum contemporanea, præſertim primus & poſtremus annus, cum ſibi prorſus reſpondent, aut ſibi ordine ſuccedunt, cùm partim tantùm contemporanea ſunt, ita ut poſtremus unius annus ſit alterius primus.*

Unum eſt quod ferè totum immutatum in melius fuit. Cùm in priori Editione numeri variarum Epocharum ſibi invicem reſpondentium, ita fuiſſent diſpoſiti ut potuerat Typographus, jam è regione in eadem linea ſunt diſpoſiti, exceptis quibuſdam locis, in quibus Typographi emendationes meas neglexerunt, quorum mox afferam unum atque alterum exemplum. Sunt etiam paucula loca, in quibus neſcio quomodo conciliari poſſint numeri, ut in pag. 98. 99. *Vol. I. Nam Jothami primus annus, & poſtremus Uzziæ, juxta ipſum Auctorem noſtrum, coincidunt cum anno Mundi* MMMCCLII. *niſi duplicem ſenſum tribuat vocibus* regni Jothami, *nempe unum improprium, juxta quem cœpit ejus regnum, cum*

 vices

Digitized by Google

vices gereret patris Uzziæ, qui propter lepram ſeceſſerat; & alterum magis proprium, quo ſignificatur tempus quo ſolus regnavit poſt mortem patris: quâ ſolutionis ratione aliquando utitur Noſter. Quantum ei tribui debeat hîc non dicam. Non teneor meas ipſius, ſed Auctoris opiniones exhibere, quicquid tandem ſibi velit, aut quicquid alii faciant. Atque ut ſemel hoc moneam, ſpero neminem exiſtimaturum me teneri ad probandas ac defendendas omnes quæ in hiſce Libris occurrunt obſervationes. Meum non eſt Auctorem novum procudere, ſed qualis eſt eum exhibere; non dicere quid Auctor ſentire deberet, ſed ejus verba edere, in quibus unuſquiſque quæcunque voluerit probabit vel rejiciet. Videtur enim, ut verum fatear, nimis seriò feciſſe & imitatus eſſe Cabbaliſticas & Rabbinicas obſervationes, quales ſunt Thalmudiſtarum, & τ Baal Hatturim. Sed aliquando fortaſſe ipſius obſervationis materia notatu digna, potiùs quàm certitudo, ac probabilitas ejus videtur eum induxiſſe ut eam proferret; licèt fatear in genere, eum hujuſmodi Auctores deperiſſe, & credidiſſe αὐθεντίαν uniuſcujuſque puncti, atque apicis hodiernorum noſtrorum Maſſorethicorum Codicum Veteris Teſtamenti. Ita pag. 86. Vol. I. obſervat in Hebraico Textu divinitùs omiſſam eſſe literam in una voce, nempe literam א in voce מאומה, quæ juxta omnes Tranſlationes aliquid ſignificat; & ſcriptam fuiſſe defectivè מומה, hoc eſt, macula, ut nota inureretur Gehazi qui proſequutus eſt Naamanem, à quo aliquid petiit nomine Heri Eliſæi, 2 Reg. 5: 20. Ut hæc obſervatio deſumpta eſt ex Commentario R. Solomonis, Auctoris ſomniis Thalmudicis admodum dediti, ita etiam nititur hallucinatione. Neque enim ſcriptum eſt מומה, ſed מאומה, in Codicibus quos ſequuta ſunt Polyglotta noſtra, & in Editione Athiæ, quæ Exemplaria jam potui conſulere præter Biblia Buxtorfii cum Rabbinorum Commentariis. In hiſce quidem eſt מומה, quod ita ſcriptum eſt, ut opinor, propter marginalem Maſſoræ notam in hanc vocem: חסר אלף כפר״שי, Deeſt Aleph juxta Commentarium R. Solomonis Jarchi. Videtur itaque ſic ſcriptum fuiſſe in Codice quo ille Rabbinus utebatur, & iis qui juxta illum emendati ſunt. Præterea vox quæ maculam ſignificat, non eſt מומה, ſed מום, atque hæc etiam ſæpe ſcribitur cum Aleph Epenthetico, מאום. Sed hæc ſatis ſuperque de hac ſupervacua ſubtilitate. Similis eſt etiam noſtri conjectura pag. 127. Vol. I. de ratione tranſpoſitionis Hebraïcarum literarum ע & פ in Alphabethico ordine Capitum Lamentationum, vel potiùs de iis verſibus, qui cùm incipiant à litera פ, præponuntur iis qui incipiunt à litera ע; cùm ע in Hebraïco Alphabetho ſit ante פ. Ratio hujus rei, ait Auctor noſter, poteſt eſſe, quia ſic deſignantur ſeptuaginta anni deſolationis Hieroſolymæ, quia Hebraïca litera ע ſignificat ſeptuaginta. Si tale quid deſignaretur, poſſent æquè ſubinnui octoginta anni quàm ſeptuaginta, nam פ in numeris efficit octoginta. Præterea Syriaca & Arabica Verſiones ibi ordinarium ſervarunt literarum ordinem. Ejuſdem eſt ponderis inuſitata, & cui ſimilis alia non occurrit, punctatio Hebraïcarum vocum לנו ולבנינו, ad nos & filios noſtros pertinent res revelatæ, Deuter. 29: 29. quarum unicuique literæ impoſitum eſt punctum, imò juxta Maſſoram debent eſſe undecim puncta. Hoc, inquit, factum eſt ut moneretur lector, non eſſe curioſiùs inquirendum in arcana Dei, ſed contentos voluntate ejus revelatâ nos eſſe debere. Sed multò veriſimilius eſt ac certius, ejuſmodi puncta aut lectiones eſſe fortuita σφάλματα, aut etiam ineptias Librariorum.

Stylus Auctoris noſtri non caret ἀκυρολογίαις, imò etiam adverſus Grammaticam peccat; quod tribui debet perpetuæ verſationi Thalmudiſtarum Rabbinorum, librorumque aliis Linguis Orientalibus conſcriptorum, quorum genius valde diſtat ab Occidentalium genio; & raræ lectioni Auctorum noſtrorum qui linguâ vernaculâ uſi ſunt, quòd compoſitionibus ſuis ac cogitationibus ſatis occuparetur; & aliquando etiam fortè hoc inde oritur, quòd ſingulares admodum ſint ejus opiniones. Obſervari etiam poteſt, eum ſæpe multùm differre à pleriſque omnibus Chronologis,

ut

Digitized by Google

ut in tempore Nativitatis Chriſti, tempore à Chriſti Baptiſmate ad ejus mortem, duobuſque terminis ſeptuaginta Hebdomadum Danielis. In ſupputatione à Diluvio ad Abrahami nativitatem differt à pleriſque aliis ſexaginta annis, idque propter diverſam interpretationem Geneſ. 11: 26. *& quia probat Abrahamum non fuiſſe maximum natu filiorum Therachi. Hinc neceſſariò ſequitur, ubi conſentit cum aliis, in intervallorum longitudine, & ſunt intervalla quæ fuere inter Abrahami nativitatem & promiſſionem, inde ad exitum ex Ægypto, inde ad ædificationem & deſtructionem Templi, &c. eum debere alium annum mundi illis Epochis aſſignare, nempe ſexaginta annis ſeriorem quàm vulgò ſolet fieri. Fortaſſe in quibuſdam ſunt ei argumenta ita ſentiendi æquè valida ac aliis, de quibus judicet lector; neque enim hoc in loco animus eſt diſcutere aut dirimere Chronologicam ullam Controverſiam, quales multæ ſunt, & ſæpe quidem difficillimæ exiguique momenti.*

Dolendum eſt quòd Harmoniæ ſuæ Euangeliſtarum finem non impoſuerit, & quod partem quartam, vel fortean tot alias quot jam editæ ſunt, non adjecerit: ſed fortaſſe & earum moles, & tempus quod iis perficiendis impendi neceſſe fuit, ut reliquis æquales redderentur, (quum etiam aliis collectionibus elaborandis operam dabat) invitum ad pergendum fecerunt. Potuit etiam ſperare alium quempiam reliqua aliquando adjecturum, ſimili methodo. Ita etiam Commentarii ejus in Acta imperfecti ſunt, nec progrediuntur ulteriùs quàm Caput IX. & annum Chriſti XLV. cùm reliqua Hiſtoria pertingat ad annum Chriſti LX.

Ut tandem manum de tabula tollam, uti non dubito quin ſerius ac eruditus lector, dum perleget hoc volumen, validas ſatis reperturus ſit rationes, propter quas maximi faciat ingentes ac perutiles labores pii ac eruditi Auctoris noſtri: ita ſpero eum benignè judicaturum de cura & labore quem ſuſcepi ut nitidè ac commodè ederetur, ac proinde quòd conatus fuerim aliquid conferre ad ſtudium ac intelligentiam Sacrarum Scripturarum, adeoque ad profectum pietatis, unà cum augmento cognitionis omnium utiliſſimæ, id in ſequiorem partem non interpretaturum.

G. B.

BREVIS DESCRIPTIO
VITÆ
Reverendi & Doctiſſimi Viri
JOANNIS LIGHTFOOTII
S. T. D.

EXempla virtutis ac diligentiæ proborum virorum in animos hominum ſemper vim magnam atque efficaciam ingentem habuere. Potentiùs agunt magna exempla quàm ſubtiliſſima ratiocinia, & omnibus Rhetorices floſculis adjutæ orationes. Nam cùm plerumque homines eloquentem atque acutum virum metuant, & facilè ibi dolum aliquem latere ſuſpicentur, ubi magnum ingenii acumen, & facilem argumentorum inventionem vident, vix ad meliorem frugem adducuntur firmiſſimis etiam argumentis, quibus ad perſuadendum uti queamus; ſed ingratiis eorum qui eos ad meliora revocant, in vitium ac ignaviam ruere ſolent. Exempla virtutis neſcio quid habent quo, veluti quodam carmine, faſcinantur; vim neſcio quam, cui reſiſtere facile non eſt, & quâ fit ut ei credamus veritati cui, abſque exemplis illis fuiſſet, tam firmam fidem non adhibuiſſemus. Præterea vividiſſimam nobis virtutis ac probitatis imaginem oggerunt, & quàm ſit optanda, quàm formoſa, eâ, quæ nos maximè afficit, ratione, & quæ facillimè à nobis intelligitur, oſtendunt. Magna exempla etiam nos convincunt juxta virtutem vivere, rem non eſſe quæ vires ſuperet noſtras, atque excuſationes quas adhibere poſſemus, nihil eſſe aliud præter meros prætextus, mera ſubterfugia, quibus ignaviam ac deſidiam noſtram fruſtra obtegere conamur.

Hinc fit, ut quemadmodum mors virorum proborum magnum affert ſocietati detrimentum, ita etiam conſervatio ipſorum memoriæ, & exempla eorum ad ſuperſtites propagata, multùm bono publico proſint. Varii præſtantiſſimi viri parum celebres vixerunt, privatam quæſierunt vitam, & turbam æquè ac famam neglexerunt. Modeſtia reliquas ipſorum æquavit virtutes; ac plures alii, qui dum vixerunt latere non potuerunt, quia defuit qui tranſmitteret eorum memoriam ad poſteritatem, ſtatim poſt mortem oblivioni mandati ſunt.

Hæ rationes ſolæ effecerunt ut aggrederer Reverendi ac Eruditiſſimi Auctoris noſtri vitam Orbi Literato paucis narrare. Sincerè fateor, me præoptaſſe ut hoc alius ſuſciperet; nam præterquam quòd otium, & multa alia in hanc rem mihi deſunt neceſſaria ſubſidia, quod poteram in mei excuſationem afferre, jure poteram expectare id à quopiam alio præſtari, qui pluribus munitus eſſet ad hoc opus præſidiis.

Auctor noſter JOANNES LIGHTFOOTIUS natus eſt in ædibus Paſtoris *Stokæ ad Trentam*, in Comitatu *Staffordienſi*, die Veneris 29. Martii Anni Domini cIↃ IↃc II. Hoc ejus nativitatis tempus reperi manu ejus propriâ ſcriptum in Academico quodam ejus exercitio, quod obivit cùm eſſet Vice-Cancellarius loco Doctoris *Arrow-Smith*, publici Theologiæ Profeſſoris Cantabrigiæ in Collegio S. Trinitatis, qui tum decumbebat.

Digitized by Google

bebant. In eo Exercitio dicit hunc Doctorem & ipſum natos eſſe eodem anno, eadem die, & ferè etiam eadem horâ; illum ad *Novum-Caſtellum* trans *Tinam in Northumbria*, ipſum verò ad *Novum-Caſtellum* cis *Linam* in Comitatu *Staffordienſi*. Hanc oram tenero affectu proſequebatur, vocat enim eam in quadam Epiſtola, *Matrem*, *Matrem nativitatis ſuæ*, & *Matrem chariſſimam*, (Anglicè, *of his deareſt intereſts*). In alia Epiſtola eleganter admodum & patheticè deſcribit miſerias quas ei creaverant bella civilia.

Filius erat *Thomæ Lightfootii* Vicarii *Stocetenſis*, in Comitatu *Staffordienſi*; viri ſine honoris præfatione non appellandi. Natus fuerat in exiguo pago dicto *Shelton*, in Parœcia *Stokenſi* ſupra memorata. Vir fuit ſpectatæ pietatis, laboris indefeſſi, & maximi hiſce poſtremis temporibus exempli in conſtanti cura quam gerebat animarum commiſſarum; quam oſtendit in aſſidua prædicatione, & diligenti inſtitutione juventutis ſuæ Parœciæ, quam ut negligeret non fecit munus concionandi. Erat lux vivida (prima ſyllaba nominis ejus Anglicè *lucem* ſignificat) quæ totam ejus illuſtrabat Parœciam, atque amorem ſuum ſummo Hero ac Domino indefeſſâ ovium ſuarum curâ teſtabatur. Vixit, poſtquàm Ordines Sacros ſuſcepit, quinquaginta ſex annos, & triginta ſex Vicarius fuit *Stocetenſis*, ut antea diximus. Obiit 21. Julii Anno Domini CIↃ IↃC LVIII. octuageſimo primo ætatis anno.

Auctoris noſtri mater fuit *Elizabetha Bagnall*, Fœmina Nobilis ex honeſtiſſima familia, ex qua tres viri Equites facti ſunt à Regina *Elizabetha* propter fortitudinem, cujus egregia ediderant ſpecimina in bellis adverſus *Hibernos rebelles* geſtis. Ipſa fuit mulier ſpectatæ pietatis. Obiit 24. Januarii CIↃ IↃC XXXVI. ſeptuageſimo primo anno ætatis.

Auctor verò noſter ſtatim ac ad eam ætatem pervenit, quâ rudimenta Grammaticæ diſcere poſſet, traditus fuit curæ *D. Whitehead* Ludimagiſtri *Morton-Greeni*, ad *Congertonum in Palatino Comitatu Caſtrienſi*. Ibi vixit ad menſem Junium Anni Domini CIↃ IↃC XVII. unde miſſus fuit *Cantabrigiam* in *Collegium Chriſti*, ubi admiſſus fuit ſub tutelam doctiſſimi ac optimi viri *Guilielmi Chappel*, qui tum erat Socius ejus Domûs, & poſtea fuit Theologiæ Doctor, & Profeſſor in *Collegio Trinitatis Dublini*, ac tandem Epiſcopus *Corkenſis* in Hibernia.

Dum vixit in Chriſti Collegio, magna dedit ſpecimina vividi ingenii, & profectûs in ſtudiis. Ejus Tutor dixit tum quibuſdam viris præcipuis Univerſitatis, ſe habere pupillum, ſignificans Lightfootium, quem crederet optimum eſſe Oratorem omnium qui tum in Urbe nondum gradus aſſequuti fuerant. Extraordinariâ ratione progreſſus eſt in ſtudiis, dum ibi fuit, Linguarum præſertim Latinæ & Græcæ. Ad Hebraïcam Linguam quod attinet, eam ibi neglexit, nec uſus eſt genio ad eam addiſcendam aptiſſimo quem eò tulerat. Logicæ nullâ ratione animum appellere potuit, quod rixoſum ac litigioſum iſtud ſtudium ingenio quieto ac placido juvenis ſtudioſi non conveniret. Non potuit frui diutiùs eruditâ illâ Societate, poſtquàm Baccalaureatum adeptus eſt.

Poſtea adjutor datus eſt primo ſuo Magiſtro *D. Whitehead*, qui tum docebat in celebri Schola *Raptonienſi* in Comitatu *Darbienſi*, ubi per unum aut alterum annum fuit, & multùm profecit in Græca Lingua. Ejus colloquia erant æquè grata Magiſtro, ac ejus manſuetudo placebat pueris qui ei crediti erant. Aliquantò poſt Sacros Ordines accepit, & prima ejus ſedes poſtea fuit *Nortonia* cis *Halam* in Comitatu *Salopienſi*. Vicinus erat *Bellaporti* in eodem Comitatu, ubi degebat doctiſſimus & nobiliſſimus

Rowlan-

Digitized by Google

Rowlandus Cottonus Eques, qui aſſiduus auditor ejus eo in loco fuit, poſtmodum patronus, & amiciſſimus quandiu vixit.

Hic *Rowlandus Cottonus* ſingularis erat eruditionis. Filius fuit *Guilielmi Cottoni*, civis & panni Mercatoris Londinenſis. Doctiſſimus erat Hebraicè, quam Linguam didicerat diligenti inſtitutione *Hugonis Broughtoni*, qui ſæpiùs diverterat, & aliquandiu vixerat in ædibus patris ejus. Pauca erant loca Bibliorum quæ non poſſet facilè legere, & vertere Anglicè, cùm eſſet ſeptem vel octo tantùm annos natus; nec tantùm Linguam illam intelligebat, ſed facilè etiam loquebatur. Nobiliſſimi hujus Equitis Auctor noſter ſæpe meminit tanquam viri amiciſſimi, ſpectatæque pietatis, non minùs ac eruditionis & judicii. Vidi Sermonem quem Auctor noſter præparaverat in ejus funeribus recitandum, ubi deflet ejus mortem, & quæritur ſe cohiberi diſertis mandatis præſtantiſſimi illius Equitis, ultimo morbo decumbentis, quibus prohibebatur eum, ut par erat, laudare.

Hoc digreſſio videri queat, ſed quæ facilè mihi condonabitur, cùm in eam ideò tantum delapſus ſim, ut pro merito ſuo laudarem virum qui bene meritus eſt de Orbe Literato, & præſertim erudito noſtro Auctore, cujus incomparabilis eruditio, ac peritia rerum Hebraïcarum, debetur maximè, ſecundùm Deum, erudito ac pio huic Equiti.

Rowlandus ergo *Cottonus*, præ ſpe quam conceperat de noſtro, dum in loco memorato remanſit, eum in ſuam ipſius familiam, tanquam Capellanum ſuum aſſumpſit. Ibi jecit Auctor noſter fundamenta Rabbinicæ eruditionis, quâ famam maximam eſt conſequutus, non modò in Anglia noſtra, ſed etiam trans mare. Atque occaſio quâ animum ei ſtudio appulit, uti ſæpe narravit ipſe, hæc fuit. *Rowlandus* circa Linguam illam ab eo multa quærere ſæpe optaſſet, cùm ejus etiamnum imperitus eſſet, atque hoc adeò eum perculit, ut tum pudore, tum indignatione quòd ipſe careret eâ eruditione quam videbat eſſe in Patrono ſuo, ſe totum ſtudio Linguarum, ac præſertim Hebraicæ, dederit. Pudore ſuffundebatur, (ut ſæpius faſſus eſt) cùm à Nobili ruri degente irrideretur, & quidem in eo genere eruditionis quod excolere ex profeſſione ſua ac munere ſuo magis tenebatur quàm Patronus. Atque hæc fuit occaſio quâ factum eſt ut incubuerit utiliſſimis ſtudiis, in quibus alioqui ſemper peregrinus fuiſſet.

In hoc eruditionis genere multum profecit, dum eſſet in ea familia, & Patrono etiam ideò carior factus, cui poſtmodum ſemper cariſſimus fuit. Cum eo vixit *Bellaporti*, donec *Rowlandus*, relicto rure, cum familia Londinum venit, rogante *Alleno Cottono*, patris ejus juniore fratre, qui ejus urbis Prætor erat.

Intra breve tempus Auctor noſter Patronum ſequutus eſt in urbem, ubi cùm aliquandiu commoratus eſſet, iterum rus rediit, inviſitque patrem & matrem, *Stoceti*, ut diximus, degentes, quibus ſolenniùs valedixit, iter in tranſmarinas regiones ſuſcepturus, iis non modico dolore affectis. Sed relictis parentibus, & *Stonum* uſque in *Staffordienſi* Comitatu, progreſſus, qui locus tum erat Miniſtro deſtitutus, importunitate eorum ad quos res pertinebat, perſuaderi ſe ſivit ut eam ſtationem acciperet. Quo facto parentes recreavit, ipſis certioribus factis jam itinerum ſuorum finem adeſſe. Eo in loco circa biennium, aut circiter, fuit, & interea 21. Maji cIↄ Iↄc XXVIII. uxorem duxit *Joïciam*, filiam *Guilielmi Cromptoni Stono-Parkenſis* Nobilis, & viduam *Georgii Copwoodi Dilvernenſis*, in Comitatu *Staffordienſi*.

Stonâ Auctor noſter venit *Hornſeium* vicinum Londino, propter *Bibliothecam Sionenſis Collegii*, ad quem ſæpius ventitabat. Poſtea Vere anni cIↄ Iↄc XXX. ipſe & familia iverunt *Stocetum*, ubi remanſerunt ad ſequentem

Digitized by Google

tem Septembrem, quo *Rowlandus Cottonus* promovit eum ad regimen *Aſlex*, in Comitatu Staffordienſi. Ibi Auctor noſter in magna exiſtimatione vixit per duodecim annos, nec parum in Rabbinicis ſtudiis progreſſus eſt. Eum in finem emit agellum vicinum ædibus Parochialibus in quibus degebat. Ibi ædificavit in medio horto domunculam, in qua inferius erat muſæum & conclave ad ſecedendum, ſuperius vero cubiculum. Hic ſeorſim ab omnibus cum ſumma voluptate perſequutus eſt ſtudia ſua quibus totum ſe dedit, & ſæpe etiam hîc commorari voluit, licet à familia & Parochialibus ædibus multùm non abeſſet. Hac in ſtatione vixit uſque ad annum clↄ Iↄc xlii. quo tempore ex aliqua occaſione (ad cœtum Theologorum, ut opinor, vocatus) videtur invitus reliquiſſe ſuum rus ac manſionem priſtinam, Londinum quaſi in exilium quoddam concedens, ut poſſumus colligere ex Epiſtola præfixa *Spicilegio* ejus *in Exodum*, ubi dicit Parœcis ſuis *Sancti Bartholomæi poſt Burſam, eos ipſum ſibi vindicaſſe, poſtquam à ſuis exul factus eſt.* Verùm in eo ſtatu haud diu fuit; dotes ejus inſtar magnæ lucis diu latêre non potuerunt, ſed brevi toti innotuit civitati, & datus eſt Miniſter incolis Parœciæ jam memoratæ. Hîc, ut diſcimus ex eadem Epiſtola, ſtatim ſummo exceptus eſt affectu, qui poſtea nunquam imminutus eſt, & mutuus ſemper inter ipſum & Parœcos fuit. Circa hoc tempus, aliud illi impoſitum eſt munus, nempe ut membrum eſſet cœtûs Theologorum qui congregabatur in Weſtmonaſterienſi Templo, quò eum jam ſequemur, & quâ ſe ibi geſſerit ratione paucis oſtendemus.

Anno clↄ Iↄc xliii. Miniſtri Londinenſes convenerunt ut diſceptarent num eſſent concionaturi Natali Chriſti ſequente, ut hactenus ſoliti fuerant, an verò diem illam prorſus prætermitterent. Unus ex iis (cujus nomen reticebo) magnæ auctoritatis, negabat eſſe concionandum, ejuſque ſententia videbatur prævalitura apud Fratres. Auctor noſter qui tum erat Paſtor *Sancti Bartholomæi*, ad eum cœtum convocatus, tam alienus fuit ab ea ſententia, ut cum eo ſecedens, de re unà cum ipſo diſputaverit, & oſtenderit non tantùm rem eſſe licitam, ſed etiam expedire, ejuſque omiſſionem periculoſas tracturam conſequentias, ac nocituram iis qui profitebantur ſe ea tantùm emendare velle, in quibus erat aliquid mali, aut vituperio digni. Denique tantopere prævaluit ejus ſententia in eo cœtu, ut cùm propoſita fuit quæſtio, omnes, exceptis quatuor aut quinque, in affirmativam iverint ſententiam. Prætermitto argumenta peculiaria, quibus Auctor noſter id probavit, quæ alioqui facilè afferre potuiſſem, quia hujus rei non memini, ut eo ſpecimine eruditionem ejus oſtenderem, qui rem, quâ nulla alia faciliùs defendi queat, propugnaverit; ſed tantùm ut cognoſceret lector, quamvis Noſter vixerit difficillimis temporibus, & verſatus fuerit cum hominibus qui ad extrema quæque ruebant, ei tamen non defuiſſe animum ac integritatem ut ſeſe torrenti opponeret.

In illis diſceptationibus cœtûs Weſtmonaſterienſis eadem ſemper uſus eſt libertate Noſter, & fortitudinis ac eruditionis magna edidit ſpecimina, dum ſeſe oppoſuit multis dogmatibus quæ Theologi illi omni ope ſtabilire conabantur, quorum aliquot proferam exempla, quæ non ex incertis rumoribus hauſi, ſed ex meliori fonte, & ſunt omni exceptione majora.

Notiſſimum eſt iſtos Theologos multùm temporis conſumpſiſſe, dum agerent de *Senioribus Laicis*, deque poteſtate quæ in regimine Eccleſiæ erat ipſis tribuenda. Hanc ſuam ſententiam probare conabantur ex 1 *Corinth.* 12:28. *Opitulationes, Gubernationes.* Huic opinioni non veritus

**** eſt

eſt Auctor noſter ſeſe opponere, & verè atque acutè obſervavit Septuaginta Interpretes uſos eſſe voce κυβερνήσεως, ad vertendam vocem Hebraïcam תחבולות, *quæ non ſignificat* actum *ullum*, aut *peritiam* gubernandi à Deo acceptam, *Proverb.* 1:5. 11: 14. 20: 18. 24: 6. Ac voces ἀντιλήψεις & κυβερνήσεις, in loco quem præ manibus habemus, ſignificare *auxilia* ad interpretandas Linguas, & mentem eorum qui Linguis loquebantur, ut poteſt colligi ex ſedula collatione verſuum 28, 29, & 30.

Et cum quidam vellent *Seniores Laïcos* inſtitutos ad exemplum Seniorum Judaïcæ Eccleſiæ, & affirmarent fuiſſe duo Conſiſtoria in unàquaque civitate, Civile & Eccleſiaſticum; repoſuit Auctor noſter, duo Conſiſtoria in unaquaque civitate fuiſſe, non agnoſcere Hebræorum Scriptores; quàm in rem Maimonidem ſæpius citavit. Probavit fuiſſe tria Tribunalia Hieroſolymæ, ſed diſtincta non fuiſſe in Eccleſiaſtica & Civilia; & fuiſſe tantùm unicum Synedrium in aliis minoribus urbibus. Conceſſit quidem in Synedrio fuiſſe Seniores, qui non erant Sacerdotes aut Levitæ, ſed qui erant Civiles Magiſtratus.

Alio tempore cùm eſſent congregati ut Synedrium conſtituerent, ad res Eccleſiaſticas judicandas, quod conſtaret Presbyteris & Senioribus Laïcis, idque, ut ajebant, juxta conſuetudinem Judæorum; Auctor noſter oſtendit quædam fuiſſe quæ ad ſolum Sacerdotem pertinebant, & quibus ſe nullatenus immiſceret Magiſtratus Civilis, ut in caſu lepræ, in examine zelotypiæ, in judiciis de mundo & immundo, &c. & in iis rebus quæ pertinebant ad Laïcos Judices, quales ſunt blaſphemia, idololatria, falſæ doctrinæ, &c. pœnas civiles fuiſſe, cùm ejuſmodi rei capite plecterentur.

Et cùm quidam affirmarent, Seniores Civiles in Synedrio de omnibus caſibus judicaſſe; repoſuit Noſter, id fieri non potuiſſe in caſu lepræ: cùm manifeſtum ſit lepram infeciſſe quoſlibet Iſraëlitas, exceptis ſolis Sacerdotibus. Et locum quidem *Deuter.* 17. affirmavit agere non de *provocatione ad Judicem*, ſed de *conſilio*; non de munere Judicis, ſed de directione. Ii enim Judices Synedriorum inferiorum debebant ire ad locum quem Deus elegiſſet, ad diſcendum quomodo ſe gerere deberent in re difficiliore judicatu.

In eo Cœtu cùm de Miniſtris Eccleſiæ diſceptarent, erat quidam Theologus, qui affirmabat *viduas* in eorum numero habendas eſſe; quod inde liquere dixit, quòd eligerentur anno ætatis ſexageſimo: Noſter evertit eam opinionem eo ipſo argumento quo is Theologus eam defendebat, oſtendens ſub Veteri Teſtamento Miniſtros Templi anno quinquageſimo fuiſſe dimiſſos, adeoque rationi conſentaneum non eſſe credere ſub Novo quemquam ad Miniſterium admiſſum eſſe, qui ſexagenario minor non eſſet. Atque alteri affirmanti Sacerdotes dimiſſos fuiſſe propter onus ferendæ Arcæ, &c. Noſter regeſſit Solomonis tempore Arcam non ampliùs huc illuc circumlatam fuiſſe, & tam numeroſas fuiſſe claſſes, ut legantur octoginta Sacerdotes ſeſe Uzziæ oppoſuiſſe; & *Joſephus* affirmet fuiſſe ad minimum in unaquaque claſſe quinque hominum millia; ac denique eorum Miniſterium ſemel tantùm, unâ hebdomade, intra ſex menſes rediiſſe, adeò ut dici non poſſint operi ſuccubuiſſe.

Auctor noſter etiam ſeſe opponebat electioni Miniſtrorum à plebe, quam quidam conabantur probare voce χειροτονία, quam ajebant ſignificaſſe non *extenſionem manuum*, ſed *electionem*; eoſque confutabat ex *Zonara* & *Balſamone*, & *Apoſtolorum Canonibus*, ipſâque Græcæ vocis notatione. Addebat fieri non potuiſſe, ut primis illis Chriſtianiſmi temporibus plebs eligeret ſuos Miniſtros, quia nemo erat iis temporibus idoneus

neus miniſterio, niſi dono Spiritûs Sancti; nec rationi conſentaneum eſſe, illam eos nominaſſe atque elegiſſe qui accepturi erant cœleſte donum.

Comperio etiam in conſultatione, num vetandum eſſet ne Directorium mutaretur in certam Formulam, Auctorem noſtrum loquutum eſſe adverſus illud, quippe quod contrarium eſſet Formulæ orandi.

Circa hanc propoſitionem de Baptiſmate, *an liceat, ac ſufficiat infantes adſpergere?* Auctor noſter eum reprehendit qui ita eam conceperat, cum ineptum eſſet quærere ſuffragia, quibus unuſquiſque reſponderet, num licitum id eſſet, quod omnes concedebant. Et cum unus ex cœtu longa oratione conaretur probare vocem טבילה, quæ Baptiſmum ſignificat, ſignificare integram immerſionem; Noſter fuſè rem confutavit, & contrarium probavit, primò ex loco *Aben Eſræ* in *Geneſ.* 38. Secundò, ex *R. Solomone Jarchi*, qui in Commentario ſuo in *Exod.* 24. dicit Iſraelem in fœdus veniſſe adſperſione ſanguinis, & טבילה, quod Auctor Epiſtolæ ad Hebræos exponit *adſperſionem.* Tertiò, quòd Joannes Baptiſta aliquando prædicavit & baptizavit in locis, in quibus ii qui baptizabantur toti aquæ immergi non poterant. Denique, in eo cœtu dixit ſe omnes provocare ut oſtenderent ſibi vel unum exemplum in toto Veteri Teſtamento, ubi vox illa adhibita *in Sacris, & in actu tranſeunte*, ſignificet quicquam aliud prȩter adſperſionem. Dicuntur quidem Sacerdotes abluiſſe ſua corpora, & immundos ſe aquâ laviſſe; ſed non erat *actus tranſiens.* Et cum venerunt ad ſuffragia, ut decerneretur utrùm Directorium ſic eſſet concipiendum: *Miniſter ſumet aquam, & adſperget ſeu effundet manu in caput ſeu ſinciput infantis*; quidam ægre tulerunt excludi immerſionem, adeo ut ſuffragia paria eſſent, uno excepto; nam hinc erant viginti quatuor, illinc viginti quinque. Itaque res perendie ad novum examen revocata eſt, atque ibi Auctor noſter ab iis qui immerſionem tuebantur quȩſivit rationem opinionis ipſorum, & rogavit ut argumenta ſua afferrent. Tum rem ſic concipi voluerunt: *Effuſionem aquæ, vel adſperſionem in adminiſtratione Baptiſmatis, licitam ac ſufficientem eſſe.* At Auctor noſter iſtam vocem *licitam* oppugnavit, cùm idem eſſet ac ſi quis definiret, licitum eſſe uti pane & vino in Cœna Dominica; & effecit ut verba illa ſic conciperentur, *Non ſolum licitam eſſe, ſed etiam ſufficientem.*

Circa membra Synodi hȩc erat propoſitio, *Paſtores & Doctores, alioſque idoneos viros eſſe membra Synodum conſtituentia.* Hanc oppugnavit Auctor noſter, & interpretatus eſt verba *Actor.* 15. *Fratres* & *tota Eccleſia:* nempe per *Fratres* intelligendos eſſe Chriſtianos incircumciſos, ut *verſ.* 1. & 23. Ideoque veriſimile eſſe Eccleſias incircumciſorum miſiſſe ſuos Miniſtros, non Laicos; & per vocem Ἐκκλησία non eſſe intelligendum populum, ſed congregationem Concilii.

Multa alia fuerunt in eo cœtu diſceptata, quorum Auctor noſter pars magna fuit, nec unquam dubitavit, occaſione datâ, ſtrenuè oppugnare eas opiniones quæ tum prævalebant. Poſſem accuratè referre quid dixerit in diſceptationibus circa admiſſionem perſonarum ad Sacramentum Cœnæ Dominicæ, Baptiſmum privatum, eruditionem requiſitam in iis qui ordinandi erant, doctrinas è Textu educendas, uſum Linguarum demortuarum in concionibus. Verùm iſta omnia prætermitto, ne limites, quos mihi in brevi hac deſcriptione præfixi, tranſiliam.

Comperio ſub finem Anni cIↃ IↃC XLIII. Auctorem noſtrum promotum fuiſſe ad regimen Eccleſiæ *Magnæ Mundoniæ*, in Comitatu *Hertfordienſi*, quæ carebat Paſtore, defuncto eximio illo viro *Samuele Wardo*,

Digitized by Google

S. T. D. Profeſſore *Cantabrigiæ in Collegio Margaretæ.* In ea Eccleſia vixit uſque ad obitum, atque ibi remanebat, quantùm hoc ei licebat per munus quod gerebat Cantabrigiæ in *Aula S. Catharinæ*, cujus fuit Præfectus per plures annos. Non libenter aberat ſuo domicilio, ut ſolebat teſtari magnum deſiderium revertendi ad ſuas *ſubruſas tunicas*, (Ruſſet-Coats) quemadmodum ſolebat vocare vicinos ſuos ruſticos. Magnos & ſpectatos hìc exantlavit labores. Hìc enim erat indefeſſus in ſuis ſtudiis, quæ ab initio ad finem vitæ inexhauſtâ proſequutus eſt diligentiâ. Erat aſſiduus & accuratus Concionator. Parochiales ejus ædes diſtabant milliari uno à Parochiali Eccleſia, ad quam unaquaque die Dominicâ ibat, legebat preces, & concionabatur ante & poſt meridiem, ibique ſæpe per totam diem remanebat, nec domum redibat niſi veſperi, remanens interea in Eccleſia, nec aliâ recreationis causâ divertens, donec veſpertino defunctus eſſet miniſterio. Curam ac miſericordiam paternam ſuo gregi teſtabatur, in quo vixit in magna pace & hoſpitalitate. Ibi abſque intermiſſione ac interturbatione per plures annos fuit. Statim quidem poſt felicem Regis reditum, *Socius* quidam Cantabrigienſis obtinuit conceſſionem domicilii Auctoris noſtri: ſed illico monitus à vicino ac amico *Henrico Cæſare Equite*, gratiâ Archiepiſcopi *Sheldoni* fuit in ſuo munere confirmatus. Magnum hoc Archiepiſcopi beneficium grato animo agnoſcit in duabus Epiſtolis, quibus ipſi dicavit *Horas Hebraicas* ad *Marcum* & *Lucam*, & ſæpius meminit beneficii accepti à nobiliſſimo & præſtantiſſimo viro *Henrico Cæſare*, cujus vicinia & incitamenta Auctori noſtro maximę conſolationi fuere.

Factus eſt Doctor S. Theologię Anno cIↄ Iↄc LII. Latina ejus Concio erat in hæc verba: *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, ſit Anathema Maranatha.* Cùm erat in Univerſitate ſępiùs concionabatur, unde non parum ſtudioſi proficiebant. Semper Auditoribus ſuis inculcabat vitam inculpatam, & datâ occaſione urgebat neceſſitatem humanarum Literarum, atque explodebat Enthuſiaſmum, qui eo tempore invaſerat animos multorum infirmorum. Oſtendebat formulas orationis licitas eſſe, iis temporibus, quibus quamplurimi eò inſanię devenerant, ut in eas inveherentur. Atque ad ſchiſma quidem, & ſeparationem à conſtituta Eccleſia, tantopere ea averſabatur, ut tum dixerit aliquando, neceſſariò eſſe communionem colendam cum Eccleſia corrupta. Et quicunque adibit quæ habet in ſuis *Horis Hebraicis* in *Matthæum*, Cap. 8: 4. & præſertim Concionem pronunciatam in Templo *S. Michaelis in Cornhill*, coram ruris accolis in Comitatu *Staffordienſi*, quæ eſt in *Joann.* 10: 22. abundè percipiet quod dicimus. Cùm concionabatur Cantabrigiæ, eligere ſolebat Textum aliquem Scripturæ difficilem, quem plaudentibus eruditis Auditoribus interpretabatur; qua in re, ut opinor, non leve emolumentum omnibus attulit. Recreabat eâ ratione animos piorum & ſtudioſorum virorum, qui inde ſuppetias petebant ad defendendas Sacras Scripturas adverſus contemptum irriſorum, qui quavis occaſione conantur earum auctoritatem imminuere. Ac certè hac in re feliciſſimus erat; ac audivi eruditum ac reverendum S. Theologiæ Profeſſorem qui nuper obiit, dicentem ſe nunquam eum audiviſſe concionantem, quin aliquid diſceret quod antea ignorabat. Erat maximi uſus in Univerſitate temporibus iſtis, ejuſque ſermones erant ejuſmodi, ut maximè afficerent ſtudioſiſſimos & veritatis inquiſitioni addictiſſimos viros. Multùm laborabat in probando *Pædobaptiſmo* adverſus Antipædobaptiſtas horum temporum, atque hoc effecit firmiſſimis nixus fundamentis, & quæ ipſa ſe veritatis amantibus commendant; nec dubito quin eâ methodo multos confirmaverit,

verit, qui antea vacillabant. Inveni inter Auctoris noſtri chartas Epiſtolam ad eum miſſam ab eruditiſſimo viro *Gulielmo Outramo* S. T. D. cum eſſet ejus auditor Cantabrigiæ, in qua maximas ei agit gratias, propter *delectum vere eruditarum Obſervationum*, (uti meritò eas vocat) ad Orationem Dominicam, in quo oſtendit licitas eſſe Orationum formulas, & obnixè eum orat, ut ſibi concedat Exemplar MS. Concionis ſuæ de Baptiſmo; *Quam*, inquit, *cupidiſſimè expectavi ex quo pronunciata eſt, nec immerito; nam certè, niſi eas audiviſſem, non tam conſiliatus eſſem Pædobaptiſmo, ac nunc, Dei gratiâ, ſum. Cupio itaque, niſi moleſtum eſt, à te conſiderari quanti uſûs futuræ ſint iſtæ tuæ notæ; & quanto magis, ad me quidem quod attinet, afficiar & perſuadear ea ratione quâ ad rem probandam uteris, quam aliis ratiocinius quibus vulgo utuntur.* Sunt etiamnum multi in vivis qui Deo gratias agendi, propter Auctorem noſtrum, magnas habent cauſas, & qui quantæ utilitatis poſtremis hiſce fuerit temporibus publicè teſtentur.

Anno cIↄ Iↄc LV. Auctor noſter electus fuit Vice-Cancellarius Univerſitatis Cantabrigienſis; quo munere diligentiſſime functus eſt, quamvis multiplicibus negotiis diſtraheretur, ac præſertim lectione foliorum Bibliorum Polyglottorum è prælo adhuc madentium. Anxiè cavit, dum fuit Vice-Cancellarius, ne cuiquam injuriam faceret, aut amicum minus benignè exciperet. Hoc unum timuit, ne intra annum illum pronunciaſſet iniquam ſententiam adverſus amicum quempiam; quâ re tantopere cruciabatur, ut dixerit ei Amico, qui etiamnum eſt in vivis, *ſe credere eum dolorem ſe ad ſepulcrum uſque comitaturum.* Sed brevi plenè ei ſatisfactum eſt, quia quod decreverat non modò juſtum erat, ſed etiam neceſſarium.

Non fuerunt porro ejus labores intra terminos Univerſitatis & Eccleſiæ ſuæ incluſi. Nam præter eximios multos Libros quos ſcripſit, (quorum hic Catalogum non recenſebo, quoniam hoc jam ab aliis factum eſt) pars magna fuit utilium cœptorum, quæ ipſo vivente inchoata & ad finem perducta ſunt.

Inter hæc Biblia Polyglotta, quæ ad umbilicum perducta fuere anno cIↄ Iↄc LVII. digna ſunt quæ primo loco memorentur. Eximium hoc & utiliſſimum opus magna ex parte perfectum fuit indefeſſis laboribus eruditi & reverendi Briani Waltoni S. T. D. & poſtea Epiſcopi Ceſtrienſis, eſtque æternum ſummæ diligentiæ & raræ eruditionis egregii illius Præſulis monumentum. Hic duntaxat memorabo quid Noſter in id opus contulerit. Reperio eum conſultum fuiſſe de toto opere à Doctore Waltono, cum id aggrederetur, in Epiſtola data 2. Januar. cIↄ Iↄc LIII. in qua à noſtro auxilium petit circa *Pentateuchum Samaritanum*, quod non exiguum illi creavit laborem. *Vid. Dec. Chor. in Marc.* Cap. x. §. v. Nec hoc primum tempore advocatus in auxilium fuerat: nam apparet ex ea Epiſtola, Auctorum noſtrum declinaſſe eum laborem, & ſuam cauſatum modeſtè imperitiam: cui excuſationi reponit Waltonus in ea Epiſtola, Auctorem noſtrum *ſufficiens ac publicum ſuæ eruditionis teſtimonium orbi dediſſe.* Reperio etiam eundem Doctorem Waltonum (ut apparet ex ejus literis datis 23. Febr. 1653. 24. April. 1654. 14. Jun. 1654. & pluribus aliis) miſiſſe ad Auctorem noſtrum varia Alphabeta foliorum, ſtatim ac prælo ſubducta fuerant, ac cupiiſſe ea ab Auctore noſtro legi, uti fecit, & ab ipſo notari errata quæ inter legendum occurrerent. In quadam Epiſtola dicit, *Noſtri judicium ac diligentiam, ad Samaritanum quod attinet, tam accurata fuiſſe, ut nulla ſubeſſet cauſa ob quam ea mutaret, multo minus cenſura exciperet ac emendaret.* Video etiam Noſtrum id opus adjuviſſe multis aliis rationibus, non modò nactis ſubſcriptionibus ſuis incitamentis, ſed ſuppeditatis etiam variis M S S. ex

 Univer-

Univerſitatis Bibliotheca, nempe Verſione Syriacâ MS. Prophetarum, (quod agnoſcit Waltonus literis 7. Nov. 1655. datis) & Syriaco Lexico MS. Eum etiam adjuvit in emendanda Tabula Judææ, (ut apparet ex aliis literis datis 4. Nov. 1657.) Præterea Auctor noſter ad eum miſit Chorographicas ſuas obſervationes, quas videmus initio Bibliorum Polyglottorum nomen ejus præferre.

Juxta Biblia Polyglotta collocandum eſt maximum poſtremi hujus Ævi noſtri opus, quò illa eſſent utiliora adornatum, incomparabile ſcilicet illud *Lexicon Heptaglotton* ab *Edmundo Caſtello* S. T. D. editum anno cIↄ Iↄc lxix. Reperio Doctorem Caſtellum, propter ſummam pietatem, incomparabilem eruditionem, incredibilem diligentiam ſine honoris præfatione non appellandum, priuſquàm id opus inchoaret, conſuluiſſe Auctorem noſtrum, & arbitrii ejus feciſſe, *utrum ſuffocandum eſſet, an vita ei danda*, ut ipſemet loquitur in literis datis 2. Decemb. cIↄ Iↄc lvii. quibus accepto reſponſo ab Auctore noſtro, in quo ejus eximium cœptum probat, ei gratias agit, & poſtea ſubdit: *Ac certè niſi tale haberemus Oraculum quod conſuleremus, incaſſum & fruſtra ejuſmodi cæptum aggrederemur:* & paulò poſt: *O nos felices ter & ampliùs, quibus contigit, te vivo, opus hoc tam grande quàm arduum, auſpicatò ſuſcepiſſe: & benedictus ob hoc ſemper ſit ſummus ille rerum Arbiter.* Tempus ſcriptæ hujus Epiſtolæ non eſt additum, ſed ſcriptam oportet ſub initium magni illis cœpti.

Prætermittam quàm multis in occaſionibus, conſilia & ſubſidia ſint ab Auctore noſtro requiſita. Caſtellus ſic Noſtrum alloquitur in literis datis 22. Febr. cIↄ Iↄc lxiii. quibus verbis oſtendit quid de illo ſentiret. *Merita tua & opera, quæ tantopere ſuperant communem ſcribendi rationem, eruditus orbis debet habere, & habet in ſummo pretio. Ego quidem in hoc opere ſæpius honorificè memini, & meminero*, &c. Auctor noſter eum non ſolùm conſiliis & commendationibus juvit; minoris momenti ſunt iſta ſubſidia: ſed pecuniam ſubminiſtravit, & eximium illum operis tanti aggreſſorem ſuſtentavit, uti ipſe agnoſcit in Epiſtola data 14. Martii, 1663. Quanta fuerint noſtri ſubſidia pecuniaria neſcio; ſed video Caſtellum in iis literis eò uſque deveniſſe, ut diceret, *in tribus hiſce Regnis, unum repertum eſſe*, (Auctorem noſtrum) בלא אח, *ſecundus enim nunquam*, ait, *mihi viſus eſt, quem ita percelleret miſera ac perdita ſors mea.* Excipit duntaxat in iis literis Epiſcopum Exonienſem, cujus ſummam benignitatem expertus fuerat.

Doctori Lightfootio eximius hic ſuſceptor cordi fuit, & effecit, ut video, quicquid potuit ad eum ſuſtentandum in præſtantiſſimo illo opere. Sæpe ad eum ſcripſit, nec ei animos addere omnibus rationibus ceſſavit: unde Caſtellus in literis datis 15. Novemb. 1664. *Secundùm divinas*, inquit, *Literas nullas unquam ſimiles tuis vidi, quæ ita ſuaviter recreent ac delectant animum meum, cùm prorſus defeſſus labore*, &c. Cùm primum Volumen eximii illius Libri prodiit, Doctor certiorem fecit Auctorem noſtrum, ac ſe tranſmiſſurum promiſit, rogans eum ut cenſuram ejus ſuſciperet, *cùm nemo meliùs, aut majori cum candore præſtare id poſſet*, præſertim optabat *eum ſeveriùs expendere Arabica*, in Epiſtola ſcripta 14. Januar. 1667. Eodem modo ſe erga Noſtrum geſſit, cùm ſecundo Volumini finis eſſet impoſitus, 9. Jun. 1669. Hinc apparet quantùm Noſter contulerit ad promovendum eximium hoc opus.

Reperio etiam ad Synopſin Criticorum, quam ſuſcepit *Matthæus Polus*, Auctorem noſtrum aliquid contuliſſe. Vidi enim varias Epiſtolas Poli, in quibus Noſtro gratias agit, & quandam inter alias datam 7. Januar. 1673.

in

Digitized by Google

in qua ait ſe accepiſſe ſecundas ejus chartas, & reliqua ſe vehementer deſiderare. Quantum in hunc viri eruditi & diligentis laborem contulerit, reſcire non potui, nec proinde diſtinctiùs enarrare. Hoc unum non debet à me omitti, nempe amicum quendam meum vidiſſe varias breves Annotationes Latinè, manu ipſius ſcriptas, in plura Capita *Exodi*, *Numerorum*, *Joſuæ*, quas tranſmiſit ad Polum, an in *Synopſin* ejus transferendas, an alia quapiam de cauſa, incertum eſt.

Pluribus annis ante obitum Noſter fuit gratiâ *Orlandi Bridgemanni*, tum Sigilli Cuſtodis, *Præbendâ in Eccleſia Elienſi* donatus, ſed quo anno id contigerit, fateor me ignorare, ut & multa alia, quorum cognitio mihi defuit. Nunquam credideram in me onus fore ſuſcipiendum ut Literato Orbi deſcriberem eximii hujus viri vitam. Si hoc prævidiſſem, aliquot abhinc annis potuiſſem multa colligere ſubſidia hanc in rem neceſſaria, cum ſæpiùs cum illo ipſe verſatus fuerim, & fuerit mihi commoda occaſio in ejus vitam accuratiùs inquirere, quæ jam non eſt. Quod hic habeo, fateor me maximam partem debere reverendo & amiciſſimo viro *Joanni Strypio*, *Inferioris Leytoniæ*, in *Comitatu Eſſexiæ*, Miniſtro, qui mihi ea ſuppeditavit quibus hæc narratio, brevis licèt, eò perducta eſt, ut ei fides adhiberi queat: exiſtimavi certè, ſatiùs eſſe relationem, quantumvis imperfectam, vitæ eruditi ac pii viri, quàm omnino nullam, edere.

Ad ejus eruditionem quod attinet, argumenta ejus omni exceptione majora ſunt ipſius opera, ex quibus non dubito quin magna ad lectorem redeat utilitas. Erat perſpicaciſſimus & feliciſſimus in explanandis Scripturæ difficultatibus, eâque præſertim eruditione munitus quæ ad eam rem neceſſaria eſt. Hanc ejus peritiam ſummam viri eruditi ex popularibus noſtris, iique qui Tranſmarinas incolunt oras, agnoverunt. Non immorabor proferendis hanc in rem teſtimoniis, quod haud eſſet mihi difficile, ſed pauca duntaxat commemorabo. Auctor noſter miſerat ad Doctorem Caſtellum unum ex Libris ſuis, eo tempore quo Lexico ſuo occupabatur; qui hiſce verbis Noſtro gratias egit, in Epiſtola data 16. Aug. 1664. *Dono eruditi hujus, & diu expectati operis ineffabili me nexu devinxiſti ... Ditaſti exiguam meam Bibliothecam, tam eximiâ, tamque jucundâ additione, ut ſtatim ac Librum accepi, mihi temperare non potuerim quin integrum illico legerem, non obſtante munere quod mihi impoſui, & reclamantibus fruſtra operis Correctoribus, Compoſitoribus, Præliductoribus, &c. quibus omnibus ſurdam aurem præbui, donec oculis meis ſatisfeciſſem integrâ ejus lectione.* Et poſtea: *Nunquam me pudebit profiteri per quem profecerim. Quicunque intelligent claram illam lucem, ſimul cum myſtico & obſcuro uſu ac beneficio, quod ex antiquiſſimis Judæorum monumentis ad Scripturam Sacram duci poteſt, eos oportet fateri ſe, pluſquàm omnibus aliis, debere elaboratis ac incomparabilibus ſcriptis tuis, qui ex profundis illis ac divitibus fodinis plura eruiſti, quàm oculatiſſimi quique hujus aut præcedentis ævi deprehendere potuerunt.* Multa alia addere poſſem à manu præſtantiſſimi illius viri. Hic addi poſſet teſtimonium alterius eruditi, *Herberti Thorndicii*, qui in Epiſtola ad Auctorem noſtrum datâ 18. Maji, 1669. teſtatur quanti fecerit ejus eruditionem in Judæorum ſcriptis, & expetit judicium ejus de *Exercitationibus Morini*, verbis pluribus quàm huc transferri queant. Ad exteros quod attinet, duobus contentus ero. Prior erit *D. le Moine* eruditus Miniſter Eccleſiæ Reformatæ Rothomagenſis, qui in Epiſtola ad Doctorem *Worthingtonum*, verba faciens de Notis ſuis & Exercitationibus in Joſephum, ait: *In iis utor ſæpiſſimè Lightfootii Thalmudicè doctiſſimi, quem ſi inter Philebræorum familiam ducem dixero, nihil certè dixero, quod aſſurgat ultra meritum eruditiſſimi illius viri. Quæ de Templo,*

de

de Chorographia Sacra, *in Matthæum*, *in Actus*, *eruditè & feliciter conſcripſit*, *diu eſt quod illa poſſideo*, *iiſque præclaris operibus Bibliotheca mea ſuperbit.* Alterum teſtimonium eſt eruditi illius Profeſſoris Baſileenſis, *Joannis Buxtorfii* junioris. Hic vir magnus de Auctore noſtro, in Epiſtola ad Doctorem Caſtellum, hæc habet: *Ex Horis ejus Thalmudicis incepi illius doctrinam & diligentiam valde amare. Illa ſalivam mihi moverunt, ut propediem ab ipſo ſimilia videre deſiderem & guſtare. Precor ipſi omnia læta, ac meritis ejus digna.* Rurſus in literis ejuſdem Profeſſoris ad Auctorem noſtrum, datis Baſileæ 12. Decemb. 1663. reperio eum teſtari quanto in pretio haberet Noſtrum, cujus diligentiam, ἀκρίβειαν, ac dexteritatem in illuſtrandis Sacris Scripturis mirari ſe ait. *Raræ hæ dotes*, inquit, *hoc noſtro ſæculo in viris Theologis*, *rari hujuſmodi Scriptores*, &c. Epiſtola longior eſt quàm ut tranſcribi poſſit.

Ut nemo poteſt magnam Auctoris noſtri eruditionem in dubium revocare, ita etiam mira videbitur indefeſſa ejus diligentia, ſi conſideremus per quæ incommoda ad tantam pervenerit cognitionem. Juvenis erat cùm reliquit Cantabrigiam, & peregrinus in iis ſtudiis, quibus tantam, & quidem meritò, ſibi paravit famam. Ivit in Scholam Ruſticam tanquam Hypodidaſcalus, remotus à libris & ſubſidiis omnibus, quibus adjuvari potuiſſet. Tempus ejus conſumebatur in inſtitutione puerorum, caput clamoribus ac importunitatibus obtundebatur. Poſtea Sacros Ordines conſequutus eſt, ſed inde doctior nequaquam factus: præterea cùm admodum juvenis eſſet, ei perpetuò concionandum fuit. Deinceps uxorem duxit, & liberorum onere, curiſque rei familiaris à ſtudiis diſtractus fuit. Ejus facultates amplæ non erant, ejus familia augebatur, ac in concionando erat aſſiduus. Itaque ei non ſuppetebant ſubſidia, & otium, quibus, ſi in Univerſitate vixiſſet, frui potuiſſet. At vir eximius omnia illa obſtacula ac incommoda ſuperavit. Vidit, quo erat judicio, Orientalium Linguarum cognitionem dignam eſſe cui tempus ſuum impenderet, Chronologiamque, & alias difficiliores ſcientiarum partes ipſi utiles fore, & utiliorem etiam cæteris effecturas. Senſit quid ſibi deeſſet, atque animosè decrevit omnem abjicere pigritiam, nec ulla quærere ſubterfugia, quibus detrectaret laborem. Noverat quidem quod ſuſcipiebat eſſe

Magnum mentis opus, nec de Codice paranda
Attonita . . . .

Sed animo forti abſtruſa illa ac difficilia aggreſſus eſt ſtudia. Seſe omnibus defraudavit voluptatibus, amicis ſubtraxit, mundoque & omnibus ſæcularibus impedimentis ſubduxit, & conſtanter ad electum ſapienter ſcopum contendit. Symbolica ejus ſententia videntur fuiſſe verba, quæ invenimus in quibuſdam ejus collectaneis, ſub ejus nomine: השכם והערב, quæ ſignificant ipſi conſtitutum fuiſſe ſummo *mane ſurgere*, & *ſerò cubitum ire*, in eruditionis proſequutione.

Carebat auxilio Præceptorum, qui eum in hiſce literis inſtituerent. Non abundabat otio ſtudioſorum in Univerſitatibus viventium, quibus non opus eſt de quotidiano victu cogitare. Non ſuppetebant ei copia Librorum, & Doctorum virorum ſermones, quibus commodè ii utuntur qui in civitatibus vivunt. Non habebat divitias, aut dignitates, quarum ope ſibimetipſi conſulere potuiſſet; aut favorem Magnatum qui ei ad ſtudia calcar adderent: attamen ſtatim ac edidit ingenii & eruditionis ſuæ ſpecimen aliquod, ſummam oſtendit eruditionem. Ad ſe convertit oculos omnium

Digitized by Google

omnium eruditorum Regni, & omnium ſuperavit expectationem. Quid non præſtitiſſet, ſi ea ei fuiſſent ſubſidia quibus caruit? Si adjutus fuiſſet à Rebuſpublicis & Regnis, ſi extera eum incitaſſent auxilia, ſi excitatus magnis præmiis, in majori luce collocatus, directus in primis tentaminibus ac ſtudiis fuiſſet ab optimis ætatis noſtræ Magiſtris?

Nec eruditione tantùm excellebat, ac extraordinariâ diligentiâ, ſed etiam modeſtiâ, humilitate, grati animi affectu, ac candore. Nunquam eruditione ſuâ, aut laboribus intumuit; aut proximum ſuum contempſit, ut fatebuntur qui illum norunt. Certè tantopere alienus erat à ſuperbia, qua ſe ipſos magni faciunt qui ſunt eo infecti vitio, ut quidam crediderint eum aliquatenus peccaſſe, in eo quod de ſe pro meritis non ſentiret. Nemo forte unquam illo vixit humilior, & paratior ad audiendos alios, ſi fortè ipſi oſtenderent in aliquam ipſum hallucinationem delapſum. Alios magni faciebat, de ſe infra meritum ſentiebat. Denique gratiſſimus, modeſtiſſimus, candidiſſimus, humaniſſimus, ac mitiſſimus fuit.

Obiit *Eliæ* 6. Decembr. 1675. non ſine magna jactura totius Regni, & præſertim incolarum *Mundoniæ*, quorum benignus Pater, Paſtor diligens, ac fidus amicus fuit. Inter eos per multos annos maximam temporis ſui partem conſumpſit, nec unquam lætus eſſe potuit, dum è grege abfuit. Vellera non deſiderabat, ſed oves, quæ etiam Paſtorem ſuum amabant, libenter vocem ejus audiebant, nec unquam ejus tempore aberrabant.

Hactenus paucis egi de viro illo eximio, ejuſque utiliſſima inter mortales vita. Dum vivus fuit multùm aliis profuit, mortuus maximè defletus eſt, & ſuperſtes ſibi reliquit eximium exemplum quod imitemur. Faxit Deus, ut celeriter & magno animo ſequamur veſtigia hujus noſtri Auctoris, & aliorum omnium, in iis in quibus virtutem ſunt ſequuti: quod ſi præſtiterimus, omni languore animi exuto, tandem aderit tempus in quo laborum fructus ſempiternos colligemus.

*****

Digitized by Google

APPENDIX,

Vel Collectio rerum quarumdam maximè memorabilium, pertinentium ad vitam eximii Doctoris JOANNIS LIGHTFOOTII, quarum pleræque deſumptæ ſunt ex Autographis Epiſtolis, aut MSS. ejus.

§. I.

De occaſione, ratione ac methodo quâ aggreſſus eſt Harmoniam Novi Teſtamenti.

PRimaria cauſa quæ hoſce Libros Harmonicos, quos variis temporibus edidit vir eximius, peperit, fuit ſummus amor Sacrarum Scripturarum, quo factum eſt ut acerrimus earum eſſet ſcrutator; ut, ſi fieri poſſet, tandem ad certam & veram earum intelligentiam perveniret. Hoc de ſe ipſo teſtatur: *Ita ut nec arrogantiæ foret, nec temeritatis, quòd in his obſcuris me exercuerim: ſed animi ſtudioſi ac ſcientiam Scripturarum anhelantis, atque inquieti aliquantum, ſi in locis difficilioribus non haberet ubi pedem figeret.*

Epiſt. præfixa Hor. Hebr. in 1 Corinth.

Atque ut poſſet Scripturas majori cum utilitate legere, ſolebat in privatis lectionibus eas legere juxta ordinem temporum & Hiſtoriarum: ſemper accuratè obſervabat, an res ordine narrarentur, an verò tranſponerentur, & quò tranſpoſitiones illæ poſſent referri. Hoc, ut ipſe alicubi teſtatur, ſibi propoſuit, & per plures annos obſervavit; quâ methodo non ſibi exigua comparavit ſubſidia, ad intelligendum genuinum Sacrarum Paginarum ſenſum. Hinc ipſe incitatus ad eandem ſemper obſervandam methodum, aliis etiam eam ſeriò commendavit. Atque ut juvaret ac promoveret ſtudioſos Sacræ Scripturæ, decrevit hunc ordinem quem obſervare ſolebat iis communicare, editâ in omnium uſum Harmoniâ. Itaque ſtudia omnia & cogitationes ſuas eò intendit, ut plenè ac exactè id præſtaret, quo opus piis ac ſanctis finibus quas ſibi propoſuerat inſerviret. Magnis & longis laboribus hoc ei conſtitit; ſtudium enim omne ejus in eo inſumebatur, *ut elaboraret* (ut ipſe verè loquitur) *Harmoniam quatuor Evangeliſtarum.* Et natura quidem ac Providentia in nobili hoc, quod aggreſſus erat, opere eum adjuverunt. Erat enim naturâ validæ ac ſanæ conſtitutionis, & contigit eum privatim ruri vivere debere, abſque litibus, ſæcularibus negotiis, ac importunis viſitationibus. Hic in dilectiſſimo Muſæo, quod ipſe in medio horti ædificaverat, dies noctesque incubuit ſtudiis, & per plures annos pauculas noctis horas ſomno tribuit.

Hoc autem ſchema ſibi propoſuit, quà methodus maximi ac utiliſſimi laboris dirigeretur. Statuerat

I. Textum eo diſponere ordine, quem natura ac ſeries Hiſtoriæ requirit.

II. Diſpoſitionis hujus rationes reddere.

III. Difficultates Linguæ Originalis aliquatenus explicare, prout occurrerent.

IV.

Digitized by Google

IV. Senſum notis perpetuis aperire & explanare. Poſteriora hæc duo hac ratione aggredi ſibi propoſuit, ut expenderet nempe Tranſlationes in varias Linguas, afferret varias expoſitiones & opiniones Commentatorum veterum & recentiorum, & aliorum etiam de quibus ſuis locis, occaſione data, loqueretur: denique ſuam proponeret conjecturam, quâ an probabiles ſint, nec ne, dijudicaret. Quæ videtur eſſe eadem methodus quam eruditiſſimus Doctor Pocockius ſequutus eſt in admirandis ſuis Commentariis in Micham & Malachiam.

Hiſce omnibus præfigendam ſtatuit amplam Præfationem, quâ continerentur Prolegomena de variis cognitu neceſſariis, quæque eſſent inſtar Introductionis ad ejuſmodi opus. De hiſce quinque Capitibus præſertim latè & fuſè agere decreverat; atque utinam Deus opportunam ei poſtea præbuiſſet occaſionem exequendi utiliſſimum hoc ac pulcherrimum conſilium! Decreverat

I. Certum annum Natalium Chriſti conſtituere.

II. Diſponere ſuis locis omnes tranſpoſitiones Textuum & Hiſtoriarum Veteris Teſtamenti, quæ paucæ non ſunt. Oſtendere ejuſmodi luxationes in Novo Teſtamento minùs miras videri poſſe.

III. Chorographicam deſcriptionem terræ Canaan facere, & locorum finitimorum: quod multum contuliſſet ad clariorem intelligentiam multorum locorum Hiſtoriæ Euangelicæ.

IV. Adornare Topographicam deſcriptionem Hieroſolymæ, & Ædificii Templi, ad explananda varia loca Euangeliorum, in quibus non exigua eſt obſcuritas.

V. Denique Hiſtoriam aliquam tradere ſtatûs & conſuetudinum Judæorum, ex ipſorum Auctoribus, eo tempore quo Euangelium inter eos primum nuntiari cœpit.

Quàm eximium hoc fuiſſet opus! Certè id magno animo aggreſſus eſt, ac ei jam elegerat Patronum, Nobilem Virum ex agris vicinis, cui opus totum dedicaret. Multam in id materiam congeſſerat, jamque ſatis in eo progreſſus erat, ut prævideret in magnum Volumen rem abituram. Hoc cœpit ei animum minuere, non quòd laborem, quem ex eo quod jam fecerat maximum fore videbat, detrectaret, ſed quia Typographi eo tempore nihil volebant ſuſcipere, quod non eſſet breviſſimum. Hoc eum in novum laborem conjecit, præſertim ut inveniret rationem aliquam in Epitomen contrahendi quod jam ſcripſerat, ac per partes emitteret; ut poſtea fecit. Quâ ratione methodus ejus immutata fuit, utilia multa ſtudio brevitatis omiſſa; & quicquid in luminis auras prodiit, confuſa quædam Harmonia evaſit. At quàm eximium id opus futurum erat, ſi juxta primum Auctoris conſilium in juſtum Volumen digeſtum fuiſſet! Sanè ſi Deo viſum fuiſſet longiorem ei vitam concedere, fortaſſe vidiſſemus omnes ejus partes collectas & digeſtas in certam methodum ab Auctoris ipſius manu, & fortè etiam redactas in ſimilem ordinem ei quem primùm animo conceperat. Nam cùm quidam Bibliopolæ eum adiiſſent, & teſtati eſſent ſe cupere omnia ejus prius edita opera ab ipſo recenſeri, & ad novam editionem præparari, promiſit ſe hanc propoſitionem conſideraturum. Sed mors obſtitit ne quicquam præſtare poſſet.

Verùm iis qui Doctorem Lightfootium, ejuſque eruditionem magni faciunt, ſolatio aliquatenus eſſe poteſt, quòd licet Eruditus Orbis non fruatur ejus laboribus eâ methodo diſpoſitis, atque ad eam perfectionem deductis, quas ſibi propoſuerat, attamen ſat diu vixerit, ut nobis variis temporibus eorum ſummam, ac præcipua capita largiri potuerit. Nam

ut redeamus ad σκιαγραφίαν Harmoniæ & Præfationis, de quibus diximus; ex quatuor partibus quibus conſtare debebat Harmonia, duas poſteriores, nempe explanationem difficultatum Linguæ, & illuſtrationem ſenſûs, effectas dedit, partim ſaltem, in poſtremis & optimis ſuis laboribus, *Hebraïcis & Thalmudicis Exercitationibus*: & hoc ſolum dolemus, quòd per otium, aut vitam ei non licuerit ire per omnes Novi Teſtamenti Libros eâdem methodo, quâ quatuor Euangelia peragravit, unà cum priore ad Corinthios Epiſtola, parte Actorum Apoſtolicorum, & fragmento Epiſtolæ ad Romanos. Duas verò priores partes memoratæ Harmoniæ, nempe ordinem Textuum, & rationes ejus ordinis, habemus in tribus Harmoniis poſtea editis, & præſertim in ea quæ poſtrema prodiit anno cIↄ Iↄc LV. Hoc verò potiſſimùm caremus, nempe pleno quatuor Euangeliſtarum Textu, oculis noſtris juxta temporum ordinem ſubjecto. Atque hunc curioſè & accuratè, à capite ad calcem, tranſcripſit propriâ manu, juxta ordinem ac ſeriem rerum: quo labore quatuor hi divini Hiſtorici in completam Hiſtoriam redacti ſunt, & legi ac intelligi faciliùs & jucundiùs poſſunt. Verùm id opus fruſtra obtulit prælo, propter libri molem, ut ipſe dicit in Epiſtola ei Libro præfixa. Hoc MS. opus eſt in privati cujuſpiam manu, & occaſione oblatâ in lucem emitti poterit.

Ad quinque partes Præfationis memoratæ quod attinet, duæ priores perfectæ & editæ jamdudum ab ipſo Auctore ſunt, annis 1644. & 1647. Circa verò duas ſequentes partes, terra Canaan Chorographicè deſcripta, & ſitus Hieroſolymæ & Templi aliquatenus delineatus eſt in Diſquiſitionibus præfixis variis ejus *Horis Hebraïcis*, & peculiari *Tractatu de Templo*. Atque hæc poſtrema operum ejus editio hæc omnia exhibet in tribus Tabulis, quarum una eſt Hieroſolymæ, altera Terræ Sanctæ juxta obſervationes Noſtri, tertia Templi ipſius quæ accuratè picta fuerat ab Auctore in pergamena, atque edita eſt ex illo Archetypo. Meminit hujus Tabulæ in Epiſtola præfixa *Synopſi Templi*, eamque uti ipſe magni faciebat, (quod rarum erat ejus de ſuis operibus judicium) ita propter eximium ejus uſum, eam unà cum Libro edidiſſet, ſi tum prodire potuiſſet. Audi quantopere eam ipſe commendet. Dicit eſſe *plenam, integram, atque accuratam deſcriptionem Templi, quâ pinguntur ejus ſitus, dimenſiones,* ἰχνογραφία, *architectura tam introrſum, quàm extrorſum, muri, januæ, atria, clauſtra, conclavia & ædificia quæ circa erant poſita, altare, lavacra, ſtationes, loca ad immolandas victimas & reliqua huc pertinentia. Tam plena eſt*, inquit, *ac copioſa deſcriptio omnium partium ſancti illius ſoli, ut ſi in lucem erumpere potuiſſet, non dubitaſſem lectoris judicio & cenſuræ eam exponere, ut judicium hac de re ejuſque uſu ferret, atque an aliquod hinc percipi beneficium poſſet, videret:* (rarò ita confidenter loquitur) *ſed ita felix hæc non fuit, ut optatam lucem videre poſſet.* At nunc tandem fauſto omine exiit.

Verùm quicquid tandem Orbis Literatus editione Tabulæ tamdiu ſuppreſſæ lucratus fuerit, Chorographica ejus deſcriptio Canaanis & vicinorum locorum prorſus periit, & jacturam quidem ejus cariùs feres, ſi audias quâ methodo & quanto labore adornata fuerit. Hoc accipe ab ipſius Auctoris calamo, in quadam Epiſtola. Animus ei erat *deſcribere terram Iſraelis, viâ hactenus certè novâ, non calcatâ ac intentatâ*, uti credebat, deſignans uſum Scriptorum Judæorum. Tria enim rerum genera obſervavit, quæ poterant ex Thalmude, aliiſque Judaïcis Scriptoribus, ſi cum judicio tractentur, educi ad illuſtrationem Chorographiæ terræ Canaan. I. *Innumeris locis, cùm occurrit mentio locorum terræ illius memoratorum in Scriptura,*

turâ, vel ea deſcribunt, vel tradunt eorum ſitum, ac diſtantiam à tali vel tali loco. II. *Præbent nobis plurima nomina civitatum, montium, & aliorum locorum ejus regionis: quæ nomina nec in Scriptura, nec in Joſepho, nec in Ethnicorum, nec in Chriſtianorum monumentis quæ agunt de Palaſtinæ urbibus, reperiuntur, ſed in Judaicis duntaxat iſtis Scriptoribus; ſed tamen probabile ſatis ac manifeſtum etiam eſt ex illis Libris, ejuſmodi nomina ac loca fuiſſe.* III. *Referunt plurimas raras ac obſervatione dignas Hiſtorias, quæ in iis locis contigerunt, quæ in eorum ſolis inveniuntur monumentis, & quæ mirum in modum & ſitum locorum, & Hiſtoriam Gentis ac regionis illuſtrant.* Jam autem ejuſmodi Scriptorum Hebræorum loca per plures annos collegit, dum legeret Auctores Thalmudicos. Et magnam quidem talium *raritatum*, ut eas ipſe vocat, copiam congeſſit ad opus ſuum Chorographicum, quæ ingens volumen mole æquabat. Itaque quod dixit de Libro *de Templo*, ſe tantos labores propterea exantlaſſe ad illud deſcribendum, ut majores non fuiſſent, ſi eò iter inſtituiſſet, id fortè æquè verum, aut etiam verius eſt de hac Collectione. Mala ſors, quâ factum eſt ut elaboratiſſimum hoc noſtri opus non videret lucem, licèt ad tantam perfectionem à Noſtro adductum fuiſſet, referenda eſt ad Doctoris Fulleri Libri inſcripti *Piſgah Sight* editionem, quâ tam eximio Libro tantum creatum eſt detrimentum. Nam cùm hic Liber de iiſdem ageret materiis, & noſtrum antevertiſſet, conſilium edendi ſui operis mutavit. Attamen viâ prorſus directâ procedebat à Doctoris Fulleri methodo, & potuiſſet opera Noſtri ſimul cum altera ſeſe oculis eruditorum offerre; ac, ſi liceat hac comparatione uti, junior ſoror majori natu formoſior viſa fuiſſet. Sed hoc opus prorſus intercidit, iis exceptis quæ ſunt conſervata in Chorographicis Tractatibus præfixis Horis Hebraicis.

Ad poſtremum Præfationis Caput quod ſpectat, nempe hiſtoricam deſcriptionem rerum Judaïcarum; id præſtitum eſt partim in Commentario in Acta Apoſtolorum edito anno 1645. & *Parergo*, *de Excidio Hieroſolymæ*, addito fini *Harmoniæ*, 1655. Verum iſta ſunt potiùs ſtricturæ quædam Hiſtoriæ Judaicæ, quàm plena atque integra ejus deſcriptio. Sed qualiacunque ſint, nos oportet lubenter ea ſuſcipere, & cùm reliqua deſint, iis contentos eſſe. Certè Judaica Hiſtoria ab initio Euangelii per ſequentia aliquot ſæcula deducta, æquè eximia ac utilis fuiſſet, ac rara & ignota. Ac tantopere difficilis erat, ut modeſtus Doctor eam potiùs aliis proponeret ſuſcipiendam, quàm ipſe auderet ſuſcipere. Reperimus enim in Epiſtola quadam Dedicatoria, eum hortatum eſſe ad id opus, *calamum, ſi quis eſſet, qui poſſet tantum opus ſuſcipere, ad continuationem Hiſtoriæ Judæorum, ab eo tempore quo Joſephus & Hegeſippus finem ſuis impoſuerunt, & Hieroſolyma everſa eſt, ad hac poſtrema tempora, ex Judæorum & proprii ipſorum Thalmudis Scriptoribus; ad illuſtrationem veritatis Prædictionum Scripturæ, quæ excidium eorum vaticinantur, & demonſtrationem divinæ juſtitiæ, quæ exinde propter necem Juſti illius, quem in crucem ſuſtulerant, eos ſemper inſequuta eſt.* *Com. Eſſex, Ann. 1645.*

§. II.

De ejus eruditione ac ſtudiis.

NAtura donaverat Noſtrum firmâ & validâ corporis conſtitutione, ut etiam provectâ ætate poſſet in Muſæo ſua perſequi ſtudia abſque ullo incommodo; & quamvis juvenilibus annis non peperciſſet oculis, attamen ſemper acutis uſus ſit, proptereaque Deo gratias agit in literis ad eruditiſſimum Buxtorfium datis ann. 1664. Pluribus exinde annis agnoſcit

eandem valetudinis firmitatem, in Epiſtola poſtremo ejus Libro præfixa, dicitque ſibi adhuc eſſe vivacitatem corporis, animi atque oculorum. Firmum hoc temperamentum aptiſſimum eum fecit ſtudiis, quæ acriter per totam vitam perſequutus eſt. Quantum legerit, colligi poteſt ex ejus Collectaneis MSS. in quibus cernere eſt breves Notas quibus compendia & ſummaria continentur variorum Librorum Capitumque continuâ ſerie ſcripta propriâ ejus manu. Tum Patres, tum Hiſtorici ibi cernuntur, ſed poſteriores præſertim; & ii quidem potiſſimùm qui poterant ei ſuppeditare ſubſidia ad intelligentiam rerum Eccleſiæ antiquiorum temporum. Hinc ſibi maximam copiam congeſſerat materiæ quâ uteretur in ſequentibus ſtudiis Rabbinicis. Abſtruſam illam & reconditam eruditionem à juventute maximè amavit. *Ad hæc ſtudia*, inquit ille, *ferventiſſimè feror, ex innato mihi neſcio quo genio, atque iſtis deliciis nihil mihi dulcius delicatiuſve.*

Epiſt. Dedicat. præfixa Har. in Joann.

Certè eruditiſſimus Vir videtur habuiſſe genium, qui naturâ afficeretur ejuſmodi ſtudio, quod eſt extra ordinariæ eruditionis ſphæram; quem juvabat calcare *nullius ante ſolo trita*, * quemadmodum ipſe loquitur, & qui malebat præcedere, quàm ſequi. *Nullum laborem detrectaturus erat, ut omnia ex ipſo fonte hauriret*, ut aliquando dicebat. Atque hoc apparet ex ipſo titulo quem præfixit quibuſdam Libris ſuis. Ejus obſervationes in Geneſim vocantur ab ipſo, *nova & rarò audita.* In ſuo *Spicilegio* pollicetur ſolutiones nodorum, rarò ab ullo antea propoſitas. In ſecunda parte *Harmoniæ* editæ ann. 1647. profitetur ſe daturum obſervationes in Textum & Hiſtoriam, *non vulgò obvias, raras, & nunquam allatas.* Atque illa Hiſtoriæ Judæorum, cujus antehac meminimus, propoſitio oſtendit altum atque extraordinarium eruditæ illius mentis volatum. Sed ejus Harmonia hoc præſertim manifeſtum fecit, ubi dicit ſe primum eſſe qui quippiam ſimile tentaverit Linguâ Anglicâ: quod ipſe vocat *non calcatum tramitem, & periculoſum cœptum.*

* *Epiſt. præfixa Harmon. Pars II. 1647.*

Sed ſequamur illum ad dilectos Rabbinos, vel potiùs dilecta exoſorum Scriptorum monumenta, quos ita deſcribit. *Acriores hoſtes, quàm iſtos, non habet Doctrina Evangelica; & tamen planiores Interpretes, quàm iſtos, non habet Textus Evangelii.* Ratio ob quam eorum lectioni tantopere addictus erat, hæc fuit, nempe quòd convictus eſſet peritiam eorum Linguæ & conſuetudinum, optimam eſſe viam & tutiſſimam ad intelligendum Novum Teſtamentum, ad quod calidis votis contendebat & aſpirabat. Et quamvis barbarus ac difficilis ſtylus, & immenſa nugarum quibus abundant copia poſſit deterrere, & meritò quidem deterreat ab eorum lectione; attamen *D. Lightfootius* omnes ſuperavit difficultates, omniaque faſtidia, ut nobilem illum, ad quem tendebat, finem aſſequeretur. Contemplemur ejus conatus nocte dieque continuatos, & præſertim mentionem faciamus eximiæ methodi quam ſibi, ut utiliùs & fructuoſiùs ea coleret ſtudia, præſcripſit. Notabat primùm quicquid aliquâ ratione illuſtrare poterat phraſin & Hiſtoriam Novi Teſtamenti. II. Quicquid faciebat ad clariorem cognitionem locorum terræ Canaan. III. Quicquid referebatur ad Hiſtoriam, præſertim Judæorum. Utque meliùs noris quo ordine uteretur ad ejuſmodi collectanea facienda, utebatur magno libro *in folio*, in quem ea referebat. Si legeret *Thalmudicos*, vel alios libros Judaicos, referebat quod notare volebat ad titulum aliquem, quales hi ſunt: *Quædam de terra Iſraëlitica ſparſim collecta.* Et, ארץ ישראל, *quænam?* Et, ארץ ישראל, *quæ propria eſſent terræ Iſraël?* Atque ibi extat etiam Alphabetum ab eo inventum hâc ratione: A, א, ע. B, ב. C, כ. K, ק.

K, ק. ח, κ, χ. D, ד. E, א, ע, ε, η, *Græcè.* G, ג. γ. H, ה, ח. I, י, א, ע. L, ל, λ, &c. Ad quod juxta initiales vocum literas ſolebat referre omnia loca Terræ Sanctæ, quorum mentio fit in Thalmude, & quædam pertinentia ad eorum ſitum & hiſtoriam, annotatis paginis Tractatûs in quo inveniebantur. Denique eſt alius titulus: *Loca in Babylonia*, ſub quo collegit nomina & hiſtorias oppidorum, vel urbium in ea regione ſitarum.

Curioſiſſimus erat in inveſtigandis regionibus & locis quorum mentio fit in Scriptura, & præſertim quæ ad Judaicam Gentem aliquâ ratione pertinebant. Hoc ſatis apparet ex laborioſis ejus Diſquiſitionibus præmiſſis Hebraicis & Thalmudicis Exercitationibus. Atque in quibuſdam Adverſariis accuratiſſimè deſcripſit iter Iſraelis ex Ægypto egreſſi, ſub hac inſcriptione: *Motions and ſtations of Iſrael in their march out of Egypt.* Dolendum eſt hoc opus ab eo perfectum non fuiſſe.

Utrumque Thalmud ſæpius evolvit, & attento animo legit, ut appareat ex variis ejus chartis, in quibus multæ ſunt notæ de argumento eorum Librorum variis temporibus ſcriptæ, & aliquando etiam breves ipſius obſervationes in iſta. Videtur in animo habuiſſe edere aliquam deſcriptionem Hieroſolymitani Thalmudis, & præcipuarum materiarum, quas ordine juxta Tractatus in ſummaria redegit. Supereſt ejus Scriptum Latinè ab eo nitidè ſcriptum, hoc titulo: *Index aliqualis Thalmudis Hieroſolymitani.* Sed imperfectus eſt, & pertingit tantum ad ſeptimum Tractatum primæ Claſſis.

Æquè ſtudioſus erat Sacræ Chronologiæ Veteris & Novi Teſtamenti, ac Choregraphiæ Terræ Sanctæ, quippe qui illam ſummè neceſſariam ad intelligentiam Scripturarum exiſtimabat. Cùm aliquando quæreretur in Conſeſſu Theologorum *Weſtmonaſterium* convocatorum, in qua eruditionis parte Candidati Sacrorum Ordinum deberent examinari, & quidam cenſerent non eſſe examinandos in Chronologia Scripturæ, Doctor Lightfootius ejus neceſſitatem urgebat ad percipiendum ſenſum Sacrorum Voluminum; addens eum *non legere Scripturam, qui imperitus erat Chronologiæ.* Atque in ea contentione ſuperior fuit. Ejus peritia in hoc eruditionis genere colligi ſatis poteſt ex variis operibus editis, & rudibus ſpeciminibus quæ ſuperſunt in ejus MSS.

Diu & attentè expendit Tranſlationem Septuaginta Interpretum, & contulit unumquemque ejus verſum cum Originali Hebraïco Codice, ut liquet ex ejus MS. cui hic eſt titulus: *Diſcrepantiæ* τῶν LXX. *à Textu Hebraïco*, cum brevibus hinc inde Notis. Σφάλματα τῶν LXX. omnia enumerat per totam Tranſlationem, & plurima ea facit hac methodo: *Inaniter addita. Periculosè decurtata. Senſum clarum obfuſcantia. Vitiantia pulchrum. Reddita in ſenſum alienum. Traditiones Judaïcas redolentia. Hebraïca retenta. Reddita pro fama Gentis. Pro fama Textûs. Paraphraſes. Propria nomina facta appellativa. Numeri malè calculati. Locorum nomina recentiora. Vocales malè lectæ. Literæ malè lectæ. Senſus fœdatus. Variatio nominum. Verſus malè conjuncti*, &c. Ad hæc Capita ab eo referuntur omnia illa loca Scripturæ in quibus Interpretes hallucinatos putat, quæ innumera ſunt. Hinc liquet eum huic Tranſlationi non multùm faviſſe. Dolendum eſt ſat diu non vixiſſe, ut digereret in juſtum volumen accuratas haſce obſervationes circa LXX. Interpretes. Atque hoc quidem jam Latinè fecerat in tribus aut quatuor Capitibus, quæ nitidè propriâ manu deſcripſerat, hoc præfixo titulo: *Diſquiſitio modeſta de LXX. & de Verſione Græca*; quam in rem etiam conſuluerat doctiſſimum Buxtorfium.

Verſa-

Digitized by Google

Verſatiſſimus etiam erat in Joſephi Scriptis. Videtur communicaſſe Joſephum ſuum, cui Notas quaſpiam manu ſuâ adſcripſerat, viro erudito *Sam. Petito* Nemauſenſi, qui diu laboravit in adornanda utiliſſimi illius Auctoris editione. Anno enim 1666. in Epiſtola data 12. Jun. à *D. Worthingtono* ad ipſum, ubi loquitur de *Petito*, hæc habet verba: *Non dubito quin cùm ad te redierit Joſephus tuus, inventurus ſis quaſdam tuas obſervationes in eo notatas.* Alius Gallus, circa eundem annum 1666. *D. Le Moine*, Miniſter Eccleſiæ Proteſtantis Rothomagenſis, inter totius Galliæ eruditiſſimos numerari ſolitus, eidem operi incumbebat, cui priùs incubuerat *Petitus.* Is ut cœptum ſuum promoveret, ſcripſit ad eruditum ac pium Doctorem *Worthingtonum*, ut ſibi impertiretur ſi quod haberet ſubſidium ad hanc juvandam editionem. Hic autem adiit veterem amicum Doctorem *Lightfootium*, (qui, ut ipſe dicit, *verſatiſſimus erat in Joſepho*) rogavitque eum, ut ſibi largiretur conjecturas & breves obſervationes ſuas in loca difficilia hujus Auctoris, quod noverat erudito illi viro fore acceptiſſimum. Quis eventus fuerit hujus petitionis non conſtat; hoc tantùm novimus, Doctorem noſtrum nunquam negaſſe communicationem earum rerum quas noverat, qui adeò liberaliter adjuvit *Biblia Polyglotta*, *Lexicon Heptaglotton*, & *Synopſin Criticorum*, ut mox videbimus. Scimus *D. Le Moine* multùm uſum fuiſſe iis quæ jam à Noſtro edita fuerant, & præſertim Centuriâ Chorographicâ præfixâ Matthæo, in qua ex occaſione de variis Joſephi locis loquitur. Atque hoc diſertè ſcripſit ad *D. Worthingtonum*, loquens de Notis ſuis & Exercitationibus in Joſephum: *In iis*, inquit, *ſæpiſſimè utor Lightfootii Thalmudicè doctiſſimi*, &c.

Quid Doctor *Worthingtonus* in hanc rem contulerit, præter auctoritatem ſuam quâ apud eruditos amicos uſus eſt, liceat hîc mihi referre, licèt ab inſtituto alienius. In Bibliotheca *Sancti Jacobi* erat Joſephus Græcè, editus Baſileæ, qui videtur aliquando fuiſſe eruditiſſimi *Iſaaci Caſauboni*, nam margini variæ lectiones, quas ex pluribus MSS. collegerat, plurimæque ejus conjecturæ, erant ipſius manu adſcriptæ. Erant etiam aliæ Notæ Patricii Junii, ut plurimùm Græcè ſcriptæ. *D. Worthingtonus* iſta omnia exſcripſit, numeravitque paginas & lineas; quæ ſcriptio implevit tria integra folia, nec ſine magno labore fieri potuit, eamque miſit ad *D. Le Moine.* Sed ad Noſtrum redeamus.

§. III.

Quædam de Lightfootii eruditione Theologica.

NOn leve ſpecimen edidit eruditionis ſuæ Theologicæ, ut & peritiæ Linguarum Orientalium aliarumque diſciplinarum, cùm Doctoris gradum adeptus eſt ann. 1652. Theſis de qua diſputavit hæc erat: *Poſt Canonem Scripturæ conſignatum non ſunt novæ Revelationes expectandæ.* Hanc propugnavit adverſus Enthuſiaſtas, quibus ſe omni ratione oppoſuit, quippe qui ægerrimè ferret eam Sectam moliri everſionem Sacræ Scripturæ, quæ maxima ejus cura & voluptas ſemper fuit. Quæſtionem hanc ita tractavit, ut primùm ageret de conſignatione Canonis Sacrarum Scripturarum. Secundò, de non expectandis poſtea Revelationibus: atque hoc poſterius quæſtionis membrum in tria diviſit capita, nempe jam non eſſe expectandas Revelationes, I. ad revelandas fidei doctrinas; nec II. ad aperiendum ſenſum Scripturæ, vel explanandas doctrinas fidei; nec III. ad dirigendam vitam ac mores. Inter alia argumenta quibus Theſim ſuam probavit, hiſtorica duo attulit, quorum alterum fuit, *Ipſis illis temporibus*

Digitized by Google

bus quibus Revelationes, inſpirationes ac Prophetiæ abundabant, homines ad Verbum ſcriptum mittebantur: imò, quod digniſſimum eſt conſideratu, à prima fundatione Eccleſiæ Iſraelis uſque ad ejus finem, quamvis ferè ſemper ad manum fuerint Prophetæ ac viri inſpirati, attamen Deum nunquam conſtituiſſe hos quaſi conſtantes ac perpetuos Miniſtros à quibus populus Legem edoceretur, ſed Sacerdotes tantum qui ejus erant periti, & Scripturæ ſtudioſi. Quàm recedunt, inquiebat, *ab hac divina ejus citra publicum Miniſterium inſtitutione Enthuſiaſtæ noſtri, qui neminem eruditum ac ſtudioſum, Miniſtrum eſſe patiuntur, ſed eum tantùm qui Spiritu afflatur, & per Spiritum concionari poteſt?* Alterum verò, *Apoſtolum Paulum poſt primam ætatem Evangelii, quâ Revelationes erant ſæpe valdè neceſſariæ, noluiſſe ampliùs uti impoſitione manuum, quæ conferebat dona miraculoſa Spiritûs Sancti, quia probè noverat Deum hujuſmodi Miniſterio ampliùs non uſurum: ideoque conſtituit Timotheum Epheſi, & Titum in Creta, alioſque viros eximios aliis in locis, qui, quamvis non poſſent conferre Spiritum, attamen ordinarunt Miniſtros, non afflatu Spiritûs, ſed ſtudio eruditionem conſequutos.* Sequente die eruditè hanc ſolvit quæſtionem: *An mors Chriſti fuerit in redemptionem univerſalem?* Thema in quod concionatus eſt petitum fuit ex I *Corinth.* 16: 22. Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἤτω ἀνάθεμα, Μαρὰν ἀθά. Summa ejus Concionis poſtea edita eſt in Horis Hebraicis ad primam Epiſtolam ad Corinthios.

Et quandoquidem eruditionem ejus Theologicam conſideramus, priùs oſtenſa ejus in aliis diſciplinis peritiâ, audiamus eum ratiocinantem, & ſummam doctrinam oſtendentem inter Theologos in *Weſtmonaſterienſi* Templo congregatos. Haud rarò ſeſe eorum ſententiis oppoſuit, imò etiam aliquando eos ad diſputationem provocavit: interdum vi & perſpicuitate ratiocinii, ac evidentiâ Scripturæ (videtur enim dignus eſſe eo elogio quod Apollini tributum fuit, *Vir potens in Scripturis*) totius Conſeſſûs animum mutavit: aliquoties, quâ erat probitate ac fortitudine, à toto Conſeſſu diſſentire auſus eſt, & in negativam totus abire ſententiam. Quædam ejus ſuffragia in eo cœtu habentur in Vitæ ejus deſcriptione, ſed multò plura ſunt ejus judicia, quæ (in ejus laudem) digna ſunt quæ referantur.

Sentiebat admiſſionem ad Sacramenta generalem eſſe debere: quod hiſce argumentis probare aggreſſus eſt. I. Licèt Lex vetaret impurum venire ad ſacra, attamen nemini concedebat poteſtatem eos repellendi qui veniebant, nec ullum ejus rei exemplum reperitur. II. *Matth.* 7. *Sanctum canibus ne detis*, dicitur propter Apoſtolorum incolumitatem. Nam Judæi ipſi qui utebantur hoc proverbio, per *canes* & *ſues* intelligebant acerrimos hoſtes ac perſecutores veritatis. Itaque Servator ibi monet Diſcipulos ſuos, ne concionentur perſecutoribus & adverſariis, ne ab iis trucidentur. III. Circumciſio indifferenter omnibus poſteris Abrahami adminiſtrabatur. Ergo IV. Judas accepit Sacramentum: ergo. Et cùm D. G. afferret exemplum Uzziæ, qui è Templo ejectus fuit; Doctor noſter reſpondit eum repulſum fuiſſe *ab officio & loco*; addiditque, ſi concedatur Sacerdotem *repuliſſe & repellere potuiſſe immundum*, *caſum non eſſe eundem.* Nam ea impuritas externa erat, & facilè dignoſcebatur utrùm purificatus eſſet, necne; ſed Miniſter jam de hominis conſcientia judicare nequit. Quamvis heri ſcandaloſus quiſpiam fuerit, jam hodie verâ pœnitentiâ duci poteſt, quantùm judicare poſſumus. Doctor B. inſtitit, licèt Chriſtus eſſet καρδιογνώστης, Judæ tamen flagitium non fuiſſe notum inter Diſcipulos. Doctor noſter repoſuit, Chriſtum antea eum tanquam proditorem notaſſe. Doctor H. regeſſit, Judam *acceptâ buccellâ exiiſſe.* Reſpondit Noſter, hoc non contigiſſe in Paſchate aut Sacramento,

* * * * * *

ſed

ſed antea. Hæc diſputatio ei odium creavit, nam totius cœtûs ſententiæ ſeſe opponebat, & publicè ei permiſſum eſt & D. P. diſputare de loco illo ubi de Juda agitur; quod multis verbis fecerunt. Sequente die Doctor H. ſeſe obtulit diſputaturus de eadem materia adverſus Noſtrum; ſed Conſeſſus permittere noluit. Rurſus *Matth.* 7. laudarunt, cui citationi ſe Lightfootius oppoſuit, dixitque ſuppoſito eorum verborum eſſe eum ſenſum quem volebant, *Ne detis Sacramentum canibus, ne vos lacerent*, conſiderarent ipſi quàm benè conveniret. Præterea *canes* in Scriptura conſtanter ſignificare *hoſtes*; & ubi *canis* ſumitur ſemel pro *homine profano* in genere, ſæpius ſumi vel pro iis qui extra Eccleſiam ſunt, vel pro acerrimis adverſariis veritatis. D. S. ita propugnabat eum ſenſum: Sacramenta nempe non debere adminiſtrari, ubi futurum erat ut profanarentur. Atqui cùm profanus accedebat, &c. Noſter negavit *Majorem*. Alter eam probaturus interpretatus eſt *calcare pedibus*, *negligere*, *contemnere*; accepitque hoc reſponſum, vocem illam nec in Hebraico Veteris Teſtamenti, nec in Græco Novi Textu eo ſenſu ſumi, atque *καταπατεῖν* non ſignificare *prophanare*, ſed multò majorem malitiam quam ſimplicem neglectum.

Uſi ſunt etiam hoc loco, ad defendendam ſuſpenſionem à Sacramentis, 2 *Theſſ.* 3: 6. *Subtrahatis vos ab omni fratre inordinatè ambulante.* Tùm Doctor noſter dixit, ſe cupere audire, quomodo ex hoc loco educi poſſet propoſitio quam defendebant. Quærebatur enim de ſuſpenſione *alterius* à Sacramento; hoc autem in loco agi de obrumpenda noſtrummet familiari converſatione cum alio. Reſpondit Doctor B. licèt termini varii eſſent in propoſitione, & loco Pauli, ſenſum eundem eſſe. Contra quam reſponſionem Noſter ita argumentatus eſt, *Matth.* 1: 19. *ἀπολῦσαι αὐτὴν*, *eam dimittere*, *Eraſmum*, & *Bruciolum Italum* vertiſſe, *ab ea diſcedere*. Hoc, uti putabat, non parum mutat ſenſum, nec ullum divortium ex parte Joſephi inducit, niſi *paſſivum*. D. P. iterum regeſſit, Apoſtolum tam ſeverè præcipientem, ex *paſſivo activum* facere. Repoſuit Noſter, דברה תורה בלשן בני ארם, *Lex loquitur humano more*, ut auditor vel lector rectè poſſit mentem ejus percipere. Jam ſi Apoſtolus, inquiebat, *activum* quid hîc præcipuè innuere voluiſſet, loquutus fuiſſet *activè*. Attamen re ad ſuffragia remiſſâ, affirmativa concluſio facta eſt, nemine contradicente, niſi Doctore Lightfootio.

Jam video mihi veniam à lectore petendam pro longiori unius diſceptationis narratione. Sed utilitas ac voluptas quæ ex obſervationibus iſtis deduci poſſunt, ſi quid eſt tædioſi facilè penſabunt. Hinc colligi poteſt quænam methodus in eo Conſeſſu obſervabatur, (quod fortaſſe non diſplicebit ingenioſis ac curioſis quibuſdam viris.) Hinc apparent fortitudo, integritas, promptitudo, eruditio, & intima cognitio Sacræ Scripturæ, quæ fuere in eximio viro, de quo jam nobis ſermo eſt.

Audiamus etiam ejus cogitata ac ſermones de altero Sacramento, Baptiſmo nempe, ut modò eum de Cœna Dominica ratiocinantem audivimus. Doctor noſter probabat privatum Baptiſmum quibuſdam in caſibus. Hoc impugnabatur à quibuſdam, qui publicè tantùm Baptiſmum celebrari volebant. Hiſce rationibus ſuam ſententiam aſtruit Doctor noſter. I. Illud 1 *Corinth.* 1. *Baptizavi domum Stephanæ*, referendum eſſe ad tempus *Eccleſiæ conſtitutæ*, & phraſin oſtendere factum id non fuiſſe in Synagoga. II. Cùm quidam aſſererent Circumciſionem publicam fuiſſe, probavit eam plerumque privatam fuiſſe. 1. Alioquin in magnis urbibus unamquamque diem futuram fuiſſe inſtar Sabbathi; nam unaquaque die infans aliquis ad octavum diem pervenerat. 2. Moſis uxorem, &

Judam

Digitized by Google

Judam Chezibæ circumcidiſſe pueros procul ab omni Synagoga. III. Totam Judæorum Gentem baptizatam fuiſſe, cùm exiit ex Ægypto; quod fieri non potuit in Congregatione. IV. Judæorum Pandectas nos docere Proſelytum debuiſſe baptizari domi, ut ſervum à ſuo hero; ſed ſi aut ſervus aut herus recuſaret, adducendum fuiſſe ad Congregationem.

Tum fuit erudita diſceptatio inter Noſtrum & alium Hebraïcæ Linguæ peritiſſimum, circa vocem טבילה. Is longâ oratione contendebat, eam vocem ſignificare integram *immerſionem ſupra caput & aures.* Lightfootius fusè contrà probavit, non ampliùs ea voce ſignificari quàm adſperſionem. Denique omnes provocavit, ut vel unum locum producerent ex toto Veteri Teſtamento, ubi *baptizare*, cùm uſurpatur *de ſacris*, & in *actu tranſeunte*, non ſignificet adſperſionem. Atque adeò certus erat ſe verum dicere, ut declararet ſe credere immerſionem eſſe illicitam & meram Ἐθελοθρησκείαν.

Circa obſervationem Sabbathi, prima propoſitio erat, *Sabbathi recordandum eſſe, priuſquàm adeſſet.* Doctor noſter oppugnavit hanc phraſim, *priuſquàm adeſſet*, quippe quæ Gloſſam hactenus inauditam quarto Præcepto adderet. Sed fruſtra; *terminos* retineri alii voluerunt. Meliùs ei ceſſit oppugnatio tertiæ propoſitionis, *Non eſſe convivandum die Sabbathi*, cùm exempla attuliſſet Chriſti convivantis, *Luc.* 14. & ſi non convivantis, ſaltem prandentis cum omnibus Diſcipulis in Petri ædibus, *Matth.* 8. Unde factum eſt ut ita conciperetur propoſitio, *Cibos die Sabbathi ita parandos eſſe, ut ſervi & alii ſine neceſſitate à publico cultu non averterentur.*

Cùm Conſeſſus ageret de Matrimonio, quæreretque utrùm ſtatuendum eſſet eum eſſe partem cultûs divini, an verò in claſſem rerum merè civilium redigi deberet; D. G. citavit *Eccleſ.* 8: 2. *Sum auctor tibi ut obſerves Regis juſſa, idque reſpectu juramenti Dei*, ad oſtendendum, obſequium quod Magiſtratibus exhibetur rem eſſe merè civilem, ita tamen, ut accipiat obligationem ab obedientia quæ Deo debetur. Lightfootius rejecit iſtam hujus loci Gloſſam, adjecitque juramentum ibi non eſſe juramentum à ſubditis Davidi præſtitum, ſed juramentum Dei factum domui Davidis.

Cùm Conſeſſus ſenſum Articuli, *Deſcendit in Infernum*, interpretaretur, *Remanſit ſub poteſtate mortis*; eum ſenſum impugnavit ut nimis dilutum, nec totam ſignificationem Græcæ phraſis exprimentem. Dixit enim primò, non eſſe ſat magnum diſcrimen inter haſce phraſes, *Mortuus fuit donec reſurgeret*, & *Remanſit ſub poteſtate mortis donec reſurgeret*, ut inde duo Articuli Symboli conflari poſſent. II. Græcam phraſin eſſe in uſu inter Ethnicos, & ab iis eſſe ortam, adeoque ex illis optimè poſſe intelligi. III. Ἅδης inter eos propriè & conſtanter pertinere ad animas à corporibus divulſas. Citavit hanc in rem *Homerum*, *Diphilum*, & alios Ethnicos, quibus id manifeſtum fit. IV. Κατελθεῖν inferre *motum localem*, magnamque differentiam eſſe inter *deſcendere*, & *remanere in.* V. Sine dubio hunc Articulum aliqua ex occaſione illatum eſſe in Symbolum, quandoquidem ei inſertus fuit multis annis poſtquàm ſine eo confectum fuit. Jam autem detentio, vel remanſio Chriſti ſub morte ejuſmodi non eſt, ut tam obſcurum parere poſſet Articulum, cùm clarâ & notâ phraſi exprimi poſſet. Sed videtur nata occaſio ex Hæreſi *Apollinarii*, qui negabat Chriſto fuiſſe veram animam humanam. Hoc multis verbis propugnavit, & obtinuit ut hæc adderetur clauſula propoſitioni, *in ſtatu mortis*, inſtar explicationis; ſed efficere non potuit ut ullâ ratione exprimeretur anima

Chriſti. De hoc Articulo juſtam ac eruditam Diſſertationem habemus in ſecundo ejus operum Volumine.

Hanc propoſitionem, *Chriſti tota obedientia nobis imputatur*, Congregatio probabat tum ex aliis locis, tum ex *Rom.* 5: 9, 17, 18, 19. Adverſus quam propoſitionem *D. Ga.* cœpit excipere, δικαίωμα non ſignificare hìc *juſtitiam*, ſed *juſtam ſatisfactionem*; idque quia ὑπακοὴ, *obedientia* Chriſti, reſtringitur ad ſolam obedientiam mortis. Lightfootius reſpondit I. Δικαίωμα viginti in locis reſpondere voci *Hebraicæ* חקים, *ſtatuta*; voci verò פקדים, *præcepta*, quinquies in *Pſalm.* 119. quæ voces manifeſtè actionem ſignificant. II. Ethnicos Scriptores raro eam uſurpare notione *præmii*, ſi etiam aliquando eo ſenſu occurrat. Hanc in rem citavit *Ariſtotelem* & *Dionem*. III. Vocem ὑπακοὴ non occurrere ad ſignificandas Chriſti perpeſſiones, ſed vocem ταπείνωσις, *Iſaj.* 53. *Actor.* 8.

Inter agendum de decimo tertio *Religionis Articulo*, *Opera facta ante juſtificationem non placere Deo*; inter loca quæ afferebantur ad probandam hanc propoſitionem, erat *Tit.* 1: 15, 16. *Mundis omnia munda, ſed immundis ac incredulis nihil eſt mundum*, &c. Hunc locum nihil huc facere probare aggreſſus eſt, propter haſce rationes. I. Quia locus videtur reſpicere cibos. II. Agit de incredulis Judæis, cùm hic Articulus videatur loqui de iis qui ſub Chriſtianiſmo vivunt. III. Paulus verba facit de impuriſſimis nebulonibus; Articulus agit de iis quorum inculpati ſunt mores. Attamen ſuffragiorum numero comprobatus eſt.

Inter leges Concionatoribus impoſitas, una erat, quâ definiebantur doctrinæ quæ ex Textu hauriendæ erant: *Doctrina quæ deducitur ex Textu debet eſſe ejuſmodi veritas, quam præcipuè docere intendat Scriptor Sacer.* Huic regulæ contradixit Noſter, triaque allegavit loca ex uno Capite *Matth.* 2. *Ex Ægypto vocavi Filium meum.* Et, *Audita eſt vox in Rama.* Et, *Nazaræus vocabitur*, quæ Euangeliſta citat præter præcipuum Scripturæ ſcopum. Ideoque ſic legem illam immutarunt: *Ea veritas quam docere præcipuè intendat Scriptor Sacer, vel quæ ædificationi maximè idonea ſit.* D. P. vehementer invectus eſt adverſus uſum Linguarum ignotarum in Concionibus. Inter contradicentes fuit Doctor Lightfootius, qui contendit ſonum ipſum variarum ſententiarum Hebraïcarum divinæ eſſe obſervationis, ut *Geneſ.* 11. atque impoſſibile eſſe vim Textûs, & plenum Spiritûs Sancti ſenſum exprimere, niſi ipſa originalia verba citentur. Addidit prætereà, id malè foris acceptum iri, ſi quid decernerent adverſus Linguas; & exemplum attulit ex Apocalypſi, *qui Hebraïcè vocatur Abaddon.* Jam, inquit, ſi Concionem habeam in hæc verba, quomodo ea explicare potero, niſi notem uſum vocis אבד, *Numer.* 24: 24? Et cùm poſtea ad ſuffragia deventum eſt, damnatus eſt tantum *non neceſſarius, atque inutilis Linguarum uſus.*

Cùm quæreretur utrùm Miniſtri legerent preces & Capita Scripturæ ante Concionem; quidam propoſuerunt debere id fieri à Miniſterii Candidatis in Miniſtrorum ſublevationem. Aſſenſus eſt Auctor noſter, & oſtendit in N. Teſtamento nos invenire Concionatorem eumdem non fuiſſe cum Lectore, ut *Luc.* 4. ubi poſt Legem lectam concionatus dicitur Chriſtus. Ita & *Actor.* 13. *Karraim* videntur inter Judæos fuiſſe Lectores Legis, Phariſæi verò Interpretes, à פרש, *exponere, interpretari.*

Hiſce verbis ſecundi Articuli Religionis, *qui verè paſſus eſt*, addiderunt illuſtrationis causâ, *qui propter nos tulit graviſſimos cruciatus in anima ſua immediatè à Deo.* Poſt multam contentionem, decretum fuerat hæc verba addenda eſſe, & ad ea confirmanda allata ſunt loca *Iſaj.* 53: 10, 11. *Matth.*

Digitized by Google

Matth. 14: 33, 34. Verùm hæc loca Doctori noſtro non ſatisfecerunt, nec ipſa placuit additio. Timebat enim ne obſcuraretur Articulus, nedum clarior fieret; ac ut iſtæ probationes ſatisfacerent probæ conſcientiæ, aut convincerent captioſos homines, aut eorum cavillationes evaderent. Certè opinionem hanc nunquam digerere potuit: *Chariſſimum Dei Filium graviſſimæ ejus iræ objectum fuiſſe*, *&* (ut alibi loquitur) *Dominum cœli & terræ paſſum eſſe cruciatus Inferni! Id non dicatur in Gath, non prædicetur in plateis Aſcalon. Ne id audiant Judæi, nec Turcæ reſciſcant, ne Dominum vitæ magis blaſphement quàm antea.* Ad probandam hanc ſententiam, *ad reconciliandum Patrem ſuum nobis*, afferebant *Ezech.* 16: 63. quem locum Lightfootius oſtendere aggreſſus eſt ad rem nihil facere.

Alio tempore cum agerent de Diſciplina, & valde torquerentur loco *Epheſ.* 4: 11. *Paſtores & Doctores*, diſputarentque quinam hi eſſent, iidemne an diverſi, ordinarii an extraordinarii; Noſter hunc in ſenſum loquutus eſt: ſe parum torqueri tum loco, tum quæſtione ipſâ. Hinc enim exiſtimare ſe hìc duo diſtincta officia nominari, ſed id fuiſſe *pro hic, & nunc, & ad tempus.* Nam hiſce verbis μέχρι καταντήσωμεν, &c. *donec omnes perveniamus*, &c. verſ. 13. credere ſe ſignificari Gentilium ad Eccleſiam aggregationem; atque hoc ipſum eſſe ἑνότητα τῆς πίστεως & μέτρον ἡλικίας, *unitatem fidei*, & *menſuram ſtaturæ* de qua eſt ibi ſermo. Inde verò, credere eos Miniſtros fuiſſe quos Deus conſtituit ad nuntiandum Euangelium Gentilibus, ut unirentur cum Judæis ἐν ἑνότητι τῆς πίστεως, adeoque ejuſmodi Miniſtros in perpetuum non eſſe conſtitutos. *Paſtoris* quidem debuit perpetuum eſſe munus, ſed potiùs ex neceſſitate rei quàm hujus loci. At *Doctoris* non eſt tantæ neceſſitatis. Tunc certè erant, ut habetur *Actor.* 13. *Prophetæ &* Διδάσκαλοι, *Doctores*, ſed κατὰ τὴν οὖσαν Ἐκκλησίαν, *juxta ſtatum Eccleſiæ*, qui illo tempore obtinebat, ſed alius nunc obtinet.

Duo tantùm loca addam, quibus conſtabit eum non minùs accuratum fuiſſe ac eruditum. Cùm *Directorium Precum* legeretur, & deventum eſſet ad hæc verba: *Liberando nos ab Antichriſti tenebris*, dixit hanc locutionem eſſe dilutiorem, nam in Antichriſti voce contineri oppugnationem pietatis, *tenebras* verò ſignificare tantùm ejus privationem. Ideoque ſic emendata ſunt, *ab Antichriſti tenebris & tyrannide.* Rurſus cùm ſcriptum fuiſſet: *Hæc petimus per merita ſummi noſtri Sacerdotis*, obſervavit hic non conſtare alluſionem. Judæi enim orabant Deum per *mediationem* ſummi Sacerdotis, ſed nunquam per ejus *merita.* Ideoque hæc vox deleta eſt, & ſubſtituta vox *mediatio.*

Hiſce omnibus ſimul conjunctis non modò animadvertere poſſumus cognitionem ejus in Theologicis, magnes dotes ac ingenii promptitudinem, felicem peritiam in interpretatione Scripturarum, & magnos progreſſus in Orientalibus Linguis, ſed judicium etiam ejus circa Articulos *Presbyterianorum*, & quàm frequenter ac liberè ſeſe iis illorum ſententiis, quas acerrimè tuentur & mordicùs retinent, oppoſuerit.

Tùm adhuc juvenis erat, non multùm quadraginta annos ſuperans: ſed ex his omnibus liquet eum multùm legiſſe, & maturè digeſſiſſe quæ legerat, præſertim Judaïcam eruditionem. At multò antea fœtus ingenii ſui ediderat, nempe ſua *Erubhin* vel *Miſcellanea*, anno ætatis vigeſimo ſeptimo. Frequentibus citationibus quæ in eo Libro occurrunt, apparet tùm eum ad prodigium uſque legiſſe. Neque enim utitur Rabbinicis & Cabbaliſticis duntaxat Scriptoribus, & Latinis Patribus, ſed in Græcis etiam verſatiſſimus fuiſſe videtur, ut in *Clemente Alexandrino*, *Epiphanio*, *Chryſoſtomo*, &c. in veteribus Græcis, Philoſophis, Hiſtoricis &

Poëtis, *Plutarcho*, *Platone*, *Homero*, &c. in Libris Hiſtoriarum Eccleſiaſticarum & Profanarum noſtræ Gentis; denique eruditum etiam fuiſſe in hodiernis Linguis, ut in veteribus, apparet ex citatione Tranſlationis Hiſpanicæ Bibliorum, Librique Hiſpanici. Quanti autem Liber ille ſit pretii, poſſumus conjicere ex cenſura eruditiſſimi & ſapientiſſimi viri, nempe eximii illius, cui Librum dicavit, Patroni *Rowlandi Cottoni* Equitis. Hic in Epiſtola ad juvenem Auctorem noſtrum poſt acceptum Librum, dicit *ſe eum legiſſe, & multa rara in eo eſſe; nihil adeò vulgare, ut timere deberet ne malè exciperetur, niſi incideret in manus invidi, vel ſtupidi ac ſtipitis: ſeque multùm gaudere quod tantopere profeciſſet.*

§. IV.

Obſervationes quædam circa Horas Hebraïcas & Thalmudicas.

NOn eſt animus ſigillatim narrare quomodo varia ejus prodierint opera, de quibus jam aliquid dictum eſt. Epiſtolæ quas iis præfixit hoc ſatis docebunt. Aliquid tantùm obſervabo de ultimis ejus laboribus, quibus aliis omnibus Coronidem impoſuit, nempe *Horis Hebraïcis*, quas oſtendam tum domi, tum foris plauſibus Eruditi Orbis fuiſſe exceptas. Cùm Auctor noſter miſiſſet *Horas* ſuas in *Marcum* ad *Doctorem Caſtellum*, virum illum Linguarum adeò peritum, dixit *Caſtellus*, ſe *ab ipſo ineffabili devinctum beneficio; id eruditum eſſe & diu expectatum opus; eumque ditaſſe ipſius exiguam Bibliothecam, additione tam eximiâ & jucundâ*, &c. Et acceptis *Horis* in Joannem, *Accepi*, inquit, *præteritâ hebdomade, tuo juſſu, donum auro quovis, gemmiſque contra non charum; quod omnes Orientis divitiæ æquare non valeant; tale* מכתם, *ut dignum ſit quod recenſeatur inter ea monumenta, quæ proxima ſunt infallibilibus ſcriptis. Ac certè rara tua inventa in cæleſtibus veritatibus, videntur mihi omnia ſupra omnem dubitationem aut hæſitationem poſita.* Ac rurſus: *Critica tua obſervatio de Bethabara & Bethania*, inquit, *adeò conveniens, apta, genuina & ingenioſa eſt, ut ſtatim atque eam legi, mihimet ipſe dixerim, Securus jurarem in verba Magiſtri. Et ſimiles ſunt omnes felicis tuæ Minervæ partus.* Cùm alia edidiſſet *D. Bernardus, Oxonienſis Collegii Sancti Joannis Socius digniſſimus*, vir etiam eruditionis ac pietatis notæ, ſic ad eum ſcripſit. *Gratias ago maximas propter felices illas Horas, quibus Euangeliſta qui copioſiſſimè ſcripſit ita explicatur, ut excellentiſſima illa pars Scripturæ jam prorſus explanata ſit aptiſſimâ & intentatâ hactenus methodo. Deus præmium propterea tibi largiatur tum hîc tum in meliori vita, ut & propter reliquos labores tuos, quos poſteritas admirabitur & laudabit, cum eos omnes ſimul videbit.* Doctor *Worthingtonus*, vir etiam magni judicii, eruditionis ac probitatis, hiſce verbis alloquitur Auctorem noſtrum in Epiſtola data Februar. 1666. circa ejus ſcripta. *Opto ut vita, valetudo, otium & libertas tibi ſuppetant ad reliqua perficienda. Spero te ſemper proceſſurum, nec tædium in benefaciendo ſenſurum, quamvis Libri à paucis emantur: qui enim poſſent emere, minoris faciunt Libros; & qui vellent quidem emere, minùs poſſunt, pauca habentes præter ea quæ ſunt familiæ neceſſaria: ſed labor tuus nunquam erit vanus in Domino, nec hîc etiam.* Eruditi in oris transmarinis magni etiam hæc opera fecerunt; ſed ipſos loquentes audiamus. *Fridericus Mieg*, filius Conſiliarii Electoris Palatini, à Buxtorfio in Hebraïca Lingua & Rabbinicis ſtudiis eruditus, quod ſatis oſtendit, ſcripſit ad Doctorem noſtrum Lutetiâ ann. 1664. de *pretioſis Horis*, ut eas vocat, *publiciſque laboribus. Publicos enim labores*, inquit, *non vereor appellare, quos in publicum Literarii Orbis commodum redundare nemo eſt qui ignoret.* Addit

præterea

præterea, neminem eſſe virum eruditum trans mare, qui non *ſummis anhelitibus* expectaret Hebraïcas & Thalmudicas ejus Exercitationes in priorem Epiſtolam ad Corinthios, quæ jam prælo paratæ erant. Eum orat ſuo, & omnium qui hæc ſtudia amant, nomine, *ut lucem non invideat ſcripto luce digniſſimo, neque illud intra privatos parietes conſeneſcere ſinat, unde tantum imminet publico emolumentum.* *Nicolaus Hoboken*, Secretarius Legati Belgii in Angliam, ſcribens ad D. Lightfootium ann. 1659. ei ſignificat judicium *Giſberti Voetii*, Profeſſoris Theologiæ & viri in Hollandia magni nominis, de Chorographica Centuria præmiſſa Horis in Matthæum. Ait Secretarius Voetium ſibi ſcripſiſſe ſe ſummam voluptatem percepiſſe ex Geographicis illuſtrationibus è Thalmude petitis: *ita tamen, ut ſpe largiori frui deſideret plura lucubrationum ejuſmodi tuarum videndi.* Si eamus jam in Galliam, reperiemus virum æquè celebrem, & majoris fortaſſe eruditionis, intelligo *D. le Moine*, qui in Epiſt. ad Doctorem *Worthingtonum* ann. 1666. loquens de pretio in quo habebat Lightfootii Libros, & inter alios Chorographiam præmiſſam Matthæo, dicit *Bibliothecam ſuam iis ſuperbire.* Sed judicium venerandi *Buxtorfii* inſtar omnium erit, qui in Epiſtola ad Doctorem *Caſtellum* anno 1664. vehementer cupiebat ſcire quid ageret *Lightfootius*, & dicebat ex ejus Thalmudicis Horis cœpiſſe ſe vehementer eum ejuſque diligentiam amare, & ex animo optare plura ab eo profecta videre. Sed anno antecedente in Epiſtola ad ipſum Doctorem noſtrum: *Ex quo Horas tuas*, inquit, *Hebraïcas & Thalmudicas in Matthæum vidi & legi, cæpi te amare, & pro merito æſtimare. Tantam enim in eis Thalmudicæ lectionis peritiam, & ad illuſtrationem SS. Literarum dexteritatem; tantam etiam diligentiam & accurationem in illis deprehendi, ut non potuerim non te magni facere, & in admirationem tui rapi. Raræ hæ dotes hoc noſtro ſæculo in viris Theologis, rari hujuſmodi Scriptores; qui nihil niſi ſuas proprias obſervationes lectoribus proponunt: unde ab eo tempore deſiderium me tenuit, ob ſtudiorum communionem, propiùs tecum conjungi, & familiariùs te noſcere.*

Ita exceptæ ſunt eruditiſſimæ illius Horæ; ac certè inæſtimabilis eſt jactura, eum non peragraſſe integrum Novum Teſtamentum juxta eximiam illam explanandi methodum. Amici ejus ſæpe eò illum impulerunt. Judicabat Doctor *Worthingtonus* eum rectiùs facturum, ſi plura ſimul ederet, quandoquidem non erat quod vereretur ne non ſatis bene exciperentur; ita ut Lucas & Joannes unum facerent Volumen, quod alterum ſequeretur conſtans Obſervationibus in Acta & Epiſtolam ad Romanos, ut poſtea perveniret ad Epiſtolas ad Corinthios. Sed ſi tædio operis deterreretur, vehementer ſaltem unum ei commendabat Librum, Epiſtolam nempe ad Hebræos, cujus argumentum adeò conveniebat ſtudiis ejus Hebraïcis. Verùm hæc fruſtra ipſi ſuggeſta ſunt, non quòd vires inciperent ei deficere, aut quòd laborem detrectaret, generosè enim quicquid noverat cum aliis communicabat; ſed quia non poterat nanciſci Typographum, & fortunas ſuas antea editis non parum imminuerat. Hoc non ſemel queritur, & præſertim in Epiſtola ad Buxtorfium, in cujus ſinum ita animum ſuum effundebat. *Exaſciavi paucis abhinc annis Commentariolum in primam Epiſtolam ad Corinthios, eodem ſtylo ac methodo ac in Matthæum. Sed jam per biennium & quod excurrit apud me jacet, nec poſſum jam eum edere niſi propriis impenſis, ac cum magna mea jactura, quam ſatis magnam, imò nimiam ſenſi in editione Libri mei in Marcum. Aliquatenus progreſſus ſum in Euangelio Lucæ, ſed nihil poſſum edere niſi meis ſumptibus. Quapropter totum me trado lectioni, & ſcriptioni amplius parco. Aciem meam obtuderunt Typographi ac Bibliopolæ noſtrates, qui nullum Librum, præſertim Latinum,*

Digitized by Google

Latinum, edere volunt, niſi habeant certum ac magnum lucrum. Quod neſcio iramne majorem, an dolorem nobis creare debeat; dolorem propter jacturam tam utilium Laborum, iram verò in eos qui occaſio fuere jacturæ.

§. V.

De ſuppetiis quas tulit Lightfootius Bibliis Polyglottis, Heptaglotto Lexico, aliiſque ſuo tempore eruditis operibus ac viris.

ITa ejus fama longè latèque ſpargebatur; atque inde factum ut eruditi multi viri eum conſulerent in perſequendis ſuis ſtudiis, aut ejus conſilia & caſtigationes peterent in labores quos publici juris facere animus erat. Quantopere ejus conſiliis uſus ſit Reverendiſſimus Epiſcopus *Waltonus* in Bibliis ſuis, opere inter nobiliſſima quæ unquam lucem conſpexerunt meritò numerando, ſatis oſtendit Vir Reverendus qui Vitam Lightfootii deſcripſit. Hoc opus, cujus utilitas magnitudinem æquabat, excitavit zelum atque affectum Doctoris noſtri, & effecit ut patienter recenſionis laborem toleraret, & præſertim in relegendo Pentateucho Samaritano, ut magnus operis ſuſceptor in quadam ad ipſum Epiſtola teſtatur. Valde gaviſus eſt cùm opus ad perfectionem perductum fuit, gaudiumque ſuum expreſſit in congratulatoria Epiſtola ad *D. Samuelem Clark* Oxonienſem, qui non levem operam ei navaverat: cui reſpondit vir ille Linguarum peritiſſimus: *Ad opus peractum quod attinet, eſt quod gratias agam & benedicam Deo, quòd præter ſpem noſtram id perfecerimus. Nec tamen eſt quod mihi ipſi tribuam, quaſi debitam, ullam partem gratiarum actionum & laudum, quas in me, & alios qui multò plus contulerunt, congeſſiſti. Sed magnum contraxi debitum gratiarum actionum, quòd teſtimonio & ſuffragio viri tanti judicii, qualis tu es, judicer fideliter munere mihi impoſito functus.* Hoc claudam caput additâ particulâ Orationis quam Doctor Lightfootius habuit initio anni 1655. cùm eſſet *Vice-Cancellarius*, in qua meminit hujus operis quod tùm fervebat, quaſi ovans, quippe quod magnum honorem conciliaturum erat Literis, & præſertim Anglicano Clero tùm deſpecto, & eruditionem Biblicam per totum Orbem propagaturum. *Sic*, inquit, *ſub protrito & procalcato ſtatu Cleri nuper Anglicani germinavit, & adhuc germinat, nobile illud eruditionis germen, editio Bibliorum Multi-linguium, quâ quid generoſius vix vidit unquam Reſpublica Literaria, nec quicquam Anglia ſibi honorificentius. Opus æternæ famæ, monumentum memorabile in ſempiterna ſæcula futurum, ſummæ eruditionis, zeli, & in Deo bonarum literarum protectore fiduciæ Cleri Anglicani jam tùm ſummè periclitantis. Macti eſtote Viri Venerandi & Doctiſſimi, qui in opere tam magnanimo deſudatis. Pergite quod facitis trophæa vobis erigere, Patriæque; & perlegant ope veſtrâ omnes Gentes Sacra Biblia ſuis Linguis; atque iiſdem Linguis, eadem ope prædicentur fama eruditionis & literatura Gentis Anglicanæ.* Ita lætabatur vir optimus eruditione & famâ collegarum & popularium ſuorum.

Juxta Biblia Polyglotta labore & pretio eſt Dictionarium Heptaglotton, quod ſemper iis conjungi debet. Laborioſo Auctori hujus Lexici ſuppetias tulit Noſter. In eo Auctor inſudavit per ſeptemdecim annos, unde illud ipſe vocat *ſervitutem ſeptemdecim annorum*, per quos aluit perpetuò ſeptem Anglos, & totidem exteros qui eum adjuvarent, præter proprios ipſius labores: at omnes aliquot annis mortui ſunt priùs quàm

Digitized by Google

quàm opus abſolveretur, adeò ut in ipſum totum onus delapſum fuerit: ſed tandem Dei gratiâ opus abſolvit, prius quàm ipſius vita abſolveretur.

Atque hic non poſſum non aliquatenus ex via divertere, ut huic Auctori condoleam, qui ſemetipſum & fortunas ſuas perdidit, dum Labori omnibus tam utili incumbit, & gratias tanti exantlati operis nullas habuit. Vide ac miſerere ejus conditionem, prout eam deſcripſit in Epiſtola ad Doctorem Lightfootium, ubi dicit ſe *intra viginti annos, dum in Republica Literariæ gratiam laborat, plus quàm duodecim millia Librarum Sterlingarum ex propriis facultatibus conſumpſiſſe, & proprii loco, finito opere, alieni æris contraxiſſe mille octingentas:* adeo conſtans fuit in ſuſcepto opere tam ſibi funeſto, quàm Reipublicæ Literariæ utili! Initio enim ſuſcepti illius operis, decrevit id perficere, licèt omnes fortunas ſuas effundere deberet, ut dixit *Samueli Clark.* Hinc coactus fuit ſtatum ſuum Regi aperire, & ab eo petere *ne carcer eſſet præmium tot laborum & ſumptuum.* Dolendum eſt tantam eruditionem tantumque laborem feliciorem ſortem non habuiſſe.

Jam ut eò redeam, unde præ commiſeratione digreſſus ſum, in hoc magno opere Doctor Caſtellus plus ſemel agnoſcit ſe ab Auctore noſtro fuiſſe adjutum. *Certus ſum opus meum,* inquit, *nunquam ſine te tam integrum futurum fuiſſe. Omnes ſtudioſos Linguarum Orientalium oportet fateri ſe multùm tibi debere.* In alia Epiſtola, cùm mitteret ſuum Lexicon, dicit *ejus nomen in fronte operis debuiſſe ſplendere, cùm maximum ſplendorem conciliaverit, ſi quis ſit, omnibus quæ edita fuerant; quæ poſſunt jure merito,* ait, *vocari tua.* Rurſus Noſtrum vocat *maximum & ſummopere colendum Magiſtrum, Patrem, & Patronum.* Certè Lightfootius ſæpe eum literis excitavit & conſolatus eſt, quæſivit ei ſubſcriptores & amicos, conceſſit ei hoſpitium ſuum in Catharinenſi Aula, quoties Cantabrigiam venit, ut Arabicas ſuas prælectiones haberet, per aliquot annos, & aliis ejuſmodi officiis ſublevavit, propter quæ Caſtellus ſemper ſummum honorem & affectum in eum profeſſus eſt.

Alius vir in hoc ſtudiorum genere eruditiſſimus, *Samuel Clark*, qui operam navavit utrique operi, quæſivit à Noſtro conſilium & auxilium circa doctum opus quod publici juris facere animus ei erat, cùm ederet Thargum in Paralipomena, cum ſua ipſius Tranſlatione; quod erat pars Hebraicorum Bibliorum Bibliothecæ Univerſitatis Cantabrigienſis. Id MS. tanti faciebat Univerſitas, ut tria itinera Cantabrigiam ſuſcipere ipſi neceſſe fuerit, priuſquàm illud obtineret. Sed tandem D. Lightfootii operâ ei commodatum eſt anno 1659. ejuſque auctoritate per aliquot annos eo uti ipſi licuit. Hunc Librum ſtatuit, ſtatim ac abſolviſſet, conjungere Bibliis Polyglottis, cum quibuſdam additamentis. Cujus conſilii Noſtrum participem fecit, priuſquàm exſequi id aggrederetur, dicens *ſi ipſe, & quiſpiam ejus ſimilis, conſilium approbaret, ſibi hoc fore magnum incitamentum ad id exſequendum.* A Noſtro autem hoc probatum fuiſſe, inde patet, quod conſtanter eum poſtea adjuverit, Clarkio ad ipſum mittente folia, prout ea tranſcribebat ac vertebat ut recenſeret ac emendaret. Propterea in Epiſtola data *Holywelæ* Septembr. 3. 1667. profitetur *ſe ei multùm debere, propter magnum laborem quem ſibi imponi paſſus erat, & quia tam liberè judicium ſuum aperuiſſet de quibuſdam locis quæ notaverat: tantùm abeſt,* inquit, *ut ægrè feram mihi errores meos oſtendi, ut tibi maximas propterea gratias habeam, & orem ut in reliquis æquè liberè agas.* Hoc Thargum, (ut videtur) ex loco Thalmudis ubi *Onkeloſi* fit mentio, Lightfootius

inducebatur ut crederet, eſſe revera *Onkeloſi.* Propter hanc animadverſionem Clarkius ei animitùs gratias egit, rogavitque *ut ſibi id beneficii largiretur, ut de eo loco ſententiam ſibi patefaceret, an nempe æſtimaret eum locum ſatis validum ſuppeditare argumentum, ut Thargumiſtæ Onkeloſi nomen præfigeretur.*

Idem vir doctiſſimus edidit eum Tractatum Thalmudis qui vocatur *Berachoth*, quem ad Doctorem noſtrum miſit, cupiens eum abſque affectu judicare de iis quæ in eo præſtiterat, & rogans ut ſe certiorem faceret, ſi quo in loco hallucinatus fuiſſet.

Non oportet nos omittere auxilium quo juvit Auctorem *Synopſeos Criticorum*, qui illud petierat. Libentiſſimè enim ſe publicæ utilitati devovebat. Primò ei animos addidit ampliſſimo teſtimonio, quo utile totum hoc conſilium judicabat, ac methodum etiam accuratam & abſque ullo partium ſtudio, quâ operis ſuſceptor uſus erat. Præterea videtur totum opus recenſuiſſe particulatim, prout exibat è calamo *Poli*, priuſquàm prælo ſubjiceretur. In Epiſtola enim quadam ad Doctorem noſtrum, dicit *ſe miſiſſe partem aliquam in Numeros, rogans ſemper ejus judicium de iis omnibus quæ ipſi occurrerent.* Pollicitus eſt etiam in locis ubi videbat deficere Interpretes, ſe aliquas ei ſuppeditaturum explanationes ad explicandà Hebraïca vocabula, phraſes ac res ipſas, quas ſtatuerat *Polus* conjicere in ſeparatum Volumen, ut *Paralipomena*, ſub nomine Lightfootii, cum aliis operis appendicibus; *ut de Nummis, Ponderibus, Menſuris, de Templo: Quæſtiones Chronologicæ, Chorographicæ, Hiſtoricæ*, &c. Vidi aliquot folia explicationum iſtarum in Scripturam, quæ, juxta promiſſum, miſit *Polo.* Sunt Annotationes in totum Librum Joſuæ & aliquot Capita Exodi & Numerorum, ubi Noſter perpetuâ ſerie breviter illuſtrat loca difficilia ex Thalmudicis & Rabbinis. Sed hoc ultimum Volumen Additamentorum nunquam, ut opinor, edidit *Polus.* Verùm hîc non ſubſtitit: meminit enim in quadam Epiſtola Polus promiſſi à Lightfootio ſibi dati, ipſum juvandi per omnes Libros Hiſtoricos Veteris Teſtamenti à Joſue ad Jobum, idque à Rabbinis & Thalmudicis; niſi fortè hoc promiſſum idem ſit cum priore.

§. VI.

Quæſtiones ipſi ab eruditis viris propoſitæ.

INfinitum eſſet recenſere quot viri eruditi Noſtrum compellaverint. Vir doctiſſimus *Herbertus Thorndicius* anno 1669. ſcripſit ad ipſum longam Epiſtolam, in qua eum rogat ut participem ſe faciat judicii quod ferebat circa *Morini* Exercitationes de Judæis, in Lib. 2. *Exercitationum Biblicarum. Jacobus Calvertus* vir eruditus *Eboracenſis* ejus ſententiam quæſivit de vero ſitu portionis Sacerdotum in ſacro illo ſpatio quadrato de quo Ezechiel. Hic vir eruditus ad dilucidiorem explicationem multorum locorum in Propheticis Scriptis, eò inclinabat ut crederet eam viſionem Ezechielis, quæ vulgò myſticè intelligitur, potiùs eſſe literalem & hiſtoricam. Unica, vel præcipua objectio adverſus hanc ejus Hypotheſin eſt ſitus portionis Sacerdotum. *Nam ſi Templum quinque vel triginta milliaribus diſtat à civitate, dubium*, inquit, *eſſe non poteſt quin viſio hæc ſit myſtica: ſed ſi ſit error in ſitu portionis Sacerdotum, adeò ut Urbs & Sanctuarium poſſint unà conjungi, maxima objectio contra literalem ſenſum tolletur.* Ita Epiſtolam ſuam claudit. *Te quidem de facie non novi, ſed tam multa & legi & audivi de eximia*

Digitized by Google

eximia tua eruditione, & candida ac ingenua indole, ut hæc mihi audaciam ſecerint ad te tam liberè ſcribendi, & rogandi ut rarâ tuâ eruditione ſemper utaris ad magnum illum finem, illuſtrationem nempe Textûs Scripturæ, qui loco aeriarum ac ſubtilium ſpeculationum, ſolido paſtu poteſt alere Eccleſiam Chriſti: intelligo ſimplicem ac ſincerum ſenſum Spiritus Sancti, ſeu Hiſtoriam, ſeu Miſterium.

Prolixum nimis foret narrare de juniori *Buxtorfio*, cui Magiſtratus Baſileenſis contulit munus Profeſſoris Linguæ Hebraïcæ quo Parens functus fuerat, nato ſeptemdecim annos, *maximo parente, ſpe majori filio*, ut eum deſcribit Doctor *Caſtellus*; de *Joanne Henrico Otthone*, Bernenſi Helvetio viro docto; *Friderico Mieg*, nobili, erudito ac ingenioſo Germano; *D. Knorrio* erudito viro Sileſio; *Theodoro Haak*, & multis aliis variarum Gentium exteris, qui in Angliam venerunt, præcipuè ad videndum *D. Lightfootium*, & conſilium ejus audiendum circa Rabbinica ſtudia. Quos omnes cum ſumma humanitate & urbanitate excepit, contentoſque dimiſit, ut apparet ex Literis ad eum poſt ipſorum diſceſſum datis.

§. VII.

Commercium ejus literarium.

ERuditum coluit commercium, præſertim cum viris eadem reconditiore eruditione illuſtribus, quâ ipſe famam adeptus erat, & ab iis amabatur, ac magni fiebat. Præ cæteris eminent magnus *Buxtorfius*; & domi Reverendiſſimus in Deo Pater *Brianus*, Epiſcopus Ceſtrienſis, qui obiit; Doctor *Pocockius* Hebraïcæ Linguæ Profeſſor Oxonii; Doctor *Caſtellus* Arabicæ Linguæ Profeſſor Cantabrigiæ; Doctor *Marshallus* Lincolnienſis Collegii Rector Oxonii; *Samuel Clarkius* aliquando præfectus Bibliothecæ celeberrimæ Univerſitatis Oxonienſis. Doctor *Worthington* aliquando Præfectus Collegii Jeſu Cantabrigiæ; *D. Bernardus*, Socius Collegii S. Joannis Oxonii, viri omnes celeberrimi, & quos nomine appellaſſe ſufficiat. In Laïcorum verò ordine arctam amicitiam & commercium habuit cum *Thoma Brogravio Equite Baronetto*, ex Hertfordiana provincia, vicino & affine, & in hujuſcemodi ſtudiis verſatiſſimo: nec eorum Epiſtolæ conſtabant vanis verborum blandimentis, aut ineptis ac inutilibus de rebus politicis narrationibus, ſed eruditis diſquiſitionibus circa difficultates Scripturæ, vel dubia quæ ipſis occurrebant in Orientalibus ſtudiis. Conferebant de generoſis ac ſublimibus conſiliis ad promovendam veritatem & Religionem, ſolidamque ac utilem eruditionem. Inveni collationem cum *D. Caſtello*, in qua erat συζητητὴς, ſeu proponebat quæſtiones, quas Noſter ſolvebat. Prior propoſuit, Num quando ordinaria interpretatio alicujus Hebraïcæ vocis durum ac incommodum faciebat ſenſum, non poſſet confugi ad ſignificationes earum vocum Syriacas, Chaldaïcas, vel Arabicas. Quæſtionis occaſio fuit eximia interpretatio Doctoris Lightfootii difficilis illius loci *Ezech.* 8: 17. quem, ut videtur, clarè explanavit, interpretando aliquot vocabula juxta ſignificationem quam in iis Linguis obtinent. Reſpondit, *Sæpe inveni* ἐναντιοφανείας, *& abſurditates in Anglica noſtra, (quamvis inter optimas ſit numeranda) aliiſque Verſionibus. Ut* Job. 3: 5. *Let the shadow of death ſtain it*, Umbra mortis polluat eum; (*in margine, challenge*, arroget) *eſt Catachreſis, quàm me alibi obſervaſſe non memini. Sed* גאל (quæ vox hîc uſurpatur) *eſt apud Arabes excipere, colligere, ut optimè (nec ibi tantùm) vertunt Septuaginta Interpretes.*

Cap. 15: 4. תגרע *Thou* (dirigitur ſermo ad Jobum) *reſtraineſt prayer.* Tu cohibes precem, *cùm Job ſæpe oraret: in Arabica Lingua (cujus multa vocabula in Jobo occurrunt)* غرع *eſt protrahere, multiplicare, ut verterunt Syrus & Arabs:* Tu multus es in querelis. *Cap.* 18: 2. קנצי למלין, Aucupia verborum, *rurſus ex Arabica voce interpretandum eſt,* قنص contradicendi vices, *ut habent Arabs & Chaldæus. Cap.* 16: 18. O terra ne tegas ſanguinem meum ויהי, ut non ſit locus clamori meo. *Cùm effuſio ſanguinis ſit peccatum clamans, clamori ejus ad orandum locus ampliùs non eſt. Circa hunc locum Davus ſum, non Oedipus. Proverb.* 23: 7: כמו שער בנפשו, Ut cogitavit in corde ſuo . . . . & tamen cor ejus non eſt tecum; *videntur omnino contraria.* Ex hac occaſione propoſuit Caſtellus hanc quæſtionem: *Cùm quotidie innumeris hujuſcemodi* (ἐναντιοφανείαις) *occurreret, num cenſeret Lightfootius Arabicam, Chaldaicam & Syriacam Linguas ſedere poſſe judices, & ſententiam dicere de ſignificationibus vocum matris ſuæ?* Omnia nova quorum ſe invicem certiores faciebant, ſpectabant progreſſum Orientalis eruditionis, plurium ad hanc rem pertinentium Librorum inventionem, &c. quæ erant nuntia ipſis omnium gratiſſima. Unam aut alteram Epiſtolam de hiſce rebus hìc adſcribam. Altera eſt Doctoris Caſtelli, ann. 1664. *Domine, quamvis ſentiam me perire, non exiguum inde mihi naſcitur ſolatium, quòd videam quantùm Scripturæ Sacræ ſtudium floreat. Nuper accepi Pſalterium Armenicum, modò editum, mihi à Profeſſore Golio dono datum: edunt autem Lugduni Batavorum integra Biblia in ea Lingua. Ibidem etiam editur Vetus Teſtamentum Turcico ſermone, adornatum à Levino Warnero. Novum verò verſum à D. Seamano hoc ipſo tempore eſt ſub prælo Oxonii, cujus habeo aliquot folia penès me; ut habeo etiam aliquot Gothicorum & Anglo-Saxonicorum Euangeliorum, quæ nunc cum Gloſſario edita ſunt Lugduni Batavorum. D. Petreus partem aliquam Veteris Teſtamenti Æthiopicè edidit, & multa habet parata iſtâ & Copticâ Linguâ. Lithuanica (quorum haud exiguam partem apud me habeo)* & *Novo-Anglica Biblia,* (hoc eſt, iſto ſermone conſcripta, quo Americani Novæ Angliæ incolæ utuntur) *non opus eſt memorari à me. Habeo ſpecimen Turcici Dictionarii Chaldaici in folio Hebraïcâ Linguâ conſcripti ab erudito Coken de Lara, quod ὁ μακαρίτης noſter, Profeſſor Buxtorfius tantopere optabat ſe ſuperſtite abſolvi. Ajunt brevi prælo illud ſubductum iri.*

Ejuſdem generis nuntia ad ipſum ſcribebat Oxonio eruditus *D. Bernardus* circa annum 167½. quæ perlegere etiam non tædebit. Ita habet. *Reverende ac Eruditiſſime Vir, non poſſum non tibi ſignificare virum pium & eruditum Robertum Huntingtonum, Miniſtrum Eccleſiæ Mercatorum Anglorum qui Aleppi degunt, nuper huc miſiſſe optimum Pentateuchum Samaritanum, cum deſcriptione Religionis Samaritanorum qui Sichimæ vivunt, ſcripta ab iis ipſo rogante, & quaſi ad fratres ſuos huc in Angliam miſſa, (neque enim intellexerunt verba Huntingtoni, qui dixit ipſis, eſſe hic Hebræos, quos crediderunt eſſe ex ſecta ſua, cùm ipſe Judæos in animo haberet) cujus Tranſlationem Latinam ex Samaritana Lingua (quæ eſt Hebraïca Biblica, exceptis paucis hinc inde Arabiſmis, utuntur enim vulgò Sichimæ Linguâ Arabicâ) ad te mitto; &, ſi rem tanti eſſe putes, Exemplar Samaritanum etiam ad te mittam. D. Huntington me certiorem facit, eſſe circiter triginta familias horum Samaritanorum Sichimæ, non plures, quæ aliquod commercium nobiſcum habere vellent. Sed cavendum eſt ne cum ipſis ſimulemus, ſed petenda eſt eorum hiſtoria Joſuæ & Liturgia, & interrogandi ſunt de rebus quæ poſſunt eſſe alicujus momenti. Si velis mittere Quæſtiones quarum ab ipſis ſolutionem cupias, eas mittam ad D. Huntingtonum, ad quem poſt tres hebdomadas ſcribam. Idem optimus Huntingtonus miſit circiter centum & quinquaginta MSS. Codices Arabicos & Hebraïcos. Inter quos ſunt Coſis Hebraïcæ,*

R. Saadiæ

Digitized by Google

R. Saadiæ Sepher Emuna Arabicè, Bar Bahlul Lexicon nitidè deſcriptum, Maimonidis Jad completa exceptis duobus Tractatibus, R. Saadiæ Verſio & Notæ Arabicæ in Jobum, Maimonidis Moreh Arabicè & Hebraïcè, Filii Maimonidis Notæ in patris ſui Jad, Gregorii Grammatica Syriaca, Scripta R. Tanchum, ejuſque Lexicon, Kimchi Michlol, R. Alphes, & Tanchuma, & alii utiles Libri MSS. Hebraïcè. Præterea miſit Catalogum Librorum Arabicorum & Perſicorum qui Damaſci comparari poſſunt, & aliquot Hebraïcorum. Eſt ipſe peritus, & paratiſſimus ad omnia tibi exhibenda officia, ſi quid Judaici aut Orientalis deſideres. Hanc occaſionem nolui te ignorare, cum noverim quantopere ſuper omnia alia commendes ſtudia Judaïca, ut prorſus neceſſaria ad rectam Novi, non ſecus ac Veteris Teſtamenti intelligentiam. Infra adjectum eſt: *Ad Græcos Codices MSS. quod attinet, Claſſicorum Auctorum nullos reperire potuit, ſed Aſceticorum ſatis ſuperque. Deſcriptio Calendarii Samaritanorum in eorum libello, aliquatenus obſcura eſt & mutila.* An hi eruditi viri vivant adhuc, vel alteruter, ſeceſſio mea ruri & ſolitudo obſtant ne ſciam. Sed ſi adhuc ſint ſuperſtites, certus ſum eos eximii hujus viri memoriam ita venerari, ut non ægrè laturi ſint has ipſorum edi Epiſtolas, aut quicquam aliud patefieri ex iis quæ dixi ad exiſtimationem ac famam Lightfootii conſervandam. Si dixeris hæc jam ampliùs nova non eſſe, cùm olim fuerint: reſpondeo multa me retuliſſe videri quæ non ſunt ita vulgò nota, ſed quæ à multis cum voluptate legi poterunt. Verùm, ut dicam quod res eſt, ita protuli, non tam ut nova docerem, quàm ut eruditum aliquod argumentum commercii literarii Lightfootii in medium afferrem.

§. VIII.

Imperfectorum ejus Scriptorum Recenſio.

PRæter opera Viri Eruditiſſimi quæ in lucem emiſſa ſunt, & de quibus aliquid diximus, alia habebat non contemnenda ſub incude, quæ oſtendunt etiam ejus eruditionem, atque inexhauſtum perpetuumque laborem, & induſtriam: quorum mihi liceat hunc exhibere Catalogum.

Latinè.

I. *Hiſtoria Quadripartita. Chronica Univerſalis, Judaïca, Romana, Eccleſiaſtica, de Rebus geſtis imperante Familia Flaviana, Veſpaſiano, Tito, Domitiano.* Chronica incipit anno natali Chriſti, eſtque digeſta in ſex Columnas, quarum prima continet Annum Mundi, ſecunda Romæ, tertia Imperatoris, quarta Chriſti, quinta Rerum Geſtarum, ſexta Conſulum.

Pars ſecunda, nempe *Judaïca.*

CAP. I.

Cineres Hieroſolymorum, & vaſtatæ terræ facies.

CAP. II.

Synedrium Magnum collocatur in Jabne. Hoc ſufficit ad oſtendendum Libri ſcopum & methodum.

II. *Computus Temporum Judaïcorum, ab Urbis excidio ad conſcriptum Thalmud Hieroſolymitanum.*

III. *Index aliqualis Thalmudis Hieroſolymitani.*
IV. *Diſquiſitio modeſta de* LXX. *& de Græca Verſione.*
V. *Diſcrepantia τῶν* LXX. *à Textu Hebræo in Pentateucho.*
VI. *Sphalmata τῶν* LXX. Omnes eorum errores fuſè obſervantur.
VII. *Hillel*, brevis Diſſertatio.
VIII. *De Spiritu Prophetiæ.* Diſſertatio ex occaſione 1 *Corinth.* Cap. 14.
IX. *Concio ad Clerum, habita in Eccleſia Sanctæ Mariæ, Januar.* 12. 165½. *pro gradu Doctoratûs.*
X. *Diſputatio in publicis Comitiis pro gradu Doctoratûs.*
XI. *Orationes & determinationes, cum Pro-Cancellariatu functus eſt.*
XII. *Ætates Rabbinorum.*
XIII. *Quædam de Iſraëlitica ſparſim collecta.*
XIV. *Annotationes in primum & quartum Caput Geneſeos.*
XV. *Memorabilia quædam ſub Ezra & Synagoga ejus magna chronologicè diſpoſita.*
XVI. *Correctiones & Obſervationes in Textum Samaritanum.*
XVII. *Adverſaria è Rabbinis collecta in Joſuam, & in quædam Capita Exodi & Numerorum.*
XVIII. *Minores Prophetæ in Vulgati & Septuaginta Interpretum Tranſlationibus, collati cum Hebraïco Textu*, variæque lectiones & additiones eò pertinentes.
XIX. *Variæ Chartæ ſolutæ de excidio Hieroſolymæ, ſitu & locis Terræ Sanctæ, Chronologia, Hiſtoria*, &c.

Anglicè.

I. *The Book of Chronicles of the Kings of France, and of the Kings of the Houſe of Otoman the Turc. Written in Hebrew by Joſeph the Prieſt, and tranſlated in Engliſh by J. Lightfoot.*
II. *The conſent of the four Evangeliſts. A Century.* Perfect.
III. *A plain and eaſie Expoſition of the Propheſie of Hoshea.*
IV. *An Expoſition upon the Old and New Teſtament by way of Chronology and Harmony: with a Preface inſtructing how to underſtand the Scripture.*
V. *The Motions and ſtations of Iſraël in their march out of Egypt.*
VI. ארץ ישראל, *Things appropriated by the Jews Traditions to the Land of Iſraël.*
VII. *Names of places in the Holy Land explained out of the Rabbins, ſet down by way of Alphabet.*
VIII. *Of the Creation. A Chapter.*
IX. *A Diſcourſe upon* John 13: 27, 30.
X. *Hiſtory beginning from the fall of Jeruſalem.*
XI. *Hiſtorical Paſſages in the firſt year of Trajans reign.*
XII. *A Table of the years from the birth of Chriſt to the fall of Jeruſalem.*
XIII. *The Jewiſh, Chriſtian, Roman Hiſtory. Anno Chriſti* XXXVI.
XIV. *The Chronology and Hiſtory of Diocletian, Conſtantine and Conſtantius.*

Sine dubio quædam ex hiſce erant tantùm Notæ, & Memoriales Libri in privatum ipſius uſum, ſed alia etiam erant, quæ ſuo tempore in lucem emiſſurus fuiſſet. Sed cùm talia vix præla reperire poſſe videret, ea abjecit tantùm inchoata, & quaſi delineata. Omnia ſunt imperfecta, excepto unico ſcripto.

§. IX.

Digitized by Google

§. IX.

Laudes virorum eruditorum in Lightfootium congeſtæ.

HI Labores tum editi, tum inediti, & rara eruditio in hiſce literis, quam & in Epiſtolis & in ſermone quotidiano oſtendebat, inter optimos & eruditiſſimos viros celebrem eum fecere. Nullus eſſet orationi noſtræ finis, ſi teſtimonia ac commendationes eorum paulò fuſiùs recitare vellemus. Aliquot jam ſupra allatis pauca alia adjiciemus. *Nomen tuum*, inquit Doctor Caſtellus, *eſt ſuavis odor qui ad omnes pervenit Gentes, quæ tenentur Deum orare pro te, tua valetudine, proſperitate, longævitate.* Rurſus: *Nemini notus, quin te humani generis æſtimet delicias; nemini ignotus, cui non abſconditus maximus ſub cælo Theſaurus.* In alia Epiſtola: *Chaldæa olim variis celebris diſciplinis, naturæ vicibus, longoque temporum lapſu, migravit Mundoniam. Hanc tu verè* Τρισμέγιστος *Chriſtianis, Judaïcis, Ethnicisque literis, celebriorem reddes quàm fuit olim Babylon, quàm fuere ipſa Athenæ.* Alius, nempe *Samuel Clark*, ſic eum alloquitur: *Maxima tua merita poſſunt recentem tui conſervare memoriam apud me & quemlibet alium cui literæ, aut probitas cordi fuerint.* D. Bernardus, ejus modeſtiæ vim, ut ita dicam, infert hiſce verbis: *Scio te & Doctorem Pocockium eſſe columina Sacrarum Literarum, tanquam monumenta Sethi, in vana & corrupta ætate. Deum oro ut producat tibi vitam & valetudinem Eccleſiæ ſuæ adeò proficuas.* Ad exteros quod attinet, præter ea quæ jam audivimus, accipiamus quanti eum fecerit unus ex iis jam ſupra memoratus, nempe *Joannes Henricus Otto.* Juvenis fuit Bernenſis, qui videtur peragraſſe Galliam aliaſque regiones ſtudiorum cauſâ, & tandem veniſſe in Angliam, ubi cùm eſſet, *Oxoniæ* ſcripſit ad noſtrum Doctorem, ubi excuſans ſe quòd ignotus ad eum ſcripſiſſet, *Plurimi ſunt*, inquit, *qui nondum meruerunt à te cognoſci, qui tamen inter alias Gentes famam nominis tui exceperunt, & poſt præclarorum tuorum Scriptorum lectionem in cultum tui venerabundi iverunt.* Aſſerit præſertim Hebraiſmi ſtudioſos undique ei plaudere, & inter alios nominat *Juſtellum, Tormentinum, Tevenottum, Capellanum, Ferrandum Lutetiæ, Toignardum Aureliæ*, ne jam, inquit, dicam de eruditis popularibus meis, & Germanis, quorum nomina vix hæc contineret Epiſtola. Plures alios poſſem proferre tum populares, tum exteros; ſed Noſter non eget συστατικῶν.

§. X.

De ejus affectu in Orientales Literas, earumque promovendarum ſtudio.

NEminem majore reverentiâ atque honore proſequutus eſt quàm Buxtorfium Profeſſorem Sacræ Theologiæ & Linguæ Hebraïcæ Baſileæ: cujus rei hæc ratio erat, quòd præter probitatem ſpectatam, editis ſcriptis multùm promoviſſet cognitionem Judaïcæ eruditionis, cui Noſter à juventute, veluti naturæ quodam impetu, addictiſſimus fuerat, & ad finem uſque vitæ fuit. Cùm Buxtorfius ad eum manu propria literas dediſſet, per Juvenem qui ipſius priùs diſcipulus fuerat, ſummo cùm gaudio eas literas excepit; eumque qui eas attulerat propter Reverendum illum Profeſſorem. Et cùm ſcripſiſſet Buxtorfius, ſe præ ætate & infirma valetudine, imminutaſque corporis atque animi vires, omnem cogitationem

nem abjeciſſe quicquam ampliùs edendi, Doctor noſter id ægerrimè tulit, & conqueſtus eſt in literis ad eum datis. Agnoſcit ſe ope Scriptorum Buxtorfii perveniſſe ad eam eruditionem Rabbinicam; & præ grato animi ſenſu, eum propterea magno honore & reverentiâ proſequebatur. *Placet*, inquit, *Honoratiſſimo Domino, de peritia mea in Thalmudicis loqui, quæ, ſi qua eſt, (quam ſcio quàm ſit exigua) tota tibi ipſi referenda eſt & incomparabili Parenti tuo*, &c. Deinde affirmat ſe non poſſe legere ſine lachrymis, quòd præ infirma provectæ ætatis valetudine, plura Scripta Orbi Literato non promitteret. Scripſit hæc ſub finem anni 1663. Ac certè mors eruditi illius Profeſſoris haud multò poſt contigit, initio nempe Septembris anni ſequentis. Quem tanti faciebat Magiſtratus Baſileenſis, ut ante Patris mortem filium ejus admodum adoleſcentem ſucceſſorem ei deſignaverit in Hebraïca Profeſſione; ut in Theologica *D. Zwingerus*, à magno illo Zwingero ortus, ſucceſſit. Atque eum honorem D. Lightfootius ejus memoriæ habuit, ut Epicedium in eum ſcripſerit, & excitaverit *Thomam Brogravium* Equitem, ad aliud ſcribendum aliquot Linguis Orientalibus; quod etiam imitatus eſt D. Caſtellus, atque ea Epicedia ad amicos demortui miſſa ſunt. Et cùm juvenis Profeſſor haud multò poſt in Angliam veniret, humaniſſimè & amiciſſimè exceptus eſt à Noſtro, tum propter Patris memoriam, tum etiam propter ipſum.

Tanto Literarum amore flagrabat, & tantopere cupiebat eas magis excultas, ut id potiſſimùm eum amicitiâ conjunxerit cum Doctore Caſtello, dum magno illi cœpto, quod ejus fortunas, ut ipſe ait, peſſumdedit, incumberet, & eſſet ei deglutiendum quorumdam, qui opus ejus exigui aut nullius uſûs eſſe dictitabant, amariſſimum dicterium. Hoc eum jam pænè animum deſpondentem, planè in deſperationem adegiſſet, niſi Noſter eum ſuſtentaſſet, excitaſſetque pecuniâ, ſubſcriptionibus, conſilio, conſolatione. Itaque quòd opus illud ad finem perductum eſt, id juxta Deum debetur Doctori Lightfootio, & pauculis aliis viris qui ejuſmodi Literas excoluerunt. *Certè*, inquit, *unus Doctor Lightfootius mihi pluris eſt quàm milleni ejuſmodi Cenſores. Præter pauculos alios populares, habeo inter exteros Golium, Buxtorfium, Hottingerum, Ludolphum, &c. qui tum in Epiſtolis, tum Scriptis editis, non modò ſufficienter, ſed pleniùs & luculentiùs, quàm ut eorum verba tranſcribere poſſim, teſtati ſunt, ſe id maximo in pretio habere, quòd hîc in Patria idem præmium conſequutum eſt, quod ſolebant olim in ſua Prophetæ.*

Summa in admiratione habuit *Broughtonum* & *Seldenum*, viros profundæ in hiſce literis eruditionis, quos vocabat *Par incomparabile*, nec unquam ſine honoris præfatione appellabat, ſi quoties de illis mentio incurrebat, nihili præ tantis viris faciens.

Atque ut meliùs ea ſtudia conſtabilirent, defuncto erudito *Golio*, in tranſmarinis oris Profeſſore, qui Bibliothecam inſtructiſſimam Rabbinicis & Orientalibus Libris habebat, ipſe Doctor Caſtellus, aliique omnem lapidem moverunt, ut iis Bibliothecam Cantabrigienſem, aut publicam aliam in hiſce oris ditarent; quamvis, ut puto, hoc iis non feliciter ceſſerit, libris illis in Hollandia in publica auctione diſtractis.

Ferre non poterat antiqua Rabbinorum monumenta tantopere damnari, quippe quod oritur vulgò ex ignorantia miri eorum uſûs in explananda Scriptura. Cùm *Rutherfordius* in Theologorum Conſeſſu, alicujus rei controverſæ, nempe *Calicis* in inſtitutione Paſchatis, nullibi mentionem fieri niſi apud Rabbinos, diceret, videreturque contemptim de iis loqui,

repoſuit

Digitized by Google

repoſuit Doctor Lightfootius, *varia eſſe in Novo Teſtamento, quorum intelligentiam Rabbinis debemus; alioqui quid ſibi vellent prorſus ignoraturi.*

Tantopere delectabatur ſtudioſis qui Orientalibus Literis ſe dedebant, ut ſi quis Doctoris Lightfootii affectum ſibi conciliare vellet, aliâ breviori viâ eò pervenire nequiret, quàm ſtudia ſua eò dirigens. Eos libentiſſimè ſuis juvabat conſiliis, annitebatur tironibus earum Literarum amorem injicere, & quicquid difficilis occurrebat in eo ſtudio, ipſis quantùm poterat explanabat. Novi quoſdam ſuperſtites qui id experti ſunt.

§. XI.

Amor atque affectus ejus in Aulam Catharinenſem.

UTi verè amabat Literas, ita ſummo affectu proſequebatur Univerſitatem in qua advocatus & promotus fuerat. Hoc apparet lætitiâ publicâ quam expreſſit in ſua Oratione, cùm Cantabrigiæ Pro-Cancellarius factus eſt, anno 1655. cùm munus auſpicaretur. Iniquis illis temporibus, quibus tot mala Religio paſſa eſt, mirum non eſt ſi eruditio, ejus veluti miniſtra, ruinæ proxima eſſet. Tùm nihil tantopere ſermonibus verſabatur, ac in votis erat, quod & ferè exſequutioni mandatum eſt, quàm invaſio poſſeſſionum & redituum Univerſitatis, expulſioque ſtudioſorum, ut ſibimetipſi conſulerent. Sed benignâ Dei providentiâ ferale illud conſilium in auras abiit. Quam in rem Pro-Cancellarius noſter longam habuit Orationem, quâ extraordinariam expreſſit lætitiam & gratiſſimum in Deum animum. *Non fingere nobis, idque mæſtis animis tremuliſque non potuimus, qualis futura eſſet Anglia erutis oculis,* &c. nempe deletis Univerſitatibus: poſtea erumpebat in gratiarum actiones, quas Omnipotenti Deo offerebat, propter fauſtam ipſarum liberationem. Inde occaſionem ſumebat eruditè exſpatiandi, Rabbinis ducibus, in antiquitatem, uſum & neceſſitatem Univerſitatum. *Academias*, inquiebat, *primùm fundavit ipſe Deus*, coætaneas Legi ipſius ac viſibili Eccleſiæ, nec niſi cum illa finem habituras, ut eleganter & eruditè oſtendebat.

Hæc ejus benevolentia in omnem Univerſitatem ferebatur, ſed præſertim in duo Collegia Cantabrigienſia, quibuſcum ipſi intercedebat peculiaris relatio, *Collegium Chriſti*, in quo primùm educatus fuerat, & *Aulam Catharinenſem*, cujus per plures annos Præfectus fuit. Hunc ſuum affectum oſtendit dicato utrique Libro, & Catharinæ quidem Aulæ primas quas in lucem edidit *Horas Hebraïcas.* Doctor Caſtellus, qui mentem ejus omnium optimè noverat, quippe qui tùm ei erat amiciſſimus, loquens de Collegio, *Dilectiſſima tua*, inquit, *Aula Catharinenſis.* Verum eſt ipſum ei præfectum fuiſſe à Poteſtatibus quæ tùm vigebant: ſed poſt fauſtam reſtitutionem horum Regnorum in antiquum ac legitimum Monarchiæ ſtatum, ac reditum Regis, Doctor cognoſcens jus ejus muneris ad alium pertinere, nempe Doctorem *Spurſtow*, ſponte ei locum reſignavit: ſed cùm recuſaret id munus denuò ſuſcipere, Noſter Regem adiit, qui benignè ei conceſſit Literas quibus in ea Præfectura confirmatus eſt. Et cùm rediret hiſce munitus Literis, Socii aliquot milliaria ei obviam iverunt, & eum exceperunt eadem ceremoniâ, quaſi tùm primùm factus fuiſſet Præfectus Aulæ Catharinenſis.

Exiguum certè erat Collegium, & parum ſplendidè ſtructum: ſed ita ei benedixit Deus, ut gloriari poſſet pluribus eximiis & celebribus Theologis, ac Præſulibus Eccleſiæ Anglicanæ, aliiſque præclaris viris, qui

priùs ejus membra fuerant: & ita refertum erat ſtudioſis, ut vix poſſent intra muros Collegii contineri. Itaque tum honoris causâ, tum neceſſariæ ampliationis, Præfectus & Socii decreverunt ſaltem aliquam ejus partem diruere, eamque inſtaurare ampliorem, commodiorem ac ſplendidiorem. Quam in rem cùm unuſquiſque Socius depoſuiſſet illico viginti Libras Sterlingas, Præfectus generosè ac liberaliter contribuit, & præterea auctoritate ſuâ, operâque amicorum effecit, ut alii in eundem uſum beneficâ manu pecuniam largirentur. Sed obiit ſtatim ac opus inchoatum fuit; adeò ut quicquid poſtea in eo opere factum fuit, debeatur indefeſſæ curæ reverendi atque eximii viri *Joannis Eachardi*, S. T. D. qui jam ejus eſt Præfectus, & generoſis viris Londinenſibus, aliiſque, quos amor Literarum, & affectus in Univerſitatem ad conferendam liberaliter pecuniam excitavit. Sed ut redeamus ad Lightfootium, præter iſtam liberalitatem, antea hujus Collegii benefactor fuerat, empto illi prædio. Ideoque ſemper ejus fit mentio, cùm recenſentur Benefactores.

Non multùm quidem commorabatur Cantabrigiæ, non quòd non amaret ſuum Collegium, ſed quòd præcipuè teneri ſe crederet ad vivendum in medio Grege, cujus animæ ipſi commiſſæ fuerant; & quòd ruri major eſſet ſolitudo, quam ad finem uſque, ſtudiorum causâ, efflictim amavit: tantùm enim abeſt ut ejus ſenectuti gravia eſſent, ut forent gratiſſima: *Studendo ſolor ſenectutem*, ajebat viro cuidam erudito.

§. XII.

Fautores ejus & Amici.

MAgna ejus eruditio ac eximiæ dotes ei amicitiam & admirationem conciliavit hominum ſui ordinis, & ſummam gratiam apud Viros Magnates. Præter eos quos jam memoravi, chariſſimus fuit & magno in pretio Reverendiſſimo in Deo Patri *Gilberto* nupero Cantvarienſi Archiepiſcopo, cujus operâ in muneribus Paſtoris *Mundoniæ*, & Præfecti *Aulæ Catharinenſis* à Rege confirmatus fuit. Quod agnoſcit in duabus Epiſtolis præfixis Hebraïcis & Thalmudicis Exercitationibus. Honoratiſſimus *Orlandus Bridgmannus*, aliquandiu *Cuſtos Magni Sigilli*, eruditus ac probus vir, delectabatur Noſtri eruditione; & cùm Judex erat, ac ditionem circumibat, ſemper cupiebat, & ſæpe efficiebat ut Noſter concionaretur Hertfordii in Provincialibus Comitiis, quem propter eruditas ac reconditas obſervationes libenter audiebat. Hic inter alios maximè eum impulit ut in Hebraïcis & Thalmudicis Interpretationibus Novi Teſtamenti pergeret, *conſilio*, *auxilio*, *patrocinio*, *munificentiâ*, ut ipſe teſtatur in Epiſtola præfixa *Horis* in *Joannem*. Honoratiſſimus & eruditiſſimus *Guilielmus Moricius* Eques ex præcipuis Statûs Secretariis, dignus eſt qui ſecundo loco nominetur, qui à nemine ſollicitatus ac rogatus maximè profuit Noſtro in ei conciliando Regis favore, & obtinendis Patentibus Literis, cujus beneficii ſenſus (nemo enim gratioris animi fuit) effecit ut crederet ſibi nomen ejus præfigendum alicui ex ſuis Libris. Charus etiam fuit duobus viris nobiliſſimis ac integerrimis ex *Hertfordienſi* Provincia, *Thomæ Brogravio* Equiti Baronetto, atque *Henrico Cæſari* Equiti Aurato.

Priori duplex intercedebat cum Noſtro nexus, affinitas, & ſimilitudo ſtudiorum; erat enim Judaïcis Literis deditus, ut apparet ex eo quod Lightfoo-

Digitized by Google

Lightfootius & ipſe ſtatuerant adire Bibliothecam Doctoris *Caſtelli*, ut aliquem ex ejus Libris iſtiuſmodi legerent. Doctor Caſtellus permiſit hoc ipſis libenter, literis ad ipſos datis, in quibus dicit: Cabbaliſticos & Rabbinicos Libros ſuos pleroſque eſſe *Higham-Gobione*, ubi Muſæum ſuum ſemper apertum *futurum erat & illi, & Equiti Brogravio, unde ſumere poterant pro arbitrio quemvis Librum quem ſibi uſui fore putabant.* Cùm duobus tantùm milliaribus diſtarent Eques & Lightfootius, ſæpe ad ſe invicem ſcribebant ac ſeſe viſebant, pedibus exiguum illud emetientes ſpatium, tum quia magna inter eos intercedebat amicitia, tum ut de ſtudiis communibus confabularentur. Amicus quidam meus audivit Doctorem plus ſemel dicentem, habito inter eos quopiam ſermone circa neſcio quod ſimile argumentum, Equitem digreſſum in chartam conjeciſſe Diſſertationem *de Academia Athenienſi*, quam ad ipſum attulit. Sed cùm poſtea eam cuipiam Doctor commodaviſſet, non potuit in memoriam revocare cui eam tradidiſſet, adeò ut eruditum illud opuſculum planè perierit. Nec deſunt mihi graviſſimæ rationes conjiciendi quod contigit ſcripto Amici Doctoris noſtri, id aliàs ipſi contigiſſe. At quicunque habent apud ſe deliteſcentia ejus quæpiam Scripta, indigni ſunt amicitiâ tanti viri, cùm ea alios celant.

Oſtendit amicitiam ſuam *Henrico Cæſari* Equiti, dum ſæpe eum inviſit in morbo qui ei poſtremus, ut puto, fuit, cùm Variolis laboraret. Quamvis admodum timeret Familiæ ſuæ, charitas Equitis illius effecit, ut omnia poſtponeret officio quod ei tùm exhibendum erat. Ac præmaturam ipſius mortem multùm deflevit.

Sed primum ac veterem amicum, & patronum, ut meritò eum ſolebat vocare, nec poſſumus nec volumus prætermittere; nunquam enim ad mortem uſque ejus oblitus eſt, nec fere unquam de eo loquutus, ſine maximi affectûs ſignificatione. Intelligo nempe *Rowlandum Cottonum* Equitem, è Comitatu *Salopienſi*, qui eum Paſtorem obtulit *Aſleæ* in *Staffordienſi* Provincia, & maximum fuit inſtrumentum quo ad Rabbinica ſtudia admotus eſt; & cum in iis ipſe doctiſſimus eſſet, Noſtri fuit Præceptor æquè ac Patronus. *Is ſumma cum cura, charitate ac συγκαταβάσει in ſtudiis meis me dirigebat ac ducebat* (ait Noſter in Epiſtola ad *Guilielmum Cottonum* fratris filium & hæredem) *eadem methodo, quâ ipſe deductus fuerat ab eximio illo & incomparabili Eruditionis Oraculo Hugone Broughtono.* Sine dubio Rowlandus videbat bonam indolem & genium felicem in juvene Lightfootio, nec ei quicquam deeſſe præter conſilium & directionem, & aliquem qui ei rectam oſtenderet methodum, ut in virum doctiſſimum evaderet. Atque hoc ipſe ſuſcepit, quippe qui prævideret quantùm in poſterum profecturus eſſet, ſi initia ejus ſtudiorum rectè dirigerentur. Ideo Noſter Cottonianam familiam ſemper ſummo affectu proſequutus eſt; ac memini quidem cùm eſſem Studioſus in Aula Catharinenſi, fuiſſe aliquem ex Cottoniana familia, qui in eam Aulam Doctoris operâ admiſſus fuerat. Hunc præ cæteris obſervabat, & ſæpe eum in cubiculum ſuum advocabat, ut ſibi eſſet conviva, & cum ipſo colloqueretur, benignè denique cum eo ageret propter *Jonathanem*, hoc eſt, in memoriam Propatrui. Idem ille nominis Cottoniani amor effecit ut unum ex filiis *Cottonum* vocaret. Imò etiam amavit ipſum *Bellaporti* nomen, ubi fuit Rowlandi ſedes. Habeo Epiſtolam Rowlandi datam anno 1629. quâ reſpondet Epiſtolæ Dedicatoriæ primi Libri Lightfootii, quem ei inſcripſit. Pretioſam hanc Epiſtolam ad finem vitæ conſervavit Noſter, quaſi ſacras quaſdam reliquias, inſcripſitque propriâ manu titulum, *Rowlandi Cottoni Equitis Epiſtola.*

Verum, ut imponamus finem ſermoni noſtro de *Rowlando Cottono*, de quo jam multa diximus, & de quo nunquam ſatis loqui poterat Doctor Lightfootius, audiamus aliquot verba ex Funebri Concione quæ præparata quidem fuerat, ſed neſcio qua de cauſa non fuit pronunciata. „Beata illa anima, quæ nunc eſt cum Deo, nocte quâ diſceſſit, hoc quo „jam defungor impoſuit mihi munus, hiſce verbis: *Jam olim mihi notus es, extremum mihi praſta amici officium, funebrem in me habeto Concionem; ſed cave ne me laudes.* Difficile profectò munus, Patres & Fratres, mihi impoſitum eſt, cui, cùm præ omnibus maximam habeam „cauſam deflendæ jacturæ meæ, attamen propter hoc mandatum minimè omnium licet deflere. Mirum, Patres & Fratres, mihi impoſitum eſt munus, quem oportet ad vos Funebrem habere Orationem, & „tamen tacere ejus nomen propter quem habetur. Nam ſi dixero „eum eſſe *Rowlandum Cottonum*, vel ipsâ nominis prolatione eum laudavero, &c.

§. XIII.

Conſanguinei & Affines.

Cùm tam prolixè egerimus de Lightfootio, ut nihil digni conſideratu omittamus, jam incipiemus eum qualis erat domi deſcribere. Reverendus ejus pater quinque habuit filios, quorum Joannes noſter ſecundus fuit. Natu maximus Thomas, ſolus ex omnibus filiis mercaturam exercuit. Tertius Petrus, vir ingenioſiſſimus, Medicinam exercuit *Stoceti*, & præter Medicinæ peritiam, magno uſui erat toti illi Tractui, & ſæpè litium arbiter fiebat. In animo habuit ſcribere vitam fratris ſui Doctoris Joannis Lightfootii, ſed mors eum antevertit. Sequens fuit *Joſias*, qui in *Aſleenſi* Miniſterio fratri ſucceſſit. Minimo natu nomen erat *Samuëli*, qui fuit etiam Miniſter, ſed jamdudum fato functus eſt. Ut honeſtâ ac nobili ſtirpe tum paternâ, tum maternâ, oriundus erat, ita etiam hanc à Deo benedictionem conſequutus eſt, ut eum prole augeret. Bis uxorem duxit, & quidem ex honorata utramque familia. Prior uxor fuit *Joycia* filia *Guilielmi Cromptonis*, ex Staffordienſi Comitatu Nobilis, antiquæ familiæ, optimæ famæ & honeſtarum fortunarum. Mater ejus fuerat ex familia *Aſtonis Tixalienſis*, ex Primatibus Regni qui in Anglia *Lords* dicuntur, ſed antea familia Pontificiæ Religioni addicta fuerat. Hæc Cromptonis filia natu minima fuit, niſi fallor, ex novem ſororibus, quarum quæ ad ætatem adultam pervenerunt in honoratis familiis nupſerunt. In Eccleſia Stonienſi ejus Comitatûs, omnium cum tribus Filiis & Parentibus extant imagines in ære, atque ibi etiam aliquandiu Noſter Paſtoris munere functus eſt. Uxor Lightfootii priùs nupſerat *D. Copwoodo*, Nobili honeſtarum in eo Comitatu fortunarum, ex quo duos habuit filios, filiam unam. Filii fato functi ſunt, ſed filia quæ etiamnum vivit, ibi nupta, eſt bonorum patris hæres. Dum noſter Doctor viveret apud *R. Cottonum*, ei primùm Vidua ejus innotuit, nec multò poſt, cùm adhuc admodum juvenis eſſet, eam uxorem duxit. Ex hoc matrimonio nati ſunt quatuor filii, duæ filiæ, cujus alterius *Cottoni* uxor ſuſceptrix fuit. Filiorum natu maximus *Joannes*, Capellanus fuit Reverendiſſimi in Deo Patris *Briani* Epiſcopi Ceſtrienſis, celeberrimi illius Bibliorum Polyglottorum Editoris, qui eum magni faciebat: ſed brevi poſt Patroni mortem obiit, & ſepultus fuit in Cathedrali Eccleſia Ceſtrienſi.

Digitized by Google

Habuit ſex filias quæ omnes obierunt, duabus exceptis quæ Ceſtriæ vivunt. Secundus fuit *Anaſtaſius*, qui etiam hæc cognomina addititia habuit, *Cottonus*, *Jaktonus*, in memoriam *Rowlandi Cottoni*, & *Joannis Jaktoni*, Equitum Doctori amiciſſimorum. Hic etiam fuit Clericus, habuitque Sacerdotium *Thundridgæ* in *Hertfordienſi* Comitatu, ubi vitam, relicto filio, cum morte commutavit. Tertius fuit *Athanaſius*, qui artem didicit Londini, & obiit. Quartus fuit *Thomas*, qui in juventute mortuus eſt. Ejus filiæ fuere *Joycia*, digna uxor *D. Joannis Duckfield* Rectoris *Aſpedenenſis* in *Hertfordienſi* Comitatu, (cujus ſine honoris teſtificatione meminiſſe non poſſum, quippe qui mihi conceſſerit pleraſque chartas, autographa MSS. Epiſtolaſque Doctoris Lightfootii, & aliorum, quibus uſus ſum in hac adornanda narratione, & editis Concionibus) & *Sara*, jam vidua, ſed antea nupta *D. Colclough*, ex *Staffordienſi* Comitatu.

Priorem hanc ſuam uxorem, piam ac prudentem matronam, Doctor noſter ſepeliit anno 1656. Mundoniæ in ſua Eccleſia, poſtquam ferè per triginta annos cum ea vixiſſet. Exinde uxorem duxit *Annam*, viduam *Auguſtini Brogravii*, patrui *Thomæ Brogravii* Equitis, antea memorati. Huic, quæ nullos reliquit liberos, ſuperſtes fuit. Sepulta eſt *Mundoniæ*, ubi fato functa eſt.

Pio Noſtri patri Thomæ Lightfootio, magnæ, ſed veræ laudes ſunt attributæ in *Deſcriptione* vitæ Doctoris. Addam tantùm Inſcriptionem ejus Monumenti, ut legitur nunc in *Stocetenſi* Eccleſia, quam tranſmiſit ad nos *D. Michaël Edge* Paſtor ejus loci, conſcriptam, ut videtur, ab erudito ejus filio *Petro Lightfootio* nuper fato functo.

M. S.

Huc oculos & lacrymas, ô Viator,
Qui veteri ſtudes Veritati, Pietati, Charitati,
Huc, ubi teipſum es olim celaturus.

THOMAS LIGHTFOOTE

Verbi Divini per annos 56. *fideliſſimus Miniſter,*
Eccleſiæ hujus per annos 36. *Vigilantiſſimus Paſtor,*
Vir antiquorum morum, & primævæ ſanctitatis,
Coruſcantis zeli, doctrinæ, virtutis, exempli.
Vir verum exſcribens virum, Paſtor paſtorem.
Sudore ſemper ſquallidus, at formoſus paſtorali,
Salutem ſuam anhelans ſemper & aliorum.

Gloriam magni Paſtoris ambiendo indefeſſus,
Annis ſatur tandem, & bonis operibus,
Confectus ſtudendo, docendo, faciendo, patiendo,
Onuſtus ſpoliis de Satana triumphatis,
Idemque improborum odiis beatè oneratus,
Hic ſuaviter in Chriſto obdormit;
Abſterſis lacrymis & ſudoribus,
Et Vivaciſſimus reſurrecturus.

Unaque ELIZABETH, *tori conſors & pietatis,*
Digno Conjuge Conjux digna.

Obiit ille Julii 21. 1653. *Ætat.* 81.
Obiit illa Januarii 24. 1636. *Ætat.* 71.

Addamus etiam inſtar Coronidis Epitaphium quod *Thomas Lightfootius* ſibi ipſe paraverat, prout in ejus Muſæo poſt ipſius mortem inventum eſt, ut omnes cernant, cum piam & cœleſtia ſpirantem mentem, tum etiam eruditionem ejus Viri à quo Noſter natus eſt.

THOMAS LIGHTFOOT

Olim ſuperſtes, nunc defunctus, alloquitur amicos ſuos, qui in vivis ſunt.

En mea tam multis puppis quaſſata procellis,
Nunc tandem portum, fracta, quietis habet.
Nil ſcopulos ultra, bibulas nil curat arenas,
Iſtius aut mundi quæ mare monſtra parit.
Namque mare eſt mundus, puppis vaga corpus obumbrat,
Atque animam ſignat navita quiſque ſuam.
Portus quem petimus, cœlum eſt: ſed & aura ſalutis,
Quæ navim impellit, Spiritus ille Dei eſt.
Solvite felices igitur, portumque tenete,
Poſt ærumnoſi turbida damna maris.
Sed non ante datur portum contingere, quàm ſit
Fracta per undoſum veſtra carina mare.

§. XIV.

Doctoris Lightfootii ultimus morbus, & mors.

JAm ad ultimam ſcenam vitæ magni hujus ac pii viri pervenimus. Sub finem anni 1675. quo rheumata adeò frequentia & lethifera fuere, cùm Doctor noſter iret *Eliam*, ut per aliquot dies ibi commoraretur, pro Canonicorum more, incidit in ejuſmodi rheuma; quod cùm quereretur, perſuaſum eſt ipſi ut comederet halecem fumo induratam, & ebiberet vini rubri duos aut tres ſcyphos. Prius quidem facilè fecit, ſed ad poſterius difficulter adductus eſt, cùm nihil ſoleret bibere præter tenuem cereviſiam aut aquam. Hoc vinum, juxta Medici judicium, eum in febrim conjecit, vel ſaltem eam auxit. Morbus præcipuè caput ejus affecit, adeò ut vertigine laboraret, vel dormitaret, pauca loquens: ſed ſi quis quæreret, quomodo valeret, piè reſpondebat, *Sum in manibus Dei*; quod ſæpius repetiit. Per totum morbum manſuetus patienſque mirum in modum fuit; pauca aliis dicebat, ſed multùm ſecum & cum Deo loquebatur. Cùm Doctor *Callamy*, tùm Socius Aulæ Catharinenſis, *Eliam* venit ut eum inviſeret, eum in hoc ſtatu reperit; & cùm ab eo petiit num Teſtamentum feciſſet, reſpondit ſe feciſſe, & dixit ubi eſſet. Medici ejus fuere *Doctor Goſnaldus* Cantabrigienſis, & *Doctor Hicks* Elienſis. Doctor verò *Mapletoftus* Decanus, & *Doctor Womockus* Præbendarius tum, jam Epiſcopus S. Davidis, qui officio Eccleſiaſtico unà cum eo fungebantur, præcipuè eum inviſebant. Ita jacuit uſque ad quartam noctem, quâ piam ac ſanctam animam in manibus Dei depoſuit, ætate provectâ, nam intra paucos menſes ſeptuaginta quatuor annos integros completurus erat: attamen potuiſſet diutius vivere, ſi conjectura de vitæ longitudine fieri poteſt ex valetudine ac firmitate temperamenti. Verùm præter annos, ejus opera, & officia quæ ſuis præſtitit dum vixit, faciunt ut verè ſummam ſenectutem attigiſſe dici poſſit. Quo ſenſu nemo fuit qui minùs metuere deberet

probrum

Digitized by Google

probrum Senecæ: *Nihil turpius eſt quàm grandis natu ſenex, qui nullum aliud habet argumentum, quo ſe probet diu vixiſſe, præter ætatem.* Ejus cadaver Eliâ delatum fuit ad chariſſimam *Mundoniam*, ubi cùm per triginta annos Miniſter fuiſſet, ſepultus fuit. *Gervaſius Fulwood*, antea Socius *Aulæ Catharinenſis*, qui jamdudum eum noverat, funebrem in eum habuit Concionem. Valde amatus ac defletus eſt omnibus qui eum noverant, ac præſertim Parœcis ſuis, qui ultimum Vale cum multis gemitibus ac lachrymis ei dixerunt.

§. XV.

Ejus indoles, pietas ac virtutes.

PRæcipuis eventibus vitæ, & laboribus Lightfootii hiſtoricè enarratis, hîc nonnihil ſubſiſtamus, & oculos denuo conjiciamus in eum virum qui tam longæ diſſertationis argumentum fuit, ut cognoſcamus ejus indolem ac vitæ rationem. Erat juſtâ ac commodâ ſtaturâ, vultu miti & ſubrubido, validâ ac firmâ conſtitutione, quæ animi ejus optima erant indicia; aditu facilis, gravis, ſed affabilis ac comis, ſermone manſuetus, gratus, innocens, & cognitionum ſuarum alios participes libenter faciens. Et quamvis nulla in eo eſſet affectatio, tamen neſcio quæ decora agendi ratio quæ nobilitatem ſapiebat in eo cernebatur. Si eſſet cum viris probis ac ingenioſis, liberè & libenter fabulabatur; ſed ſi contingeret eum eſſe præſentem ſermonibus vanis aut malis, tacebat, mœſtus videbatur, & quamprimùm poterat abibat. In victu temperantiæ erat ſingularis: quam vivendi rationem præcipuam eſſe Medicinæ partem dicere ſolebat Regina Elizabetha. Victus ejus erat ſimplex & facilis. Vino abſtinebat ſemper & cereviſiâ quidem ac *Alâ* quum domo abeſſet, bibens tantùm aquam, domi verò cereviſiam ſibi confectam, quæ erat valde tenuis: hac delectabatur, & valde etiam recentem bibebat. Rarò in die plus quàm ſemel cibum capiebat, & ſex quidem hebdomadis diebus prandium, Dominicis verò cœnam. Quâ ratione ſuis ſtudiis maximam temporis partem tribuere poterat, & conſtantem ac firmam valetudinem ſibi conſervavit. Genio erat, præter aliorum morem, curioſo, qui amabat inquirere in res abſtruſas, & vias nondum calcatas inire, ut ſatis intelligi poteſt ex eo ſtudiorum genere, cui ſe totum dedit. Videtur amaſſe inquiſitionem in Spirituum naturam, & defunctorum apparitiones. Erat longa narratio apparitionis Spiritûs *Driffeildiæ*, quæ eſt oppidulum in Eboracenſi Provincia, quæ miſſa fuerat ad Doctorem *Burtonum* tùm Socium Collegii Magdalenæ Cantabrigiæ, ab amico qui in eo Collegio vixerat, eamque acceperat ab ipſa muliere cui Spiritus ſæpiùs apparuerat. Hujus Epiſtolæ Doctor *Burtonus* Noſtrum participem fecit, qui eam manu propriâ exſcripſit, quamvis penè integrum chartæ folium impleret; quippe qui eo modo non tantùm curioſitatem ſuam paſceret, & veritatem apparitionum inde videret, ſed etiam cum magno ſtupore legeret varios & miros ſermones Spiritûs illius, nimiùm prolixos, quàm ut huc transferri queant. Erat animo manſueto & tenero, qui facilè dejiceretur, & ad lachrymas deveniret. Audivi cùm publicâ admonitione caſtigaret adoleſcentem Collegii ſui, qui gravium peccatorum reus erat, convocatis in Aulam campanæ ſono ſtudioſis, eum graviter quidem coarguiſſe ſtudioſum, ſed tanta ſimul cum miſericordia, ut oculi ejus lachrymis humere ſimul obſervati fuerint. Mollior ea diſpoſitio faciebat, ut facilè animum deſponderet. Nec ulli alii cauſæ aſſignandus eſt caſus iſte, quo penè factum eſt ut Literatus Orbis defraudatus

fraudatus fuerit eximio illo Tractatu de Templo, qui, ipſo referente, hic fuit. Eodem ipſo tempore matutino quo inchoaverat Deſcriptionem Templi, exiit ut videret prædium quod milliari uno ab ejus ædibus diſtabat, & quod per plures annos jam poſſidebat, ſed nunquam viderat. Ducem accipere noluit, ut ſolus eò, meditationis cauſâ, contenderet. Sed tandem è via digreſſus aberravit. Tum, ut ait, animus ejus cœpit ipſum ſtultitiæ arguere, quòd tam ſtudioſè remota inquireret, & quæ ad ipſum tam parum pertinebant, cùm vicina, & præſertim quæ ſua noſſe intererat, adeò negligeret; ſtultitiæ, inquam, qui occuparetur in deſcribendis aliis locis & ædificiis quæ tot milliaribus diſtarent, quot ſunt hinc in terram Canaan, & poſt tot ſæculorum ruinas; & tamen ignoraret, nec poſſet invenire viam agri ſui tam vicini. Atque hæc cogitatio ita eum perculit, ut decreverit id opus abjicere, & aliquandiu revera neglexit, donec affectus Librorum id in manus ſumere rurſus cogeret. Ita generoſi animi re nihili aliquando deterrentur. Nemo gratioris in beneficos erat animi, nemo faciliùs injurias condonabat, cùm eſſet ingenii tranquilli, placidi, ac ſedati.

Erat etiam cautus ac prudens in ſuis conſiliis; expendebat ſedulò circumſtantias; & in remotas uſque rerum penetrabat conſequentias. Hoc apparet ex argumentis quibus ante multos annos uſus eſt adverſus Londinenſem Miniſtrum, cujus major erat zelus, quàm ſapientia, & quoſdam viros ex Congregatione Weſtmonaſterienſi, qui acerrimè contendebant eſſe omittendam celebrationem Diei Natalis Domini. Præter rationes deſumptas ex Religione, quibus oſtendit hoc eſſe licitum in ſe, & Dominum prædicaſſe in Feſto Dedicationis, quod humanæ inſtitutionis erat, urſit mala quæ inde naſci poſſe prudentia ſatis docebat; qualia hæc erant, odium inde conciliatum iri Congregationi, tumultum excitatum iri; adeoque præſtare talia relinquere intacta, quàm propterea turbas creare. Quæ oratio viri ſapientis fuit, non ſecus ac nequaquam novaturientis. Aliud etiam ejus acumen & prudentiam oſtendit. Cùm quæſitum fuiſſet in eo Conſeſſu, an ii qui exibant ſalutare deberent Conſeſſum, (nempe, ut opinor, ut melius noſcerentur qui exibant) & jam decretum in eam rem futurum eſſet, Doctor noſter optavit, *ne id in Commentariis ad poſteritatem tranſmitteretur, ne ſciret huic Conſeſſui opus fuiſſe decretum facere, quo ſarta tecta conſervaretur communis Civilitas:* quo audito res omiſſa eſt, & decretum abrogatum.

Sed cùm eſſet & Paſtor & Chriſtianus, ſpirituales ejus dotes eum illuſtriorem fecere, quàm eæ quas à natura acceperat, vel ſtudio acquiſiverat. Illæ Dei amorem ei conciliarunt, ut aliæ admirationem & exiſtimationem hominum. Ante omnia rectè vitam inſtituit, ut ſe Miniſterio pararet: nam poſtquàm Cantabrigiâ digreſſus conſumpſit ruri duos vel tres annos, ubi Hebraicis Literis incumbere cœpit, decrevit ire Londinum, ut ibi uteretur commoditate Librorum Theologicorum, & compararet neceſſarium lectionis ac eruditionis ſubſidium ſacro muneri quod ſuſceperat, priuſquàm ulteriùs ſeſe ei addiceret. Hìc per aliquot annos ſolitariam & privatam egit vitam, legitque Patres & plures alios Libros quibus promovere ſtudia ſua Theologica poſſet. Tùm concionabatur quidem, ſed raró, cùm aliis rebus attentus eſſet. Sed cùm quidam, qui ejus labore ſublevari cupiebant, eum deſidiæ propterea accuſarent, ut eam accuſationem purgaret, primum ſuum Librum edidit, ut oſtenderet ſe deſidem non vivere, licèt non concionaretur. Nunquam eum iſta accuſatio ſollicitum habuit, cùm eum abſolveret conſcientia, ut dicit in Præfatione Libri illius; licèt fateretur,

Digitized by Google

ſe non ita feſtinum eſſe at alios, ut ſe ſine neceſſitate intruderet. Sed cùm ſemel animarum curam in ſe ſuſcepit, omnes Miniſterii partes diligentiſſimè implevit. Conſtanter concionabatur, Parochiali ſuæ Eccleſiæ, quæ milliari uno diſtabat, inſerviens unaquaque Die Dominicâ, hyeme, æſtate, ſicco ac pluvio cœlo, niſi domo abeſſet, aut morbo detineretur. Sedulò viſitabat ægros quotieſcunque advocabatur, eorum miſeratus ſortem, quibus ſalubria conſilia & conſolationes ſuppeditabat. Summus hoſtis erat Schiſmatis & Factionis, & parum Chriſtianæ ſeparationis ab Eccleſia; & ſolebat tum in Concionibus, tum in Sermonibus quotidianis urgere Communionem. Omittere non debemus argumentum quo utebatur ad ſuadendam Communionem cum Nationali Eccleſia, ductum ab exemplo Domini noſtri Jeſu. Hoc ſæpè & validè hoc in negotio urſit: & præſertim paucis menſibus ante mortem, in ordinaria quapiam Concione hæc verba protulit: *Quæram ab illis*, (deſignabat eos qui publicum cultum negligunt) *num putent Servatorem noſtrum unquam prætermiſiſſe diem Sabbati toto tempore quo hic fuit, quin ſemper publico cultui præſens fuerit, ſeu in Templo, ſeu in Synagoga? Percurrite Euangelia, & videte ex tota Hiſtoria, num unquam abfuerit à publica Congregatione die Sabbati? Legite* Luc. 4: 16. *(ut alia omittam)* Et venit Nazareth ubi fuerat nutritus, & intravit, ſecundum conſuetudinem ſuam, die Sabbati in Synagogam, & ſurrexit legere. *Solebat frequentare Synagogam, publicum cultum, & Congregationem die Sabbati, nec unquam aberat. Surrexit ad legendum in Synagoga Patriæ ſuæ, quippe qui agnoſcebat ſe membrum eſſe illius Congregationis: nam non legitur in ulla alia legiſſe Synagoga. Solebat ire ad publicam Congregationem Sabbati die; & hi homines eò ire non ſolent. Nunquam abſuit à publico Cœtu; hi homines Religionem ducunt ſemper ab eo abeſſe. An eſt publicus noſter cultus corruptior quàm illorum? Si eſt, oſtendant: ſi non eſt, rationem reddant quare conſuetudinem ſequantur planè contrariam conſuetudini Servatoris?* Conciones ejus plerumque erant ſimplices, quippe quæ habebantur ad ruris incolas, ad praxin præcipuè & pietatem omnia revocantes. Si verò contingeret in Concionum ordine eum incidere in Controverſiam aliquam, eam quàm pauciſſimis poterat conſtringebat verbis, & dum in ea verſabatur, conabatur eam ad pios fines dirigere, & utiles inde moribus doctrinas educere. Facilis ac gratus earum erat ſtylus, & eloquentia neſcio quæ in iis erat Noſtro peculiaris, quâ attentionem excitabat, & vividè commovebat affectus, adeò ut nunquam ipſi frequens deeſſet Auditorium, vix uno in ejus Parœcia ſeſe ejus Miniſterio ſubtrahente. Aliâ etiam boni Paſtoris dote ornatus erat, nempe charitate ac beneficentiâ. Ejus domus perpetuum erat Ptochotrophium, unde nemo abibat vacuus; quòd quidem adeò notum fuit, ut ſumptus extraordinarios faceret in largienda ante fores ædium ſuarum eleemoſyna. Tanta ejus erat miſericordia, ut quicunque egeni venirent, liberalitatis ejus participes fierent, & ſæpè etiam pauperes ad focum intromitterentur ut calefierent, imò & paſcerentur, ac veſtirentur. Præterea ſolebat hyemali tempore opus aliquod quærere pauperibus ſuæ Parœciæ, ut netionem, &c. quò induſtria & labor exerceretur, & pauperibus ſuccurreretur. Arcanæ ejus liberalitates in pauperes magnæ fuiſſe oportet, quoniam cùm haberet trecentas Libras Sterlingas annuas, nec magnos ſumptus qui cernerentur faceret, nihil tamen ſeponebat, ſed totum conſumebat reditum.

Si privatam ejus vitam conſideremus, verè pius erat in Deum. Amicus ejus Doctor Caſtellus ſic eum deſcribit: *Neminem novi ſub cœlo, cujus vicinia me magis juvaret ad tolerandam patienter vitam, quàm ejus qui tantam habet pietatem, quantâ tu ornatus es.* Die Dominica foris æquè ac domi ſemper

abſtinebat potu & paſtu, donec Veſpertinus Cultus eſſet peractus, ut attentior eſſe poſſet propriis Meditationibus ac *Devotionibus*, & ut à ſomno & torpore liberior eſſet in Eccleſia, quibus nihil minùs convenit Cultui Divino. Quotieſcunque rediret ex itinere, ſolebat tranſire per ſuas ædes uſque ad penetrale in quod ſecedebat, nemine compellato vel ſalutato, niſi ipſi occurreret, donec preces privatim fudiſſet. Ad paſtum quod attinet, ſemper Deo gratias agebat, nunquam querens propter ullum cibum qui ipſi apponeretur, ſed ſemper gratum in Deum animum teſtabatur propter quemlibet cibum, præter ordinarias preces ante & poſt paſtum. Erat certè πιτάγωνος ἀνὴρ, Vir undecunque probus, qui ſibi quocunque iret venerationem conciliabat, & propter peculiares quaſdam virtutes dignus erat

- - - - - *Monſtrari, & dicier, Hic eſt.*

Profundam tantùm ejus modeſtiam & humilitatem memorabo. Vir tam eruditus, & ſupra pleroſque doctrinâ tantopere evectus, ipſe de ſe tam humiliter & tam modeſtè ſentiebat, ut in ſui ipſius oculis, ut ita loquar, nihil eſſet. Adeatur ejûs Epiſtola ad *Collegium Chriſti*, ab hiſce verbis, *Cùm repeto quantum ſine numero*, &c. ubi etiam ſe *indigniſſimum hominum* vocat. In alia rurſus ad lectorem, tum alia habet ſummam modeſtiam redolentia, tum in hæc verba erumpit: *Heu! quàm ego cùm Doctos cogito, in oculis meis non ſordeſco ſolùm, ſed & nihileſco.* Atque hanc Doctoris noſtri modeſtiam puto me rectè feciſſe quod memorare diſtulerim ad finem Diſſertationis meæ, cùm ea ſit omnium aliarum ejus virtutum & dotum corona. Qua in re ſuperavit Magiſtri ſui Magiſtrum, nempe *Hugonem Broughtonum*, virum certè eruditiſſimum, ſed qui magna de ſe ſentiret, impatiens contradictionis eſſet, & ad alios contemnendos pronus, quibus vitiis nunquam infectus fuit noſter Lightfootus.

§. XVI.

Brevis pro Lightfooto Apologia, & Epilogus.

HIſce omnibus memoratis, nihil videtur ſupereſſe, niſi ut quædam diluamus quæ ejus Nomini maculam aliquam inurere poſſent; ut memoriam ejus puram & inculpatam, quantùm fieri poterit, ad poſteritatem tranſmittamus: quo peracto, ejus feretro velum obducemus, ipſique & lectori valedicemus. Duo eſſe video quæ à quibuſdam ipſi vitio verti queant. Unum eſt, quòd peculiares quaſdam opiniones amplexus fuerit: alterum, quòd difficillimis temporibus, quæ nuper elapſa ſunt, tranſverſum ſe rapi nimiùm paſſus ſit. Non eſt animus eum prorſus ab hiſce purgare, ſed culpam tantùm emollire ac minuere. Conſideremus ergò eum fuiſſe hominem, adeòque peccatis ac infirmitatibus æquè ac alios obnoxium; imò & viros celeberrimos ſeu eruditione, ſeu probitate, aliquo nævo vitiatos fuiſſe. *Nullum magnum ingenium ſine mixtura.* At magnæ ejus dotes & merita ingentia in Eccleſiam & Rempublicam Literariam veniam mereri poſſunt iis peccatis, in quæ vel ignorantiâ, vel infirmitate delapſus eſt.

Ad peculiares ejus opiniones quod attinet, qualis eſt de omnimoda & æterna rejectione Judæorum, judicium ejus de quatuor Monarchiis, ejus interpretatio quorumdam locorum Apocalypſeos, & alia quæ obſervare

eſt in ejus Scriptis & diſputationibus in Congregatione Theologorum; hac ratione defendi poteſt, nempe ſi iſta vera non ſint, innocua ſunt, atque ea nec pacem Eccleſiæ, nec Analogiam fidei lædunt: quæ duo ipſi ſemper maximè cordi fuerunt: *Innocua, ut ſpero, proponens ſemper*, ut ipſe loquitur in Epiſtola præfixa *Horis Hebraicis in Joannem*. Vide & Epiſtolam præfixam *Horis Hebraicis* in priorem ad *Corinthios*. Et dum iſta duo ſalva ſunt, licitum videtur, præſertim viris eruditis, probabiles afferre interpretationes, & in ſuo ſenſu abundare.

Fuit certè membrum Congregationis Theologorum, & diu poſtea, ut puto, unus ex iis qui initio fauſti Regis reditûs electi ſunt ad colloquium habendum cum Epiſcopalibus Theologis in *Sabaudicis* ædibus: unde apparet eum aliquandiu ad *Puritaniſmum* propendiſſe. Hæc certè ejus infelicitas fuit, ut & aliorum piorum & bene animatorum virorum, quòd vixerint iis tentationis temporibus, quibus ſi lapſi ſunt, id inde evenit, quòd non eſſent ſatis aſtuti ad videndas malas conſequentias ſpecioſorum prætextuum. Affirmare poſſum, credulitatem, non malitiam aut malum animum, eum in errorem conjeciſſe. Abreptus fuit aliorum diſſimulatione, (quod & uni ex Apoſtolis Chriſti ſemel contigit) idque eò faciliùs evenit, quòd eſſet vir ſimplicis, nec ullatenus ſuſpicacis indolis, præſertim quòd res omnium ſanctiſſimæ, Religio & Reformatio, ad cœlum laudibus tollerentur. Nec dubito quin poſtea quantùm fuiſſet deceptus deprehenderit, atque errorem ſuum viderit, ut ſatis apparet ex prompto obſequio quod legibus & inſtitutionibus inſtauratæ Eccleſiæ Anglicanæ exhibuit: filiis etiam qui è Clero conformes Legibus fuerunt, eò perductis. Nunquam ſuperſtitioſus fuit, aut negotiis gerendis deditus; ſemper plura paſſus eſt quàm egit, niſi in Congregatione Theologorum. Atque ibi dogmata quæ ventilavit fuere ferè ſemper fundamenta *Presbyteraniſmi*, quorum pleraque oppugnavit. Ac certè ſi conſideremus quantoperè aggreſſus fuerit eorum πρῶτα ψεύδη, ut cùm argumentatus eſt adverſus *Seniores Laicos*, & propugnavit admiſſionem omnium ad Sacramenta, ac formulas Precum, aliaque ſimilia, videbimus ſatis Presbyteranos nunquam eum verè inter ſuos numerare potuiſſe; atque eò propendeo ut credam, eos plus ſemel optaſſe eum à Congregatione abeſſe. Certè tùm fuit potiùs propriis ſententiis addictus, & privata potiùs perſequutus ſtudia, quàm partes ullius hominis ſequutus; ac veram probitatem quantùm poterat promovebat. Temporibus illis ſibi tria hæc vel quatuor potiſſimùm propoſuit; nempe everſionem Enthuſiaſmi, quem videbat palàm graſſari ad enervationem auctoritatis Scripturæ; defenſionem eruditionis & publici Miniſterii; demonſtrationem neceſſitatis colendæ publicæ communionis cum Nationali Eccleſia, ubi ſine dubio difficillimis illis temporibus utiliſſimam operam navavit Eccleſiæ. Eximiâ arte pollebat evellendorum è manibus Schiſmaticorum, armorum illorum, quibus maximè confidunt. Poſſem oſtendere quâ ratione ſe gerebat erga Enthuſiaſtas, Anabaptiſtas, &c. Sed eos tantùm memorabo qui ſuam ſeparationem defendere conabantur voce *Sancti* in Scriptura uſurpati, contendentes eâ ſignificari homines verè atque internè ſanctos. Ignorantia amplitudinis ſignificationis hujus vocis multas peperit acerbas diſputationes, & ſævas opiniones, non exiguo eorum periculo, qui ipſorum judicio *Sancti* non erant. Hanc in rem habuit Latinam Concionem *Eliæ*, tempore viſitationis Epiſcopalis Reverendiſſimi in Deo Patris *Benjaminis* Epiſcopi Elienſis. *Nec periculoſiùs*, inquiebat, *aut terribiliùs ſonuit olim Shibboleth Gileaditarum, quàm nuper titulus Sanctorum*. Cùm, ut in ea Concione oſtendit, & poſtmodùm urgere ſolebat,

Digitized by Google

lebat, voce *Sanctorum* nihil ſignificaretur præter Chriſtianos *καθ' ἀντίθεσιν* Ethnicis atque incredulis; qua in re Apoſtolus loquitur juxta conſuetudinem Judæorum, apud quos בקדשה, *in Sanctitate*, nihil eſt niſi, in *profeſſione Judaicæ Religionis*, & לא בקדושה, *non in Sanctitate*, in Ethniciſmo.

Sed tempus eſt manum de tabula tollendi, licèt probè videam quicquid dictum eſt id brevius eſſe multò iis quæ dici potuiſſent de viro qui eminentem in Erudito Orbe occupabat locum, & quæ dicta fuiſſent, ſi ab eruditis ejus amicis omnia accepiſſemus quæ nobis impertiri potuiſſent: ſed quæ jam ſcripta ſunt ſufficiunt ad ipſius levem delineationem tradendam. Si quid in iis deſideretur, non deſiderabitur ſaltem veritas, cùm hæc partim acceperimus ab iis qui eum probè norant, aut ejus affinibus; partim verò collegerimus ex Epiſtolis ab eo editis, ſed præcipuè ex multis aliis Literis, Chartis ſolutis, Commentariis, aliiſque MSS. quæ præ manibus habemus. Quæ methodus jam eſt in uſu, ac certè ad conſcribendas Hiſtorias optima eſt. *Epiſtolaris Hiſtoria eſt optima Hiſtoria*, uti ſolebat dicere *Cardinalis Baronius*. Nihil hìc ſcripſi favore aut odio, nec ullum alium ſcopum habui, niſi ut Auctorem noſtrum verè pingerem qualis erat, iis quibus eum legere aut cognoſcere animus erit. Atque hanc methodum elegi juxta quam dicenda digererem, ut hanc in rem aptiſſimam, cùm ſit properata Rhapſodia eorum quæ digna memoratu de viro hoc eximio ſupererant, ac omiſſa fuerant in Deſcriptione ejus Vitæ. Hæc quidem non ſunt ita accurata ac emendata ut eſſe potuiſſent, & fuiſſent, ſi longius conceſſum fuiſſet tempus. Si quis meliùs Auctorem noſſe cupiat, ipſe ejus adeat Libros, ubi cauſam ſuam dicentem audiet Lightfootium, & in unaquaque pagina dotes atque indolem ſuam videbit oſtendentem. Ibi cernèt eruditionem, diligentiam, *ἀκρίβειαν*, candorem, humilitatem, amorem pacis, avidam veritatis inquiſitionem, magnum zelum in Deum & Religionem, quæ undiquaque in ejus Scriptis micant.

Jam autem, an lectæ longæ hujus Relationis nullum percipietur beneficium, niſi quòd nova quædam lecta fuerint? Tùm certè fruſtrà collocatum eſſet tempus. Magna exempla ſunt magna argumenta ad homines ad imitationem impellendos. Si cupiamus eam conſequi exiſtimationem quam inter probos reliquit, debemus ejus veſtigia ſequi, atque ad ejus virtutem ac eruditionem totis viribus contendere, & in hanc rem uti iiſdem inſtrumentis quibus eſt uſus, induſtriâ nempe, ſtudio, conſtantiâ, & præſertim modeſtiâ, ignorantiæque noſtræ ſenſu. Abſque hac poſtrema virtute ſi qui ad aliquem eruditionis gradum pervenerunt, milleni eâ exciderunt. *Puto multos*, ajebat Seneca, *potuiſſe ad ſapientiam pervenire, niſi putaſſent ſe perveniſſe*. Denique, ſi quid ipſi habeamus, aut utilitatem aliquam ex aliorum dotibus duxerimus, uti omnia tandem reſolvi debent in gratiam & liberalitatem Dei, ita nec nos oblviſci par eſt ei proptereà omnem laudem & gloriam tribuere.

Ad Authorem.

ETſi jam triſtem glacies incarcerat annum,
Excidit & rigida penna caduca manu;
Ipſe licet ſtupeat concretus pyxidis humor,
Durus & in nigras pernegetire notas;
(Immo etiam reſoluta focis prodire tremiſcit
Pallens conſpecta lacryma nigra nive;)
Quamvis Muſarum ſtagnent in marmora fontes
Fluminis obliti, vena nec ulla fluat:

Attamen

Digitized by Google

Attamen huic dextra, veteri ne deſit amico,
Quod negat undarum vena, dabit ſiliciis.
Gratulor ergo tibi, Lightfoote, *volumine juſto*
Quòd libros donet poſtuma cura tuos.
(Nam quaſi præſentem nunc te compellat amicè
Muſa memor, palpi ſuſpicione procul.)
Tu Rabbinorum *percurris ſingula, ſordes*
Edoctus planta tranſiliiſſe levi.
Dumque tuas longis redimis de noctibus Horas,
Concinnas nobis ex Oriente diem.
Abſtulerat quondam Legis gens invida clavem, ac
In Thalmude *ſuo poſtea condiderat.*
Hanc tu, ruſpando, reperiſti; hac plurima pàndis,
Et reſeras nobis, quæ latuere diu.
Sic clavam Alcidæ *extorques, enſemque* Goliæ
Cum ſpoliis Phariis *das modò ſacra Deo.*
Sic olim, Paulus *quam ſcripſit, Epiſtola cunctas*
Exhibuit nobis Gamalielis opes.

W. D.

JOHANNES LIGHTFOOT S. T. P.

Agro Staffordienſi *oriundus,*
Eccleſiæ Magnæ Mundoniæ *in agro* Hertfordienſi *Rector,*
Aulæ S. Catharinæ *apud* Cantabrigienſes *Præfectus,*
Et Elienſis *Canonicus.*
Eruditione omnifariâ, præſertim Orientali,
Inſtructiſſimus.

Qui Thalmudicam doctrinam miro judicii acumine tractavit,
Et Rabbinicæ literaturæ venam exhibuit
(Quod rarum) ſine ſcoriis.
S. Scripturis obſcurioribus lucem dedit, confuſis harmoniam.
In Chronologiæ δυσνοήτοις *eruendis Conjector feliciſſimus.*
Et Hebraicæ veritatis Vindex ſtrenuus.

Intimus Templi Hieroſolymitani Myſtes,
Qui ſecretiora adyta penetravit, ſacra ordinavit.
Atria menſus eſt
Calamo verè Angelico.

Terram Canaaniticam,
Injuriâ temporis magnâ parte deperditam,
Face requirens Thalmudicâ,
Sibi ipſi, & Orbi reſtituit.

Qui bonas literas optimis ornavit moribus,
Suavitate ſingulari, candore ſummo, humilitate eximiâ:
Amicis maximum reliquit ſui deſiderium,
Omnibus exemplum.

Senectute vegetâ
Studendo, ſcribendo, concionando lubenter impenſâ,
Depoſuit tandem quicquid erat mortale.
Horis verò Hebraicè & Thalmudicè impenſis
Nomen ſuum reliquit
Æternitati Sacrum.

Digitized by Google

SYLLABUS TRACTATUUM

in Primo Volumine contentorum.

I. *Harmonia, Chronica & Ordo Veteris Teſtamenti.* Pag. 1

II. *Paucæ ac Novellæ Obſervationes ſuper Librum Geneſeos.* 151

III. *Manipulus Spicilegiorum è Libro Exodi.* 161

IV. *Erubhim, ſive Miſcellanea Chriſtiana & Judaica, aliaque.* 191

V. *Harmonia Quatuor Euangeliſtarum tum inter ſe, tum cum Veteri Teſtamento, Pars* I. *deducta à principio Euangeliorum ad Servatoris uſque Baptiſmum.* 233

VI. - - *Pars* II. *A Baptiſmate Servatoris noſtri ad Paſcha indè primum.* 355

VII. - - *Pars* III. *A primo Paſchate poſt Salvatoris noſtri Baptiſmum ad ſecundum.* 421

VIII. *Deſcriptio Templi Hieroſolymitani, præſertim quale erat tempore Servatoris noſtri.* 549

IX. *Miniſterium Templi quale erat tempore noſtri Servatoris, deſcriptum ex Scriptura & antiquiſſimis Judæorum Monumentis.* 671

X. *Diſſertatio in Quartum Articulum Symboli Apoſtolici* Deſcendit in Infernum. 759

XI. *Concio ad Clerum Cantabrigiæ habita pro Gradu Doctoratûs.* 776

XII. *Diſputatio in Publicis Comitiis pro Gradu Doctoratûs.* 791

In Secundo Volumine.

I. *Harmonia, Chronica & Ordo Novi Teſtamenti: quibus ſubjungitur Diſſertatio de Hieroſolymorum Excidio & ſequente Judæorum Statu.* Pag. 1

II. *Horæ Hebraicæ & Thalmudicæ, impenſæ* I. *in Chorographiam aliquam terræ Iſraëliticæ.* II. *In Euangelium S. Matthæi.* 163

III. - - *in Euangelium Sancti Marci. Præmittitur Decas Chorographica, loca nonnulla terræ Iſraëliticæ perluſtrans, & præſertim quorum mentio apud S. Marcum.* 393

IV. - - *in Euangelium Sancti Lucæ. Præmittuntur Chorographica pauca de locis apud hunc Euangeliſtam nominatis.* 469

V. - - *in Euangelium Sancti Joannis. Præmittitur Diſquiſitio Chorographica, loca quædam terræ Iſraëliticæ inveſtigans, illa præſertim quorum mentio apud hunc Euangeliſtam.* 571

VI. - - *in Acta Apoſtolorum.* 683

VII. *Commentarius Chronologicus & Criticus in Acta Apoſtolorum.* 743

VIII. *Horæ Hebraicæ & Thalmudicæ impenſæ in quædam Capita Epiſtolæ S. Pauli ad Romanos.* 873

IX. - - *in Epiſtolam primam S. Pauli ad Corinthios. Quibus adjuncta ſunt quædam Capita de Uſu Bibliorum in Conventibus Judæorum Sacris, deque Bibliorum Verſionibus, potiſſimùm Septuaginta Interpretum.* 879

HAR-

Digitized by Google

HARMONIA,
CHRONICA ET ORDO
VETERIS TESTAMENTI.

Annorum obſervatio & digeſtio Chronologica; Librorum item, Capitum, Hiſtoriarum, Prophetiarum, &c. ordinata diſpoſitio, prout naturalis & genuina Chronologiæ & Hiſtoriæ ſeries requirit.

Additâ ratione tranſpoſitionum Textuum atque Hiſtoriarum occurrentium; Obſervationes item perquam multæ & inſigniores ſuper Textu Sacro: Difficultates in Chronologiâ ſublatæ: Diverſitates in Hiſtoriarum relatione conciliatæ; & plurima loca *Veteris Teſtamenti* breviter elucidata.

Digitized by Google

Digitized by Google

Illuſtribus Dominis,

D. ROBERTO,

Comiti Varvici, Baroni de Lees, le Rich, &c.

D. EDUARDO,

Comiti Manceſtriæ, Domino Kimboltonii, &c.

Oratori p. t. Domus ſuperioris Parlamenti.

Celeberrima inter Judæos & immota regula eſt, (Nobiliſſimi Proceres) Non eſſe Prius & Poſterius in Scripturâ; אין מוקדם ומאוחר במקרא

Mens Dicti eſt, ex ordine locoque quo Textus in Bibliis collocatur, non comprobari ubique proprium tempus Hiſtoriæ, quam Textus narrat: ſed fieri aliquoties (ne dicam, frequenter) ut ponantur Hiſtoriæ extra naturalem ſuum & Chronologicum locum, utque res perſæpe prius referantur, quæ ordine temporis poſterius factæ ſunt; & vice verſâ.

Quod paſſim obſervare eſt in Quatuor Euangeliis, ſi accipiantur ſingula, præcipuè verò ſi ſimul ſumpta inter ſe invicem comparentur. Accidit enim aliquando, ut idem Euangeliſta proprium ſuum ordinem invertat: & creberrimè, ut unus ab altero differat ordine & methodo; utque hic poſterius enarret, quod ille prius retulerat; & hic prius referat, quod ille poſterius enarrârat; quemadmodum illorum Quatuor Harmoniam digerenti, perſpicuum & evidens futurum eſt locis oppidò multis.

Neque tamen hæc Hiſtoriarum Textuumque tranſpoſitio ſolis eſt Euangeliſtis propria; verum idem Spiritus, qui utrumque dictavit Teſtamentum, eundem pariter in utroque tramitem obſervavit; emovendo Textus, Capita & Hiſtorias nonnunquam extra illam ſedem, ubi convenienter naturali & Chronologico ordini fuerant collocanda. Eſtque hæc una ex notis illis Majeſtatis, quâ Spiritus Sanctus ſuo per Scripturam inceſſu ſe conſpiciendum præbet.

Neque ergo tranſpoſitiones illæ pro imperfectionibus ſunt habendæ; majorem enim ubique ſapientiam oſtendunt: neque redigere, quæcunque ſede ſua emota ſunt, in naturalem ordinem, tantundem eſt, ac corrigere methodum Spiritus Sancti: nihil enim id aliud eſt, quam enodare illas difficultates, ad quarum intellectionem Spiritus Sanctus noſtrum ſtudium intentius efflagitavit. Neque optandum ideo foret, Biblia noſtra in talem redacta methodum edi, & iſtiuſmodi ſola in communi uſu verſari: nam ipſa illa Bibliorum facies, quæ nunc ſpectatur, divina eſſe videtur, quo facit & dictum Luc. 24:44. *Vehementer verò neceſſarium eſt, & ſerio cui-*

Digitized by Google

libet ſtudioſo Scripturæ ſcrutatori foret res plurimi uſus, expendere Biblia proprio ordine ſuorum temporum & hiſtoriarum; ac familiariter noviſſe, ubi methodus ſit directa, ubi verò tranſpoſita; tum quâ ratione & ſede, tranſpoſita illa ſint reponenda.

Hoc inſtitutum mihi propoſui, ſecutuſque ſum, dum privato ſtudio Scripturam evolvo, plurimis annis: utilitas autem, quam perpetuò inde percipere viſus ſum, (& ſpero me opinione falſum non fuiſſe) non tantum inſtivit me ad pergendum in eâ agendi ratione, acriori indies cum ſtudio; ſed nunc quoque perſuaſit, experimentum illius & quaſi guſtum aliquem publico judicio exponere: non quod conatum meum tanti faciam, ut me opus abſolviſſe putem, vel certè in proximis conſiſtere; ſed quod ſperem, fieri poſſe, ut labor hic meus felices aliquas manus provocet, quæ ſpem foveant operis perficiendi.

Equidem haud memini, ſimile opus ullâ linguâ tentatum audire aut videre, ubi ſcilicet Vetus Teſtamentum ad Harmoniam eſſet redactum, & diſpoſitio ejus revocata ad aptam Seriem. *Ideo periculoſam aleam ſubiiſſe me confiteor, qui glaciem heic frangere, & viam ingredi nulli tritam priori ſuſtinuerim; ad quam temeritatem excuſandam nullum mihi aliud eſt præſidium, quam mea ipſius ignorantia & Lectoris humanitas. Spero nihilominus deſiderium meum provocandi alios ad emendandum id quod ego ivi corruptum, & commovendi per meam imperitiam aliquem Artificem, ut miſeretur opus, eique manum admoveat; apud illos, quibus audaculum hoc factum ita placebit interpretari, in bonam partem iri acceptum.*

Si autem quærere nunc vobis libeat, Viri merito veſtro maxime illuſtres, unde ea quoque me audacia inceſſerit, ut tenue hoc Donum viris adeò celſi ordinis & officii offeram; equidem, quod reſpondeam, nihil præter unum hoc habeo, derivari illam a veſtrâ ipſorum benignitate, & ab humili animo, qui vos jure meritoque veneratur.

Conſcius ſum mihi, nihil à me poſſe proficiſci, quod veſtram dignitatem adæquet; & probè etiam novi, veſtras occupationes nullâ meâ interpellatione debere turbari: tamen ſperare audeo fore, ut duplex perfectio, quæ in vobis ſita eſt, Doctrina & Nobilitas, *libenter accipiat duplex donum, quod oblatum vobis venio,* Librum & Animum. *In horum uno legere licebit res Sacræ Scripturæ; in altero mentem percupidam vobis inſerviendi. Atque ita, dum materia unum commendat, ſinceritas alterum, & benignitas veſtra utrumque elicit; ego Librum humiliter in veſtras manus trado, meque ipſum projicio ad veſtros pedes: vos autem commendo in perpetuum in manus clementes magni Creatoris, cujus eſtis, cuique ſervitis; qui vos in omnibus viis veſtris conſervet, curas veſtras graviſſimas felices eſſe jubeat; & vos cuſtodiat præſidio ſuæ virtutis per fidem ad ſalutem.*

Londini Julii 20. 1647.

Veſtro, illuſtres Proceres, honori ac ſervitio
devotiſſimus ac humillimus cliens

JOHANNES LIGHTFOOTE.

Illu-

Digitized by

Illuſtriſſimæ atque Celeberrimæ Societati, Clariſſimo

COLLEGIO CHRISTI CANTABRIGIENSI,

Nutrici ſuæ digniſſimæ, dulciſſimæ, Honoratiſſimæque;

Reverendo Magiſtro, Doctiſſimis Sociis, Dilectiſſimiſque ibidem Studioſis.

SAlve, veneranda Nutrix, iterumque iterumque in æternum ſalve.

Ignotus forſan te ſaluto, & ignorabundus: Nam vix eſt in totà illa ſocietate tuâ, vel qui me noſcat, aut è facie aut è nomine, aut quem ego vel è facie vel è nomine noſcam: Et tamen non poſſum non te ſalutare & compellare *Nutricem*, & me appellare *Alumnum*; & in iſtâ compellatione atque appellatione non poſſum non geſtire & gloriari. Permulti effluxerunt anni, ex quo ego in gremio tuo recubabam nutricius; effluxerunt anni, at nunquam effluet memoria tui. Memini, & meminiſſe juvat, quam ſuavia tua ubera, quam teneri & materni amplexus tui, quam dulce conſortium coalumnorum, quam amabilia ipſa tua tecta: ô quantarum deliciarum iſte locus! Fœlices illi, qui vel in iſto ſinu tuo dulciter recumbentes, continuò uberum tuorum ſuavitatem deguſtant & exugunt: vel qui jam ab uberibus iſtis abrepti, ſuavitatem tamen eorum, & ubertatem ſecum ſapientes reportarunt. Ego miſer, neutrobique fœlix: diu ego à nutrice procul, ab uberibus exul, alienus, ſemipaganus, ſeſquiruſticus. Et, quod piget pudetque mei, nihil inde retuli, cum receſſi, nihil, inquam, quod annis ibi inſumptis, vel uberibus tuis mihi exhibitis ullo modo reſpondere poſſit. Cum repeto, quantum ſine numero numerum, doctiſſimorum atque omni eruditione inſignium virorum, enutrierit atque educaverit *Collegium Chriſti*, ô me hebetem, inquam, ſtipitem & fungum, qui à tam docto gremio & in tam docto grege, tam indoctus, & tam nullius nominis & numeri, evaſerim & perſeverârim! o me plumbeum inter & poſt tot & tanta doctrinæ commoda, copiam & exempla. Lætor & exulto multitudine filiorum tuorum, dilectiſſima Nutrix, qui tibi decori jam ſunt aut extiterunt & ornamento; [parem numerum quodnam quæſo Collegium

Digitized by Google

numerando adæquaverit?] At ipſe meam inſcitiam, indoctrinam & nihilitatem liberrimè agnoſco, miſerrimè ſentio & deploro.

Mille viros illuſtres, & doctrina & dignitate ſplendentiſſimos, eduxiſti & educaſti; at ego ultra quam milleſimus omnium, infimus, abortivus, qui nihil omninò *Cantabrigienſe*, & *Collegio Chriſti* dignum in me habeam, niſi hoc tantum quod doctos venerer ipſe indoctiſſimus, quod *Cantabrigiam*, & *Collegium Chriſti* ipſe inacademiciſſimus colam amemque ſuprà quod effari poſſum. Oppignoret hoc tibi, obſecro te, mea Nutrix, inculta licet, hæc oratio, & minutum utut, hoc munuſculum. Nomen tuum monumento huic quali qualicunque, incidere atque inſcribere juſſit amor, juſſit obſervantia & officium: non deſpectura es ut ſpero, animi grati atque obſequentiſſimi ſpecimen & pignus, hæſitante licet & blæſitante lingua dedecoratum. Indigniſſimus ſum [agnoſco] in quem reſpicias, at nutricius ſum tamen; Immerentiſſimum hoc pignus quod offertur, ut acceptes, at gratitudinis pignus: Agnoſce filium, agnoſce gratum.

Plura vellem, ſed deſunt verba: vereor ne balbutientia linguæ, dum filium clamat, barbarum prodat: vides ex ipſa loquelæ ruditate & inconcinnitate, quam profundè ego ruſticatus, quam deplorandè indoctus. Ridebunt filii illi tui doctiſſimi & acutiſſimi, qui in ſinu tuo jam fælices reclinant, ſolœcizantem linguam meam, & barbarizantem loquelam, & heu quam diſpar hic ſermo ſermoni noſtro, inquient, & quam diſſimilis hic blatero omnibus Chriſto-Collegiatis! Habetis me confitentem reum, & deflentem: Ignoſcite & parcite, generoſiſſima ingenia, miſereat vos mei, non pudeat tædeatve. Sciretis utinam quanto ego vos honore, amore atque veneratione complector, non aſperneretis gratitudinem ac obſervantiam, aſpero quamvis atque ruſticante ſermone involutam. *Atticiſſat cor, ſolœciſſitet licet lingua.* Vivite, valete dilectiſſima nomina, fæliciſſima germina: Vige, flore, ſplende, clariſſima, chariſſima Nutrix.

Dat. Londini,
Jul. 22. 1647.

Indigniſſimus hominum,

JOHANNES LIGHTFOOTE.

A D

Digitized by Google

AD
LECTOREM.

PRomiſſum à me fuerat in Præfatione, quam primæ Parti Harmoniæ Evangeliſtarum præmiſi, fore ut unà cum editione Partis ſecundæ rationem nonnullam exhiberem tranſpoſitionum Textuum atque Hiſtoriarum Veteris Teſtamenti; quas ibi minimè rarò occurrere, loco non ſuo collocatas, conſideranti perſpicuum eſt. Cujus mei conſilii non is tantum ſcopus fuit, ut appareret, quam duo Teſtamenta hoc ſtyli genere ſibi invicem ſint gemella; ſed inſuper ut deprehenſio rerum ejuſmodi in Teſtamento Veteri, fidem faceret lucemque affunderet iis, quæ conſimilia demonſtranda erant, inque ordinem redigenda in Novo.

*Provintia, quæ, (ſicut * me monet nonnemo judicii quam ego ſim melioris) magis convenit alicui virorum ſocietati, quam viro uni ſoli: vel (ut meus mihi animus dictat) quæ Magno* Seldeno *magis congrueret, viro omnium quos ſol videt doctiſſimo; vel admirabili Doctori* Usherio, *literatæ omnis eruditionis ſcientiarumque promptuario; vel panſopho* Wheloco, *cui nihil eſt difficile, nihil inacceſſibile; vel alicui hiſce ſimili: quam iis, quorum facultas intra terminos mediocritatis conſiſtit. Minime verò omnium convenit mihi, qui illorum, quotquot in literis aliquid valent, ſum poſtremus, quique prorſus ſum nihil, aut nihilo etiam minor, ſi ad plures comparer millenos, quos equidem velim ut manum huic operi admoviſſent. Heu, quam ego, cum doctos cogito, in oculis meis* οὐ μόνον σπιλοῦμαι, ἀλλὰ καὶ ἐξουθενοῦμαι*! Periculum tamen feci, atque opus ſum aggreſſus; minimè ratus, illud ita à me curatum iri, quemadmodum fieri conveniebat; ſed ingenii tamen nervos intendens, ut quod à viribus meis expectari poterat, minimè negligerem; quo vel aliis eſſem auxilio, vel provocator exiſterem ad periculum faciendum.*

* Torſellius *in ſpecimine digerendi ordinis Biblici.*

Quid hàc in re præſtiterim, non neceſſe erit Lectori multis exponere; ante oculos enim poſitum eſt: tantummodò liceat quæ ſequuntur, paucis commemorare.

I. *Ut Harmonia Veteris Teſtamenti tanto ſit manifeſtior, me produxiſſe* ſeriem *Textus & temporis Chronologiam conjunctim, ut quarum una alteram eliciat, evincat atque confirmet.*

II. *In Chronologiâ quædam temporibus ſuis aſſignari ratione non quidem nulla; ſed tantum tamen probabili, vel etiam conjecturâ: Quoties verò annus mundi adſcriptus eſt, niti me certitudine, uti quidem mihi videtur, evidenti; ſive propter expreſſum Textum, ſeu ob indubiam ſequelam.*

III. *In contexendâ ſerie Textuum & Librorum Veteris Teſtamenti, plurimum me adjuvari potuiſſe, ſi adoptare inque uſum meum convertere voluiſſem, quicquid* Seder Olam *commentatus eſt pro uno, & communis Judæorum opinio pro altero fert. At decreviſſe laborem non defugere, atque omnia ex ipſis fontibus petere, quantum quidem meo qualiquali judicio effici poſſet.*

IV. *In quæſtionibus, ſive Chronologiam illæ attingerent, ſive ſeriem Textuum ac Librorum, à diſputationibus abſtinuiſſe; contentum expromere quæ mea eſſet opinio, ratione non additâ; ſecus enim Liber excreviſſet in volumen immenſum.*

V. *Allaboraſſe ut pleraſque difficultates, quæ utrobique occurrerent, elucidarem, conſignando breviter meam ſententiam, eamque referendo ad judicia meliora.*

VI. *De-*

Digitized by Google

VI. *Dediſſe ferè ubique ſuper Textibus & Hiſtoriis breves obſervationes, ſed non paſſim obvias, neque ab aliis occupatas; & quarum pleræque cum legentium utilitate, nullæ autem cum offenſione cujuſdam eſſent conjunctæ.*

VII. *Non uſum fuiſſe in hoc opere aliquâ* ἀκριβείᾳ, *neque auſum ſanè eſſe eò aſpirare, memorem nihil à me niſi initium tentari; adeo ut ſpecimen agnoſcam tantum, idque rudius, quam fert dignitas argumenti.*

Quantum autem cunque mihi hic præſtare licuit, totum ad benevoli Lectoris arbitrium defero; qui ſi id recipere dignabitur, amplius quam ex merito contigiſſe exiſtimabo: ſin cenſurâ dignum cenſebit, nihil ultra meritum credam accidiſſe. Sciat verò me aliorum judiciis meum ſubmittere ſemper quam maximè eſſe paratum, & meas infirmitates agnoſcere, nihilque mihi arrogare præter peccatum, debilitates & ingens deſiderium Publico inſerviendi.

Commodis tuis addictus

JOHANNES LIGHTFOOTE.

CHRO-

Digitized by Google


Vera Effigies Reverendi & Doctissimi Viri
JOANNIS LIGHTFOOT, S.T.P.
Aulæ S. Catharinæ apud Cantabrigienses
Præfecti, nec non Ecclesiæ Eliensis Canonici.

Digitized by Google

Digitized by Google

CHRONICA TEMPORUM, ET ORDO TEXTUUM VETERIS TESTAMENTI.

Ubi id agitur præcipuè, ut Libri, Capita,

Hiſtoriæ, Prophetiæ, &c. in illum redacta ordinem & locum compareant, quem naturalis methodus & genuina Chronologiæ ſeries requirit.

Additâ ſimul ratione tranſpoſitionum, ubicunque illæ occurrunt: multiſque notis & obſervationibus non contemnendis ad textus commodiorem intellectionem; explicatione etiam difficultatum in ſupputanda temporis ratione; tum conciliatione illorum, quæ in relatione Hiſtoriarum videntur diſſentire: ſcrupulorum denique oppidò multorum & obſcuritatum per univerſum V. T. occurrentium explanatione.

LIBER GENESIS.

CAP. I.

Dies creationis

OMNIPOTENS TRINITAS [אלהים] ab omni æternitate ſibi ipſi præſens, ubi bonum eſſe videbat, ut ſe communicaret, principio rerum creavit cœlum & terram, duas illas mundi partes, idque è nihilo & momento temporis, *verſ.* 1.

I. Terra recens creata tota jacebat aquis obruta, erantque tenebræ per totum mundum in vaſto illo inani, quod medium erat inter ſuperficiem illius abyſſi, quæ terram operiebat, & inter nubes ſive cataractas cœli, quæ hujus erant pars inferior, eodemque fuerant inſtanti creatæ quo cœli, & aquâ repletæ. Cœlis verò, ubi primum creabantur, * motus fuit inditus per Spiritum, qui exornabat illos conſtanti & perpetua motione; quâ naturæ curſus & fluxus temporis initium cepit, *verſ.* 2.

* רוח אלהים מרחפת

Horas duodecim caligo univerſalis toti mundo incubabat, fuitque tum demum lux creata in ſuperiori hoc horizonte, atque illum ibi horas alteras duodecim illuminavit: quo facto aufugit, planè ut lux aut ſol nunc in hemiſphærium alterum viciſſim recedit. Atque ita fuit terminus operis diei primi, *verſ.* 3, 4, 5.

II. Aër expandit ſe per ingens illud ſpatium, quod intercedebat inter illas aquas, quæ terram operiebant, & illas, quæ continebantur cœli cataractis: quemadmodum verò lux removit univerſales illas tenebras, ita aëris expanſio vacuum illud excluſit. Et hoc quidem ſecundi diei opus fuit. De eo autem non eſt dictum, *vidit Deus id eſſe bonum*, uti dictum eſt de cæteris, ideo quia diviſio & ſeparatio aquarum ante proximum diem omnino perfecta non fuit, *verſ.* 6, 7, 8.

III. Aquæ, quæ obtegebant terram, in canales ſuos ſunt derivatæ, & terra, ſimulac ſicca apparuit, arboribus plantiſque eſt exornata. De hujus diei opere bis eſt dictum, *vidit Deus id eſſe bonum*; ſemel propter ſeparationem aquarum plenè perfectam, iterum propter ſolo inditam fœcunditatem, *verſ.* 9, 10, 11, 12, 13.

IV. Quando lux ad finem tertii diei receſſerat de hoc horizonte, cœpere luna

 ſtellæque

Digitized by Google

Dies creationis.

ſtellæque apparere in firmamento, & ſol manè in oriente exoriens ſua decurrere ſpatia. Atque ita viſibilis hic cœli exercitus erat opus quarti diei: (exercitus inviſibilis, angelorum ſcilicet, creatus eſt, uti quidem maximè eſt veriſimile, ſimul cum ipſis cœlis) *verſ.* 14, 15, 16, 17, 18, 19.

* תנינם *Crocodilos. Hippopotamos, &c.*

V. Aves piſceſque & * *Amphibia* creata, & pronuntiata ſuper ipſis prima benedictio de generatione, *verſ.* 20, 21, 22, 23.

Cum Cap. I. à verſ. 24. ad finem, lege Cap. II. à verſ. 4. ad finem.

VI. Creatæ beſtiæ & omne reptilium genus. De puris beſtiis ſeptenæ è quaque ſpecie, tria paria ad procreationem, quodque impar erat reliquum, *Adamo* in ſacrificium poſt lapſum, quem prævidebat Deus.

Adam creatus in ſanctitate & juſtitiâ, eximiâ etiam dignitate & felicitate; dominium quoque illi datum in omnes creaturas: quod apertiùs ipſi eſt declaratum eo, quod ad ipſum adductæ ſint, ut ab eo acciperent ſua nomina: quæ, per magnam illam, quæ ipſi inerat, ſapientiam, ad primum intuitum illis dedit, naturæ ſingularum convenientia. Inter illas omnes nullam videbat ſibi aptam ſociam, quemadmodum obſervabat reliquis omnibus eſſe: unde magis quoque ſuæ ſolitudinis ſenſu afficiebatur. Idcirco Dominus ſodalem aptam illi invenit, ex proprio ipſius corpore formatam, immiſſo interea temporis *Adamo* alto ſopore.

Deus conjugio illos ſociavit, collocavitque in hortum, & mandatum dedit.

Hoc tempore Angeli lapſi ſunt: dum enim illi intuebantur honorem & felicitatem, in quâ homo creatus & conſtitutus erat, Domino etiam ipſis illis mandante, ut cuſtodirent hominem in viis ſuis, utque ſpiritus eſſent miniſterii munere fungentes in illius bonum; quidam ex illis inviderunt iſti honori & felicitati, & hoc ſuum munus demandatumque officium contempſerunt. Adeoque per ſuperbiam adverſus hoc Dei mandatum, & invidiam adverſus felicitatem hominis, lapſi ſunt.

CAP. III.

ANgeli hi jam facti erant diaboli ex invidiâ adverſus hominem, neque quicquam illis à lapſu reliquum erat ſolatii, niſi miſerabile hoc & improbum, ut præcipitarent hominem in eandem ſecum condemnationem. Quod viſum ſine morâ experiri, tentando uxorem, vas videlicet infirmius. Illa, cum eſſe ullos diabolos nondum didiciſſet, id autem ſciret, ſe maritumque ſuum angelorum cuſtodiæ à Deo eſſe commiſſos, diabolum, qui in ſerpente loquebatur, accepit pro angelo bono; atque ita ab illo decepta peccavit, & maritum perpulit in eandem tranſgreſſionem; idque cum jam adulta eſſet meridies, ipſum nimirum prandii tempus. In perditâ hac conditione, in quam *Adam* & *Eva* ſe conjecerant, jacebant ſolatii omnis expertes uſque ad auram diei frigidiorem, ſive horam tertiam pomeridianam.

Tunc accedebat Deus ad illos arguendum. Priùs autem promittebat Chriſtum futurum ipſis redemptorem & deſtructorem *Satanæ*. Maledicebat quoque terræ, ut ne defigerent cogitationes ſuas in iis, quæ infra ſunt; damnabat illos ad laborem, miſeriam, & mortalitatem, ut ad quietem cœleſtem reſpicerent. *Adam* promiſſioni firmiter adhærebat: atque per fidem illius uxorem ſuam appellavit *Evam*, id eſt, *vitam*. Docuit illum Deus ſacrificandi ritum, & pellibus oblatarum beſtiarum ambos veſtivit, expulitque è *Paradiſo*. Atque ſic lapſus eſt *Adam* ipſo quo creatus eſt die, mortemque introduxit. Et ita quod primum in mundo mortuum eſt, ſacrificium fuit, ſive *Chriſtus* in figurâ.

CAP. II. *Verſ.* 1, 2, 3.

Ad finem tertii Capitis ſecundum ordinem temporis & Hiſtoriæ, inſerendi ſunt tres primi verſus Capitis ſecundi: hiſtoria ſic habet.

* *Lege* verſ. 2. *Nam ſeptimo die Deus* perfecerat *opera ſua: alioqui dubitari potuiſſet, nunquid die ſeptimo Deus nonnulla creaverit. Viderunt id LXX. eoque aliter atque eſt in textu authentico, reddunt: Deus perficiebat omnia* die ſexto.

POſtquam ad hunc modum Deus omnia ſex * dierum ſpatio creaviſſet, & homo ita eſſet lapſus, de-
VII. que *Chriſto* audiviſſet, & de morte & vitâ æternâ, rebuſque aliis conſimilibus die ſexto, ordinavit Deus diem ſeptimum in Sabbathum, ſive ſanctam quietem: *Adam* autem illum tranſegit in ſanctis officiis, & meditatione rerum ſacrarum. Mentio inſtitutionis *Sabbathi* collocata eſt principio Capitis ſecundi: quanquam tempus & locus hujus hiſtoriæ non eſt ante finem Capitis tertii. I. Quia Spiritus Sanctus totam hiſtoriam primæ ſeptimanæ

Dies creationis.

manæ ſive heptaëmeri, ſine interpoſitione alicujus alterius hiſtoriæ particularis, ſimul ad finem voluit perducere. II. Quia oſtendere voluit, *Adamum* obſervaturum fuiſſe *Sabbathum*, etiamſi numquam peccaſſet: atque indè eſt, quod peccati mentionem mentio *Sabbathi* præcedat.

CAP. IV.

HIſtoriarum quarti Capitis tempora non eſt exactè determinare; ideoque conjecturæ probabiliori ſunt relinquenda: quò maximè faciet temporum quinti Capitis in ſequentem Tabulam digeſtio. Ita namque conjectando oportet illa dimetiri ex parallelis & collateralibus temporibus generationum *Caini* & *Seti*, quæ fuere, aut quarum mentio facta eſt vel hic vel poſt diluvium. *Cain* & *Abel* gemelli nati ſunt, quamvis alter ſerpentis, alter verò mulieris ſemen fuerit. In *Caino* erat animadvertere venenum, quod *diabolus* lapſo homini inſpiraverat: in *Abele* autem conſpicua erat inſpiratio gratiæ, quæ electis contingit, & figura mortis *Chriſti*. Deus ſacrificium *Abelis* cœlitus incendit: *Caini* verò ſprevit. Huic nihilominus propoſuit doctrinam primam pœnitentiæ: *ſi benè ageret, fore ut certò eſſet acceptus, & quamvis non ageret benè, tamen* לפתח חטאת רבץ *adjacere foribus victimam:* modò eum pœniteret, ſpem eſſe veniæ. Ita factum eſt, ut cum Deus primam fidei annuntiationem propoſuiſſet *Adamo* in promiſſione *Chriſti*, *Cap.* 3: 15. annuntiationem primam pœnitentiæ *Caino* propoſuerit ſub doctrinâ de * victimâ. At *Cain* contempſit gratiam propriam, immiſericors fuit adverſus fratrem, & gratia ipſi à Domino eſt denegata. Quin cupiebat mori, ut è miſerâ conditione, ad quam damnaverat ipſum Deus, eriperetur, והיה כל מצאי יהרגני, *Nunc itaque ſit ita, ut me quicunque invenerit, occidat.* Id verò negavit ipſi Deus, ut ſervaret ipſum longæ vitæ, quò & miſeriæ longæ ſervaret. *Lamech* ramus de hac radice, in mundum introduxit abominationem polygamiæ, quâ plures unâ uxores habentur ſimul: pro quo auſo Deus conſcientiam ipſi horrore percuſſit, ut ſibi teſtis eſſet adverſus illud peccatum, quod introduxerat; ſeque ipſum arguit, ut qui eſſet peccator magis deploratus & condemnatus, quam ipſe *Cain* fuiſſet: ideo quod *Cain* unum modò hominem occidiſſet, & illius modò corrupiſſet carnem; ipſe verò corrupiſſet cujuſvis ætatis homines maledicto hoc ſuo exemplo, quod tam citò ad imitationem receptum erat in mundo, ut haud diu poſt interitum illius inprimis feſtinaverit; unde in ea verba erupit, *ſi* Cain *ſepties eſſet vindicandus*, Lamech *ſeptuagies ſepties tantum eſſe meritum.*

*חטאת valde communiter accipitur de ſacrificio pro peccato. Sacrificia autem ſemper ad januam tabernaculi adducebantur.

In iſta *Caini* ſtirpe initium factum Idololatriæ, creaturæque loco Creatoris, qui æternum benedictus eſt, cœptæ ſunt adorari: & propter lamentabilem ſenſum contumeliæ, quæ iſtoc pacto Deo fiebat, *Set* filium ſuum, qui illis temporibus naſcebatur, *Enos* nominabat, ſive *triſtem*, quia אז הוחל *tunc inchoata eſt profanitas in invocando nomen Domini.* *Noach* 2 *Petr.* 2: 5. videtur appellatus eſſe *octavus* reſpectu horum temporum, octavus ſcilicet in ſucceſſione ab *Enoſo*, cujus temporibus mundus incepit profanus fieri.

CAP. V.

QUintum Caput metitur tempus & ætatem mundi inter creationem & diluvium, quod incidit in annum 1655. completum. Quibus in Tabulam conjectis patebit illorum temporum non curſus duntaxat, ſed & concurſus, ſive quatenus Patriarchæ, quorum ibi tempora menſurantur, alii cum aliis vixerint. Cæterum ad explicationem illius Tabulæ non indigebit Lector ullis regulis; cum ſua cuique arithmetica primo ſtatim intuitu monſtratura ſit, quis ejus uſus eſſe debeat.

Digitized by Google

Decem Patriarchæ antè Diluvium.

																						Adamo nati ſunt *Cainus* & *Abel*, atque ambobus orbatus eſt, *Gen.* 4. infelix liberis; (quorum maxima eſt terrena felicitas) quo magis cœlum meditari poſſit.
130	130																					*Set* natus in peccato originali, *Gen.* 5:2,3. vir ſanctus: & omnium hominum poſt Diluvium ſator, *Num.* 24:17. ut oſtendatur omnes homines eâ conditione naſci.
235	235	105																				*Enos* natus: Corruptio in religione per Idololatriam cœpta, *Gen.* 4:26. ideoque *Enos* dictus, i. e. *Sollicitus*:
325	325	195	90																			*Kainan* natus: *Querulus* de temporum corruptione.
395	395	265	160	70																		*Mahalaleel* natus: *Laudator Dei.*
460	460	330	225	135	65																	*Jared* natus: Quando *proceditur* adhuc à malo ad pejus.
622	622	492	387	297	227	162																*Enoch* natus: *Dedicatus* Deo: ſeptimus ab *Adamo*, *Jud. v.* 14.
687	687	557	452	362	292	227	65															*Methuſala* natus: ipſum illius nomen prædicit Diluvium: pro cujus ætate mundo duratio conceditur.
874	874	744	639	549	479	414	252	187														*Lamech* natus: vir *percuſſus* præſenti corruptione & pœnâ imminenti. (*Pſ.* 90:10.
930	930	800	695	605	535	470	308	243	56													*Adam* moritur: vitâ ad annum 1000. productâ demptis 70. Nunc anni 70. ſunt tota hominis ætas,
987		857	752	662	592	527	365	300	113	57												*Enoch* tranſlatus: proximè poſt *Adami* mortem: in hoc mortalitas, immortalitas in illo ſignificatur.
1042		912	807	717	647	582		355	168	112	55											*Set* moritur.
1056			821	731	661	596		369	182	126	69	14										*Noach* natus, *Conſolator.*
1140			905	815	745	680		453	266	210	153	98	84									*Enos* moritur.
1235				910	840	775		548	361	305	248	193	179	95								*Kainan* moritur.
1290	*Enoch* ſeptimus ab				895	830		603	416	360	303	248	234	150	55							*Mahalaleel* moritur.
1422	*Adamo* in ſancta lineâ					962		735	548	492	435	380	366	282	187	132						*Jared* moritur.
1536	*Set*, prophetat adverſus impie-							849	662	606	549	494	480	396	301	246	114					Annorum cxx. initium, *Gen.* 6:3.
1556	tatem, quam *Lamech* ſeptimus							869	682	626	569	514	500	416	321	266	134	20				*Japhet* natus.
1558	ab *Adamo* in maledicta lineâ							871	684	628	571	516	502	418	323	268	136	22	2			*Sem* natus.
1651	*Cami*, introduxerat.							964	777	721	664	609	595	511	416	361	229	115	95	93		*Lamech* moritur.
1656								969		726	669	614	600	516	421	366	234	120	100	98	5	*Methuſala* moritur & diluvium ingruit.

Enoch tot annos vixit, quot dies in anno habemus, nempe 365. ac curſum ſuum implevit ut ſol quidam in terra.

Cum hiſtoria quinti hujus Capitis junctim lege 1 Chron. 1:1, 2, 3, 4. *quæ compendium ejus continent.*

Digitized by Google

CAP. VI.

VErſus poſtremus Capitis quarti narrabat profanationem religionis ſive Idololatriam, cœptam in familia *Cami* in diebus *Enoſi*. Nunc verò Capitis ſexti principium enarrat corruptionem, quæ irrepſerat in familiam *Seti*, veram ipſam Eccleſiam; idque ſpeciatim per imitationem maledicti exempli *Lamechi*. *Filii Dei*, ſive membra Eccleſiæ, *Setique* progenies ſecurè & promiſcuè matrimonia inière cum *filiabus hominum*, ſive ſtirpe *Cami*: inde *æquè carnales evaſère* ac progenies *Cami*, æquè excrevère in ſtirpem giganteam, æquè denique ingentes hi homines more tyrannico egère. Hinc totus mundus conſperſus fuit crudelitate & rapinis, omnigenaque corruptione; adeò ut decretum de deſtructione interpoſuerit Deus. *Noacho* verò fidem dedit conſervationis, & deformationem Arcæ, in quâ ille & ſui eſſent conſervandi.

Dimenſiones arcæ fuere tales, ut contineret 450000. quadratos cubitos intra ſuos parietes, ſi ſurrexiſſet in exactum quadratum uſque ad ſummum faſtigium. Sed obliquitas in tecto, quod tecto alicujus domûs ſimile erat, uſque eò ubi ſummum tectum non niſi unum cubitum erat latum, abſtrahebat bonam partem illi ſummæ; incertum verò quantam. Si 50000. cubitos ponamus abſtrahi, ſpatium futurum eſt ſatis amplum ad recipiendum creaturas omnes, & quicquid ad victum inibi erat repoſitum. Tota moles tribus conſtabat contignationibus; de gradibus verò, qui aſcendebant de contignatione in contignationem, ſilet textus. In ſingulis contignationibus ſepta vel ſecluſoria erant, non adeò multa, ut ſecludendis invicem creaturarum ſpeciebus ſufficerent; id enim neceſſe non erat, non exiſtente inimicitiâ inter illas quamdiu iſtic degebant; fuiſſetque *Noacho* magis moleſtum in apportando illis ſuos cibos; ſed ejuſcemodi erant iſta ſepta, uti ſatis erat ad diſtinguendum beſtias & repoſita illorum alimenta, & ad ſeparandum ipſa quoque alimenta, quæ in unum cumulum conjecta potuiſſent corrumpi. Oſtium erat in latere infimæ contignationis, atque ita toto diluvii tempore aquis fuit merſum: ſed Deus ſpeciali providentiâ *illos ibi incluſerat*, ut nihil aquæ influxerit. In quâ contignatione quæque creaturarum ſpecies manſionem ſuam habuerit, determinari non poteſt. Quo pacto excrementa illarum ejecta ſint ex arcâ, aqua verò invecta, textus celavit. Creaturæ ita cicuratæ omnes hoc tempore atque edomitæ naturæ erant, ut viverent unà, & cibum caperent abſque diſſenſione. *Lupus commorabatur cum agno, & pardus cum hædo recubabat, vituluſque & juvenis leo ſimul.* (quemadmodum Propheta pacem hanc, quæ in arcâ fuit, ad tranquillitatem & indolis immutationem, quæ ſub Euangelio futura erat, alludendo transfert) Licuitque *Noacho*, & cuivis de familiâ ejus verſari in medio leonum, draconum & ſerpentum: qui feritatem atque crudelitatem naturæ ita obliti erant, ut nihil ipſi nocerent. Id autem indicio eſt, inimicitiam illam, quæ ſerpentem inter & mulierem poſita eſt, præcipuè ſenſu ſpirituali eſſe accipiendam.

Quod verò attinet tempus durantis diluvii, fuit id, inter ingreſſum *Noachi* in arcam atque exitum ex illa, juſtus plenuſque annus ſolaris; ad cujus commodiorem conſpectum & obſervationem operæ pretium fuerit retuliſſe in Calendarium convenienter curſui iſtius anni.

Calendarium anni diluviani, qui annus mundi fuit 1656.

TISRI primus menſis, pars noſtri *Septembris & Octobris.*

Dies Menſis
Nihil quicquam peculiare, quod hoc
menſe acciderit, in textu narratur: id
1 verò ratio ipſa & neceſſaria conſecutio
2 ex rerum ſtatu edocet, *Noachum*, fru-
3 ctibus terræ nunc ad maturitatem per-
4 ductis, toto hoc menſe valde occupatum
5 fuiſſe colligendo illos in arcam, futuros
6 alimentum ipſi omnibuſque cum ipſo
7 beſtiis & creaturis in annum ſequentem.
8 *Methuſala* hoc menſe adhuc ſuper-
9 eſt, quemadmodum apparet in ſuppu-
10 tatione ætatis illius Capite quinto. Eſt-
11 que ex eo ſimul manifeſtum, quam di-
12 lucidè Spiritus Prophetiæ futura præ-
13 dixerit, quando patrem illius *Enoſum*
14 ita rexit, ut mille amplius antè annis
15 *Methuſala* ipſum nominârit, quod
16 ſignificat, vel, *mortui ſunt telo*; vel,
17 *moritur, & tunc eſt telum*; vel, *moritur,*
18 *& tunc miſſum eſt.* Atque ita *Adam* &
19 *Methuſala* commenſuraverant univer-
20 ſum tempus inter Creationem & Dilu-
21 vium, unaque ſupra ducentos & qua-
22 draginta annos vixère. Longæ horum
23 hominum ætates proximè initium
24 mundi (quamvis jam nunc ſub peccato)
25 conjectandi præbent occaſionem, quam
26 longum tempus victurus fuiſſet homo
27 ſupra terram, priuſquam fuiſſet transla-
28 tus, ſi nunquam peccaſſet: niſi fortè
29 Deus in *Enocho* monſtraverit, quod eo
30 rerum ſtatu ipſius tempus fuiſſet futu-
rum; horum verò hominum tempora
ſub ſtatu peccati ideo prolongaverit, ut
notitia Dei, quæ per ingreſſum peccati
labefactata valdè erat, celerius ampliuſque
propagaretur.

MARCHESCHVAN menſis ſecundus, pars *Octobris* & *Novembris*.

Dies Menſis		
1		
2		
3		
4		
5		
6		
7		
8		
9		
10	*Noach* incipit introducere in arcam beſti-	
11	as aveſque. Septem dies in eo eſt, *Gen.* 7:1,	
12	2, 3, 4. Eadem Divinæ providentiæ dex-	
13	tra, quæ adduxerat ad *Adamum* omnes	
14	beſtias circiter creationem, recipiendo-	
15	rum nominum cauſâ, adduxit eas nunc	
16	ad *Noachum* ad vitæ conſervationem.	
17	*Noach* intrat arcam, *Gen.* 7:11, 13. plu-	
18	Pluviæ	viæque incepère, & quadra-
19	Pluviæ	ginta ſimul dies & noctes ſunt
20	Pluviæ	continuatæ. Dies decimus ſep-
21	Pluviæ	timus non fuit ex quadraginta
22	Pluviæ	illis unus, ſed nox quæ illum
23	Pluviæ	conſecuta eſt, erat una ex no-
24	Pluviæ	ctibus. Cataractæ cœli apertæ
25	Pluviæ	ſunt, & effudère terribiles plu-
26	Pluviæ	vias. Hæ erant illæ nubes,
27	Pluviæ	quæ creatæ fuerant aquis ple-
28	Pluviæ	næ primo die creationis, eo-
29	Pluviæ	dem quo cœlum inſtanti;
		quæque adeo comprehenſæ
		erant ſub termino *Cœlorum*,
		Gen. 1:1. Laxatæ habenæ
		tam infernè ingenti profun-
		do, quam supernè pluviis,
		atque ita recidit terra in ſtatum
		primum, aquis ſcil. obtecta.
		Cap. 1:2.

CISLEU menſis tertius, pars *Novembris* & *Decembris*.

Dies Menſis		
1	Pluviæ	Vehementes pluviæ, quales
2	Pluviæ	nunquam antea fuerant, ne-
3	Pulviæ	que ab eo tempore fuerunt, ne-
4	Pluviæ	que futuræ ſunt poſtea, mun-
5	Pluviæ	dum involverunt univerſali
6	Pluviæ	caligine, qua clauſi fuère im-
7	Pluviæ	pii, priuſquam exterioribus
8	Pluviæ	tenebris clauderentur; uti
9	Pluviæ	*Ægyptiis* uſu venit, *Exod.* 10.
10	Pluviæ	itemque *Judæis* morte Serva-
11	Pluviæ	toris noſtri, *Matth.* 27. &
12	Pluviæ	*Sodomæ*, *Gen.* 19:11.
13	Pluviæ	Quando poſt Diluvium
14	Pluviæ	promittit Deus, *diem & no-*
15	Pluviæ	*ctem non amplius ceſſaturas*,
16	Pluviæ	*Cap.* 8:22. indicium facit,
17	Pluviæ	curſum illorum jam ceſſaſſe.
18	Pluviæ	Tempore ingentis imbris ac
19	Pluviæ	tempeſtatis plerunque contin-
20	Pluviæ	git, ut velut nox quædam ipſo
21	Pluviæ	meridie mundum invadat:
22	Pluviæ	quanto magis credendum eſt
23	Pluviæ	caliginem occupaſſe illum
24	Pluviæ	tempore iſtarum pluviarum,
25	Pluviæ	quibus par nihil aut ſimile un-
26	Pluviæ	quam fuit?
27	Pluviæ	
28	Pluviæ ceſſarunt circa veſperam hujus diei.	
29	Incrementum aquarum	
30	Incrementum	

TEBETH quartus menſis, pars *Decembris* & *Januarii*.

Dies Menſis		
1	Incrementum	Pluviæ jam extulerant
2	Incrementum	aquas quindecim cubi-
3	Incrementum	tis ſupra montes. Ob-
4	Incrementum	ſervat enim textus, eru-
5	Incrementum	piſſe aquas pluviarum
6	Incrementum	& magnæ abyſſi, ele-
7	Incrementum	vaſſe Diluvium quin-
8	Incrementum	decim cubitis ſupra al-
9	Incrementum	tiſſimos montes, &,
10	Incrementum	ubi quadraginta die-
11	Incrementum	rum pluviæ & aquæ
12	Incrementum	illud extulerant ad
13	Incrementum	iſtam altitudinem, ad-
14	Incrementum	huc 150. dies eo ſtatu
15	Incrementum	continuaſſe. Adeo ut
16	Incrementum	duæ iſtæ ſummæ de-
17	Incrementum	beant diſtinctè ſuppu-
18	Incrementum	tari, dieſque quadra-
19	Incrementum	ginta ſummæ dierum
20	Incrementum	centum & quinquagin-
21	Incrementum	ta non includi, ſed ſe-
22	Incrementum	creti ab illis ſolique
23	Incrementum	conſiderari. Atque ita,
24	Incrementum	finitis 150. diebus,
25	Incrementum	tranſierant ſex menſes
26	Incrementum	& decem dies anni Di-
27	Incrementum	luviani.
28	Incrementum	
29	Incrementum	

SHEBAT quintus menſis, pars *Januarii* & *Februarii*.

Dies Menſis		
1	Incrementum	Illi, qui exiſtimant an-
2	Incrementum	num diluvii incepiſſe à
3	Incrementum	*Martio*, miraculum
4	Incrementum	ſupponunt ſupra quam
5	Incrementum	Scriptura aut ratio co-
6	Incrementum	gitandi occaſionem
		præ-

Digitized by Google

7	Incrementum	præbet, nimirum aquas
8	Incrementum	excreviſſe, atque ſua al-
9	Incrementum	titudine perſeveraſſe to-
10	Incrementum	to æſtatis æſtu ; toto
11	Incrementum	vero hyemis frigore de-
12	Incrementum	creviſſe. Cum ſuppo-
13	Incrementum	ſitio, annum diluvii à
14	Incrementum	*Tiſri* ſive *Septembri* ini-
15	Incrementum	tium cepiſſe , inferat,
16	Incrementum	cecidiſſe pluvias initio
17	Incrementum	hyemis , nimirum ab
18	Incrementum	initio fere noſtri *No-*
19	Incrementum	*vembris* ad uſque *De-*
20	Incrementum	*cembrem* medium , ſive
21	Incrementum	ſolſtitium circiter hye-
22	Incrementum	male : atque inde ja-
23	Incrementum	cuiſſe ſuprema altitu-
24	Incrementum	dine, cubitis nimirum
25	Incrementum	quindecim ſupra mon-
26	Incrementum	tes , menſibus quin-
27	Incrementum	que , ad medium ſcil.
28	Incrementum	*Majum* ; hinc vero
29	Incrementum	totius æſtatis æſtu exa-
30	Incrementum	ruiſſe.

ADAR ſextus menſis, pars *Februarii* & *Martii*.

Dies Menſis		
1	Incrementum	*An ſemitam priſcam ob-*
2	Incrementum	*ſervaſti , quam trive-*
3	Incrementum	*runt homines vani ? qui*
4	Incrementum	*corrugati ſunt , cum non-*
5	Incrementum	*dum eſſet tempus , flu-*
6	Incrementum	*vio effuſò in fundamen-*
7	Incrementum	*tum eorum ? Qui dice-*
8	Incrementum	*bant Deo forti , Recede*
9	Incrementum	*à nobis , & quid faciat*
10	Incrementum	*omnipotens illis ! &c.*
11	Incrementum	Job. 22 : 15, 16, 17.
12	Incrementum	*In diebus Noæ qui fue-*
13	Incrementum	*runt ante diluvium,*
14	Incrementum	*edebant & bibebant ,*
15	Incrementum	*uxores ducebant & nup-*
16	Incrementum	*tum dabant , ad eum*
17	Incrementum	*uſque diem quo ingreſſus*
18	Incrementum	*eſt Noë in Arcam, &*
19	Incrementum	*non cognoverunt uſque*
20	Incrementum	*dum veniſſet diluvium,*
21	Incrementum	*& ſuſtuliſſet omnes,*
22	Incrementum	Matth. 24: 38, 39.
23	Incrementum	*Eorum ſpiritus nunc in*
24	Incrementum	*carcere ſunt , qui ali-*
25	Incrementum	*quando fuere immori-*
26	Incrementum	*geri , quum ſemel ex-*
27	Incrementum	*pectabat Dei lenitas in*
28	Incrementum	*diebus Noæ , quum ap-*
29	Incrementum	*pararetur Arca* , 1 Pet.
		3: 19. Ita Scriptura ho-
		mines illos , qui dilu-
		vio perierunt , æter-
		no carceri & perditioni
		mancipat. *Petrus* con-
		ſiderat illos vitam vi-
		ventes immorigeram ;
		Servator vero notat
		mortuos fuiſſe carnali
		ſecuritate. Judæi eodem
		illos judicio implicant,
		punitos fuiſſe aqua fer-
		venti & Gehinnom.

NISAN ſeptimus menſis, pars *Martii & Aprilis.*

Dies Menſis		
1	Incrementum	Non precabantur tem-
2	Incrementum	pore,quo Deus inveniri
3	Incrementum	poterat , ideoque in
4	Incrementum	aquarum magnarum
5	Incrementum	inundatione , quando
6	Incrementum	pluviæ & fluenta ipſos
7	Incrementum	invalere, לא יגיעו *face-*
8	Incrementum	*re non poterant , ut ſuæ*
9	Incrementum	*preces ad illum pertinge-*
10	Incrementum	*rent*, Pſ. 32:6. Quintum
11	Incrementum	*Geneſeos* Caput addidit
12	Incrementum	in ſupputanda cujuſ-
13	Incrementum	que Patriarchæ ætate,
14	Incrementum	*mortuos eſſe* , non eò
15	Incrementum	duntaxat ut demon-
16	Incrementum	ſtretur, poſt vitam
17	Incrementum	valdè longam eſſe ta-
18	Incrementum	men mortuos : ſed ut
19	Incrementum	oſtendatur quoque, in-
20	Incrementum	traſſe ſepulchra ſua in
21	Incrementum	pace ; neque una cum
22	Incrementum	impiorum deſtructione
23	Incrementum	intempeſtivè eſſe ſubla-
24	Incrementum	tos. Caput undeci-
25	Incrementum	mum in enumerandis
26	Incrementum	patrum ætatibus poſt
27	Incrementum	diluvium , id non ex-
28	Incrementum	primit ſpeciali de ra-
29	Incrementum	tione.
30	Incrementum	

IJAR octavus menſis, pars *Aprilis* & *Maji.*

Dies Menſis		
1	Incrementum	Fuêre, qui voluerint,
2	Incrementum	aquas extraordinariâ vi
3	Incrementum	& motione agitaſſe &
4	Incrementum	jactaſſe Arcam, eoſque
5	Incrementum	qui illâ continebantur,
6	Incrementum	planè ſicut in ferventi
7	Incrementum	aheno carnem agitari
8	Incrementum	videmus, uti id Judæi
9	Incrementum	exprimere amant ; at-
10	Incrementum	que avulſiſſe nonnullas
11	Incrementum	inſulas à continenti, &
12	Incrementum	regiones antea conti-

nuas

Digitized by Google

13	Incrementum	nuas diviſiſſe, velut
14	Incrementum	*Angliam* & *Galliam*,
15	Incrementum	ſimileſque alias. Ve-
16	Incrementum	rum illud non tantum
17	Incrementum	ex proprietate textus
18	Incrementum	non evincitur, ſed nul-
19	Incrementum	lâ etiam neceſſitate ſta-
20	Incrementum	tuitur: nam quando
21	Incrementum	aquæ omnem carnem
22	Incrementum	jam perdiderant, ad
23	Incrementum	quod terris immiſſæ
24	Incrementum	fuerant, nihil quicquam
25	Incrementum	iſta violentia efficere
26	Incrementum	ultra potuiſſent, quam
27	Incrementum	vexationem, metum &
28	Incrementum	conturbationem *No-*
29	Incrementum	*achi*, & eorum qui cum
		eo unà in Arca erant:
		quos ſanè Deus illic in-
		cluſerat non contur-
		bandos, ſed conſer-
		vandos.

SIVAN nonus menſis, pars *Maji* & *Junii*

Dies Menſis		
1	Eſt hic aquæ decreſcentis principium.	
2	Decrem. aq.	Vocatus eſt *menſis ſepti-*
3	Decrement.	*mus verſ.* 4. non anni;
4	Decrement.	ita enim nonus erat:
5	Decrement.	ſed diluvii ſive aqua-
6	Decrement.	rum. Harum enim in
7	Decrement.	duratione ſupputandâ
8	Decrement.	Spiritus Sanctus occu-
9	Decrement.	patur, digitumque di-
10	Decrement.	rectè intendit ad finem
11	Decrement.	150. dierum. In *Ciſleu*
12	Decrement.	pluvia dierum 40. ceſſa-
13	Decrement.	vit, & ſeptimo illinc
14	Decrement.	menſe hic adeſt.
15	Decrement.	
16	Decrement.	
17	Arca quieſcebat	ſuper montibus *Ara-*
18	Decrement.	*rati*; id eſt, ſuper il-
19	Decrement.	lorum uno.
20	Decrement.	
21	Decrement.	
22	Decrement.	
23	Decrement.	
24	Decrement.	
25	Decrement.	
26	Decrement.	
27	Decrement.	
28	Decrement.	
29	Decrement.	
30	Decrement.	

TAMUZ decimus menſis, pars *Junii* & *Julii*.

Dies Menſis		
1	Decrement.	Arca aquis innatabat
2	Decrement.	merſa undecim cubitis,
3	Decrement.	quemadmodum ex hac
4	Decrement.	collectione apparet. Pri-
5	Decrement.	mo die menſis *Ab* verti-
6	Decrement.	ces montium primum
7	Decrement.	conſpecti ſunt; uti illic
8	Decrement.	oſtendetur: & tunc aquæ
9	Decrement.	decreverant quindecim
10	*Corvus emiſſ.*	cubitis, quo occupatæ
11	Decrement.	fuêre diebus ſexaginta,
12	Decrement.	nempe à primo die men-
13	Decrement.	ſis *Sivan*; & ita decreve-
14	Decrement.	rant proportione unius
15	Decrement.	cubiti diebus quatuor.
16	Decrement.	Hoc calculo deprehen-
17	Decrement.	dimus, die decimo ſexto
18	Decrement.	menſis *Sivan* decreviſſe
19	*Columba emiſſ.*	quatuor ſolummodo
20	Decrement.	cubitis, & tamen die
21	Decrement.	proximo Arca quieſcit
22	Decrement.	in monte, quando aquæ
23	Decrement.	adhuc undecim cubitis
24	Decrement.	ſupra illum erant ele-
25	Decrement.	vatæ.
26	Decrement.	
27	*Columba rurſus emiſſa eſt:*	redit verò
28	Decrement.	circa veſperam, folium
29	Decrement.	olivæ ore gerens, quod
		decerpſerat ex arbore,
		quæ jam ex aquis inci-
		piebat emergere.

AB undecimus menſis, pars *Julii* & *Auguſti*.

Dies Menſis		
1	Montium vertices apparent:	menſis hic
2	Decrem.	dictus eſt *decimus verſ.* 5.
3	Decrem.	non anni, ſed diluvii: tex-
4	Decrem.	tus enim in hoc eſt, ut tem-
5	Decrem.	pus aquarum dimetiatur.
6	*Emiſſa columba non redit amplius.*	Habet
7	Decrement.	enim vertices montium
8	Decrement.	jam exſiccatos, ubi
9	Decrement.	quieſcat. Aquæ jam in-
10	Decrement.	tra circuitum montium
11	Decrement.	redactæ aliquanto citius
12	Decrement.	decreſcebant, quam ubi
13	Decrement.	ſupra illos adhuc erant
14	Decrement.	elevatæ. Cum enim tum
15	Decrement.	diebus ſexaginta occu-
16	Decrement.	patæ fuerint in decre-
17	Decrement.	ſcendo cubitis modò
18	Decrement.	quindecim; diebus ſex-
19	Decrement.	aginta ulterioribus de-
20	Decrement.	creverunt altitudine al-
		tiſſi-

Digitized by Google

21	Decrement.	tiſſimorum montium.
22	Decrement.	Nam cum primo die
23	Decrement.	menſis *Ab*, vertices
24	Decrement.	montium apparue-
25	Decrement.	rint, primo die men-
26	Decrement.	ſis *Tiſri*, qui illinc
27	Decrement.	ſecundus eſt, omnis
28	Decrement.	terræ facies eſt ſiccata,
29	Decrement.	*verſ.* 13.
30	Decrement.	

ELUL duodecimus menſis, pars *Auguſti* & *Septembris.*

Dies Menſis.		
1	Decrement.	Ita æſtus totius æſtatis
2	Decrement.	promoverat exſiccati-
3	Decrement.	onem aquarum, quæ
4	Decrement.	ad hujus menſis finem
5	Decrement.	planè exaruerant. Pri-
6	Decrement.	mo enim die menſis
7	Decrement.	ſequentis(qui eſt prin-
8	Decrement.	cipium novi anni
9	Decrement.	mundi) aquæ exarue-
10	Decrement.	rant de terrâ: atque
11	Decrement.	ita præterierat hic tri-
12	Decrement.	ſtis mundi annus, in
13	Decrement.	quo non tantum
14	Decrement.	omnis caro, præter
15	Decrement.	eam,quæ in Arcâ erat,
16	Decrement.	ſub cœlo erat perdita;
17	Decrement.	ſed ipſe mundi curſus
18	Decrement.	vehementer fuerat im-
19	Decrement.	mutatus: nam dies &
20	Decrement.	nox, æſtas & hyems
21	Decrement.	curſum ſuum non ſer-
22	Decrement.	varunt. *Mundus, qui*
23	Decrement.	*tum erat, aquis inun-*
24	Decrement.	*datus periit; qui vero*
25	Decrement.	*nunc ſunt Cœli & Ter-*
26	Decrement.	*ræ, aſſervantur igni*
27	Decrement.	*in diem damnationis &*
28	Decrement.	*exitii impiorum homi-*
29	Decrement.	*num,* 2. Petr. 3.: 6,7.

CAP. VIII. *à verſ.* 13. *ad finem.*

COEptus nunc eſt novus mundi annus,ſcil annus 1657. Et primo menſis *Tiſri* die aquæ omnino receſſerant a terrâ, & viceſimo ſeptimo die menſis *Marcheſchvan* terra erat exſiccata, & *Noach* eo die ex arca eſt egreſſus. Moratus vero eſt menſem integrum & dies ſedecim poſt aquarum receſſum, ut terra, humida adhuc, mollis & lutoſa per adeo longum diluvium, indureſceret atque ſiccaretur: & ſic in Arcâ fuit plenum annum ſolarem.

Egreſſus ejus incidit in principium *Novembris*, cum jam hyems advenerat; unde nihil commeatûs ad beſtiarum uſum ad manum fuit aduſque proximum ver, niſi quod ex Arca poterat depromi. *Noach* ſtatim ab egreſſu ſuo ex Arcâ exſtruit Altare, & offert illas impares puras beſtias, quas è qualibet ſpecie eo tunc in Arcam receperat: Dominus vero acceptat illum, promittitque ſe nunquam perditurum denuò mundum per aquam. Atque ita, quemadmodum vetus mundus, ſic novus cum ſacrificio eſt inchoatus.

CAP. IX.

QUemadmodum Deus *Adamo* & uxori ejus in illorum creatione benedixerat benedictione fœtificationis, dominiique in creaturas; ita & *Noacho*, filiiſque ejus benedicit egreſſu illorum ex Arcâ: hoc tamen cum diſcrimine in poſterioribus, quod, cùm *Adam* in ſtatu integritatis dominium in creaturas exerceret cum amicitiâ & amore, peccatum hanc rerum faciem nunc ita immutaverit, ut *Noach* dominium iſtud cum metu & formidine habuerit. Cumque cohibuiſſet *Adamum* ab eſu carnis, illiuſque alimentum ſoli fructibus definiviſſet; *Noacho* indulſit & beſtias in cibum vertere, illaſque conceſſit ad ſuſtentationem vitæ ejus, qui earum fuerat conſervator. Et hoc illud erat, quod pater illius *Lamech* per ſpiritum prophetiæ prædixerat in illius nativitate: *fore, ut hic ſolaretur illos de labore & dolore ipſorum*, quem habebant, quando ipſis nihil edere licebat, præter fructus terræ, qui non niſi per cultum valdè moleſtum poterant comparari: ſed *Noach* hactenus futurus erat *ſolatio*, quod ipſi, inque ipſo toti mundo Deus libertatem erat largiturus veſcendi carne. Cæterum unà cum carne Deus non permiſit ipſi & ſanguinem edere, partim ad præveniendam crudelitatem, partim quia ſanguis pertinebat ad expiationem peccati. Hæc autem prohibitio de comedendo ſanguine facta hic *Noacho*, & renovata poſtmodum *Iſraëli*, propter conſuetudinem fuit, quam prævidebat Deus exorituram, quæque *Iſraëlis*

Digitized by Google

tempore valdè increbuerat, edendæ ſcilicet, carnis crudæ, ceu apparet 1 *Sam.* 14: 32. & ex lege, quam de edendo Agno Paſchali Deus tulit, *Exod.* 12: 9. Hæc ipſa lex de non edendâ carne unà cum ſanguine confutat Doctrinam de Tranſubſtantiatione (ſive de comeſtione ipſius carnis & ſanguinis Chriſti) coram univerſo mundo.

Iris, quæ naturaliter ſignum eſt pluviæ, ſacramentaliter facta eſt ſignum non efficiendæ amplius per illam deſtructionis.

Ebrietas *Noachi* aliquamdiu poſt diluvium contigit; ipſum autem illius tempus eſt incertum: *Canaan* enim, qui annis aliquot poſt, quam egreſſi ſunt ex Arcâ, ne natus quidem adhuc erat, jam agere aliquid conſpicitur rerum gerendarum capax, damnatuſque eſt ad ſervitutem & ſubjectionem, & terra ejus *Semo* aſſignatur: unàque vocatio gentium prædicitur.

Mors *Noachi* in fine hujus Capitis memoratur, quia *Moſi* propoſitum fuit, omnem illius hiſtoriam hic concludere: verum, ſicut videre eſt in Tabulâ ſequenti, mortuus demum eſt eo biennio, quod *Abrahami* nativitatem anteceſſit.

CAP. X.

SEptuaginta capita Nationum ſuccreverunt ex tribus *Noachi* filiis tempore confuſionis linguarum. Neque tamen tunc extitêre ſeptuaginta diverſæ linguæ, quamvis totidem eſſent nationes; nam id indubium eſt, nationes varias in unam linguam coaluiſſe: velut *Aſhur*, *Arphaxad* & *Aram* in Chaldaicam; pluresque, ſi non omnes, *Canaanis* filios ſimiliter in unam linguam. *Cum poſſeſſionem diſtribueret Excelſus gentibus, cum diſpararet filios Adami; ſtatuit terminos populorum pro numero filiorum Iſraëlis*, *Deut.* 32: 8. Cum 10. hoc Cap. *Geneſ.* lege 1 *Chron.* 1. à verſ. 5, ad verſ. 24.

CAP. XI.

GEntiliſmus initium capit *Babele*, quando Hebræa lingua toto mundo amiſſa erat, exceptâ unâ duntaxat familiâ: eâ linguâ ſolâ Deus fuit prædicatus, & doctrina ſalutis publicata: quod ubi fieri deſiit, religio ſimul amiſſa eſt, & terræ omnes incolæ facti ſunt Deo peregrini, & implicati cæcitate & ſuperſtitione: qui rerum ſtatus perduravit ſpatio annorum 2203, donec linguarum donum in *Sione* reſtituere incipiebat confuſionem *Babele* factam; & Gentes per id eſſent eò uſque adductæ ad veram Religionem, ut ipſa quoque *Babel* inter eos numeraretur, qui noſcebant Deum, *Pſalm.* 87:4. & Eccleſia illic reperiretur, quæ æque ac Judæi eſſet electa, 1 *Pet.* 5: 13.

GENE.

GENESIS CAP. XI.

Secunda Mundi Ætas : à Diluvio uſque ad Promiſſionem factam Abramo.
Decem Patres poſt Diluvium.

:Fluctus	Mundi	*Noachi*	*Semi*																
2	1658	602	100																*Arphaxad* natus.
37	1693	637	135	35															*Shela* natus.
67	1723	667	165	65	30														*Eber* natus.
101	1757	701	199	99	64	34													*Peleg* natus. Linguæ confuſæ circa tempus nativitatis illius.
131	1787	731	229	129	94	64	30												*Rehu* natus.
163	1819	763	261	161	126	96	62	32											*Serug* natus.
193	1849	793	291	191	156	126	92	62	30										*Nabor* natus.
222	1878	822	320	220	185	155	121	91	59	29									*Terach* natus.
292	1948	892	390	290	255	225	191	161	129	99	70								*Haran* natus.
340	1996	940	438	338	303	273	239	209	177	147	118	48							*Peleg* moritur.
341	1997	941	439	339	304	274		210	178	148	119	49	1						*Nabor* moritur.
350	2006	950	448	348	313	283		219	187		128	58	10	9					*Noach* moritur.
352	2008		450	350	315	285		221	189		130	60	12	11.	2				*Abram* natus.
370	2026		468	368	333	303		239	207		148		30	29	20	18			*Rehu* moritur.
393	2049		491	391	356	326			230		171			52	43	41	23		*Serug* moritur.
427	2083		525	425	390	360					205			86	77	75	57	34	*Terach* moritur, *Gen.* 11: 32. Promiſſio *Abramo* facta, *Gen.* 12: 1.

Cum poſteriori hac undecimi Geneſeos *parte lege* 1 Chron. 1: 24, 25, 26, 27.

Sem in ipſa fronte generationum novi mundi comparet *abſque mentione patris, matriſve, abſque initio dierum & fine vitæ*: ut *Hebr.* 7:3. Ætas hominis contractior facta in confuſione *Babelis*: *Peleg* enim, & qui nati ſunt poſt illum, non ultra medium temporis iſtius vivunt, quod vixerant antè nati. Ipſe moritur in hâc lineâ omnium primus, ad demonſtrandam Dei averſionem à rebellione iſtac, quæ contigit anno ipſi natali. Proximo poſt illum anno *Nahor* moritur, poſtquam vitam vixerat illius etiam vitâ breviorem, ut ſimiliter pateret, quam ægrè Deus ferret Idololatriam, quæ eâdem quoque ſtirpe erat cœpta. *Terach* ſeptuageſimo ætatis anno filium habebat *Haranem*: & *Abram* illi eſt natus, cum annorum eſſet *centum & triginta*: quod apparet ex calculo ætatis *Abrami*, quando *Harane* proficiſcebatur in terram *Canaanis*, patre jam mortuo. Nectunt hic quidam ſibi ipſis nodos & dubia, ubi textus perſpicuus eſt, modò ne torqueatur. Deus *Ure Chaldæorum* evocat *Abramum* ex Idololatriâ ſuâ, & ex regione Idololatricâ, ubi imbutus illâ fuerat, ut *terram & cognationem ſuam* relinqueret, iretque in terram, quam oſtenſurus ipſi erat, *Act.* 7:2, 3. *Abram* Idololatriam relinquit, & vocationem amplectitur, idemque facit pater illius *Terach*, (idcirco iter, honoris ergô, illius adſcribitur directioni, *Gen.* 11:31.) & ſic *Ure* proficiſcuntur *Haranem*, ibique habitant, & diem obit denique ibi *Terach*. Poſt hujus exceſſum aliâ etiam vocatione Deus *Abramum* dignatus eſt, ut relinqueret *ſuam terram, cognationem &* nunc quoque *patris domum*, ſequereturque, quo vocaret illum: quod & fecit, eratque ſeptuaginta annos & quinque natus, cum diſcederet *Harane*. Nunc verò ſi demamus ſeptuaginta quinque annos ducentis & quinque annis *Terachi*, quâ ætate mortuus eſt, clarum eſt, *Abramum* natum eſſe *Teracho*, annos nato centum & triginta. Et ideo textus *verſ.* 26. *Terach autem vixit ſeptuaginta annis, cum genuit Abramum, Nachorem & Haranem*, ita eſt intelligendus, quod genuerit ex his unum; ut gemella expreſſio extat *Geneſ.* 5:32. *Cum autem fuiſſet Noach natus quingentos annos, genuit Noach Semum, Chamum & Japhethum. Haran* filius erat *Terachi* natu maximus, quamvis poſtremo loco nominetur, quemadmodum *Japheth* erat *Noachi*: *Abram* vero nominatur primus dignitatis gratiâ, & quia narratio ad illum tendebat. ſimilique modo res ſe cum *Semo* habet altero iſto loco.

Mundi	Semi	Arphaxadi	Salæ	Eber	Abrami
2083	525	425	390	360	75
					76
					77
					78
					79
					80
					81
					82
					83
	534	434	399	369	84

CAP. XII. XIII. XIV. XV.

PRomiſſio *Abramo Harane* facta à parentis morte: decimo quinto die menſis *Abib* vel *Niſan*, *Exod.* 12:41. Illo ipſo vere proficiſcitur in terram *Canaanis*, & ſupra vel juxta montem *Gerizim* & montem *Ebal* duo Altaria extruit, & per fidem adit terræ poſſeſſionem. Fames pellit illum in *Ægyptum*, ubi fuſci *Ægyptii* confeſtim animadverterant pulchritudinem *Sarai*, mulieris candidæ: inde ipſa abrepta eſt in domum *Pharaonis*, ſed redempta ab ipſo Domino, *Ægyptios* affligente; in typum illorum, quæ ejus evenirent poſteritati, & propter illam *Ægyptiis*. Reverſo *Abramo* ex *Ægypto* in terram *Canaanis* non permittunt illius *Lotique* opes, ut unà habitent: digrediuntur itaque in valle *Achoris*, & *Lot* ſe ſeparat à familia *Abrami*, ſedemque eligit inter *Sodomæos* cum ſuo ipſius & periculo & damno. Profecto illo, *Abram* recipit plenam promiſſionem terræ, & domicilium deinceps ſuum *Hebronem*, locum magnæ poſtea dignationis futurum, transfert.

Eo tempore *Abram*, quam hactenus terram promiſſione tenebat, nunc jure victoriæ obtinet: Nam *Kedorlaomer* ex *Elamo*, *Semi* maximo natu filio, oriundus; atque ita hæres proximus terræ *Canaanis* in *Noachi* prophetiâ, annum jam decimum quartum iſti regioni imperitans, & rebellione provocatus quinque civitatum, quæ in planitie *Jordanis* erant, adductis tribus aliis regibus, in poteſtatem redigit *Canaanæos* omnes, tam ultra, quam citra *Jordanem*; ut primo *Rephæos Libani* accolas; *Luzæos* in *Ammone*; *Emæos* in *Moabo*; *Horæos* ſive *Hevitas* in vallibus *Edomi*: & *Canaanæos* omnes in *Hazezone Tamaris* ad extremum maris mortui. Inde convertunt ſe ad terram cis *Jordanem*, & quemadmodum omnes regiones edomuerant à ſeptentrione verſus meridiem ultra illum, ita nunc hîc idem

Digitized by Google

Mundi | Sem | Arphaxad | Sale | Eber | Abrami

idem faciunt à meridie verſus ſeptentrionem. Ubi verò cum omnibus ſuis ſpoliis pervenerant ad extremos terræ terminos, qua Boream ſpectat, *Abram* illos ſibi aſſecutus oppreſſit, & ſic victoriæ illorum ei ceſſerunt. *Sem* ſive *Melchiſedech* obſervat iſtam Dei diſpenſationem, & devolutionem terræ per ſpecialem providentiam Divinam in *Abramum*; ideoque redeunti occurrit cum pane & vino, tanquam Rex; & cum benedictione, tanquam Sacerdos; & terræ benedictioniſque poſſeſſionem in illum confert.

Deinde recipit *Abram* promiſſum hæredis ex propriis lumbis: Deus ferit cum eo fœdus per ſacrificium, tranſiens ſpecie ignis inter partes cæſarum beſtiarum & illas conſumens: prædicitur etiam afflictio ſeminis illius & habitatio in terrâ peregrinâ per annos quadringentos.

CAP. XVI

2093 | 535 | 435 | 400 | 370 | 85

ABram in uxorem *Hagaram* ducit, ut compos fieret promiſſionis de filio ex carne propriâ, necdum certior factus, an ex *Sarai* ille eſſet naſciturus, an ſecus. *Hagar* per duram tractationem *Sarai* adacta fuit redire in terram ſuam propriam, ſed in via conſpicit *Deum viſionis* אל ראי, perque illum edocta eſt conditionem & nomen filii, quem utero geſtabat, retròque eſt miſſa ad *Sarai*.

Iſmael natus, filius vernæ, ipſa extremâ parte octogeſimi ſexti

2094 | 536 | 436 | 401 | 371 | 86 — 1 anni *Abrami*.

87 — 2 *Arphaxad* diem obit, annos natus 438. lege *Gen.* 11.

2096 | 538 | 438 | 403 | 373 | 88 — 3 11, 13. Nunc anni 440. à diluvio effluxere; natus enim

89 — 4 eſt *Arphaxad* biennio tantùm poſt illud. *Septuaginta* illum

90 — 5 faciunt patrem *Cainanis*, qui in rerum naturâ nunquam exti-

91 — 6 tit; & nihilominus id imitatus eſt *Lucas* Cap. 3: 36. ſpecia-

92 — 7 lem ob cauſam: ſunt qui affirment, *Chaſdim* ſive *Chaldæos*

93 — 8 accepiſſe denominationem ſuam à poſtremis literis nominis

94 — 9 *Arphaxad* כשד; habetque id probabilitatem eò majorem,

95 — 10 quia nomine *Chaſdim* appellati fuêre, *Gen.* 15: 7. ante

96 — 11 *Cheſedum* natum, *Gen.* 22: 22. qui alioquin videri poſſit

97 — 12 iſtam appellationem indidiſſe.

98

CAP. XVII. XVIII. XIX. XX.

2107 | 549 | | 414 | 384 | 99 — 13

HIc annus variis rebus notabilis fuit. Circumciſio inſtituta erat menſe *Abib* aut *Niſan Hebrone*: quo eodem & loco & anni tempore *Johannes Baptiſta* natus eſt, cujus miniſterio Baptiſmus in locum Circumciſionis eſt introductus. *Abram* & *Sarai* mutarunt ſua nomina in Circumciſionis inſtitutione: & nomen *Iſaaci* ante illius conceptionem eſt præſignificatum. Hinc tribus ferè poſt menſibus tres Perſonæ Trinitatis cum *Abrahamo* prandent, futuramque *Iſaaci* nativitatem iterum annuntiant.

Filius & Spiritus Sanctus deſcendunt *Sodomum*; prima verò perſona Trinitatis ſubſiſtit cum *Abrahamo*, &, dum rogare *Abraham* non deſiit, ei auſcultat.

Sodom & *Gomorra*, *Adma* & *Zeboïm* conſumptæ igni & ſulphure: *Lot* evadit; ſed è filiabus duas flammis amittit, uxorem verò fulmine: duæ filiæ reliquæ in illius exitium operam conferunt.

Abraham iterum abnegat *Saram*, exiſtente jam filio promiſſionis in utero, ita tamen ut necdum animadverti potuerit, eſſe prægnantem.

CAP. XXI.

Mundi	Semi	Salæ	Eber	Abrahami	Iſmaëlis	Iſaaci
2108	550	415	385	100	14	1
				101	15	2
				102	16	3
				103	17	4
				104	18	
2113	555	420	390	105	19	5
				106	20	6
				107	21	7
				108	22	8
				109	23	9
				110	24	10
				111	25	11
				112	26	12
				113	27	13
				114	28	14
				115	29	15
				116	30	16
				117	31	17
2126	568	433	403	118	32	18
				119	33	19
				120	34	20
				121	35	21
				122	36	22
				123	37	23
				124	38	24
				125	39	25
				126	40	26
				127	41	27
				128	42	28
				129	43	29
				130	44	30
				131	45	31
				132	46	32

ISaac natus eſt filius promiſſionis : *Abraham* in ſupernaturali *Iſaaci* nativitate prævidebat ſupernaturalem nativitatem *Chriſti*, & gaviſus eſt. *Iſaac* non dictus eſt *Riſus* ob lætitiam duntaxat *Abrahami* ſuper illo nato, ſed propter gaudium quoque illius in *Chriſto*, *Joh.* 8: 56. *Abraham pater ille veſter geſtivit videre diem iſtum meum, & vidit, & gaviſus eſt.*

Iſmaël irridet : *Hagar* & ipſe ex familiâ *Abrahami* exiguntur. Hinc incipiunt 400. anni, quorum mentio fit, *Cap.* 15: 13. *Abimelech* & *Abraham* fœdus ineunt, &c. Prædixerat Deus *Abrahamo* afflictionem *Ægyptiacam*, & afflictio illius primum initium habet per *Ægyptium*, *Hagaram* nempe, illiusque filium. Temporis, quo ſemen illius commoraretur in terrâ alienâ, duplex ſpatium memoratur, ſcil. annorum 400. *Cap.* 15 : 13. quod ſe extendit ab irriſione *Iſmaëlis* ad liberationem uſque ex *Ægypto* : & annorum 430. *Exod.* 12 : 40. quod eſt à promiſſione factâ *Abrahamo*, *Gen.* 17 : 1. uſque ad illorum liberationem, *Gal.* 3 : 17. *Abraham* conſecrat ſaltum *Beerſebæ*, ut haberet ſacra ligna ad ſacrificia, æquè ac ſacrum ignem ; vide *Cap.* 21 : 33. Ignem nonnunquam habebat cœlitus ſuper ſua ſacrificia, quem conſervabat.

Sala ſive *Shela* moritur, annos natus 433, lege *Gen.* 11: *verſſ.* 14, 15.

Bonum temporis ſpatium, quod *Iſaacum* concernit, ſilentio tranſmittitur. Nam à tempore irriſionis *Iſmaëlis*, quæ quinto illius anno contigit, uſque ad tempus oblationis *Iſaaci* in figurâ, quæ anno illius fuit triceſimo tertio, ut facilè agnoſcitur, nulla illius fit mentio ; hiſtoria enim adhuc perſequitur acta *Abrahami*. Jam autem quam maximè eſt veriſimile, cum oblatio *Iſaaci* tam perſpicua & plena figura ſit oblationis *Chriſti* in cæteris, duas iſtas res, typum ſcil. & antitypum, conveniſſe quoque tempore ; & *Iſaacum* oblatum eſſe annos natum triginta duos cum dimidio, ſive triginta tres, poſtremo adhuc currente ; quæ ætas erat Servatoris noſtri, ubi crucifigebatur. Similiſque temporis concurſus & circumſtantia æquè cogitari poteſt de *Abele* in morte illius ; qui à fratre cæſus præfigurabat idem, quod *Iſaacus* oblatus per patrem.

CAP. XXII.

Mundi	Semi	Salæ	Eber	Abrahami	Iſmaëlis	Iſaaci
				133	47	33
				134	48	34
				135	49	35
				136	50	36

ISaac probabiliter oblatus hoc anno : mons *Moria*, verſ. 2. *dies tertius*, verſ. 4. ipſe primum portans lignum, deinde lignum portans ipſum, *verſ.* 6, 9. ipſe colligatus manibus pedibuſque, *verſ.* 9. omnia, inquam, illa vocant nos ad conſiderandas conſimiles circumſtantias in morte *Chriſti*.

CAP. XXIII.

Mundi	Semi	Salæ	Eber	Abrahami	Iſmaëlis	Iſaaci
2145	587		422	137	51	37
				138	52	38
				139	53	39

SAra diem obit, nata 127 annos ; ſola inter mulieres, cujus ætas in Scripturâ commemoretur : ſepulchrum illius primum ſolum eſt, quod *Abraham* in terrâ *Canaanis* poſſedit.

CAP.

Mundi	Semi	Eber	Abrahami	Iſmaëlis	Iſaaci	
2148	590	425	140	54	40	
			141	55	41	
			142	56	42	
			143	57	43	
			144	58	44	
			145	59	45	
			146	60	46	
			147	61	47	
			148	62	48	
			149	63	49	
2158	600	435	150	64	50	
			151	65	51	
			152	66	52	
			153	67	53	
			154	68	54	
			155	69	55	
			156	70	56	
			157	71	57	
			158	72	58	
			159	73	59	
2168		445	160	74	60	
			161	75	61	1
			162	76	62	2
			163	77	63	3
			164	78	64	4
			165	79	65	5
			166	80	66	6
			167	81	67	7
			168	82	68	8
			169	83	69	9
			170	84	70	10
			171	85	71	11
			172	86	72	12
			173	87	73	13
			174	88	74	14
2183		460	175	89	75	15
				90	76	16
				91	77	17
				92	78	18
2187		464		93	79	19
				94	80	20
				95	81	21
				96	82	22
				97	83	23

CAP. XXIV. & XXV. *uſque ad verſ. 7. & 1 Chron. 1. verſ. 32, 33.*

R*Ebecca Iſaaco* nubit. *Abraham* poſt *Saræ* deceſſum ducit *Keturam*, & diverſos ex illâ liberos ſuſcipit; quos, ubi adoleverant, dimiſit in illas trans *Jordanem* regiones, & *Arabiam*, quas *Kedorlaomer* & qui cum eo erant Reges ſubjugarant, & quæ, quod *Abraham* illos viciſſet, illi acceſſerant. Iſtic hi illius filii excrevêre in nationes, & facti ſunt ſemini *Iſraëlis* perpetui hoſtes. Quanquam autem *Abraham* valdè erat ætate provectus moriente *Sarâ*, natus tunc temporis annos 137. necdum tamen defectus fuit viribus generationis, virtute ſcil. illius promiſſionis; *Multiplicaturus ſum te, &c.* In *Iſaaci* nativitate id maximum mirum infuit, quod natus ſit ex vetulâ, eâque ſterili.

Sem moritur, natus annos 600; lege *Gen.* 11: 11. Ipſe fuit *Melchiſedech*; ſolus toto orbe major *Abrahamo*. Quanquam enim *Eber* & *Arphaxad*, aliique Patriarchæ eâ erant præ *Abrahamo* dignitate, quod ejus eſſent parentes: ipſe tamen eam præ illis dignitatem obtinebat, quod ſingularem illam & glorioſam promiſſionem adeptus ſit, quæ ipſi fuit facta, & nemini prætereà alii, quam ſoli *Semo*. *Sem* vidit duas illas maximas mundi calamitates, Diluvium puta, & confuſionem Linguarum: verum in *Abrahamo* & *Iſaaco* ſolatium eſt contemplatus. Vixit tot annos poſt ingreſſum *Abrahami* in terram *Canaanis*, quot natus erat *Abraham*, ubi iſtùc venit: videlicet annos 75.

CAP. XXV. *verſ. 11. & à verſ. 19. ad finem.*

J*Acob* & *Eſau* nati: prior is, qui naturalis erat; dein, qui ſpiritualis. Hi infantes in utero colluctabantur, cujus rei quando *Rebecca* ſciſcitabatur cauſam, Dominus per oraculum, quod *Abrahami* oraculum fuiſſe videtur *Beerſebæ* conſtitutum, detexit aperuitque diverſitatem & inimicitiam puerorum, gentiumque quæ deſcenſuræ ex illis erant. *Eſau* prodiit totus hirſutus, hædi inſtar, nativitate mirâ, unde & *Eſau* i.e. *Factus* appellatus eſt: habebat namque barbam & pubem ab ipſâ nativitate, æquè ac ſi fuiſſet vir maturâ ætate. Deveniet nunc hiſtoria ad acta *Iſaaci* & *Jacobi*; idcirco hoc Capite narrationi de *Abrahamo* & *Iſmäele* finem imponit, vitæ durationem utriuſque determinat, & mortem commemorat per anticipationem. Lector facile Textus, qui hæc enarrant, ad proprium tempus reducet. Frequentiſſima in ætatibus ſupputandis per Scripturam omnem hæc agendi ratio eſt, ceu videre eſt *Gen.* 5. & 11. &c.

Abraham moritur: lege hîc *Gen.* 25: 7, 8, 9, 10. *Iſaac* eâdem planè ætate eſt, quando *Abraham* decedit, quâ *Abraham* fuit, quando promiſſio ipſi eſt facta; videlicet annorum 75. Promiſſio autem ſucceſſione pervenit ad *Iſaacum*.

Eber moritur: lege *Gen.* 11: 17. Vita illius omnium, qui poſt Diluvium nati, longiſſima fuit: pater *Hebræorum*, & à quo lingua *Hebræa* nomen accepit. Religio in illius familiâ perſtitit, quando mundus univerſus illam fecerat miſſam, vixitque donec glorioſè vidit conſtabilitam in familiis *Abrahami* & *Iſaaci*.

CAP.

CAP. XXVI.

Mundi	Iſmaëlis	Iſaaci	Jacobi
	98	84	24
	99	85	25
	100	86	26
	101	87	27
	102	88	28
	103	89	29
	104	90	30
	105	91	31
	106	92	32
	107	93	33
	108	94	34
	109	95	35
	110	96	36
	111	97	37
	112	98	38
	113	99	39
2208	114	100	40
	115	101	41
	116	102	42
	117	103	43
	118	104	44
	119	105	45
	120	106	46
	121	107	47
	122	108	48
	123	109	49
	124	110	50
	125	111	51
	126	112	52
	127	113	53
	128	114	54
	129	115	55
	130	116	56
	131	117	57
	132	118	58
	133	119	59
	134	120	60
	135	121	61
	136	122	62

TEmpus, quo *Eſau* vendidit jus primogeniti, & quo *Iſaac Gerarum* eſt profectus, neutra parte additum eſt: ſed ex Textu eſt veriſimile, multum ſpatii haud interceſſiſſe; famemque eam, quæ cauſa *Eſavo* fuit, communicandi primogeniti jus, cauſam quoque fuiſſe *Iſaaco* ex ſede propriâ exeundi, & proficiſcendi alіorſum, quæſitum vitæ neceſſaria. Apparet magnam tunc victûs penuriam fuiſſe, redacto *Jacobo* ad hoc lentium juſculum, *Eſavo* autem ad eas anguſtias, ut niſi poti-retur iſto edulio, fame videretur defecturus. Complures magni momenti res jure primogeniti continebantur, ut Principatus, Promiſſio, Sacerdotium, & Privilegia ingentia; quæ omnia *Eſau* contempſit præ jusculi ferculo. Compara id cum *Adami* facto, qui ſuam ſuæque poſteritatis felicitatem cibi bucceâ commutavit, perdiditque. *Iſaac*, ut pater illius antea, uxorem abnegat. Rex *Philiſtæus* pluſculum hic oſtendit conſcientiæ, quam ille. Eximie diteſcit in *Philiſtæorum* terrâ, ad invidiam uſque incolarum.

Eſau uxores ducit *Canaanæas* ad ſanctorum parentum vexationem. Ab hac illius impiâ polygamiâ ipſe dictus eſt *ſcortator*, *Hebr.* 12:16. Polygamia enim *ſcortatio* vocatur, *Hoſ.* 4:11. Atque ob id factum, Spiritus Sanctus videtur uni ex his mulieribus nomen impoſuiſſe *Adæ*, uxoris primi polygami, qui in mundo unquam fuit: vide *Gen.* 36:2. & *Gen.* 4:19. *Eſau* hâc re dupliciter peccavit, Polygamiâ ſcilicet, & matrimonio quæſito ex proſapiâ maledicti *Canaanis*. Polygamia in viris ſanctæ ſtirpis, quales fuêre *Jacob*, *David*, & *Salomon*, &c. ideo conditionis fuit tolerabilioris & facilioris veniæ: quia quærebant multiplicare ſemen ſanctum, quod fieri per *Eſavum* haud poterat.

Nonne frater fuit Eſau Jacobo, dictum Jehovæ? Dilexi autem Jacobum, Eſavum verò odio habui, Mal. 1. verſſ. 2,3. *Quid igitur dicemus? num injuſtitia eſt apud Deum? abſit. Nam Moſi dicit; miſerebor, cuius miſertus fuero, & commiſerabor, quem commiſeratus fuero*, Rom. 9:14,15. Uterque & Propheta & Apoſtolus exemplum electionis & reprobationis mutuantur potiùs à *Jacobo* & *Eſavo*, quàm vel à *Caino* & *Abele* in principio veteris mundi, vel à *Semo* & *Chamo* in principio novi: partim quia in contrariâ diſpoſitione Dei de his duobus, quos eodem partu editos eſſe conſtat, melius pateſit Dei libertas in agendo & diſponendo: & partim, quia in *Jacobo* exiſtere incepit populus ſeparatus à toto mundo, jaciturque fundamentum diſtinctæ viſibilis Eccleſiæ: partim denique, ut, poſtquam ambo nati ſunt ex parentibus, qui erant ſub Promiſſione, efficacia ſpiritualis & temporalis Promiſſionis diſtingueretur.

Mundi	Iſmaëlis	Iſaaci	Jacobi
2231	137	123	63
		124	64
		125	65
		126	66
		127	67
		128	68
		129	69
		130	70
		131	71

Iſmaël moritur natus 137. annos: lege *Gen. Cap.* 25. à *verſu* 12. ad *verſum* 19. & 1 *Chron.* 1:28,29,30,31. Ex nonnullis argumentis videri poſſet fuiſſe ſervatus, quamvis ſemel perſecutus ſit & illuſerit, ſitque expulſus domo *Abrahami*: eò enim nos ducere videtur *Abrahami* pro illo precatio, & Dei illum concernens promiſſio, *Gen*, 17:18,20. ſupputatio ætatis illius, eædemque expreſſiones de illius morte, quæ de morte *Abrahami* uſurpatæ fuerant; connubium *Eſavo* ex illius ſtirpe petitum, quando connubia *Canaanæa* parentibus illius diſplicerent &c. Sed quicquid ſit de ipſius *Iſmaëlis* pietate, id certum eſt, poſteros illius evaſiſſe homines impios, & adverſarios *Iſraëlis* perpetuos extitiſſe. Illi cæterique de ſemine *Abrahami* ex *Keturâ*,

unà

Digitized by Google

Mundi | Iſaaci | Jacobi

unà vixère in *Arabiâ*, & fratres fuère in malo. *Turcæ* putantur ab aliquibus
eſſe è ſemine *Iſmaëlis*; cujus rei argumento circumciſio ſit, quæ apud
illos obtinet: ſed hi æquali, ſi non majori jure, illos dixerint progeniem
132 72 *Iſraëlitarum*, ductorum in captivitatem verſus ſeptentrionales mundi partes,
133 73 per *Aſſyrios* & *Babylonios*, quæ nunc in vaſtam multitudinem excreverit, ſit-
134 74 que effuſa verſus plagam mundi occiduam.

135 75

136 76

CAP. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.

2245 137 77 Iſaac jam ad illam ætatem pervenit, quâ frater ejus *Iſmael* ante annos 14. obiit, nempe annorum 137. Neque abludit à vero, meditationem mortis illius hâc ætate, ſubjeciſſe *Iſaaco* cogitationem de fine proprio: ipſe certè, convenienter morituro, diſpoſuit de benedictione transferendâ, & conferendâ in alterutrum filiorum. Emiſſio *Eſavi* ad venatum cauſâ ferinæ, ut de cupediis iſtis ederet, animaque ipſius illi benediceret, non ideo fuit, quod cibus potuſve conduceret ad conſilium hoc ſpirituale; ſed ut intelligeret, utrum benediceret illi, an non: nam quod principio feram nullam capere poſſet, occaſionem attulit amittendi jus primogeniti; & ſi illam ne nunc quidem inveniret, futurum illud erat ſignum *Iſaaco*, placere Doo, ut amitteret quoque benedictionem. *Rebecca* verò facilè odoratur, eâ ſibi *Iſaacum* velle, *Eſavum* ejus negotii gratiâ emittendo, & convertit illud in uſum filii ſui dilecti *Jacobi*. Similiterque *Iſaac* aliquam benedictionem confert in *Eſavum*, ubi prædam illum vidit eſſe aſſecutum, quia ſenſit inde, velle Deum, ut is quoque aliquam benedictionem haberet, convenienter ſigno, quod *Iſaac* ſibi propoſuerat. *Jacob* in veſtibus fratris natu maximi, obtinet benedictionem, veſtimentis ſcilicet Sacerdotii, quæ ad primogenitum pertinebant: quæ ſic per *Rebeccam* in jus *Jacobi* ſervata ſunt.

Jacob propter metum indignationis *Eſavi* fugit *Haranem*. Antequam autem proficiſcitur, benedictionem habet, quam patri fuerat ſuffuratus, ab ipſo patre illi confirmatam ſciente jam & volente.

Bethele, quà viam habet, offertur ei viſio ſcalæ, quæ typus fuit *Chriſti* incarnati, ut qui cœlum & terram unit, tùm duabus naturis ſuis, tum opere reconciliationis. Columnam inungit, & locum, ubi cubuerat, conſecrat, & vovet decimas. Mentio *Eſavi* proficiſcentis ad *Iſmaelem*, (id eſt, ad *Iſmaelis* familiam: ipſe enim *Iſmaël* deceſſerat) & accipientis filiam illius in uxorem, præmittitur narrationi viſionis factæ *Bethele*, eorumque quæ ad puteum *Haranis* contigerunt, quamvis illud aliquanto ſeriùs evenerit: quia Spiritus Sanctus hiſtoriam *Jacobi* integram filo non interrupto vult abſolvere; hinc ſcilicet eſt, quòd alteram hiſtoriam præmittat.

Jacob ad puteum *Haranis* fortiorem ſe tribus viris demonſtrat, devolvens de ore putei lapidem, cui tres paſtores pares non fuerant: innoteſcit illic *Rachelæ* & *Labani*, & mercedem pactus in ſeptennii ſervitutem ſe tradit. Vir annorum 77. famulus conducitur, uxoris adipiſcendæ cauſâ. Contigiſſe id eo anno, nempe ſeptuageſimo ætatis *Jacobi*, colligi poteſt ex ſequenti hiſtorię ſerie, in hunc modum: *Joſeph* filius *Jacobi* annorum erat triginta, quando ſtabat coram *Pharaone*, *Gen.* 41:46. Secuti tunc ſunt ſeptem anni ſaturitatis *verſ.* 47, 53. qui *Joſephi* ætatem faciunt annorum triginta & ſeptem. Dein præterière duo anni famis, priuſquam *Jacob* venerit in *Ægyptum*, *Geneſ.* 45:6. Ita jam triginta & novem annos erat natus. Cum *Jacob* perveniret ad finem biennii famis, ipſe annorum erat centum & triginta, *Cap.* 47:9. Aufer nunc triginta & novem annos *Joſephi* à centum & triginta ætatis *Jacobi*, apparebit, *Jacobum* genuiſſe *Joſephum* anno ętatis nonageſimo primo. *Joſeph* verò natus eſt anno ultimo ſeptennii poſterioris, ſive anno ſervitutis, quam *Jacob Labani* præſtitit, decimo quarto, ipſo iſtius anni exitu, *Cap.* 30:25, 26. Deme igitur quatuordecim annos annis *Jacobi* nonaginta & uni, quo natus fuit *Joſeph*, & reſidui ſeptuaginta ſeptem efficient ætatem *Jacobi*, ingredientis ſervitutem annorum quatuordecim.

2246 138 78 *Jacob* orditur famulatum ſeptennii. *Lea* & *Rachel* figuræ ſunt duarum Eccle-
139 79 ſiarum, Eccleſiæ Judæorum ſub Lege, & Eccleſiæ Gentium ſub Euangelio.
140 80 Junior formâ præſtat, magiſque hæret *Chriſti* cogitationibus, venientis in

Mundi | Iſaaci | Jacobi

formâ ſervi; altera verò, ut *Lea*, prior amplexata, & in uxorem accepta.

Exitu hujus anni famulatus *Jacobi* propter *Rachelam* finitus eſt; *Laban*
verò decipit illum, datâ *Leâ*: ſicque penſatur *Jacobo* deceptio patris fraude
2252 144 84 conſimili. Feſellerat patrem perſonâ ſubornatâ, ſimulans *Eſavum* ſe eſſe, cum eſſet *Jacob*; & viciſſim per ſocerum falſus eſt perſonâ ſubornatâ, atque ita amplexatus eſt *Leam*, cum *Rachelam* ſe amplexari crederet: obverſabatur animo ejus infans ſuſcipiendus ex *Rachelâ*, dum amplexu tenet *Leam*; & ita jus primogeniti ex mente & intentione illius futurum erat primogeniti *Rachelæ*: quod & factum eſt ſuo tempore.

Ita deceptus ſervitutem ſubit alterius ſeptennii *Rachelæ* cauſa, ſervitque unam ſeptimanam in arrham; quo palam fecit, ſe & alterum ſeptennium ſervire velle: quâ ſeptimanâ completâ duxit *Rachelam*.

2253 145 85 *Reuben* natus; & reliqui *Jacobi* filii, hoc deinceps, ut videtur, ordine.

146 86 *Simeon* natus.

147 87 *Levi* & *Dan* nati.

148 88 *Juda* & *Naphthali* nati.

149 89 *Gad* natus.

150 90 *Aſer* & *Iſſachar* nati.

2259 151 91 *Joſeph* natus, & non diu ante illum *Zebulon*. *Rachel* prophetat. *Dina* hoc

152 92 1 ſeptennio non nata, niſi gemella fortè fuerit cum *Zebulone*.

153 93 2 Poſt contractum de novo cum *Labane* initum, *Jacob* benedictione

154 94 3 Divinâ mirum quantùm ditatur, ad invidiam *Labanis* & filiorum illius.

155 95 4 *Laban* in partiendo quoad pecus fraudulenter cum eo agit, uti antea quoad

156 96 5 filias fecerat: ſed non patitur Dominus damnum illi fieri.

CAP. XXXI.

2265 157 97 6 JAcob diſcedit clam à *Labane*; at hic illum aſſequitur tandem. *Rachel* furatur *Labanis Teraphim*, quæ pictæ imagines aut ſtatuæ erant majorum illius; has autem ſecum abſtulerat conſervandæ illorum memoriæ, cum terram ſuam & domum patris viſura deinceps non videretur. *Laban* iis ad idololatriam fuerat abuſus. Ipſe & *Jacob* fœdus ineunt.

CAP. XXXII. & XXXIII. *ad verſ.* 17.

158 98 7 JAcob reformidans *Eſavum*, ad illius appropinquationem fide concuſſus eſt, quanquam viſibili miniſterio Angelorum fruitur: ob quam puſillanimitatem *Angelus fœderis*, *Chriſtus*, obvius in viâ cum illo luctatur, quæritque occidere: at ille plorat & ſupplicat, eſtque læſus duntaxat, vivus tamen evadit. Vocatus eſt *Iſraël*, ad certum ipſum faciendum, fore, ut *Eſavum* is ſuperaret, qui nunc ita ſuperarat Deum. Et ſimul cum primâ nominis *Iſraëlis* impoſitione introducta eſt ceremonia, quâ *Iſraël* ab omni alio populo diſtingueretur, nempe, de non comedendo nervo, qui emarcuit.

Eſau & *Jacob* amicè congrediuntur diſceduntque. *Quando viæ alicujus placent Domino, ipſos illius inimicos pacatos reddet ei.*

CAP. XXXIII. *verſſ.* 17, 18, 19, 20

159 99 8 JAcob aliquamdiu moratur *Succothis* ultra *Jordanem*, orientem verſus, ibique ſtruit tuguria pecori, donec fœtus ſuos edidiſſent: vide *verſ.* 13. ſibi autem ipſi domum ſive tentorium erigit.

160 100 9 *Jacob* eſt *Sechemi*, quò venit שלם, ſive *pacifice*. Nam donec eo venit, nihil erat prævaricationis in illius domo. Comparat ſibi portionem terræ, ibique primum ſuum altare extruit.

CAP. XXXVIII. *verſſ.* 1, 2, 3, 4, 5.

JUda digreditur à fratribus ſuis *Sechemi*, & ducit uxorem.

161 101 10 *Er Judæ* natus.

Onan

Mundi | Iſaaci | Jacobi | Joſephi

Onan Judæ natus.
Sela Judæ natus: *Juda* nunc conſedit *Chezibi*, prope terminos *Phi-
liſtæorum*: obſerva hæc particularia, quæ *Judam* concernunt, I. Fuiſſe
2270 162 102 11 modò annorum trium & quadraginta, quando in *Ægyptum* deſcendit.
163 103 12 II. Filium illius *Pharezum* tunc duos filios habuiſſe, *Gen.* 46. *verſ.* 12.
III. Adverte ad hiſtoriam *Eri*, *Onanis*, & nativitatem *Pharezi*, & inde
fac conjecturam, quam paucorum annorum fuerit *Juda*, quando primus
illi infans eſt natus. Hiſtoriæ hæ de illius connubio & liberorum nativitate
ſubjiciuntur hiſtoriæ de venditione *Joſephi*, quamvis tempore anteceſſe-
rint; quia Spiritui Sancto placuit, *Judæ* hiſtoriam omnem ſimul abſol-
vere. Sunt etiam illo Capite quædam, quæ poſt *Joſephi* venditionem con-
tigerunt, ibique proprio loco ſunt collocata; quæ his addita ſunt, ut
tota hiſtoria ſimul comprehendatur.

CAP. XXXIV.

2272 164 104 13 D*Ina* rapta lachrymarum cauſam præbet teneris oculis matris *Leæ*;
fuitque hæc prima in familia *Jacobi* prævaricatio: minimè verò eſt
mirum, ſi Dominus illum flagello aliquo excepit, negligentem adeo in
familiâ purgandâ & ſolvendis votis; ſeptem enim vel octo jam anni erant,
ex quo reduxerat illum Dominus *Harane*, & hactenus non cogitaverat de
voto, quod eò proficiſcens fecerat.

Circumciſio fit exitialis *Sechemitis*.

CAP. XXXV. *à verſ.* 1. *ad verſ.* 28.

2273 165 105 14 HOc tandem tempus *Jacobum* vocat ad ſolvenda ſua vota, & perpur-
166 106 15 gandam domum ab Idolis, poſtquam illud tam diu neglexerat, &
167 107 16 tam triſtis calamitas familiæ illius acciderat. Dominus itaque ire illum jubet
Bethelem, ubi votum nuncupatum fuerat; & ibi familiæ ſuæ Idola omnia
ſub quadam quercu defodit, & admittit Proſelytos *Sechemi* & *Syriæ* ad
Religionis ſuæ communionem per Baptiſmum: quia circumciſio iis abo-
minabilis cœperat videri. Sepelit *Deboram Bethele*: habet viſionem, &
columnam erigit.

Proficiſcitur hinc *Hebronem*, naſcitur ipſi *Benjamin* in viâ, & ſepelit *Rachelam* juxta *Bethlehemum*. *Bilha* à *Reubene* ſtupratur. Denique *Hebronem* venit ad patrem *Iſaacum*, poſtquam totos triginta annos ab illo abfuerat.

CAP. XXXVI. & 1 *Chron.* 1:34. *ad finem.*

TRigeſimum ſextum Caput aptè has hiſtorias ſequitur: poſtquam enim Spiritus Sanctus huc uſque hiſtoriam *Jacobi* expoſuit, jamque perrecturus erat ad hiſtoriam *Joſephi*, prius hiſtoriam *Eſavi* pertexit: proximè enumerârat filios *Jacobi*; nunc autem poſteritatem *Eſavi* enarrat; ut appareat, quo pacto benedictio *Iſaaci* in *Eſavo* locum invenerit.

Obſerva in Genealogiâ *Eſavi* & *Seiris*, præterquam quod uxoribus *Eſavi* nomina commutata legantur. I. *Eſavum* accepiſſe in uxorem *Abolibamam*, proneptim *Seiris*, filiam *Anæ*, filii *Zibeonis*, filii *Seiris*, *verſſ.* 20, 24, 25. cum *Eliphaz* filius *Eſavi* duxerit *Timnam*, *Seiris* filiam, *verſſ.* 20, 22. ſicque patris uxorem tertiâ generatione poſteriorem eſſe filii uxore. II. *Timnam Eliphazi* concubinam filiis illius connumerari, 1 *Chron.* 1:36. III. Memorari Ducem *Koram* in ſtirpe *Eliphazi* poſterioribus temporibus, cum *Eliphazo* nullus ejus nominis proximus filius fuerit; compara *verſum* 11. cum *verſu* 16. IV. Quod dictum eſt, *Eſau aſſumpſit uxores ſuas, & liberos ſuos, & jumenta ſua, & abiit in regionem a facie fratris ſui Jacobi*, *verſ.* 6. ita eſſe intelligendum, id ſcilicet illum feciſſe ut *Jacobo* locum cederet in tempus illud, quo hic rediturus erat *Harane*: cum enim illuc proficiſceretur, reliquit *Eſavum* in *Canaane*; inde autem rediens invenit illum in *Seire*.

Digitized by Google

Mundi | Eſaui | Jacobi | Joſephi

CAP. XXXVII.

2276 168 108 17 JOſeph venditus annos natus ſeptendecim, *verſ.* 2. Caput trigeſimum ſextum hiſtoriam *Eſavi* tractat, oſoris fratris ſui, quique jus primogeniti propriâ ſuâ culpâ amiſit. Caput hoc trigeſimum ſeptimum exponit hiſtoriam *Joſephi*, exoſi ſuis fratribus, & qui jus primogeniti obtinuit culpâ alterius. *Reuben* ſe ſpoliaverat jure primogeniti ante unum fere aut alterum annum, eo quod cum uxore patris concubuiſſet: nunc verò *Jacob* illud jus devolvit in *Joſephum*, inque ejus ſignum parat illi tunicam verſicolorem. Propter amorem, quo illum *Jacob* complectebatur, & collatum illi privilegium, fratres illum odio habent; quod illius ſomniis adeo eſt auctum, ut illum vendant. Principio pater illum unà cum fratribus juſſit greges paſcere; ſed filii etiam * ancillarum illum pro ſervo habuère. Dein pater cum miſit viſitare fratres ſuos apud greges *Sechemi*: ſed *Amoræus* vindicaverat ſibi illam terram poſt *Jacobi* & illorum abitum, factâ jam cæde *Sechemi*; adeo ut coacti fuerint paſtûs gratiâ ire *Dothanem*, ubi *Joſeph* illos offendit, & *Judæ* ſuggeſtione, quemadmodum *Chriſtus* perfidiâ *Judæ*, venditus eſt *Medanitis*, *Midianitis* & *Iſmaelitis*: nam hiſce omnibus nominibus mercatores, qui emerunt illum, vocantur; populi enim iſti adeo promiſcuè egère, ut quilibet ex illis quodlibet horum nominum geſſerit.

* והוא נער *Verſ.* 2.

Jacob jam decipitur ſanguine hædi loco ſanguinis *Joſephi*, ſicut patrem ipſe deceperat carne & pelle hædi, loco cupediæ ex farinâ confectæ & cutis propriæ.

Joſeph venditur *Potiphari*.

CAP. XXXIX.

2277 169 109 18 JOſeph in *Ægypto* in domo heri proſperè agit, & Dominus cum ipſo
170 110 19 eſt; traditque herus omnia quæ habet in manum ejus. Fuſca hera tacta
171 111 20 deſiderio formæ illius conſciſcit ipſi miſeriam. Perfidiam ſuam togâ il-
172 112 21 lius obvelat. Oſtenſio togæ ipſius antea patri triſtitiæ cauſa fuerat; nunc eſt illi ipſi. Hic *Joſephi*, jam primogeniti, caſtitas confundit incontinentiam *Reubenis*, qui primogenitus antè fuerat: etenim ille repellit heram ſuam, hic uxorem patris ſollicitat.

CAP. XXXVIII. *à verſ. 6. ad finem.*

2281 173 113 22 ER & *Onan* circa hoc tempus prævaricantur: neque diu poſt ipſe *Juda*
174 114 23 inceſtu polluit propriam nurum; unde natus *Pharez*, Chriſti tamen
175 115 24 quoad carnem pater. Hiſtoria eorum, quæ ad *Judam* attinent, ſubjecta
176 116 25 eſt hiſtoriæ de venditione *Joſephi*, quamvis nonnulla ex iis diu ante
177 117 26 facta fuerunt, quam *Joſeph* fuit venditus; nonnulla etiam poſt hiſto-
178 118 27 riam *Cap.* 39. ut præmium proditionis *Judæ* (ejus enim hoc in facto primæ partes fuère) ob oculos poneretur, ſimulac venditio illius eſſet expoſita. *Juda* jam matrimonium contraxerat, priuſquam *Joſeph* fuit venditus, & *Er* ac *Onan* prius quoque nati fuère, uti antea eſt obſervatum: quare prima Capitis verba, *Per illud tempus*, referenda non ſunt ad proxima Capitis præcedentis: quibus memoratur, quemadmodum *Joſeph* ſit *Potiphari* venditus; ſed ſunt extenſionis majoris, ut hæc ipſa phraſis: itemque illa, *In illis diebus*, in Scripturâ ſæpe eſſe deprehenduntur. Commodiſſimè autem venditio *Ioſephi*, & *Iudæ* prævaricationes connectuntur, ut oſtendatur, quo pactô hic in liberis punitus ſit, qui affectum omnem naturalem in fratrem exuerat: quodque *Ioſeph* cum herâ non peccarit, *Iuda* verò peccarit cum nuru, obſervationem illam multò facit illuſtriorem. Quatuor natu majores filii *Iacobi* fædâ culpâ ſe implicant: itaque reſipiſcentia & gratia elucent in illorum converſione.

CAP.

Digitized by Google

Mundi. Iſaaci. Jacobi. Joſephi.

CAP. XL.

2287 179 119 28 JOſeph interpretatur ſomnia duorum, qui unà cum illo captivi erant; & planè ut ſe res habuit cum duobus illis latronibus, qui cum *Chriſto* crucifixi erant, unus ſervatus, alter condemnatus eſt. Unus ex his, cum ipſi diceret *Joſeph*, *memor eſto mei, quandò bene tibi erit*, oblivioni illum tradidit: at unus ex illis, cum diceret *Chriſto*, *memor eſto mei, ubi in regnum tuum veneris*, oblivioni traditus non eſt. Sicut autem narratio duorum ſomniorum conjecit *Joſephum* in miſeriam; ſic duorum ſomniorum interpretatio deprehendetur ſuo tempore eſſe medium liberationis illius: quamquam Præfectus à poculis crateribus vinum infundit & bibit, neque afficitur ægritudine propter afflictionem *Joſephi*, ut eſt *Amoſ.* 6: 6.

2288 180 120 29 *Iſaac* moritur: *Jacob* & *Eſau* invicem conciliati illum ſepeliunt: lege *Cap.* 35: 28, 29. Perpende vero hîc, quam *Eſau* ab illo mutatus ſit, cujus verba referuntur *Gen.* 27: 41.

CAP. XLI.

2289 121 30 JOſeph exponit ſomnium *Pharaonis*; confer *Dan.* 2. Septennium famis
2290 122 31 initium capit. *Joſeph* frumentum colligit & reponit. *Manaſſe* &
123 32 *Ephraim* hoc annorum ſpatio ipſi nati ſunt ex nobili *Ægyptiâ*. Quibus
124 33 nunc oculis miſera hera illum ſpectat, ſi quidem ſuperſtes ſit? Circa ex-
125 34 trema ſeptennii famis, aut circiter hoc tempus, *Pharezo* natus eſt
126 35 *Hezron*.
127 36
128 37

CAP. XLII.

2297 129 38 PRimus annus famis fluit. *Joſephi* fratres ſe incurvant coram illo, frumenti gratiâ, ut faſces illorum frumentarii fecerant in ſomnio.

CAP. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. *ad verſ.* 13.

2298 130 39 ANnus famis ſecundus: *Benjamin* à fratribus deductus eſt in *Ægyptum*, liberorum jam decem pater. Convivium, quo fratres *Joſeph* accepit, eò tendebat, ut argentei poculi furtum imputandi commodior eſſet occaſio, נחש ינחש בו, *Cap.* 44: 5. de quo *Joſeph habiturus erat quæſtionem admodum accuratam*, נחש ינחש איש אשר כמני: vir enim ejuſmodi & loci tam ſublimis *inquiſitionem valdè ſtrictam poterat facere*, verſ. 15.

Iacob deſcendit in *Ægyptum* cum animabus ſeptuaginta, comprehenſis præter ipſum *Ioſepho* duobuſque illius filiis. Septuaginta inſuper quinque addiderunt, ſcilicet *Machirem*, *Gileadum*, *Sutelam*, *Tabana & Edenem*, ex 1. *Chron.* 7: 14, 20, &c. quod Lucas *Act.* 7: 14. eſt imitatus.

Iacob & *Ioſeph* poſt ſpatium annorum tredecim congrediuntur. *Iacob* adducitur ad *Pharaonem*; & Rex illum de nulla re, præterquam de ætate, interrogat. Erat novum in *Ægypto*, videre virum tam annoſum. *Jacob* nunc 130. annos eſt natus; & dimidia pars annorum 430. qui inter promiſſionem & liberationem ex *Ægypto* intercedere debebant, præterierat: vide *Exod.* 12: 40. *Gal.* 3: 17. Anni illi hunc in modum partitè erant concepti; ut viginti quinque eſſent poſt *Abrahami* introitum in terram illam, antequam *Iſaac* naſceretur; ſexaginta ætatis *Iſaaci* uſque ad nativitatem *Iacobi*; & nunc *Iacob* explevit centum & triginta: qui omnes conficiunt annos 215. quibus ſi alios 215. qui reſtabant ad egreſſum uſque ex *Ægypto*, addamus, habemus integram ſummam 430.

Digitized by Google

Mundi	Jacobi	Joſephi	Anni promiſſionis
2299	131	40	216
	132	41	217
	133	42	218
	134	43	219
	135	44	220
	136	45	221
	137	46	222
	138	47	223
	139	48	224
	140	49	225
	141	50	226
	142	51	227
	143	52	228
	144	53	229
	145	54	230
	146	55	231

CAP. XLVII. à verſ. 13. *ad finem.* & CAP. XLVIII.

TErtius annus famis.
Quartus annus famis.
Quintus annus famis.
Sextus annus famis.
Septimus annus famis.

Joſeph emit omnem terram *Ægypti Pharaoni.* Alit patrem familiamque illius ante patris mortem, annos ſeptendecim; quemadmodum pater illum ante venditionem annos ſeptendecim nutrierat. Filii *Iſraëlis* valdè multiplicantur, etiam ante *Jacobi* mortem: adoptat hic *Joſephi* duos filios in totidem tribus: confert *Joſepho* partem terræ, quam primò à *Sechemitis* pretio acquiſiverat, Cap. 33. quamque poſteà neceſſe habuit recuperare gladio & arcu ex manu *Amoræi*, qui uſurpaverat illam & occupaverat, abſente *Jacobo* poſt abitum illius hinc *Bethelem* & *Hebronem*: juramento obſtringit *Joſephum* de ipſo inhumando in terrâ *Canaanis* cum patribus ſuis *Abrahamo* & *Iſaaco*. Ita jus primogeniti manifeſtè tranſiit in *Joſephum*, quando duo illius filii aſſumpti ſunt à *Jacobo*, tanquam *Simeon* & *Levi*, & quando terra illi collata eſt in hæreditatem.

Mundi	Jacobi	Joſephi	Anni promiſſionis
2315	147	56	232
		57	233
		58	234
		59	235
		60	236
		61	237
		62	238
		63	239
		64	240
		65	241
		66	242
		67	243
		68	244
		69	245
		70	246
		71	247
		72	248
		73	249
		74	250
		75	251
		76	252
		77	253
		78	254
		79	255
		80	256
		81	257
		82	258
		83	259
		84	260
		85	261
		86	262
		87	263
		88	264
		89	265
		90	266
		91	267
		92	268

CAP. XLIX. & L.

JAcob moritur, poſtquam benedixit omnibus & ſingulis filiis ſuis. Benedictionem aliquam eſt invenire iis in locis, quæ ſpectant *Reubenem*, *Simeonem* & *Levi*, de quibus acerbiſſima eſt elocutus. Verba illius paſſim concernunt Tribuum eventus & caſus, idque ſpecialiſſimè; profitetur enim ſe prænuntiare, *quæ eventura illis eſſent extremis diebus.*

Habiturum *Reubenem* יתר שאת ויתר עז, *reliquias dignitatis & reliquias roboris.* Eo enim duce bella *Canaanis* erant gerenda, & victoriam erat reportaturus de *Hagarenis*: vide *Joſ.* 4:12. & 1 *Chron.* 5:10. *inſtabilis erat inſtar aquæ*, ambiens Sacerdotium & contemnens terram, *Num.* 16:1,2. & Cap. 32:1. verum pater illum monet אל תותר, ne permaneat in illo inſtabilitas.

Diſperſionem *Simeonis* & *Levi* per reliquas Tribus fore in bonum ipſorum, aliorumque.

Judam fore Principem, & victorem: deſcenſurum ex eo *Silo*; & uſque ad illius adventum, remanſurum in eâ Tribu vel Sceptrum vel Legiſlatorem. Habitationem *Judæ* fore regionem vinearum, adeo ut alligare poſſet aſinos, eorumque pullos ad illas, & ſuſque deque haberet, ſi ſpoliarent; tam ingens copia illic eſſet futura: loturum veſtimenta vino, dum preſſurus erat torcular, &c.

Zebulonem negotiaturum ad mare utrimque, utpote habiturum hinc *Oceanum*, illinc mare *Galilæum*.

Iſſacharem preſſum iri à regnis duobus, *Phœniciæ* & *Samariæ*, ex utrâque parte: itemque amorem quietis effecturum ut bajularet, fieretque tributarius.

Danem in *Samſone* morſurum calces equitatûs *Philiſtæorum*, & tot equitum millia everſurum: unde occaſio *Jacobo* reſpiciendi ad conſimilem liberationem per Chriſtum, qui, ut *Samſon*, deſtructurus erat moriendo.

Gadem ab *Hagarenis* duriter afflictum iri; ſed amicorum ope illos tandem victurum.

Aſerum frumento cibiſque abundaturum; *Naphthali* verò ferinâ, & in eo initium Euangelio futurum.

Filios *Joſephi* ſecus puteum *Jacobi* evaſuros in regnum, eorumque filias ituras עלי עור, *ad hoſtem uſque*, ad reparandam hoſtilem Tribum *Benjaminis*, quæ alioquin defectu uxorum fuiſſet interitura: ut *Jud. Cap.* 21.

Benjaminem fore rapacem, & comeſturum prædam ſibi ipſi, tempore matutino ſui ſtatûs in grandi ſtrage *Gibeæ*, & in raptu uxorum; ſed diviſurum

Digitized by Google

Mundi | *Joſephi* | *Anni promiſſionis.*

rum ſpolium in bonum cæterarum Tribuum, veſperâ primi ſui ſtatûs per
Mordecaum, & veſperâ ſtatûs ſui ſecundi per *Paulum.*
Apoſtolus, *Hebr.* 11:21. memorat *Jacobum* benedicentem ſolummodo
93 269 duobus filiis *Joſephi*, quia nati erant extra illius familiam in terrâ peregrinâ,
94 270 per fidem tamen à *Jacobo* adoptati in filios proprios. Sequitur illic Apoſtolus
95 271 Lxx. qui in Bibliis ſuis non punctatis legunt, *Matteb*, *baculus*, pro *Mittah*;
96 272 *lectus.*
2369 97 273 *Joſeph* moritur annos natus 110; vitâ productâ ad id tempus, quo liberos
98 274 *Ephraimi* vidit in tertiâ generatione, i. e. in tertiâ generatione ab *Ephraimo*,
99 275 ſive quartâ à *Joſepho*: quo videtur facere majuſculum ם in voce שלשים,
100 276 *Cap.* 50. *verſ.* 23. Quod docet, explicandum eam eſſe in maximâ extenſione,
101 277 nempe ut deſignet tertiam ab *Ephraimo*; quemadmodum de *Manaſſe* id con-
102 278 ſimiliter eſt expreſſum.
103 279
104 280

1 CHRON. VII. *verſſ.* 21, 22, 23.

105 281
106 282 E*Phraim* moriente *Joſepho* annorum fuit minimùm ſeptuaginta quinque;
107 283 atque idcirco, quod hic narratur de cæde filiorum illius per *Gathæos*,
108 284 haud diu poſt mortem *Joſephi* videtur contigiſſe, ſi non ante illam factum ſit:
109 285 niſi concipere velimus, *Ephraimum* poſteà ætate valde provectum filios ge-
110 286 nuiſſe. *Zabad* filius ejus, & *Sutela*, & *Ezer*, & *Elead*, ejus nepotes (ſatis
287 probabiliter tertia generatio, ſi perpendas *Gen.* 50:25.) ii fuere, qui tam
288 infeliciter cæſi erant *per homines Gathi, indigenas iſtius terræ*, i. e. homines natos
289 in *Ægypto*, nunc verò habitantes *Gathi*, & qui deſcenderant, ut caperent
290 pecora horum *Ephraimitarum*, & occidebant illos, quando tueri ſua cona-
291 bantur: ſic enim malim vertere verſum illum (*Homines Gathi, qui iſtius ter-*
292 *ræ indigenæ erant, occidebant illos; deſcendebant enim, ut caperent illorum pe-*
293 *cora*) ut ita *Gathæos* potius prædatores faciamus, quam filios *Ephraimi.*
294 *Ephraim* pater ſuper triſti hoc caſu aliquot diebus ſe luctu affligit: ſed poſteà
295 cum uxore congreditur, & gignit *Beriam*; quod illi nomen ideò impoſuit,
296 quia infeliciter omnia in familia ejus tunc eveniebant. *Iſraël* per hæc tempora
297 in *Ægypto* in vaſtam multitudinem erupit.
298
299
300
301

LIBER EXODI.

302
303

CAP. I.

304
305
2391 306 CIrca hoc tempus *Levi* moritur, poſtquam vixerat 137. annis;
307 *Exod.* 6:15. Veriſimile eſt; illum omnium Patriarcharum lon-
308 giſſimè vixiſſe: & quia ſola illius & *Joſephi* ætas ex cæteris defini-
309 tur, videtur alter omnium è duodecim mortuus eſſe maturrimè,
310 alter omnium diutiſſimè vixiſſe. Filii *Iſraëlis* poſt obitum duode-
311 cim Patriarcharum per gradus incidunt in omne genus abominationis: com-
312 mittunt Idololatriam, *Joſ.* 24:14. *Ezech.* 20:8. Oblivioni tradunt & omit-
313 tunt Circumciſionem, Fœdus Dei ſui: atque hoc erat opprobrium *Ægypti*,
314 *Joſ.* 5:9. &c. Matrimonia ineunt cum *Ægyptiis*, *Lev.* 24:10. *Exod.* 12.
315 *verſ.* 38. & in viis ejuſmodi incedunt; idcirco conjecit illos Dominus in for-
316 nacem afflictionis: & jam, ſicut in *Abrahami* viſione, *Gen.* 15:12. poſt-
317 quam ſol Religionis inter illos occiderat, horrendæ tenebræ impietatis & mi-
318 ſeriæ ingruunt. Promiſſionis tamen efficacia in utroque ſexu mirabiliter ſe
319 manifeſtavit; in maribus, quod vires adfuerint ad gignendos liberos, quam-
320 vis labore opprimerentur intolerabili: in mulieribus, quod liberos parerent
321 minori cum dolore & difficultate, quam ab aliis mulieribus fieret, in ipſo
322 partu vividæ & alacres; jamque ante adventum obſtetricum eſſent enixæ.
323 *Pharao*, ubi immanis labor hominum impedire nequibat, quo minus libero-
324 rum proventu augerentur, præcepit obſtetricibus, infantes ſimulac naſce-
325 rentur, è medio tollere: verum duæ obſtetrices *Siphra* & *Pua*, obſervantes

Mundi | Anni promiſſionis.

miram Dei manum in mulierum partu, mandato Regio obedientiam non præſti-
têre; malueruntque per glorioſam confeſſionem manûs Dei, quam videbant,
periculum incurrere offendendi Regis, quam pugnare adverſus Deum: pro quâ
2409 326 pietate Deus illas per matrimonia *Iſraëlitis* inſerit, (erant enim mulieres *Ægyptiæ*)
327 perque illas ædificat familias *Iſraëliticas*: *verſ.* 21. *Quia obſtetrices timebant Deum,*
328 *parabat ipſis domos.*
329

330 PSALM. LXXXVIII. & LXXXIX.

331
332 IN diebus his amaritudinis & miſeriæ vivebant duo filii *Zerachi*, ſive *Ezrabitæ*,
333 *Heman* & *Ethan*, 1 *Chron.* 2:6. qui ſuper ſe habebant Spiritum Domini in me-
334 dio omnium afflictionum, ſcripſeruntque *Pſalmos* octogeſimum octavum &
335 octogeſimum nonum: quorum prior triſtè lamentatur de præſenti calamitate;
336 poſterior lætè decantat miſerationes Dei in medio hujus calamitatis, & liberatio-
337 nem prænuntiat. Eſtque hîc propria ſedes & ordo his Pſalmis.
338
339
340

LIBER JOBI.

HIs temporibus, quibus *Iſraël* in *Ægypto* luctuoſe adeo agebat, eluxit glorioſa pietas & patientia *Jobi* in regione *Uzi*; cujus liber & hiſtoria quoad temporis rationem hîc ſibi locum poſcit. Fieri quidem non poteſt, ut tempus gravis illius probationis & afflictionis accuratè definiatur, duo tamen vel tria ſe offerunt, quæ rectè conſiderata arguunt, id contigiſſe circiter acerba hæc tempora, quibus *Iſraël* peccatis miſeriâque abundabat.

Nempe I. cogitandum, quam ſit providentiam Dei condecens, & conveniens illius diſpenſationi temporibus aliis; (ſicut in negotio *Eliæ* & viduæ *Sareptanæ*, ut iis velut exemplis utamur) quando Religio planè jam deperdita expirârat in Eccleſiâ *Iſraëlis*, ubi extare eam par erat: inveniri illam in familia *Jobi*, quod parum erat expectandum. II. Quomodò *Job* pietatis nomine omnibus, qui tunc vivebant, ſit prælatus; idque antequam illius patientia tantum illi ſplendoris addiderat. III. Id verò, quod *Eliphaz* appelletur *Temanites*, ut qui ſit proprius filius *Temanis*, maximè ad temporis indagationem facit: hic enim fuit tertius ab *Eſavo*, ut *Amram* à *Jacobo*, atque ita illorum tempora aptè coincidunt.

Liber *Jobi* conſcriptus videtur ab *Elihu*, collocutorum uno, ſicut apparet ex his duobus, I. Quando *Cap.* 2. amici *Jobi*, qui veniebant ad lamentandum unà & conſolandum, numero & nominibus ſuis proponuntur, nulla ibi mentio eſt *Elihu*. Undè promptum eſt hæc duo diſcere, 1. Non veniſſe illum ad *Jobum* è loco valdè longinquo, uti cæteros, ſed vicino. 2. Illum ipſum hiſtoriæ auctorem ſcriptoremque fuiſſe, ob quam cauſam, dum alios nominat, de ſeipſo ſilet. II. Quia *Cap.* 32. de ſe ceu Hiſtoriographo loquitur, *verſ.* 15,16,17. *Conſternati ſunt, non reſpondent amplius, removerunt à ſe ſermonem. Quando expectaveram, non enim locuti ſunt, ſed deſtiterunt, nec reſponderunt amplius; dicebam, ego quoque reſpondebo, ego quoque oſtendam ſententiam meam.*

Job filius fuit *Nachoris*, fratris *Abrahami*, exque eo deſcenderat per filium illius *Uzum*, *Gen.* 22:21. Atque ita factum eſt, ut *Elihu* & ipſe tam propinquè vixerint, cum unus eſſet ex *Uzo*, vetuſtiſſimo filiorum *Nachoris*, alter ex *Buſo*, ſecundo.

Ordo libri facilis eſt & directus. Scriptor capitibus duobus primis oſtendit, quo pacto *Job* in miſeriam ſuam inciderit, cum antea unus eſſet ex ditiſſimis & feliciſſimis, qui illis oris degebant. *Quodam Sabbathi die, cum filii Dei ſe ſiſterent coram Domino*, i. e. cum profeſſores veræ Religionis conveniſſent in cœtum publicum; *Satanas* inviſibiliter inter illos aderat: ſed Dominus conſpicit illum, & poſt colloquium aliquod de *Jobo*, permittit ei Dominus *Jobum* aggredi in illius bonis. Alio item *Sabbatho*, occaſione pari & poſt colloquium conſimile, permittit ei invadere *Jobi* corpus. Ita *Satanas* perdit omnia quæ poſſidet, & liberos illius omnes, (lege *verſ.* 5. *Cap.* 1. non, *cum dies convivii illorum finiti eſſent*, ſed, *quando dies convivii illorum circumibant*) tamque intolerabili pruritu illum percellit, ut ungues ſcabendo non ſufficiant, ſed teſtam gaudeat invenire, qua ſe

ſcabat.

igitized by Google

Mundi

ſcabat. Dein accedebant ad illum è longinquo loco tres illius amici, & *Elihu* quoque illius cognatus; qui in propinquo degebat, qui variis ad illum habitis ſermonibus miſeriam aggravant, & oſtendunt miſeros ſe eſſe conſolatores.

Dialogi ſive univerſa diſputatio illum inter & amicos hoc tramite procedit, ut ipſe quidem dictis reſpondeat, illi verò adverſus reſponſionem ejus dicta ſua tueantur pro ætatis cujuſque ordine. Præcipuus illorum ſcopus eſt, ut probent, illum eſſe peccatorem ſupra cæteros, ex eo, quia ſupra cæteros eſſet punitus: cujus erroris charitate omni vacui quando convincere eos, & ad ſilentium redigere non poteſt, propter præjudicium quo laborabant; os illis obſtruit confidenti imprecatione ſive execratione ſui ipſius, ſiquidem ita foret culpabilis, ut arguere ipſum cupiebant, *Cap.* 31. ubi *Elihu*, libri ſcriptor, experitur rem componere, ſed ita, ut inclinet in eundem cum cæteris errorem. Ipſe itaque Dominus omnes convincit de *Jobi* ſinceritate, quod hujus argumenta efficere haud potuerant, idque non oraculo duntaxat de Cœlo, ſed inſtauratâ etiam *Jobi* proſperitate; in qua omnia, quæ amiſerat, duplo ſunt reſtituta, ſolis exceptis liberis, ut qui, quamvis mortui, amiſſi tamen non erant. Anni ejus itidem duplicati ſunt; vixit enim centum & quadraginta annos poſt ſuam calamitatem: eâ itaque ingruente ſeptuaginta annos natus erat; mortuus verò eſt annos natus ducentos & decem; vitæ omnium, qui poſt *Terachum* nati ſunt, longiſſimæ.

EXODI CAP. II. *ad verſ.* 11.

2424 341 AFflictiones *Iſraëlis* invaleſcunt; jubente crudeli Rege *Ægypti*, ut infantes
342 omnes maſculi occidantur. *Mirjam* hoc ferè tempore nata eſt; ſuſtinuit con-
343 ſiſtere & excubias agere ſuper *Moſe*, quando in amnem projectus erat. Nomen
344 illius & *Amaritudinem* notat, & *Rebellionem*: neque eſt cur dubitemus, quin
345 vir ſanctus *Amram*, ubi id nomen indidit, reſpexerit ad triſtem illam cauſam &
346 effectum, quibus ratione tam juſta tenerrimè afficiebantur. *Mirjam* Prophetiſſa
347 erat, *Exod.* 15:20. *Mich.* 6:4.
2431 348 *Aaron* natus: *ſanctus Domini*, *Pſalm* 106:16. Ejus nomen ſimul *triſtitiam*
349 & *lætitiam* ſonat, planè ut ſe habent argumenta Pſalmorum 88. & 89. qui in his
afflictionibus compoſiti ſunt.
2433 350 *Moſes* ſupernaturali modo, utpote matre valdè provectæ ætatis, natus eſt.
351 1 Erat illa patris illius propria amita, filia *Levi*: atque ita *Moſes Levita* eſt
352 2 utrimque, & per patrem & per matrem. Servatur in arcâ, velut alter *Noach*.
353 3 Mater illius mercedem accepit pro lactatione infantis proprii. Adoptatur à
354 4 *Pharaonis* filiâ loco proprii filii; ideoque Rex pater eſt illius nutritius, &
355 5 Regina mater nutritia. Et in eo *Moſes Chriſti* eſt typus, quia verus ejus pater
356 6 *Ægyptus* eſt incognitus, ipſe vero exiſtimatus eſt filius *Pharaonis*; ut verus
357 7 *Chriſti* pater incognitus *Judæis*, ipſe vero exiſtimatus filius *Joſephi*.
358 8 *Moſes* erat educatus & eruditus omni ſapientiâ *Ægyptiorum*, *Act.* 7:22.
359 9 Id *Stephanus* deducit per neceſſariam conſequentiam, non habens Textum
360 10 expreſſum, qui id teſtetur: neque enim cogitari aliud poterat de filio ado-
361 11 ptivo Regis, & Regis quidem *Ægypti*; quæ gens mirum in modum doctri-
362 12 næ ſapientiæque ſtudiis erat dedita. Vivit adhuc *Job*, & probabiliter *Moſi*
363 13 ſuperſtes fuit. Inter legendum illius librum utiliter Lector obſervabit,
364 14 quemadmodum plurimis locis tangat hiſtoriam, quæ *Geneſeos* libro contine-
365 15 tur, quamvis liber hic ſcriptus necdum eſſet. De creatione agitur *Cap.* 38.
366 16 Mentio fit primi *Adami* *Cap.* 15:7. Lapſus Angelorum & hominis memo-
367 17 ratur *Cap.* 4:18. & 5:2. Miſerabilis conditio *Caini*, quâ à moriendo
368 18 fuit prohibitus, *Cap.* 3:21. Vetus mundus & diluvium, *Cap.* 22:16.
369 19 Ædificatores *Babelis*, *Cap.* 3:15. & 5:13. Ignis *Sodomæ*, *Cap.* 20:23, 26.
370 20 Licetque diverſos ejuſmodi ad iſtum librum reſpectus paſſim obſervare; ad
371 21 quorum cognitionem pervenerant partim traditione; partim eo, quod
372 22 prope *Hebræos*, iiſque locis habitarent, ubi illa facta fuerant; partim etiam
revelatione: ut videre eſt *Cap.* 4:12. & 38:1.

Libri Scriptor, ante & item poſt *Jobi* & amicorum ſermones, utitur ſæpe nomine *Jehovæ*: verùm in ipſis ſermonibus tantùm ſemel, ſcilicet *Cap.* 12:9. ubi Deum celebrat dantem creaturis ſuum eſſe.

Digitized by Google

Mundi

EXODI CAP. II. *à verſ. 11. ad finem.*

2473 390 40 MOſes per fidem, natus jam annos quadraginta, *Act.* 7 : 23. aulam con-
391 41 temnit : inviſit fratres ſuos; cædit *Ægyptium*; fugit in regionem *Mi-*
392 42 *dianis*, *Hebr.* 11:24,25,26. *Per fidem Moſes renuit vocari filius filiæ Pharaonis,*
393 43 *potius eligens ſimul malis vexari cum populo Dei, quam temporariam retinere pec-*
394 44 *catis fruitionem; majores ducens divitias probrum Chriſti, quam Ægyptiorum*
395 45 *theſauros : intuebatur enim in præmii retributionem.* In terra *Midianis* uxorem
396 46 ducit *Zipporam*, ſuſcipitque ex illâ filium, cui nomen facit *Gerſchomi*,
397 47 quod *deſertum peregrinum* ſignificat, propter ſedem, quam tunc incolebat,
398 48 remotam à ſuo populo in terrâ peregrinâ.
399 49 *Iſrael* nondum penitus eſt humiliatus ſub afflictionibus ſuis, ideoque hæ
400 50 juſtè continuantur : renuunt liberatorem, quando ipſe ſe offert; dicunt
401 51 enim, *Quis conſtituit te virum Principem & Judicem ſuper nos?* Idcirco, ubi
402 52 eorum liberatio differtur, illis retribuitur ſecundùm id quod ipſi egerant : di-
403 53 latio hæc annorum fuit quadraginta; & ita, quando degentes in finibus *Ca-*
404 54 *naanis* terram illam bonam abnuebant, introitus illorum in eam annis quoque
405 55 quadraginta eſt dilatus.
406 56 *Moſes* per paſtoritiam & afflictionem graſſatur ad imperium, quod poſteà
407 57 & *David* facit; figura magni paſtoris ovium, &c. *Jether* (ſive *Jethro*, pronun-
408 58 ciatione *Arabicâ*) *Abrahami* filius, ſed alienus ab *Abrahami* Deo, genero ſuo
409 59 felix eſt, quippe carne & fide *Abrahami* filio. Per illum eruditus eſt & doctus
410 60 viam & cognitionem Dei. (in *Arabia*, ubi commoratus eſt aliquamdiu primus
411 61 hic *Propheta* & *Legiſlator Moſes*, ſurrexit etiam poſtea falſus propheta & im-
412 62 poſtor *Mahomet*) *Moſes* nunc in *Midiane* mirum quantum mutatus eſt, ſi
413 63 conditionem reſpicias & ſtudia, in quibus in *Ægypto* fuerat verſatus : ibi nam-
414 64 que fuerat aulicus celſæ dignitatis, hìc pauper eſt opilio : iſtic ſtudioſus Phi-
415 65 loſophiæ & ſapientiæ Ægypticæ, hìc Theologiæ & ipſius Dei ſtudioſus. In
416 66 hâc regione & ſolitudine, ubi nunc vitam à turba remotam & privatam vivit,
417 67 glorioſa illi propediem exequenda ſunt; & *Midian*, priuſquam vitâ decederet,
418 68 deſtruenda. Regio iſta plantata principio fuerat per *Cuſchum* filium *Chami*;
419 69 ideo *Aaron* & *Mirjam* uxorem *Moſis Cuſchidem* appellant, *Num.* 12:1. Et
420 70 *Zera Arabs* idem cognomentum gerit, 2 *Chron.* 14. At *Abraham* terram il-
421 71 lam victoriâ de *Kedorlaomere* & cæteris Regibus, qui cum illo erant, ſibi vin-
422 72 dicaverat, eòque miſit filios è concubinis.

EXODI CAP. III. IV.

2513 430 80 MOſes, dum oves paſcit, menteque eſt in Deum intentâ, viſionem habuit Chriſti in rubo, ſpecie igneâ, ut in faciendâ quoque promiſſione appa- ruerat, *Gen.* 15 : 17,18. Is mandatum *Moſi* dedit liberandi *Iſraëlis*, & mira- culorum poteſtatem propter incredulos; quibus ipſe *Moſes* accedit ſocius, & quantum poteſt munus illud à ſe depellit, dubitans ſcilicet & deſperans de eventu; cumque neceſſitate adactus ire tandem pararet, non auſus eſt uxorem liberoſque poſt ſe relinquere, veritus ut redire ad illos unquam liceret : itaque accepit uxorem ſuam, quanquam filium recens enixam, & infantem cum illâ, quanquam diem octavum needum implêſſet. Hujus cauſâ diffidentiæ Dominus occurrit illi in viâ, quærítque occidere; quod periculum uxor *Zippora* ideo objectum falſò credens, quia infans non eſſet circumciſus, (excedens jam diem octavum) ipſa circumcidit eum : ſed *Moſes* veram cauſam intelligens, fidem redintegrat; inque illius documentum natum ſuum appellat *Eliazerem*, confidens ſcilicet auxiliò Divino, atque ita periculum præteriit. *Moſes* & *Aaron* in deſerto invicem occurrunt, unà in *Ægyptum* tendunt : congregant ſeniores *Iſraëlis*, commiſſum munus notum faciunt, & inveniunt fidem.

EXODI CAP. V.

MOſes mandatum incepit exequi : obſerva verò fuiſſe illum in deſerto cum *Iſraële* quadraginta annos plenos; octoginta annos fuiſſe natum, quan-
do

Mundi	Moſis	

do cœpit agere cum *Pharaone*, *Exod.* 7:7. tempus etiam aliquod illi præteriiſſe, antequam liberationem *Iſraëlis* obtinuerat: unde liquet, quo tempore & ordine collocanda ſint, quæ octogeſimo illius anno contigère.

EXODI CAP. VI.

2513 80 DEus ſeipſum proclamat *Jehovam*, *Fidelem in promiſſis*: *Abrahamo*, *Iſaaco*, & *Jacobo* ſe revelaverat nomine אל שדי, *Dei omnipotentis*; illi vero ejus *omniſufficientiæ* confiderunt, plenè perſuaſum habentes, eum quod promiſerat poſſe etiam perficere: *Rom.* 4:21. Nunc autem aliud ſuum attributum illis commendat, *veritatem* nempe & *fidelitatem*, in perficiendo omne quod promiſerat.

Moſes primo intuitu videtur enumerare velle primarios univerſi *Iſraëlis*, ſed tres ſolummodò Tribus attingit; idque non ideo ſolum, quia in Tribu tertiâ, ſcilicet *Levi*, hiſtoria terminatur in *Moſe* & *Aarone*, viris illis quos ſpectabat; ſed etiam, quia omninò nominare eos voluit, qui de duodecim maximè eſſent facinoroſi: *Reubenem*, qui uxorem patris inceſtu polluerat; itemque *Simeonem* & *Levi*, qui cædem illam fecerant *Sechemi*: ut plenam illorum converſionem oſtenderet, & deprædicaret Dei miſericordiam in conceſſâ illis perpetratorum veniâ; idque collocaret ipſo aditu Eccleſiæ nunc ædificandæ, velut exemplar, in quod ii, quos poſteà pœniteret, cum ſolatio reſpicerent. Sicut quatuor illæ mulieres memorantur principio Euangelii, *Matth.* 1. in conſimilem finem.

EXODI CAP. VII. VIII. IX. X. *ad verſ.* 21.

MOſes incipit edere miracula, & plagas *Ægypto* inferre: baculus ejus verſus eſt in Crocodilum: aquæ, in quas fuſus fuerat infantium ſanguis, in ſanguinem verſæ ſunt. Magnum illorum numen *Nilus* plagâ primò percutitur. Sequitur plaga ranarum, quæ aſcendunt in omnem terram, & per ipſa hominum corpora graſſantur. Cæterum ſicut *Moſes* producebat veras ranas ſuper *Ægyptum*, ita Magi magicas ſuper *Goſenem*. Secuta eſt plaga pediculorum, quâ Magi ad incitas fuère redacti, & horrendùm blaſphemarunt adverſus *Jehovam*, quandò dicerent, *Digitus hic Dei eſt* (non *Jehovæ*.) Succedit plaga noxiorum animalium, muſcarum, veſparum, ſerpentium, &c. Nunc Deus diſcrimen facit inter *Iſraëlem* & *Ægyptum*, inter quos in præcedentibus plagis nihil differentiæ fuerat. Succedit plaga ulcerum in jumentis, puſtularum in hominibus, & grandinis ſuper terram, itemque locuſtarum.

EXODI CAP. XII. *ad verſ.* 21.

INitium anni mutatur; Paſcha inſtituitur & præcipitur: quamvis hiſtoria inſtitutionis illius poſtpoſita ſit plagæ tenebrarum, injunctum eſt tamen, priuſquam plaga tenebrarum, & fortaſſe grandinis & locuſtarum ingrueret: ſimulac enim tenebræ ceſſarunt, & ex *Ægyptiis* quiſpiam loco ſe movere poterat, *Pharao Moſen* arceſſit, *Cap.* 10:24. & poſt duros aliquot ſermones hinc inde habitos, *Moſes* ei de cæde loquitur primogenitorum, quæ futura ſit nocte proximâ, *Cap.* 11:4,8. adeo ut tenebræ deſierint ipſo mane diei Paſchatis, incubuerintque *Ægyptiis* undecimo, duodecimo & decimo tertio die menſis: Paſcha verò ſit celebratum die decimo quarto. Jam verò mandatum de Paſchate datum erat *Moſi* minimùm ante decimum diem menſis, *Cap.* 12:3. ſi non ipſo primo die menſis, ut magis eſt probabile. Ratio, quare hiſtoria inſtitutionis illius poſtpoſita eſt illi plagæ, hæc eſt, quia Spiritus Sanctus omne quod ad Paſcha pertineret, ſimul voluit abſolvere: & quamvis illius mandatum & obſervatio diebus nonnullis diſtiterint, tamen utrumque conjunxit, & hiſtoriam inſtitutionis illius eo tempore enarravit, quo ejus obſervatio locum habuit, quarto ſcil. & decimo die.

Digitized by Google

Mundi | Moſis

EXODI CAP. X. *à verſ. 21. ad finem. Et* CAP. XI. *univerſum. &* XII. *à verſ. 21. ad finem.*

PLaga tenebrarum trium dierum immittitur; in quibus *Ægyptii* conſpexerunt apparitiones diabolorum & malorum ſpirituum: harum verò tenebrarum tempore *Iſraëlitæ* circumciſi ſunt. *Moſes* die Paſchatis manè denuntiat *Pharaoni* interitum primogenitorum: die quarto decimo manè mandat ut præparetur Paſcha in veſperam; quod conſimiliter factum, & Paſcha celebratum eſt. Mediâ nocte omnes primogeniti *Ægypti* ſunt cæſi, & *Iſraël* ab *Ægyptiis* etiam expulſus eſt.

Redemptionis ab Ægypto.

EXODI CAP. XIII. XIV. XV. XVI. XVII.

2514 81 1 MAndatum de obſervatione Paſchatis renovatum: additum mandatum de primogenitorum dedicatione. Nubes gloriæ iis eſt dux: profectio illorum his ſpatiis commenſurabatur. Decimo quinto die *Niſan*, nocte nondum elapſâ, in viam ſe dabant, atque egreſſi ſunt ſpectante totâ *Ægypto*, dum occupati erant ſepeliendis ſuis mortuis. Hoc die promoverunt *Rameſeſo Succothas.* Die decimo ſexto pervenerunt ad extrema deſerti *Ethami*. Mare rubrum ita in hoc deſertum influit, ut priuſquam illi mare pertranſirent, eſſent in deſerto *Ethami*; & ubi tranſierant, rurſum in illo fuerint. Deſertum porro *Ethami* & *Suris* unum idemque eſt: vide *Num.* 33:7,8. & confer *Exod.* 15:22. Die decimo ſeptimo perveniunt *Hirothum*. Die decimo octavo nuntiatum eſt *Pharaoni* populum fugere; nam ad profectionem uſque tertii diei rectà tetenderant *Horebum* verſus, ſecundum id quod petiverant, ut ire ſibi liceret iter tridui ad ſacrificandum: verùm ubi iſto tramite relicto jam ad mare rubrum deflectebant, intelligebat *Pharao*, conſtituiſſe illos ire aliorſum, quam quò ire petiverant. Unde ipſe & *Ægyptus* ſe præparant ad illos perſequendum, idque cimeliorum cauſa & ſervorum: die decimo nono inſequuntur: vigeſimo, vergente ad veſperam die, aſſequuntur; & *Iſraël* mare intrat, & circa diluculum omnes jam tranſière: *Ægyptii* verò merſi ſunt.

Die menſis vigeſimo primo multo mane è mari egreſſi ſunt; eratque hic poſtremus feſtus dies ſeptimanæ Paſchatis: Canticum canunt ſuper liberatione ſuâ, & poſt profectionem dierum trium perveniunt *Maram*, & inde *Elima*, ubi aliquot dies fixis tentoriis ſubſiſtunt.

Die decimo quinto menſis *Ijar* perveniunt ad deſertum *Sinis*; murmurant ob defectum panis, ut ob aquæ penuriam *Maræ* fecerant; & obtinent miſſos ſibi Coturnices & Manna. Sabbathi hic prima mentio fit, non autem nunc primum mandatum habetur; in *Ægypto* Sabbathum neglexerant: ex quo inde exierant, eo ipſo iter fecerant; nunc lex datur de illius conſtanti obſervatione. Populus murmurat quartâ vice, idque cauſâ aquæ, quam conſequuntur ex rupe: ſed ab *Amaleko* vexantur propter querelas ſuas. *Amalek* vincitur *Moſis* precibus.

EXODI CAP. XIX.

DEcimum octavum Caput, quod hiſtoriam *Jethronis* continet, anticipatum eſt, & inſerendum decimo *Numerorum* inter Verſus decimum & undecimum; hujus autem tranſpoſitionis ratio & probatio ordinis illic producetur. Primo menſis *Sivan* die *Iſraël* pervenit ad *Sinai*.

Secundo die *Moſes* vocatus à Domino aſcendit Montem, loquitur cum Deo, &, ubi deſcendit, refert verba Domini ad populum.

Tertio die aſcendit, & refert populi reſponſum ad Deum.

Quarto & quinto die ſanctificat populum, & limite montem ſepit.

EXODI CAP. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.

DIe ſexto menſis *Sivan* manè Decem Præcepta data ſunt per *Chriſtum*, tanto cum terrore, ut ferendo populus non fuerit, ſed *Moſen* expetierint mediatorem: ipſe appropinquans ad Deum in craſſâ caligine, accipit quinquaginta

Mundi	*Moſis*	*Redemptionis ab Ægypto*
2514	81	1

ginta & ſeptem Præcepta, Ceremonialia & Judicialia: cum quibus de monte deſcendit, loquitur de iis populo, & libro inſcribit.

Proximo die, qui ſeptimus erat menſis *Sivan*, manè altare ſtruxit, ad repræſentandum *Chriſtum*; erexitque duodecim columnas, ad repræſentandas duodecim Tribus; & ſparſo ſuper utrumque ſanguine adducit populum in fœdus cum Deo: quo facto ſeniores *Iſraëlis*, quibus anteà appropinquare ad Deum non fuerat licitum, nunc intuentur ipſum, & edunt bibuntque coram illo; neque ipſe manum vindicatricem in illos mittit. Et ex illorum medio *Moſen* ad ſe vocat in montem; qui aſcendit, & inchoat exinde jejunium quadraginta dierum, quod ex occaſionibus ſecundò & item tertiò facit: tertium verò vel extremum jejunium finit eo die, qui hinc deinceps conſtitutus eſt dies expiationis.

EXODI CAP. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI.

DUm *Moſes* cum Deo in monte commoratur, Deus illi contemplandum exhibet Tabernaculum inſtructum omni ſuo inſtrumento, & Sacerdotem omni ſuo habitu exornatum, & præcipit docetque ad illud exemplar aliud conficere, eique operi *Bezalielem* & *Aboliabum* primarios deſignat Artifices.

EXODI CAP. XXXII. XXXIII. XXXIV.

MOſes decimo ſeptimo die *Tamuz* deſcendit de monte, invenit vitulum aureum, frangit illum, & frangit quoque duas Tabulas: nam cum Deus illi dediſſet iſtas Tabulas, ſcriptas in fine quadraginta dierum jejunii primorum, *Moſes* ad conſpectum vituli aurei illas confregit; ut oſtenderet, *Iſraëlem* ſe tanto cimelio indignum feciſſe: cumque Dominus exhibuiſſet illi exemplar, & addidiſſet mandatum conficiendi erigendique Tabernaculum, ac rationem ſacri cultûs inſtituendi, per Idololatricum illum vituli cultum exciderunt iſto beneficio; ut neque Tabulæ reſtauratæ ſint, neque Tabernaculum confectum, donec *Moſes* prolixâ ſeriâque deprecatione *Iſraëlem* domino reconciliaverat.

Moſes poſtquam deſtruxerat vitulum aureum & Idololatras occiderat, redit proximo die ad Deum per preces; ſed remiſſus eſt eodem die cum triſti nuntio, ſuper quo *Iſraël* humiliatus eſt: tentorium *Moſis*, quod huc uſque loco Tabernaculi fuerat, remotum eſt è campo impuro; & nubes gloriæ, quæ ablata fuerat ob Idololatriam, eſt reſtituta. Proximo die *Moſes* iterum aſcendit in Montem, & incidit in ſecundum jejunium quadraginta dierum: utque in primo quadraginta dierum jejunio conſpexerat figuram & exemplar glorioſi Tabernaculi, ita in hoc altero deſiderat frui viſione gloriæ Dei. Trigeſimo die menſis *Ab*, rurſus aſcendit cum duabus Tabulis, & orditur jejunium aliud dierum quadraginta, conſpicitque Dominum, & audit eum proclamantem ſemet ipſum attributis glorioſiſſimis, & mandata nonnulla ab illo accipit. Decimo die menſis *Tiſri* deſcendit cum læto nuntio, Deum inter & *Iſraëlem* omnia ſe benè habere, portans manibus renovatas Tabulas, cum mandato Tabernaculi ſtructuram exordiendi.

EXODI CAP. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL.

ATque ita *Iſraël* opus aggreditur, quod primo die menſis *Abib*, qui anni proximè ſequentis primus, finitum eſt; jamque erigi cœptum eſt: ubi verò erectum ſtetit, nubes gloriæ illud implevit, & Deus ſedem ſuam fixit ſuper Arcam, exhibens figuram commorationis ſuæ inter homines in *Chriſto*.

Digitized by Google

Mundi	Moſis	Redemptionis ab Ægypto.
2515	82	2

LIBER LEVITICI.

EX Tabernaculo recens erecto prodit Deus leges, quarum iſtic eſſet uſus; & primò quidem de ſacrificio, ad ſignificandam *Chriſti* mortem, ſicut Tabernaculum ipſum ſignificabat illius carnem. Totum tempus hiſtoriæ *Levitici* unius modò menſis eſt, qui eſt primus ſecundi anni ab illorum liberatione; & ne ille quidem totus: ipſum enim principium menſis impenſum eſt erectioni Tabernaculi, de quâ hiſtoria extat *Exod.* 40.

LEVITICI CAP. I. II. III. IV. V. VI. VII.

א ויקרא

LEges de omnis generis ſacrificiis. Atque hoc primum oraculum fuit editum è Propitiatorio. Litera א in ipſa prima libri voce, ויקרא, exilior eſt ſcripta, quam ulla ex conjunctis; quæ ſcribendi ratio id ſignificare videtur nobisque ingerere, oraculum hoc, quamvis glorioſum, exiguum tamen eſſe, ſi comparetur ad illud, quod futurum expectabatur, quando Deus locuturus erat populo ſuo per proprium Filium, quem Arca, Propitiatorium, ipſumque oraculum repræſentabant.

LEVITICI CAP. VIII. IX.

SEptem dies conſecrationis *Aaronis* & filiorum, erectione Tabernaculi fuêre poſteriores; neque cum iſto tempore coïnciderunt vel concurrerunt, quemadmodum *Judæi* valdè generaliter, ſed valdè quoque temerè concipiunt: (velut *Seder Olam*: *Tanchum ex R. Joſeph*: *Baal Turim*: *Aben Ezra*: *R. Sol.* aliique) Nam I. mandatum de conſecratione editum eſt è Tabernaculo jam erecto, æquè ac leges ſacrificiorum. II. Manent illi ſeptem dies in Tabernaculo, *Cap.* 8:33. & ipſo primo die è ſeptem cœtus convenerat ad portam, *verſ.* 3,4. Quod argumentum eſt omni contradictione majus, perfectum jam tum & erectum fuiſſe Tabernaculum, quando ſeptem conſecrationis dies initium capiebant.

LEVITICI CAP. X.

INteritus *Nadabi* & *Abihu* contigit ipſo primo die, ex quo miniſterium Altaris erat inchoatum; nempe octavo die poſt ſeptem conſecrationis, quando *Aaron* & Filii ſacrificabant pro ſe & populo. Apparet illud manifeſtè ex comparatione Verſuum tertii & decimi quinti Capitis noni, cum Verſu decimo ſexto Capitis hujus decimi; atque ita miniſterium Sanctuarii ex accidenti initium habuit à Morte & Judicio.

NUMERORUM CAP. IX. *ad verſ.* 15.

POſt finem Capitis decimi *Levitici* juxta ordinem hiſtoricum, inſeri debent quatuordecim primi Verſus Capitis noni *Numerorum*, quibus ea, quæ ad Paſcha pertinent, explicantur. Erecto enim Tabernaculo primo die anni ſecundi poſt egreſſum ex *Ægypto*, nempe primo die menſis *Niſan*, inſtituta hæc & leges de ſacrificiis ac conſecratione Sacerdotum jam lata erant; & octo dies conſecrationis ſacerdotum & oblationis ſacrificiorum jam erant completi, antequam dies decimus quartus iſtius menſis advenerat, quando Paſcha erat obſervandum ex veteri mandato, quod datum erat in *Ægypto* ultimo anno; & mandato altero, quod nunc datur in deſerto: adeo ut ordo hic & methodus ſit perſpicua.

Jam ratio, quare ſecundi hujus Paſchatis hiſtoria non tantum non ſit collocata ſede propriâ in hoc *Levitici* libro, ſed etiam extra proprium locum in libro *Numerorum*: [Hic enim liber hiſtoriam ſuam orditur ab initio menſis ſecundi, at Paſchatis hiſtoria ad menſem primum pertinet] Ratio, inquam, hujus tranſpoſitionis hæc eſt, quod præcipuus ibi *Moſis* ſcopus ſit, demonſtrare

igitized by Google

Mundi | Moſis | Anni ſ ab exitu ex Ægypto

ſtrare & referre novam illam diſpenſationem ſive mandatum de Paſchate habendo menſe ſecundo, quod magni momenti res erat. Tranſlatio enim feſti menſem ultra proprium tempus, confirmat magis ſignificationem rerum futurarum, quam præteritarum; utpote promptius ingerens memoriam mor-
2515 82 2 tis *Chriſti* futuræ, quam illorum ex *Ægypto* liberationem, quandoquidem non incidit in eandem noctem.

Hiſtoriam itaque Paſchatis, dilati in ſecundum menſem ex certis quibusdam cauſis, ad quam rem *Moſes* præcipuè reſpexit in narratione & hiſtoriâ hâc, collocavit loco proprio: eo enim modo in libro *Numerorum* occurrit; atque eò referens mentionem illius introduxit mentionem Paſchatis veri, ſive ejus quod erat menſis primi, ut facere neceſſe erat, ad occaſionem alterius oſtendendam.

LEVITICI CAP. XI. XII. XIII. XIV. XV.

POſt leges de iis, quæ munda erant & apta ſacrificiis, accedit Dominus ad leges de iis, quæ erant munda & apta cibis, itemque munda & licita tactui: ea enim mundorum & immundorum in lege tripartita erat diſtinctio. Quicquid immundum erat ad contactum, immundum quoque erat ad victum; non verò quicquid immundum erat ad victum, immundum erat ad contactum. Quicquid immundum erat ad victum, immundum quoque erat ad ſacrificium; non autem quicquid immundum erat ad ſacrificium, immundum erat ad victum: multa enim edere licebat, quæ non licebat offerre in ſacrificium; & multa tangere licebat, quæ non licebat edere. Lege verò de mundo & immundo oppidò multa attinguntur, quæ ad doctrinam de peccato & renovatione pertinent; quod plurimis ſpeciminibus notari poteſt.

I. *Per legem Moſis nihil immundum erat ad contactum, quoad vivebat, niſi ſolummodo homo.* Homo leprâ infectus immundus erat ad contactum, *Lev.* 13. et mulier in ſeparatione ſuâ, *Lev.* 12. Canes verò, porci, vermes, &c. immunda ad contactum non erant, niſi poſt mortem, *Lev.* 11:31.

II. *Per legem Moſis immunditia varios habebat gradus, quorum ſummus erat lepra.* Erat quædam immunditia in diem, velut ad contactum mortuæ beſtiæ; in ſeptimanam, velut ad contactum hominis mortui; in menſem, nempe mulieris poſt partum; & in annum integrum, vel eò ampliùs, ob lepram.

III. *Unuſquisque Sacerdos habebat jus & autoritatem ad judicium ferendum de leprâ, æquè ac Sacerdos ſummus.*

IV. *Sacerdotes, qui de leprâ erant conſtituti judices, inſici eâ non poterant*: vide notas in *Numer. Cap.* 12.

V. *Sacerdotes mundificare quempiam haud poterant, ſed ſolummodò mundum pronuntiare.*

VI. *Qui totus, nullâ parte liberâ, erat leproſus, mundus debebat pronuntiari*: indicio enim id erat, omne venenum erupiſſe, & præteriiſſe periculum alios inficiendi; *ſed quicunque parte aliquâ ſcabioſus non erat, immundus erat.* Quicunque comparet coram Deo in aliquâ ſuâ juſtitiâ, quemadmodum ſuperbus *Phariſæus*, habet in Parabolâ illâ ſuum reſponſum: verum humilis confeſſio miſeri peccatoris, qui ſe undiquaque leproſum fert, uti *Publicanus* ille, optimum conſequitur reſponſum.

VII. *Si quis mundatus erat à leprâ, non ideo & morbus ejus ſanatus erat*: ſed ipſe, periculo infectionis prætento, admittebatur iterum ad hominum ſocietatem; *ita ut non adeo ſui ipſius, quam congregationis reſpectu, mundus haberetur.*

LEVITICI CAP. XVI.

SOlenne & myſticum feſtum expiationis inſtitutum eſt, celebrandum die decimo menſis *Tiſri*, die ſcilicet, quo *Moſes* deſcenderat de monte cum nuntio de reconciliatione Dei & populi, uti dictum eſt ſupra. Ut autem ſolennitas illa & peractio operis iſtius diei, figura erat bonorum, quæ in *Chriſto* ventura

tura

Digitized by Google

Mundi	Mosis	Redemptionis ab Ægypto
2515	82	2

tura erant: ita ipſum quoque tempus eò tendebat; quanquam enim *Chriſtus* non eſt natus, neque in mundum venit tanquam expiator hoc ipſo die, natus tamen fuit,& (poſt annos inde viginti & novem) baptizatus eodem iſto menſe.

LEVITICI CAP. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV.

DIverſæ leges ſunt latæ de Sacrificiis, Matrimoniis, Feſtis, Sacerdotibus, & rebus aliis, deque ſupremo omnium fine, Pietate, Sanctitate & Charitate, & *Iſraëlis* per illa ab aliis populis diſtinctione.

LEVITICI CAP. XXVI. XXVII.

TRiſtis denuntiatio judicii ſuper inobedientiâ, & æſtimatio perſonarum ratione redemptionis è votis. Alludit ad pretia & æſtimationes, quarum hic mentio fit, *Hoſeas*, quando inquit: *Comparavi eam mihi quindecim ſiclis argenti, & homero hordei, & dimidio homero hordei*, *Hoſ.* 3:2.

Quindecim ſicli erant æſtimatio hominis ſexagenario majoris, *Levit.* 27:7. Homer hordei, qui valebat ſiclos quinquaginta, *verſ.* 16. erat æſtimatio hominis ab anno vigeſimo ad ſexageſimum, *verſ.* 3. Homer dimidius, qui valebat ſiclos viginti quinque, erat æſtimatio alicujus ab anno quinto uſque ad vigeſimum, ſub viginti ſiclorum mentione, *verſ.* 5. Et ab uno menſe uſque ad annos quinque, ſiclorum quinque erat æſtimatio, *verſ.* 6.

LIBER NUMERORUM.

CAP. I.

PRimo die ſecundi menſis Dominus caſtra poni curat, ſicut die primo primi menſis cœperant erigere Tabernaculum. Principio autem populus recenſetur ab anno vigeſimo & ultra, ſurgitque illorum numerus ad 603550. de quibus univerſis duo duntaxat terram intrant. *Levitæ* eo numero atque recenſione comprehenſi non ſunt; ideoque non ſubjiciuntur cum aliis maledictioni iſti de non ingrediendo in ſuam quietem. Nemo omnium toto *Iſraële* ætate fractus vel imbecillis erat.

NUMERORUM CAP. II.

CAſtra ſunt poſita, & Sanctuarium collocatum exactè in illorum medio: Religio enim cor eſt Reipublicæ. *Levitæ* proximè ſunt collocati corpore quadrangulari, Sanctuarium certâ diſtantiâ ambientes. Totum exercitûs corpus collocatum eſt aliâ diſtantiâ circum illos, formâ eâdem, & diſtantiâ 2000. cubitorum à Tabernaculo. Quodque latus quadrati diverſum gerebat inſigne, *Juda Leonem*, *Ephraim Bovem*, *Reuben Virum*, *Dan Aquilam*. Compara deſcriptionem *Chriſti* verſantis in medio Eccleſiæ Chriſtianæ, *Apoc.* 4:7. Arca, *fortitudo Domini*, poſita coram *Ephraimo*, & *Benjamine* & *Manaſſe*, *Pſalm.* 80:3.

NUMERORUM CAP. III. IV.

LEvitæ ſumpti pro primogenitis *Iſraëlis*, atque ita jus habentes in unaquaque familia inter illos. Primogeniti fuerant Sacerdotes uſque ad conſecrationem *Levitarum*; nunc functio illa deinceps intra hanc Tribum concluderetur. *Levitæ* aſtricti erant ad miniſterium ſuum ab anno vigeſimo nono completo, vel trigeſimo currente, uſque ad quinquageſimum. Servatoris noſtri ætas, ingredientis ſuum miniſterium, *Luc.* 3:23. huic typo reſpondet.

NUME-

Mundi	Moſis	Redemptionis ab Ægypto
2515	82	2

NUMERORUM CAP. V. VI.

LEx de immunditie & offenſis, ut caſtris conſervaretur perpetua puritas & concordia. Caſtitas & adulterium miraculoſe explorata. Lex de *Nazaræis*, *ſolis è populo voto obſtrictis*. Congregatio per Sacerdotes benedicenda *in nomine Trinitatis*.

NUMERORUM CAP. VII. VIII.

PRincipes offerunt ad uſum Sanctuarii, & addita mandata complura, quæ eò ſpectant. Illos non obtuliſſe, donec ſuis ſub vexillis diſpoſiti erant, ex ordine & methodo oblationis cujuſque eſt manifeſtum. *Levitas quinquennium dare debuiſſe Tyrocinio* apud Sanctuarium, antequam acceptabant ſuum officium, *Cap.* 8 : 24. coll. cum *Cap.* 4 : 23. itidem patet.

NUMERORUM CAP. IX. *à verſ.* 15. *ad finem.* & CAP. X. *ad verſ.* 11.

ANte lectionem Verſus decimi quinti Lectori eſt ſupponendum Paſcha aliquod celebrandum decimo quarto die ſecundi hujus menſis, quamvis illius obſervatio expreſſè non commemoratur, ſed tantummodò ſubintelligitur; die enim decimo quarto primi menſis, qui Paſchati dies proprius erat, quidam, quod immundi eſſent, celebrare illud non poterant; quod cum *Moſi* indicaſſent, ipſe habita ratione conditionis illorum, pro illo tempore mandatum illis dedit, ut id celebrarent die decimo quarto menſis proximi: quod ſine dubio & fecerunt, quanquam expreſſis verbis non refertur. Nam quæ hactenus hoc libro facta narrantur, contigerunt primis tredecim diebus menſis; (excepta duntaxat oblatione Principum, quæ omnino ante decimum quartum diem cœpta eſt, ſed continuata & protracta ultra illum; nihilominus Spiritus Sanctus hiſtoriam oblationis illorum univerſam ſimul volebat concludere) & die decimo quarto, illi, qui immundi fuerant juſto Paſchatis tempore, celebrabant Paſcha juxta novum mandatum, ſic ut ordo hiſtoriæ de Paſchate novo hic maximè genuinus & proprius exiſtat: neque enim *Moſes* res ipſas narrare poterat, niſi & occaſionem referret, nimirum quia nonnulli id haud potuerant celebrare juſto tempore, ideoque hiſtoriam juſti temporis hic adfert, quæ, ut ſuperius oſtendimus, propriè inter decimum & undecimum Caput *Levitici* intercedit.

A decimo quinto Verſu hujus Capitis ad Verſum undecimum Capitis decimi res duæ ſpeciales commemorantur, commoratio ſcilicet nubis ſuper Tabernaculum, & confectio tubarum argentearum: quæ quanquam omninò aliquantò prius hóc tempore fuere, (etenim nubes deſcendit, & tubæ fuere confectæ ante decimum quartum diem hujus menſis) nihilominus huc illata ſunt velut pertinentia ad profectionem exercitus, quæ narratur *Cap.* 10. *verſ.* 11. Tunc enim nubes elevata eſt, & tubæ ſonuere.

EXODI CAP. XVIII.

INter verſus decimum & undecimum *Capitis* decimi *Numerorum* intercurrit, ceu in locum proprium, hiſtoria *Jethronis*, deſcripta decimo octavo *Exodi*, quemadmodum manifeſtum fit hiſce obſervatis.

Et primo quidem, non obtinere illam hiſtoriam locum proprium in Libro *Exodi*, concludi poteſt ex duabus his vel tribus rationibus. I. Quia à *Jethrone* iſtic dictum legitur, *Jethro accepit holocauſta & victimas Deo*, *verſ.* 12. Jam verò, prout ſe hiſtoria ibi habet, lex Holocauſtorum & ſacrificiorum nondum erat lata. II. Narratur *ſediſſe Moſen ad judicandum populum*, *& nota illis feciſſe ſtatuta Dei*, *& leges ejus*, *verſ.* 13, 16. Atqui, prout ſe ibi habet hiſtoria, ſtatuta & leges *Moſi* nondum erant data, ipſeque illas hactenus ignorabat. III. Lectio Judicum & Seniorum, quæ *Jethronis* conſilio eſt facta, non fuit priuſquam à *Sinai* abirent, *Deut.* 1 : 9, 10. Atqui prout hiſto-

Mundi | Moſis | Redemptionis ab Ægypto.

ria *Jethronis* in *Exodi* libro collocata eſt, necdum tunc ad *Sinai* pervenerant: ex quibus omnibus liquidò pateſcit, hiſtoriam iſtam ſuo loco collocatam non eſſe. Reſtat ſolummodò, ut videamus, cur proprio loco collocata non ſit, & quo denique loco collocari debeat. De priori facile erit ſtatuere, ſi reflectamus oculos ad maledictionem, quam Deus denuntiat *Amaleko* Capite decimo ſeptimo: *Delebo memoriam Amaleki ſub cælo: & Dominus juravit, fore Domino bellum cum Amaleko de generatione in generationem, verſ.* 14, 16. Ut itaque Spiritus Sanctus demonſtraret, ad *Jethronem*, qui inter *Amalekitas* verſabatur, 1 *Sam.* 15: 6. iſtam maledictionem non pertinuiſſe, hiſtoriam interjungit de acceſſu illius ad *Iſraëlem*, ſtatim poſt proximè enarratam maledictionem: non eò ut inde concludatur adventum hunc eveniſſe eo ipſo tempore, quo maledictio recens erat denuntiata: ſed ut appareat, veniſſe eum aliquando, atque adeo maledictionem illam evaſiſſe.

2515 | 82 | 2

Eſſe porrò proprium huic hiſtoriæ locum, quem deſignavimus, hinc evidenter colligitur, I. quia *Moſes* ipſe dicit, *Deut.* 1: 7. Judicum electionem, quæ *Jethronis* conſilio facta eſt, ſtatim poſt ipſius adventum, adeo connexam fuiſſe profectioni è *Sinai*, (quæ *Num.* 10. *verſ.* 11. commemoratur) ut proficiſcendi mandatum jam ipſi datum fuerit. II. Quia murmuratio *Aaronis* & *Mirjam* adverſus *Zipporam Moſis* uxorem, (quæ eveniſſe videtur ſtatim poſtquam illa advenerat, & converſari cum illis cœperat, aut certè non diu poſt) abitioni illorum ex *Sinai* ſubjicitur. III. Quia profectio *Hobabi* ſive *Jethronis* ab illis verſus *Sinai* ita conjuncta eſt iſti loco, quem damus hiſtoriæ adventus ejus, ut pauculi modò verſus intercedant. Si vero hiſtoriam illam cum extremis *Exodi Cap.* 18. compares, magis etiam patebit, eum quem dixi locum eſſe genuinum.

NUMERORUM CAP. X. *à verſ.* 11. *ad finem.*

NUbes ſe extulit viceſimo die menſis ſecundi, & caſtra tranſlata è *Sinai* in deſertum *Paranis*, itinere tridui. Capitis hujus *verſu* 35. litera Nun ſcripta eſt figura verſa בנסע. *Quando Arca proficiſcebatur*: quod idem obtinet verſu primo Capitis ſequentis in voce כמתאננים *facti ſunt queribundi.* Per prius ſignificata fuit, ut obſervant Judæi, gratioſa Dei retrò ad populum converſio; per poſterius verò minimè gratioſa populi à Deo averſio.

NUMERORUM CAP. XI.

CAſtrorum primâ poſitione poſt *Jethronis* diſceſſum, *Moſes* eligendorum Judicum & Seniorum occaſionem invenit, qui in portando onere auxilio ipſi erant futuri; unde *verſus* 24, 25, 26. *Cap.* 18. *Exodi* exiſtimari debent huic tempori congruere. *Sanhedrin* eligitur à *Moſe*, & Spiritu donatur à Deo. Sex è quaque Tribu iſtum numerum conficiunt, abundantibus duobus. Fuere hi *Eldad* & *Medad*, qui Seniorum numero jam adſcripti, ſorte excluſi ſunt, quia numerum ſeptuaginta excedere non licebat: attamen Dominus Spiritu Prophetiæ illos honoravit.

NUMERORUM CAP. XII.

ZIppora *Moſis* uxor *Cuſchis* vocatur; *Arabia* enim terra *Cuſchi* erat: illius cauſâ *Aaron* & *Mirjam* rebellionem inſtituunt adverſus authoritatem *Moſis*; propter quod factum *Mirjam* percutitur leprâ, ſed non *Aaron*, quia Judex lepræ erat, eâque inſici non poterat. Peccatum illorum id effecit, ut nubes gloriæ abſcederet, quemadmodum peccatum aurei vituli antè fecerat. Ibi *Aaron* quoque peccati erat particeps; *Moſes* à Deo ipſo culpæ expers declaratur. Dicitur, *profecti ſunt Hazerothis, & caſtrametati ſunt in deſerto Paranis, verſ.* 16. id eſt, perrexerunt adhuc & caſtrametati ſunt in illo deſerto: inſpice *Cap.* 10: 12.

NUME-

Mundi

NUMERORUM CAP. XIII.

2515 82 2 PErvenerunt jam haud procul à parte meridionali terræ *Canaanis*. (confer *verſ.* 26. & *Deut.* 1:2, 19.) Et *Moſes* ad populi deſiderium, *Deut.* 1:22 emittit duodecim viros, qui explorarent terram. *Sethur*, vir ex Tribu *Aſeri* electus, nomen gerit, quod includit numerum 666. quodque ſignificatione arcanum vel myſticum eſt. Annus, dum explorant illi terram, jam inclinabat ad finem, *ſtylo veteri*; uvæ enim & ficus tunc erant maturæ, *verſ.* 20.

סתור: 666.

NUMERORUM CAP. XIV.

DEcretum & juramentum Dei in irâ ſuâ, fore ut non intrarent in ſuam quietem, exerit ſe, & nonnullis illorum jam incumbere incipit; decem enim illi viri, qui populo murmurandi autores fuerant, ex peſte mortui ſunt. Quemadmodum illi fuerunt occupati quadraginta dies in explorandâ terrâ; ita populo oberrandum eſt quadraginta annos, antequam ad fruitionem terræ perveniant, i. e. triginta octo annos cum dimidio, addendo ad ſeſqui-annum, quem conſumpſerant, ex quo *Ægyptum* fuerant egreſſi, ut ita integri veniant quadraginta. Eo autem temporis ſpatio omnibus illis, qui numerati erant ad montem *Sinai* (exceptis *Levitis*) in deſerto pereundum eſt. Eſtque hominis ætati hic ampliùs etiam detractum, quam in Diluvio & ſtructione *Babelis* factum fuerat.

PSALM. XC.

SUper triſti hoc Dei adverſus populum decreto, ſuperque decurtatione ætatis humanæ, compoſuit *Moſes Pſalmum* nonageſimum, (cujus proprius ordo cum hâc hiſtoriâ coincidit) atque ibi lugubriter oſtendit, quomodo illi propter impia facta, per iram Dei fuerint conſumpti; adeo ut hominis ætas nunc ad ſeptuaginta aut octoginta annos ſit redacta, pro illis annorum centuriis, quibus anteà homines vivebant, &c.

NUMERORUM CAP. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.

2516 83 3 LOcus, ubi populus murmurabat ad reditum exploratorum, fuit *Kades Barneæ*, *Num.* 13:26. & 32:8. *Deut.* 1:19. Fueratque anteà dictus *Rithma*, *Num.* 33:18. compara *Num.* 12:16. & 13:26. Quo nomine fortè fuit vocatus à juniperis, quę iſtic creſcebant, 1. *Reg.* 19:5. Nunc vero dicitur *Kades*, quia Dominus ibi ſanctificatus fuerat ſuper populum; ut refertur *Num.* 20:13. & *Barnea*, ſive *oberrans filius*, quia hic factum decretum de diuturnâ illorum in deſerto oberratione. *Kadeſi* manſère bonum temporis ſpatium, priuſquam moverent caſtra. Ita enim ait *Moſes*, *Deut.* 1:46. *Conſediſtis Kadeſi complures dies* כימים אשר ישבתם *ſecundum dies, quibus conſederatis*, ſcilicet in *Sinai*, itaque conſumpſère illic totum annum: idem enim in *Sinai* fecerant. Et cum præcepit illis Deus poſt illorum murmurationem, ut reverterentur ad Rubrum mare, *Deut.* 1:40. illius ſententia hæc fuit, ne proxima profectione, quandocunque illa foret, vorſùm tenderent ad terram *Canaanis*; ſed plane retrorſùm verterent ad mare Rubrum, unde venerant.

2517 84 4 Id illi agunt, oberrantque per ſtationes & itinera complura, profecti nunc
85 5 *Kadeſo Barneæ*, uſque dum iterum *Kadeſum Barneæ* perveniunt, triginta
86 6 dehinc & ſeptem vel octo annis. Profectiones, quarum mentio fit *Num.* 33.
87 7 hæ fuerunt; *Kadeſo* ſive *Rithmâ Rimmonem Parezi*, *Libnam*, *Riſſam*,
88 8 *Kehelam*, ad montem *Sepheris*, *Haradam*, *Makelothas*, *Tahathum*, *Ta-*
89 9 *rahum*, *Mithcam*, *Haſmonam*, *Moſerothas*, *Bene Jaakanis*, *Horhagidga-*
90 10 *dum*, *Jotbatham*, *Ebronam*, *Eſionem Geberi*, *Kadeſum* iterum anno qua-
91 11 drageſimo. Ita factum eſt, cum non niſi *undecim dierum iter eſſet ab Horebo per*
92 12 *montana Seiris uſque Kadeſum Barneæ*, *Deut.* 1:2. ut illud fecerint iter am-
93 13 plius quam ter undecim annorum. Quæ toto hoc tempore contigerunt,

fuère

Digitized by Google

Mundi [illegible] [illegible]

fuêre pauca, atque ea ipſa ita adnotata, ut neque temporis neque loci ulla mentio
fiat. Leges quædam fuêre latæ, *Cap.* 15. *Kora*, *Dathan*, & *Abiram* ſeditionem
movent, *Cap.* 16. Et *Kora* quidem de Sacerdotio *Aaronis*, ut qui eſſet è
Tribu *Levi*; *Dathan* verò & *Abiram* de *Moſis* Principatu, ut qui filii eſſent
2527 94 14 *Reubenis*, qui primogenitus erat. Terræ motus illos cum ſuis abſorbet: du-
95 15 centos verò & quinquaginta illos viros, qui conſpirarant cum ipſis, ignis
96 16 abſumit: ſolummodò *evadunt filii Koræ*, *Cap.* 26:11. ex quibus deſcende-
97 17 runt *Samuel*, & complures eximii cantores in templo, 1 *Chron.* 6:22. &c.
98 18 *Aaronis* ſacerdotium, cui adeo reclamatum fuerat, confirmatum eſt emiſſo
99 19 flore ex emarcida illius virga; & ab hac approbatione miniſteria diverſa ſa-
100 20 cerdotibus aſſignata ſunt, *Cap.* 17. & 18. & 19. Præterea quæ facta ſunt
101 21 ad diem primum anni quadrageſimi, nulla habenius. Progrediuntur ſub
102 22 quatuor vel quinque continuis miraculis, apparitione videlicet Nubis glo-
103 23 riæ, pluviâ *Mannæ*, conſecutione rupis ſive aquarum *Horebi*, integritate
104 24 perpetua veſtium, & indefeſſa alacritate pedum: attamen oblivioni iſta tra-
105 25 diderunt, & perpetim murmurabant adverſus illum, qui omnia hæc miranda
106 26 faciebat in illorum gratiam. Murmurabant, ubi exibant ex *Ægypto*, quia
107 27 ex *Ægypto* exeundum erat, *Exod.* 14:12. Murmurabant, ubi terræ *Canaa-*
108 28 *nis* appropinquabant, quia in terram *Canaanis* erat ingrediendum, *Num.* 14.
109 29 & ad eum modum murmurabant per viam intermediam omnem. *Itane re-*
110 30 *penſuri eſtis Domino, O ſtulte populie & inſipiens? Nonne ipſe eſt pater tuus, qui*
111 31 *redemit te*, &c. *Deut.* 32:6.

NUMERORUM CAP. XX.

2553 120 40 ISrael jam ſecundùm pervenit *Kadeſum Barneæ*; locum infauſtum: fue-
rant enim ibi ante annos triginta & octo, eratque illic ſententia in illos la-
ta de non intranda terra; in quam condemnationem hîc *Moſes* & *Aaron*
nunc quoque incidunt. Dicitur, *venerunt in deſertum Zinis Kadeſum menſe
primo*; ſed annus non additur: reſpicit enim decretum factum eodem hoc
loco de oberratione quadraginta annorum: & hic eſt primus menſis quadra-
geſimi anni; uti id ex *Num.* 33:38. & *Deut.* 2:7,14. indubium eſt. *Mir-
jam* diem obit *Kadeſi*, ibidemque ſepelitur, annum centeſimum & viceſi-
mum longè egreſſa.

Populus hic nunc de aqua murmurat, ut antè fecerat cauſâ terræ; & Spiritus Sanctus vocabulo planè mirabili העליתנו confuſionem illorum ſuaviſſimè ob oculos ponit. Conſederant hîc, priori ſtatione in hoc loco, integros duodecim menſes, neque aquæ penuria tunc laboraverant: ſecuta enim illos erat rupes ſive aquæ *Horebi*: quo autem pacto illa nunc abceſſerit, haud eſt expreſſum.

Moſes & *Aaron* terra *Canaanis* excluduntur, quia non crediderant Domino, neque ſanctificaverant illum ante oculos populi. Quod ſpeciatim illorum delictum fuerit, conjecturis variè diſceptatur; mihi videtur ejuſmodi fuiſſe: *Quid?* ajebant, *o vos rebelles; ecquid ex hac petrâ aqua à nobis eſt proferenda, ut Horebi a nobis factum eſt? An omnis noſtra ſpes & expectatio exeundi ex hoc deſerto huc tandem recidit? Non niſi vice unâ aquam ex rupe produximus, & factum hoc ideo eſt, quia multo tempore permanendum vobis erat in deſerto, ut per omne hoc ſpatium aqua indè vobis ſuppeteret, uti id reverà factum vidimus. Poſtquam illa aqua jam abceſſit, an aqua ex aliâ rupe proferenda eſt à nobis? O vos rebelles, eone rem perduxiſtis per murmurationem veſtram, ut novâ in deſerto ſtatione opus ſit, & nova rupes debeat aperiri, quæ aquam vobis largiatur pro longâ veſtrâ ſtatione, ut Horeb faciebat? Ecquid commoratio in deſerto de novo nobis jam ordienda eſt, quando ſperabamus laborem noſtrum perveniſſe ad finem; & ſic nunquam ex deſerto hoc exibimus?* Et ſimul rupem bis percuſſit in indignatione & ira. Atque ita non crediderunt promiſſioni de ingrediendo in tercam poſt quadraginta annos; neque ſanctificarunt Dominum ante oculos populi, ad illum de promiſſione illa confirmandum: ſed quicquid animi boni illi inerat, tantum non excuſſerunt; & ſic incogitanter locuti ſunt labiis ſuis, atque eo modo terrâ *Canaanis* ſunt excluſi. Indicio id fuit, Promiſſionem reſpexiſſe meliora, quam eſſet terreſtris *Canaan*, quando homines ſanctiſſimi è

toto

Mundi | Mosis | Redemptionis ab Ægypto.

toto *Iſraële* dejecti ſunt ſpe omni eò unquam perveniendi. *Kadeſo Barneæ* ſe convertunt retrò verſus Rubrum mare, quemadmodum & anteà fecerant, *Deut.* 1:40. quia *Edom* impræſens tranſitum præbere renuebat.

Aaron moritur *Horbagidgadi* primo die quinti menſis, & menſe illo toto
2553 | 120 | 40 defletur.

NUMERORUM CAP. XXI.

CAnaanæi nonnulli ſuperantur. Eniteſcit hic radiolus quidam impletionis Divini promiſſi: ſed populus planè retrò converſus murmurare incipit. Mirum hoc loco vocabulum העליתנו, *verſ.* 5. & vocabulum irriſionis הקלקל uſurpatum pro *Mannâ* oſtendunt illorum irriſionem & indignationem. *Seraphim*, *Nebashim*, ſerpentes ignei, vel ſerpentes coloris flammei mordebant murmurantes: æneus autem ſerpens in altum ſublatus conſpectusque illos curabat: figura meliorum rerum deinceps futurarum, *Joh.* 3:14. Æneus hic ſerpens videtur loco nomen *Zalmonæ* indidiſſe, *Num.* 33:41. id eſt, *locus imaginis*; exortus verò ſerpentum in populum, denominaſſe totum illum tractum מעלה עקרבים, *Aſcenſus ſcorpionum*: vide *Joſ.* 15:3.

Dein *Zalmonâ* profecti ſunt *Pimonem*, *Obothas*, ad *Ije Abarim*, propè terminum *Moabi*. Prohibentur invadere *Moabum*, *Deut.* 2:9. Tranſeunt vallem *Zaredi*: atque hìc generatio, quæ in *Sinai* numerata fuerat, omnis jam penitus interiit, *Deut.* 2:14. Iter faciunt juxta extenſionem *Moabi* & *Ammonis*, atque ita ultra flumen *Arnonis*, *Deut.* 2:13, 18, 24.

Num. 21. *verſ.* 14. invenitur Geographica hæc allegatio, deſumpta ex *Libro bellorum Domini*, qui eam regionis partem in hunc modum deſcribit; *Vahebum in Suphâ & flumina Arnonis, & decurſus fluminum, qui devertit ad ſitum Aræ, & nititur termino Moabi.* Liber hic *belli Domini* videtur fuiſſe liber quiſpiam, ſive recenſiones, atque inſtructiones ſcriptæ per *Moſen* ad privatam *Joſuæ* informationem de gerendis bellis poſt *Moſis* deceſſum; vide *Exod.* 17. *verſ.* 14, 16. Fieri poteſt ut liber hic vocatus quoque fuerit ספר ישר, *liber rectus*, ſive directorium *Moſis* in uſum *Joſuæ*, commonſtrans, quod illi agendum atque expectandum eſſet in ſuis bellis: & in quo *Moſes* expoſuerit artem ſagittariam, 2.*Sam.* 1:18. & monuerit illum mandata dare Soli, ejuſque expectare obſequium, *Joſ.* 10:13.

Hinc pervenerunt *Beerum*, ubi ſeptuaginta ſeniores de *Sanhedrin* deſignatione *Moſis* proferunt aquam percuſſione ſcipionum ſuorum, uti ipſe fecerat percuſſione ſuæ virgæ. Magnum hoc atque miraculoſum opus & ingens beneficium, quod tam multis fuit ex illis conceſſum, cauſam præbet toti populo canticum præ gaudio canendi.

Sihon & Og ſuperati: Numerantur jam viginti ſex generationes à creatione ſive ab *Adamo* ad *Moſen*; & conſimiliter *Pſalmus* 136. durabilitatem miſericordiæ Divinæ repetit viginti ſex vicibus, hiſtoriam inchoans cum creatione, & finem faciens cum *Sihone* & *Ogo*: literæ etiam numerales nominis יהוה conficiunt ſummam viginti ſex.

NUMERORUM CAP. XXII. XXIII. XXIV. XXV.

BAlaam nequit maledicere *Iſraëli*, ſed maledicit *Amaleko* primo illorum, & *Romæ*, poſtremo inimico. Prædicit *Iſraëlem* tam fore proſperum & felicem, ut voto ſibi finem expetat ſimilem illius. *Ille redit in locum ſuum*, *Cap.* 24:25. id eſt, ait *Baal Turim*, *abiit in infernum*, ut *Act.* 1:25. Non abiit domum in *Syriam*, patriam ſuam, ſed abiit domum verſùs, & in itinere incidit in terram *Midianis*, & ſuggerit illius loci hominibus maledictum conſilium illaqueandi *Iſraëlem* per illorum Filias ac Idololatriam. *Iſrael* copulatus eſt, יצמד *Baals Peboris*, non Idolo ſolùm, ſed mulieribus quoque. Vetus ſtirps improbi *Iſraëlis* planè jam deperiit; nova autem hæc generatio, quæ terram *Canaanis* intrare debet, incipit veſtigia ſuorum patrum premere: propter quod peccatum interiêre 24000. homines, ſcilicet 23000. peſte, 1 *Cor.* 10:8. & 1000. ſupplicio gladii.

Digitized by Google

Mundi	Moſis	Redemptionis ab Ægypto.
2553	120	40

NUMERORUM CAP. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX.

POpulus, qui intrare terram *Canaanis* debet, numeratus eſt; ut numeratus fuerat, qui ex *Ægypto* exiverat. Una familia ex Tribu *Simeonis*, quæ *Ægyptum* ingreſſa fuerat, extincta eſt, ſcilicet *Obadi*: Princeps quidam è *Simeone* actor præcipuus fuerat in negotio *Peboris*, *Cap.* 25:14. Fieri poteſt, ut ſtirps illius radicitùs ſit exciſa. Variæ leges datæ.

NUMERORUM CAP. XXXI. XXXII.

MIdian deſtructus, quamvis ex poſteritate *Abrahami*. *Reuben*, *Gad*, & dimidia Tribus *Manaſſis* poſſeſſionem hinc ſibi ultra *Jordanem* acquirunt tranquilliorem, cum dicebant, *Septa gregum & civitates nobis ſtruemus*, *Cap.* 32:16. Quando autem Textus *verſ.* 34. id eos feciſſe affirmat, ſic eſt accipiendum, proviſum ab iis fuiſſe, ut ejuſmodi extructiones fierent: ipſi enim *Jordanem* tranſiverunt, & bello ſeptennali in terrâ *Canaanis* interfuerunt.

NUMERORUM CAP. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI.

QUadraginta duæ ſtationes *Iſraëlis* ab *Ægypto* ad *Jordanem*: termini terræ: civitates *Levitarum*: diſpoſitio circa filias *Zelophchadi*.

LIBER DEUTERONOMII.

ARgumentum libri *Deuteronomii* repetitio eſt atque explanatio facta filiis, Legis datæ patribus ipſorum. Tempus libri duorum modò menſium eſt, ſcilicet duorum poſtremorum anni illis quadrageſimi; quod diviſum eſt in tempus, quo *Moſes* Legem repetiit, & diem obiit, atque *Iſraël* triginta dies illum luxit. Hiſtoriarum collocatio extra locum proprium multiplex expectari ibi non poteſt, ubi paucæ admodum hiſtoriæ extant; ideoque minus erit neceſſarium huic libro multùm inſiſtere, quia id, quod hoc opere maximè intendebamus, executi modò ſumus; nimirum ut hiſtoriæ collocentur propria ſua methodo & ordine, niſi quod pauca quædam obſervare neque alienum, neque inutile ſit futurum.

I. Ubi *Moſes* dicitur fuiſſe מול סוף, quando legem hanc expoſuit, *Cap.* 1:1. intelligendum eſt, fuiſſe è regione *Suph* in *Moabo*: non verò prope Rubrum mare; vide *Num.* 21:14. והב בסופה.

II. Loquens de excluſione populi ex terrâ *Canaanis* propter murmurationem *Kadeſi Barneæ*, quando exploratores revertebantur, *Num.* 14. innectit hiſtoriam excluſionis propriæ, quaſi eodem tempore fuiſſet facta, *Cap.* 1. *verſſ.* 35, 36, 37. cum ea non niſi poſt annos octo & triginta contigerit: verùm ita preſſe, & conciſe loqui Scriptura aſſolet, ubi hiſtorias notas repetit; vide *Act.* 7:7.

III. Loquitur generationi tunc præſenti, quaſi eadem fuiſſet, quæ conſumpta in deſerto jam perierat; vide *Cap.* 1:26, 27, 34, 35, &c. Murmurationem enim *Kadeſi*, & decretum de non intranda terra, hominibus qui tum aderant, applicat, ac ſi illa ad ipſos pertinerent; cum ii, ad quos propriè illa ſpectant, e medio jam exceſſiſſent. Verum iſtâc dicendi ratione utitur, 1. quia quamplurimi illorum murmurationis æquè tum capaces erant, ac illorum patres: nam ut multa illorum millia ſine dubio fuerunt, qui annis viginti erant minores; ita non adeo fuere minores, ut non probare ſe potuerint perverſos immorigeroſque, æquè ac illi, qui viginti annos jam exceſſerant. Et eo loquendi modo voluit *Moſes* illis humilitatem inculcare, quibuſdam ob culpam patrum, quibuſdam ob culpam propriam, & quibuſdam ob utramque; atque ſimul expendendum præbere, quod viverent, quodque intrare terram concederetur, ſoli immenſæ Dei gratiæ eſſe imputandum; ipſo-

Mundi	Moſis	Redemptionis ab Ægypto.
2553	120	40

ipſorum enim & patrum peccata longè diverſum mereri. 2. Imitati fuerant, ut qui maximè, patrum rebellionem, in murmuratione *Kadeſi*, quando illuc poſtremò aſcenderant; itemque in negotio *Baalis Pehoris*: ideoque, cum patrum tranſgreſſiones tam in illis manifeſtè apparerent, juſtè illos patribus ſimiles facere licuit.

IV. In enumeratione ſtationum eam, quæ ſecunda eſt *Kadeſi*, non commemorat nominatim, ſed tranſſilit, *Cap.* 2: 1, 4. Neque attingit longum illud triginta & ſeptem annorum iter *Kadeſum* inter & *Kadeſum*; niſi hâc ſolum expreſſione, *Circumivimus montana Seiris diebus multis*, *Cap.* 2. *verſ.* 1. Ideo quia in repetitione hâc tantum iſtis duobus maximè inſiſtit. 1. Dei decreto adverſus illos, qui *Kadeſi* primò murmuraverant, & quo pacto illud in iis impletum fuerit: & 2. Dei promiſſo de filiis illorum perducendis in terram, & quomodò etiam illud impletum fuerit: idcirco, poſtquam fuſe enarraverat decretum ſimul & promiſſionem, feſtinat ad demonſtrandum utriuſque complementum.

V. In repetitione Decalogi, rationem injuncti *Sabbathi* aliam facit, ac in *Exodo*: iſtic enim erat, *quia Deus quieverat ſeptimo die*; hic eſt, *quia Deus liberaverat illos ex Ægypto*: atque ita hoc loco reſpicitur magis propriè *Sabbathum Judaicum*; iſto vero *Sabbathum in purâ ſuâ moralitate & perpetuitate.* Eſtque hic figura ejus, quod jam in *Sabbatho* noſtro locum habet, ut celebretur nimirum in memoriam Redemptionis, æque ac Creationis.

Mandato quinto, prout hic repetitur, unum & alterum adjicitur præter id, quod *Exod.* 20. legitur, & litera *Teth* bis adjicitur, quæ *Exodi* viceſimo ſola deficiebat.

VI. *Cap.* 10. *verſ.* 6, 7, 8. mira & notabilis tranſpoſitio comparet, & res ejuſmodi, quæ duplicem ſcrupulum movet: I. in eo, quod poſt mentionem vituli aurei *Cap.* 9. & renovationis Tabularum *Cap.* 10. quæ occurrunt primo anno poſt illorum ex *Ægypto* egreſſum, adferat progreſſum illorum *Beerotho Moſeram*, *ubi mortuus eſt Aaron*, qui anno inde quadrageſimo accidit: cujus rei rationem hanc eſſe puta, quia oſtendere voluit Dei cum *Aarone* reconciliationem, atque reconciliationem quoque cum populo: Cum *Aarone* quidem in eo, quod Dominus, quanquam ille ſubitam mortem cum reliquo populo, qui ob peccatum vituli aurei occubuit, meritus erat, gratiam tamen illi exhibuit pepercitque; neque ille mortuus eſt niſi poſt annos quadraginta: Cum populo autem, quia non obſtante tam grandi transgreſſione, Dominus illum nihilominus introduxit per iſtam ſolitudinem in regionem fluminum aquarum. Sed II. ineſt in hiſce verbis majus etiam dubium; etenim *Num.* 33. profectio populi narratur fuiſſe *Moſerothis Bene Jaakanis*, *verſ.* 31. hic verò facta narratur *Beerotho Bene Jaakanis Moſerothas*: iſtic dicitur, *Aaron mortuus eſt in Hore monte*; hic autem, *mortuus eſt Moſerothis*: erant verò ſeptem diverſæ caſtrametationes *Moſerothas* inter & montem *Horem*, *Num.* 33: 31, 32, &c. Reſponſio ad illud inde ſumenda eſt, quod in ſtationibus illis, quarum *Num.* 33. mentio eſt: *Moſerothis Bene Jaakanis & Horhagidgadum*, *&c.* profecti ſunt verſus *Kadeſum* ante annum ſuum quadrageſimum; atque ita iverunt *Moſerothis Bene-Jaakanis.* Iis verò ſtationibus, quæ *Deut.* 10: 6. enumerantur, *Kadeſo* profecti ſunt ipſo quadrageſimo anno, qua via eò ex parte veniebant. Atque ita eundum nunc iis erat *Bene Jaakanis Moſerothas.* Et III. quomodò *Moſerothæ* & mons *Hor*, *Gudgodum* & *Horhagidgadum* unus * idemque locus & regio fuerint, & quomodo, quanquam *Iſraël Kadeſo* retrò ivit, inciderit tamen in eadem planè itinera, quæ fecerant, quando iſtuc tendebant; ſcil. *Gudgodum*, ſive *Horhagidgadum*, *Jotbathum*, ſive *Jotbatham*, diſquiſitionem Geographicam requirit ſpecialem: quod proximè ſecuturum in præfatione primæ partis *Harmoniæ Euangelicæ* promiſſum fuit; futurumque eſt, ut cum aliqua iſtius operis parte, cum bono Deo, in lucem edatur.

* Ut fuêre quoque *Horeb* & *Sinai*, quanquam numerantur velut duæ diverſæ ſtationes *Iſraëlis*, *Exod.* 17: 1, 6. & 19: 1. coll.

VII. Oculum ſcrutantis Textum originalem fugere non poteſt, Spiritum Sanctum, *Cap.* 29. *verſ.* 29. punctaſſe partem nonnullam dicti לנו ולבנינו *Quæ revelata ſunt, ad nos & filios noſtros pertinent*, modo extraordinario, & cui ſimilem haud invenias: ad commonendum, ne per curioſitatem in Dei ſecreta inquirere velimus, utque voluntate illius revelata ſimus contenti.

VIII. *Moſes*

Digitized by Google

Mundi | Moſis | [illegible]

VIII. *Moſes* benedicens Tribubus *Cap.* 33. eas non nominat ſecundum Patriarcharum nativitatem, ſed ordine alio. ***Reuben*** collocatur primus, quamvis jus primogeniti amiſerit, ut reſipuiſſe intelligeretur; * neque ſubiiſſe mortem ſecundam. ***Simeon*** præteritus propter crudelitatem com-
2553 | 120 | 40 miſſam *Sechemi*, & adverſus *Joſephum*: ideoque, ubi numerus Tribuum duodenarius uno præterito integer eſt, ille aptiſſimè excluditur. ***Juda*** locatur ante *Levi*, propter dignitatem Regiam præ Sacerdotio: *Chriſtus* enim Rex ex illa Tribu promiſſus erat. *Benjamin* quoque *Joſepho* præponitur propter dignitatem *Hieroſolymæ* præ *Samariâ*, *&c.*

* Ita *Chaldæus* vertit *verſ.* 6. *Vivat Reuben, neque moriatur mortem ſecundam.*

IX. Extremum libri Caput ſcripſit nonnemo à *Moſe* diverſus; narrat namque ut is mortuus, atque à Domino ſepultus ſit, i. e. à *Michaële*, *Jud. verſ.* 9. vel à *Chriſto*, qui *Moſis* ceremonias erat ſepulturus.

LIBER JOSUÆ.

Liber hic hiſtoriam continet annorum ſeptendecim gubernationis *Joſuæ*; qui, quamvis expreſſis verbis non determinentur, colligi tamen poſſunt ex majori ſumma annorum 480. à liberatione ex *Ægypto* ad jacta fundamenta Templi *Salomonis*, quæ refertur 1 *Reg.* 6: 1. Scriptura enim iſtam integram ſummam in has particulares diduxit; populo in deſerto deputans annos quadraginta: ducentos nonaginta novem *Judicibus*: quadraginta *Eli*: quadraginta *Samuelis* & *Sauli*: quadraginta *Davidi*; & *Salomoni* ad templi uſque fundationem quatuor: unde exurgunt anni 463. Annos idcirco ſeptendecim, qui ad ſummam 480. deſiderantur, tribuere neceſſum eſt gubernationi *Joſuæ*.

Joſuæ

JOSUÆ CAP. I.

2554 | 1 Joſua è *Joſepho* ſuccedit *Moſi*; ſeptimus ab *Ephraimo*, 1 *Chron.* 7:27. inque eo primùm jus primogeniti, quod *Joſepho* collatum erat, apparuit, 1 *Chron.* 5: 1. & dignitas *Ephraimi*, *Gen.* 48: 10. Dictus eſt *Jeſus* apud LXX. & in Novo Teſtamento, *Act.* 7: 45. *Hebr.* 4: 8. typus illius, qui populum ſuum introducit in quietem æternam. Succeſſor eſt datus *Moſi* cum pari autoritate, tum ad imperandum populo, tum ad patranda miracula. Liber Legis ei per *Eleazarem* in manum traditus eſt, ut mos erat in Coronationibus, 2 *Chron.* 23: 11. Prævidit diviſionem *Jordanis*, deditque mandata de iis, quæ ad tranſitionem pertinebant.

JOSUÆ CAP. II.

Rahab mulier caupona *Jerichuntæa* plus habet fidei, quam 600000. viri *Iſraëlis*, qui mira in *Ægypto* & deſerto viderant. Duo exploratores, qui emiſſi fuerant ſexto die menſis *Niſan*, evadunt è *Jerichunte* iſtâc nocte; ſeptimo die montibus ſe continent, octavo ad caſtra redeunt. Hic tres dies numerati ſunt eodem planè modo, ut tres dies ſepulturæ Servatoris noſtri.

JOSUÆ CAP. III. IV.

NOno die populus proficiſcitur ſuper ripas *Jordanis*, donec veniat contra *Jerichunta*. Arca præcedebat; nubes enim Gloriæ, quæ huc uſque illos duxerat, receſſerat mortuo *Moſe*. Decimo die Arca diviſit *Jordanem*; erantque 4000. cubiti terræ ſiccæ in medio *Jordane*, inter duo agmina exercitus, qui progrediebatur ab utroque Arcæ latere, dum illa medio *Jordane* quieſcebat: Arca autem depoſita fuit ſecundum *Adamum* Civitatem, *Cap.* 3: 16. אהל שכן בארם, *Pſalm.* 78: 60.

JOSUÆ

Mundi | Joſuæ

JOSUÆ CAP. V.

2554 1 GEneralis inſtituitur populi circumciſio, ut factum fuerat egreſſu illorum ex *Ægypto*: quemadmodum verò continuit tùm Deus *Ægyptios* caligine tridui, ut loco movere ſe nequiverint, ita nunc *Canaanæos* terrore percutit, ut non audeant ſe commovere ad inferendam populo noxam, dum is dolore diſtinetur. Circumciſio obſignat chirographum de promiſſa terrâ *Canaanis*; idcirco, ubi primum pedem in illam intulere, fuere circumcidendi. Undecimus, duodecimus, decimus tertius dies menſis *Abib* ſive *Niſan* iſti negotio fuerunt impenſi: die verò decimo quarto Paſcha celebrarunt; atque ita utroque ſuo ſacramento una fruiti ſunt. Jam anni quadraginta ab exitu ex *Ægypto* exactè effluxerunt. *Chriſtus* apparet armatus, eſtque Princeps militiæ in bellis *Canaanis*.

JOSUÆ CAP. VI.

JEricho mirabiliter obſidetur; circuitur autem ſeptem diebus ſecundum ſeptem generationes, quæ ab *Abrahamo* per *Levi* & *Moſen* tum numerabantur, ex quo terra promiſſa fuerat.

Iſraël proficiſcitur Sabbatho ſpeciali diſpenſatione. Muri *Jerichuntis* dejecti ſunt Buccinis & vociferatione; ubi ineſt figura expugnationis munitionum *Satanæ* inter gentiles per potentiam Euangelii. Spolia civitatis Domino ſunt dedicata, tanquam primitiæ *Canaanis*: *Rahab* recepta eſt velut primitiæ gentium; quæ deinde *Salmoni* nupſit Principi è *Judâ*, *Matth.* 1: 5. *Joſua* adjurat *Rahabæ* poſteros de *Jerichunte* nunquam reædificanda.

JOSUÆ CAP. VII.

ACHan uno facinore abominabilem facit univerſum *Iſraëlem*: quod ejuſmodi eſt, ut ſimile nuſquam extet. Vallis *Achoris* nunc eſt janua conſternationis & indignationis: deinceps autem ſpei janua fieri debebat, *Hoſ.* 2: 14. quod ad literam impletum eſt, *Joh.* 4.

JOSUÆ CAP. VIII.

AJam captum, & ſpolia militibus conceſſa, & hic primam iſtius terræ poſſeſſionem capiunt. (Ex ſpoliis enim *Jerichuntis* nihil ad eos pervenit.) Et tunc extruxit *Joſua* Altare, *verſ.* 30. eique Legem inſculpſit: benedictiones item & maledictiones fuere pronuntiatæ. Jamque plenum erat tempus: nunc enim Dominus per dulcedinem ſpoliorum *Ajæ* dederat populo guſtum implendarum promiſſionum de danda illis terra iſta; & tempeſtivum nunc erat, quod ad illos attinebat, ut ſe conſecrarent ipſi, & Legibus illius obſervandis.

JOSUÆ CAP. IX. X. XI. XII. XIII. XIV.

2555 2 MAgna Eccleſiæ deluſio prætextu Antiquitatis. *Gibeonitæ* facti *Nethenim* ad ab-
3 jectiora miniſteria Sanctuarii. Sol & Luna obſequium præſtant filio *Joſephi*,
4 ut *Gen.* 37: 9. unde exſtitit dies miraculoſus triduum longus. Terra ſubjugata eſt
5 ſeptem annis, ut *Jericho* ſeptem diebus obſidione fuerat cincta; tantum autem fu-
6 iſſe tempus præliorum *Joſuæ*, apparet ex verbis *Calebi*, *Cap.* 14: 7, 10. Emiſſus
7 erat inter exploratores terræ altero poſtquam ex *Ægypto* egreſſi erant anno; & inde
annos vixerat quadraginta & quinque: ſcil. annos triginta octo in deſerto, & ſeptem in *Canaane*.

CAP. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV.

2561 8 JUdæ, Tribui regiæ, primùm attributa ſedes: Expugnatio *Hebronis* & *Kiriathi*
9 *Sepheris* narrata per anticipationem, (hæc enim facta non fuerunt, niſi poſt *Jo-*
10 *ſuæ* mortem) quia Spiritui Sancto in deſcriptione hæreditatis *Judæ* placuit ſpe-
11 cialiter conſiderare portionem *Calebi*, qui Domino adhæſerat. Exin *Ephraimo* &

 Manaſſi

Manaſſi ſedes attributa; jure primogeniti, quod *Joſephi* erat, proximè juncto dignitati regiæ *Judæ*. Tabernaculum erigitur in urbe ſortis *Ephraimi*, & loco nomen
2565 12 *Silunis* factum, quia hoc tempore terræ *pax* erat. Templum poſtea ædificatum *Salemi*, quæ urbs & ipſa à *pace* appellata eſt; quorum locorum ille in ſorte
13 *Joſephi* fuit, hic in ſorte *Benjaminis*, filiorum dilectæ *Rachelæ*.
14
15 Reliqua terra diviſa: *Simeon*, quanquam ſigni ejuſdem cum *Reubene* & *Gade*,
16 non eis tamen aſſenſit in eligendâ ſede trans *Jordanem*; ſed hæreditate ſuâ Tribui *Judæ* immixtus eſt, ſecundum *Gen.* 49:7. Reliquis Tribubus attributæ ſedes convenienter prædictioni *Jacobi* & *Moſis*. Expugnatio urbis *Lais* ſive *Leſemi* per *Danitas* refertur hic per anticipationem, (illa enim non niſi poſt mortem *Joſuæ* accidit, *Jud.* 18:29.) quia Textus, poſtquam hæreditatem illam enarrare inſtituit, totam ſimul voluit abſolvere. Ex cujus rei mentione, quæ poſt mortem *Joſuæ* demum contigit, ſimilique narratione de *Hebrone* & *Kiriatho Sephere*, licet concludere, *Joſuam* non ſcripſiſſe hunc librum, ſed potius *Phineam*. *Joſua* hæreditatem accepit omnium poſtremus. Civitates receptus deſignatæ ſunt eis *Jordanem* tres, una quidem in *Judæâ*, altera in *Samariâ*, tertia in *Galilæâ*: & tres trans *Jordanem* in totidem Tribubus, quæ illic fuere.

Quadraginta & octo urbes Sacerdotibus & Levitis ſunt attributæ, tanquam totidem Academiæ, ubi Legis ſtudio occuparentur.

Utrum Tribus duæ & dimidia reverſæ ſint domum ſtatim poſtquam terra quievit à bellis, quod accidit anno ſeptimo: an verò remanſerint, donec terra eſſet diviſa, & populus ſuis ſedibus collocatus, quod tempus requirebat multo longius; operæ pretium non eſt examinare, quia definiri non poteſt. Quicquid ſit, viceſimum Caput, quod hiſtoriam illius continet, juſto proprioque loco poſitum eſt, quia æquum erat, hiſtoriam integram, quæ pertinet ad perdomationem & poſſeſſionem terræ, ſimul pertractari, antequam quæpiam aliæ narrationes & emergentes caſus filum iſtud moverent abrumperentque.

2570 17 *Joſua* moritur, natus annos 110. quæ ætas quoque fuit patris ipſius *Joſephi*, *Gen.* 50:26. Diviſerat *Jordanem*, dejecerat muros *Jerichuntis* vociferatione, ſtiterat Solem, terram *Canaanis* perdomuerat, erexerat Tabernaculum, populum ſedibus ſuis locaverat, Patriarcharum oſſa *Sechemi* metropoli terræ ſepeliverat; populum religione devinxerat, & geſſerat ſeglorioſè in generatione ſuâ: in quorum pleriſque typus *Chriſti* fuit.

Cum his Capitibus *Joſuæ*, quæ agunt de diviſione terræ & collocatione Tribuum in diſtinctis ſuis poſſeſſionibus, neque ineptè neque inutiliter inter legendum conjungemus iſta Capita ex priori *Chronicorum*, quæ Patres viroſque in qualibet Tribu principes enumerant, ut qui autores & velut plantatores fuère familiarum per diſtinctas illas poſſeſſiones: atque ita cum *Joſ.* 13. quod refert hæreditatem duarum Tribuum & dimidiæ, lege 1 *Chron.* 5. Cum *Joſ.* 15. quod poſſeſſionem *Judæ* deſcribit, lege 1 *Chron.* 2, 3, 4. ad *verſ.* 24. Cum *Joſ.* 16, 17. quæ agunt de ſorte *Ephraimi* & *Manaſſis*, lege 1 *Chron.* 7. à *verſ.* 14. ad *verſ.* 30. Cum *Joſ.* 18. à *verſ.* 11. ad finem, quæ poſſeſſionem *Benjaminis* concernunt, lege 1 *Chron.* 7. à *verſ.* 6. ad *verſ.* 13. & *Cap.* 8. totum. Cum *Joſ.* 19. ad *verſ.* 10. lege 1 *Chron.* 4. à *verſ.* 24. ad finem. Cum *Joſ.* 19. à *verſ.* 17. ad *verſ.* 24. lege 1 *Chron.* 7. ad *verſ.* 6. Cum *Joſ.* 19. à *verſ.* 24. ad *verſ.* 31. lege 1 *Chron.* 7. à *verſ.* 30. ad finem. Cum *Joſ.* 19. *verſ.* 32. &c. lege 1 *Chron.* 7. *verſ.* 13. Cum *Joſ.* 21. lege 1 *Chron.* 6.

Et junctim cum his Capitibus *Joſuæ*, velut quorundam ex iis expoſitionem, lege 1 *Chron.* 9. Ut autem Textus varii, & Capitum horum partes in libro *Chronicorum* diſponantur juxta propria tempora, utque qui iſtic homines nominantur cum hiſtoriâ ſuâ ad ætatem, quâ vixerunt, referantur; id verò non difficile tantum foret, modò & poſſibile eſſet, ſed confuſione quoque præſens opus turbaret. Solidus Commentarius in *priorem Chronicorum librum*, res magni pretii ſit, & utilis huic aliiſque ſeriis conatibus.

LIBER JUDICUM.

2570 Iber *Judicum* hiſtoriam continet annorum 299. à morte *Joſuæ* ad mortem *Samſonis*, qui ita colliguntur.
Othniël è *Judâ*, 40. annis, *Jud.* 3: 11.
Ehud è *Benjamine*, 80. annis, *Jud.* 3:15,30.
Samgar.
Barak è *Naphtali*, 40. annis, *Jud.* 4: 6. & 5: 31.
Gideon è *Manaſſe*, 40. annis, *Jud.* 6:15, & 8: 28.
Abimelech filius *Gideonis*, 3. annis, *Jud.* 9: 22.
Tola ex *Iſſachare*, 23. annis, *Jud.* 10: 1,2.
Jair è *Manaſſe*, 22. annis, *Jud.* 10: 3.
Jephta è *Manaſſe*, 6. annis, *Jud.* 11: 1. & 12: 7.
Ibſan è *Judâ*, 7. annis, *Jud.* 12: 8,9.
Elon è *Zebulone*, 10. annis, *Jud.* 12: 11, 12.
Abdon ex *Ephraimo*, 8. annis, *Jud.* 12: 13,14.
Samſon è *Dane*, 20. annis, *Jud.* 13: 2. & 15: 20. & 16: 31.
Summa integra, 299.

Jam præter hoſce annos ſub Judicibus his, mentio quoque fit annorum 111. ſub oppreſſoribus; veluti ſub
Cuſane Riſathaimorum, 8. annorum, *Jud.* 3: 8.
Eglone è *Moabo*, 18. annorum, *Jud.* 3: 14.
Jabine è *Canaane*, 20. annorum, *Jud.* 4: 3.
Midiane, 7. annorum, *Jud.* 6: 1.
Ammone, 18. annorum, *Jud.* 10: 8.
Philiſtæis, 40. annorum, *Jud.* 13: 1.
Summa integra, 111.

Verum hi anni oppreſſorum, annis Judicum includendi ſunt; non autem velut totidem anni ſeparatim conſiderandi. Cum itaque dicitur, *Cap.* 3. *Cuſan Riſathaimorum* oppreſſit octo annis, *verſ.* 8. *& terra quievit annis quadraginta, & mortuus eſt Othniël*, *verſ.* 11. illi octo anni oppreſſionis *Cuſanis* includi debent annis quadraginta *Othniëlis*; non verò pro octo diſtinctis habendi. Sic octodecim anni *Eglonis* includendi ſunt annis octoginta *Ehudis*, & ita in cæteris. *Paulus* equidem annos *Judicum* ſic computat, ut annos oppreſſorum ab illis diſtinguat, *Act.* 13:20. ubi Judicibus attribuit annos quadringentos & quinquaginta uſque ad *Samuelem*: verum effert illud addito ὡς, *modo quodam*, ſive quâdam ſupputandi ratione; non autem exactè & præciſè. Rurſus, ubi dicitur, *Terra quieſcebat annos quadraginta tempore Othnielis*, *Cap.* 3: 11. *Et quieſcebat octoginta annos tempore Ehudis*, *Cap.* 3. *verſ.* 30. non ita intelligi debet, quaſi anni quadraginta vel octoginta in pace non interruptâ continuati ſint; nam *Othnielis* tempore *Iſraël* colluctatus eſt cum *Canaanæis*, *Cap.* 1. & ipſe ſecum, *Cap.* 20. & tempore *Ehudis* infeſtati ſunt per *Moabum*, *Cap.* 3: 14. Sed ita eſt accipiendum, terram poſt liberationem per *Othniëlem* quieviſſe, donec quadraginta anni poſt mortem *Joſuæ* finiti erant; & poſt liberationem per *Ehudem* terram quieviſſe, donec anni octoginta completi erant poſt mortem *Othniëlis*; & conſimiliter in cæteris, in quibus eadem loquendi ratio occurrit. Eodem ſenſu accipienda eſt iſta phraſis, *Num.* 14: 33. *Filii veſtri oberrabunt in deſerto annos quadraginta*; & *verſ.* 34. *Pro numero dierum, quibus exploraſtis terram, quadraginta dierum (ſingulis diebus acceptis pro annis ſingulis) feretis iniquitates veſtras, quadraginta annos.* Non quod aberrandum illis eſſet in deſerto plenos quadraginta annos ab eo tempore, quo hoc enuntiatum fuit: ſed expleri debebant quadraginta anni ab eo tempore, quo ex *Ægypto* fuerant egreſſi. Et ſimilia alia in Scripturâ licet obſervare. Primi quadraginta anni, qui annum, in quo deceſſit *Joſua*, inſecuti ſunt, gubernationi *Othnielis* adſcribuntur, *Jud.* 3: 11. Non quod *Othniël* ſolus Judex vel Monarcha in iſtâ terrâ fuerit: *Sanhedrin* enim, ſive Concilium magnum obtinebat regimen locis ſuis, & inferiores Magiſtratus itidem ſuis: ſed quod *Othniël* fuerit fortis & felix Dux in bellis, atque operatus ſit populo inſignem liberationem.

Quæ illius tempore complura contigerunt, non habent annos ſuos exactè ad-

Digitized by Google

Mundi | Cap.

adſcriptos, ideoque juxta Chronologiæ leges ſuo tempore circumſcribi nequeunt, ſolâque conjectura & probabilitate niti neceſſe eſt. Id autem ſufficiet ad veram conceptionem Chronicorum, ſi ea quæ quadraginta hiſce annis facta ſunt, generaliter ad annos hos quadraginta referamus, quanquam ſingulas res geſtas proprio ſuo anno definire haud poſſumus.

JUDICUM CAP. I.

2571 1 ISraël per *Joſuam* ante obitum certior factus, *Canaanæos*, qui in terrâ adhuc re-
2 liqui erant, ſubjugandos, *Joſ.* 23: 5. quærit ex *Urim & Thummim*, quis primus
3 in hoſtem iret; cujus cœpti ſucceſſus plurimum erat momenti allaturus ad inimico-
4 rum animos vel deprimendos vel attollendos, prout illud ſeſe daret. Ad hoc electa
5 eſt regia Tribus *Juda*, conſtituto *Calebo Jephunnæ* filio belli Duce in iſtâ Tribu,
6 donec hujus ſenectus, & *Othnielis* fortitudo muneris in *Othnielem* transferendi cauſa
7 fuere. *Simeon* in hac expeditione *Judæ* junctus fuit, qui in poſſeſſione illi immix-
8 tus, *Joſ.* 19: 1. Bella *Canaanæorum* inteſtina viam fecere victoriis *Iſraelis*: *Juda*
9 namque reges ſeptuaginta devicit in victoriâ de *Adonibezeko*: ducunt tyrannum
10 uſque ad *Hieroſolymam* ad majorem *Jebuſæorum* terrorem, ibique occidunt; ur-
bem verò diſpoliant atque accendunt. Hiſtoria captæ *Hieroſolymæ* propriâ ſede hic eſt locata; quanquam enim rex prælio fuerat fuſus in agro, *Joſ.* 10. urbs tamen needum capta erat, & neque ipſa, neque ulla urbs alia tempore *Joſuæ* fuit combuſta, niſi *Jericho*, *Ajum* & *Hazor*, *Joſ.* 6: 24. & 8: 28. & 11: 11. Ideoque verſus octavus ita legendus; *Filii Iſraelis bellum gerebant adverſus Hieroſolymam, ceperuntque illam, & percuſſerunt, &c.* neutiquam verò quaſi id antea eſſet factum, *jam filii Iſraelis bellum geſſerant.*

Hebron & *Debir* captæ per *Calebum* & *Othnielem Calebi* patruum, ſed illo minorem natu: ita enim iſta verba אחי כלב הקטן ממנו intelligi debent; *Et Othniel filius Kenazi, agnatus Calebi, illo junior cepit eam.* Nam *Othniël* & *Jephunne*, *Calebi* pater, fratres fuère, filii ambo *Kenazi.* vide *Num.* 32: 12. & 1 *Chron.* 4: 13, 14, 15.

Hebron & *Debir* captæ fuerant à *Joſua* primo horum bellorum, vel ſecundo anno, *Joſ.* 10: 36, 37, 38, 39. Anno autem ferè ſeptimo ille repurgavit rurſus hæc loca à *Canaanæis* & *Anakæis*, qui medio tempore turmatim illa pervolitarant, *Joſ.* 11: 21. Ubi vero terra cœpta eſt dividi, *Calebo* attribuit *Hebronem*, *Joſ.* 14. Poſt illam ſortitionem jam decem vel duodecim anni præterierant, & per totum hoc ſpatium adminiſtratio publica conſumpta fuerat in diviſione terræ, & introductione cujuſque Tribus in poſſeſſionem ſuam; adeo ut *Calebo* parum hactenus à publico otii fuerit; aut ſi quod eſſet, tamen cum omni ſuo robore, quod ſeorſim à publico poteſt conficere, infirmior eſt, quam ut deſtinatam ſibi ſedem conſtabiliret, *Canaanæis* adverſus illum adhuc incrementum capientibus; donec jam tota Tribus *Judæ* & *Simeonis* ſuſciperent cauſam *Calebi* fungentis inter illos munere ſupremi Ducis: quo tempore capit *Hebronem*, & *Debirum*, ac *Anakæos Canaanæoſque* ita radicitus extirpat, ut repullulare iſtic deinceps nequiverint.

Othniel uxorem ducit nepotis filiam, & obtinet cum ipſa hæreditatem terræ, quamvis tres illa fratres haberet, 1 *Chron.* 4: 15.

Familia *Jethronis* (qui *Kenæus* dictus, quia regionem inhabitavit, quæ *Kajinum* dicebatur, *Num.* 24: 22.) aſcenderat cum *Joſua* & *Iſraele* in terram *Canaanis*, conſederatque circa *Jerichuntа*, civitatem palmarum, in Tribu *Judæ*; & remanſerat ibi ad hoc uſque tempus: ubi vero *Juda* portionem ſuam jam ab inimicis perpurgaverat, inque colonias dilatari incipiebat, *Kenæi* una digrediuntur, & ſedem figunt ad meridiem in oris *Amalekitarum*: unde eſt quod *Saulis* tempore cum iis mixti inveniantur, 1 *Sam.* 15: 6. Hi *Kenæi* radix fuère *Rechabæorum*, *Jerem.* 35. 1 *Chron.* 2: 55.

Juda expugnat *Hormam Simeoni*, ſibi autem *Azzam*, *Askelonem & Ekronem*; ſed *Philiſtæi* mox recuperant poſteriores tres civitates, *Cap.* 3: 1, 2. Variæ Tribus conantur ſe conſtabilire in ſuis poſſeſſionibus; verum non fuère ſolliciti ut ſtirpem *Canaanæorum* evellerent, ſed paſſi ſunt ut viverent in medio ipſorum, atque ita ſe expoſuerunt periculo corruptionis per illos, & mandati Divini non fuere memores, quo juſſi erant diſperdere eos penitus, minimèque parcere.

JU-

Mundi Ordinis

JUDICUM CAP. II. *ad verſ.* 11.

2581 11 IDcirco factum eſt, ut *Chriſtus* ipſe aſcenderit è Caſtris *Judæ Gilgale* ad populum,
12 qui ad celebritatem aliquam coïerat *Siunte* aut *Bethele*, planèque illis edicat, ſe
13 non amplius victorias illis largiturum. Obtulerat ſe *Joſuæ*, ut qui duceret exerci-
14 tus in omnibus bellis, & ſic etiam fecerat, *Joſ.* 5:14. Fuerat cum *Judâ*, &
15 victorem fecerat, ad id uſque tempus, quo ipſe etiam pepercit *Cananæis*, & incolas
16 convallis metu an ſocordia illic ſivit incolere. [כי לא להוריש: *Cap.* 1:19. qui va-
17 riam conſtructionem patitur; vel *nolebat*, vel *nequibat*, vel *non audebat illos expellere*]
18 Tunc itaque Dux exercituum Domini, Angelus Fœderis, qui duxerat illos ex
19 *Ægypto* uſque ad hunc locum, ab illis recedit, quod toti populo juſtam cauſam
20 plorandi præbuit; & locum appellarunt *Bochim*. Quo porrò modo populus di-
21 miſſus ſit à *Joſua*, quâ is tum fuerit ætate, & quomodò mortuus tandem ſit, ac
22 cum eo tota illa generatio, id omne eſt hoc loco expoſitum: ut ita futuræ hiſtoriæ
23 fundamenta commodius jaciantur; tempuſque illud, quo populus degenerare ince-
24 pit, accuratius obſervetur.

JUDICUM CAP. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI.

25 POſt Verſum decimum Capitis ſecundi locus proprius & ordo eſt horum Capitum: quanquam enim ad Libri extrema rejecta ſunt, res tamen illic deſcriptæ contigerunt etiam in principio impietatis illorum, poſt *Joſuæ* & ſeniorum deceſſum. Ad cujus rei commodiorem evictionem utile fuerit conſiderare, primo quidem rerum inibi narratarum connectionem mutuam; deinde vero cauſam, cur unumquodque illorum ita tranſponi debuerit.

JUDICUM CAP. XVII.

IDololatria in *Iſraële* per mulierem eſt cœpta, & quidem in *Ephraimo*, ubi poſtea per *Jeroboamum* lege fuit ſtabilita. *Micæ* mater ſiclos mille & centum conſecrat conficiendo Idolo, quorum nongenti materiæ, ducenti operi ſunt impenſi. Erigit id *Mica* domi propriæ in ſuum & viciniæ uſum. Originalis Textus appellat illum *Micajahu*, parte nominis *Jehova* illius nomini affixa, quamdiu imaginem nondum erexerat: exinde autem, ſcil. à *verſ.* 5. *Micam* dicit.

JUDICUM CAP. XVIII.

26 D*Anitæ Micæ* Idolum ſuum eripiunt, eriguntque publicè in ſuâ Tribu; ubi *Jeroboam* poſteà unum ex vitulis collocavit. Hujus cauſâ Idololatriæ publicæ, primùm in Tribu *Danis* cœptæ, Tribus hæc inter obſignatos Domini non nominatur, *Apoc.* 7. Pronepos *Moſis* eſt primus Sacerdos Idololatricus; at *Moſis* nomen eſt ſcriptum מנשה, *Manaſſe*, litera נ voci ſupernotatâ, partim ad honorem Moſis demortui, partim quia hujus ſui nepotis actiones ſimiles erant *Manaſſis* Regis *Judæ*.

JUDICUM CAP. XIX.

27 I*Sraël* tolerat hanc Idololatriam, neque ejus cauſâ ſe vel adverſus *Micam*, vel adverſus *Danitas* commovet: quæ illorum negligentia omnis iniquitatis fons & origo eſt; adeo ut *Gibea* civitas *Iſraëlis* æque ſit facta abominabilis ac *Sodoma*. Mulier ſcortatrix per ſcortationem enecta eſt.

JUDICUM CAP. XX.

OMnis *Iſraël* it adverſus *Gibeam*, idque expreſſo Dei mandato: & nihilominus illic cæſa ſunt quadraginta illorum millia per civitatem illam impiam, perque Tribum, quæ illius cauſæ ſe miſcuerat. Ita nimirum ultus eſt Deus propriam cauſam contra *Iſraelem*, quia *Iſrael* detrectaverat ulciſci cauſam Dei contra Idololatriam: Valdè afficiebantur injuriâ meretrici illatâ *Gibeæ*, injuriam verò illatam Deo per

Mundi | Othnielis

Danis Idololatriam nihil morantur. Poſtquam Deus hunc in modum uſus erat *Benjamine* ad exequendum judicium ſuum contra *Iſraëlem* ob non punitam Idololatriam, utitur porro *Iſraële* ad puniendum *Benjaminem* ob *Gibeam* judicio non per-
2597 27 miſſam. Veriſimile eſt *Othnielem* ſupremi Ducis officio hic functum; *Phineas* autem hoc in negotio plenus eſt zeli, ut in alio haud abſimili antea, *Num.* 25. *Benjamin* nunc eſt *Benoni*, filius mœroris; & non defuit *Racheli* cauſa deflendi filios ſuos.

JUDICUM CAP. XXI.

HAdad Rimmon, *Zach.* 12:11. ſive *triſtis planctus Rimmonis*. Alludit hic Propheta ad duas ingentes & univerſales Lamentationes *Iſraëlis*; quarum una habita fuit circa petram *Rimmonis*, ubi integra Tribus jam redacta erat ad viros 600. unde & ipſi victores facti ſunt mœrentes: altera fuit in convalle *Megidduntis* ſuper morte *Joſiæ*. Prior principio illorum reipublicæ accidit, poſterior appetente fine. *Jabeſum Gileadis* ob affectum erga *Benjaminem* perditum: ambo ex *Joſepho* fuêre, & ambo ſub uno vexillo. *Benjamin* lupi inſtar uxores rapit. Ita בנות צעדה עלי שור, filiæ *Joſephi*, *Gen.* 49:22. *eunt ad hoſtem & reparant* inclinatam Tribum, quando filiæ *Siluntis* in *Ephraimo* & *Jabeſi* in *Manaſſe* ſuppeditant *Benjamini* hoſtili Tribui uxores, alioquin peſſum ituræ. Atque ita hiſtoria horum Capitum nexu perpetuo cohæret.

Principium autem libri *Judicum* eſſe tempus & locum proprium harum hiſtoriarum, ex hiſce rationibus colligi poteſt.

I. *Danitæ* necdum ſedem ſtabilem habebant, quando ea contigerunt, quæ Capitibus decimo ſeptimo & decimo octavo narrantur; ideoque diu poſt mortem *Joſuæ* accidiſſe non poſſunt.

II. *Phineas* erat ſuperſtes prælio *Gibeæ*, *Cap.* 20:28.

III. Impietas *Gibeæ* habetur pro prima illorum impietate, *Hoſ.* 10:9.

IV. *Debora* loquitur de 40000. *Iſraëlis*, quæ cæſa ſunt per *Benjaminem*, ac ſi neque gladius, neque ſpiculum inter illos fuiſſet, *Jud.* 5:8.

V. *Mahane Dan*, vocabulum quod loco adhæſit ex profectione *Danitarum*, quando Idololatriæ ſuæ initium fecerunt, *Cap.* 18:12. Nominatur id in hiſtoriâ *Samſonis*, quanquam hæc hiſtoria præmittitur hiſtoriæ profectionis illorum, *Cap.* 13. *verſ.* 25.

VI. *Dan* omiſſus eſt inter obſignatos Domini *Apoc.* 7. quia Idololatria in hâc Tribu primum eſt cœpta, uti dictum eſt ſupra.

VII. *Ehud* credi poteſt fuiſſe unus ex *Benjaminitis* præcludentibus dextram ſuam; & unus ex iis, qui evaſerunt in petram *Rimmonis*, *Cap.* 20:16. *& Cap.* 21.

Ratio autem, cur Spiritus Sanctus has hiſtorias, quæ tam maturè contigerunt, ſede tam ſerà locarit, exiſtimari poteſt fuiſſe hujuſmodi.

1. Ut lector, obſervans regimen illorum politicum ceſſaviſſe in morte *Samſonis*, qui *Danita* fuit, ſimul & juſtitiam Dei in eo contempletur, quod illorum Religio primò ceſſaviſſet inter *Danitas*.

2. Ut obſervans millenos centenos ſiclos argenti, qui ab unoquoque Satrapâ *Philiſtæo* dati fuêre pro interitu *Samſonis*, *Cap.* 16:5. ſimul obſervet quoque millenos centenos ſiclos argenti, quos *Micæ* mater dederat pro confectione Idoli, quod Religionem in Tribu *Samſonis* peſſundedit.

3. Ut hiſtoria *Micæ* ex montanis *Ephraimi*, primi corruptoris Religionis; & hiſtoria *Samuelis* ex montanis *Ephraimi*, primi reformatoris Religionis, paulo collocarentur invicem propiores.

JUDICUM CAP. II. *à verſ.* 11. *ad finem.* Et CAP. III. *ad verſ.* 11.

2598 28 ABſolutis his hiſtoriis, regreditur hiſtoria ad *Cap.* 2:11. refertque diſperſionem
29 Idololatriæ per omnes Tribus, ut per Tribum *Danis* factum fuerat; itemque
30 perditionem *Iſraëlis* per conjugia promiſcua cum maledictis *Canaanæis*. Qui pri-
31 mus populum afflixit, fuit *Cuſan Riſathaimorum Meſopotamius*, qui illos op-
32 preſſit octo annos. Veriſimile autem eſt, irrupiſſe illum in Tribus iſtas, quæ ſitæ
33 erant trans *Jordanem*, ut ſuis terris proximas, eaſque tot annos continuos poſſe-
diſſe

Mundi | Ehudis

diſſe, & in eas, quæ cis *Jordanem* erant, per gradus ita ſe ingeſſiſſe, prout vires & occaſio ferebant. Sed *Othniel* ex *Judâ* implet prophetiam, *Judam fore catulum Leonis, &c. & ſic tentorium Cuſanis deventurum in aſſlictionem, &c. Hab.* 3: 7. Conſideratio & obſervatio, quod externus oppreſſor omnium primus, qui *Iſraëlem* in terra propria conturbavit, vir fuerit ex *Aram Naharaim*, ſive *Meſopotamius*, non poteſt quin menti objiciat ea, quæ *Labanem* inter & *Jacobum* illic loci interceſſerunt; eſtque res conſideratu digna, & quæ miri quid habere videtur, quo pacto & quare vir ex iſta potiſſimum regione poſteros *Jacobi* ita opprimeret.

JUDICUM CAP. III. *verſ.* 11.

2610 40 OThniël moritur.

JUDICUM CAP. III. *à verſ.* 12. *ad finem.*

2611 1 INitium capiunt anni octoginta *Ehudis*; non quod ſine intermiſſione tam diu rem-
2 publicam rexerit, vel ullo ſenſu tam diu populo præfuerit; nam octoginta anni
3 tota erant hominis vita: ſed quod numerarentur anni octoginta ab *Othnielis* morte:
4 & quod *Ehud*, poſtquam liberaverat *Iſraëlitas* ab *Eglone*, Judex & Generalis illo-
5 rum fuerit reliquâ vitâ; non Monarchæ inſtar, nam *Sanhedrin* imperium tenebat;
6 ſed tanquam ſupremus Imperator, paratus ad gerenda bella, ſi inſurgerent quicun-
7 que hoſtes; paratus itidem ad docendum ducendumque populum in viis Domini,
8 ut antè de *Othniële* eſt annotatum. De *Othnielis* tempore dictum eſt, *terra quievit*
9 *annis quadraginta, & mortuus eſt Othniel*; unde liquet, numerari annos quadra-
10 ginta ad mortem *Othniëlis*. Ita *Cap.* 12. *Ibſan judicavit ſeptem annis, & mortuus*
11 *eſt*: *Elon judicavit decem annis, & mortuus eſt*: *Abdon judicavit octo annis & mor-*
12 *tuus eſt, &c. Samſon* judicavit viginti annis, qui morte illius terminantur: & ita
13 neceſſe eſt ut cogitemus de hiſce annis octoginta *Ehudis*, eos ſcil. ſimiliter morte ejus
14 terminari; & idcirco non rectè concipitur, octo annos afflictionis *Cuſanis* fuiſſe ul-
15 timos octo annos de *Othnielis* quadraginta; vel octodecim annos afflictionis *Eglonis*
16 fuiſſe ultimos octodecim annos de *Ehudis* octoginta: ita enim *Othniel* & *Ehud* excitati
17 fuerint in ipſo fine annorum, qui modo ſunt definiti, & victoriâ potiti ſint, & nihil
18 præterea, quod memorari mereatur, egerint: cum appareat non tantum ex annis
19 illorum, quos paulo ante allegavimus, & ex *Cap.*2. ſed ex aliis quoque locis, Judi-
20 cem non tantum fuiſſe illorum vindicem in belli certamine aut re ſimili, ſed inſtructo-
21 rem etiam, & qui omni ope nitebatur, ut retineret illos in timore Domini, *Cap.*
22 2: 17. quod ſi quis Judex negligebat, notatus de eo invenitur, ut *Gideon* de ſuo ami-
23 culo, *Abimelech* de ſuis fratribus, *Samſon* de ſuis fœminis: adeo ut incertum ſit,
24 neque ad rem magnoperè pertineat, in quod tempus illorum octoginta annorum *Ehu-*
25 *dis* referendi ſint anni octodecim afflictionis *Eglonis*; dummodò pro certo habeatur,
26 illos annis iſtis octoginta comprehendi. Bonum temporis ſpatium dandum eſt lap-
27 ſui *Iſraëlis* in Idololatriam poſt exceſſum *Othnielis*, & judicio, quo tradidit illos
28 Deus in poteſtatem hoſtium, ubi in Idololatriam lapſi erant: ſed quandocunque in-
29 gruerit illa afflictio, invadit illos ita duriter, ut Rex *Moabi* fiat Rex *Iſraëlis*, & ip-
30 ſam ſuam aulam & palatium habeat in terra *Canaanis*, in civitate *Jerichuntis*. Urbs
31 iſta ante *Eglonem* habitabatur ab *Iſraëlitis*: ſed *Eglonis Moabitæ*, *Ammonitæ* &
32 *Amalekitæ* illos expulerunt, neque tamen maledictio *Joſuæ* in ipſos inciderat: ea
33 enim tantummodò pertinuit ad *Rahabæ* ſtirpem & familiam, quibus ita interdi-
34 ctum fuit in perpetuum, ne quis ex iis urbem illam iret reædificatum & munitum, ut
35 iterum eſſet urbs *Canaanæorum*; unde factum eſt, quando *Hiel*, qui ex illa ſtirpe erat,
36 tempore *Achabi* manum iſti operi admovebat, ut maledictio iſta illi incubuerit, ſicut
37 ibi attingetur. Oppreſſores *Iſraëlis* hoc tempore erant illæ ipſæ nationes, quæ vene-
38 runt adverſus *Joſaphatum*, 2 *Chron.* 20. ſcil. *Moabitæ*, *Ammonitæ* & *Mehunimmonitæ*
39 i. e. *Amalekitæ* & *Edomitæ*, qui promiſcuè cum *Ammone* incolebant, quemadmo-
40 dum, ubi eò ventum fuerit, annotabitur. Ii verò, de quibus hic ſermo eſt, pleríque
41 erant viri pingues, *verſ.* 29. ut vel maximè ipſe *Eglon*. *Ehud* erat vir è *Benjamine*, &
42 probabiliter è *Gibeâ*; erat enim ex eadem familia in *Benjamine*, è qua poſtea Rex *Saul*;
43 atque ita honor *Benjamini* nonnihil reſtitutus eſt in illo: & quemadmodum *Juda* in
44 *Othniële* primum honorem obtinuit muneris *Judicis*, ita *Benjamin* in *Ehude* ſecun-
45 dum. *Eglon* periit gladio ancipiti, confer *Apoc.* 1: 16. Circa extrema vitæ *Ehudis* aliqua

omnino

Mundi | Deboræ

omnino videntur accidiſſe, quæ narrata comperiuntur in Libro *Ruthæ*: iſte enim liber hiſtoriam continet temporis benè longi: ſed quo loco in Libro *Judicum*, quo item tempore in *Chronicis* diſponi debeat unaquæque illarum narrationum, id verò neque invenire eſt neque determinare.

2690 *Ehud* moritur.

LIBER RUTHÆ.

QUod attinet ad ſcopum hiſtoriæ Libri *Ruthæ*, & temporis ejuſce determinationem, non abs re fuerit iſta expendere.

I. *Salmonem*, qui cum *Joſuâ* terram ingrediebatur, duxiſſe *Rababam*, èque illa ſuſtuliſſe *Boazum*, qui duxit *Rutham*, *Matth.* 1: 5.

II. Ab ingreſſu *Salmonis* in terram illam uſque ad natum *Davidem* effluxiſſe annos 366. videlicet 17. *Joſuæ*, 299. *Judicum*, 40. *Eli*, & 10. *Samuelis*: & tamen longum illud ſpatium temporis comprehenſum eſſe ætatibus quatuor hominum, ſcil. *Salmonis*, priuſquam genuerat *Boazum* ex *Rababa*; & *Boazi*, priuſquam genuerat *Obedum* ex *Ruthâ*; & *Obedi*, priuſquam genuerat *Jeſſen*; & *Jeſſæ*, priuſquam genuerat *Davidem*: adeo ut neceſſe ſit ſingulis aſcribere annos ferè centum, antequam filium quiſque ſuum genuit.

III. Ab ingreſſu in terram *Canaanis* ad mortem *Ebudis* fuiſſe annos 137.

IV. Jam ſuppone vixiſſe *Rababam* in terra *Iſraëlis* annos ſexaginta, antequam peperit *Boazum* ex *Salmone*; & *Boazum* vixiſſe annos centum, antequam *Ruthæ* junctus fuit, quæ ſuppoſitio utraque ſanè magna eſt; tamen *Boazi* & *Ruthæ* conjugium contigerit annis poſt mortuum *Ebudem* non amplius quam tribus: Adeo ut hic *Ruthæ* Liber inſeri poſſit inter tertium & quartum Caput Libri *Judicum*.

Liber *Ruthæ* ſpectandam præbet magnam Dei providentiam, in producendo lucem ex tenebris: *Rutha* mater Chriſti ex inceſtu *Loti*. Peculiaris nota ſupra ובקומה in hiſtoriâ filiæ *Loti* natu maximæ, cubantis cum patre, *Gen.* 19: 33. & peculiaris nota in literâ majuſculâ vocis ליני in hiſtoria *Ruthæ* accedentis ad lectum *Boazi*, *Ruth.* 3: 13. videntur ſe mutuò reſpicere, & ſimul referri ad eam, de qua dixi, providentiam. *Boaz* natus ex muliere gentili, & idem nuptus mulieri gentili; ſed utraque ſit *Iſraëlita* & ſancta. Poſt lectum *Ruthæ* Librum, Lector & hiſtoria retrogrediuntur ad quartum Caput *Judicum*.

JUDICUM CAP. IV. V.

2691 1 ANni quadraginta *Deboræ* & *Baraci* initium capiunt. *Iſraël* poſt *Ebudis* mortem
2 recidit in antiquam Idololatriam, ob eamque cauſam non diu pòſt oppreſſioni
3 ſubjicitur. *Samgar* obtinet pro illis mirabilem victoriam, ſed quæ ad plenam
4 liberationem non perducitur. *Debora* mulier ex *Ephraimo* poſt eum ſurgit, & po-
5 pulum judicat Prophetiſſa, & Spiritu Prophetiæ excitat *Baracum* ex *Naphthali* ad
6 pugnandum adverſus *Siſeram*, quem ille ſuperat cum exercitu facto ex *Galilæis*:
7 ſed ipſe *Siſera* cadit manu mulieris Proſelytæ. *Tum Debora & Barak canticum cecine-*
8 *runt*. Hic vir è *Naphthali* profert verba elegantia. Enarrant triſtem rerum ſtatum in
9 *Iſraële* temporibus *Samgaris* & *Jaëlis* ante obtentam de *Siſerâ* victoriam; ſic ut ho-
10 mines non auderent uti viis publicis, nec in pagis vel vicis habitare præ metu ho-
11 ſtium. Homines divites & elegantiores ſoliti aſinas nitidas equitare, non aude-
12 bant in viam ſe dare his temporibus, neque judices conſidere in judicio, veriti hoſtium
13 incurſiones; neque audebat populus ad ſuburbanos puteos commeare hauſturi aquam
14 propter timorem ſagittariorum hoſtilium. At nunc his omnibus loqui licet de operi-
15 bus Dei erga pagos derelictos & loca vaſtata, quæ pertinebant ad judicia in portis: illa
16 enim omnia reſtituta ſunt proprio uſui. De eo autem, quod Dominus reliquiis ſui po-
17 puli dominium conceſſerit in hos potentes, qui antea in illos imperium obtinuerant;
18 conſiderandum eſt, *Joſuam* ex *Ephraimo* præiviſſe eventu conſimili, ſua de *Amaleko*
19 victoriâ, *Exod.* 17. & nuper *Ebudem* ſuperatis *Amaleko*, *Moabo* & *Ammone*. Et
20 ita nunc incitârat Dominus animos populi ad pugnandum prælia Domini, ut viri
21 optimæ notæ, quique à bellicis ſtudiis erant remotiſſimi, valdè tamen prompti
22 fuerint ad ſubeundum periculum iſtiuſmodi certaminis; ut Legiſlatores *Machiris*,
ſive dimidiæ partis *Gileadis*, venerint, quamvis trans *Jordanem* incolerent, Scribæ
item *Zebulonis* & Principes *Iſſacharis*. Cæterum *Reuben* & altera dimidia *Gileadis*

pars

Mundi | Gideonis

pars ad alteram *Jordanis* ripam, & *Dan*, qui à loco prælii haud procul aberant,
remanſerunt domi, privataſque ſuas occupationes publicis prætulerunt. Id autem,
quod Dominus in prælio eſt conſpectus, idque per nimbos & tempeſtates è Cœlis,
32 ac ſi ipſa ſidera pugnarent adverſus hoſtes, perditionem illorum feſtinat, ut fecerat
33 in gratiam *Joſuæ* & *Iſraëlis* in valle *Gibeonis*; adeo ut *Kiſon torrens antiquitatum illo-*
34 *rum* נחל קדומים, quo olim ad plurimam Idololatriam abuſi fuerant, nunc factus
35 ſit illorum pernicies, & præcipites illos abſtulerit, qui ejus aquas vanè, impiè &
36 ſtolidè adorarant, &c. *Merozo*, civitati *Galilææ*, quæ loco prælii valde erat pro-
37 pinqua, neque tamen auxilio venerat, conſilio degeneri inter partes media, acerbè
38 maledicitur; *Jaëli* contra benedicitur eximiè. Cives *Merozi* nil boni præſtiterunt
39 *Iſraëli*, quanquam *Iſraëlitæ*; *Jaël* verò, quamquam *Kenæa*, & ita alienigena, tan-
40 tum boni præſtitit.

JUDICUM CAP. VI. VII. VIII.

2731. 1 GIdeonis anni quadraginta initium capiunt; fitque eorum mentio *Cap.* 8:28.
2 *Iſrael* rurſus per pacem corrrumpitur, & à morte *Deboræ* fit Idololatricus;
3 quamobrem Dominus, ubi opportunum fuit, eos vendit traditque in manum
4 *Midianitarum* in miſerabilem ſervitutem annorum ſeptem. Hi agunt cum illis acer-
5 bius crudeliuſque, quam ulli hoſtes hactenus fecerant; nimirum ex antiqua vin-
6 dictæ cupidine, quæ ab iſta gente adverſus *Iſraëlem* concepta, jam inde à cæde
7 tempore *Moſis* facta, *Num.* 31. nunc erumpit; & nacta poteſtatem ulciſcendi,
8 immiſericorditer exundat. *Iſraël*, cum ad Deum confugiſſet, triſte ab illo nun-
9 tium per Prophetam recipit; neque tamen Dominus populum abnegat. *Gideon*,
10 dum concutit triticum, jubetur concutere *Midianem*. Ipſe Angelum conſpicit,
11 & miraculum, quo confirmatus audet patris ſui Idololatriam deſtruere. Adeo non
12 correctus fuerat *Iſraël* ſub afflictione ſua, ut retineat hactenus ſua Idola. Mentio
13 fit juvenci ſeptennis, ſaginati *Baalis*, ut appareat, toto ſeptennio, quo *Midian* il-
14 los calamitate preſſit, adhuc cogitaſſe eos & paraſſe, quæ ad Idola pertinerent. *Gi-*
15 *deon* offert juvencum illum Deo, ſacrificium miræ & variæ diſpenſationis, oblatum
16 noctu, loco communi, à perſona privata, adhibitis lignis è luco Idololatrico,
17 ipſumque Idolo deſtinatum: quæ tamen oblatio ex fide fuit, atque ita accepta. *Gi-*
18 *deoni* ex deſtructione *Baalis* nomen adhæſit *Jerubbaalis*. Aliud etiam ſignum oſten-
19 ſum ei eſt in madido & ſicco vellere, quod vera *Iſraëlis* imago fuit, madidi rore do-
20 ctrinæ Divinæ, quando totus mundus reliquus erat ſiccus: nunc verò ſicci, quando
21 totus mundus reliquus eſt madidus. Per trecentos viros, qui *è torrente ſecus viam bibe-*
22 *bant, capite elato*, ut eſt *Pſalm.* 110. *Et portabant faces in vaſis teſtaceis*, ſuperat *Midia-*
23 *nem*, ut *Jericho* fuerat victa ſolo clamore & conſternatione. Circumferunt luminaria
24 in hydriis, aut id genus vaſis teſtaceis, adeo ut nullum lumen apparuerit, uſque dum
25 caſtra tota circumdediſſent; tunc enim ſubito clanxerunt, & confregerunt hydrias, &
26 protulerunt luminaria ſua: adeo ut tam clangore ſubito, quam improviſis luminari-
27 bus corda *Midianitarum* concuſſa trepidarint: æque ac vela tentoriorum fecerant in
28 viri ſomnio de pane hordeaceo: vide *Hab.* 3:7. *Oreb* & *Zeb* capti cæſique, & viri
29 120000. *Zeba* etiam & *Zalmuna* à perſequi juſſis capti; illorum autem exercitus
30 virorum 15000. diſperſus eſt. *Gideon* ex cimeliis ſpoliorum amiculum conficit, ſta-
tuitque in civitate propria; quod cauſa Idololatriæ fuit *Iſraëli*, illi verò ipſi nominis
40 *Jerubboſeth*, 2 *Sam.* 11:21.

JUDICUM CAP. IX.

2771 1 ABimelech rapit imperium, cæſis ſeptuaginta fratribus ſuis. *Jotham* in monte
2 *Gerizimorum*, monte benedictionis, denuntiat maledictionem in illum & *Seche-*
3 *mum*, quæ impleta eſt: *Abimelech* enim *Sechemum* deſtruit, & ipſe percuſſus eſt gladio
& lapide, uti ſeptuaginta ſuos fratres percuſſerat gladio ſuper lapidem. *Sechemum* rur-
ſus conſtituitur miſerabile theatrum ſanguinis, quemadmodum antè fuerat,
Geneſ. 34.

Anni Mundi | Jud.

JUDICUM CAP. X. *verſ.* 1, 2.

2774 1 T*Ola* ex *Iſſachare* Judicis munere fungitur annis viginti tribus. Nomen gerit
2 primogeniti *Iſſacharis*, *Gen.* 46:13. Dicitur habitaſſe *Schamire*, in montanis
3 *Ephraimi*, qui locus pro *Samaria* haberi poteſt; atque ita egit prope illum locum, ubi
4 nuper ſtrages & deſtructio fuerat facta per *Abimelechum*. *Sechemum* uſque à tempore
5 *Joſuæ* deſignatum erat Metropolis *Iſraelis*, donec *Jeruſalem Davidis* tempore iſtam
6 dignitatem obtinuit: etenim cum *Joſeph* habitus fuerit pro primogenito, hæc verò
7 urbs pro primariâ *Joſephi*, venit illi hæc dignitas & eminentia ex jure: nunc vero
8 per *Abimelechum* redacta eſt in cineres. Obſerva 1 *Reg.* 12. venire Tribus *Sechemum*,
9 ut *Jeroboamum* faciant Regem: iterum enim urgere incipiunt privilegium *Joſephi*,
10 & jus primogeniti, quo *Juda* fruitus fuerat per omne tempus *Davidis* & *Salomonis*.
11 Deſtructo ita per *Abimelechum Sechemo*, *Samaria* excitatur per *Tolam* oriundum
12 ex *Iſſachare*, nunc verò loci inquilinum. Probabile eſt, humilem & fractum ſtatum
13 *Sechemi* & *Ephraimi* per nupera bella civilia, dediſſe illi occaſionem facilius emergen-
14 di; ſive ipſe conatus ſit, quia in illis nihil erat auxilii, niſi ſe majori in altum tollere;
15 ſive Dominus ipſum excitaverit è Tribu aliâ vicinâ ad illorum auxilium, quando
ipſi auxilio ſibi eſſe non poterant. *Iſſachar* domi eſt tardus & iners, ut *Gen.* 49:14. fo-
ris tamen rebus gerendis adeo intentus, in *Tola* nunc, poſtea in *Baaſa*, 1 *Reg.* 15:17.
23 in utroque iiſdem ferè locis, *Sechemi* & *Samariæ*.

JUDICUM CAP. X. *verſſ.* 3, 4, 5.

2797 1 J*Air* ſive *Jairus Gileadita* judicavit *Iſraëlem* annis viginti & duobus. Vir fuit
2 magnæ dignitatis, habens triginta filios, qui triginta civitatum Domini erant,
3 & inequitantes triginta aſellis nitidis, ſicut Judices aut viri principes, quemadmo-
4 dum *Cap.* 5:10. narratur. Hic non eſt *Jair* ille, cujus apud *Moſen* mentio eſt,
5 (quaſi locutus ille fuerit de iſtoc viro, deque civitatibus illis propheticè) ſed ali-
6 quis ex familiâ eâdem & ejuſdem nominis: planè ut ſe res habet cum *Tolâ*, ante-
7 ceſſore illius, qui ejuſdem nominis fuit cum primogenito *Iſſacharis*, *Gen.* 46:13.
8 Quando igitur dicitur apud *Moſen*, *Jairem filium Manaſſis cepiſſe villas Gileadis*,
9 *& nominaſſe eas Havoth Jair*, *Num.* 32:41. *Deut.* 3. & quando hic dicitur, *tri-*
10 *ginta filios Jairis habuiſſe triginta civitates, quæ dicebantur Havoth Jair*: id ita eſt
11 intelligendum triginta villas ex ſexaginta illis, quas antiquus *Jair* devicerat poſſe-
12 deratque tempore primæ occupationis terræ, à filiis hujus *Jairis*, verâ illius pro-
13 ſapiâ, reparatas fuiſſe, inque formam civitatum redactas & habitatas ab illis: ne-
que minus retinuiſſe nomen vetus, *Havoth Jair*, in honorem ejus, qui primus
16 [*Eli* natus anno decimo ſexto *Jairis*.] illas ſubegerat, ordinaveratque. Antiquus
ille *Jair* filius fuit *Segubi*, qui filius erat principis *Heſronis* è filiâ *Machiris*,
1 *Chron.* 2:22. atque ita quoad patrem ex *Judâ*, quoad matrem verò ex *Ma-*
22 *naſſe* fuit.

JUDICUM CAP. X. *à verſ. 6. ad finem.*

J*Ephta Gileadita* exurgit, & Judex *Jairi* ſuccedit. Sed eximendus hic in principio & removendus quidam ſcrupulus de tempore illius, deque oppreſſione illâ, cui removendæ eſt ſuſcitatus. Dicitur *verſ.* 5, 6, 7, 8. *Mortuus eſt Jair, & rurſus faciebant filii Iſraelis malum in oculis Domini: & vendidit eos in manum Philiſtæorum, & hoc anno oppreſſerunt illi filios Iſraelis annis octodecim.* Quæritur, quando octodecim hi anni cœperint, & utrum accipiendi ſint pro ſummâ annorum ab annis Judicum ſejunctâ, an verò iis ſint connumerandi: dein quæ mens inſit iſti expreſſioni, *Et hoc anno* vexarunt *Iſraëlem*. *Reſp.* Octodecim hi anni ſimul connumerandi ſunt cum extremis octodecim annis *Jairis*, & initium cepere cum anno illius quinto: quod enim judicaſſe dicitur annis viginti duobus, non ſic eſt accipiendum, quaſi toto illo tempore nullus hoſtis inſurrexerit; contrarium enim apparebit ex tempore Judicis *Samſonis*: ſed ſententia ejus hæc eſt, Dominum principio illum ſuſcitaſſe in populi Liberatorem, & primis auſpiciis magnam liberationem per illum eſſe operatum: poſtea verò eum permanſiſſe Judicem, & virum ejuſmodi, qui in reformationem ſui populi ſeriò incumberet; cæterum qui eò rem perducere nequiverit,

Mundi

verit, ut abſtinerent ab Idololatriâ, utque hoſtibus ſuppreſſis à vi illorum manerent immunes. Sed quinto illius anno Idololatria erupit in *Iſraele*, & continuata deinceps horrendo incremento: atque ita factum eſt, ut *eo ipſo anno*, quo illa erupit, illorum oppreſſores irruperint in illos, & ſubactos habuerint annos octodecim, *Jaire* nihil opis adferre valente, ſed continuato eo malo uſque ad illius mortem: adeo principium *verſus* 6. ita verti debeat in conſtructione Chronologica: *Nunc filii Iſraelis rurſus fecerant malum*, &c. Diuturna hæc oppreſſio eò denique adegit *Iſraelem*, ut quærerent Dominum, & Idololatriam ſuam abnegarent; Dominus verò invenit *Jephtam* illis aſſertorem.

JUDICUM CAP. XI. & XII. *ad verſ.* 8.

2815 1 J*Ephta* judicat annis ſex; ſubjugat *Ammonitas*; immolat filiam propriam; cæ-
2 dit 42000. *Ephraimitas*: Filius erat *Gileadis* è concubina. Hic *Gilead* non is erat,
3 qui dicitur *Machirus* proximus filius; ſed alius quis, qui nomen gerebat antiqui
4 illius *Gileadis*, cujuſmodi res obſervata antè fuit de *Tolâ* & *Jaire*. *Jair* vir prin-
5 ceps fuit in una parte media *Gileadis*, *Gilead* verò in altera.
6 *Jephta* expulſus paterna familia, quia erat nothus, confert ſe ad armorum uſum; profectuſque in terram *Tobi*, *Syriæ* partem, proſperè agit; unde, poſtquam fama fortitudinis illius percrebuerat, domum revocatus princeps *Gileadis* conſtituitur. In tranſactionibus, quas cum Rege *Ammonitarum* habuit, mentionem facit annorum trecentorum, quibus habitaverit *Iſraël* in *Hesbone* & *Arore*, &c. cui ſummæ quinque & triginta anni includuntur ex annis quadraginta deſerti, quibus oberrarunt juxta has oras, quanquam propriè in illis non habitarunt: anni jam trecenti & quinque effluxerant, ex quo *Ægyptum* reliquerant.

Quæ ad votum illius de filia pertinent, examinari propius poſſunt per conſiderationem eorum, quæ ſequuntur. I. In genere votum illius de perſonis fuiſſe: nam 1. voto conſecrat, quodcunque egreſſurum erat foribus domus ſuæ. 2. Præterea, quodcunque egreſſurum erat illi obviam. Jam verò alienum eſt, id intelligere de ove aut bove: cui enim in mentem venire queat, tale animal foribus domus egreſſurum; nedum ut veniret illi obviam? 3. Denique, quam id exile fuerit, conſecrare bovem aut ovem in ſacrificium pro tanta victoria? Idcirco votum hoc reſpicit perſonas; atque ea mente transferri poteſt, *Quodcunque* procedit. II. Quid devotæ perſonæ faceret? Nazaræam juberet eſſe? Vovere ſic poterat, ſed perficere ad arbitrium perſonæ pertinebat. Sacraret Sanctuario? Sed fungi illic nullo munere licebat, ſiquidem Levita non eſſet. A mundi conſortio illam amoveret? Poterat certè carcere coercere: cæterum ut id ullo alio modo fieret, in perſonæ illius erat arbitrio. Pone conjugatarum ancillarum aliquam, vel conjugatorum famulorum, vel propriam conjugem occurriſſe primam, quid cuicunque horum fecerit? Idcirco, dum has aliaſque, quas Textus habet, circumſtantias expendo, cum illis cogor ſentire, qui exiſtimant, illum reverà obtuliſſe filiam, quamvis alias diverſæ mentis fuiſſe haud diffitear. Et videtur id pertinere ad corruptionem horum temporum; & mutato tantum nomine, ſacrificium fuiſſe *Molecho*, Deo *Ammonitarum*, adverſus quos bellaturus eodem tempore, quo votum hoc concepit, egreſſus erat. *Sanhedrin* ſine dubio nunc ſedebat, & Sacerdotium curabat Arcam *Silunte*: attamen tam parum *Iſraël* in lege verſatus erat, ut neque *Sanhedrin*, neque Sacerdotes hunc *Jephtæ* nodum ſciverint ſolvere, ſcilicet votum hoc poſſe redimi, *Levit*. 27. Sed patiuntur, illam in hunc modum mactari, & penſant facto tantum ſtatuto de annua ſuper illius morte comploratione. Parte aliqua temporis, quo *Judices* fuere, contigit, ut dignitas Pontificia ſit tranſlata ex linea *Eleazeris* ad lineam *Ithamaris*, ut principio Libri *Samuelis* in *Eli* apparet. Jam in tota *Judicum* hiſtoria nihil omninò invenimus, quod tam veriſimiliter pro cauſa haberi poſſit depulſæ illius familiæ ab functione ſacerdotali, quam quod de *Jephta* hic reperitur; nempe quod illi, quorum id erat, non inſtruebant illum melius, talemque carnificinam fieri pro ſacrificio ſunt perpeſſi.

Suboritur *Jephtæ* nova lis cum *Ephraimitis*, unde quadraginta & duo horum millia ab eo cæſa. Detexit illos vitioſa unius literæ pronuntiatione: cumque id experiri potuiſſet objiciendo varias voces, quæ duplex *Schin* haberent; ut *Schemeſch*, *Sol*; *Scheloſcha*, *tres*; *Schalſcheleth*, *catena*: hoc quod propoſitum fuit, eſt *Schibboleth*, ex occaſione nimirum præſenti; ſignificat enim *fluvium*; & adacti

Mundi | Judicis

ſunt *Ephraimitæ* fluvium, quem tranſire deſiderabant, vero ſuo nomine appellare; quod facere nequibant.

JUDICUM CAP. XII. *verſ.* 8, 9, 10.

2825 1 *IBſan* judicat ſeptem annis: vir erat è *Bethlehemo*; quare finxerunt Judæi, *Boazum*
2 fuiſſe, abſque ulla probabili ratione: ex quo enim *Rahab*, *Boazi* mater, re-
3 cepta eſt in congregationem *Iſraëlis*, anni fuere 270; atque inde fac conjecturam,
4 an veriſimile ſit, *Boazum* nunc res gerere? *Ibſan* celebratur multo & æquali filio-
5 rum filiarumque numero.
6
7

JUDICUM CAP. XIII. Et CAP. XII. *verſ.* 11, 12.

2832 1 E*Lon* judicavit annis decem, erat *Galilæus* è *Zebulone*. Decimo anno *Elonis* ini-
2 tium cepère quadraginta anni oppreſſionis *Philiſtæorum*, memoratæ *Cap.* 13:1.
3 *Samſon* natus eſt circa hunc annum, ſi non in illo; cujus conceptionem ubi præ-
4 dixit Angelus, *Philiſtæi* in *Iſraële* rerum potiebantur: vide *verſ.* 5. Hiſtoria nati-
5 vitatis illius cum hiſtoria vitæ conjuncta eſt, ut hiſtoria *Judicum*, qui ante illum
6 fuerunt, filo haud interrupto decurrat; utque illius tum vitæ tum nativitatis uni-
7 verſa hiſtoria ſimul ſe offerat: at in ſerie Chronologica nativitas locum obtinet circa
8 principium regiminis *Elonis*.
9 *Jeſſe* pater *Davidis* natus eſt hoc tempore, niſi id antè factum.
10

JUDICUM CAP. XII. *verſ.* 13, 14, 15.

2842 1 A*Bdon* judicavit annis octo. Eximiè celebratur Liberis ſuis, ut qui in filiis nepo-
2 tibuſque tantum habuit nobilis juventæ, quantum univerſo *Sanhedrin* ſuffice-
3 ret: numerum ſcilicet ſeptuagenarium, cui ipſe addendus erat princeps. Fuit *Ephraimi-*
4 *ta Pirathonites*: ac ita gloria *Joſephi* relucet in *Ephraimo*, ut in *Joſuâ* luxerat ante *Ju-*
5 *dicum* tempus; & ut luxerat in *Manaſſe* temporibus *Judicum*, in *Gideone*, *Jaire*
6 & *Jephta*. Humilis *Ephraimi* ſtatus ex iis, quæ ad *Abimelechum* & *Sechemum* per-
7 tinent, in *Abdone* jam nonnihil reſtauratur.
8

JUDICUM CAP. XIV. XV. XVI.

2850 1 S*Amſon* judicat annis viginti; vir è *Dane*, (ut autem *Ephraim* & *Dan* produxe-
2 runt primam Idololatriam, ita de ſe largiuntur ultimos Judices.) Natus erat ſu-
3 pernaturaliter ex muliere ſterili, factuſque eſt primus *Nazaræus*, cujus quidem
4 mentio extet. Leonem occidit abſque ullis armis; mel invenit in cadavere illius;
5 ænigma proponit triginta *Philiſtæis* juvenibus, quod triduo nequiverunt explicare:
6 & *die ſeptimo*, inquit Textus, *dicebant illius uxori*, *Pellice virum tuum*, *Cap.* 14.
7 *verſ.* 15. id eſt, die *Sabbathi*: animo illorum irreligioſo non advertente ad diei
8 conditionem, & nunc inveniente opportunitatem aptiſſimam colloquendi cum
9 uxore ſola, dum *Samſon* occupatur officiis *Sabbathi*. Debitum iis perſolvit per
10 exuvias popularium. Incendit *Philiſtæorum* ſegetes immiſſis trecentis vulpibus.
11 Totâ vitâ in eo erat, ut illos perderet; ſed ipſâ morte perdidit plures: Typus
12 *Chriſti*.
13 Obſervandum etiam illud eſt, *Philiſtæos* dici rexiſſe & oppreſſiſſe *Iſraëlem* omni-
14 bus *Samſonis* diebus, *Cap.* 13:1. *Tradidit Dominus Iſraëlem in manus Philiſtæorum*
15 *annis quadraginta*. Et *Cap.* 15:20. *Samſon judicavit Iſraëlem diebus Philiſtæorum*
16 *annis viginti*. Quod quoque argumento eſt, annos Oppreſſorum includi annis Judi-
17 cis. Atque ita Chronica Libri *Judicum* in morte *Samſonis* finem inveniunt; quam-
18 vis ea ſit illorum diſpoſitio, ut in aliam narrationem deſinant. Nemo è duodecim
19 Judicibus inciderat in hoſtium manus & ignominiam, præter ſolum *Samſonem*;
20 ſed plures idem moriens, quam vivens cecidit.

Mundi	Eli

LIBER PRIOR SAMUELIS.

Liber hic hiſtoriam continet annorum 80. à morte videlicet *Samſonis*, qui cecidit manu propriâ glorioſe, uſque ad mortem *Saulis*, qui cecidit manu propriâ ignominioſe. Tempus hoc omne in duas æquales partes dividitur, nempe annos 40. qui *Eli*, 1 *Sam.* 4:18. & alios 40. qui *Samueli* & *Sauli* tribuuntur, *Act.* 13:21.

I SAMUELIS CAP. I. II. III.

2870 1 ELi judicat annis 40. Erat ex *Ithamare*: *Eleazeris* enim linea amiſerat dignita-
2 tem Pontificalem temporibus Judicum; quæ in illa familiâ fuerat generationi-
3 bus ſeptem, ſcilicet per *Eleazerem*, *Phineam*, *Abiſuam*, *Bukkin*, *Uzzin*,
4 *Zerahiam*, *Merajothum*, 1 *Chron.* 6:4,5,6. & deſiit poſt ſeptimam generatio-
5 nem; nempe poſt tempora *Amaziæ*, *Ahitubi*, *Zadoci*, *Achimaazi*, *Azariæ*,
6 *Johanunis*: & tunc ſucceſſit *Azaria*, functuſque eſt ſacerdotio in templo, quod
7 ædificavit *Salomo*, 1 *Chron.* 6:7,8,9,10. Obſerva hos ſex, qui ſummo ſacerdotio
8 functi non ſunt, omiſſos eſſe in Genealogiâ, quæ extat *Ezr.* 7:3,4. Qui pri-
9 mus ex alterâ lineâ id obtinuit, *Eli* fuit; cui idem continuatum per *Eli*, *Phineam*,
10 *Ahitubum*, *Ahimelechum*, *Abjatharem*, 1 *Sam.* 14:3. & 22:20. & 1 *Reg.* 2.
11 *verſ.* 26. *Samuel* filius precum, lachrymarum & votorum matris ſuæ, natus erat
12 in * *Arimatheâ*, viceſimus à *Levi*, ex ſtirpe *Koræ*, qui à terrâ eſt abſorptus,
13 1 *Chron.* 6. & *Num.* 26:11. Murmuraverat is ſuper Sacerdotio & Magiſtratu, &
14 nunc unus ex illius linea exurgit, utrumque jam inclinatum reparaturus. *Samuel*
15 erat ex voto *Naziræus*, & conſecratus Sanctuario per Sacrificium & canticum.
16 Annus, quo natus eſt, determinari adeo non poteſt, ut ne appareat quidem eviden-
17 ter, an ſub *Eli* Judice nativitas illius contigerit; quanquam ſine dubio ad tempus *Eli*
18 Sacerdotis ſummi ſit referenda. Filii *Eli* committunt furtum & adulterium in ipſo
19 Sanctuario: ſpoliant viros, qui veniebant ſacrificatum; & polluunt fœminas, quæ ad
20 Sanctuarium * excubabant: atque id efficiunt, ut inſtituta Domini ſpernantur. Sub
21 ejuſcemodi exemplo educatus eſt *Samuel*, qui tamen ab illo malo intactus manſit. Pro-
22 pheta quidam acriter reprehendit *Eli*, quia ipſe non reprehenderat ſuos filios. Propheta
23 hic, Judæorum opinione, *Elkana* fuit, qui, ut iidem affirmant, unus fuit *è quadraginta*
24 *octo Prophetis, qui prophetarunt in Iſraele.* Narratur *Cap.* 2. *verſ.* 11. *Elkanam re-*
25 *diiſſe Ramam in domum ſuam*; & nihilominus dicitur, *verſ.* 20. *Eli benedixiſſe*
26 *Elkanæ*: quod ſic eſt accipiendum, id feciſſe illum à prima *Samuelis* ſanctifica-
27 tione; & repetiiſſe, quoties venit *Siluntem*. Ipſe *Samuel* factus eſt Propheta, pri-
28 mò quidem adverſus domum *Eli*, & deinde toti *Iſraëli*, *Cap.* 3:1. Impietas iis
29 temporibus Prophetiam valde exterminarat: illam vero nunc reſtaurare Dominus
30 incipit ad prædicendam ruinam & dirigendam reformationem. Brevi futurum erat,
31 ut *Urim* & *Thummim* una cum amiſſa Arca amitterentur à Sacerdotibus: ad quem
32 defectum ſupplendum Spiritum Prophetiæ Dominus in Levitam effundit.

I SAMUELIS CAP. IV.

2909 40 NUnc primùm Arca attacta raptaque eſt manibus incircumciſorum. Duo filii *Eli* fatalem exitum ſortiuntur poſtremo hoc Arcæ miniſterio, ut duo *Aaronis* filii, *Nadab* & *Abihu* primo. *Eli* ipſe morte moritur aſini non redempti, *Exod.* 13. *verſ.* 13. *Silo* deſerta jacet, *Jer.* 7:14. & jus primogeniti *Joſepho* & *Ephraimo* deperditur, *Pſalm.* 78:60. &c. Tabernaculum *Silunte* commoratum fuerat annos 340. & quod excedit. Idolum *Danis* jam illi eſt ſuperſtes, *Jud.* 18:31. *Ah miſer Iſrael!*

2910 1 Hinc initium capiunt quadraginta anni *Samuelis* & *Saulis*, quorum mentio fit *Act.* 13:20,21. *Et poſtea iis dedit Judices annis circiter quadringentis & quinquaginta* (incluſis ſcil. Oppreſſorum annis, ut Judicibus dentur anni 299. Oppreſſoribus 111. & *Eli* 40.) *uſque ad Samuelem Prophetam. Et exinde petiverunt Regem, & dedit illis Deus Saulem annis quadraginta*: nempe ad finem quadraginta annorum à morte *Eli* Judicum poſtremi.

הרמתים צופים מהר אפרים 1 *Sam.* 1:1. i. e. *ex alterâ Ramatum, eâ ſcil. quæ Zophæorum erat ex montano Ephraimi.* adeo ut רמתים contrahendum ſit, ut שתים 1 *Sam.* 18:2. *una ex duabus.* Et הר אפרים contrahendum, ut בהר יהודה *Joſ.* 21:11. ὀρεινὴ τῆς Ἰουδαίας *Luc.* 1:39. Non *in monte Ephraimi, ſed regione montana.*

* הנשים הצבאות 1 *Sam.* 2:22. Mulieres, quæ officii nonnihil & inſpectionis habebant in Tabernaculo, ut *Num.* 4:23. לצבא צבא eſt ad miniſterium præſtandum Sanctuario. Talis mulier fuit *Anna*, *Luc.* 2:37.

Digitized by Google

Mundi | Samuelis

I SAMUELIS CAP. V. VI.

ARca toto vere & æſtate hujus anni in terra eſt *Philiſtæorum*. Ob eam cauſam Dominus percutit *Dagonem*, Deum illorum frumentarium, & ſegetem, quando è terra proveniebat, exercitu Murium perdit. Percutit populum hæmorrhoïdibus in *partibus poſterioribus*, *Pſalm.* 78 : 66. & infligit pudendam læſionem parte contrariâ & naturâ contrariâ illi, quâ honorabilis læſio circumciſionis fiebat. Illi reſtituunt Arcam cum donariis plane ſingularibus, multis aureis muribus, & *cum quinque anis* vel *podicibus aureis quaſi ἀμοιβῆ*. Duæ vaccæ noverunt Dominum ſuum, ut *Jeſaj.* 1: 3. *Hophni* & *Phineas* ipſum non noverunt. *Bethſemitæ*, quamvis ſacerdotes eſſent, percuſſi tamen a Domino fuerunt propter audaciam nimiam circa Arcam.

I SAMUELIS CAP. VII. *Verſ.* 1. *&* 2. *prior pars.*

2911 2 ARca poſita eſt *Kirjath-jearimis*, ſive urbe ſilvarum: quo reſpicit Pſalmiſtæ
3 illud *Pſalm.* 132:6. *Audiebamus illam Ephrathæ*, ſive *Silunte in Ephraimo*, *inve-*
4 *niebamus illam in agris ſilvarum*, ſive *Kirjath-jearimis*. Illic *Eleazer* quidam oculos in
5 illam conjecit, quando linea *Eleazeris* ſimul & *Ithamaris* eo miniſterio depulſa erat.
6 *Factum eſt autem ut tempus, quo Arca reſedit Kirjath-jearimis, longum eſſet; erat quippe*
7 *annorum viginti*: id non eſt accipiendum de omni tempore, quo illic reſedit: fuit enim
8 ibi ſupra ſex & quadraginta annos, priuſquam eam *David* tranſportavit, 2 *Sam.* 6.
9 nempe triginta novem annis *Samuelis* & *Saulis*, & ſeptem annis regni *Davidis Hebrone*:
10 ſed ita intelligi & conſtrui debet, ut Arca fuerit annis viginti *Kirjath-jearimis*, priuſ-
11 quam populus de illa cogitaret illamve requireret; ſectantes interim & adhærentes
12 prioribus ſuis Idololatriis & corruptionibus: idcirco deinceps *verſ.* 3. per *Samuelem*
13 dictum, *Si revertimini ad Dominum, auferte Deos alienigenas Aſtharothas è medio*
14 *veſtri*, *&c.* Idololatria & profanitas tam altas radices egerat, perque diutinam con-
15 ſuetudinem ita erat roborata, ut neque amiſſio Arcæ, neque clades *Iſraelis* in eos
16 quicquam valuerint; ſed annis viginti integris ipſi fuerint amiſſi Arcæ, quamvis
17 Arca non eſſet amiſſa ipſis.

David natus anno *Samuelis* decimo.

I SAMUELIS CAP. VII.

Verſ. 2. *Pars ejus poſterior.* * Tunc tota domus Iſraëlis lamentabatur poſt Dominum: *&* *porro ad finem* CAP. VII. *Et* CAP. VIII. *totum.*

* Vox וינהו transferenda, non *Et*, ſed *Tunc* lamentabantur.

2930 21 SPiritus reſipiſcentiæ & converſionis venit communiter in totum populum: res & tempus adeo notabile, ac ullum in Scripturâ totâ memoratur: neque eſt niſi unum illi ſimile, ſcil. *Actor. Cap.* 2. & 3. in magnâ illâ, quæ iſtic exponitur, converſione. Fuêre uſque ad illud tempus hæ annorum collectiones; nempe 490. anni hinc uſque ad initium Captivitatis, 70. anni Captivitatis, & 490. anni à fine Captivitatis uſque ad illud tempus. Septuaginta anni Captivitatis ſunt *medium annorum*, *Hab.* 3 : 2. Et *Samuel* juxta hanc ſeriem primus Prophetarum eſt, *Actor.* 3. *verſ.* 24.

22 *Iſrael* * Baptiſmo purgatus eſt à ſuis Idolis. *Samuel*, quanquam non ſacerdos,
23 ſpeciali tamen mandato ſacrificat: precibus *Philiſtæos* per tonitru perdit, *Cap.* 7.
24 *verſ.* 10. *Pſalm.* 99:6. Fuſi ii fuerunt eodem loco, ubi *Iſraëlem* fuderant, & Arcam
25 ceperant ante annos viginti & unum. *Samuel* tribunalia circuitu viſitat, & judicat
26 *Iſraelem*. *Juda* recuperat civitates *Gathum* & *Ekronem*; quas urbes poſſederat ali-
27 quando, *Joſ.* 15:45,46. ſed amiſerant, *Jud.* 3: 3. coll. cum *Joſ.* 13:3. Pax facta cum
28 *Amoræis*: tertiæ enim & quartæ generationi illorum oſorum Domini incubuerant
29 pœna peccatorum, quibus ſe eorum patres aſtrinxerant. Duo filii *Samuelis* populo
30 creant faſtidium Gubernationis, ut duo filii *Eli* creârant antea faſtidium Religionis.
31 Degeneratio etiamnum imminet.

* *Hauſerunt aquam, & effuderunt coram Domino*, *Cap.* 7: 6. quod intelligi debet de lotione, quâ ſe ab Idolis mundarunt, ut *Gen.* 35:2. *Exod.* 19. *verſ.* 14.

Mundi | Samuelis

I SAMUELIS CAP. IX. X. XI. XII.

2941 32 SAul, dum aſinas quærit, regnum invenit. Unctus eſt *Ramæ*. *Gibea*, quæ aliquando tam abominabilis fuerat, tamque abominabiliter deſtructa, *Jud.* 20. nunc ex ſe largitur primum Regem *Iſraelis*. *Saul* Prophetat *Kirjath-jearimis* in turbâ Prophetarum, qui Arcæ miniſtrabant ומי אביהם *Cap.* 10 : 12. & evadit *talis, ut ſit eorum Pater*, ſive princeps inter illos Propheta. *Miſpæ*, ubi *Sanhedrin* ſedem habebat, Rex renuntiatus eſt tum *ſorte*, tum voto populi. Favet *Jabeſo* adverſus *Ammonem* : faverat enim *Jabeſum Gibeæ*, ejuſque cauſa acerba fuerat paſſum, *Jud.* 21. *Gilgale* iterum in Regem unctus eſt, & Deus in tonitru & fulgure annunciat populo quam ægrè ferret, quod Regem petiſſent. Occaſio, quâ ad id moti fuerant, invaſio erat *Nahazi Ammonitæ*, qui primo ad *Jabeſum* acceſſit, obſidione illud cincturus, *Cap.* 12 : 12. Obſeſſio erat longi temporis, & quando urbs de conditionibus deditionis audire cœperat, *Nahazi* poſtulatum fuit, ut oculi omnes dextri tota urbe ipſi darentur, &c.

c. An etiam Saul inter Prophetas? Et quidam ex eodem loco reſpondet, dicitque, etiam [illegible] qui eſt eorum Pater. Non, & [illegible], ſed & [illegible] Pater [illegible]

I SAMUELIS CAP. XIII. XIV. XV.

Saulis

2942 33 2 SAul regnavit uno anno : *& regnavit annis duobus ſuper Iſraëlem* : hoc eſt,
34 3 Rex jam fuerat uno anno ab unctione ejus primâ, quæ per *Samuelem Ramæ* facta erat, uſque ad ſecundam unctionem, factam per eundem *Gilgale*; & poſt id tempus duobus prætereà annis regnavit, antequam Deus illum regno depulit, & *Davidem* inungi juſſit. Regimen autem illius conſequens non regimen, ſed tyrannis & perſecutio fuit. Annis his duobus ſuperat *Philiſtæos*, *Syros*, *Moabitas*, & *Ammonitas*, qui invadebant terram : ipſe autem invadit *Amalekum*, & perdit eum; ſed ſe quoque ipſum perdit, dum parcit *Agago*. Hic Dominus ipſum regno privat.

I SAMUELIS CAP. XVI.

2944 35 DAvid unctus *Bethlehemi* : & hinc Spiritus Domini ſuper ipſum quieſcit, cujus virtute Leonem & Urſum occidit, & cujus directione Muſicus evadit, & Pſalmos conſcribit. Hic eſt ille Spiritus, qui Muſicam conficit per manum *Davidis*, idoneam ad tranquillandum & perdomandum *Saulis* Dæmonem.

I SAMUELIS CAP. XVII.

2945 36 DAvid occidit *Goliathum*. Typus victoriæ Chriſti de Satanâ, duce ſupremo incircumciſorum. Apportat caput Gigantis ad *Saulem*, & Saul quærit, *cujus filius es?* Non quod vel *Saul* vel *Abner* ignorarent, quis eſſet *David* : nam ille à luſu citharæ coram *Saule* modò fuerat egreſſus, quando *Saul* ad bellum illud exiit, *verſ.* 15. ſed demirantur, cujuſmodi vir ille eſſet, qui tales filios genuiſſet, quales *Jeſſe* hoc tempore in exercitu habebat. Quæſtio autem illius non tam eſt, *Filius cujus*, quam, * *Filius qualis viri* : ſive, non adeò eſt de *Davidis* perſonâ, ac de illius genere. Verſus 55. & 56. verſui 40. ſecundum ordinem verum ſubjiciendi ſunt. Ibi autem omiſſi ſunt, ut *Saulis* interrogatio, quæ ante conflictum facta fuit, & reſponſio ad illam, quæ nonniſi poſt illum data, conjungerentur. Atque ita narratio de *Davide* reponente Gigantis caput *Jeruſalemi*, *verſ.* 54. ante ſuum tempus collocata eſt, ſicut *verſus* 55. & 56. poſt ſuum tempus collocati fuerunt : neque enim illic caput repoſuit niſi aliquanto ſerius; quo autem tempore, incertum eſt : mentio verò ejus hoc loco facta eſt, ut univerſa *Goliathi* hiſtoria ſimul abſolvatur.

Ruth. 3. verſ. 16. Matth. 8. verſ. 27.

PSALM. IX.

OCcaſione victoriæ hujus de *Goliatho David* conſcripſit Pſalmum nonum, על מות לבן *ſuper morte Duellatoris* : nam *Goliath* appellatur, 1 *Sam.* 17. *verſ.* 4. איש הבנים, quod Chaldæus in hunc modum παραφράζει על מיתותא דגברא די נפק מבני משריתא ſuper morte viri, qui exibat è medio duorum exercituum. Pſalmus iſte huc eſt referendus.

Mundi | Sam. & Saulis

I SAMUELIS CAP. XVIII.

EX *Davidis* cum *Saule* colloquio, & inſtituto vitæ ante perſpecto *Jonathan* illi favet ſtudetque; *Saul* eo die illum in aulâ retinet; *Jonathan* verò veſtit cultu militari & aulico; atque ita è Caſtris *Gibeam* petunt, *Saulis* ſedem. Per viam egreſſæ mulieres ea canunt, quæ diſplicuêre *Sauli*; ab eoque tempore *Davidi* invidet, & haſtas in eum jacit, ut occidat: verum evaſiſſe illum videns præfectum in exercitu facit, ut ibi pereat. Ita hiſtoria ordine eſt collocata ad *verſ.* 16. & idcirco verſus decimus ſextus, de exitu ejus & introitu coram populo, locum tenet capitis communis, deinceps amplius deducendi. Ubi *David* à *Saule* ita in certo vitæ ſtatu conſtitutus eſt, ut pro arbitrio ipſi exire & introire liceat, veriſimile eſt illum tunc armaturam *Goliathi* detuliſſe *Bethlehemum*, caput autem ejus *Jeruſalemum*; hæc ſuæ fortitudinis & victoriæ tropæa ſtatuens in Tribu propriâ, ut ſi quando occaſio eſſet, & virorum ipſe auxilio egeret, cum in Regem jam eſſet unctus, hæc ipſa ei quam plurimos in illud tempus conciliarent.

I SAMUELIS CAP. XIX.

2947 37 ALiud bellum cum *Philiſtæis*. Alia haſta miſſa in *Davidem*. Domus ejus cuſtoditu, ut morte afficiatur.

PSALM. LIX.

HIc intercurrit Pſalmus quinquageſimus nonus; conſcriptus, ut titulus habet, occaſione obſervatæ illius domus: immittendus autem inter *verſus* 12. & 13. Capitis hujus decimi noni.

Samuel & *Saul* & *David* ſimul congrediuntur, *Cap.* 19. *verſ.* 22,24. Et *Saul* horas totas 24. nudus prophetat. Quando itaque dicitur, *Cap.* 15: 35. *Poſtea non perrexit Samuel videre Saulem uſque ad diem mortis ſuæ*, intelligi debet de oblatione obſequii; nunc enim, dum *Ramam Saul* venit, ipſum videt. Verum ex quo *Saul* pepercerat *Agago*, eoque mandatum Domini fuerat tranſgreſſus, nunquam *Samuel* honoris atque obſequii cauſâ illum inviſit: tunc enim illi Dominus regnum ademit, neque eum pro Rege amplius agnoſci voluit.

I SAMUELIS CAP. XX.

ADveniente *Ramam Saule* cogitur *David* confugere *Gibeam*, ut ſociaret conſilia cum *Jonathane*. Ubi ſanguinolentum conſilium *Saulis* detectum, *Davidem* adigit ad perpetuum exilium; quod nunc initium capit.

I SAMUELIS CAP. XXI.

DAvid *Nobum* venit ad *Abimelechum*, ſive *Abijam*, 1 *Sam.* 14: 3. In diebus *Abjatharis*, *Marc.* 2: 26. Eum Servator nominat potius, quam *Abimelechum*, quia hoc tempore non tantum ex ejus loci Prophetis erat, *Cap.* 22: 20. ſed ipſe quoque ſolus ex omni *Abimelechi* familia furorem *Saulis* effugit, & poſtmodùm vir fuit primariæ notæ.

Nobo David coactus fuit fugere *Gathum*, ipſam *Goliathi* civitatem, ipſo *Goliathi* gladio cinctus. Hic fuit detectus cognituſque, & ipſam illam cantilenam repeti audivit, quam ei accinuerant redeunti à cæde *Goliathi*. Circumdatus jam undique à Gigantis neceſſariis, inque diſcrimine hærens inevitabili, aliud ſalutis medium non invenit, quam ut ſe mente captum & inſanum fingeret, & velut mutus ab omni loquela abſtineret.

PSALM. LVI.

SUper hoc caſu atque occaſione componit Pſalmum quinquageſimum ſextum; eumque inſcribit על יונת אלם רחוקים *de oppreſſione muti inter longinquos, cum Philiſtæi prehenderent ipſum Gathi.* Et videtur *verſ.* 11. referre ad ſuum velut mu-

mutum ſilentium, quando aït באלהים אהלל רבר, *in Domino laudabo loqueli*, ſive verbis. Similiter *verſ.* 11. *in Domino laudabo verbum ejus*: verbum ſcil. promiſſionis, quam ipſi fecerat. Adeo ut Pſalmus iſte locum ſibi vindicet circa duodecimum verſum Capitis hujus vigeſimi primi.

PSALM. XXXIV.

AD finem iſtius Capitis ſedes propria eſt Pſalmi 34. quem compoſuit *David*, *quando geſtum ſuum mutaverat coram Abimelecho*: quod poteſt utrique hiſtoriæ, quæ iſto Capite continentur, applicari; & fictioni geſtus coram *Abimelecho*, (eſſe enim *Abimelechi* & *Abimelechi* unum quandoque & idem nomen conſtat ex 2 *Sam.* 8: 17. coll. cum 1 *Chron.* 18: 16.) & mutationi geſtus coram *Achiſo* Rege *Philiſtæorum*; iſtos enim Reges nomine *Abimelechi* appellari, erat recepti moris, *Geneſ.* 20. & 26.

Pſalmus hic ἀκροστιχίδα habet accuratiſſimam, & lectiſſimum etiam atque exactiſſimum compoſitionis artificium; oportunè poſt ſimulatam fatuitatem & conſilii perturbationem.

I SAMUELIS CAP. XXII. *verſ.* 1. *pars prior.*

DAvid abiit *Gatho*, & evaſit in ſpeluncam *Adullami*.

PSALM. CXLII.

ILlic Pſalmum facit 142. quemadmodum ex titulo apparet. In precibus autem, quæ Pſalmo illo continentur, queritur ad infima quæque ſe adeo redactum eſſe, ut nemo ſit qui ipſum agnoſcat, nemo qui curet; latere ſe in iſtâ ſpeluncâ, velut in carcere: quod ſi ex eo ſtatu educere ipſum Dominus vellet, fore affirmat, ut juſti ad eum aggregentur.

I SAMUELIS CAP. XXII. *pars poſterior verſus primi, & verſ.* 2. & I CHRON. CAP. XII. *à verſ.* 8. *ad verſ.* 19.

DOminus exaudiit illius preces, miſitque ei amicos & neceſſarios ad ſolatium; unaque multos alios ad præſidium corporiſque cuſtodiam. In turba hac fuêre *Gaditæ* quidam, qui venerant ex terrâ, quæ erat ultra *Jordanem*; interque illos *Gad* Propheta. Et ſic *David* ſecum habet cohortem 600. Capitum, & Prophetam, illis à ſacris.

Cum hoc tempore congruit hiſtoria, quæ extat 2 *Sam.* 23. *verſ.* 13, 14, 15, 16, 17. & 1 *Chron.* 11. *verſ.* 15, 16, 17, 18, 19, 20. de deſiderio *Davidis* expetentis aquas *Bethlehemi*, &c. Verum reſervatur ea ſuo loco, ubi enumerandi venient *Davidis* Heroes. Locus enim præſens propriè deſtinatus eſt enarrandis *Davidis* rebus geſtis, non vero illius Heroibus celebrandis.

I SAMUELIS CAP. XXII. *à verſ.* 3. *uſque ad finem.*

2947 38 DAvidis pater & mater adhuc ſunt ſuperſtites, & per eum locati ſunt in *Moabo*. Ille abit in ſaltum *Hareth*. *Saul* occidit 85. ſacerdotes, & *Nobum* perdit: atque ita univerſa Domus *Eli* penitus exciſa eſt, uno viro excepto. Fuit is *Abjathar*, qui evaſit & venit ad *Davidem*: qui nunc tam ſummum Sacerdotem ſuis in caſtris habet, quam Prophetam.

PSALM. LII.

AD finem hujus Capitis locus eſt Pſalmi quinquageſimi ſecundi, facti, ut titulus ſignificat, *Cum Doëg veniret, & indicaret Sauli, & diceret, David * veniebat domum Abimelechi.* * בא דוד *David veniebat, non David venit.*

I SAMUELIS CAP. XXIII.

DAvid cædit *Philiſtæos*, & *Kebilam* ab obſidione liberat. Initium verſus primi ita legendum: *Indicarunt verò Davidi, dicendo, &c.* Acceſſio enim *Abjatharis*

Digitized by Google

Mundi | Samuelis & Saulis

tharis ad *Davidem*, quæ in calce antecedentis Capitis narratur, facta non fuit, priuſquam *David* jam perveniſſet *Kebilam*, quemadmodum verſu hujus Capitis ſexto apparet. *Siphæi Davidem Sauli* indicant.

PSALM. LIV.

2947 38 HÆc *Davidi* materies Pſalmi quinquageſimi & quarti, ſicut titulus occaſionem aperit; occaſio autem illa facile hunc eſſe locum Pſalmi commonſtrat, nimirum poſt verſum vigeſimum tertium hujus Capitis.

PSALM. LXIII.

CUm fine Capitis hujus vigeſimi tertii, cumque hiſtoria commorationis *Davidis* in propugnaculis *En-Gedin*, congruit Pſalmus ſexageſimus tertius, factus, uti teſtis eſt titulus, *in deſerto Judæ*; quod circa *En-Gedin* omnium eſt vaſtiſſimum, utpote ſitum in litore Maris mortui.

I SAMUELIS CAP. XXIV.

DAvid & *Saul* unà ſunt in ſpelunca.

PSALM. LVII.

HInc effundit *David* Precationem Pſalmi 57. facitque ei titulum, אל תשחת, *ne perdas*: quanquam enim à militibus inſtigatus fuerat, ut occideret *Saulem*, tamen noluit.

I SAMUELIS CAP. XXV.

2948 36 SAmuel moritur biennio fere ante *Saulem*. Vixit donec videret illud tempus, quo *Saul Davidem* agnovit Regem, *Cap.* 24: 20. juxta illius prædictionem. *Nabal* homo ebrioſus, & fatuus, & ab omni humanitate alienus miſere perit.

PSALM. LVIII.

POſt *verſ.* 35. illius Capitis videtur genuinus locus eſſe Pſalmo 58. qui titulum gerit אל תשחת *ne perdas*; ut in quo explicatur, quomodo *David* non perdiderit *Nabalem*, quando id illi fuerat minatus, deque eo, quod non perdidiſſet, ad extremum gaviſus ſit. Incuſat hoc Pſalmo venenatam *Nabalis* linguam, quâ convitia illi fecerat, & aures ſurdas, quibus audire detrectaverat vocem Nuntiorum ſuorum, quamvis prudentiſſimè mandata expoſuerant. Propheticè imprecatur, ut Deus ſubito & velut quadam tempeſtate illum abripiat, priuſquam ollæ, Feſti gratia igni impoſitæ, à ſpinis, quæ ad fervefaciendum ſubjectæ eſſent, ullum ſentirent calorem כמו חי כמו חרון * *Sicut ille vivebat*, & genialiter agebat, *ita ſe haberet ira*; planè ut homini conveniret, ubi illa ingrueret, *verſ.* 10. ita enim poſteriora verſus maximè propriè reddenda ſunt; *ut vivens, ita ira.* חי *Chai*, epitheton eſt, quo *David Nabalem* deſignat, quando ſuos nuntios ad illum mittebat: *ita dicetis* לחי *Lechai, ei qui vivens eſt*: quod *Anglica* noſtra verſio benè expreſſit, *et qui vivit in proſperitate.* Sic *David* inquit *Sauli*, ומי חיי משפחת אבי *vel quæ mea vivendi ſubſidia ſunt in familia mei Patris?* 1 *Sam.* 18: 18.

* כמו & כמו eundem ſenſum habent, ut כ & כ in כמתי כמוך כעמי כעמך כעם כברן & ſimilibus.

I SAMUELIS CAP. XXVI.

DAvid iterum *Saulem* habet in poteſtate ſua, neque ipſum occidit. *Saul* iterum agnoſcit *Davidis* Regnum. *David* atque ipſe, alter alterum deinceps non conſpiciunt amplius.

Aliquo tempore dierum *Saulis* (annus autem incertus eſt) *Reuben* & *Gad* ceciderunt *Hagarenos*, locíſque illorum habitarunt: de qua re lege 1 *Chron.* 5. *verſ.* 9, 10. & à *verſ.* 18. ad *verſ.* 23.

I SA-

Digitized by Google

Mundi	Samuelis & Saulis.

I SAMUELIS CAP. XXVII.

DAvid confert ſe denuo *Gathum*, ubi haud ita pridem inſanum ſe ſingere coactus fuerat. *Achis* tunc illius metus, nunc illius amicus eſt. Tunc non niſi unus vir erat; at nunc 600. viros præſto habet, ſibi ſatellites, *Achiſo* autem adverſus *Saulem* auxiliares.

2949 40 *David Ziklagi* habitat, & regionem circumjectam invadit.

I CHRON. CAP. XII. *à principio ad verſ.* 8.

ILluc ad eum ſe aggregarunt aliquot ex propriâ *Saulis* Tribu, & illius agnatis: atque hi Capite hoc nominantur ante *Gaditas*, qui ante illos *Davidi* acceſſerant; quod ideo factum, quia illorum ad eum acceſſio notabilior erat, utpote agnatorum ipſius *Saulis*.

I SAMUELIS CAP. XXVIII.

SAulis finis jam haud procul abeſt. Conſulit mulierem Pythoniſſam: neque enim ſacerdotem habet, nec Prophetam, quos roget; quia utroſque contempſerat & perſecutus fuerat. Dæmonem videt in ſpecie *Samuelis*, & ſuam ipſius ruinam prædici audit.

I SAMUELIS CAP. XXIX.

PHiliſtæi non audent *Davidi* in prælio fidere: ſicque ſingulari Dei providentia factum eſt, ut neque perfidè ſe erga *Achiſum* gerat, neque in proprium populum pugnet.

I CHRON. CAP. XII. *verſ.* 19, 20, 21, 22.

PRoficiſcenti cum *Philiſtæis* ad prælium, & rurſum recedenti ab illis, complures è *Manaſſe* accedunt.

I SAMUELIS CAP. XXX. XXXI. Et I CHRON. CAP. X.

DAvid reverſus domum, nullam omnino domum invenit; exuſto quippe *Ziklago*. Manus *Amalekitarum* cæſa, velut inferiis *Saulis*. *Saul* ipſe propria manu & cujuſdam *Amalekitæ* occidit. Nihil illi feliciter ceſſit, ex quo Generationi iſti pepercerat.

LIBER POSTERIOR SAMUELIS.

CAP. I.

DAvid mortem *Saulis* intelligit, eamque lamentatur. Mandat juvenibus *Judæ*, addiſcere uſum Arcus, ne neceſſe haberent ejus peritiâ cedere *Philiſtæis*, utque ita mors *Saulis* in Philiſtæis vindicaretur; ope enim Arcuum illum ſuperaverant. Narratio, quam *Amalekita* defert *Davidi*, non erat mendacium ad ineundam gratiam aut mercedem promerendam: ſed omnino ipſa veritas fuit. *Saul* reverà proprio gladio incubuerat; (ſicut præcedenti Capite eſt expoſitum) verum ocellata illius veſtis impedimento fuerat, ne mortis tam præſentis vulnus ſibi infligeret, quin Philiſtæi vivum potuiſſent capere, eique illudere. Atque ita conſiſtit, hoc aliiſque vulneribus ſanguinem effundens, & incumbens ſuæ haſtæ, donec hic *Amalekita* ad illum accedat. Armiger illius jam mortuus erat; ideòque hæc verba, *Quando illius armiger videbat, mortuum eſſe Saulem, irruit ipſe quoque in gladium ſuum, & mortuus eſt cum illo*, hoc ſenſu accipienda ſunt, illum, ubi videbat *Saulem* ſibi inflixiſſe adeo lethale vulnus

Digitized by Google

Mundi | Davidis

vulnus, idem ſibi feciſſe, exque eo reverà eſſe mortuum. Cæterùm vulnus *Saulis* non erat tam properi exitus; ideoque opem ipſe requiſivit *Amalekitæ* ad occidendum ipſum: ajebat enim, אחזני השבץ *Veſtis mea ocellata detinuit me, adeo ut vita mea adhuc ſit in me.* Sicque *Saul*, qui tam crudelis fuerat in *Davidem*, jam crudelis eſt in ſeipſum; & ille, qui pepercerat *Amalekitis*, nunc ab uno ex natione iſta occiditur.

II SAMUELIS CAP. II.

2950 1 D*Avid Hebrone* in Regem *Judæ* ungitur, natus 30. annos. Compara *Gen.* 41.
2 *verſ.* 46. *Num.* 4 : 3. *Luc.* 3 : 23. *Hebrone Abraham* primam terræ poſſeſ-
3 ſionem habuerat, & plurimum temporis tranſegerat: hic ſepulti quieſcebant
4 Patriarchæ *Abraham*, *Iſaac* & *Jacob*, eorumque uxores; & natus ibi fuit *Jo-*
5 *hannes Baptiſta*, ibidemque Servator noſter fuit conceptus. Diuturnum bellum eſt
6 inter domum *Davidis* & domum *Saulis*; *Abnero* perpetim annitente, ut partes
7 formaret ſatis validas ad aliquem è filiis *Saulis* conſtituendum Regem. Exinde
Isboſeth unctus *Sauli* ſucceſſor; qui *Isbaal* dicitur 1 *Chron.* 8 : 33. nam *Baal* communiter dicebatur בושת, *Boſcheth*, *Pudor*, ut *Jerubbaal* dicitur *Jerubboſcheth*, 2 *Sam.* 11 : 21. & *Mephiboſeth*, 2 *Sam.* 9 : 12. appellatur *Meribbaal*, 1 *Chron.* 8. *verſ.* 34. vide etiam *Jerem.* 11 : 13.

Abneri jactantia excitat deſperatum duellum virorum viginti & quatuor, qui hinc & inde æquali numero inter ſe concurrunt: atque ita fundamentum jacit belli perpetui in æquali clade: לולא דברת *verſ.* 27. *Niſi tu locutus fuiſſes*, (inquit *Joab*) *quod dixiſti tempore matutino, ſurgant jam juvenes iſti & ludant coram nobis, certe abductus fuiſſet populus, quiſque à perſequendo fratre ſuo, ipſo tempore matutino, neque hoſtile quicquam patratum fuiſſet: ſed tu provocaſti illud.*

II SAMUELIS CAP. III.

D*Avidis* ſex Filii, qui ipſi *Hebrone* nati ſunt ſex annis & totidem menſibus, quibus ibi regnavit, hic ſimul ordine enumerantur, ut hiſtoria illa & materia uno loco expediatur.

Abner ſibi non æqua ab *Isboſetho* tribui exiſtimans ad *Davidem* ſe convertit, & Regem eum agnoſcit, cui hucuſque ſciens prudenſque obſtiterat. Sed Deus non fert, ut vir illiuſmodi tali de cauſa auxilio ſit *Davidi* ad illum in throno collocandum. Cæſus eſt per *Joabum*, ipſo publici judicii loco, & vulnere ei ſimili, quod *Aſa-Eli* ipſe intulerat.

II SAMUELIS CAP. IV.

I*Sboſeth* cæſus à duobus *Benjaminitis*, fratribus in malo. Penetrant in intimam domum, *tanquam ſumpturi triticum*, *verſ.* 6. id eſt, habentes ſaccum inter manus, condendi ejus capitis gratia, &c. Proximè, priuſquam Textus aggrediatur Hiſtoriam *Isboſethi*, Hiſtoriam refert *Mephiboſethi*, quia in illo, quicquid de domo *Saulis* reliquum erat, omne jam comprehendebatur, præter *Ritzpæ* concubinæ, & *Moræ* filiæ liberos.

II SAMUELIS CAP. V. *à principio ad verſ.* 11. *Et* I CHRON. CAP. XI. *totum.*

2957 8 D*Avid* unctus in Regem univerſi *Iſraëlis Hebrone*, atque inde ab *Iſraële* toto perductus *Jeruſalemum*, ut iſtic illi locum perpetuum firmarent, urbemque illam facerent ſedem Regiam. Imperavit in univerſum annos 40. *Hebrone* ſeptem & dimidium, *Jeruſalemi* verò 32. & dimidium. Quod ſpatium poſterius exactè illi tempori reſpondet, quod Servator noſter vixit in terra.

Joab poſtquam à *Davide* ob cædem *Abneri* fuerat maledictus, capti cauſâ *Jeruſalemi* ſupremus belli Dux conſtituitur.

Proſperitas, qua *Jeruſalemi* fruitus eſt *David*, & ſedulitas illius in exædificanda urbe, nunc hiſtoriæ de urbe capta ſubjicitur; tanquam utraque hinc incipiens,

Mundi Davidis

piens, porroque continuata juxta ſeriem ſequentium temporum & narrationum; ut ita commodè memoria retineantur.

Deinceps *Chronicorum* Liber enumerat *Davidis* Heroës: qui Catalogus in Libro etiam *Samuelis* reperitur, ſed cum eâ loci differentiâ, quod in *Chronicis* ſit poſitus principio Regni *Davidis*, in *Samuele* verò circa Libri poſteriora; utrimque ſicut res exigebat, & conſimiliter, ut Genealogia Servatoris noſtri in *Matthæo* & *Luca* eſt collocata, quorum unus illam ad Nativitatem ejus refert, alter autem ejus Baptiſmo addit, neuter ſine certâ ratione. Ita *Chronicorum* Liber viros hos recenſet, ut qui auxilio *Davidi* fuerant in Regno ipſi aſſerendo; ideoque principio regiminis horum mentio fit: Liber verò *Samuelis* illos enumerat circa poſteriora regiminis tempora, ut qui ei adhæſerant tota regiminis illius duratione, operamque contulerant in Regno ipſi conſervando.

Utroque Libro primò adducuntur *Triumviri*, ſive tres viri fortes, qui locum dignitatis habebant peculiarem, quibuſque nulli alii æquales erant vel pares: qui fuere

I. *Joab*, de cujus ſummi Ducis munere relatum eſt ſupra, ubi *Jeruſalemi* direptio fuit expoſita.

II. *Adino Eznita* quoad nomen, ab officio autem appellatus *Jaſobeam*, id eſt, *Quiſpiam ſedens in tribunali in medio populi*, *velut Judex*. Filius proximus *Zabdielis*, 1 *Chron.* 27:2. ſed *Hachmonita* dictus, ſive Filius *Hachmoni*, à majoribus ſuis. *Suſtulit haſtam ſuam adverſus octingentos viros una vice, & trecenos ex iis confodit*. Nomen illius una ſolum litera à *Jeroboami* differt, quorum unus *Davidis* Regnum promovit, alter oppugnavit. ישבעם ירבעם

III. *Eliazar* Filius *Dodai Abohæi*, 1 *Chron.* 27:4. *Bethlehemita*.

Poſt hoſce tres fortes viros uterque liber adducit *Triumviros* alteros, ſive alios tres fortes viros, ordinis inferioris, quam præcedentes; ſed ſuperioris, quam eſſent reliqui omnes. Hi fuere

I. *Abiſai* frater *Joabi*, *Davidis* nepos. Ille horum *Triumvirorum* primarius erat. quod verò hiſtoria illius ſecundo loco expoſita eſt, ob ſimilitudinem eſt factum hiſtoriarum *Eleazaris* & *Sammæ*, quorum unus agrum hordei, alter agrum lentium tuebatur: hujus ergo ſimilitudinis cauſa illorum hiſtoriæ conjunctæ ſunt.

II. *Samma*. *Chronicorum* Liber neque eum nomine appellat, neque commemorat defenſionem agri lentium adverſus *Philiſtæos* ab ipſo præſtitam; ſed hiſtoriam illam includit hiſtoriæ de tribus viris, qui perruperunt per caſtra *Philiſtæorum* ad ciſternam *Bethlehemi*; erat enim illorum unus:& hoc illius factum in tuendis lentibus in expeditione iſtâc contigit: atque ita Liber *Samuelis* argumentum ſuggerit, expeditionem illam factam eſſe tempore meſſis: res autem ea accidit *in valle Rephaæorum*.

III. *Benaja*, Sacerdos, 1 *Chron.* 27:5.

Poſt duos hoſce virorum fortium ternarios ordines, alii fuere triceni fortes Centuriones & Præfecti, ſed qui non attigerint ad utrorumvis antecedentium dignitatem.

Liber *Chronicorum* nomina recenſet multo plura, quam *Samuelis* Liber: producit enim alios aliquot generoſos Præfectos, qui aſſerendo *Davidi* Regno auxilium præbuerunt; verum illi poſtea non pervenerunt ad eminentius aliquod dignitatis faſtigium.

I CHRON. CAP. XII. *à verſ.* 23. *ad finem.*

Catalogus Præfectorum, qui ad *Davidem* acceſſerunt, ad illum in Regem *Iſraëlis* inungendum. *Galilæi* maximum numerum conficiunt.

Eſt vero hic nonnihil præ manibus, quod difficultatem aliquam habet, propter diverſitatem ordinis in nexu hiſtoriarum, quæ utroque hoc Libro referuntur. Liber *Samuelis* proximè adfert hiſtoriam de *Hirami* benevolentia & veneratione erga *Davidem*, de *Davidis* liberis, deque duobus adverſus *Philiſtæos* præliis, & inde narrat apportationem Arcæ. Liber autem *Chronicorum* primo refert apportationem Arcæ, & deinde quæ pertinent ad benevolentiam *Hirami*, Liberos *Davidis*, & prælia cum *Philiſtæis*. Itaque quod attinet ad harum hiſtoriarum digeſtionem in propria tempora, ea ſecundum ſeriem ſequentem eſt concipienda.

Digitized by Google

Mundi | Davidis

I CHRON. CAP. XIII. *Verſ.* 1,2,3,4.

2957 8 D*Avid* conſilium init cum Chiliarchis, qui venerant ad ipſum *Hebronem*, cumque eo profecti fuerant *Jeruſalemum*, de apportatione Arcæ. Id nihil niſi conſultatio atque comprobatio ejuſce rei fuit, ſed negotium ipſum necdum eò fuit peractum: nuntii enim emittendi erant anteà ad totum *Iſraëlem* ſuper hoc ipſo, & tempus præſtituendum, quo univerſi congregarentur. Ideoque ii omnes, qui jam præſto ſunt, ſuam quique domum abeunt, donec tempus in id conſtitutum adveniſſet.

II SAMUELIS CAP. V. *à verſ.* 11. *ad finem. Et* I CHRON. CAP. XIV. *totum.*

I*Sraële* ad ſua digreſſo, *Hiram* Rex *Tyri*, poſteaquam audierat *Davidem* multâ cum ſolemnitate renunciatum eſſe Regem, & *Jeruſalemum* eſſe captum, ſine mora mittit nuntios, amicitiæ firmandæ cauſâ; & donat eum lignis cedrinis, additis fabris, ad exſtruendam illi domum. *Davidis* conjugia & liberi recenſentur, qui quamvis diverſis annis nati, omnes tamen ſimul hic enumerantur, ubi Textus exponit confirmatum *Davidi* Regnum, & res illius ſecundas.

Medio tempore inter diſceſſum populi à *Davidis* coronatione, & alterum conventum ad apportationem Arcæ, *Davide* jam ab ingenti illa multitudine derelicto, & *Jeruſalemo* tenuiter munito, *Philiſtæi* ſemel iterumque irruptionem faciunt ad vallem uſque *Rephaæorum*, quæ urbis mœnibus ſubjacet, ſtudio *Davidem* prehendendi: ſed vice utrâque multa cum ipſorum clade eos repellit.

II SAMUELIS CAP. VI. *à principio ad verſ.* 12. & I CHRON. CAP. XIII. *à verſ.* 5. *ad finem.*

2958 9 POpulus tranſportandæ cauſâ Arcæ convenit (veriſimile eſt factum fuiſſe uno trium Feſtorum) magno numero: venerunt enim 30000. ex Nobilibus, Magiſtratibus & Præfectis; & generatim totus prætereà *Iſraël*. *David* imitatur *Philiſtæos* vehendo Arcam plauſtro; quod diſplicet Domino, quia Sacerdotes præſto erant, qui eam humeris portaſſe debebant.

PSALM. LXVIII.

CUm verſu tertio *Cap.* 6. poſterioris Libri *Samuelis* lege *Pſalm.* 68. Qui, etiamſi titulo occaſionem non præferat, quâ conſcriptus eſt, primis tamen verbis oſtendit, natum eſſe ex occaſione aſportandæ Arcæ. Illa enim verba, *Surgat Dominus, & diſpergantur inimici ejus*, verba erant perpetui uſus, quoties Arca loco movebatur, *Num.* 10:35. Et Pſalmi argumentum manifeſtè eodem tendit.

I CHRON. CAP. XV. *à principio ad verſ.* 15.

TRibus menſibus fuit Arca in domo *Obed-Edomi*, & circa finem ejus temporis *David* ſibi ſuiſque ſervis extrui curaverat nonnullas domos, (ex quo *Hiram* fabros miſerat) & locum Arcæ jam paraverat. Cum primo verſu hujus Capitis lege partem hanc ex 2 *Sam.* 6:12. *Et indicatum erat Davidi, dicendo, benedixit Deus domui Obed-Edomi, & omnibus quæ ei ſunt, propter Arcam Dei.*

PSALM. CXXXII.

OCcaſione Arcæ deportandæ Pſalmus hic à *Davide* videtur eſſe conſcriptus; in quo præter alia precatur, ut Dominus Sacerdotes ad præſtandum Arcæ præſens miniſterium & porro futurum velit ſanctificare, & acceptare faciem Uncti ſui, ne altera inter illos ruptura oriatur; qualis in *Perez-Uzzâ* facta fuerat.

Digitized by Google

Mundi | Davidis

II SAMUELIS CAP. VI. *pars poſterior verſus* 12. *ad verſ.* 20. I CHRON. CAP. XV. *verſ.* 15. *ad finem, &* CAP. XVI. *totum.*

D*Avid* Arcam deportat, collocat loco quem ei paraverat, & quoſdam Pſalmos dedicat Sanctuario.

PSALM. CV. & XCVI. & CVI.

HI ſunt Pſalmi illi, quos tunc dedicavit, ſcil. *Pſalm.* 105. & 96. & 106. familiariter vulgo cogniti & paſſim lecti in *Pſalterio*, quando *Ezra Chronicorum* Librum conſcripſit: & hinc eo Libro tam contractè illos exhibet.

II SAMUELIS CAP. VI. *à verſ.* 20. *ad finem.*

M*ichal* irridet *Davidem* redeuntem domum, &c.

II SAMUELIS CAP. VII. VIII. *tota.* I CHRON. CAP. XVII. XVIII. *tota.*

HIſtoriæ, quæ ſequuntur, tempus nullum adſcriptum habent; ſed certum eſt
his annis contigiſſe. Dum *David* meditatur ædificare Domum Dei, Deus pro-
2959 10 mittit ſe domum *Davidis* ædificaturum. Deus illius ſolium coronat promiſſo
11 *Chriſto*: & dehinc nihil illi valet reſiſtere, atque illi rebellare eſt rebellare *Chriſto*,
12 *Pſalm.* 2:6,7. &c. Mandata Regis detractare jam minimè licebat, propter Jura-
13 mentum Dei illi factum, *Eccleſ.* 8:2. *David* expugnat *Gathum*, & oppida ejus,
14 quæ dicebantur *Metheg-Ammæ*, ſive frænum *Ammæ*, quia in Colle *Ammæ Phi-
15 liſtæis* perpetuum habebatur Præſidium, 2 *Sam.* 2:24. quo *Gathæi* fræni in-
16 ſtar utebantur ad tractum iſtum cohibendum. *Moabum* ad tertiam partem occîdit,
17 efficiendo ut cubarent in terrâ, & metiendo eos funiculo, qui morte afficiendi &
18 qui in vita conſervandi eſſent. Id appellat, *Commenſurationem vallis Succotharum*,
19 *Pſalm.* 60:8. Percutit *Hadad-Ezerem*, & capit ab eo 20000. viros, & 1000.
20 Currus, & 7000. Equites, qui Curribus adjuncti erant; ita ut ſeptem Equites fue-
rint ſingulis Curribus aſſignati. Omnes perdit præter 100. Currus, & 700. eorum
Equites. E *Syris Damaſcenis* percuſſit 22000. viros.

PSALM. LX.

POſt 2 *Sam.* 8:12. immittendus Pſalmus ſexageſimus: cujus Titulus ſignificat, factum illum à *Davide*, cum pugnaret contra *Aram Nabaraim*, & contra *Aram Zobæ*, (id eſt contra *Hadad-Ezerem*, Regem *Zobæ*, quando proficiſcebatur, ut ſibi robur adderet ab *Aram Nabaraim*, ut narratur 2 *Sam.* 8:3. *Et quando Joab revertebatur, & percutiebat ex Edomo in valle ſalis duodecies mille viros.*) Hæc autem victoria prorſus alia eſt ab illa, quæ proximo verſu memoratur, de *Abiſajo percutiente ab Edomo in valle ſalis decies octies mille viros*; nam non tantum diſcrimen manifeſtum eſt inter *Joabum* & *Abiſajum*, & inter 12000. & 18000. ſed Textus expreſſe affirmat, *Davidem*, ante *Abiſaji* de *Edomo* victoriam, ſpolia cepiſſe ab *Edomo* & *Amaleko*, qui de *Edomo* erat.

PSALM. CVIII.

POſt 2 *Sam.* 8:13. locum poſcit *Pſal.* 108. qui à ſexageſimo quantum ad argumentum nihil differt. Cum igitur ille titulo indicet, compoſitum eſſe ſuper victoriâ *Joabi* de 12000. *Edomæis*; hic credi poteſt eſſe conſcriptus ſuper victoriâ *Abiſaji* de 18000.

I RE-

Mundi | Davidis

I REGUM CAP. XI. *à verſ.* 15. *ad verſ.* 21.

HIc intercurrit Hiſtoria *Hadadis*, &c. Lectio *verſ.* 15. facit ad illuſtrationem eorum, quæ proximè narrata erant.

II SAMUELIS CAP. IX.

2970 21 CIrca hoc fere tempus factum eſt, ut *David* cauſa amicitiæ, quam cum *Jona-*
22 *thane* coluerat, filium ejus *Mephiboſethum* favore ſit complexus. *Mephiboſeth*
23 moriente Patre, quinquennis erat, 2 *Sam.* 4:4. atque ita anno regiminis *Davidis*
24 viceſimo natus erat annos viginti quinque. Is, quando *David* eum ſibi addicere cœpit, jam filium habebat, qui fidei *Zibæ* eſt commiſſus, ut is curam illius gereret.

II SAMUELIS CAP. X. I CHRON. CAP. XIX.

2974 25 H*Anun* improbè Legatos *Davidis* ignominiâ afficit. Venerant, ut lugerent cum ipſo, & conſolarentur ipſum; & loco veſtium lacerarum, qui lugentium amictus erat, præcidit iis veſtes ad nates uſque, & dimidium barbæ abraſit; cum abominatio illis eſſet, vel minimam pilorum præciſionem pati propter demortuum, *Lev.* 19:27. *Deut.* 14:1.

Hanun conducit שנים ושלשים אלף רכב, 1 *Chron.* 19:7. *Tricies & bis mille viros cum Curribus*; ita enim reddendum, ſiquidem ex 2 *Sam.* 10:6. apparet, 20000. ex iis fuiſſe Pedites.

Poſt profligationem hujus exercitus *David* denuo profligat *Hadad-Ezerem*, & cædit ab eo שבעת אלפים רכב, 1 *Chron.* 19:18. *Septies mille viros cum Curribus*, id eſt, ſeptingentos Currus, 2 *Sam.* 10:18. Ita ut decem viri ad ſingulos Currus pertinerent. Percutit etiam 40000. Equites, 2 *Sam.* 10:18. pro quo in Libro *Chronicorum* poſitum eſt, 40000. Pedites; id eſt, tot viros, Equites Peditesque, qui neque de Curribus neque cum Curribus pugnabant, ſed ſine illis.

II SAMUELIS CAP. XI. *totum.*
I CHRON. XX. *à verſ.* 1. *ad hæc verba, & Joab* percuſſit *Rabbam*, &c.

2975 26 D*Avid* adulterio cognoſcit uxorem *Urijæ*, ipſum inebriat, & occidit. *Urija* fuit proſelytus *Canaanita*, ex reliquiis filiorum *Hethi* circa *Hebronem*: vide *Gen.* 23:2, 3. *Bathſeba* verò filia *Eliami*, 2 *Sam.* 11:3. ſive *Ammielis*, 1 *Chron.* 3:5. è *Lodebaro* ultra *Jordanem*, 2 *Sam.* 9:5. & 17:27.

II SAMUELIS CAP. XII. *ad verſ.* 15. *& verſus illius prior pars:* Et *Nathan* abiit domum ſuam.

PRopheta *Nathan*, qui miſſus fuerat annuntiatum *Davidi* bona domûs illius, nunc mittitur annuntiatum mala. Aptâ parabolâ eò illum perducit, ut ſe condemnet: & minis terribilibus efficit, ut confiteatur peccatum ſuum, &c.

PSALM. LI.

DEſiderium remiſſionis peccati, fructus eſt remiſſionis peccati. Paulò ante *Davidi* annuntiatum erat, peccatum ei ſuum remiſſum eſſe; & id nunc ſibi ſeriò applicat, petendo ejus remiſſionem. Pſalmi titulus clarè exponit illius & tempus & locum. *David* uni ex filiis è *Bathſeba* nomen facit *Nathanis*, de nomine Prophetæ, 1 *Chron.* 3:5. *Zach.* 12:12. eratque hic filius ille, è quo *Chriſtus* deſcendit, *Luc.* 3:31. Atque ita *David* ſimul & fidem ſuam oſtendit, quam promiſſioni habet, quæ ei per *Nathanem* eſt annuntiata, læta afferentem; & demonſtrat reſipiſcentiam ab illo peccato, quod ei *Nathan* ob oculos poſuit, afferens triſtia.

Mundi | Davidis

II SAMUELIS CAP. XII.
à verſ. 15. Et Dominus plagâ affecit infantem, &c. *ad verſ.* 24.

2976 27 INfans adulterio genitus incircumciſus moritur. *David* per *Nathanem* certior factus, fore ut moreretur, pro vita tamen illius ſupplicat.

II SAMUELIS CAP. XII. *à verſ.* 26. *ad finem.*
I CHRON. CAP. XX. *verſ.* 1. Percuſſitque *Joab Rabbam*, & deſtruxit eam; *& verſ.* 2, 3.

JOab capit partem *Rabbæ*, eam nempe in qua Aula erat: deinceps venit *David*, & cepit reliquam: *Ammonitas* autem ſubjecit tormentis exquiſitiſſimis.

II SAMUELIS CAP. XIII. *totum.*

2977 28 AMnon comprimit *Thamaram* ſororem. Compara hunc inceſtum *Ammonis*, filii *Davidis* natu maximi cum inceſtu *Reubenis*, filii *Jacobi* natu maximi, *Gen.* 35:22. & raptum hunc *Thamaræ* cum raptu *Dinæ*, *Gen.* 34. & hanc *Thamaram* inceſtu pollutam à fratre cum *Thamarâ* inceſtu pollutâ à ſocero, *Gen.* 38.

Abſalom invitat *Amnonem*; qui *verſ.* 20. per contemtum *Aminon* dicitur. * *An Aminon frater tuus fuit apud te?* דאמיין אחיך

2978 29 *Abſalom Amnonem* trucidat. Obſerva hic proceſſum modumque juſtitiæ Divinæ. Sicut *David* adulterium commiſerat, *Urijam* inebriarat, & tunc occiderat; ita *Amnon* committit inceſtum, inebriatus eſt, & tunc occiditur. Deinde ut *Amnon* commiſerat turpitudinem ſuam circa capiendum cibum; ita circa capiendum cibum pœna in ipſum ingruit. *Abſalom* poſt hoc factum profugit *Geſurem* ad *Thalmajum*, avum maternum: vide 2 *Sam.* 3:3.

II SAMUELIS CAP. XII. *verſ.* 24, 25.

2979 30 SAlomon natus & appellatus ידידיה, *dilectus Domini*. Hiſtoria de nativitate illius juncta eſt Hiſtoriæ de infante, qui eſt mortuus; ut Dei cum *Davide* reconciliatio oſtendatur proximè poſt iram ejus adverſus ipſum. Ira Dei fuerat oſtenſa ſublatione infantis, qui ex adulterio erat conceptus: reconciliatio verò illius in eo, quod delectatus ſit infante, qui ex conjugio cum eâdem muliere erat ortus. Nativitas ejus ante expugnationem *Rabbæ* memoratur, quanquam diu poſt accidit, quia Textus *Bathſebæ* hiſtoriæ intentus, totam ſimul voluit expedire. *Abſalom* hoc anno *Geſure* exulat.

31 *Abſalom Geſure* adhuc commoratur.

II SAMUELIS CAP. XIV. &c.

2981 32 ABſalom adhuc degit *Geſure*; ſed hoc anno interceſſione *Joabi* & ſubornatæ cujuſdam fœminæ obtinetur, ut domum ei redire liceat. Sermo mulieris valdè eſt obſcurus & intricatus, ſi quis non diligenter ad illum attendat animumque advertat. Primò hiſtoriam proponit, adinſtar cujuſdam parabolæ, de duobus ſuis filiis, quorum alter alterum occiderat, uti *Abſalom* fecerat *Ammoni*; deque periculo quod à percuſſore ob hoc facinus impendebat, niſi Rex averteret. Reſpondit Rex, *Abi domum tuam, & mandabo de te*, verſ. 8. *Et mulier dixit Regi, iniquitas ſit ſuper me & ſuper domum patris mei; Rex verò & thronus ejus ſit innocens*, verſ. 9. Mens ejus, ſi res apertè dicenda ſit, hæc eſt: Id itaque reſpondes, ſicque negotium meum expedis, ut ſanguis venire poſſit ſuper proprium tuum caput, & ſuper thronum tuum: affirmas enim te mandaturum de me ad præveniendum, ne qua fortè calamitas contingat; quæ fieri poſſit ut contingat, priuſquam tu eam prævenias. *Et dixit Rex; Quicunque quippiam loquitur contra te, adducito ad me, & non perget amplius attingere te*, *verſ.* 10. Illa ad hæc, *Recordetur Rex Jehovæ, Dei tui*, מהרבית גואל הדם *propter multitudinem vindicum ſanguinis ad perdendum, neque extirpent filium meum.* Id eſt, conſideret Rex propter Dominum, quam vindices ſanguinis ſint multiplicati; unde fieri poſſit, dum ego unum ad te defero, alter interea tem-

 poris

Mundi | Davidis

poris Filium meum occidat. Tunc juramento Rex promittit, ejus filium non moriturum. Ubi illa, nulla amplius circuitione utens ſe aperit; *Et quare*, inquit, *cogitaſti rem hujuſmodi erga populum Regni, & non cogitas ſimilem erga populum familiæ tuæ, ita ut reducas depulſum tuum? Certe enim ſemel moriendum eſt nobis, & ubi mortui erimus, revocari amplius non poſſumus, non magis quam effuſa aqua colligi iterum poteſt à terrâ: Sed quamdiu Dominus vitam non aufert, meditatus eſt rationes & cogitationes, ut vir depulſus non manſurus ſit depulſus ab eo in perpetuum, &c.*

2982 33 *Abſalom* eſt *Jeruſalemi*, ſed faciem Regis non videt. Conſilium init ut ſit *Nazaræus* pro hoc tempore, ſuſcepto etiam voto, eo fine ut commodius poſſit prætexere ſolutionem voti *Hebrone*. Tamen ante ſolutum votum caput cogitur ton-
34 dere, quia pilus prægravabat illum. Adigit *Joabum* ad illum venire, quemadmodum Deus homines adigit venire ad ipſum, nimirum vaſtando per incendium agros illius: & tunc venit *Joab*, & adduxit illum ad Regem.

II SAMUELIS CAP. XV.

2984 35 ABſalom rebellat circa finem annorum quadraginta, poſtquam *David* primùm inunctus erat per *Samuelem Bethlehemi*; & cogit *Davidem* fugere vitæ causâ.

PSALM. III.

CUm verſu triceſimo ſecundo hujus Capitis, ſpeciatim cum his verbis, *Et cum David veniret ad cacumen Montis, ubi ſe incurvabat Deo*, lege Pſalmum tertium, factum (ut titulus habet) *à Davide fugiente metu Abſalomi filii ſui*, effuſumque, ut credibile eſt, in precatione illa, quam dixit in cacumine Montis *Oliveti*, ubi ſe Deo incurvabat. Ille magna cum mæſtitia queritur multitudinem inimicorum, qui ipſi adverſabantur; & multitudinem amicorum falſorum, qui palam ab illo ſtare non audebant. Sed ſpem ſe certam habere oſtendit, fore ut ipſe liberetur, inimici autem ſui perdantur; & prophetat de ipſa ratione & modo finis *Abſalomi* & *Ahitophelis*, ſi verba hæc ſecundum literam velis accipere, *Tu percuſſiſti inimicos meos in maxillâ*, *Ahitophelem* nexu laquei, & *Abſalomum* ramo Quercûs. Niſi ad victoriam *Sampſonis* alludat, quam obtinuit per maxillam, & prævideat, Deum ipſum per tenuia media, quale illud erat, perducere velle ad liberationem magnam. Cum *Davidis* typo compara *Chriſtum* aſcendentem in montem *Oliveti*, ibique precantem in die acerbitatis ſuæ.

II SAMUELIS CAP. XVI.

DAvid agros *Mephiboſethi* alteri donat; atque ita de alieno diſponit, quando de proprio diſponendi nullam poteſtatem habet. *Simei* jacit maledictiones & lapides in *Davidem*, & latrat ut vivus Canis, quanquam *Abiſai* ipſum appellat Canem mortuum. Unicam hanc injuſtam actionem, quam *David* unquam adverſus domum *Saulis* commiſerat, ſcil. alteri donando agros *Mephiboſethi*, vix modò patravit, cum quidam è domo *Saulis* in ipſum incurrit.

PSALM. VII.

INter verſus decimum tertium & decimum quartum hujus Capitis immigrat Pſalmus ſeptimus, compoſitus à *Davide* ſuper iis verbis *Simei*, & decantatus in his ipſis anguſtiis. Nomen *Cuſch* ipſi imponit per irriſionem, velut alludens ad nomen *Kiſch*, quæ familiæ *Saulis* paterna appellatio fuit: (*Simei* namque è familia *Saulis* fuit) ſed convertens illam in *Cuſch*, atque ita *Simei* imponens. Nomen maledictum, *Geneſ.* 10. & Natio fuſca, atque ejuſmodi planè coloris *Simei* quoque mores fuerunt.

II SAMUELIS CAP. XVII.

AHitophelis maledicta invidia adverſus *Davidem*; quanquam probabile eſt, avum eum fuiſſe *Bathſebæ*. *Huſai* evertit illius conſilium.

Mundi | Davidis

PSALM. XLII. XLIII.

2984 35 DAvid fugiens metu *Abſalomi*, non ſubſiſtit, donec venerit prope *Jordanem*, ubi demum requieſcit; ut ſiqua neceſſitas vel diſcrimen ingruat, paratus ſit ad aquam tranſmittendam, & ad aufugiendum. Atque ita intelligi debet, quod legitur 2 *Sam.* 16:14. *Sic advenit Rex & omnis populus, qui cum eo erat, feſſi, & recrearunt ſe ibi*, id eſt, paulùm ultra *Bahurima*; qui locus erat prope *Jordanem*: neque ſubſtiterant, ſeque recreaverant donec eò veniſſent. Dum *David* ſic moratur in ripis *Jordanis*, componit Pſalmum quadrageſimum ſecundum, *& è terrâ Jordanis recordatur Domini*, *verſ.* 7. & contemplans *Jordanis* aquas, ſuas miſerias meditatur. Obſervat ibi, ut unda undam premat & obruat, & abyſſus hinc inde per canales & decurſus ſuos edat ſonum: *Ita*, inquit, *omnes fluctus tui & omnes undæ tuæ irrumpentes ſuper me tranſeunt*, *verſ.* 8. &c. Pſalmus quadrageſimus tertius videtur etiam ab illo factus circa idem tempus. Compara adinvicem verſus ultimos utriuſque Pſalmi.

PSALM. LV.

INter verſus viceſimum primum & viceſimum ſecundum Capitis hujus 17. ſecundi *Samuelis*, ad relationem nuntii, quod accepit *David* de conſilio *Abitophelis* adverſus ipſum, inſerendus eſt Pſalmus quintus & quinquageſimus; in quo *David* deplorat ſuam calamitatem, quam uni præcipuè imputat ex viæ ducibus, familiaribus & Conſiliariis ſuis, *verſ.* 13, 14. & acerbiſſima illi imprecatur. Preces ejus effectum ſunt ſortitæ in morte *Abitophelis*.

II SAMUELIS CAP. XVIII. XIX.

ABſalom pendet impactâ cervice in ramum quercûs bifurcum. Elatum ejus caput jam exaltatione ſuâ fruitur; & inflatum ejus cor eſt ſpiculo transfixum. *David* ſuper illo acerbè luget, maximè ob deſperatum morientis ſtatum. *Simei* veniam admiſſi peccati obtinet. *Primus ex omni domo Joſephi* deſcendit obviam Regi, *Cap.* 19. *verſ.* 20. Hic uſurpatur *domus Joſephi* pro *omni Iſraële*, *Judâ* excepto, & *Judæ* opponitur. *Joſeph* fuerat primaria familia, dum Arca erat *Silunte*, & omnis *Iſraël* ab eo denominabatur, *Pſalm.* 80:2. Sed tunc Deus *Joſephum* rejecit, & *Judam* elegit, & primam ei dignitatem contulit, *Pſalm.* 78:68, 69. Atque ibi incepit porròque eſt continuata diſtinctio inter *Iſraëlem* & *Judam*, *Joſephum* & *Judam*, *Ephraimum* & *Judam*: omnibus enim hiſce appellationibus reliquæ Tribus nuncupantur velut Tribui *Judæ* oppoſitæ.

II SAMUELIS CAP. XX.

SEba filius *Bichri* rebellat: origine *Benjaminita*, *verſ.* 1. ſed *Ephraimo-montanus* domicilio, *verſ.* 21.

PSALM. XXX.

CUm verſu tertio hujus Capitis lege Pſalmum 30. qui à *Davide* conſcriptus videtur; quando à fugâ *Jeruſalemum* reverſus, purgat & ſanctificat ſuam domum, quæ per *Abſalomum* in lupanar fuerat converſa.

PSALM. IV.

CUm hoc Capite lege etiam Pſalmum quartum, compoſitum, ut argumentum declarat, ſuper hâc *Sebæ* rebellione; quemadmodum tertius Pſalmus compoſitus fuerat ſuper rebellione *Abſalomi*. Exprobrat populo, quod regnum ſuum ſpreviſſet, & attendiſſet ad Regnum quod nihil erat niſi vanitas; ut *Abſalomi* prius, & nunc *Sebæ*, *verſ.* 3. Monet *Iſraëlem* & *Judam* ne abrepti irâ peccent, 2 *Sam.* 19:43. רגזו ואל תחטאו, *Iraſcimini & ne peccetis*, *verſ.* 5. Profitetur *verſ.* 8. ex quo frumentum, vinum, & reliquus commeatus multiplicata ſibi

Mundi Davidis erant à *Barzillajo*, *Sobi* & *Nabazo*, 2 *Sam.* 17:27. &c. animum ſuum cepiſſe certam fiduciam de reſtitutione; ideoque ſecurum quieſcere velle, & pendere ab illâc benignitate & providentia, quæ ipſum ex aliis turbis liberarat, & fauſta hæc auſpicia produxerat.

II SAMUELIS CAP. XXI. *ad verſ.* 15.

2985 36 TRium annorum fames incumbit terræ ob peccatum *Saulis*. Ipſe ex zelo erga
37 *Iſraelem* & *Judam* expellere volebat *Amoræos*, & eos perdere,(cumque iis om-
38 nes Pythones & Ariolos) & ſimul irruit in *Gibeonitas*, eoſque percutit, quanquam *Joſua* fœdus cum iis inierat. Tres hoſce annos famis initium cepiſſe proximo poſt rebellionem *Abſalomi* anno, Textus videtur ſignificare Phraſi iſtâ, שנה אחרי שנה *verſ.* 1. *Anno poſt illum annum*: nam ubicunque totâ Scripturâ mentio fit famis, tantum dici ſolet, *erat fames ſeptem annis*, vel, *erat fames decem annis*, &c. Et id ſufficit, ac perpetuo uſurpatur ad denotandum famem duraſſe tot in univerſum annos: & nunquam ea verba *anno poſt annum* de famis continuatione uſurpata inveniuntur. Ideoque hæc expreſſio videtur potius tres famis annos ad hiſtoriam antecedentem referre, quam ad annos famis inter ſe: quanquam reperiemus in hiſtoria *Davidis* numerantis populum, quod fili inſtar erit ad tempus horum annorum indagandum.

II SAMUELIS CAP. XXI. *à verſ.* 15. *ad finem.*
I CHRON. CAP. XX. *à verſ.* 4. *ad finem.*

PRælia hæc tempus adſcriptum non habent; idcirco, quia nullo indicio locus iis proprius oſtenditur, tutiſſimum eſt, ordine eo accipere, quo referuntur: præcipue quoniam ambo Libri & *Samuelis* & *Chronicorum* illa hoc loco collocarunt. Liber *Samuelis* enumerat quatuor prælia; *Chronicorum* verò tantummodò tria: illud enim, in quo *David* in periculum venit, & unde decorè & illæſus exire non potuit, omiſſum eſt. Liber *Chronicorum* tegit nonnunquam dedecus Sanctorum Dei; & ita nullam mentionem facit de facto *Davidis* circa *Urijam* & uxorem ejus, deque Idololatria *Salomonis*, &c.

In Libro *Samuelis Elhanan* dicitur *filius Jaare Oregim Bethlehemita*; in Libro verò *Chronicorum* appellatur Filius *Jairi*. Jam 1 *Chron.* 11:26. memoratur *Elhanan Bethlehemita Filius Dodonis*. Utrum hi duo diverſi ſint, an unus idemque, quæritur? Dicitur is percuſſiſſe *Goliathum*, 2 *Sam.* 21:19. id eſt, *Lachmin Goliathi* fratrem, uti *Chronicorum* Liber id explicat; ſicut per *Michalam* intelligitur *Michalæ* ſoror, eodem Capite *Samuelis*, *verſ.* 8.

II SAMUELIS CAP. XXII. & PSALM. XVIII.

DUo ſunt, ex quibus videtur colligi, locum hunc non eſſe huic Pſalmo & Capiti proprium. I. Quia maximè compoſitus eſt ſuper *Davidis* liberatione è manu *Saulis*, ut titulus quoque indicat. Die, in quo Dominus liberaverat eum è manu omnium inimicorum ejus, *& è manu Saulis*; id eſt, *ſpeciatim è manu Saulis*; ut *Joſ.* 2. *verſ.* 1. *Ite, inſpicite terram, & Jerichuntem*, i. e. *Jerichuntem præcipue*. II. Quia ſequens Caput in *Samuele*, quod ita incipit, *Hæc ſunt poſtrema verba Davidis*, oſtendit, hæc Capitis 22. multo antè prolata fuiſſe. Sed ſi maximè hoc Canticum de Liberatione plurimis annis prius ſit conſcriptum, poſt evidentem ſcilicet illius liberationem ab omnibus turbis, quas illi *Saul* & ejus Familia moverant; tamen commodiſſimè hic collocatur, & à *Davide* hoc tempore repetitur, quando illius inimici omne ſuum venenum jam evomuerant, & ipſe ab illis omnibus erat liberatus. Nunc nullum amplius verbum fit de illius inimicis aut eorum commotione, ſed ipſe ſibi inimicus fit in numerando populo. Quod ſi cui libeat tam eſſe curioſo, poterit *Pſalmum* 18. collocare ad finem 2 *Sam.* 4. ubi Davidi quies eſt ab omnibus turbis domûs *Saulis*; & poterit quod continetur 2 *Sam.* 22. ubi prorſus idem extat, iterum hoc loco legere.

Mundi | Davidis

II SAMUELIS CAP. XXIII.

HIc ſunt verba quædam *Davidis* poſterioris temporis : דברים אחרונים, reddi poteſt *Verba poſteriora*, æque ac *Poſtrema*. Ratio, cur viri illi fortes recenſeantur hoc loco, ſuperius obſervata eſt.

II SAMUELIS CAP. XXIV. & I CHRON. CAP. XXI.

2988 39 DAvid numerat populum, *provocatione Satanæ*, 1 *Chron.* 21 : 1. & *provocatione Dei*, 2 *Sam.* 24 : 1. Provocatio prior tendit ad peccatum in *Davide*, poſterior ad pœnam *Iſraëlis*. Deus ſuccenſebat *Iſraeli*, quod Regnum Davidis tam vile haberent, ſicut & *Davidi* ob cauſam *Urijæ*, & domui *Saulis* propter cædem *Gibeonitarum* : & ideo objicit *Davidi* cogitationem avaram, ut populum numeret, atque ita Capitibus ſingulis imponat tributum. *Joab* plus habet pietatis, vel prudentiæ ſaltem humanæ, quam *David*; remque ſtudet declinare, donec *Davidis* importunitate victus cedit. Novem menſes & viginti dies recenſioni huic vacat, quod tempus ferè conficit tempus gravidæ mulieris; tandemque numerum populi adfert. Sed iſtum numerum Liber *Samuelis* & Liber *Chronicorum* magna cum differentia exhibent. In *Chronicorum* Libro dicitur, *Erant omnium Iſraëlitarum undecies centies mille viri* : Liber verò *Samuelis* ait, *Erant Iſraëlitarum octingenta millia virorum* : hic differentia eſt trecentorum millium. Præterea Liber *Samuelis* dicit, *Erant virorum Judæ quingenta millia* : Liber verò Chronicorum ait, *Erant quadringenties ſeptuagies mille viri* : hic triginta millium differentia eſt. Ad conciliandam magnam hanc & duplicem diverſitatem, obſervari oportet, fuiſſe viginti & quatuor millia Militum & Præfectorum, qui ſecundum vices menſtruas *Davidi* præſto erant, nempe totidem ſingulis menſibus : hi ſimul conficiunt ducenta & octoginta octo virorum millia, 1 *Chron.* 27. Erant hi velut Satellitium perpetuum circa Regem; & parati ad quamcunque ſubitam expeditionem. Præter hos erant quoque Moderatores Tribuum, & qui iis ſuberant præfecti; inſpectores quoque & Directores Regii, & præfecti, qui ab illis pendebant : ſed horum numerus in cenſum non venit in recenſione Chronicorum *Davidis*, *verſ.* 24. Adeo ut hinc petenda ſit exemptio ſcrupuli; nimirum totus numerus virorum, qui armis apti erant, ſurgebat in *Iſraële* ad undecies centies milles, & in *Juda* ad quinquies centies mille; ſed inter hos erant ter centies mille ex *Iſraële*, & tricies mille è *Judâ*, qui jam albo inſcripti, & in perpetuo miniſterio Regis erant; quos itaque *Joab* in numero non exhibuit, quia eorum numerus & catalogus jam ante cognitus habebatur, & Rex nulla tributa propriis miniſtris imponi voluit. In totum hunc numerum *Levi* & *Benjamin* non computantur.

Priuſquam enim *Joab* veniret domum enumeratum illos, (nam à remotiſſimis incipiebat) peſtis exoriebatur in populo; & Dominus jam præcidere ab illis cœpit, quod *David* modò in ambitionem vertere cœperat, & unde propoſuerat magna lucrari. Dominus tria *Davidi* propoſuit; quorum unum erat, an trium annorum fames veniret in Terram, 1 *Chron.* 21 : 12. quod Liber *Samuelis* ita exprimit, *an veniet ſeptem annorum fames? verſ.* 13. quaſi diceret, an veniet trium annorum fames, ut cum iis annis, qui jam fuerunt, ſint anni ſeptem? Fuerat enim modò trium annorum fames propter *Gibeonitas*, & hic annus recenſionis ferè præterierat; venientne ergo tres prætereà anni famis ad conficiendos annos ſeptem? Atque ita filum habemus aptiſſimum ad ordinanda tempora narrationum, quæ modò narratæ ſunt, & pertinent ad tres annos famis, & quod iis additum eſt : & facit hoc quoque ad confirmandam ſeriem, in quâ illas collocavimus, vel potius, in quâ collocarunt ſe ipſas. Ubi *Abraham* cultrum eduxerat ad cædendum Filium, at retentus fuerat mandato è cœlis; in eodem loco diſtrinxerat deſtructor Angelus gladium ad perdendum *Jeruſalemum*, ſed retentus fuit à Domino. Locus erat in Monte *Moriæ* area quædam, quæ erat *Ornanis* ſive *Araunæ*, ſive *Auranæ*, bis enim ita in Textu ſcribitur; & his diverſis nominibus ſpatio parvo interjecto appellatur. Vir, qui deſcenderat ex Regio ſanguine *Jebuſæorum*, & nunc cum *Jebuſæis* cæteris, qui *Jeruſalemi* extraque illam urbem ſuas poſſeſſiones habebant pendentes tributum, incolebat præcipuâ dignitate. Locum hunc emit duabus diverſis partibus, & duabus

Digitized by Google

Mundi | Ætatis

bus diverſis ſummis. Pavimentum enim ipſum boveſque & materiam ſacrificii emit 50. ſiclis argenteis, 2 *Sam.* 24:24 ſed locus totus Montis domus, qui locus erat valde amplus, ſtat ipſi ſiclis ſexcentis aureis, 1 *Chron.* 21:25. Illic *David* Altare extruit, & ſacrificat, & Dominus ipſi per ignem cœlitus reſpondet; atque ita exiſtimatum eſt, cœlitus demonſtrari, qui locus extruendo Templo deſtinetur.

I CHRON. CAP. XXII. *verſ.* 1,2,3,4,5.

2989 40 D*Avid* materiam ædificando Templo parat. Proſelytos, ſive converſos Gentiles operi adhibet ad lapides excidendos. Typus ſpiritualis Templi, exædificandi per Gentiles ſub Euangelio.

LIBER PRIOR REGUM.

CAP. I. *totum.*

D*Avid* extremâ ætate percuſſus eſt gelidâ & velut emortuâ quadam corporis ſtupiditate, ut nullis veſtium tegumentis calefiat: quare Medici perſuadent, ut in uxorem accipiat puellam aliquam pulchram & viridi ætate; qualem inveniri contigit *Abiſagam Sunammitidem* è regione *Iſſacharis*. *Adonija*, occaſione decrepitæ ætatis Regis, Regnum occupare nititur; Regis dilectus Filius, & inſtar Filiorum *Eli*, corruptus per paternæ caſtigationis neglectum; proximus filius ab *Abſalomo*, ex alia uxore, & *Abſalomo* formâ & rebellione gemellus. Hujus ad Regnum aſpiratio cauſa *Davidi* fuit, inungendi *Salomonis*, ut materiam iſtius controverſiæ amoliretur. Sed locus hic eſt diſquiſitioni de tempore, quo unctus eſt *Salomon*, & de ordine hujus Capitis.

Ter invenimus mentionem factam inaugurationis *Salomonis*, ſcilicet bis in Libro *Chronicorum*, & ſemel hic: vide 1 *Chron.* 23:1. & 29:22. Id jam dubium eſt, utrum ter Regno inauguratus ſit, & ſic tres illi Textus omnes diſtinctè ſint accipiendi; an tantum bis, ut 1 *Chron.* 29:22. videtur ſtatui, atque ita hæc Hiſtoria concurrere debeat cum alterâ earum narrationum, quæ in *Chronicis* extant.

Quod huic obſcuritati lucem debet affundere, hoc eſt, *Davidem* ante inunctionem hanc *Salomonis*, quæ 1 *Reg.* 1. refertur, & occaſione ambitionis *Adonijæ* facta eſt, nunquam aperuiſſe, quem ſibi ſucceſſorem deſtinaſſet: inſpice *verſ.* 20,27. ideoque omninò ſtatuendum eſt, id quod hic narratur, concurrere vel convenire cum inauguratione, quæ narratur 1 *Chron.* 23:1. & Hiſtoriæ ſeries perſpecta huic rei fidem faciet.

Hoc poſito, unicus ſcrupulus, qui obſtat, hic eſt: *Davidem* hac unctione *Salomonis* primâ hæſiſſe in cubiculo ſuo, & lecto decubuiſſe, valdè decrepitum; & tamen unctione alterâ verſatum fuiſſe in medio ſuorum Principum & Præfectorum, & pedibus inſtitiſſe, 1 *Chron.* 28:2. Sed facile erit difficultatem hanc removere, ſi conſideretur, *Davidis* præſentem infirmitatem non morbum fuiſſe, ſed ſenile frigus & ſtuporem corporis; habuiſſe illum mentem ſanam in corpore ſano; ſed ſenio fuiſſe confectum & vigore omni deſtitutum. Atque idcirco, quamvis nuſquam commodius haberet, quam in cubiculo & lecto, ideoque iis plurimum uteretur; attamen tali caſu, Coronatione ſcilicet *Salomonis* iterata, prodire ipſum potuiſſe, & conſiſtere pedibus, & orationes habere, & dicere ſententiam de iis, quæ fieri poſteà deberent.

I CHRON. CAP. XXII. *à verſ.* 6. *ad finem.* *Et* CAP. XXIII. *verſ.* 1.

H*Iſtoriæ* connectio hoc loco plana eſt & perſpectu facilis. Adactus fuit *David* per *Adonijæ* ambitionem, ut *Salomonem* inungi curaret; & conſpiratione illâ diſſipata, primo mandatum ei dat ædificandæ Ædis Domini; ut quod primam curam merebatur: *Et tum, quando David ſenuerat, & ætate vergebat, Salomonem faciebat Regem*, ut relatum eſt 1 *Reg.* 1. atque ita verſus primus 1 *Chron.* 23. & Hiſtoria illa de unâ eademque re loquuntur.

Mundi | Davidis

I CHRON. CAP. XXIII. *à verſ. 2. ad finem.* Et CAP. XXIV. & XXV.

2989 40 POſtquam *David* oblatam illam occaſionem per *Adoniæ* conſpirationem nactus erat, eaque ad *Salomonem* ſubito privatimque inungendum fuerat uſus; agitabat animo magis ſolemnem & publicam Coronationem; inque eum finem convocat omnes Principes & Moderatores populi. Et quemadmodum conſtitutâ primum *Iſraelis* Republica in Deſerto, numeratio eſt inſtituta; *Levitæ* item ordinati ad Miniſterium Divinum, & Sanctuarium fabricatum: ita *David* hic ad eundem propè modum agit; Levitæ numerantur & diſtribuuntur pro diverſi miniſterii officiique ratione, & Sacerdotes digeruntur in ſuos ordines, &c.

LIBER PSALMORUM.

PRæter illos Pſalmos, quos ſupra attigimus, inque ordinem redegimus, Hiſtoriarum filum ſecuti, ſuperſunt adhuc 120. alii, qui ſunt incerti vel temporis, vel Authoris, vel utriuſque; ideoque ad certum tempus vel occaſionem referri non poſſunt: attamen haud incommode vel inepte poſſunt ſubjici fini Capitis viceſimi quinti prioris Libri *Chronicorum*. Nam quando animadvertit Lector, quomodo iſtic diſponat *David* de *Aſapho*, *Hemane* & *Jeduthune*, ut eſſent Principes Cantores in Templo, & Filii ſub illorum directione: merito cogitare incipiet de his Pſalmis, qui illis viris ad Cantandum commiſſi erant, aut in eum finem ab illis ipſis compoſiti.

Inveniet Pſalmos duodecim, qui nomen præferunt *Aſaphi*, ut *Pſalm.* 50. 73. 74 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. Qui an omnes vel eorum aliqui ab *Aſapho* conſcripti ſint, an verò illi commiſſi, facti autem ab alio, non diſputo. Utrumvis ſtatuendum videatur, valde tempori & Chronologiæ convenit, hos Pſalmos ad mentem revocare, quando Textus, qui ob oculos verſatur in Libro *Chronicorum*, enarrat, ut *Aſaph* ſit conſtitutus Princeps Cantor, filii vero illius ei ſubjecti.

Unus modò Pſalmus eo Libro extat, qui nomen *Hemanis* fronte gerit: eſtque is Pſalmus 88. Verum *Heman*, author illius Pſalmi, & hic *Heman* qui à *Davide* inter Principes Cantores eſt collocatus, viri diverſi fuerunt, & diverſarum etiam Tribuum, temporumque. *Heman* enim, qui Pſalmum 88. conſcripſit, è Tribu *Juda* erat, filius proximus *Zerachi*, & tempore afflicti *Iſraelis* in *Ægypto* vixit: vide 1 *Chron.* 2: 6. Sed hic *Heman* cantor Levita erat, vivens ætate *Davidis*, & nepos *Samuelis*, 1 *Chron.* 6: 33. Ideoque nullus planè Pſalmus eſt, qui nomen *Hemanis*, de quo hic loquimur, præferat; varii tamen ſunt, qui illum, illiuſque filios reſpiciunt, quamvis alio titulo: fuit enim hic *Heman* ex ſtirpe & lineâ *Koræ*, 1 *Chron.* 6: 33, 37. Pſalmi autem omnes, qui Filiorum *Koræ* nomine inſigniti ſunt, ad *Hemanem* & illius filios referuntur, ut *Pſalmi* 42. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 84. 85. 87.

Jeduthunis nomen in titulis non niſi trium Pſalmorum eſt reperire, videlicet 39. 62. & 77.

Jam præter hos omnes, quos vel nunc allegavimus, & ad tres illos viros retulimus; vel anteà *Davidi* aſſeruimus authori, quique ortûs ſui indicant occaſionem, complures alii Pſalmi ſunt, qui omni titulo carent, & nullam Authoris occaſioniſque mentionem faciunt: rurſumque complures ſunt, qui *Davidem* agnoſcunt Authorem, ſed ortûs occaſionem reticent. Itaque cum fieri non poſſit ut ad tempus & locum reducantur, quæ in Hiſtoriâ & Chronologiâ iis debentur, ſtatuendum eſt, tam commode illos hoc loco collocari, quam ullo alio, nempe in fine Hiſtoriæ *Davidis*. *Septuaginta*, qui nobis in manibus ſunt, ſi eorum libeat ductum ſequi, complurium nobis Pſalmorum Authores, aliorum etiam occaſiones detegent, de quibus in titulo vel Pſalmo ipſo nihil eſt memoratum. Ut Pſalmos 33. 43. 91. 95. 96. 98. 99. 104. adſcribunt *Davidi*. Pſalmum 137. *Jeremiæ*. Pſalmos 145. 146. 147. 148. *Haggæo* & *Zachariæ*. Pſalmum 71. Filiis *Jonadabi* & populo prioris Captivitatis. Similiter quantum ad ſcribendi occaſiones attinet, Pſalmo 66. titulum faciunt, *Pſalmus Reſurrectionis*. Pſalmo 76. *Canticum ad Aſſyrium*. Pſalmo 48. *Diei ſeptimanæ ſecundo*. Pſalmo 94. *Diei ſeptimanæ quarto*. Pſalmo 93. *In diem* pro-

Digitized by Google

Proſabbathi, cum terra fuit habitata. Pſalmo 24. *Diei primæ Sabbathi.* Pſalmo 38. *De Sabbatho.* Pſalmo 27. *Priuſquam David eſſet inunctus.* Pſalmo 29. *Exitu Tabernaculi.* Pſalmo 143. *Cum illum Filius perſequeretur.* Pſalmo 144. *Ad Goliathum*, &c. Verum hæc recenſeo tantum; ut etiam Lector iis pro regulâ utatur, ſuadere non auſim. Novi conjecturâ tantum, eâque apud varios variâ, conſtare quæ occaſio ſit plerorunque Pſalmorum, ſi non omnium, qui eam ipſi non indicant. Quod imitari mihi licuiſſet, omneſque hos Pſalmos immittere in locum hunc vel illum, prout ordo ſuaſerit; ſed malim Lectorem ipſum id facere in ſuum uſum, quam ut ego id faciam, minimèque ſatisfaciam. Antea de duobus vel tribus ejus generis conjecturæ locum dedi; & id ſufficiat.

I CHRON. CAP. XXVI. XXVII. XXVIII. & XXIX. *uſque ad verſum 26.*

PLures, quibus Templi cura committenda, inſtituti: Principes item populi, Præfecti exercitus, & Miniſtri regii recenſiti & conſtabiliti. Atque ita, poſtquam de præcipuis Eccleſiæ & Reipublicæ adminiſtris diſpoſitum eſt, ab iis univerſis *Salomon* ſecundâ vice eſt unctus, &c.

I REGUM CAP. II. *ad verſ.* 12. *& cum verſ.* 10,11. *lege* I CHRON. CAP. XXIX. *verſ.* 26,27,28,29,30.

D*avid* moribundus mandata *Salomoni* dedit de *Joabo*, *Simei*, &c. Diem obit anno ætatis ſeptuaginta: vide *Pſalm.* 90:10. & *Jeſ.* 23:15. Typus *Chriſti* valde illuſtris, nativitate *Bethlehemi*, vita Paſtoritiâ, victoria de *Goliatho*, poteſtate in *Saulis* Dæmonem, perſecutionibus, Regno, ſubjectione inimicorum, conſtabilitione Religionis, & ſtudio inſerviendi Deo, &c.

Tempus regiminis ejus definitum eſt ſumma integra *annorum quadraginta*; ſed quod ſpeciales Textus attinet, ut iis certi anni aſſignentur, id parum certitudinis habet; vel ſi quod habeat, valde obſcurum eſt. Non deſtituor rationibus, ſecundum quas ſingula tempora digeſſi, quamvis ad evitandam prolixitatem illas non produxerim, neque in diſquiſitionem traxerim. Unum duntaxat alterumque nunc quidem adducam, quod de particularibus temporibus regni *Davidis* ita me exiſtimare ſuaſit, uti illa diſpoſui.

Fui aliquando in ea opinione, neque fui ſanè ſolus, ſed plurimi tam è Judæis, quam è Chriſtianis ejuſdem ſententiæ ſunt, *Saulem* tres duntaxat in univerſum annos regnaſſe, 1 *Sam*, 13:1. quadraginta verò annos, qui commemorantur, 2 *Sam.* 15:7. ubi rebellis *Abſalomi* machinatio exponitur, numerandos eſſe inde à tempore primæ unctionis *Saulis*; vel à tempore eo, quo *Iſraël* Regem popoſcit; ut ita rebellio inciderit in annum trigeſimum ſeptimum regiminis *Davidis*. Sed poſtquam nunc iterum iſta temporum ſpatia, quanta potui cum curâ, circumſpexi, & animadverti tam multa occurrere, quæ inter primam unctionem *Saulis*, & diem mortis ejus contigerunt, ut triennio facta eſſe concipi nequeat; ſpeciatim cum dicatur, *Davidem totum annum & quatuor menſes manſiſſe in agro Philiſtæorum, poſt omnes perſecutiones ſuas, & ante Saulis mortem*, 1 *Sam.* 27:7. cumque appareat maxime etiam probabile eſſe, juxta ordinem Capitum præſentem, tres annos famis propter *Gibeonitas*, fuiſſe poſt reſtitutum *Davidi* Regnum, adeoque poſt rebellionem *Abſalomi*: Non poſſum quin poſt ſecundas has cogitationes retractem priores, atque de his temporibus ſentiam, ſicut cum factâ modò illorum digeſtione congruit; additis etiam iis cogitatis quæ ſequuntur, quæque eòdem pertinent.

I. Recenſionem inſtitutionemque Miniſtrorum Reipublicæ, Sacerdotum item & Levitarum factam eſſe à *Davide* anno illius quadrageſimo, 1 *Chron.* 26:31.

II. Eam inchoatam fuiſſe mox ab eo tempore, quo Dominus per ignem è Cœlo locum Templi deſignavit, 1 *Chron.* 22:1,2. (quod fuit anno *Davidis* trigeſimo nono) 2 *Sam.* 24.

III. Annum eum, quo *David* numerando populum peccavit, proxime ſecutum eſſe tres annos famis, 2 *Sam.* 24.

IV. Annum, quo *Abſalom* rebellavit, proximè anteceſſiſſe primum annum triennii famis.

V. An-

Mundi | Salomonis

V. Annum iſtius rebellionis, quadraginta annis poſt primam unctionem *Davidis*, quæ *Bethlehemi* facta eſt, contigiſſe.

VI. *Saulem* tantum tres annos regnaſſe ante illam *Davidis* unctionem; & quanquam inde adhuc annos quinque vixit, tamen illos annos ejus Regno imputatos non fuiſſe: Dominus enim illum jam regno depulerat; neque ipſe Regem amplius, ſed Perſecutorem agebat.

I REGUM CAP. II. *à verſ.* 12. *ad verſ* 39.

2990 1 SAlomon regnat. *Adonija* cæſus expetitæ cauſâ uxoris paternæ. *Abjathar* ex lineâ *Ithamaris* Pontificatu depulſus. Sanguis *Joabi* effuſus ad Altare. *Benaja* Sacerdos, illius percuſſor, ſupremus militiæ Dux conſtituitur. Aſſignatus *Simei* certus commorationis locus. Hoc anno *Salomon* genuit *Rehabeamum* ex muliere *Ammonitide*: vide 1 *Reg.* 14: 21. &c.

II CHRON. CAP. I. *ad verſ.* 14.
I REGUM CAP. III. *à verſ.* 3. *ad finem.*

HIſtoria mortis *Simei* anticipata eſt, & juncta Hiſtoriæ de præfinitione loci, qui datus ipſi eſt ad commorandum; quanquam triennii ſpatium interceſſit: ut, quicquid ad *Simei* pertinet, ſimul expediatur. Ad eundem modum *Salomonis* conjugium cum filiâ *Pharaonis* ante ſuum tempus poſitum eſt; neque enim id contigit antequam aſcendit *Gibeonem*, ibique petiit ſapientiam, ſed poſtea: ratio autem cur antè ſit relatum, à Judæis hæc adfertur, quia filiam *Pharaonis* non duxerit, priuſquam occidiſſet *Simei*; unde factum eſt ut Hiſtoriæ de illis ſint conjunctæ. Verum ſi bene conſideremus ſcopum Hiſtoriarum præcedentium, puta de *Joabi* morte, deque excluſione *Abjatharis* à Pontificatu, &c. ratio cur *Salomonis* conjugium cum *Pharaonis* filia hic adjunctum ſit, facile apparebit: ſcilicet, voluiſſe Textum *Salomonis* curas Politicas ad Regnum firmandum propè invicem collocare; quæ fuere illæ duæ, amoliri eos, qui illius quietem domi poterant turbare; & inire foris fœdus & affinitatem cum Principibus potentibus: & devenit dein ad enarrandas curas divinas, quibus Regnum poſſit firmari, quæ itidem nominantur duæ, dilectio nimirum Domini & petitio ſapientiæ.

Gibeone maxima erat totius Terræ Synagoga; iſtic enim collocatum erat Tabernaculum, & æneum Altare quod factum a *Moſè*: quæ eò allata erant, velut ad ſedem primariam Filiorum *Ithamaris*, qui Sanctuarium curabant, quando *Silo* cecidit. Ibi *Salomon* ſapientiam à Domino petit & obtinet; & ubi *Jeruſalemum* venit, oſtendit illam in definiendâ cauſâ obſcurâ & dubiâ duarum Meretricum. Ille tum temporis annum tantum duodecimum agebat.

I REGUM CAP. XI. *verſ.* 21, 22.

IPſa lectio *verſ.* 21. manifeſtè oſtendit, hic immittendam eſſe Hiſtoriam *Hadadi* redeuntis in Terram propriam.

I REGUM CAP. IV. V. II CHRON. CAP. I. *verſ.* 14, 15, 16, 17. *Et* CAP. II. *totum.*

2991 2 ARgumentum quarti Capitis Regum, & exitus primi Capitis II. Chronicorum
3 non ſunt certi determinatique temporis, ſed permeant Hiſtoriam variorum annorum: pandunt enim incrementum & continuationem roboris *Salomonis*, ejuſque res in Regno ſecundas, & demonſtrationem ſapientiæ toto vitæ tempore uſque ad propenſionem in Idololatriam: atque idcirco, quantum ad ordinem & locum eorum attinet, collocari poſſunt quacunque temporis illius parte, ut quæ ad omnem temporis partem reſpectum habent. Sed Spiritus Sanctus principio Hiſtoriæ illius collocavit, ut materia illa generalis de potentia & proſperitate ejus concludi antè poſſit, quam ad actiones ſpeciales deſcendatur. Dubium non eſt, quin tranſactio & quicquid interceſſit inter *Salomonem* & *Hiramum*, Regem *Tyri*, maturè admodum in regimine *Salomonis* facta fuerint, quia ſine temporis jacturâ Templum ædificare propoſuerat. Sed Textus alterum illud præmittere voluit, totum-

Mundi | Salomonis

tumque expedire velut quiddam generale, ut Hiſtoriæ ſpeciales deinceps in manus ſumerentur, neque paterentur ullam interruptionem.

Rex *Tyri*, *Hiram*, ſive *Hirom*, ſive *Huram*, (omnibus enim his modis nomen ejus ſcribitur) confitetur *Deum Creatorem*, 2 *Chron.* 2 : 12. Fœdus cum *Salomone* ferit, res illi ad ædificationem neceſſarias ſuppeditat, mittitque Artificem excellentem, *Hiramum*. Pater hujus *Hirami* erat è Tribu *Naphthali*, 1 *Reg.* 7 : 14. ſed *Tyrius* ideo dicitur, quia *Tyri* habitaverat, (ut *Obed-Edom* Levita dicitur *Gitthæus*) at mater ejus erat è Tribu *Danis*, 2 *Chron.* 2 : 14. nido illo Idololatriæ.

Conſtituit *Salomon* 153600. Proſelytos ad materiam templo parandam. 70000. bajulos ad portanda onera. 80000. cæſores in montibus, & 3600. inſpectores, 2 *Chron.* 2 : 18. id eſt, 3300. inſpectores eorum 150000. qui opus faciebant, 1 *Reg.* 5 : 16. & 300. inſpectores eorum & reliquorum omnium.

Principes *Salomonis* domi, & Sitarchi in illius familiâ recenſiti, 1 *Reg.* 4. *Azarias* filius *Zadoci*, *verſ.* 2. id eſt, filius *Achimaazi*, filii *Zadoci*, 1 *Chron.* 6 : 8, 9. caput eſt *Sanhedrin*. *Zadoc* & *Abjathar* ſunt Sacerdotes, *verſ.* 4. Quanquam enim *Abjathar* privatus erat à *Salomone* dignitate Sacerdotii ſummi, *Cap.* 2 : 26. exercere tamen poterat functionem Sacerdotis *Gibeone*, donec Templum eſſet ædificatum. Fuêre Sitarchi duodecim pro numero Menſium ונציב אחד אשר בארץ, *Cap.* 4. *ver.* 19. quod *Rabbini* interpretantur, *Et unus Sitarchus, qui erat in terrâ pro anno intercalari*, ſive pro Menſe decimo tertio, qui incidebat in tertium quemque annum. *Salomon* habebat 4000. ſtabula Equorum & Curruum, 2 *Chron.* 9:25. id eſt, 40000. præſepia Equorum pro Curribus ſuis, 1 *Reg.* 4 : 26. ſingulos Equos in ſingulis præſepibus, & Equos decem pro uno Curru, & in uno ſtabulo. Ita pro ſeptingentis Curribus, 2 *Sam.* 10 : 18. ponuntur ſepties mille, 1 *Chron.* 19 : 18. id eſt, ſepties mille viri cum Curribus ſeptingentis, ut deni pertinerent ad ſingulos Currus. *Salomon* dicitur fuiſſe ſapientior *Hemane* & *Ethane*, & *Calcole* & *Dardaho*, nempe reſpectu doctrinæ humanæ: ii enim viri in *Ægypto* vixerunt dum *Iſraël* iſtic verſabatur in afflictione; & inprimis periti fuiſſe videntur ſapientiæ *Ægyptiacæ*: attamen *Salomon* eos Philoſophiæ notitia ſuperabat.

I REGUM CAP. II. *à verſ.* 39. *ad finem. Et* CAP. III. *verſ.* 1,2.

Circa finem anni *Salomonis* tertii, aut principio quarti, *Simei* mortem ſibi arceſſit, præfinitos limites tranſgrediendo. Quo facto, ut eſt Judæorum opinio, *Salomon* filiam *Pharaonis* in uxorem ducit. Tempus incertum eſt, & determinatio ejus haud magni momenti. *Salomon* eam reliquis ſuis uxoribus præfert, quia illæ ex gentibus ipſi ſubjectis erant, hæc verò filia Regis nulli obnoxii; & eo connubio potentem illum Regem ſibi ſociat, & res ſuas ab externis magis ſecuras reddit; ſpeciatim adverſus *Hadadum* inimicum ſuum, qui uxorem habebat mulierem ex eâdem Aulâ, 1 *Reg.* 11 : 19.

I REGUM CAP. VI. *totum. Et* CAP. VII. *à verſ.* 13. *ad finem.* II CHRON. CAP. III. IV.

2993 4 FUndamenta Templi jacta in Monte *Moria*, ubi *Iſaac* fuerat oblatus. Dicitur,
5 *Fundamenta domus Domini eſſe jacta quarto anno Salomonis, menſe Zif, ſive ſe-*
6 *cundo; opus autem fuiſſe perfectum anno undecimo, menſe Bul, ſive octavo: adeò-*
7 *que impendiſſe ei annos ſeptem.* Si accuratè rem putare velimus, occupatus fuit
8 annos ſeptem & menſes ſex: ſed ſex menſes omittuntur, ut ſumma rotunda ha-
9 beatur; quemadmodum ob cauſam conſimilem omiſſi ſunt ſex menſes regiminis
10 *Davidis Hebrone.* Computa 1 *Reg.* 2 : 11. & 2 *Sam.* 5 : 5.

Jam principium Capitis ſeptimi 1 *Reg.* refert, *Salomonem* ædificaſſe domum ſuam, priuſquam ornamenta & inſtrumenta Templi enarret; quia Spiritus Sanctus omnia *Salomonis* ædificia ſimul voluit exponere, ſive moles ædificiorum ejus, antequam loqueretur de exornatione ſingulorum.

Mundi | Salomonis

I REGUM CAP. VIII. *totum.*
II CHRON. CAP. V. VI. & VII. *ad verſ.* 11.

3000 11 T*Emplum perfectum anno Mundi ter milleſimo* : & conſecratum à *Salomone* per ſacrificia & preces ; à Domino autem per ignem de cælo & nubem gloriæ. Accidit conſecratio hæc menſe *Tiſri*, ſive *Ethanim*, qui menſis ſeptimus fuit, & ex parte reſpondit noſtro *Septembri* ; quo anni tempore Servator noſter, quem Templum hoc reſpexit, *Joh.* 2 : 19. fuit natus, & poſt annos præterea 29. baptizatus.

Et ita computationem habemus annorum Mundi ter mille, quorum initium eſt Creatio, finis autem Templi Salomonis perfectio.

I REGUM CAP. VII. *à verſ.* 1. *ad verſ.* 13.

3001 12 S*Alomon* poſt ædificatam domum Domini, ædificat domum ſuam *Jeruſalemi*, &
13 domum prætereà æſtivam in *Libano*, & domum filiæ *Pharaonis*, item Thronum
14 ſuum, tam ſumptuoſe, ut par nuſquam extaret : & ſic annis viginti verſatus eſt in
15 ejus generis Opere, ædificanda ſcilicet domo Domini & ſua. Sapientia ipſius, po-
16 tentia, pax, magnificentia, quibus omnes terræ Reges antecelluit, non illuſtre
17 illi tantum nomen inter omnes populos pepererunt ; ſed in iis typus quoque Chriſti
18 eſt factus. Tam ſublimem omni eo, quod terra excellens & perfectum habet, Do-
19 minus illum extulit ; & permiſit tamen poſteà, tam turpiter labi : ut ipſe
20 Adamo quodammodò felicitate ſimilis documentum præberet, nullam felicitatem
21 terrenam eſſe perpetuam, nihil hic eſſe cui confidas, ſed vana omnia, præter Regnum
22 quod de hoc mundo non eſt.
23
24

I REGUM CAP. IX. *à principio ad verſ.* 10.
II CHRON. CAP. VII. *a verſ.* 11. *ad finem.*

S*Alomon* reſponſum habet ad preces factas in Templo ante annos tredecim. Eo tempore Dominus reſpondit per ignem & nubem : nunc verò idem facit per apparitionem. Adeoque hic jam ſecundùm Dominus illi apparuit. Prima apparitio fuerat, quando intrabat primùm & auſpicabatur ſuum regimen : altera nunc contingit, quando jam ad maximam Regni ſtabilitatem & proſperitatem pervenerat.

I REGUM CAP. IX. *à verſ.* 10. *ad finem.*
II CHRON. CAP. VIII. *totum.*

3014 25 S*Alomon* varia per regionem condit oppida, expugnat *Hamatham Zobæ* ; *Pharao-*
26 *nis* filiæ paratam ipſi domum inhabitandam tradit ; emittit Claſſem *Ezionem Ge-*
27 *beri* in *Ophirum* : potentiæ, divitiarum & gloriæ incremento perpetuo magis magiſ-
28 que invaleſcit. Conſtans adhuc eſt & zeli plenus in rebus Religionis ; offert quo-
29 tidiè conſtituta Sacrificia, diebus verò feſtis aliqua extraordinaria.
30

LIBER PROVERBIORUM.

IN referenda reliqua *Salomonis* claritudine, inſeri quoque poteſt pronuntiatio Proverbiorum 3000. ut narratur 1 *Reg.* 4 : 32. & compoſitio Canticorum 1005. ut ibidem ſcribitur. Dubium autem non eſt, quin maxima horum pars ſit amiſſa, ut ejus quoque de Philoſophia Libri. Quotquot verò eorum ſuperſunt, ſive in *Proverbiorum* Libro, ſive in *Cantico Canticorum*, haud præter rem putamus, ſcripta ab eo fuiſſe aliquibus illorum temporum, quæ memoravimus. Exactum quidem tempus incertum eſt, ideoque curioſe non inquirendum : verum ſi latius quoddam ſpatium concipere libeat, contigiſſe exiſtimamus inter tempus illud, quo Filii ſub illius inſtitutione excrevêre in aliquam maturitatem, & quo ipſe ab Uxoribus Idololatricis illectus eſt in lapſum.

Liber Proverbiorum variè dividitur ; ut

I. *A principio primi Capitis, ad noni Capitis finem* : quæ pars univerſa in eum præcipue finem ab ipſo compoſita eſſe videtur, ut Filii inſerviret inſtitutioni.

Digitized by Google

II. *A principio Capitis decimi, ad poſteriora Capitis vigeſimi quarti* ; ubi commonitiones habentur, factæ in aliorum inſtitutionem.

III. *A principio Capitis vigeſimi quinti, ad finem Capitis vigeſimi noni, Proverbia quædam Salomonis* continentur, quæ inventa ſunt in quodam illius exemplari tempore *Ezechiæ*; ut exemplar Legis *Moſaicum* inventum fuit in diebus *Joſiæ*.

IV. Caput triceſimum exhibet ſcriptum *Aguris*, Filii *Jake*; de quo qui vir fuerit quandove vixerit, nihil certi adferri poteſt : ideoque Caput hoc neceſſariò legendum eſt, ubi eſt collocatum; quia non eſt invenire, quo alias referatur.

V. Caput ultimum partim *Bathſebæ* verba ad *Salomonem* exhibet; partim verba *Salomonis*, quibus dilaudet *Bathſebam*, & quæcunque illi eſſent mulieres ſimiles. Et pars quidem prior, quæ *Bathſebæ* verbis conſtat, convenientiſſimè remitti poſſit ad Hiſtoriam tenerioris ætatis *Salomonis*, ut nempe ſubjiciatur 25. *verſui* 2 *Sam.* 12. Sed & hoc ipſo loco, quo jam legitur, aptiſſimè repoſita eſt, quia verba *Salomonis* ad commendandam ejuſmodi mulierem tradita tum ſunt, quando reliquæ illius Doctrinæ & Proverbia omnia; atque ita occaſio, quæ hæc verba elicuit, decenter jungitur tempori ipſorum verborum.

Salomon a Matre *Lemuel* appellatur, velut alludendo ad nomen *Samuelis*, quod Filium ſonat votorum matris ſuæ, qualem & *Salomonem* eſſe ſuæ matri ipſa mater illi hoc loco aſſerit. Proponit ei tenerâ ætate complures eximias admonitiones, quò evadat vir probus, & Rex bonus : propterea quando ad ætatem maturam pervenit, ille *Acroſtichidis* uſus artificio commendat viciſſim valdè, & extollit mulierem probam, ſimilem ſuæ matris.

CANTICUM SALOMONIS, ſive, CANTICUM CANTICORUM.

POſt conſtructam in Saltu *Libani* domum æſtivam, *Salomon* Librum conſcribit *Canticorum*; quemadmodum hæc loca fidem faciunt. *Cap.* 4. *verſ.* 8. *Mecum inde a Libano, O ſponſa, mecum inde a Libano veni.* Et *Cap.* 7 : 4. *Naſus tuus ſimilis turri Libani.*

Super deductione Filiæ *Pharaonis* in domum, quam ei paraverat, 1 *Reg.* 9 : 24. Canticum hoc videtur compoſuiſſe. Quamvis enim potiſſimus præcipuuſque ejus ſcopus conjugio terreno ſit ſublimior; attamen conjugium hoc ſuum cum Filia *Pharaonis* typum facit ſublimis illius & ſpiritualis conjugii *Chriſtum* inter & Eccleſiam. Filia *Pharaonis* Gentilis erat, & ortu ſuo Eccleſiæ *Iſraeliticæ* peregrina; & præterea Æthiopiſſa, utpote *Afra*, (ut *Cant.* 1 : 5,6. ad id alluditur) atque eo aptior typus erat eorum, quæ *Salomon* per omnia intendebat.

I REGUM CAP. X.
II CHRON. CAP. IX. *à principio ad verſ.* 29.

3020 31 REgina *Sebæ* venit auditum ſapientiam *Salomonis*; quo facto condemnat Ge-
32 nerationem Judæorum, qui contemnebant *ſapientiam Patris*, *Matth.* 12 : 42.
33 *Salomon*, ut probabile eſt, floret adhuc eminentiâ, potentiâ & Religione : eſtque
34 Princeps pacis admirandæ *Salemi*; figura *Regis juſtitiæ*, *& Regis pacis*.
35

I REGUM CAP. XI. *à principio ad verſ.* 41.

3025 36 IN ſenectute *Salomon* ab Uxoribus Idololatricis ſeductus eſt ad oblivionem Dei;
37 ſapientiſſimus pariter & feliciſſimus hominum, inſtar *Adami*, per mulieres
38 peſſundatus. Inde proſperitas ejus & felicitas vergere incipit in deterius.

LIBER ECCLESIASTÆ.

A Gravi lapſu *Salomon* erigit ſe iterum per reſipiſcentiam, & Librum hunc *Eccleſiaſtæ* conſcribit, tanquam formulam pœnitentiæ de priori ſtultitiâ. In illo ſe ipſum appellat *Koheleth*, ſive *colligentem animam*, *quæ vel ſeipſam recolligat*, vel *per admonitiones congreget alios*, qui errabundi vagantur poſt vanitatem. Demonſtrat iſtic quæcunque cis cœlum reperiuntur, meram omnia

Mundi | Salomonis

omnia vanitatem eſſe, ſeque triſti experientia id comperiſſe: atque ita non expectandum ut Regnum promiſſum *Davidi*, quod æternum erat futurum, eſſet hujus mundi: ut *Joh.* 18: 36.

I REGUM CAP. XI. *verſ.* 41, 42, 43. *Et* II CHRON. CAP. IX. *verſ.* 29, 30, 31.

3028 39 LIber *Chronicorum* omittit lapſum *Salomonis*, ut omiſerat lapſum *Davidis*. *Sa-*
40 *lomon* moritur, poſtquam regnaverat quadraginta annos, ut *David* pater fecerat; & graviter eſt lapſus, ut *David* quoque: tamen, *Davidis* inſtar, ſe erexit, veniam obtinuit & ſervatus eſt.

REGNUM JUDÆ. | Rehabeami

I REGUM CAP. XII. *à principio ad verſ.* 25.

3030 1 REhabeam per ſtultitiam & tyrannidem amittit populum, minatus jugum gravius; *Chriſtus* ſtudet reducere illos, pollicitus jugum leve, *Matth.* 11: 29, 30. *Sechemum* aliquando theatrum ſanguinis, nunc infelicis hujus diviſionis ſcena eſt. *Rehabeam* hoc tempore annos unum & quadraginta natus eſt, 2 *Chron.* 12: 13. tamen נער ורך לבב, *puerilis, & mollis animo*, 2 *Chron.* 13: 7. cæterum alto & tyrannico ſpiritu; ſicque ſtultum ſe probavit, *Eccl.* 2: 19. quanquam filius fuit patris ſapientiſſimi.

Jeroboami | Diviſionis | REGNUM ISRAELIS.

II CHRON. CAP. X. *totum.* Et CAP. XI. *ad verſ.* 5.

1 1 JEroboam ex *Ephraimo* avellit decem Tribus à domo *Davidis*, à templo, quod in propinquo erat, & à promiſſione *Chriſti*, quæ Templo erat alligata. Et ſubita hæc dilaceratio Regni *Salomonis* clare docebat, Regem Regnumque *Davidi* promiſſa de hoc mundo non eſſe, ſed de mundo alio; quem Regem & Regnum hæ rebelles Tribus jam abnegarunt, & abnegatione amiſerunt *Chriſtum*, amiſerunt Religionem, amiſerunt etiam ſe ipſos. Adeoque hic genus quoddam factionis *Antichriſtianæ* exortum eſt in mundo ante Chriſti adventum. Ratio vera hujus commotionis Tribuum conſiſtebat in cæde *Adorami*. *Rehabeam* ſtudet populum reducere manu forti, quem leni retinere fuerat aſpernatus.

PSALM. II.

CUm Hiſtoria Apoſtaſiæ decem Tribuum lege *Pſalmum ſecundum*, qui à *Davide* per Spiritum Prophetiæ conſcriptus eſt, *Act.* 4: 25. ſuper commotione & rebellione hác. Eſtque hic primus ejus ſcopus; quanquam ſecundò & plenius refertur ad rebellionem quandam majorem, cujuſque hic nil niſi typus eſt; rebellionem ſcilicet *Judæ*, ſpernentis & crucifigentis Dominum vitæ, revera jam exhibitum: ſicut *Iſrael* hic promiſſum ſpernit. Quemadmodum verò Pſalmiſta Pſalmo primo alluſerat ad *Adami* lapſum, qui deliquerat ambulando in conſilio impiorum, ſerpentis & ſeductæ mulieris; utque oſtenderat rationem, qua ejuſmodi conſilia repelli & evitari poſſint, nempe meditatione & oblectatione in Lege Domini: ita hoc Pſalmo reſpicit ad defectionem decem Tribuum, & quo pacto illæ deliquerint, abjiciendo funes debiti obſequii, quibus Deus illas ad thronum *Davidis* alligaverat; & hortatur ad mentem meliorem, conſiliumque præſcribit & illis & generationi ei, quæ Dominum occidit, & ætatibus cunctis venturis, *ut oſculentur Filium*, amanti & ſubmiſſa obedientia, ut 1 *Sam.* 10: 1. ad eumque modum effugiant iram venturam, *Matth.* 3. quando ira Dei foret accenſa, & perderet illos, qui ipſum perdiderant.

Rehabeami

II CHRON. CAP. XI. *à verſ.* 5. *ad finem Capitis.*

2 REhabeam communit varia op-
3 pida in *Juda* & *Benjamine*, & præſidiis firmat. Recipit & fovet Sacerdotes & Levitas, qui Idolola-

Jeroboami | Diviſionis

I REGUM CAP. XII. *à verſ.* 25. *ad finem Capitis.*

2 2 JEroboam aſtu infernali *Bethele* &
3 3 *Dane* idola erigit, ut cohiberet *Iſraelem* ab aſcendendo *Jeruſalemum*, ne redirent ad Domum *Davidis*:

Digitized by Google

Mundi | Rehabeami | Jeroboami | Diviſionis

triam fuga deſerebant: nam *Jeroboam* illos expulerat מכהן ליהוה adimendo libertatem aſcendendi *Jeruſalemum*, ad vices ſuas implendas, & exercendi functiones in variis civitatibus, ubi domicilia habebant, *verſ.* 14. Tres annos *Rehabeam* & *Juda* ejus populus recte agunt, inque viis *Davidis* & *Salomonis* ambulant, *verſ.* 17. Obſerva vias *Salomonis* comparari ad vias *Davidis*, & vias *Davidis* & *Salomonis* commendari tanquam exempla ſanctæ converſationis: poteſtque hic ipſe locus ſufficienti eſſe indicio, *Salomonem* non magis in perpetuum fuiſſe abjectum ob Idololatriam, quam fuit *David* ob Adulterium & Cædem.

vidis: & feſtum Tabernaculorum edicit menſe octavo, ei ſimile quod ſeptimo menſe *Jeruſalemi* celebrari ſoleret. וילכו העם לפני האחד עד דן Et ibat populus poſt unum horum vitulorum *Danem* uſque *verſ.* 30. Nam haud diu poſt *Abija* Rex *Judæ Bethelem* receperat: 2 *Chron.* 13. *verſ.* 19.

Rehabeami conjugia hic recenſentur, ubi Textus explicat regimen ejus confirmatum & proſperitatem; quia expedire vult quæcunque ſpeciatim huc pertinent, priuſquam veniat ad Hiſtoriam decrementi. Sed pleraque conjugia inierat ante acceptum Regnum, vivente patre *Salomone*, cujus indolem in expetendo multas uxores eſt imitatus. Filius ejus *Abija* tribus modò annis poſt annos illius ſeptendecim, rebus præfuit; & nihilominus hic comparet triginta & octo Liberorum parens: quod argumento eſt plusquam probabili, natum eum fuiſſe antequam pater Regnum eſſet adeptus, 2 *Chron.* 13 : 21. Una uxorum *Rehabeami* dicitur *Mahalatha* בן *Jeremothi*, *filii Davidis*; ubi ſcriptum בן, legendum autem בת: quæ *Thamara* fortè fuerit, filia *Abſalomi*, בן ideo inſignita, quia ſola è liberis erat relicta, tribus filiis *Abſalomi* morte antea abſumptis, 2 *Sam.* 14 : 27. & 18 : 18. & ipſe *Jeremothi* nomen geſſerit, partim quidem ut in memoriam revocetur elatio ejus per faſtum, quando adverſus patrem rebellabat, & elatio ejus in quercu, ubi vitam finivit; partim verò ut diſtinguatur ab alio *Abſalomo*, cujus filiam itidem *Rehabeam* in uxorem acceperat, quæ *Maacha* nominatur

REGNUM JUDÆ. | REGNUM ISRAELIS.

Mundi	Rehabeami	II CHRON. CAP. XII. *totum.*	Jeroboami	I REGUM CAP. XIII. *totum.* Et CAP. XIV. *totum.*	Diviſionis
3033	4		4		4
3034	5	REhabeam & *Juda* degenerant.	5	DUplex miraculum factum	5
	6	*Siſak Jeruſalemum* populatur;	6	*Bethele*; Altare fiſſum eſt, &	6
	7	orta forſitan lite de *Pharaonis* Filiâ,	7	brachium paſtoris Idoli planè exa-	7
	8	uxore *Salomonis*; quæ veriſimiliter	8	ruit; ut *Zach.* 11 : 17. Attamen	8
	9	illius Regis vel Filia vel Soror fuit:	9	oculi ejus ita erant obtenebrati, ut	9
	10	quæ ſi Filium habuit, mirum	10	nihil horum vellet videre. Falſus	10
	11	quod non regnarit. Mater *Reha-*	11	Propheta ad Idololatriam ſuſtentan-	11
	12	*beami Nahama* fuit, *Ammonitis*:	12	dam repperit dolum, quo fidelem	12
	13	quæ forte juvencula abducta fuerat	13	Prophetam perdat, locutum contra	13
	14	à *Davide*, quando *Rabbam* cepit.	14	Idololatriam. Deus fidelem Prophe-	14
	15	Pro ſcutis Aureis *Rehabeam* efficit	15	tam tradit Leoni, quia mandata	15
	16	ſcuta ærea.	16	haud decorè executus erat; efficit-	16
3046	17	*Rehabeam* moritur.	17	que ut falſus Propheta fideliter præ-	17

dicat ruinam horum Idololatrarum. *Jeroboam* amittit optimum Filium *Abijam*: ſed nihil prorſus horum omnium, quæ hactenus mira & horribilia ei acciderant, abducere ipſum valet ac abſterrere ab Idololatria. Tempus, quo Altare fiſſum eſt *Bethele*, incertum eſt: ſed non contigit ſtatim poſt ejus ædificationem; multa enim nunc excelſa erant, tam *Samariæ*, quam *Bethele*, 1 *Reg.* 13 : 33. Neque tempus, quo mortuus eſt *Abija*, definiri poteſt. Si *Sechemum* & *Tirza* idem oppidum non fuerint, apparet *Jeroboamum* Aulam ſuam, quando filius moriebatur, ab eo loco removiſſe, ubi tum temporis fuit, quando primum Idola ſua erigebat. Compara 1 *Reg.* 12 : 25. cum *Cap.* 14 : 17. Unde concludi poſſit ulterius, tempus ibi aliquod interveniſſe.

Fuerunt continua & acerba bella inter *Rehabeamum* & *Jeroboamum* omni illorum tempore; quamvis *Semaja*, cum omnia ad prælium ſpectarent, à pugnâ illos cohibuiſſet.

REGNUM JUDÆ. | Mundi | Abijæ | Jeroboami | REGNUM ISRAELIS

I REGUM CAP. XV. *à principio ad verſ. 9.*

3047 1 2 — Abija impiè regnat tribus annis: prælio cum *Jeroboamo* cædit viros 500000; maxima ſtrages, quam una acie editam eſſe uſquam legimus. *Abija* etiam *Abijam* dicitur; quemadmodum mater ſimul *Maacha* & *Micha*, & avus maternus — Jeroboami 18 19

II CHRON. CAP. XIII. *totum.*

Jeroboam bellum gerit cum *Abija* continuè; & 800000. viros in campum educit ad Idololatriæ defenſionem. Sed numerus dimidio minor è *Judâ* cædit ex illis 500000. viros. — 18 19

ſimul *Abſalom* & *Uriel*. Ejuſmodi nominum tranſmutationes in Scripturâ frequentes ſunt, factæ interdum à Spiritu Sancto, ad ſignificandum quippiam quod ad Perſonam pertinet: interdum factæ a populis, inter quos ejuſmodi homines vivebant; qui illis impoſuêre nomen aliquod commune, quod referebat qualitatem aliquam aut rem geſtam, quæ in illis eſſet notabilis: vel quod ad familiam illorum, vel perſonam aliquam ex familia, unde illis origo, pertineret. Liber *Chronicorum* Regem hunc de quo loquimur, nulla impietatis infamiâ notat; ideoque nomini illius jungit nomen Dei *Jah*: *Regum* autem Liber, qui ipſum perſtringit de impietate viarum patris, eo honore in nomine non afficit, ſed commutat *Jah* in *Jam*. Matrem, quæ *Micha* vel *Maacha* dicta fuit, ubi Regina eſt facta, nomen mutaſſe credibile eſt, & appellari cœptam de nomine primæ matris claræ cujuſdam familiæ in Tribu, è qua ipſa deſcenderat, 1 *Chron.* 8:29. Oriunda erat *Gibeâ*, civitate *Saulis*, & valde probabile eſt, fuiſſe è *Saulis* familiâ: unde factum eſt, ut pater ejus, cui nomen proprium erat *Abſalom*, dictus ſit *Uriel*; quod ſignificatione propè accedit ad *Ner* & *Eſchbaal*, quæ nomina fuerunt virorum de ſtirpe & familiâ *Saulis*.

Quanquam verò *Abija* & *Juda* valdè impiè agebant, in hoc tamen certamine Deus illos reſpicit propter *Davidis* Regnum, quod conſtabiliverat, & propter Religionem, quæ habebatur & obſervabatur *Jeruſalemi*, utut multa immixtâ corruptione. *Abija* recuperat à *Jeroboamo Bethelem*, 2 *Chron.* 13. *verſ.* 19. at Idololatriam ibi non deſtruit; unde fieri poteſt ut regimen & dies illius ſint decurtati.

Aſæ | Jeroboami | Nadabi

I REGUM CAP. XV. *à verſ. 9. ad verſ. 16.*
II CHRON. CAP. XIV. *verſ. 1, 2.*

3049 3 1 — Aſa regnat anno vigeſimo *Jeroboami*; unde apparet, tres *Abijæ* annos non integros eſſe, ſed ut currentes numerari. — 20

3050 2 — *Aſa* integrè agit coram Domino, quamvis ab Aviâ Idololatricâ *Maachâ* educatus: unde mater ejus eſſe dicitur, 1 *Reg.* 15:10. — 21 1

3051 3 — *Baaſa*, qui hoc anno regnare incepit, fit hoſtis *Aſæ* implacabilis; ſed licuit *Aſæ* ab eo quietum eſſe ſeptem annos. Quia enim *Baaſa* factâ in Regem conſpiratione, Regnum occuparat, opus ei fuit morâ — 22 2

I REGUM CAP. XV. *à verſ. 25. ad verſ. 32.*

Jeroboam liberatus eſt à virgâ ſuâ *Abijâ*. Vivit & moritur in Idololatria; idemque faciunt omnes deinceps *Iſraelis* Reges. In quo illi & decem Tribus Papatui ſimiles ſunt, apoſtatæ à vera Religione, ejuſque oppugnatores. — 20

Nadab regnat anno *Aſæ* ſecundo, vivo adhuc patre *Jeroboamo*, 1 *Reg.* 15:25. Perculerat enim Deus *Jeroboamum* morbis quibuſdam luctuoſis, ut rebus præeſſe ipſe non poſſet, 2 *Chron.* 13:20. — 21

Baaſæ 1 — *Baaſa* cædit *Nadabum*, & regnat tertio anno *Aſæ*, 1 *Reg.* 15:28. Deſtruit Domum *Jeroboami*. Ipſe *Jeroboam* hoc anno ſuperſtes eſt; & ſi gladium *Baaſæ* effugit, tamen non diu ante mortuus eſt, quam — 22

gladius

Mundi | Aſæ | Diviſionis

aliquâ & curâ ad regimen ſuum firmandum & conſtabiliendum. Et ita domeſtica illa ſollicitudo ejus, quietem *Aſæ* & otium fecit longo tempore; *Diebus ejus tranquilla fuit terra decem annos*, 2 *Chron.* 14: 1. id eſt, tres annos primos Regni ejus, ante *Baaſam* Regem, & ſeptem annos regiminis *Baaſæ*. *Jeroboam* ita fractus erat ab *Abija*, amiſſis quingentis virorum millibus, ut neque ipſe, neque *Nadab* recolligere ſe potuerint, ad *Aſam* principio regiminis turbandum: neque id *Baaſa* potuit, propter illa, quæ regiminis initio domi agenda habebat.

gladius ille familiam ipſius perdidit.

REGNUM JUDÆ.

II CHRON. CAP. XIV. *verſ.* 3. *ad finem.* Et CAP. XV. *totum.*

3052 4 ASa pacis annis incumbit refor-
5 mationi, ædificationi & com-
6 munitioni; & exercitum ſibi parat
7 ex *Judâ* & *Benjamine* quingenties
8 octuagies mille virorum: invaleſ-
9 citque & agit proſperè: ipſe enim
10 & populus quærebant Dominum.
3059 11 *Aſa* & *Baaſa* bello invicem colli-
12 duntur, poſt pacem decem annorum:
13 & continuata ſunt illa bella, quamdiu unà vivebant, 1 *Reg.* 15: 16, 32.
3062 14 *Aſa* profligat millies mille *Cuſchitas.*
3063 15 Feſto *Pentecoſtes*, hoc anno Regni decimo quinto, 2 *Chron.* 15: 10. univerſalem Reformationem inſtituit ex conſilio *Azariæ* Prophetæ, & populus fœdus init, & præſtat juramentum, occiſum iri omnes qui miſſis Idololatris Deum non quærerent. Juramentum hoc Regis Aviam, commiſſæ cauſâ Idololatriæ, Reginæ dignitate deturbat; & mortis propoſitâ pœnâ repetere abominationem fuit prohibita. In Hiſtoriâ de Reformatione inſtitutâ per *Aſam* dicitur ויעבר הקדשים, 1 *Reg.* 15: 12. *Ejecitque Sodomitas*; ſive eos, qui ſe proſtituebant ad *Sodomiam*, & mulieres, quæ lenociniis vacabant, contra apertam & expreſſam Legem, *Deut.* 23: 17. *Sodomitæ* hi videntur fuiſſe reliquiæ quædam *Canaanæorum*, qui in terrâ fuerant reliqui, quique *Canaanæorum* flagitia imitabantur; non reliquiæ Civitatis *Sodomi*, ſed qui *Sodomitæ* dicebantur, quia Civitatis iſtius abominationem æmulabantur. Mentio fit 2 *Reg.* 23: 7. *Domuum Sodomitarum, quæ fuerunt prope Domum Domini.* Credibile eſt, fuiſſe domos *Jebuſæorum*, quæ extiterunt prope Montem Domûs Domini: mons enim ille emptus erat ab *Ornane*, Rege tunc *Jebuſæorum*, quando *David Jeruſalemum* expugnavit.

REGNUM ISRAELIS.

I REGUM CAP. XV. *verſ.* 27, 28, 29, 30, 32, 33, 34.

Baaſa

2 BAaſa filius *Abijæ* perficit adver- 23
3 ſus domum *Jeroboami*, quicquid 24
4 Propheta *Abija* contra eam denun- 25
5 tiaverat; neque tamen abnegat Ido- 26
6 lolatriam *Jeroboami*, cujus cauſa 27
7 deſtruendæ illi Domui excitatus 28
8 fuerat. 29
9 *Baaſa* in Regno ſuo jam conſtabi- 30
10 litus lacertos movere, & *Aſam* in- 31
11 curſionibus turbare cœpit. 32
Vidit ſingulare Dei auxilium
12 præſtitum *Aſæ* adverſus *Cuſchitas*; 33
& tamen ſe inimicum *Aſæ* gerere
13 non deſiiit. 34

I REGUM CAP. XV. *verſ.* 16. *ad verſ.* 23.

3064 16 ASa res conſecratas infert in
17 Templum. Hic decimus ſeptimus annus regiminis *Aſæ* vocatur *trigeſimus ſextus Regni illius*, 2 *Chron.* 15: 19. *Et bellum amplius non fuit uſque ad annum trigeſimum quintum Regni Aſæ.* Et 2 *Chron.* 16. *verſ.* 1. *Anno trigeſimo ſexto Regni Aſæ aſcendit Baaſa Rex Iſraëlis.* Ubi vox Hebræa מלכות non intelligi debet de tempore regiminis *Aſæ*, ſed de tempore Regni *Aſæ*, ex quo à Regno *Iſraelis* fuerat diſtinctum. De tempore regiminis *Aſæ* intelligi non poſſe, ex eo apparet, quia *Baaſa* multis antè annis mor-

II CHRON. CAP. XVI. *verſ.* 1. *ad verſ.* 7.

Baaſa

14 BEnhadado Filio *Tabrimonis Sy-* 35
15 *riæ* Rege, aſcendit *Baaſa* adver- 36
ſus *Judam*, incipit ædificare & communire *Ramam*, quæ urbs erat limitanea in extremo *Ephraimo* verſus *Benjaminem* & *Judam*.

Mundi | Aſæ | Diviſionis

mortuus erat, quam annus trigeſimus ſextus regiminis *Aſæ* advenit. Si enim *Baaſa* regnare incepit anno *Aſæ* tertio, & regnavit non ultra quatuor & viginti annos, ut 1 *Reg*. 15 : 33. aſſeritur, plenos novem annos mortuus jam erat *Baaſa*, priuſquam trigeſimus ſextus annus *Aſæ* adveniret; ideoque aſcendere tum adverſus *Judam* nullo modo potuit; quin in ſepulchro jam putredine fuit abſumptus. Sed ita accipiendum, *anno trigeſimo ſexto Regni Aſæ*, i. e. *Regni Judæ, ex quo per rebellionem ſe decem Tribus ſeparaverant*, aſcendit *Baaſa*, & bellavit adverſus iſtud Regnum, quod Deus oppugnari nolebat. Nunc autem poſtquam *Jeroboam* iſtam diviſionem inſtituerat, quæ nunc fuerat continuata annos ſex & triginta, ſcilicet ſeptendecim *Rehabeami*, tres *Abijæ*, & ſedecim *Aſæ*, *Baaſa* omnem lapidem movet, ut confirmet iſtam diviſionem; nam *Ramam* inceptat ædificare & firmare præſidio, quo *Iſraëlem* & *Judam* à ſe invicem ſepararet: & ideo Spiritus Sanctus tempus hujus rei deducit à prima diviſione. Regnum verò illud eò etiam magis *Aſæ* nominavit, quia nuper id ſibi confirmaverat & conſtabiliverat, quantum quidem potuerat ab illo fieri, nempe per Reformationem & Fœdus. Sed nunc *Aſa* graviter peccat; fidit enim brachio carnali, Regi *Syriæ*; conducit illum rebus conſecratis, quas anno antè uno atque altero ipſe dedicârat: peregrinum hoſtem introducit in Terram *Iſraëlis*; & Prophetam, qui de eo ipſum increpuerat, in carcerem conjicit. Hìc contingit prima Captivitas *Iſraëlitarum*, & *Dan* ſedes Vituli aurei gladio ſubjicitur. *Quoniam Aſa innixus eſt Rege Syriæ, ideo Rex Syriæ è manu ejus evaſit*, 2 *Chron*. 16 : 7. *Syrius* enim *Baaſæ* fœdere erat junctus, & ſi *Aſa* nihil rei cum ipſo habuiſſet, ille ſtetiſſet à partibus *Baaſæ*; & *Aſa*, ſi fiduciam habuiſſet in Deo, *Iſraëlem* ſimul & *Syrium* ſuperaſſet: nunc autem hac de *Syris* victoriâ exciderat, quærendo illinc auxilium.

REGNUM JUDÆ.

II CHRON. CAP. XVI.
verſ. 7. ad verſ. 11.

3066 18 ASa poſt hanc ſuam in *Syriâ* fi-
19 duciam degeneravit plurimum
20 ab antecedente probitate: neque
21 enim tantum ferociter egit adverſus
22 Prophetam *Hanani*, qui id factum
23 arguebat; ſed duritie quoque uti
24 cœpit & ſævire in ſubditos: ob
25 quam vitæ mutationem perpetuis
bellis & turbis exagitatur.
3074 26 *Aſa* videt exitum magni ſui hoſtis
27 *Baaſæ*, & iſtius familiæ ſubverſionem; quemadmodum ſubverſionem familiæ *Jeroboami* antè viderat.

REGNUM ISRAELIS.

I REGUM CAP. XVI.
verſ. 1. ad verſ. 23.

Baaſa

16 UT *Hanani* Videns objurgavit 37
17 *Aſam* de fiducia collocata in 38
18 *Syriâ*, ita *Jehu* filius *Hanani* objur- 39
19 gat *Baaſam* de Idololatria, & inte- 40
20 ritum minatur ipſi & familiæ illius: 41
21 ſimileque fatum denuntiatum eſt 42
22 domui illius, quod in domum *Je-* 43
23 *roboami* inciderat. 44
24 1 *Ela* regnat anno *Aſæ* 26. 1 *Reg*. 16 : 8. 45
2 1 *Omri* regnat cæſo *Zimri*, 46
qui *Elam* ceciderat. Hic annus in *Iſraëlis* regimine plenus eſt turbarum. *Ela* homo ebrioſus ex *Ephraimo* cæſus eſt per *Zimrin*; & Domus *Baaſæ* radicitus unà cum eo exciſa. *Zimri* regnat *Tirzæ*, ſed *Omri* Rex declaratur in campo ad *Gibbethonem*. Eodem loco *Baaſa* ante annos viginti & quinque cæſo *Nadabo* regnum adeptus erat, 1 *Reg*. 15 : 27. urbe tunc, ut hoc quoque tempore, obſidione cincta. *Omri* concludit *Zimrin* in urbe *Tirzæ*; at *Zimri* ſemet ipſum, & Regium unà Palatium incendio perdit. Hinc alia ambitionis bellique ſerra cœpta eſt reciprocari inter *Omrin* & *Thibnin*, perduravitque ad tricesimum primum uſque annum *Aſæ*, 1 *Reg*. 16:23. & tunc *Thibni* evertitur, & *Omri* Regnum omne ſolus acquirit. Tametſi in calculo, quem Scriptura de regimine *Omri* exhibet, dicendo, *Regnaſſe annis duodecim*, initium horum annorum capiendum eſt à morte *Zimri*, quæ anno vigeſimo ſeptimo *Aſæ* contigit, 1 *Reg*. 16 : 15. Ideoque cum dictum ſit *verſ*. 23. *Anno trigeſimo primo Aſæ Regis Judæ, Omri cæpit regnare ſuper Iſraëlem duodecim annos*, 1 *Reg*. 16 : 23. intelligi debet, totum illius regimen à morte *Zimri* fuiſſe annorum duodecim, qui anno *Aſæ* trigeſimo & octavo finiti erant,

 verſ. 29.

Mundi | Aſæ

verſ. 29. ſed annus primus, ex quo ſolus regnare incepit, erat *Aſæ* trigeſimus primus.

REGNUM JUDÆ.

II CHRON. CAP. XVI.
verſ. 11, 12, 13, 14.

3076 28 A*Sæ* nunc videre datur tertiam
29 immutationem in Regno *Iſrae-*
30 *lis*, familiæ primò *Jeroboami*, dein
Baaſæ, & nunc *Omri*. Sic ſubitò
31 Idololatria Familias extirpat, &
32 adeò parùm ſtabilitatis eſt invenire
33 apud illos, qui abnegant Deum.
34 *Athalia* progenies familiæ hujus
35 poſtremæ ſtrenue laborat, captans
36 temporis oportunitatem, ut ruinam
37 & confuſionem inducat in ſtirpem
Regiam *Judæ*, ſimilem ei, quæ
Iſraelem afflixerat, quando extin-
38 guere conatur ſemen Regium.

3087 39 *Aſa* decumbit ex arthritide, & ni-
miâ cum fiducia Medicos quærit,
2 *Chron.* 16:12. Nomen ejus אסא
lingua *Chaldæorum* Medicum ſig-
nificat.

3088 40 *Aſa* adhuc ex pedibus ægrotat.

I REGUM CAP. XXII.
verſ. 41, 42, 43.

3089 41 1 J*Oſaphat* poſt exceſſum patris
regnare incipit, anno *Ahabi*
quarto, 1 *Regum* 22: 41,
2 42, &c. Integreque coram Do-
mino ambulat, & proſperè agit.

Joſaphat

II CHRON. CAP. XVII.
totum.

3091 3 J*Oſaphat* anno tertio mittit Sacer-
4 dotes, Principes ac Levitas ad
5 docendam Legem. Ampliſſima
6 tributa accipit a *Philiſtæis* atque
7 *Arabibus*: ad manum habet unde-
8 cies centena & ſexaginta bellicoſo-
9 rum virorum millia; & terrori fuit
10 omnibus circumcirca. Sed affinita-
11 tem contraxerat cum *Ahabo*, &
elocârat ſuum *

Omri | Diviſionis

REGNUM ISRAELIS.

I REGUM CAP. XVI.
verſ. 23. *ad finem.*

2 A B hoc ſecundo anno *Omri* anni 47
3 42. aſcripti ſunt *Ahaziæ*, 48
4 2 *Chron.* 22: 2. de quibus ſuo loco 49
dicemus.
5 Anno trigeſimo primo *Aſæ* 50
6 *Thibni* devictus eſt, & *Omri* ſolus 51
7 Rex relictus. Regnat ſex annos 52
8 *Tirzæ*, & dein aulam transfert 53
9 *Samariam*, quam ædificârat; *Zimri* 54
10 enim Regiam *Tirzæ* combuſſerat. 55
11 *Omri* impietate vincit omnes, qui 56
anteceſſerant; ſtatuta maledicta ſan-
cit, *Mich.* 6: 16.

12 1 *Ahab* regnat anno *Aſæ* trice- 57
2 ſimo octavo, 1 *Reg.* 16: 29. & 58
plus committit impietatis, quam
Omri pater fecerat. Cultum
Baalis Idoli *Sidoniorum*, in *Iſraë-*
lem introducit, eoque cumulat
3 Idololatriam aureorum Vitulo- 59
rum. Duxerat mulierem *Sidoni-*
am Jezabelam, Idololatricam,
ſanguinariam, præſtigiatricem
& ſcortatricem; ut mirum non
4 ſit, ſi *Ahabum* eò impietatis vi- 60
deamus provectum, qui à tali
patre ſit genitus atque educatus,
5 & talem uxorem habuerit ſinu- 61
que foverit.

Ahabi

I REGUM CAP. XVI.
verſ. 30. *ad finem* CAP. XIX.

6 A*Hab* abominanda perpetrat; 62
7 extruit *Baali* fanum & Altare 63
8 in Civitate *Samariæ*. His diebus 64
9 *Hiël*, vir è familiâ *Rahabæ*, nunc 65
10 autem *Bethele* degens, poſtquam 66
11 perſpexerat *Canaanæam* Idolola- 67
12 triam & *Canaanæos* mores tantum 68
13 facere progreſſum, animum ſumit 69
14 ad *Jerichunta* ædificandam, ut 70
faciat eam Civitatem *Canaanæ-*
am; ſed primogenitus illius filius

cæditur in ponendis fundamentis, & minimus in ponendis Portis, juxta maledictionem *Joſuæ* denuntiatam ſuper tale auſum, ante quingentos & triginta annos, 1 *Reg.* 16. *verſ.* 34. Temporibus *Ahabi* deſperatiſſimis elucet glorioſa pietas & Spiritus Propheticus *Eliæ*, rerum ad peſſima inclinatarum Reformatoris maximè oportuni. Ortus erat *Jabeſo Gileadis*. Claudit Cœlum ut nulla pluvia decidat ſpatio trium annorum & ſex menſium, donec jugulentur *Baalitæ*; & inde imbrium abundè eſt. Alitus eſt ab avibus prædatricibus; ipſe alit viduam *Sareptanam*; & *primus* eluit *gentium Propheta*. Suſcitat puerum mortuum; cædit aliquot falſorum Prophetarum centurias;

ignem

Mundi | Joſaphati

ignem Cœlo deducit, & non diu poſt etiam pluviam : jejunat dies quadraginta & totidem noctes; videt Dominum, ubi illum *Moſes* viderat; & *Iſraelem* apud illum accuſat. Vocatus eſt ad inungendum *Hazaelem* in Regem *Syriæ*, afflicturum *Iſraelem* propter Idololatriam; & ad inungendum *Jehu* in Regem *Iſraëlis*, deſtructurum domum emendari neſcii *Ahabi*; & ad inungendum *Eliſam* in Prophetam ſibique ſucceſſorem, completurum cœptam ab ipſo reformationem. *Johannes Baptiſta* fuit ſecundus *Elias*, vir piloſâ veſte, & zonâ coriaceâ, 2 *Reg*. 1 : 8. *Matth*. 3 : 4. Miniſterii potentis & efficacis, ac corruptis temporibus magnus Reformator.

REGNUM JUDÆ. | REGNUM ISRAELIS.

Mundi	Joſaphati		Ahabi		I REGUM CAP. XX. XXI. *Et* CAP. XXII. *verſ*. 51, 52, 53.	
3100	12 13 14 15 16	* Filium *Joramum Athaliæ* Filiæ *Ahabi* : vide 2 *Reg*. 8 : 18. & 11 : 1. Nam *Ahazia*, Filius *Jorami* & *Athaliæ*, natus erat octavo anno regiminis *Joſaphati* : vide 2 *Reg*. 8 : 26. 1 *Reg*. 22. *verſ*. 44. ad *verſ*. 50.	15 16 17 18 19		AHab ſpatio duorum annorum duas eximias victorias de *Syris* conſequitur : ſed dimittendo *Benhadadum* ſibi ipſe perniciem arceſſit. Confer *Saulem* parcentem *Agago*, Regi *Amalekitarum*, 1 *Sam*. 15. *Ahab Nabothum* vineæ cauſâ interfici curat.	71 72 73 74 75
3105	17	*Joram* filius *Joſaphati* regnat. Obſerva Textum hunc, 1 *Reg*. 52 : 22.	20	1	*Ahazia* Filius *Ahabi* regnat.	76

Ahazia Filius Ahabi regnare cœpit ſuper Iſraëlem Samariæ anno decimo ſeptimo Joſaphati Regis Judæ, & regnavit per biennium. Et 2 *Reg*. 1 : 17. *Et Ahazia mortuus eſt ſecundum verbum Jehovæ, quod locutus fuerat Elias, ac regnavit Joram pro eo, anno ſecundo Jorami filii Joſaphati Regis Judæ.* Et 2 *Reg*. 3 : 1. *Igitur Joram filius Ahabi regnare cœpit ſuper Iſraëlem Samariæ, anno decimo octavo Joſaphati Regis Judæ.* Ex his locis valde eſt manifeſtum, utrumque *Joramum* filium *Joſaphati*, & *Ahaziam* filium *Ahabi* incepiſſe regnare anno decimo ſeptimo *Joſaphati*. Neque opus hic eſt ulla collectione, cum in textu adeo ſit conſpicuum : quis enim illic non animadvertit, annum *Joſaphati* decimum octavum, quando *Joram* filius *Ahabi* regnare incipit, dici, *Annum ſecundum Jorami filii Joſaphati?* Jam verò regimen *Joſaphati* intra octavum vel nonum annum necdum erat finitum; id enim anno illius decimo ſeptimo contigit, & regnavit annos quinque & viginti, 1 *Reg*. 22 : 42. Neque *Ahabi* regimen finitum fuit intra duos vel tres annos; hoc enim anno illius vigeſimo contigit, & regnavit annos viginti duos, 1 *Reg*. 16 : 29. Sed ratio cur ambo illorum filii patribus vivis rerum gubernationi admoti ſint, & quidem eodem anno, hæc eſt, quia *Joſaphat* & *Ahab* ambo diſtinebantur bello *Syriaco* ad *Ramothas Gileadis*; dumque id curant & provehunt, filios conſtituunt Proreges, & loco ſuo gubernare jubent, dum ipſi abſunt atque expeditioni illi incumbunt. Occaſio poſteà erit ſimile quid iterum obſervandi in *Joramo* filio *Joſaphati*.

Mundi	Joſaphati	I REGUM CAP. XXII. *ad verſ*. 50. *Et* II CHRON. CAP. XVIII. *totum*.	Ahabi	Ahaziæ	Jorami	II REGUM CAP. I. *totum*.	
3106	18	JOſaphat & *Ahab* una jam profecti ſunt in expeditionem adverſus *Syros* ad *Ramothas Gileadis*. Fuit hæc Civitas una ex iis, quæ in aſyla datæ fuerant, *Joſ*. 20 : 8. quod forte cauſa fuit *Joſaphato*, cur	21	2	1	AHazia, dum in tecto ambulat, delapſus per quendam clathrum, vitæ finem ſortitur, ſucceſſore fratre *Joramo* per annos duodecim, 2 *Reg*. 3 : 1.	77
3107	19	minus dubitarit iſti ſe negotio immiſcere; quandoquidem æque id ipſius ac *Iſraëlis* Regnum attingebat.	22		2	*Ahab* cæſus ad *Ramothas Gileadis* : utque *Saul*, parcens *Amalekitis*, ab *Amalekita* eſt occiſus; ita nunc *Ahab* parcens *Syris*, à *Syris*	78

occiſus eſt. *Perdere quos vult Deus, dementat.* Alioquin *Ababo*, cur à bello hoc abſtinendum ſibi putaret, cautionis multiplex cauſa fuit. Non tantum ob oculos erat monitio & prædictio *Michæ*, filii *Jimlæ*, quando parabat profectionem, 1 *Reg.* 22. *verſ.* 28. Et adhærebat ei reatus ſanguinis *Nabothi*, & propriæ Idololatriæ abominatio. Et meminiſſe poterat terribilium minarum, quas illi denuntiaverat *Elias*: ſed legiſſe quoque, quam odioſè peccaſſet, parcendo *Benhadado* & *Syris*, (atque ita ſibi expectanda eſſet vindicta per *Syros*, ſicuti Propheta prædixerat) per id quod Dominus iſtâ de re ipſi monſtraverat. Appellaverat Deus Regem *Syrorum* virum ſuæ devotionis ſive maledictionis, איש חרמי, 1 *Reg.* 20:42. Ob quam rem *Ababo* conceſſerat duas de illo ingentes victorias; & non tantum, ut *Jerichunte* factum fuerat, dejecerat murum *Apheki*, quo urbs à *Syris*, qui eò confugerant, nequiret defendi, ſed ruinâ illius ſimul 27000. viros oppreſſerat. Percuſſerat virum quendam per *Leonem*, ut factum 1 *Reg.* 13:24. qui facere id detrectabat, quod ad ipſum efficacius commonendum pertineret. Tamen dum videbat hæc omnia, nihil horum voluit animadvertere; poſtquam enim ſe vendiderat ad peccatum, vendiderat ipſum Dominus ad perditionem. Dignum eſt obſervatione, hominem hunc, qui *Nabothum* occiderat, & pepercerat *Benhadado*, cæſum eſſe circa Civitatem refugii per exercituin *Benhadadi*, & ictu teli fortuito: confer *Deut.* 19:4. Filius ipſius *Abazia* decedit ante illum ex lethali lapſu; æger Diabolum conſulit, ut *Saul* Sagam; amittit centum viros per ignem è Cœlo; & orbus moritur. Hic incipit ultio domus *Ahabi*. Compara invicem annos *Jeroboami* viginti duos, & duos *Nadabi* filii, & utriuſque regimen, cum annis *Ahabi* viginti duobus, & duobus *Abaziæ*. Poſtrema hæc *Ahabi* tempora, duce ſacro textu, ita computare licet, ut tribus annis concipiatur occupatus fuiſſe circa *Ramothas*, videlicet annis ejus 20. 21. 22. Tribus annis præcedentibus quies illi à bello *Syriaco*, 1 *Reg.* 22:1. ſcilicet 19. 18. 17. Hoc temporis ſpatio *Nabothum* occidit. Anno eos antecedente, ſcilicet 16. magnam de *Syris* victoriam obtinuit, cæſis 100000. viris, & capto *Benhadado*. Et anno illum quoque prægreſſo aliam de iis victoriam fuerat conſecutus, videlicet anno decimo quinto.

REGNUM JUDÆ.

II CHRON. CAP. XIX. XX.

3108 20 JOſaphat reformat Regnum ſuum, & Judices per univerſam Terram inſtituit.

3109 21 Miraculoſâ victoriâ potitur de *Moabo*, *Ammone*, ועמהם מהעמונים, & qui incolebant Montem *Seiris*, qui in finibus *Ammonis*; reliquum enim *Edomi* necdum defecerat: vide 2 *Reg.* 8:20. Hi populi appellantur *Jud.* 10:12. מעון, *Maonites*,

REGNUM ISRAELIS.

II REGUM CAP. III. *verſ.* 1, 2, 3, 4, 5.

3 JOram removet *Baalem* è *Samariâ*, ſed Vitulos aureos *Jeroboami* locis ſuis relinquit. *Moab* rebellat, 79

4 ſicque *Joramo* ingens Tributum perit. Veriſimile eſt, *Ababum* ſubjugaſſe *Moabum*, quando *Benhadadum* devicit, unaque triginta duos Reges, & Regem *Moabi* fuiſſe ex iis unum. 80

vel 2 *Chron.* 26:7. מעונים *Mehunim*. Et ita expreſſos oportuit, 1 *Chron.* 4:41. *Atque iſti ſcripti de nominibus, venerunt diebus Jehiskiæ Regis Judæ, & percuſſerunt tentoria illorum, & Maonitas, qui illic inventi ſunt.* LXX benè reddunt, Υἱοὶ Μωὰβ καὶ υἱοὶ Ἀμμὼν, καὶ μεθ' αὐτῶν ἐκ τῶν Μιναίων. Dicti ſunt עמונים hic & 2 *Chron.* 26:8. ſive per inverſionem vocis מעונים in עמונים, quæ agendi ratio in Scripturâ valde eſt familiaris, [ut *Heres* & *Serah*, *Joſ.* 24:30. collat. cum *Jud.* 2:9. *Beta* & *Tibath.* confer 2 *Sam.* 8:8. cum 1 *Chron.* 18:8. *Eliam* & *Ammiel*, 2 *Sam.* 11:3. collat. cum 1 *Chron.* 3:5. & plura alia quæ allegari poſſent] ſive ob mixtam illorum cum *Ammonitis* habitationem, ut *Midianitas* & *Iſmaëlitas* uno nomine nuncupatos invenimus, *Gen.* 37. Obſerva autem quam ex facili defungatur textus iſtâ inverſione, quamque perſpicuè iſtam cohabitationem ſignificet, 2 *Chron.* 26:7, 8. *Et auxiliatus eſt Deus Uzziæ adverſus* מעונים *Mehunim, &* והמעונים *Ammonitæ dabant munus Uzziæ.* Manus hæc, quæ contra *Joſaphatum* veniebat, dicitur veniſſe è *tranſmarina regione* è *Syriâ*, *verſ.* 2. Hoc autem Mare

fuit

Mundi | Joſaphati

fuit Mare mortuum, uti ex verbis proximis apparet; *& ecce ſunt apud Hazezonem Tamaris: ea eſt En-Gedi*; qui locus in extremo auſtrali termino Maris mortui fuit ſitus. Jam neque locus iſte, neque horum hominum Regio in *Syriâ* fuit, ſed ille in *Canaane*, & hæc in *Arabiâ*; atque idcirco, quando dicitur veniſſe ex *Syriâ*, intelligendum eſt, acceſſiſſe eos cauſæ & bello Regis *Syriæ*, quod is jam in *Joſaphatum* ciebat, ad ulciſcendum ſocietatem, quam cum *Ababo* ad *Ramothas Gileadis* habuerat.

REGNUM JUDÆ.

Jorami

II CHRON. CAP. XXI. *verſ.* 1, 2, 3, 4.

3110 22 1 JOram ſive *Jeboram* Filius *Joſaphati* iterum factus Prorex. Id enim manifeſtum eſt 2 *Reg.* 8: 16. *Anno quinto Jorami filii Ababi Regis Iſraëlis, cum Joſaphat eſſet Rex Judæ, regnare cæpit Joram filius Joſaphati, Rex Judæ; & regnavit octo annos Jeruſalemi.* Id autem fuit in expeditione *Joſaphati* cum *Joramo* Rege *Iſraëlis* ad bellum *Moabiticum*, 2 *Reg.* 3: 7, 9. Ut enim *Joſaphat*, ubi cum *Ababo* proficiſcebatur *Ramothas Gileadis*, *Joramum* loco ſuo conſtituit Regem donec ipſe reverteretur, uti ſuperius eſt obſervatum; ita nunc facit, quando cum *Joramo*, *Ababi* filio, tendit adverſus *Moabum*. Sed *Joſaphat* nunquam thronum iterum conſcendit: nam obſerva

REGNUM ISRAELIS.

Jorami

II REGUM CAP. II. & CAP. III. *à verſ.* 6. *ad finem.*

5 ELias raptus in Cœlum. *Joram* Rex *Iſraelis* it in *Moabum*, &c. *Eliſa* oleum viduæ multiplicat; Filium promittit *Sunammitidi*, &c. 81

I. Quando dicitur, *Joram* regnavit annos octo *Jeruſalemi*, numerandos eos eſſe ab hoc principio, ceu patet 2 *Reg.* 8: 25. ubi illi finiuntur undecimo anno *Jorami*, filii *Ababi*.

II. *Joſaphatum* appellari *Regem Iſraëlis*, 2 *Chron.* 21: 2. Affinitas enim ejus & ſocietas cum *Ababo* & *Joramo* Regibus *Iſraëlis* perdiderant illum; & ubi monitioni locum non dedit poſt primum ejus generis peccatum, 2 *Chron.* 19: 2. propter ſecundum miſerè eſt punitus, amiſſis filiis, amiſſo etiam Regno; ideoque aptè appellatus eſt *Rex Iſraëlis*, ut qui curam majorem geſſerat pro illo Regno, quam pro ſuo, & ita ſuum amiſerat.

III. *Joramum* interfeciſſe fratres & Principes *Judæ*, mox poſtquam parens Thronum illi vacuum fecerat, peregrèque in *Moabum* fuerat profectus. Id ex ſequentibus facile colligitur. Dicitur 2 *Chron.* 21: 12, 13, &c. *Venit ſcriptum ab Eliâ Prophetâ ad Joramum, dicente, Sic ait Jehova, Propterea quod non ambulaſti in viis Joſaphati, &c. ſed interfeciſti fratres è domo patris tui; Ecce plagâ magnâ afficiet Jehova populum tuum, &c.* Ridiculum eſt, opinari cum Judæis, *Eliam* has literas è Cœlo miſiſſe, poſtquam eò abreptus fuerat: ſed ſine dubio eas ſcripſit, in terrâ adhuc degens, ante aſſumptionem.

Priuſquam verò *Joſaphat* Rex *Judæ*, & *Joram* Rex *Iſraëlis*, & Rex *Edomi* prælium adverſus *Moabum* inirent, *Elias* aſſumptus eſt, & *Eliſa* adeſt Regibus: planum enim hoc eſt 2 *Reg.* 3: 11. Dixit verò *Joſaphat*, *an non eſt hic Propheta Jehovæ? Et unus ex ſervis Regis Iſraelis reſpondens dixit, Eſt hic Eliſa filius Schaphati, qui infundebat aquam manibus Eliæ.* Itaque contextus univerſæ Hiſtoriæ hoc ordine eſt diſponendus: *Moabo* rebellante adverſus Regem *Iſraëlis*, Rex *Joram* requirit *Joſaphati* auxilium ad rebelles coërcendos. Annuit *Joſaphat*, copias ſuas colligit, *Joramum* filium collocat in throno, res imperii curaturum domi; ſicque diſcedens urget expeditionem. *Joram*, patre jam agente peregrè, inſurgit in Fratres & Nobiles *Judæ*, eoſque interficit, & conſilium capit Regnum retinendi. *Elias* inter vivos etiamnum degens, hæc audit, & quanquam illi nihil adhuc rei fuerat cum ullo Regum *Judæ*, tamen quia videbat in hoc *Jorami* facto ſpiritum *Izebelæ*, ſcripſit illi epiſtolam præduram, quam curavit ad eum transferri, ipſe haud ita diu poſt turbine tranſlatus in Cœlum. *Eliſa* poſt deceſſum Domini revertitur per diviſum *Jordanem Jerichunta*, *Bethelem*, *Carmelum*, *Samariam*, indeque deſcendit ad caſtra in *Moabo*. Adeo ut Hiſtoria de raptu *Eliæ* collocata ſit loco proprio, nempe 2 *Reg.* 2. Niſi quod principium Capitis tertii, quod initium regiminis *Jorami* commemorat, quod fuit ante tranſlationem *Eliæ*, repetitio ſit ejus, quod antea loco proprio dictum fuerat, *Cap.* 1: 17. ut plena hujus *Jorami* Hiſtoria ſimul expediatur.

Mundi | Joſaphati | Diviſioni

Eliſa prophetaturus requirit pulſum Muſici inſtrumenti, & Canticorum aliquot concentum; & tunc Spiritus Domini eum incellit: prædicit magnam liberationem, & miraculoſè foſſas aquâ implevit, ut *Eram* anteà igni. *Moab* jam pelluvium factus plenum aquâ mirâ; aquæ autem hæ *Moabo* nil niſi ſanguis viſæ. Rex *Moabi* obſeſſus *Kir-Hareſethæ*, conatus eſt cum ſeptingentis viris perrumpere eam caſtrorum partem, quam Rex *Edomi* inſederat; ſed non potuit: nihilominus capit Principem *Edomi*, Regis primogenitum filium, & captivum retro duxit *Kir-Hareſetham*, ibique ſuper murum in holocauſtum obtulit, &c. *Combuſſerunt oſſa hujus Regis juvenis in calcem*, *Amoſ.* 2:1. *Eratque magnus fervor in Iſraëlem*, tum *Edomi*, tum Nationum aliarum: nam *Edom* defecit ac rebellavit adverſus *Iſraëlem*, 2 *Reg.* 8:20. & *Philiſtæi Tyriique* interceperunt *Iſraelitas*, quandocunque prehendendi illos occaſio erat, & tradiderunt illos *Edomo* (גלות שלמה, *Captivitate pacis*, *Amoſ.* 1:6,9.) non bello captos, ſed fraude & dolo: ſive perfecta Captivitate, unde redimi non daretur.

REGNUM JUDÆ.

II CHRON. CAP. XXI. *verſ.* 5. *ad finem.* I REGUM CAP. XXII. *verſ.* 50.

3111 23 2 *Joram* magis magiſque abo-
3 minabilis fit; *Athalia* enim *Ahabi* filia ei uxor eſt.
3113 25 4 *Joſaphat* moritur.
3114 5 *Edomum* rebellantem *Joram* invadit.
3115 6 *Libna* in *Judâ* deficit.
3116 7 *Joram* æger morbo inteſtinorum.

REGNUM ISRAELIS.

II REGUM CAP. IV. V. VI. VII. VIII. *ad verſ.* 25.

Jorami

6 *Eliſa* Propheta nunc inclareſcit, 82
7 plurimaque mira & miraculoſa patrat: multiplicat Oleum, coctas 83
8 herbas reddit ſalubres, multitudi- 84
9 nem miraculoſè cibat, curat lepro- 85
ſum *Naamanem*, filium *Sunammi-*
10 *tidis* mortuum ſuſcitat, &c. 86
11 87

Inter primum poſtremumque annum *Jorami* filii *Joſaphati*, plurima facta narrantur, quæ ad proprium ſuum annum haud comperiuntur relata, ideoque comprehendi debent ſummâ magnâ, ut nempe contigiſſe exiſtimentur tempore aliquo horum annorum. Ea ſunt Hiſtoriæ contentæ quarto, quinto, ſexto & ſeptimo Capite Libri ſecundi *Regum*, & 2 *Chron.* 21. à *verſ.* 6. ad *verſ.* 19. Ordinem illorum & tempus proprium per conjecturam ita concipere licet. Anno *Jorami* primo *Eliſa* è *Moabo* in Terram *Iſraëlis* reverſus, multiplicat viduæ Oleum, ut aquam in Caſtris produxerat. Diverſatur *Sunemi*, & Hoſpitæ Prolem pollicetur. Fames ſeptennalis jam inceperat, & *Sunammitidi* monet de illius continuatione. Anno ſecundo filium ſuum parit in Terrâ *Philiſtæorum*, 2 *Reg.* 8:2. Et *Eliſa* conſidet in medio filiorum Prophetarum *Gilgale*, & herbas mortiferas in olla reddit ſalubres, ac centum viros nutrit viginti libis, & pauculis ſpicis. Fuit hoc meſſe Hordei, principio anni. Æſtate illa *Naamanem* curat à Lepra, (unica hæc curatio à Lepra contigit, donec venit Prophetarum maximus) & in Proſelytum recipit, adeò ut petat duorum Mulorum onus de terrâ *Iſraëliticâ*, ad Altare inde conficiendum, ubi veniſſet domum, veniamque roget commiſſæ Idololatriæ, *Cap.* 5. *verſ.* 18. *Hac in re condonet Jehova ſervo tuo, cum ingreſſus fuit Dominus meus ædem Rimmonis, ut incurvaret ſe ibi, & nixus fuit manu meâ, me quoque incurvaſſe me in æde Rimmonis; hoc incurvare meum in æde Rimmonis condonet Jehova ſervo tuo in hac re*: ita enim reddenda ſunt verba, ut iis remiſſio rogetur Idololatriæ commiſſæ, non venia poſtea adhuc committendæ. Avaritia *Gehazi* traducit in ipſum Lepram *Naamanis*. Textus divinitus omiſit literam in quadam voce, ut ſtigma ei turpius inuratur flagitii hujus cauſâ: *Curram poſt Naamanem*, ait, & accipiam ab eo מומה, *maculam* ſive *ſtigma*; pro מאומה *aliquid*, *verſ.* 20.

Tertio anno *Eliſa* efficit, ut ferrum natet; prævenit *Syrorum* inſidias, & cæcitate percellit illos, qui miſſi erant ad ipſum prehendendum, perducitque in mediam *Samariam*, atque ibi convivio excipit. ולא יספו עוד, *Cap.* 6. *verſ.* 23. *Turmæ Syrorum huc uſque non amplius veniebant in terram Iſraelis*: ita enim tranſferendum eſſe, verſus proximus docet; nam refertur ibi, *Benhadadum* poſtea congregaſſe omnem ſuum Exercitum, & obſidione cinxiſſe *Samariam*. Eodem modo reddendus locus gemellus, 2 *Reg.* 24:7. ולא

Mundi | Jorami | Diviſionis

הוסיף עוד, *Et Rex Ægypti non veniebat amplius huc uſque*, ſive eo tempore, *ex Terrâ ſuâ* : nam *Jer.* 37 : 5. Rex *Ægypti* cum ſuo Exercitu iterum ſe commovet, Regni ſui terminos egreſſus.

Quarto anno *Joſaphat* moritur ; *Edomæi* rebellant, jugumque excutiunt, quod *David* iis impoſuerat. Uſque ad *Jorami* tempus nullus in *Edomo* Rex fuit alteri non obnoxius, ſed quiſpiam Regis *Judæ* Legatus Rex nuncupabatur, 1 *Reg.* 22 : 47. At nunc *Edomæi* ab autoritate *Judæ* deficiunt, & Regem ſibi conſtituunt ipſi, 2 *Reg.* 8 : 20. Eodem tempore & *Libna* deficit. *Joram* adverſus rebelles tendit, & de nocte cohortes eorum percutit, quæ diſpoſitæ jam erant ad confligendum cum ipſo proximo mane.

Anno quinto *Samaria* obſidetur à *Benhadado*, tantaque oritur in Civitate fames, ut mulieres proprios infantes vorent, ſicut *Deut.* 28 : 53, 56. utque viri pariter & fœminæ liberique comedant ſtercus columbarum. Culpa omnis in *Eliſam* conjecta, plectendum ideò capite : ſed ipſe prædicit inopinatam & miram liberationem, & abundantiam miraculoſam, quæ conſimiliter evenit. Princeps quidam, qui fidem dicto negaverat, proculcatus perit.

Sexto anno *Philiſtæi* & *Arabes* opprimunt *Joramum* Regem *Judæ*, & uxores illius liberoſque captivos abducunt, relicto illi uno tantum filio : quo ei cædes Fratrum rependitur.

Septimo anno incidit *Joram* in luctuoſum morbum inteſtinorum, 2 *Chron.* 21 : 19. *Factum autem eſt poſt finem duorum annorum, ut inteſtina ejus exierint præ morbo ejus* ; inteſtina enim erga fratres non oſtenderat. Hoc anno tempore Meſſis fames finitur : & meſſe eâdem moritur filius *Sunammitidis*, perque *Eliſam* reſtituitur, (ejus mors & reſuſcitatio narrantur proximè nativitatis Hiſtoriam, quamvis moriens ea jam eſſet ætate ut conſequi poſſet meſſores ; quod ideo factum, ut quicquid ad illum pertinet, ſimul referatur) & non diu poſt mater ejus Regem adit, petitum ut ſua ſibi reſtituantur ; ubi & leproſum *Gebazin* offendit. Verſus primus *Cap.* 8. chronologiæ habita ratione, verti debet per tempus præteritum : *Eliſa autem dixerat mulieri, &c. Surgens itaque mulier illa fecerat ſecundum verbum viri Dei, verſ.* 2. Anno hoc *Eliſa* eſt *Damaſci*, *Benhadad* ægrotat, *Hazaël* ſuffocat illum ſtragulâ madidâ, & regnat illius loco.

REGNUM JUDÆ.

II CHRON. CAP. XXII. *ad verſ.* 10.
II REGUM CAP. VIII. *verſ.* 25. *ad finem.*

REGNUM ISRAELIS.

3117 8 AHazia *Jorami* filius regnat, & moritur hoc anno gladio *Jehu*, 2 *Reg.* 8 : 25, 26. *Anno duodecimo Jorami, filii Ahabi, Regis Iſraëlis, regnare cœpit Ahazia, filius Jorami, Rex Judæ. Annos duos & viginti natus erat Ahazia, cum regnare inciperet ; & regnavit unum annum Jeruſalemi : & matri nomen erat Athalia, filia Omri, Regis Iſrëalis.* Et 2 *Reg.* 9 : 29. *Anno autem undecimo Jorami filii Ahabi, regnare cœperat Ahazia ſuper Judam.* 2 *Chron.* 22 : 2. *Natus erat quadraginta duos annos Ahazia, cum regnare inciperet*, &c. Lector hic duas eaſque apertas differentias videt, unam circa *Ahaziæ* ætatem, alteram circa regiminis ejus initium. Idem *Regum* Liber dicit, regnare eum incepiſſe *anno undecimo Jorami filii Ahabi*, & regnare incepiſſe *anno duodecimo Jorami filii Ahabi.* Conciliatio diverſitatis hujus facilis eſt, obſervato, *Joramum* filium *Ahabi* regnaſſe unum annum integrum patre ſuperſtite, & poſtea annos adhuc undecim : ſicque unus textus ultimum illius annum appellat ejus *duodecimum*, id eſt, totius regiminis ejus ; alter vero ipſum nominat ejus *undecimum*, id eſt, ejus regiminis, quod à patris morte ſolus obivit. Differentia vero altera magis notabilis magiſque difficilis eſt : Liber enim *Regum* dicit, *Ahaziam tantum duos & viginti*

12 JOram Rex *Iſraëlis* præliatur ad *Ramothas Gileadis*, vulneratur, redit ut à plagis ſuis *Jizreële* curetur, ibique à *Jehu* cæditur. *Ahazia* cum *Joramo* fuerat ad *Ramothas*, & cum *Joramo* cæditur *Jizreële*. 88

Digitized by Google

viginti annos natum fuiſſe, cum regnare inciperet: Liber autem *Chronicorum* affirmat, *annos natum fuiſſe quadraginta duos*; quæ poſterior deſcriptio ipſum patre facit duobus annis majorem: Pater enim ipſius regnare incepit, triginta duos annos natus, & regnavit octo annos, atque ita mortuus eſt, annos natus quadraginta, 2 *Reg.* 8:17. Ad amovendum hunc ſcrupulum auxilio nobis eſt textus Originalis, qui in tranſlatione noſtra haud comparet. Textus id vult, *Ahaziam filium fuiſſe annorum quadraginta duorum*, ſcilicet domûs *Omri*, è cujus ſtirpe erat per matrem; & ambulabat in viis iſtius domûs, & eodem tempore cum illa periit. Quo idem Textus nos ducit, quando matrem illius nominat *filiam Omri*, quæ reverà filia *Ahabi* fuit. Iſti autem 42. anni facile invenientur ab eo, quem in *Chronicis* retro numerare non pigebit uſque ad ſecundum annum *Omri*. Ejuſmodi calculus alius extat in Hiſtoria *Jechoniæ*, ſive *Jojachinis*, 2 *Reg.* 24:8. *Octodecim annos natus erat Jojachin, cum regnare inciperet*; ſed 2 *Chron.* 36:9. *Jojachin filius erat octo annorum*, id eſt, initium regiminis illius incidit in octavum annum *Nebucadnezaris*, & primæ captivitatis *Judæ*, ut ibi oſtendetur.

REGNUM JUDÆ.

II CHRON. CAP. XXII. *verſ.* 10, 11, 12. *Et* II REGUM CAP. XI. *verſ.* 1, 2, 3.

3118 1 ATbalia delet reliquum ſemen
2 Regium, quod ſupererat poſt
3 42. illos à *Jehu* cæſos; ipſa regnat
4 annos ſex: habebat proprios filios
5 ex alio quodam viro, quos avebat
6 promovere, 2 *Chron.* 24:7.

REGNUM ISRAELIS.

Jehu

II REGUM CAP. IX. *&* CAP. X. *ad verſ.* 30.

1 JEhu filius *Joſaphati* unctus ad de- 89
2 ſtruendam domum *Ahabi*, reg- 90
3 nat 28. annos. Unctus eſt ab *Eliſæ* 91
4 famulo *Eliſæ* juſſu: lege *Cap.* 9. 92
5 *verſ.* 4. *Itaque puer, ipſe puer Pro-* 93
6 *phetæ, abiit, &c.* Unctus eſt *Ra-* 94
mothis Gileadis, ubi *Ahab* vitæ invenerat exitum, *Joram* verò illius filius nuper aliquot vulnera acceperat. *Joramum* interficit manu propriâ, & *Ahaziam* quoque Regem *Judæ* occidi curat. Vir hic aliquando dictus eſt *Jehoachaz*, parte nominis *Jehovah* nomini illius præfixâ, ut 2 *Chron.* 21:17. & 25:17. nonnunquam *Achazjahu*, parte nominis illius *Jehovah* nomini ejus ſuffixâ, 2 *Chron.* 22:2. & aliquando *Azariah*, 2 *Chron.* 22:6. Modus, quo occiſus fuit, in Libris *Regum* & *Chronicorum* narratur ratione multum diverſâ, unde difficultas legenti minimè parva objicitur. Dicitur 2 *Reg.* 9:27. *Ahaziam, cum videret cædem Jorami Regis Iſraëlis, aufugiſſe viâ domus hortenſis, & perſequutum eum eſſe Jehu, & dixiſſe, ipſum quoque percutite in Curru, in aſcenſu Guris, qui eſt juxta Jibleamum; & fugit Megidduntem, & mortuus eſt ibi.* Sed 2 *Chron.* 22:8,9 ita legitur: *Cum judicia exerceret Jehu contra domum Ahabi, & inveniret principes Judæ, nempe filios fratrum Ahaziæ, qui miniſtrabant ei, interfecit eos. Et quæſivit Ahaziam, & ceperunt eum, (is autem ſe abſconderat Samariæ) & adductum ad Jehu morte affecerunt eum.* Contextus Hiſtoriæ univerſæ ſic ſe habet: *Jehu* interficit *Joramum* in agro *Jizreëlis*, cum *Ahazia* & *Joram* eſſent unà. *Ahazia* id videns fugit & contendit *Samariam*, ſeque ibi abſcondit. *Jehu* tendit *Jizreëlem*, & *Jezabelam* facit eſcam Canum. Inde mittit *Samariam*, jubetque ut apportentur ſibi capita filiorum & nepotum *Ahabi*; quæ allata ei ſunt noctu, manè autem per eum oſtentata populo. Tunc proficiſcitur *Samariam*, & in viâ cædit conſanguineos *Ahaziæ*, 42. viros. Incidit in *Jonadabum* patrem *Rechabæorum*. Ingreſſus *Samariam*, jubet inquiri *Ahaziam*; quem inveniunt, & ad *Jehu* ducunt. Mandat ille, ut eum avehant verſus *Gurem*, prope *Jibleamum*, ibique percutiant. Fieri poteſt, ut pater illius *Joram* ſuos fratres illic occidiſſet, ſicut *Ahab Nabothum* occiderat *Jizreële*. Illi mandata exequuntur, ibique ipſum in proprio Curru percutiunt, & auriga ſtrenuè urget, *Megidduntem* ingreſſus, antequam expirat. Hiſtoria in *Regum* Libro contractius concepta eſt, & juncta cum Hiſtoria mortis *Jorami*, ut utriuſque Regis exceſſus ſimul exponatur; ſed Liber *Chronicorum* ordinem demonſtrat.

REGNUM JUDÆ. | Mundi | Joas

II REGUM CAP. XI. *à verſ.* 4. *ad finem. Et* CAP. XII. *verſ.* 1, 2, 3. II CHRON. CAP. XXIII. XXIV. *ad verſ.* 4.

3124 1 J*Oas* unctus per Avunculum *Jo-*
2 *jadam*, & annos regnat quadra-
3 ginta. Vir probus *Jojada* illum
4 perducit ad Coronam, populum
5 verò ad Fœdus, &c. *Sacerdotes* &
6 *Levitæ* primas agebant in Corona-
7 tione. Illi ita diſtinguuntur,
8 2 *Reg.* 11 : 4. שרי המאיות ; ita
9 enim ſcribitur, *Meajoth*, *Centurio-*
10 *nes*; כרי & רצים, *Sacerdotes*
11 & *Levitæ*. Sacerdotes nuncupan-
12 tur כרי (pro כרים, ut Hebræi
tradunt) propterea quia præcipui
erant, & ordinis dignioris. Levitæ
vero רצים, ſive apparitores &
13 ſatellites, quia Cuſtodes erant in
14 Templo. *Joas* curante *Jojadâ*
15 duas uxores ſibi accepit. *Jezabel*
16 uxor *Ahabi*, & *Athalia* uxor *Jo-*
17 *rami* omnis mali in *Iſraële* & *Judâ*
18 autores fuerant; & ideo vir optimus
19 ſummus Sacerdos cautionem adhi-
20 bet, ne per tale connubium Rex
21 peccet.
3145 22

II REGUM CAP. XII. *à verſ.* 4. *ad finem. Et* II CHRON. CAP. XXIV. *à verſ.* 4. *ad finem. Et* II REGUM CAP. XIV. *verſ.* 1, 2.

3146 23 J*Oas* curam ſuſcipit reparandi
24 Templi; & cuſtodit Religio-
25 nem per omne tempus, quo
26 vixit *Jojada*: at eo è vivis ſublato
27 Dei obliviſcitur, & Templum
28 miſſum facit, ipſeque & *Juda* ma-
29 nifeſtæ ſe Idololatriæ dedunt:
30 quamobrem ira Dei venit ſuper ip-
31 ſos; utque menſuram ſuam adim-
32 pleant, interficiunt *Zachariam*,
33 Sacerdotem ſimul & Prophetam,
34 inter Templum & Altare.
3158 35 *Zacharia* lapidatus in Templo:
36 *Hazaël* invadit *Judam*.
3160 37 1 *Amazia* regnat 29. annos,
38 2 2 *Reg.* 14 : 1, 2.
39 3 *Joas* cæſus per ſervos ſuos.

Jehu | Diviſionis | REGNUM ISRAELIS.

II REGUM CAP. X. *à verſ.* 30. *ad finem.*

7 J*Ehu* ſequitur Idololatriam *Jero-* 95
8 *boami*, ſcilicet Vitulos aureos, 96
9 quamvis *Baalem*, Idolum *Ahabi*, 97
10 deſtruxerat. *Hazaël* detruncat *Iſraë-* 98
11 *lem* non mediocriter trans *Jorda-* 99
12 *nem*, & diſſipat *Reubenitas*, *Gadi-* 100
13 *tas*, & *Manaſſitas*, qui ibi incole- 101
14 bant. *Eliſa* cum lachrymis monue- 102
15 rat, quod malum & quam miſeriam 103
16 is *Iſraëli* crearet, quæ ille jam exe- 104
17 qui incipit in diebus *Joahaſi* filii 105
18 *Jehu*. *Jehu* promiſſionem habet 106
de ſucceſſione filiorum in Regno
ad quartam uſque generationem.
בני רבעים i. e. בנים.
19 Domus *Omri* ſteterat per qua- 107
20 tuor ſucceſſiones; *Omri*, *Ahab*, 108
21 *Ahazia* & *Joram*. Quatuor ſucceſ- 109
22 ſiones filiorum *Jehu*, erant *Joahas*, 110
23 *Joas*, *Jeroboam*, & *Zacharia*. 111
24 Sed inter regimen *Jeroboami* & 112
25 *Zachariæ* longum fuit interregnum, 113
26 ut obſervabimus, ubi eò fuerit de- 114
27 ventum. 115
28 *Jehu* moritur. 116

II REGUM CAP. XIII. *totum.*

Joahaſi

1 J*Oahas* filius *Jehu* regnat annos 117
2 17. & vivit impiè, ambulando 118
3 poſt *Jeroboami* vitulos. *Hazaël* op- 119
4 primit *Iſraëlem*, & continuat miſe- 120
5 riam, quam tempore *Jehu* cœpe- 121
6 rat. Invaſerat & afflixerat *Iſraëlem* 122
7 ultra *Jordanem*, *& trituraverat* 123
8 *Gileadem tribulis ferreis*, ut *Amoſ*. 1. 124
9 *verſ*. 3. Nunc verò *Jordanem* trans- 125
10 it, & iſtic quoque irruit in *Iſraë-* 126
11 *lem*: capit *Gathum Philiſtæorum*, 127
12 & jam *Jeruſalemo* imminet. Con- 128
13 ducitur à Rege *Joaſo* rebus 129
14 Templi pretioſis, ut diſcedat: 130
15 damnis tamen non parvis *Joaſum* 131
16 afficit. 132
17 133

Mundi | Amaziæ | Joahaſi | Diviſionis

1 *Joahas* regnat 16. annos, 2 *Reg.*
2 13 : 10. & liberatorem ſe ſervato-
remque ſuorum adverſus *Syros* ex-
3 hibet : is enim eſt, de quo dicitur
4 2 *Reg.* 13 : 5.

Patet hîc *Amaziam* regnaſſe triennio ante patris mortem; propterea quià pater ob afflictam valetudinem ipſe rebus præeſſe non poterat, 2 *Chron.* 24. *verſ.* 25. *Joahas* itidem regnavit triennio ante patris obitum: factus enim eſt bellator eximius, & victoriis de *Syris* inclytus; unde Prorex declaratus, patre adhuc ſuperſtite.

REGNUM JUDÆ.

II REGUM CAP. XIV. *à verſ.* 3. *ad verſ.* 19. II CHRON. CAP. XXV. *ad verſ.* 27.

3163 4 AMazia occidit autores mortis
5 patris, conducit 100000. vi-
6 ros ex *Iſraële* adverſus *Edomæos*;
7 qui dimiſſi ſpoliant *Judam*, & cæ-
8 dunt 3000. viros, 2 *Chron.* 25 : 13.
9 *Amazia Edomæos* ſuperat; ſed idem
10 ab Idolis illorum ſuperatur. Miſerè
11 à *Joahaſo* Rege *Iſraëlis*, percutitur,
12 & diripitur *Jeruſalemum*, &
13 magna pars muri dejicitur, ea ni-
14 mirum urbis parte, quæ ſpectabat
15 *Samariam*.

3175 16 *Amazia* vivit 15. annos curren-
17 tes poſt *Joahaſi* mortem, 2 *Chron.*
18 25 : 27. ומעת אשר כר מאחרי
19 יהוה, 2 *Chron.* 25. *verſ.* 27. *Ex*
20 *quo tempore ille receſſit à Jehova*, ani-
21 mus ſubditorum receſſit ab illo,
22 iique conjurare in illum cœperunt
23 gliſcente adeo conſpiratione, ut ad
24 extremum fugere ipſum coegerint
25 *Jeruſalemo Lachiſum*, vitæ ſervan-
26 dæ cauſa. Factum id paulo ante
mortem; videtur enim

REGNUM ISRAELIS.

5 TEmpore regiminis *Joahaſi* 134
6 *Eliſa* diem obit,& mortua ejus 135
7 oſſa hominem mortuum ad vitam 136
8 revocant. *Hazaël* Rex *Syriæ* itidem 137
9 tempore *Joahaſi* decedit, ſucceſſore 138
10 *Benhadado* Filio. Eum *Joahas* ter 139
11 percutit, & reſtituit urbes *Iſraëli*, 140
12 quas ille ceperat tempore *Jehoacha-* 141
13 *ſi*, quando ingenti ſucceſſu ultra 142
14 & citra *Jordanem* uſus fuerat. 143
15 144

16 II REGUM CAP. XIV. 145
verſ. 23, 24, 25, 26, 27.

1 JEroboam regnat 41. annos, & 146
2 ambulat in Idololatriâ *Jeroboami* 147
3 primi: armis tamen utitur pro- 148
4 ſperrimis, patriſque bella & victo- 149
5 rias proſequitur eventu feliciſſimo. 150
6 Miſerebatur namque Deus *Iſraëlis*, 151
7 nec eum adhuc perdi volebat. *Je-* 152
8 *roboam* recuperat omnem terram 153
9 duarum Tribuum & dimidiæ, ul- 154
10 tra *Jordanem*, quam ceperat *Ha-* 155
11 *zaël*, tempore 156

II REGUM CAP. XIV. *verſ.* 19, 20. II CHRON. CAP. XXV. *verſ.* 27, 28.

3186 27
28
29 è textu, mox illos miſiſſe eò, qui
3189 1 ipſum interficerent. *Amazia* cædi-
2 tur *Lachiſi*: quo tempore filius
3 ejus ac hæres proximus *Uzia* ſive
4 *Azaria* non niſi quatuor annos ha-
5 bet; tantum enim ſedecim habebat,
6 anno *Jeroboami* vigeſimo ſeptimo,
7 2 *Reg.* 15 : 1, 2. Vacat itaque thronus
8 annis undecim, & regimen com-
9 mittitur quibuſdam velut Pro-
10 tectoribus, dum *Uzia* eſt mino-
11 rennis.

II REGUM CAP. XIV. *verſ.* 23. *ad finem.*

12 157
13 158
14 *Jehu*, ab ipſo *Hamathæ* aditu ver- 159
15 ſus Septentrionem, uſque ad mare 160
16 campeſtrium, ſive mare mortuum 161
17 verſus Meridiem. Quin reſtituit 162
18 ipſam *Hamatham*, & *Damaſcum*, 163
19 ליהודה בישראל *Judæ in Iſraële*, 164
20 2 *Reg.* 14 : 28. *David* ea loca devi- 165
21 cerat; quæ poſtquam defecerant, 166
22 ipſe ea recuperat *Iſraëli* jure & titulo 167
23 *Judæ*, ut quæ magis ſpectarent ad 168
24 dominium ſeminis *Iſraëlis*, quam 169
25 *Syriæ*. *Juda* imbecillior erat ad jus 170
26 ſuum recuperandum; ut qui nuper 171

ſub-

Mundi | Ætas | Diviſioni

ſubjectus fuerat patri *Jeroboami*, qui *Jeruſalemum* diripuerat, ibique quæ fuerat lubitum, egerat. Cum verò nunc filius ejus *Jeroboam* Rex eſſet multo potentior, & *Juda* etiamnum perſeveraret in ſuâ impietate, neque vires unquam recolligere potuerit, ex quo *Joas* profligavit *Amaziam*, ac *Jeruſalemi* murum dejecit; prætereàque cum nullus nunc Rex eſſet in *Judâ* rerum gerendarum potens: hic *Jeroboam*, recuperatis à *Syriâ* duabus Tribubus & dimidiâ ultra *Jordanem*, jure Regni *Samariæ*, ſibi etiam & *Iſraëli* recuperat *Hamatham* & *Damaſcum*, jure & titulo *Judæ*; Regno hoc jam valdè illi obnoxio, ex quo ejus pater id tam miſerè ſubegerat.

Halce de *Syris* victorias Propheta *Jona*, qui temporibus his vixit, ſuis Prophetiis attigit; iter autem ipſius *Niniven* non præſentis, ſed temporis eſt aliquanto poſterioris, ut deinceps obſervabitur.

REGNUM JUDÆ.

II REGUM CAP. XIV. *verſ.* 21, 22. *Et* CAP. XV. *verſ.* 1, 2, 3, 4.

Jeroboami

3201 1 UZia coronatus: etiam *Azaria* 27
2 vocatur, ſignificatu utriuſque 28
3 nominis ferè eodem; unum enim 29
4 ſonat, *Dominus fortitudo mea*, al- 30
5 terum, *Dominus eſt meum auxilium*, 31
6 ut 2 *Chron.* 26:7. 32
7 Nunc ferè fuit tempus, quo 33
8 *Hoſeas* & *Joël* prophetare incepe- 34
9 runt, & non multo poſt etiam 35
10 *Amos*. 36
11 Ante hoc tempus perpetuò Pro- 37
12 phetæ aliqui fuerant; ſed eorum 38
13 nemo Prophetias ſuas poſt ſe ſcrip- 39
14 tas reliquit; jam verò tota Prophe- 40
15 tarum cohors exurgit, qui id fa- 41
ciunt.

REGNUM ISRAELIS.

II CHRON. CAP. XXVI. *verſ.* 1, 2, 3, 4. II REGUM CAP. XIV. *verſ.* 29.

ANno *Jeroboami* vigeſimo & 172
ſeptimo *Azaria* regnare ince- 173
pit, annis quinquaginta duobus. 174
Ædificavit *Elatham* ſive *Elotham* in 175
Regione *Edomæorum*, *Deut.* 2:8. 176
2 *Chron.* 26:2. Recuperavit *Elo-* 177
tham Judæ, *poſtquam obdormiviſ-* 178
ſet Rex Amazia cum patribus ſuis, 179
id eſt, ipſis his undecim annis, 180
cum adhuc eſſet minorennis, ante 181
ſuam Coronationem. 182
Horribilis Terræmotus incidit 183
ante *Jeroboami* mortem, quem 184
Amos prædixit biennio antè, quam 185
accidit; & prædixit etiam cædem 186
Jeroboami per gladium, *Amoſ.* 7.

Ordo & Tempus horum PRIORUM PROPHETARUM.

CÆdes *Zachariæ* filii *Barachiæ*, ſive *Jojadæ* prima erat *Judæ* pernicies, & primæ initium rejectionis. Quando enim illi interficiebant Prophetam, eundemque Sacerdotem Domini in Atrio Templi, & juxta Altare, clarè demonſtrarunt, ſe aſpernari & rejicere Dominum ejuſque Templum, Sacerdotium & Prophetiam. Ex eo tempore ſtatus illorum ad ruinam ſpectare cœpit, inque miſeras velut ægritudines incidere, æque ac Rex *Joas*, qui cædem imperârat. Hanc *Hoſeas*, velut impietatis illorum ipſiſſimum apicem tangit, quando illi ita eruperunt, ut *ſanguis attingeret ſanguinem*, *Hoſ.* 4:2. Sanguis Sacrificantis commixtus erat cum ſanguine Sacrificii, ut *Luc.* 13:1.

Ipſe autem apex contumacis illorum pravitatis in eo patuit, quod *eſſent populus contendens cum Sacerdote*, *Hoſ.* 4:4. Et impium hoc illorum factum Servator facit ipſam periodum & cataſtrophen eorum ſtatûs & Regni, *Matth.* 23:36. Quo pacto res eorum ab illo tempore inclinari cœperint, tum in Religione, (*Joaſo* & *Amaziâ* cumque iis populo, Idololatriæ apertè addictis) tum in Republicâ, per oppreſſionem *Syrorum* & *Joaſi*, adeo eſt in Hiſtoriâ manifeſtum, ut etiam prætercurrens queat legere, utque is qui non cauſam ſimul & effectum legit, non legat omne quod legi poſſit. Magis autem ſpeciatim iis temporibus, in quibus nunc verſamur, poſtremis ſcilicet *Jeroboami*, manifeſtavit Dominus indignationem ſuam de Cœlo, modo uſus magis ſenſibili, ſingulari & terribili, in tribus nempe horrendis

Digitized by Google

judiciis, cujuſmodi neque ipſi neque patres eorum unquam vel viderant vel audierant; quorum contemplatione & ſenſu cum ad converſionem & reſipiſcentiam nihil proficerent, Dominus turbam Prophetarum ad manum habet,
3215 15 qui perpetuò deteriora illis prænuntiant, extremam ſcilicet everſionem tan- 186
dem iis eventuram.

Horrendorum verò horum judiciorum primum erat terræmotus terribilis adeo, ut eos ad incitas redigeret, & fugere cogeret vitæ conſervandæ cauſâ; ut tamen, quo fugerent, neſcirent. *Fugietis, quemadmodum fugiebant metu terræmotûs diebus Uziæ*, *Zach.* 14: 5. Hoc velut principium fuit deſolationis eorum, & concuſſio terræ ſignum erat, Statum eorum & Regnum non diu pòſt concuſſum iri. *Amos* de eo duobus annis antè prophetavit, quam fieret, *Amoſ.* 1: 1. *Jehova è Zione rugiet, & ex Hieroſolyma edet vocem ſuam*, ut *Joël* quoque fecit aliquanto ante, *Joël.* 2. *à verſ.* 1. *ad verſ.* 11. Hic terræmotus tam in diebus *Jerohoami* contigit, quam in diebus *Uziæ*; id enim clare *Amos* demonſtrat: ideoque nec tum accidit, quando *Uzia* factus eſt leproſus; nec eo anno, quo mortuus eſt, ut Judæorum fert conjectura; ſed antea.

Poſt hanc plagam alia inceſſit, quæ plus miſeriæ traxit, ſed minus terroris, fuitque terribilium Locuſtarum, Bruchorum & Erucarum, quales qui ætatis eſſent provectiſſimi, nunquam viderant, *Joël.* 1: 2,3,4. &c. Provenerunt iſta animalcula ſub meſſis tempus in principio fœni cordi poſt fœniſecium, *Amoſ.* 7: 1. & fuerunt tunc agri & arbores frumento & fructibus pleni: ſed animalcula iſta vineas vaſtarunt, & ficuum corticem eroſerunt, *Joël.* 1: 7. Hinc factum eſt, ut *meſſis agri perierit*, *& arbores exaruerint*, utque *deeſſet frumentum & vinum ad Munus & Libamen in Domo Domini*, *verſ.* 10, 11, 12, 13. *Tunc ingemuit jumentum*, *verſ.* 18. *& beſtia agri elanguit*, *Hoſ.* 4: 3.

Gravis hæc Locuſtarum plaga tandem precibus remota erat; ſed populi peccata vocabant aliam. Itaque *Dominus diſceptat igne*, *Amoſ.* 7: 4. nempe, maximâ ſiccitate, cum quâ commixtæ erant terribiles quædam flammæ igneæ, quæ decidebant de cœlo, uti in *Ægypto*, *Exod.* 9: 23. *Ignis conſumpſit omnia paſcua deſerti, & flamma incendit omnes arbores agri*, *Joel.* 1: 19. Aliquæ etiam Civitates ſubverſæ fuère per ignem de cœlo, ſicut *Sodoma*, *Amoſ.* 4: 11. *Jeſ.* 1: 9. & rivi aquarum exſiccati, *Joël.* 1: 20. imo abyſſus magna abſorpta fuit æſtu, & pars ejus conſumpta, *Amoſ.* 7: 4. ipſi etiam piſces interierunt, *Hoſ.* 4: 3.

Poſt omnia hæc judicia, quando illa fruſtra fuerunt, & populus antiquum obtinuit; Deus libellam diſpoſuit in populo ſuo, & decrevit, ut excelſa *Iſaaci* deſolarentur, & Sanctuaria *Iſraelis* deſtruerentur, *Amoſ.* 7: 9. Neque tamen Dominus ſe ipſum reliquit teſtimonii expertem, ſed ſub iſta tempora, ac in iis, & deinceps & abſque intermiſſione ſuſcitavit progeniem Prophetarum in medio illorum, in *Iſraële* æquè ac in *Juda*, qui ferebant iis monitiones, minas, inſtructiones & exhortationes, de tempore in tempus; neque tantum id verbis atque ore agebant, ſed committebant quoque iſta ſcriptis, adque poſteros tranſmittebant, ut generationes omnes futuræ viderent abominationem & ingratitudinem iſtius populi, velut ſcriptam ſtylo ferreo & acumine Adamantis, utque eam legerent & timerent, neque ſimilia committerent.

PROPHETIA HOSEÆ.

CAP. I. II. III. IV.

PRimus ex hâc progenie Propheta fuit *Hoſeas*: ita enim de ſe teſtatur *Cap.* 1. *verſ.* 2. תחלת דבר, *Dominus primo per Hoſeam loquebatur*. Atque ita, quemadmodum ſub *Hoſea* quodam *Iſraël* intravit terram *Canaanis*, *Num.* 13: 16. & ſub quodam *Hoſea* inde educti fuerunt in captivitatem, 2 *Reg.* 17. ita, inquam, ſuſcitavit Dominus *Hoſeam* primum horum Prophetarum, ut perſtringeret eorum ingratitudinem ratione introitûs, & denuntiaret terribilia quoad captivitatem. Prophetia illius ad *Iſraëlem* ſimul & *Judam* pertinet, planè ut erat adultera illius

uxor,

Mundi. Per.

uxor, conjux adeo dedecens Prophetam tam ſanctum, quam illius mores erant apti ad referendum populum ita impium. Tempus Prophetiæ ejus oſtendit, incepiſſe ipſum in diebus *Uziæ*, & perduraſſe uſque ad dies
3215 15 *Ezechiæ*, ut munus concionandi obierit minimum 70. annos, & prædictionum ſuarum veritatem viderit impletam in captivo *Iſraële*. De omnibus concionibus, quas habuit, deque minis & admonitionibus quas ille habuit tempore adeò longo, non niſi exigua hęc pars reſervata eſt, quę parvo hoc Libro continetur, volente Divinâ ſapientiâ id duntaxat ſupereſſe, quod præſentibus his temporibus convenire maximè videbat, & maximè expedire tempori futuro. Id ſcilicet Scripturæ Canonicæ dignitatem atque veritatem obtinet, non quod quiſque Propheta toto ſuo tempore tradidit, ſed quod viſum eſt Domino committere ſcriptis ad uſum poſteritatis.

Ut quæque hujus Libri Prophetia, ſive Caput vel Capitis pars referatur ad proprium annum, quo eſt tradita, adeo fieri non poteſt, ut ne ad tempus quidem ſingulorum Regum certò referri queat; ideoque Lector omnia non niſi tempore largè accepto comprehendere poteſt, tempore nimirum Miniſterii ejus, quo illa fuere tradita, quod valdè longum fuit. Tantummodo duæ vel tres conſiderationes & conjecturæ haud inutiles fuerint ad aſſignationem quorundam temporum, & ad meliorem Prophetiæ illius intellectionem in ſpecialibus quibuſdam.

I. Prophetare incepit in diebus *Uziæ*, & quidem primus eorum, qui Prophetæ erant in illius regimine, quales fuerunt *Joël*, *Amos* & *Eſaja*. [*Jonas* Propheta fuit his temporibus, ſed nulla illius Prophetia adverſus *Iſraëlem* vel *Judam* ſupereſt.] Secundus verſus primi Capitis modò allegatus, accipi non poteſt ullo ſenſu tam propriè, quam hoc, Deum ſcilicet jam ſuſcitare in diebus *Uziæ* generationem Prophetarum, quæ perpetuâ ſucceſſione continuaretur uſque ad captivitatem, quæque Prophetias ſuas poſt ſe relinqueret ſcriptas. תחלת דבר יהוה בהושע, *Dominus per Hoſeam prius* quam per horum omnium quenquam *locutus eſt*. Ideoque quemadmodum de *Amoſo* ex tempore adſcripto Prophetiæ illius, *verſ.* 1. patet, vixiſſe illum diebus *Uziæ*, quæ concurrerunt cum diebus *Jeroboami*; ſic ex hoc etiam textu de *Hoſeâ* patet, illum quoque ipſum cœpiſſe tempore aliquo concurrentium horum annorum *Uziæ* atque *Jeroboami*, qui fuere quinque & decem, & cœpiſſe nonnihil ante *Amoſum*.

II. Duo prima Capita videntur per illum prolata in ipſo concionandi principio. De primo nulla dubitatio vel controverſia eſſe poteſt; & alterum quoque credibile eſt ejuſdem eſſe temporis, quemadmodum è materia patet. Primo Capite ſub parabola de conjugio illius cum ſcorto, (cui nomen facit *Gomeræ filiæ Diblajim*, ſive quod eſſet eo tempore nobile aliquod ejuſdem nominis ſcortum, ſive ob ſignificationem vocis; notat enim ***corruptionem ficuum***, *Jer.* 24: 3. Ut Servator in parabola Mendicum quendam *Lazarum* nominat, ſive quod iis temporibus eſſet quiſpiam paſſim notus homo, paupertatis neceſſitate miſerè preſſus, ſive ob vocabuli ſignificationem: tantundem enim valet nomen *Lazari*, ac *Deus Juva me*; nomen mendico tam conveniens, quam inveniri poſſit) ſub hac, inquam, parabola de illius conjugio cum uxore ſcorto, & ſuſceptione liberorum ex illa, prædicit primo everſionem domûs *Jehu*, quæ ſignificatur per Filium quem parit, qui appellatur *Jizreël*; deinde ſubverſionem decem Tribuum, quæ denotatur per Filiam, quam parit, & *Lo-ruchamam* nominat, i. e. ***eam, quæ miſericordiam non eſt adepta***: iis enim temporibus *Jeroboami*, quando *Hoſea* prophetare incepit, Dominus *Iſraëlem* multâ fuerat miſericordiâ proſecutus, & turbis oppreſſionibuſque valdè levaverat, 2 *Reg*. 14: 26, 27. Nunc autem ſe ad eum modum amplius agere velle pernegat; verum *Judam* miſeraturus & ſervaturus adhuc erat, ***non arcu neque gladio***, ſed per Angelum in diebus *Ezechiæ*, deſtruens Exercitum *Sanheribi*. Ad extremum tamen *Juda* etiam abdicaretur, fieretque ***Lo-ammi***, tuncque Gentes vocarentur *Iſraëlis* & *Judæ* loco. Poſtquam ita generalia hujus Prophetiæ Capite primo collocavit, in ſecundo porro capita iſta ſpecialius deducit, oſtenditque rationem & modum, quo rejiciendi eſſent Judæi; tum rationem quoque & felicitatem vocationis Gentium. Atque ita tempus duorum horum Capitum mediocriter habemus illuſtratum.

 III. Ter-

III. Tertium & quartum Caput videntur eodem tempore ab illo eſſe tradita, quia *Cap.* 4. *verſ.* 3. mentionem facit plagæ locuſtarum, atque eorum, de quibus *Amos* & *Joël* verba fecerant, eadem quæ illi prædicens.
3215 15 Capite tertio ſub parabolâ alterius conjugii cum uxore adulterâ, prænuntiat iniquitatem populi poſt reditum è *Babele* in Terram propriam,& ſtatum quoque illorum in præſenti rejectione, quando neque Idola neque Deum ſequuntur, cum velut uxor neque Deo neque ulli alii Deo, tanquam marito alteri adhærent. 186

IV. Quartum Caput populum conſiderat in eo ſtatu, quo erant tempore Prophetæ, & repræſentat illorum impietatem, & quæ judicia iis repoſuerat Dominus; eodemque filo reliqua hujus Libri contexit.

V. Eorum, quæ Libro hoc porrò ſequuntur, quædam probabile eſt coincidere cum temporibus *Ahaſi*, quædam verò cum prioribus *Ezechielis* temporibus, uſque ad ipſam decem Tribuum captivitatem, quemadmodum obſervabitur, cum eò fuerit deventum.

PROPHETIA JOËLIS, tota.

IN hiſce poſterioribus diebus *Jeroboami* Secundi, proximè ea tempora, quibus *Amos* in *Iſraële* prophetare cœpit, etiam *Joël* apparuit, & prophetare cœpit in *Judâ*. Nonnulli ex Hebræis Doctoribus exiſtimarunt, vixiſſe illum tempore *Eliſæ*, & minas illius de fame adimpletas eſſe in fame ſeptennali, quæ in iſtud tempus incidit, 2 *Reg.* 8:1. Alii crediderunt illum vixiſſe atque prophetaſſe temporibus *Manaſſis* Regis *Judæ*, tanto ætatem illius facientes juſto poſteriorem, quanto alii priorem fecerant; verum ſubjecta materia tempus ejus declarabit: quandoquidem enim loquitur de eâdem plaga locuſtarum, ſiccitatis & ignis, de quâ *Amos*, argumentum hinc ſufficiens petitur ad evincendum, *Amoſum* & illum eodem tempore comparuiſſe.

Ipſe flebiliter deplorat atque deſcribit duobus primis Capitibus miſerandam famem & gravem ſtatum, in quem redactus erat populus per plagas locuſtarum & ſiccitatis; depingitque bruchos, erucas & locuſtas, quas *ſeptentrionalem Exercitum* appellat, planè ac ſi eſſent Exercitus hominum. Irruperunt parte Terræ, quæ Septentrioni obvertitur, qua *Syriam* atque *Hamatham* ſpectat, & velut ordinatâ acie pergentes devorarunt quicquid obvium erat, procedentes verſus partem Meridionalem: illic verò, ubi deflectebant deſcendentes infra extrema Maris mortui, ſterilitas regionis fame afflixit illas, quæ regionem totam fame afflixerant. Propheta porro concludit lætis promiſſis pluviæ poſt ſiccitatem, & florentium arborum & tempeſtatum poſt locuſtas. Occaſione autem ſermonis, quem de reſtitutione temporalium benedictionum habet, aſſurgit ad promiſſionem benedictionum ſpiritualium diebus Chriſti in dono linguarum, & ad prædictionem miraculorum, quæ Chriſti mortem eſſent comitatura, & præceſſura deſtructionem *Hieroſolymæ*; & tertio Capite concludit minando extrema mala hoſtibus *Hieroſolymæ*, & ſpeciatim prædicendo deſtructionem Exercitûs *Sanheribi*: adverſus quem Dominus robuſtos ſuos juſſit deſcendere, *verſ.* 11. nempe ſuos Angelos, eumque perdidit in valle *Joſaphati* ante *Hieroſolymam*. Quod idem etiam *Hoſeas* ſpeciatim attigerat, *Hoſ.* 1:7.

LIBER AMOSI, totus.

HÆc Prophetia tempus habet tam apertè adſcriptum, ut ad illud demonſtrandum pluribus verbis non ſit opus. Enuntiata eſt diebus *Jeroboami*, & diebus *Uzziæ*, eorum qui una vixerunt; de prophetiâ autem hujus Prophetæ, quæ in regimine Regis alicujus poſterioris facta fuerit, nulla extat mentio.

Ferè circa finem hujus Libri narrat, *Jeroboamum* tum adhuc fuiſſe ſuperſtitem, & *Amaziam* Sacerdotem *Bethelu* ſtuduiſſe illum concitare adverſus

Mundi Uziæ Diviſionis

Amoſum, velut Proditorem, *Cap.* 7:10, &c. adeo ut Liber ad poſtrema tempora *Jeroboami* referri debeat, atque ſecundum genuinum ordinem immitti inter verſus vigeſimum ſeptimum & vigeſimum octavum *Cap.* 14. po-
3215 15 ſterioris Libri *Regum*: ad quem locum Libri quoque *Hoſeæ* & *Joëlis* perti- 186
nent. Et ſic clarius licet perſpicere, quæ circa *Iſraëlem* Dominus egerit: nam cum ab hoſtibus ſuis vehementer eſſent depreſſi, & miſeriæ illorum valdè excreviſſent, Dominus tamen evertere illos nolebat, ſed probare adhuc uno favore; ſicque confert magnum levamen atque liberationem per *Jeroboamum*: ſed quando *Jeroboam* pariter & illi perſeverabant adhuc in Idololatriâ veteris *Jeroboami*, & in impietate viarum propriarum, Dominus hos Prophetas mittit in illorum medium, qui prædicerent extremam eorum deſtructionem atque everſionem.

Amos neque Propheta, neque Prophetæ filius, educatione, *Cap.* 7. *verſ.* 14. i. e. neque Magiſter neque Diſcipulus in Scholis Prophetarum, ſed Bubulcus ex *Tekoâ*, educationis rudis; tamen, ſicut *Galilæi* piſcatores, illuſtris evadit diſcipulus in Scholâ Domini, & illuſtris doctor in Congregatione *Iſraelis*. Prophetare occepit biennio ante terræmotum, deque eo priuſquam fieret, locutus eſt, ſcilicet *Percuſſurum eſſe Dominum domum hyemalem cum domo æſtivali*, &c. *Cap.* 3. *verſ.* 15. Et *percuſſum iri ſuperliminare* Templi Idololatrici, ut contremiſcant poſtes, *Cap.* 9. *verſ.* 1. Atque ita fiſſio & diſruptio futura erat in Templo Idoli *Bethele*, ubi Dominus veniret eos viſitatum, ut fuit in Templo *Hieroſolymæ*, tempore mortis Chriſti. A Judæis paſſim creditum eſt, contigiſſe hunc terræmotum eodem tempore, quo *Uzia* leprâ percuſſus fuit; verum id ita ſe non habere obſervabimus, ubi fuerimus progreſſi ad annum mortis illius. Prophetat *Amos* adverſus ſex Nationes præter *Iſraëlem* & *Judam*, & univerſas concludit ſub immutabili decreto deſtructionis: ſic enim particula illa verti debet, quæ in ſingulis comminationibus tantam adfert in vertendo difficultatem, לא אשיבנו, *Non revocabo eam.* Senſus enim ita effertur, *Jehova è Sione rugiet, & ex Hieroſolymâ edet vocem ſuam*: *Et ſic ait Jehova, propter tres transgreſſiones Damaſci, etiam propter quatuor, eam non revocabo.* Id eſt, non revocabo eam vocem; ſed futurum eſt ut *Damaſcus* deſtruatur: & ſic de cæteris. Affixum enim maſculinum in אשיבנו nullo modo ad quippiam eorum quæ præceſſerunt referri poteſt, niſi ad ſolum קולו, *vocem ſuam*, *Amoſ.* 1:2,3. Ut autem ad præcedens aliquod referatur, neceſſe eſt.

Quarta tranſgreſſio cujuſque Nationis ſpeciatim memoratur, ita enim ea verba in ſingulis comminationibus intelligenda ſunt; Propter tres transgreſſiones *Damaſci*, ſed ſpeciatim propter quartam, non revocabo vocem, quæ adverſus illam edita eſt: atque ad eum modum phraſis conſimilis uſurpatur, *Prov.* 30:15,18,21.

PROPHETIA OBADJÆ.

TEmpus hujus Prophetæ non eſt indubiæ certitudinis, & de perſonâ quoque illius nonnulla eſt controverſia. Doctores Hebræi fere omnes hunc *Obadjam* eum eſſe exiſtimant, qui vixit cum *Ahabo*, 1 *Reg.* 18. & *Idumæum* fuiſſe Proſelytum; idque ita exprimunt: *Sanctus benedictus Deus dicit, ex illis & inter illos aliquem excitabo contra illos: venturus eſt* Obadja, *qui vixit cum duobus impiis hominibus*, Ahabo & Jezabelâ, *neque didicit illorum opera; & ultionem ſumet de* Eſavo, *qui vixit cum duobus juſtis hominibus*, Iſaaco & Rebeccâ, *neque didicit illorum opera.* Sed *Aben Ezra* moderatè & prudenter iſti opinioni non accedit: *Nam*, ait, *ubi dicitur*, Obadja *timebat Dominum, ſi is fuiſſet hic ipſe Propheta, quomodo diceret illum timentem Domini, & non potius Prophetam, quandoquidem Prophetia dignior gradus eſt?* Præterea, quando *Jezabel* quærebat occidere omnes Prophetas Domini, quo pacto *Obadja* potuiſſet evadere, ſi Propheta fuiſſet, cum verſaretur perpetuò in Aulâ ante *Jezabelæ* oculos? Si *Obadja* hic Aulicus fuiſſet *Ababi*, dictu haud eſſet difficile, in quo tempore & loco Prophetia hæc foret collocanda: ſed cum ſit ab eo diverſus,

Mundi | Uziæ | | Diviſionis

ut ex Argumentis modò allegatis patet, & ex pluribus poſſet aſtrui, in eo adhuc ſumus, ut quis fuerit hic Propheta, & in quo tempore vixerit, inquiramus. Apparet autem ex Prophetiæ illius materiâ, quod *Juda* & *Hieroſo-*
3215 15 *lyma* fuerint in magna calamitate & captivitate, quodque *Edomæi* eorum 186
miſeriam auxerint: vide *verſ.* 10, 11, 12, 13, 14. Extranei captivum abduxerant exercitum *Hieroſolymæ*, & alienigenæ ſunt ingreſſi portas ejus, ſuperque eam jecerunt ſortem; *Edom* verò erat unus ex iis. An autem hoc denotet Captivitatem *Babylonicam*, an aliam quam expilationem *Hieroſolymæ*, quæ tempore acciderit aliquanto priori, in eo verſatur quæſtio. In direptione *Babylonicâ Edomæi* operam contulerunt ad ruinam, ſicut refertur *Pſalm.* 137: 7. clamaruntque, *Evertite, evertite, uſque ad ima fundamenta.* Quod ſi Prophetia hæc ad id tempus pertinet, ſubjicienda erit, quoad tempus & ordinem, Prophetiæ *Jeremiæ*. Sed duo hæc argumenta perſuadent, hanc *Obadjæ* Prophetiam, & invidiam *Edomæorum* adverſus *Hieroſolymam* ſpectare ad tempus ſuperius. I. Quia nulla omninò mentio eſt ullius iſtiuſmodi Prophetæ, qui fuerit tempore deſtructionis *Hieroſolymæ* aut poſt illud, cum viri primæ notæ & alicujus dignitatis ſollicitè commemorentur. II. Quia mentionem facit captivitatis duntaxat *Iſraëlis* & *Judæ* in *Zareptâ* & *Sepharado*, non in *Galliâ* & *Hiſpaniâ*, ut vocabula hæc vulgo exponuntur, ſed in *Zareptâ Sidonis*, & aliis locis illius tractûs, vel in *Edomo*. Atqui ſi hæc illius Prophetia facta fuiſſet poſtquam *Babylonius* deſtruxiſſet *Hieroſolymam*, conveniens fuerat, ſermonem habuiſſe de Captivitate *Iſraëlis* in *Aſſyriâ*, & *Judæ* in *Babylone*; non verò exiguæ partis Captivorum in duobus Oppidulis ſive locis. Idcirco omninò exiſtimarem, *Obadjam* vixiſſe eodem tempore cum iis viris, cum quorum Prophetiis ejus Prophetia juncta eſt, *Hoſeâ* nimirum, *Amoſo*, & *Jonâ*; & quæ *Edomæi* malignè adverſus *Hieroſolymam* & *Judam* commiſerant, facta fuiſſe, vel quando urbs direpta eſt per *Siſakum* Regem *Ægypti*, 1 *Reg.* 14: 25. vel per *Philiſtæos* & *Arabes*, 2 *Chron.* 21: 16, 17. vel per *Joaſum* Regem *Iſraëlis*, 2 *Chron.* 25: 21. & Captivos hos ex *Iſraële* & *Judâ*, *Zareptæ* & *Sepharadi*, iis fuiſſe ſimiles, de quibus *Amoſ.* 1: 6, 9. captos à *Sidoniis*, & à quibuſcunque *Sepharadi* incolis, ut traderentur *Edomæis*.

LIBER JONÆ, totus.

IN *Hoſeâ*, *Joële* & *Amoſo* oſtenſa rejectio ſubverſioque *Iſraëlis* & *Judæ*; in *Obadjâ* deſolatio *Eſavi*, Conſanguinei proximi: poſtquam verò ſemen *Jacobi* & *Eſavi* ita deſtinatum eſt ruinæ & abdicationi, tempeſtivum eſt ut *Jona* mittatur ad vocandos Gentiles. Vixit is tempore Prophetarum, quorum mentio eſt facta in diebus *Jeroboami* Secundi, & prophetavit de illius victoriis; & tempore illius, vel non diu poſt, tendit *Niniven*. Principio declinat iſtam Legationem ex amore populi ſui, haud ignarus, ingreſſum Gentilium abdicationem fore Judæorum; & refugiebat animus operam iſti rei præſtare. *Japhunte* commiſſo nuntio ſe ſubtrahit, [compara *Act.* 10. & conſimilem tergiverſationem in *Simone* filio *Jonæ*] aſcendit navim ut abiret *Tarſum*, ſed in ventre Ceti appellit; typus ſepulturæ & Reſurrectionis Chriſti ante vocationem Gentium. *Ninive* pœnitentiam agit ad concionem *Jonæ*, denuntiantis ſubverſionem poſt dies modò quadraginta: ſed, poſt annos ferè quadraginta vel iis minus, revera deſtructa eſt ſub effœminato Rege *Sardanapalo*.

Mundi	Uziæ	REGNUM JUDÆ. II CHRON. CAP. XXVI. *verſ.* 5.	Interregni	REGNUM ISRAELIS.	Diviſionis
3216	16	UZia quærit Deum, & ſecun-	1	POſt mortem *Jeroboami* thro-	187
	17	datur. *Zecharia* Propheta eſt	2	nus *Iſraëlis* vacat 22. annis;	188
	18	velut concionator illius domeſticus:	3	*Zacharia* enim filius proximuſque	189
	19	cujus monitis dum morem gerit,	4	*Jeroboami* hæres regnare demum	190
	20	proſperè agit. *Eſaj.* 8: 2. tempo-	5	incipit anno 38. *Uziæ*, 2 *Reg.* 15: 8.	191
	21	ribus *Abaſi*, mentio fit alicujus	6	Cujus rei ratio videtur conſiſtere	192

Mundi | Uziæ

qui itidem dictus fuit *Zecharia.*
Eſajas prophetare incipit anno
22 hoc viceſimo tertio *Uziæ*, quando
3223 23 decem Tribuum captivitas aberat
annis ſexaginta quinque. Hoc enim
tempus & mens videtur eſſe illius
dicti, *Eſaj.* 7: 8. *Intra ſexaginta*

Interr.

partim in ſeditione & turbis Reipu-
blicæ; ubi enim Rex regimen ſuſ-
7 cipit, ſine mora cœditur, 2 *Reg.* 193
8 15: 10. partim in acerbitate Plaga- 194
rum, quæ tempore *Jeroboami* cœ-
perant.

& quinque annos atteretur Ephraim, adeo ut non ſit populus. Nam ad quod aliud tempus referri poteſt, ſi manifeſtè denotat decem Tribuum captivitatem? Non ab eo tempore, quo *Eſajas* edebat hanc *Prophetiam* tempore *Ahaſi*; à primo enim *Ahaſi* anno uſque ad *Ephraimi* attritionem anni ſunt modò viginti; neque ab eo tempore, quo *Amos* ſuam Prophetiam incepit, ut *Judæi* computant: nam ille incepit tempore *Jeroboami*, & à poſtremo tempore *Jeroboami* ad *Ephraimi* attritionem anni ſunt pluſquam 70. ſed numerandum ab eo tempore, quo ipſe *Eſajas* prophetare cœpit. Cœpit autem diebus *Uziæ*, inque eo perduravit omne tempus *Jothami*: & jam *Ahas* præerat, & Dominus ei hunc terminum præſcribit Regni *Ephraimi*. Ut ſi numeres principio illius Prophetiæ, ſexaginta quinque annos, tunc decem Tribus abducerentur in captivitatem. Spiritus verò Sanctus ab eo tempore potius computationem inchoat, quam ab alio, quia jam medium temporis effluxit inter rebellionem decem Tribuum & combuſtionem Templi, cujus ſumma & ſpatium univerſum eſt 390. annorum, juxta calculum *Ezech.* 4: 5. ut Lectori exinde conſtabit, ubi iſtuc pervenerimus. Si quis autem annos hos 65. omninò numerari velit ab editâ *Eſajæ* Prophetiâ tempore *Ahaſi*, ei poſtea conjecturam quandam ſuggeremus.

PROPHETIA ESAJÆ.

ESAJÆ CAP. I.

POpulus *Hieroſolymæ* [multo autem magis *Samariæ*] nunc factus eſt adeo abominabilis, ut *Sodomæ* & *Gomorræ* ſint ſimiles, *verſ.* 10. gravis iniquitate, *verſ.* 4. nihil emendati triſtibus judiciis, quæ fuerant paſſi, *verſ.* 5. ideoque certæ jam perditioni deſtinati, *verſ.* 7, 24. Super id cœlum & terra advocantur in teſtes, ut in teſtes vocata fuerant, quando iſta prædicebantur, *Deut.* 32. Adeo ut hic ſit proprius locus computandæ ruinæ decem Tribuum, quando tempus erat determinandæ ruinæ *Hieroſolymæ.*

REGNUM JUDÆ. | REGNUM ISRAELIS.

II CHRON. CAP. XXVI. *verſ.* 6, 7, 8.

3224 24 UZia vincit *Philiſtæos*, & diſ-
25 rumpit murum *Gathi*, *Jab-*
26 *nes* & *Aſchdodi*, ubi præcipua præ-
27 ſidia habebant, & ædificat ſibi Ci-
28 vitates & munimenta in medio illo-
29 rum. Subjugat *Ammonitas* atque
30 aliquot *Arabes*; incipitque hic pars
31 nonnulla Prophetiæ *Amoſi* adverſus
32 *Philiſtæos* & *Ammonitas*, adim-
33 pleri, *Amoſ.* 2: 8, 13. ſed quæ
34 compleri debet pleniori deſolatione
35 per *Aſſyrios* & *Babylonios* deinceps,
36 Aquas illas magnæ inundationis ob-
37 via omnia proſternentes, *Eſaj.* 8.
verſ. 8.

Interr.

9 INterregnum in Regno *Iſraëlis* 195
10 adhuc durat. 196
11 197
12 ESAJÆ CAP. II. III. IV. 198
13 199
14 *Eſajas* Euangeliſta eſt Propheta 200
15 *Hieroſolymæ.* Prædicit initium 201
16 Euangelii in ultimis diebus *Hiero-* 202
17 *ſolymæ*, & populi confluxum ad 203
18 lumen illud Domini, & ad legem 204
19 illam, quæ prodiret ex *Sione*, ut 205
20 Lex olim prodierat è *Sinai*; finem 206
21 itidem iſtius inimicitiæ, qua hacte- 207
22 nus omnes Nationes imbutæ fue- 208
rant adverſus Judæos propter reli-
gionem illorum; eam enim jam
amplexarentur omnes Nationes, & fiducia hominum in juſtitia propria aboleretur, fieretque locus doctrinæ pœnitentiæ. Prædicit præterea, Chriſtum *ſurculum* futurum glorioſum, & membra novæ *Hieroſolymæ* ſancta; ſed

Mundi | Uziæ | Diviſionis

populum temporibus ſuæ Prophetiæ affirmat eſſe tam abominabiles, ut adverſus illos precetur, *Cap.* 2 : 9. (ut *Elias* fecerat adverſus decem Tribus, 1 *Reg.* 19 : 14.) & graviſſimam deſtructionem & judicia denuntiet viris pariter & mulieribus. Ita ſe mores populi habebant; quanquam victoriæ tam feliciter *Uziæ* ſuccedebant: Domino volente *Judam* probare adhuc variâ benignitate, ut circa *Iſraëlem* fecerat diebus *Jeroboami* ſecundi. Quid futurum eſſet, prævidebat; relinquere illos conſtituerat planè inexcuſabiles; ideoque facienda adhuc quædam habebat ad glorificationem ſui Nominis & Inſtitutorum, priuſquam tradere illos volebat in manus inimicorum ſuorum.

REGNUM JUDÆ.

II CHRON. CAP. XXVI. à verſ. 9. ad verſ. 16.

3238 38 UZia Exercitum alebat 307500. virorum, ædificat Turres ac Munimenta, & inſtrumenta bellica parat, plurimumque corroboratur; adeo ut à Regibus circum-
39 circa valdè metueretur.

ESAJÆ CAP. V.

40 QUamvis Propheta *Eſajas* tri-
41 ginta ferè annos prophetaverit
42 tempore *Uziæ*, tamen è Prophetiis
43 tam longi ſpatii nihil habemus re-
44 lictum præter 5. prima Capita: ſed
45 neque eorum ipſorum, quæ habe-
46 mus, invenimus aſſignatum certum
47 tempus, quod itaque conjectando
neceſſe eſt indagare. Capite hoc quinto Canticum cantat Chriſto dilecto ſuo, de dilecti ſui vineâ, quale canere ſoliti erant tempore vindemiæ: ſed eſt leſſus funebris, utpote commemorans ſterilitatem &
3248 48 labruſcas vineæ *Iſraëlis* poſt curam
cultumque tam multimodum. Labruſcarum harum nonnullas enumerat ſub repetitâ aliquoties Canticoque ſubjectâ particulâ *væ*. Ex hoc loco Chriſtus petiit parabolam vineæ, indeque factum eſt, ut Judæi cito illam caperent, *Matth.* 21. *verſ.* 33, 34, 35.

REGNUM ISRAELIS.

II REGUM CAP. XV. à verſ. 8. ad verſ. 23.

Zecharia

1 ZEcharia filius *Jeroboami* regnat ſex menſes, & interficitur; atque hic eſt finis domûs *Jehu*, locumque habet *Hoſeæ* Prophetia, *Hoſ.* 1 : 4, 5. 209

1 *Sallum* regnat menſem plenum, 210
poſtquam *Zechariam* interfecerat.

2 *Menahem* ipſum cædit, regnat- 211
3 que annis decem. Diffindit gravidas 212
4 *Tiphſachi*, *Ammonitarum* inſtar, 213
5 *Amoſ.* 1 : 13. *Menahem* facit quod 214
6 malum eſt in oculis Domini, ſe- 215
7 quens Idololatriam *Jeroboami*. In- 216
8 vaſus eſt à *Pule* Rege *Aſſyriæ*, (*Syria* 217
9 jam in decremento, *Aſſyria* verò in 218
incremento verſatur) ſed *Pulem* 1000. Talentis argenti conducit ut à partibus ipſius ſtaret, ipſumque corroboraret in Regno. Summam hanc exigit à 60000. opulentis hominibus, quorum ſinguli pende-
10 bant 50. ſiclos. *Menahem* moritur. 219
Ephraim per illum eò eſt perductus, ut conſideret atque acquieſceret in *Aſſyriâ*, in quo perſeverabant ad exitium ſuum. *Hoſeas* de hoc illos iterum iterumque reprehendit, *Hoſ.* 5 : 13. & 7 : 11. & 8 : 9. prædicitque ob eam cauſam *Aſſyrium* fore Regem illorum, *Hoſ.* 11 : 5. ipſoſque comeſturos res immundas in Terrâ *Aſſyriæ*, *Hoſ.* 9 : 3.

II REGUM CAP. XV. verſ. 23, 24, 25, 26, 27.

3249 49 UZiæ victoriæ & magnificentia
50 progreſſu temporis ipſum red-
51 dunt ſuperbum.

1 HOc anno *Iſraëlis* Thronus va- 220
1 cat. *Pekaja* regnat duos an- 221
2 nos, & à *Peka* filio *Remaliæ* cædi- 222
tur.

II CHRON. CAP. XXVI. à verſ. 16. ad finem Capitis. Et II REG. CAP. XV. verſ. 5, 6, 7.

3252 52 UZia hoc anno percutitur Lepra, eodemque moritur. Spiritus Sanctus rectè ſignificavit, lepram *Uziæ* ipſum invaſiſſe anno regiminis illius ultimo, & non antea, nempe 2 *Reg.* 15 : 30. Ubi dicitur, *Hoſeam per-*

1 *Peka* Filius *Remaliæ* regnat an- 223
nis 20.

cuſſiſſe

Anni Mundi | Regni | Anni

cuſſiſſe Pekam anno vigeſimo Jothami; de quo ſuborientur ſcrupuli duo. I. Quomodò mentio fieri poſſit anni Jothami vigeſimi, cum annos modò ſedecim regnarit, 2 Reg. 15: 33. De eo videbitur, ubi eò fuerit perventum.
3252 52 Et II. quomodo Pekæ annus vigeſimus dici poſſit vigeſimus Jothami, cum 223
Peka regnare inceperit anno ante illum; adeò ut annus *Pekæ* vigeſimus fuerit modò decimus nonus *Jothami?*

Reſp. Eſt hîc indicatio, quam Spiritus Sanctus ſuggerit de tempore, quo *Uzia* leprâ fuit percuſſus, nempe anno Regni ipſius ultimo: ipſa enim hac expreſſione oſtenditur, *Jothamum* regnaſſe anno poſtremo vitæ patris; & Textus occaſionem clare explicat, quia *Dominus percuſſerat Regem Leprâ, adeo ut Leproſus fuerit uſque ad diem mortis, & Jotham Regis filius præerat Domui, judicans populum Terræ.*

ESAJÆ CAP. VI.

ANno, quo mortuus eſt Rex *Uzia*, *Eſajas* videt gloriam Chriſti in Templo, *Joh.* 12: 41. complentem Templum fumo, in ſignum futuræ illius exuſtionis: Angeli, item *Seraphim* dicti, id eſt, *Exuſtores*, à Templi exuſtione, quæ iſtis præſignificabatur, proclamant Triunum, *Sanctum, Sanctum, Sanctum*, cum tamen Judæi ſe adeo non ſanctè adverſus illum geſſiſſent, ut damnati eſſent ad cæcitatem atque obdurationem, donec funditus deſtruerentur.

REGNUM JUDÆ. — Jothami

II CHRON. CAP. XXVII.

totum.

II REGUM CAP. XV.

à verſ. 32. ad finem.

3253 1 JOtham regnat, & integrè proſpe-
2 reque agit: ædificat portam inter
3 Domum Regis & Templum, &
4 plurima munimenta per Regionem:
5 ſubjugat *Ammonitas*, ut pater fe-
6 cerat, & imponit illis magnum Tri-
7 butum; atque alia aliqua exequi-
8 tur, quæ *Amos* adverſus illos de-
9 nuntiaverat. Filius erat *Jeruſchæ*
10 filiæ *Zadoci*, ſummi Sacerdotis. Id
11 forte *Uziam* magis incitavit, ut
12 partes ſibi arrogaret ſacerdotis, quia
13 in matrimonio habebat ſummi Sa-
14 cerdotis filiam: ſed *Jotham*, quam-
15 vis ex ſemine quoque ſacerdotali,
nihil tamen ejuſmodi tentavit.

Pekæ — REGNUM ISRAELIS

II REGUM CAP. XV.

verſ. 28, 29.

I CHRON. CAP. V.

totum.

2 PEka videtur fuiſſe *Gileadita*, 224
3 & *Pekaja*, *Gadites*. Hunc *Pe-* 225
4 *ka* cum 50. *Gileaditis Samariæ* in 226
5 Regia cædit, & poſt illum impie 227
6 regnat. Factus eſt durum *Judæ* 228
7 flagellum, antequam moritur. Hiſce 229
8 temporibus, ipſis diebus *Jothami*, 230
9 recenſio facta eſt familiarum *Reu-* 231
10 *benis*, *Gadis* & dimidiæ Tribus 232
11 *Manaſſis* ultra *Jordanem*, 1 *Chron.* 233
12 5: 17, 18. Et ſic ibi factum quoque 234
13 fuerat diebus *Jeroboami* ſecundi. 235
14 Tunc quidem ad liberationem illo- 236
15 rum per *Jeroboamum* ex manu *Ha-* 237
16 *mathæ* & *Syriæ:* nunc verò dum ſe 238
parant propulſando bello ab *Aſſyriis*
illato, ſub quorum manu cadunt
tempore *Pekæ*, nec unquam iterum *Iſraëli* reſtituti ſunt.

PROPHETIA MICHÆ.

CAP I. & II.

PRincipio regiminis *Jothami Micha* prophetare occipit, & miſerè queritur de Captivitate decem Tribuum, quæ jam appropinquabat; & de calamitate *Hieroſolymæ*, quæ haud longè aberat. Prophetæ munus obiit diebus *Jothami*, *Abaſi*, & *Ezechiæ*; & facilius concipitur, materiam totius Libri illius exhibere argumentum Prophetiæ, quod tenuit ſub unoquoque horum Regum, quam ut ſtatuatur quæ Libri illius Capita edita ſint ſingulis horum Regum temporibus. Concluſio Capitis tertii reſpicit tempora *Ezechiæ*, *Jerem.* 26: 18. ubi totum Caput poteſt collocari, & omne quod ſequitur; ideoque ibi immittemus. *Micha* Propheta erat è *Moreſchetâ*, quod oppidum fuit in Tribu *Judâ*, attingens terminos *Philiſtæorum*, *Joſ.* 15: 44. 2 *Chron.* 14: 9. Incipit Prophetiam ſuam iiſdem planè verbis, quibus *Micajahu* ſuam ad *Ahabum* concluſerat, שִׁמְעוּ עַמִּים כֻּלָּם, 1 *Reg.* 22: 28. ſyntaxi mirâ, *Audite vos populi omnes illorum.* Pro-

Mundi | Jothami | Diviſions

phetia ejus aliquibus locis valdè obſcura eſt & terribilis; aliis valdè dilucida & ſolatii plena. Res illuſtres enunciat de Chriſto, deque Regno ejus; & nominatim deſignat urbem, ubi eſſet naſciturus; ac ipſiſſimis utitur verbis *Eſajæ*, qui jam vivebat, ad deſcribendum confluxum accedentium Regno Chriſti ſub Euangelio, & potentiam illius in eo, pacemque quæ ſub eo eſſet futura.

REGNUM JUDÆ.

Ahaſi

II REGUM CAP. XVI. *verſ.* 1, 2, 3, 4.
II CHRON. CAP. XXVIII. *verſ.* 1, 2, 3, 4.

3268 16 1 AHas regnat valdè impiè: ſervit *Baalim*, & igni *Filios*
2 comburit *Molecho*, 2 *Chron.* 28:3.
id eſt, *Filiorum unum*, 2 *Reg.* 16.
3 *verſ.* 3. *Ezechias* præſervatur
ſpeciali providentiâ ad meliora.

REGNUM ISRAELIS.

Peka

17 PEka eſt hoſtis *Judæ* implacabilis, ſeque cum *Syriâ* jungit 239
18 adverſus *Jeruſalemum*, quò *Rezinem*, *filium Tabeëlis*, ſive unum 240
19 ex poſteritate *Tabrimmonis*, Regem ibi conſtituerent, *Eſaj.* 7:6. 241

II REGUM CAP. XVI. *verſ.* 5.
ESAJÆ. CAP. VII.

IMpietas *Ahaſi* adducit *Rezinem* & *Pekam* adverſus *Jeruſalemum*, qui nequiverunt prævalere adverſus * *Domum Davidis*, cauſa promiſſionis. *Eſajas Ahaſum* certum eſſe jubet de liberatione à *duobus hu titionibus*, tum Regibus tum Regnis, qui nunc nil niſi caudæ facti erant, & eò jam devenerant, ut extremum ſuum *fumum* eſſent expiraturi. Offert *Ahaſo* ſignum, quod ille ignominioſe aſpernatur, abnuens tentare *Jehovam*, [Filius ejus *Ezechias* alius mentis eſt, 2 *Reg.* 20:8.] quare ipſe Dominus illi ſignum dat, ***Dominum non planè rejectum Domum Davidis, uſque dum virgo peperiſſet Filium, qui Deus eſſet in noſtrâ naturâ***, quæ duo mira erant valdè magna: attamen triſtia comminatur *Jeruſalemo* ante id tempus eventura.

* Obſerva hunc loquendi modum *verſ.* 2. & 13.

ESAJÆ CAP. VIII.

ESajas Librum conſcribit, plenum nullis aliis vocibus, quam מהר שלל חש בז, *properando ad ſpolia feſtinat ad prædam*; viroſque duos adhibet magnæ exiſtimationis apud *Ahaſum*, *Zechariam* ſocerum, & *Urijam* Sacerdotem, inſpecturos teſtaturoſque quod egiſſet, ut illud ita ad *Ahaſi* cognitionem perveniret. Etiam infantem, quem uxor ei peperit, ipſo illo appellabat nomine, in certum argumentum, *Damaſcum* & *Samariam*, duos *Judæ* hoſtes bellum jam ei inferentes, propediem iri diſſipatum. Utitur duabus phraſibus ejuſdem ſignificationis, utpote reſpiciens duo loca, *Samariam* & *Damaſcum*: nihilominus *Judæ* incolis inſuper comminatur, qui deſpiciebant domum & Regnum *Davidis*, quia erat tantummodò inſtar aquarum *Siloæ*, alveo exiguo fluentis, ſi comparetur ad magna & adeo valida Regna; ideoque deſiderabant uni ingentium horum Regnorum ſubeſſe, & fœdere cum illo jungi. Ejuſmodi hominibus comminatur, immiſſurum ſe in illos Regnum ſatis potens, quod irrueret ut validum flumen, quoniam torrentem anguſtum ſpernebant, & exundaret in terram univerſam *Immanuelis*. De ipſo *Immanuele* illuſtria prædicit, ut quod ipſe futurus eſſet Sanctuarium, quod Liberos ſive diſcipulos haberet, quod daret iis legem & teſtimonium, Oracula ſcilicet quæ conſulere deberent, quodque omnis, qui * Legem iſtam & teſtimonium transgrederetur, miſero ſtatu eſſet, preſſus fame, conſilii inops, ad extremumque ejectus in exteriores tenebras.

*Verſ. 20 ועבר בה, *Et transgreditur adverſus illud, i.e.* adverſus Teſtimonium, ſiv. Euangelium.

ESAJÆ CAP. IX.

TEnebras has affirmat pejores fore tenebris & afflictione, quæ in *Galileâ* fuerant tempore captivitatis illorum, vel per *Hazaëlem* vel per *Aſſyrium*: iſta enim loca poſteà viderunt lucem, nam ibi Euangelium initium

Mundi | *Achaſi*

cepit: ſed contemptus Euangelii miſeriam adſerret irreparabilem. Iterum glorioſa de Chriſto enunciat, infante promiſſo, antequam Domus *Davidis* deficeret, fore nimirum, *Principem pacis*, * *Patrem æternitatis*. Occurrit

3270 | 3 in voce לםרבה, *Lemarbeh*, *verſ.* 7. quædam litera omnino notanda, ſcilicet *Mem clauſum*, ad innuendam myſticam naturam Regni Chriſti, alieni ab externa pompâ; & ad ſignificandum quadraginta annorum ſpatium ante deſtructionem *Jeruſalemi*, quando Principatus illius propagaretur per mundum. Connectio primi verſus hujus Capitis cum verſu ultimo Capitis præcedentis, & quæ *verſ.* 9. & 11. inſeruntur, clarè oſtendunt, Caput hoc ejuſdem eſſe temporis cum præcedentibus duobus. 241

* אבי עד *verſ.* 6.

ESAJÆ CAP. XVII.

HUc etiam reducet Lector decimum ſeptimum Caput *Eſajæ*, factum de eodem argumento, de quo agebant tria hæc, quorum poſtremò mentionem fecimus, ſeptimum, octavum & nonum, ſcilicet de extremâ ruinâ *Damaſci* & *Ephraimi*. Et cum *Damaſcus* deſtructa ſit & in captivitatem abducta principio temporis *Ahaſi*, facilèque inſuper pateat, Prophetiam hanc, quæ ejus deſtructionem prædicit, præmittendam eſſe Hiſtoriæ, quæ factam enarrat, concludere licet hanc Prophetiam aptiſſimè hìc inſeri, propter ſequentia argumenta. I. Uſque ad tempus regiminis *Ahaſi* Propheta non attingit *Damaſcum* & *Ephraimum* conjunctim; nempe donec conjungerentur ad *Judam* ſimul invadendum. II. Unum modò paſſum promove in computatione Chronologicâ ultra illum ipſum locum, ubi Caput hoc inſertum volebamus, & *Damaſcus* eſt deſtructa: ideoque quia Caput hoc agit de *Damaſco* & *Ephraimo* invicem unitis, patet, non ante hunc locum eſſe collocandum: & quandoquidem eſt Prophetia de deſtructione *Damaſci*, antequam eveniat, ſerius collocari nequit. Ratio autem, quarè eo loco collocatur, quo conſpicitur, hæc eſt, quia plures ibi Prophetiæ adverſus plura loca conjunguntur; & quando Dominus diſtribuit minas inter omnes Regiones circumcirca, *Damaſcus* & *Ephraim* non poterant eſſe immunes: ideoque cum tria hæc Capita, quæ proxime attigimus, eo loco poſita ſint, ubi comparent, ut ſpeciales denuntiationes adverſus hæc duo loca; hoc Caput ſuo hoc loco eſt collocatum, ut ibi reliquas comminationes comitaretur.

ESAJÆ CAP. XXVIII.

EOdem modo Caput hujus Libri vigeſimum octavum, quod etiam prædictionem *Ephraimi* prædicit, ultra ſuum tempus eſt collocatum, utrimque inter Capita, quæ pertinent ad tempus deſtructione *Ephraimi* poſterius; ſed ibi eſt repoſitum, ut comminationes adverſus illum locum ſimul tractarentur cum comminationibus adverſus alia loca. Et quoniam certò non conſtat, cujus temporis hoc Caput ſit, commodè hìc inſeri poteſt. Atque ita omnes *Eſajæ* Prophetiæ adverſus *Ephraimum* conjunguntur.

II CHRON. CAP. XXVIII.
à verſ. 4. *ad verſ.* 16.

REzin & *Peka Jeruſalemo*, quam expugnare non valebant, domum quiſque ſuam redeuntes, *Judam* miſerè diſpoliant. *Peka* cædit 120000. viros, & 200000. mulieres puerosque abducit Captivos: verum illi clementer habiti atque dimiſſi ſunt ad monitionem cujuſdam Prophetæ; quæ unica eſt laudabilis actio, quam à longo tempore *Samariæ* legimus factam. *Rezin* itidem magnam Captivorum turbam abducit *Damaſcum*.

II REGUM CAP. XVI. *verſ.* 6.

NEque eo contentus, utitur occaſione oportunâ poſtquam domum redierat, dum *Juda* ad eam imbecillitatem eſt redactus, ut capiat *Ela-*

tham, urbem *Edomi* maritimam, quam recuperarat *Uzia* regiminis ſui initio: & hæc ultima eſt victoria *Syriæ*, antequam *Aſſyria* devictam ſibi ſubjecit.

REGNUM JUDÆ. | REGNUM ISRAELIS.

II REGUM CAP. XVI. *verſ.* 7. *ad verſ.* 17.

3271 4 A*Has* conducit *Tiglath-Pileſerum*. *Novacula hæc conducta*, nempe *Aſſyria*, *Eſaj.* 7:20. abradit nunc *Galilæam*, *Gileadem* & *Damaſcum*; & haud diu pòſt incumbit in conductorem. *Tiglath* captivam agit *Damaſcum* in *Kirum*, & *Rezinem occidit*, ut *Amoſ.* 1:5. *Ahas* proficiſcitur *Damaſcum* ejus videndi gratiâ; & aſportat inde delineatam figuram Altaris Idololatrici.

5 *Ahas* quandò incidit in magna
6 peccata, in magnas miſerias inci-
7 dit, undequaque oppreſſus ab hoſti-
8 bus; nihilominus perpetuò proficit
9 in deterius, neque per calamitates
10 quicquam humiliatur: idcirco
11 Textus ſtigmate ſpeciali eum inurit atque notat propter hanc animi pervicaciam: *Hic eſt Rex Ahas*, 2 *Chron.* 28:22. Erigit Sciathericon, quod miraculoſum ſignum edidit filio ipſius *Ezechiæ*, quamvis ipſe ſignum petere fuerat dedignatus.

II REGUM CAP. XV. *verſ.* 30, 31.

20 P*Eka* ante obitum amittit omnem *Gileadem* & *Galilæam*, 242
tandemque ipſe cæditur per *Hoſeam* filium *Elæ*, *Anno vigeſimo Jothami filii Uziæ*. Jam vindicata eſt in *Pekâ* omnis crudelitas perpetrata adverſus *Judam*. Verum illud non eſt factum in *Ahaſi* gratiam; ideoque non refertur ad illius tempus, ſed *Jothami* jam ſepulti.

1 Poſt mortem *Pekæ* nulla mentio 243
2 fit alicujus Regis in Throno *Iſraelis* 244
3 ante integrum ſeptennium: quan- 245
4 quam enim *Hoſeas* percuſſit *Pekam* 246
5 quarto *Ahaſi* anno, qui dicitur 247
6 *Jothami vigeſimus*, tamen non me- 248
7 moratur regnaſſe uſque ad *Ahaſi* 249
duodecimum, 2 *Reg.* 17:1. Pretium operæ erit in rationem illius poſtea nonnihil inquirere: quippe hujuſce rei explanatio non huic duntaxat loco lucem affundet, ſed uni alterique præterea, quibus ineſt nonnulla obſcuritas.

HOSEÆ CAP. V. & VI.

T*Emporibus Ahaſi*, poſtquam ab *Aſſyriâ* auxilium quæſierat, hæc Capita videntur eſſe edita. Nam Caput 5. verſu 13. id ſimul in *Ephraimo* & *Juda* reprehendit, & utrique comminatur judicia. Caput verò ſextum invitat atque hortatur ad pœnitentiam & promittit bona. *Ephraim* magis ſpecialiter appellatur in reprehenſione propter fiduciam in *Aſſyrio*, quamvis *Juda* ſe jam eidem peccato alligârat, eandemque meruerat redargutionem, quia *Ephraim* in peccato præiverat, 2 *Reg.* 15:19. & prius quoque perierat per *Aſſyrium*.

II REGUM CAP. XVI. *verſ.* 17, 18.
II CHRON. CAP. XXVIII. *verſ.* 16. *ad* 26.

3279 12 A*Has* in laqueum, quem te-
13 tendit, ipſe incidit: Conducti ab illo *Aſſyrii* exundantes ipſum obruunt. *Tales dies veniunt contra illum & contra populum illius, quales non fuerant, ex quo Ephraim receſſit a Judâ*, *Eſaj.* 7:17. Id nunc impletur.

II REGUM CAP. XVII. *verſ.* 1, 2.

1 H*Oſeas* Regnat anno *Ahaſi* duo- 250
2 decimo, atque inde præeſt 251
annis porrò novem. Ex quo autem *Hoſeas* interfecerat *Pekam*, *Salmanezer* Rex *Aſſyriæ* aſcenderat contra illum, eumque ſubjecit: & jam anno duodecimo *Ahaſi* Coronam illi impoſuit, atque ipſe & Regnum *Samariæ* ſubjiciuntur & vectigales fiunt Regno *Aſſyriæ*; ita enim habet Textus, *Hoſeam factum eſſe*

Sal-

Mundi Ahaſi Diviſiones

Salmanezeri ſervum, & pependiſſe ei tributum: [id fuit anno *Ahaſi* duodecimo, & hinc numerantur novem anni regiminis illius] ſed poſteà in crimine eſt deprehenſus, captuſque ac in carcerem conjectus; & tunc *Samaria* trien-
3280 13 nii obſidione eſt capta. Adeo ut anni hi ſeptem, qui fuere inter mortem *Pe-* 251
kæ & duodecimum *Ahaſi*, mentione omni Regis alicujus in *Samariâ* careant, quia *Hoſeas* nondum conſtabilitus erat in throno, ſed cohibitus per *Aſſyrium* uſque ad annum duodecimum *Ahaſi*, quo demum tempore illum ibi Regem conſtituit. Hæc obſervatio ſubjectionis *Samariæ*, ante ipſam illius expugnationem nono anno *Hoſeæ*, primò quidem facit ad intelligendum *Hoſ.* 10. *verſ.* 14. nempe *Schalmanem* ſive *Salmanezerum* [*Ezer* enim titulus modo addititius erat *Monarchis Aſſyriis*, ut *Pil-ezer*, *Adar-Ezer*, &c.] ſpoliaſſe *Arbelitida* prima profectione adverſus *Samariam*, & ſpoliaturum *Bethelem* ſecundâ.

ESAJÆ CAP. X. XI. XII. XIII. & XIV. *ad verſ.* 28.

DEinde eadem obſervatio facit ad diſpoſitionem horum Capitum in *Eſajâ*, & ad removendum illud dubium, quod oritur ex comparatione *Eſaj.* 10. *verſ.* 9, 11. cum *Cap.* 14. *verſ.* 28. Prior enim locus memorat ſubjectionem *Samariæ* per *Aſſyrium*, [quæ non niſi aliquot annis poſt *Ahaſi* mortem accidit] attamen poſterior loquitur de anno, quo deceſſit *Ahas*: nihilominus nulla prorſus in hiſce eſt tranſpoſitio; expugnatio enim *Samariæ*, de quâ *Cap.* 10:9. contigit primâ expeditione *Salmanezeri* adverſus *Joſeam*, ante annum *Ahaſi* duodecimum, quando ſubjugavit *Samariam* & Idola illius, & Regnum fecit vectigale. *Cap.* 10. *Eſajas* comminatur idem facere *Hieroſolymæ*; & reverà facit: *Venit in Ajanam regionem, tranſit per Migronem, Michmaſi deponit impedimenta ſua; Gebæ in diverſorium divertunt; quæ civitates erant juris Ahaſi, & tranſeunt tranſitum*, qui diligenter fuerat cuſtoditus, tanquam locus limitaneus inter duo Regna, *Samariæ* & *Judæ*, &c. & *Hieroſolymam* quoque ipſam aſcendit, & *Ahaſum* ſubjugat. Hæ erant aquæ illæ validæ, qui exundarunt ſuper *Judam* & ſuper terram *Immanuelis* tempore *Ahaſi*, *Eſaj.* 8:8. & acerbi dies, quos vidit, & quales non erant viſi, ex quo decem Tribus receſſerant, *Eſaj.* 7:17. De hiſce diebus *Ezechias* loquitur, anno proximè ſequenti, ſive decimo quarto *Ahaſi*, *Patres noſtri ceciderunt gladio; & filii noſtri, filiæque noſtræ ac uxores noſtræ ſunt in captivitate*, 2 *Chron.* 29:9. *Neque eſtote ut patres veſtri, neque ut fratres veſtri, qui prævaricati ſunt contra Jehovam, & tradidit eos deſolationi, quemadmodum videtis*, 2 *Chron.* 30:7. Hæc Regis *Aſſyrii* adverſus *Hieroſolymam* expeditio cauſa fuit *Ahaſo*, quod è Templo quædam abſtulerit, *quod truncaverit Zophoros & baſes, & amoverit ab illis ſingulis ſuum labrum, & lacum, tegmen item populi ſub quo die Sabbathi ſtabat, & amoverit quoque ſuum ipſius introitum extimum à domo Domini*, 2 *Reg.* 16:17, 18. propter Regem *Aſſyriæ*, quemadmodum loquitur textus, ſive ut ea, quæ ſic detruncaverat, offerret Regi; ſive quia metuebat ne Rex ad veram religionem nimium attenderet, utque *Ahas* hoc facto probaret, ſe æquè ac Regem, Deos alienos adorare. De triſtibus his temporibus, deque hâc expeditione Propheta loquitur Capite illo decimo: ſed undecimo & duodecimo rurſus ſolatur domum *Davidis* propoſitâ virtute *unctionis*, ſive operatione promiſſionis factæ throno *Davidis*; Lampadem illius non omnino extinctum iri, uſque dum ſurculus è radice *Iſai* prodiret, & Rex aliquis inde regimen obtineret in omnes Nationes. Capite autem 13. & 14. prophetat adverſus Regnum *Babylonis*, quod nunc recens erat exortum; ſtirpem hanc *Iſai* detrituram ſimul *Aſſyriam* & illud; & *unctionem*, ſive decretum, quod fecerat Deus de æterno throno *Davidis*, exitio fore iis, qui ei repugnarent.

Digitized by Google

Mundi | Ahaſi | Ezechiæ | Hoſeæ | Diviſionis

REGNUM JUDÆ.

II REGUM CAP. XVIII. *verſ.* 1, 2, 3. II CHRON. CAP. XXIX.

3281 14 1 EZechias regnat anno 3. *Hoſeæ*; atque ita I. patet, regnaſſe ipſum vivo Patre: ſi enim *Hoſeas* regnare incepit anno 12. *Ahaſi*, uti factum eſſe legimus, 2 *Reg.* 17:1. & *Ezechias* regnare incepit tertio *Hoſeæ*, ut affirmatur 2 *Reg.* 18:1. neceſſariò ſequitur, *Ezechiam* Regnum eſſe auſpicatum decimo quarto *Ahaſi*: *Ahas* autem regnaſſe dicitur annos ſedecim, 2 *Reg.* 16:2. Ratio hujus rei etiam petitur ex ſuperiori illâ obſervatione, de *Salmanezeri* primâ expeditione adverſus *Samariam*, deque alterâ tunc temporis expeditione adverſus *Hieroſolymam*; nam *Ahaſum* ſubjugarat & depulerat regimine, & vitam velut privatam agere juſſerat: *Ezechiam* verò collocârat in throno illius loco; ut quem reſervârat Deus in bonum populi, & in inſtrumentum divinæ ſuæ gloriæ, tutumque præſtiterat à ſanguineis ſacrificiis, quæ *Ahas* obtulerat *Molecho*, & à manu cruenta inimici, qui quoſdam ex *Ahaſi* filiis interfecerat: vide 2 *Chron.* 28:3,7. Dicitur 2 *Reg.* 18:7. *Rebellaſſe Ezechiam in Regem Aſſyriæ ut non ſerviret ei*; quibus verbis innuitur, *Aſſyrio* ſubjectum atque obnoxium fuiſſe; ſed non tuliſſe id amplius: quod paulatim *Sanheribum* contra ipſum provocavit. II. Obſerva quam paucorum annorum *Ahas* fuerit, quando genuit *Ezechiam*. Natus erat annos viginti, ubi regnare cœpit, 2 *Reg.* 16:2. Anno autem regiminis ejus decimo quinto regnare cœpit filius *Ezechias*, annum eo tempore agens vigeſimum quintum, 2 *Reg.* 18:2. natus itaque, quando *Ahas* non amplius erat quam annorum decem: cui rei in univerſa Scripturâ nihil ſimile invenias; niſi intuearis ætatem teneram *Judæ*, qua natum maximum *Erum* genuit, *Gen.* 38.

REGNUM ISRAELIS.

3 HOſeas regnat impiè, non tamen adeo impiè, quam Reges *Iſraëlis*, ipſius prædeceſſores, fecerant. Notatu dignum eſt, Regem in eâ ſucceſſione omnium ultimum, optimum eſſe, & Regnum tamen ipſo regnante eſſe deſtructum. 252

II CHRON. CAP. XXIX. XXX. XXXI.

3282 15 1 HIc propriè eſt *Ezechiæ* annus primus; atque ita numeratur, 2 *Reg.* 18:9, 10. Quartus enim ejus annus dicitur *Hoſeæ* ſeptimus, & illius ſextus *Hoſeæ* nonus. Quanquam enim principium regiminis illius coinciderit aliqua parte cum tertio *Hoſeæ*; tamen id temporis admodum exiguum fuit, & annus ille cito ad finem pervenit. Idcirco Spiritus Sanctus indicat, quando regnare inceperit ipſo primo regiminis initio; nempe anno tertio *Hoſeæ*. Attamen mavult initium anni ducere à primo die novi anni, & ab aggreſſione operis reformationis, quam ab alio tempore.

Ezechias primo die anni purgare incipit domum Domini, & ipſo *Ahaſo* adhuc ſuperſtite, ejicit abominationes, quas *Ahas* in Templum invexerat. Et diebus bis octo perpurgant Sacerdotes domum & Atrium, perque Sacrificia novam Dedicationem inſtituunt. Menſe ſecundo edicunt ac celebrant Paſcha; & *Ezechias* & Principes per omnes decem Tribus emittebant qui invitarent populum ut venire vellent ad veræ Religionis exercitium. Medium hoc rationemque reconciliationis cum Deo & domo *Davidis* nunc obtinent, antequam deſtruuntur. Nonnulli id amplo-

II REGUM CAP. XVII. *verſ.* 3.

4 HOſeas, poſtquam juris Regis *Aſſyrii* factus fuerat, & Coronam ab eo acceperat, tamen ei rebellat, & fiduciam reponit in Rege *Ægypti*. Ita decem Tribus fiduciam habent in *Ægypto*, ante ſuam Captivitatem; & ad eundem modum ſe *Juda* geſſerat ante captivitatem ſuam, quemadmodum ambo fiduciam in *Aſſyriâ* collocarant. 253

Mundi | Ahaſi | Ezechiæ | Hoſeæ

plectuntur, veniuntque ac comedunt Paſcha, ſed non ſanctificati : tamen per preces *Ezechiæ* omnia ſortiuntur felicem exitum. Populus à Paſchate hoc exiens digreſſus eſt per terram, & fregerunt dejeceruntque Idola, non in *Judâ* tantum, ſed variis locis in terra decem Tribuum. *Ezechia* reſtituit *Hieroſolymæ* Sacerdotes ſuis Claſſibus, & Decimas Sacerdotibus.

In hac purgatione & purificatione Templi, quam *Ezechia* inſtituit initio regiminis, credibile eſt inventum fuiſſe Apographum Proverbiorum *Salomonis*, cujus mentio fit *Prov.* 25 : 1. tranſcriptum à quibuſdam *Ezechiæ* miniſtris ex Manuſcripto antiquo, quod veriſimile eſt longinquitate temporis & negligentia fuiſſe ſordidatum & maculatum.

REGNUM JUDÆ. | REGNUM ISRAELIS.

II REGUM CAP. XVI. *verſ.* 19, 20.
II CHRON. CAP. XXVIII. *verſ.* 26, 27.

3283 16 2 AHas moritur, poſtquam aliquo temporis ſpatio conditione privati vixiſſet, & vidiſſet Filium ſuum removere Idololatriam, quam ipſe inſtituerat.

5 ÆGyptus facta *Iſraeli* ſcipio arundineus quaſſatus : innituntur eo; ſed perforat volam illorum, non verò illos ſuſtentat. 254.

ESAJÆ CAP. XIV. *à verſ.* 28. *ad finem.*

ANno, quo mortuus eſt *Ahas*, *Eſajas* prophetat adverſus *Philiſtæos*, cum *Uzia* iis fuiſſet Serpens, & eos miſerè momordiſſet, 2 *Chron.* 26 : 6. illo verò jam mortuo inſultaſſent *Ahaſo*, 2 *Chron.* 28 : 18. evaſurum nunc *Ezechiam* iis *Baſiliſcum*, & eos iterum percuſſurum, ut factum fuit, 2 *Reg.* 18 : 8. Deum primò in illos inducturum famem, inde gladium *Ezechiæ*, & denique *potentiam ſeptentrionalem*, quæ funditus illos deleret. Sed terribiles Legatos gentis *Aſſyriæ*, qui venturi erant adverſus *Hieroſolymam*, ut *Rabſakem* & *Rabſariſum*, &c. id reſponſum accepturos, quod *Jehova* fundaverit *Sionem*, quod in ea confiderent pauperes populi ſui; *Aſſyrium* verò nihil contra illum valiturum.

HOSEÆ CAP. VII. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV.

CIrca hoc tempus omnia hæc *Hoſeæ* Capita ſunt edita, uti ex tribus hiſce obſervationibus facile eſt colligere. I. Communis & perpetuus ſermo, quem in iis Propheta habet ad *Ephraimum*, oſtendit, hæc annuntiata fuiſſe decem Tribubus, antequam abductæ fuêre in Captivitatem, quæ jam futura erat intra quadriennium. II. Dictum hoc fuiſſe, poſtquam *Hoſeas* Rex amicitiam cum *Ægypto* junxerat, de quo mentio fit 2 *Reg.* 17 : 4. Obſerva enim, quomodo *Cap.* 7 : 11. & 12 : 1. tale quid innuatur. Et III. dictum hoc eſſe poſt expeditionem *Schalmanis*, ſupra commemoratam, qua deſtruxit *Arbelitida*, *Cap.* 10 : 14. & ante expeditionem illius ſecundam, quando *Bethelem* erat deſtructurus.

II REGUM CAP. XVIII. *verſ.* 4, 5, 6, 7, 8.

3284 3 EZechia pergit adhuc in ſua in-
4 tegritate & reformatione.
5 Contundit *Serpentem æneum*,
6 quem populus in Idolum verterat:

II REGUM CAP. XVII. *verſ.* 4. *ad verſ.* 24. *Et* CAP. XVIII. *verſ.* 9, 10, 11, 12.

6 HOſeas in carcerem conjectus 255
7 cauſâ perduellionis. 256
8 *Samaria* obſeſſa. 257
9 *Samaria* adhuc obſeſſa. 258

Digitized by Google

Mundi | Ezechiæ

eratque jam 730. annorum. De-
vincit *Philiſtæos*, ut *Eſajas* factu-
rum prædixerat, *Eſaj.* 14:28. per-
3288 7 cuſſitque eos uſque *Gazam* & ter-
8 minos ejus, מִמִּגְדַּל נוֹצְרִים עַד
9 עִיר מִבְצָר, i. e. *præſidio inſtructas*
10 *turres* ſive caſtella, *& urbes muni-*
11 *tas*. Rebellavit etiam Regi *Aſſyriæ*,
12 qui ipſum Throno impoſuerat, &
13 aſpernatus eſt amplius ipſius po-
teſtati eſſe obnoxium: confidens
Domino, non defuturum auxi-
lium, quo Thronus *Davidis* à ſer-
vitute tali liberaretur.

Diviſionis

Samaria capta, & decem Tri-
bus abductæ in captivitatem. *Iſraël*
jam eſt *Lo-ruhama*, *Miſericordiam*
non conſecuta, *Hoſ.* 1:6. Quo pacto 259
Rex *Aſſyriæ* *Samariam* populo 260
commixto habitandam dederit, re- 261
fertur proximè poſt hiſtoriam Cap- 262
tivitatis illius, quanquam illa tem- 263
pore plurimum diſtent: quod ideo 264
factum eſt, ut hiſtoria *Samariæ* 265
ſimul referatur atque concludatur.
Obſerva etiam hiſtoriam captivita-
tis illius bis referri, videlicet *Cap.* 17.
quia ſpectat ad tempora *Hoſeæ*; &
Cap. 18. quia ad tempora *Ezechiæ*
pertinet.

ESAJÆ CAP. XV. XVI.

CApitibus decimo quinto & decimo ſexto continetur Prophetia luctuoſa adverſus *Moabum*, quæ adimplenda eſſet intra triennium, poſtquam fuerat denuntiata, *Cap.* 16:14. *Intra tres annos, ut ſunt anni mercenarii, vilis reddetur gloria Moabi. Seder Olam* triennium hoc applicat ad triennium obſeſſionis *Samariæ*, ubi Moabitas conſiderat velut viles mercenarios Regi *Aſſyriæ* auxilium tuliſſe adverſus *Iſraelem*: & pro vili hoc triennali ſervitio Dominum repenſurum illis confuſionem & contemptum. Sed comminatio conſimilis uſurpata adverſus *Kedarem*, & intra unum annum terminata, *Cap.* 21:16. oſtendit, hanc eſſe accipiendam ſenſu proprio de eventu intra triennium. Quando autem ruina hæc & miſeria *Moabi* inciderit, non eſt definitum, neque determinari poteſt, à quo principio iſtud tempus ſit deducendum: id autem unum videtur pro certo haberi poſſe, Exercitum *Aſſyrium* perpetuo fuiſſe in motu, atque hic & illic nonnulla ſubegiſſe, tum tempore *Salmanezeri*, tum tempore *Sanheribi*: utrum verò Exercitus *Salmanezeri* ante captam *Samariam*, vel poſtea; vel Exercitus *Sanheribi* priuſquam aſcenderet *Hieroſolymam*, deſtruxerit ſubegeritque *Moabum*, incertum eſt; ſed alterutrum horum id feciſſe aliquo horum tempore, plus quam probabile eſt; vix enim eſt ut Propheta explicari poſſit cum reſpectu ad ullum aliud tempus: & ad quodcunque horum temporum referatur, ordo horum Capitum valdè tamen commodus apparebit, eâ collocatione, quâ uſi ſumus, ſcilicet in primis tredecim annis *Ezechiæ*.

ESAJÆ CAP. XVIII. XIX.

PRophetia adverſus *Aſſyriam* & *Ægyptum*, illam flagellum, hanc carnalem fiduciam *Iſraelis*. Appellat *Aſſyrium*, *Terram umbroſam alis*, alludens ad phraſin, quâ ipſe uſus fuerat *Cap.* 8:8. *Extenſiones alarum ejus implebunt Terram tuam, O Immanuel.* Prædicit etiam deſtructionem Exercitûs *Aſſyriæ*, percutiente Angelo. Prophetat quoque de deſtructione *Ægypti*, deque profectione *Judæ* illuc, ut ibi habitaret, adeo ut quinque Civitates impleret linguâ *Canaanæâ*; ſed iſtæ etiam forent *Civitates deſtructionis*: tamen tempore præſtituto *Ægyptus*, & *Aſſyria*, & *Iſraël* venirent ad obedientiam Euangelii.

ESAJÆ CAP. XX.

ANno, quo *Tarthan* cepit *Aſchdodum*, *Eſajas* aliam Prophetiam habet adverſus *Ægyptum*, & unam inſuper adverſus *Æthiopiam*. *Tarthan Aſſyrius* fuit ſupremus Dux ſub *Sanheribo*, 2 *Reg.* 18:17. maximèque eſt probabile, periiſſe cæde 185000. virorum per Angelum, 2 *Reg.* 19:35. 2 *Chron.* 32:21. atque ita *Aſchdodi* expugnatio per illum ante hoc tempus

eve-

Mundi | Exercit. | Diſperſ.

eveniſſe, neceſſe eſt. Hæc autem conſideratio plurimum juvat ad noſcendum tempus & methodum hujus Capitis. *Eſajas* jam ambulat ſacco indutus, lugens, ut veriſimile eſt, captivitatem decem Tribuum. Et Exercitus *Aſſy-*
3294 13 *rius* in expeditione verſatur, ſubjugando Civitates & loca alia, quanta poteſt 265
feſtinatione. Dominus verò hoc Capite minatur duobus omnium quæ tunc extabant potentiſſimis Regnis, *Ægypto* & *Cuſcho*, utrumque ductum iri captivum, ignominioſeque habendum ab *Aſſyriâ*. *Thirhaka* Rex *Cuſchi* obviam it *Sanheribo*, 2 *Reg.* 19:9. ab eoque eſt profligatus, ut apparet *Eſaj.* 43:3.

ESAJÆ CAP. XXI.

CIrca idem tempus Propheta triſtem viſionem habet adverſus *Babylonem* nunc emergentem, & adverſus *Dumam* & *Kedarem*, Regiones *Arabicæ*: vide *Gen.* 25:13, 14. prædicitque ruinam *Kedaris* futuram intra anni unius ſpatium, quod nobis filum tendit ad inveniendum ordinem & tempus Prophetiæ; nempe fuiſſe hiſce temporibus, quibus *Aſſyrio* tot victoriæ contigerunt, priuſquam ingenti clade per Angelum percuteretur.

Prædicit de *Babylone*, הבוגד בוגד והשודד שודד, *verſ.* 2. *Fore deceptorem Babylonis deceptoris, & ſpoliatorem iſtius ſpoliatoris; & omnes gemitus per Babylonicas preſſuras ceſſaturos. Noctem deliciarum Belſchazaris & epuli, converſum iri in trepidationem*, *verſ.* 4. Dum inſtruerent Menſas, & ſpeculatores ponerent ſpeculaturos, dum ederent illi & biberent, fore ut ad arma clamaretur, diceretur que, *Surgite*, *O principes & ungite ſcutum*, *verſ.* 5.

Per duos equites & duos currus diverſi jumenti, graphicè deſcribit *Cyrum* atque *Darium*, *Medicamque* & *Perſicam* nationem, *verſ.* 7. ac proclamat, per eas *Babylonem* iri deſtructum.

De *Dumâ* ait, in *Sehire* ſive *Idumeâ* rogatum iri, quis eſſet noctis illius exitus, qua *Babylon* deſtructa fuerat, *Vigil, quid de nocte?* Eſſet autem exitus atque reſponſum, primò quidem mane ſive auroram quandam ſervitutis *Babylonicæ* exortam eſſe, ſed noctem mæſtitia plenam poſtea quoque eventuram *Dumæ*, qualis *Babyloni* evenerat: Tentoria *Arabiæ* ſpoliatum iri, ut neceſſe haberent pernoctare per ſylvas, &c.

ESAJÆ CAP. XXII.

HOc Caput triſtem Prophetiam continet adverſus *Judæam*, quam appellat, *vallem viſionis*, quia Deus ſe ibi Prophetis revelaret. Prædicit in eo calamitoſa tempora, quæ eventura eſſent iſti *Judææ* populo per Exercitum *Aſſyrium*, ante ejus miraculoſam perditionem: illos, qui ab eo percuterentur, non percutiendos tantum eſſe gladio, neque cædendos tantum bello, ſed fame enecandos, *verſ.* 2. Invaſione quippe ejus Exercitus futurum ut agricultura negligeretur, indeque ſentes & ſpinæ per regionem enaſcerentur; & duraturas illas turbas diebus anniſque continentibus plurimis, & planctus propter agros deſiderabiles & vites fructiferas, ut *Eſaj.* 32:10,12,13. *Elam* & *Kir*, *Perſia* & *Aſſyria* conjungerentur in hâc invaſione, & complerent Regionem Curribus atque Equitibus; perque hanc miſeriam tolleret Deus tegumentum, & nudaret hypocryſin & falſam ſpeciem *Judæ*: nunc enim oſtenderent carnalem ſuam fiduciam, *verſ.* 9, 10, 11. & carnalem ſecuritatem, *verſ.* 12, 13. Prophetat de remotione *Sebnæ* à præfecturâ domus, deque *Eljakimi* in illius locum ſubſtitutione: quod impletum eſt, atque evenit, obſidente *Rabſake Hieroſolymam*, *Eſaj.* 36:22.

ESAJÆ CAP. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXIX.

QUemadmodum Capite ſecundo & vigeſimo prænuntiavit Propheta miſeriam angoremque *Judææ* per *Sanheribi* Exercitum, priuſquam cæderet eum Angelus; ita primo & poſtremo horum Capitum declarat extremam ejus deſolationem per *Nebucadnezarem*, ſicut & *Tyri* deſolationem per eundem,

Digitized by Google

Mundi Ezechiæ dem, *Cap.* 23. & deſolationem extremam *Ephraimi* per *Salmanezerum*, Diviſionis
Cap. 28. Plurimas ſuaves promiſſiones & conſolationes immiſcet his commi-
nationibus, &c. Appellat Altare *Ariëlem*, & *Hieroſolymam Arielem*, ſive
3294 13 *Leonem Dei*; illud ob devorationem Sacrificiorum, hanc ob devorationem 265
virorum per cædem. Comminatur verò, Deum afflicturum *Ariëlem* Civi-
tatem, eamque ſimilem futuram *Arieli* Altari, abundantiâ ſcilicet cædis
circa illam, *Cap.* 29 : 2.

ESAJÆ CAP. XXX. XXXI.

OPpreſſio atque terror Exercitûs *Aſſyrii* ita conturbat *Judæam*, ut oculos conjiciat in brachium carnale, *arundinem Ægypti*, ut *Cap.* 36 : 9. Carnalem hanc fiduciam Propheta ſeverè taxat Capitibus his duobus : tamen factæ promiſſionis cauſâ pollicetur liberationem , & prædicit Divinam vindictam de *Aſſyrio*. Miſeria & oppreſſio per hunc Exercitum tam ſub *Salmanezero*, quam ſub *Sanheribo*, fuerat diuturna & gravis : adeo ut ederint panem anguſtiæ, & biberint aquam oppreſſionis, ipſorumque Doctores fuerint remoti in loca abſcondita, &c. *Cap.* 30 : 20. Sed ut flumen potentiæ *Aſſyriæ* inundando aſcenderat ad collum, ut *Cap.* 8:8. ita nunc conſimiliter ageret ira Domini circa illud, *Cap.* 30:28. & *Hieroſolymæ noctu* eſſet *lætitia*, *verſ.* 29. compara *Cap.* 37 : 36. *Aſſyrius* enim conſternaretur per vocem Domini, *verſ.* 31. in valle *Hinnom* ſive *Topheth*, *verſ.* 33. caderetque, non gladio viri, ſive magni ſive parvi, ſed gladio potentis Dei, *Cap.* 31 : 8. Hæc aliaque particularia methodum horum Capitum multum illuſtrant, & oſtendunt illa collocata eſſe ſecundum proprium ſuum tempus.

ESAJÆ CAP. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV.

AD idem tempus hæc etiam Capita non poſſumus non referre, ut quæ narrant inter alia, de miſeris temporibus *Judæ*, dum *Aſſyrius* Exercitus huc atque illuc vagabatur, & paſſim obvia deſtruebat, priuſquam Dominus illum deſtrueret; ſpoliaturum nempe *Aſſyrium* Vindemiam & Agriculturam, *Cap.* 32 : 10,12. deſolaſſe vias ſtratas, & omne fœdus, quod fecerat, feciſſe irritum, *Cap.* 33 : 8. Verum ille deſtrueretur, ſimiliterque alii Eccleſiæ hoſtes, & ſpeciatim *Edom*, hoſtis perpetuus, *Cap.* 34. Bona autem & ſolatii plena evenirent *Sioni*, *Cap.* 35.

MICHÆ CAP. III. IV. V. VI. VII.

VErſus ultimus Capitis tertii *Michæ* allegatus eſt à nonnullis, qui vivebant tempore *Jeremiæ*, tanquam enuntiatus tempore *Ezechiæ*, *Jer.* 26 :18. Sicque totum id Caput, ac quæ Capita deinceps ſequuntur, ita licet collocare, ut prolata tempore aliquo primorum tredecim annorum *Ezechiæ*, antequam *Sanherib Hieroſolymam* obſedit : nam *Cap.* 5 : 1. videtur loqui de iſtâ obſidione, deque blaſphemiâ *Sanheribi* ſimul adverſus Deum & *Ezechiam*, *percutientis judicem Iſraëlis velut baculo in maxillâ* : prædicitque Chriſtum fore populi pacem tempore invaſionis *Aſſyrii*, & quanquam ſuperbus hoſtis agitabat animo triumphare, & primariam Urbem omnium Nationum conculcare, adeo tamen longè abfuturum ut *Hieroſolyma* inſultationi illius occumberet, ut *Bethlehem*, exiguum oppidulum, elargiretur atque produceret nomneminem, qui proculcaret & *Aſſyrium* & alios quoſcunque inimicos Eccleſiæ. Atque ita, ut nativitas Chriſti è Virgine ſignum fuit *Ahaſo*, ſic illius nativitas *Bethlehemi* ſignum conſtituitur in diebus *Ezechiæ*.

PRO-

Mundi | Ezechiæ

PROPHETIA NAHUMI, tota.

3294 13 DIebus *Ezechiæ* etiam Propheta *Nahum* vixit, & unus fuit è con- 265
ſolatoribus *Hieroſolymæ*, *Eſaj.* 40:1. adverſus onus & terrores *Aſſyriæ*. Plerique exiſtimant illum prophetaſſe diebus *Manaſſis* una cum *Habakuko*; quod feciſſe valde eſt veriſimile, ita ut cœperit regnante *Ezechiâ*, & perſeverârit uſque ad tempora *Manaſſis*. Mentionem facit mali conſilii *Sanheribi* contra Dominum, & mortem ejus in Templo illius Idololatrico prædicit, *Cap.* 1:11, 14. Denuntiat etiam deſtructionem *Ninives*, urbis in *Aſſyriâ* primariæ, &c.

II REGUM CAP. XVIII. *à verſ.* 13. *ad finem.* *Et* CAP. XIX. *totum.* II CHRON. CAP. XXXII. *à principio ad verſ.* 24. ESAJÆ CAP. XXXVI. & XXXVII.

3295 14 CUm *Sanherib* Rex *Aſſyriæ* invaſiſſet *Judam*, miſit *Ezechia* Legatos ad 266
eum *Lachiſum*, qui loquerentur verba ſubmiſſionis. *Aſſyrius* fraudulenter ab illo accipit 330. Talenta; neque tamen toto illo anno *Judæam* relinquit. Mittit primo è miniſtris aliquos cum mandatis *Hieroſolymam*, ut perſuaderent populo, ne defendere ſeipſos auderent. Verum poſtquam id fruſtrà fuerat, validas copias adverſus urbem mittit; ubi *Rabſake* in principiis conſiſtens probro affecit *Ezechiam* & Dominum, &c. Sed *Ezechia*, cum preces fudiſſet, & miſiſſet ad *Eſajam*, recipit reſponſum & ſignum, plenum utrumque ſolatii. Reſponſum erat, fore ut Rex *Aſſyriæ* fræno & capiſtro coërceretur: hoc autem ipſum futurum erat ſignum multæ ſpei, quod Deus eſſet præventurus famem, quam magnâ de cauſâ timebant, & quod Deus in futurum tempus ipſos eſſet conſtabiliturus. Exercitus *Aſſyrius* depopulatus erat omnes terræ fruges per totam Regionem longo tempore, ut *Cap.* 32:9, 10, 12, 13. &c. Quid jam conſilii capient de alimentis ad ſuſtentationem vitæ, ſi hunc Exercitum evitent? Hoc anno comedite, quicquid ſponte creſcit, & paſſim in ſolo atque arboribus datur invenire. Sed quid agent anno ſequenti, qui annus erit remiſſionis & quietis, ut annus quilibet ſeptimus, quando terram non licebit colere? *Deus Providebit*, atque etiam tunc neceſſaria ſuppeditabit ex iis, quæ ſponte naſcentur; & anno deinde tertio ſerite & metite, atque ad antiquam veſtram pacem & proſperitatem redite.

ESAJÆ CAP. XXXVIII. II REGUM CAP. XX. *ad verſ.* 12. *Et* II CHRON. CAP. XXXII. *verſ.* 24.

EZechiæ morbus ex Peſte contigiſſe videtur eo ipſo tempore, quo Exercitus *Aſſyrius* circumvallabat *Hieroſolymam*; quanquam enim deſtructio iſtius Exercitûs per Angelum refertur ante Hiſtoriam de illius morbo, tamen fuiſſe illum morbum Exercitu adhuc incolumi, conjicitur ex his duabus rationibus.

Primò, omni dubio caret, eveniſſe morbum illius eodem anno, quo Exercitus *Aſſyrius* per Angelum eſt deſtructus: ſi enim regnavit annos viginti & novem, ut affirmatur 2 *Reg.* 18:2. percuſſio autem iſta Exercitûs per Angelum facta fuit anno illius decimo quarto, ut refertur *verſ.* 13. ejus Capitis; ipſeque poſt morbum ſuum vixit annos quindecim, juxta 2 *Reg.* 20:6. manifeſtum eſt, nullum hîc controverſiæ eſſe locum.

Secundò, Dominus decumbenti non tantum pollicetur reſtitutionem è morbo; ſed liberationem etiam ipſius & Civitatis è manu Regis *Aſſyriæ*: unde liquet, ipſi & *Hieroſolymæ* ab illo Rege tunc temporis periculum fuiſſe. Et hæc forte *Ezechiæ* cauſa fuit tam acerbæ lamentationis, ubi mortis nuntium ad illum fuit allatum, quod relicturus eſſet *Hieroſolymam* & *Judæam*

ſub oppreſſione & periculo *Aſſyrii* Tyranni, nec videre liceret illius liberationem.

Idcirco, quanquam tota *Sanheribi* hiſtoria unico contextu abſolvitur, ut
3295 14 conveniebat, hiſtoriam tamen de *Ezechiæ* morbo non poſſum non præmit- 266
tere deſtructioni Exercitus illius; cum ſine dubio iſta afflictio præceſſerit mortem *Sanheribi*; & hæc nihilominus antè narretur, ad totam *Sanheribi* Hiſtoriam filo haud interrupto ſimul abſolvendam.

Soli *Ezechiæ* terminus vitæ ſuæ eſt notificatus: & Sol in firmamento neſcivit occaſum ſuum, ut *Ezechia* ſuum ſciret.

II REGUM CAP. XX. *a verſ. 12. ad verſ. 20.*
ESAJÆ CAP. XXXIX. *totum.*
II CHRON. CAP. XXXII. *verſ. 25, 26.*

MErodac ſive *Berodac-Baladan*, Rex *Babyloniæ* viſitat *Ezechiam* per Legatos, gratulandi cauſa de reſtitutâ valetudine, & inquirendi de miraculo retrogreſſu ſolis. Dominus derelinquit *Ezechiam*, ut probetur quid ſit in illius corde; & patuit eſſe ſtultitiam. Dominus prædicit per Prophetam captivitatem in *Babylone*, quæ urbs & Regnum exigua ſunt, & *Aſſyrio* ſubjecta, priuſquam evadant Caput aureum. Obſerva enim ex 2 *Chron.* 33: 11. *Babylonem* eſſe in poteſtate Regis *Aſſyriæ*; *Principes Exercitus Regis Aſſyriæ Manaſſem avexerunt Babylonem.*

Fieri poteſt ut *Ezer-Haddon*, *Sanheribi* in Monarchiâ *Aſſyriâ* ſucceſſor, ægre tulerit, quod *Merodac-Baladan* cum *Ezechiâ* familiaritatem contraxiſſet, ideoque irruiſſe in *Babylonem*, eamque illi extorſiſſe. *Babylon* hactenus tributum Regi *Aſſyrio* penderat, exſtructa ab eo pro quibuſdam ſuis famulis, qui navibus in *Euphrate* negotiabantur, & in emporium erecta: nunc autem eam *Ezer-Haddon* ſubjugavit delevitque, *Eſaj.* 23: 13.

II CHRON. CAP. XXXII. *à verſ. 27. ad finem.*
II REGUM CAP. XX. *verſ. 20, 21.*

3296 15 EZechia per quindecim hos annos agit ſecurè proſpereque, poſtquam humi- 267
16 liavit ſe coram Domino de faſtu erga Legatos *Babyloniæ*. Gradus receſſus 268
17 ſolaris, & quindecim anni vitæ *Ezechiæ* additi, juſtam cogitandi cauſam præ- 269
18 bent de quindecim Pſalmis graduum, ſcilicet à Pſalmo 120. & ulterius. Ex- 270
19 titêre quædam *Ezechiæ* cantica, decantata ad inſtrumenta pulſatilia in Domo 271
20 Domini, *Eſaj.* 38: 20. An illa in eum finem excerpta fuerint, Lectoris ju- 272
21 dicio lubens relinquo. Judæorum ſententia eſt, *Pſalmos graduum* ideo dici, 273
22 quod decantata ſint ſuper 15. gradus, per quos tendebatur in Atria Templi. 274
23 Qui verò inter legendum hos Pſalmos mentem reflectet ad periculum *Hiero-* 275
24 *ſolymæ* à *Sanheribo*, ejuſque liberationem, ad morbum item *Ezechiæ* & 276
25 reſtitutionem illius, deprehendet eos ad hos caſus plurimis in locis optimè 277
26 congruere. Sed, ut dixi, nihil hic affirmo, totum verò legentium per- 278
27 mitto examini. 279

I CHRON. CAP. IV. *à verſ. 34. ad finem.*

3309 28 TEmpore *Ezechiæ* quidam è *Simeonitis* ſubjugarunt *Meunim* & *Amale-* 280
kitas. Maximè veriſimile eſt, id non fuiſſe factum in primis quatuordecim annis *Ezechiæ*, quando Exercitus *Aſſyrius* jam verſabatur in expeditione, & nemo commovere ſe audebat; ſed annis quindecim poſtremis, poſtquam Exercitus iſte deſtructus jam atque deletus erat.
3310 29 *Ezechia* moritur. 281

ESAJÆ CAP. XXIII. & CAP. XL. XLI. &c. *ad Libri finem.*

FUnctio *Eſajæ* Prophetica in Libri Titulo terminatur temporibus *Ezechiæ*; [quanquam Hebræi antiquitus crediderunt, vixiſſe eum & deceſſiſſe in diebus

Mundi | Ezechiæ | Diviſionis

diebus *Manaſſis*, *perque eum ſerrâ fuiſſe diſſiſſum*. Epiſtola ad *Hebræos* videri
poſſit eò digitum intendere, *Hebr.* 11 : 37.] Idcirco juxta Chronologiam
principio Libri in Titulo expreſſam, hæc Capita, quæ Hiſtoriam quatu-
3310 29 ordecim annorum *Ezechiæ*, ſive Hiſtoriam de deſtructione *Aſſyriorum*, de- 281
que *Ezechiæ* reſtitutione, ſequuntur, referri omnia debent ad quindecim annos vitæ illius adjectos; quandoquidem nullum illic certum filum eſt reperire, ſecundum quod omnia illa vel illorum aliqua ad aliquod aliud tempus referantur.

Caput etiam viceſimum tertium ſubjicitur eidem tempori, illi ſcilicet, quod extremo *Ezechiæ* regimini propinquum eſt, captâ jam à Rege *Aſſyriæ Babyloniâ*. Manifeſtum id eſt ex *verſu* 13. de quo paulo ſuperius. Ibi namque Dominus comminatur *Tyro*, propoſito exemplo *Babylonis*, quæ Civitas fundata fuerat per *Aſſyrium* * commodo ipſius Navium & Nautarum, ut per *Euphratem* negotiandi occaſio eſſet; quemadmodum *Tyrus* extructa erat ad Mare, conſimili fine. Atqui *Babylonem Aſſyrius* jam perdiderat; idemque à *Babyloniis* accideret *Tyro*. *Nebucadnezar Tyrum* deſtruit, *Ezech.* 29. *verſ.* 18.

* לציים pro Navibus & viris nautis, atque inde Babel appellatur *Deſertum maris*, *Eſaj.* 21. *verſ.* 1.

Cauſa verò, cur Caput hoc, quod in ſera adeo *Ezechiæ* tempora incidit, hoc tamen loco collocatum videmus, hæc eſt, ut Prophetiæ adverſus iſtas Regiones, quæ invicem erant propinquæ, propinquo etiam loco collocarentur, utque comminationes & denuntiationes judiciorum velut uno volumine comprehenderentur. Obſervare enim licet, magnam hujus Libri partem, quæ Hiſtoriam *Sanheribi* præcedit, minis atque terrore conſtare; reliquam verò, quæ Hiſtoriam illam conſequitur, plenam eſſe ſolatii & promiſſionum. Niſi quod poſt mentionem & promiſſionem *Cyri*, *Cap.* 44. & 45. gravis proponatur comminatio adverſus *Babylonem*, quæ haud diu poſt plurimum invaluit, *Cap.* 46. & 47. *Cyrus* enim deſtructioni illius erat deſtinatus.

REGNUM JUDÆ. | Manaſſis

II REGUM CAP. XXI. *ad verſ.* 17.
II CHRON. CAP. XXXIII. *ad verſ.* 11.

3311 1 MAnaſſe regnat annos quinquaginta quinque: optimi patris peſſimus 282
2 filius. Execrandâ impietate par eſt ipſis *Canaanæis*, vel potius ſuperior. 283
3 Eſt ſummus Idololatra, Homicida & Magus. 284
4 285

5 II REGUM CAP. XVII. *à verſ.* 24. *ad finem.* 286

6 287
7 ILlius tempore Reges *Aſſyriæ* in *Samariam* traduxerunt mixtum populum 288
8 diverſarum Regionum. Is cujus imperio id factum, fuit *Ezer-Haddon*, 289
9 *Ezræ* 4 : 2. qui & *Aſnappar* videtur appellatus, *verſ.* 10. niſi ſupremus ea 290
10 expeditione Dux iſtoc nomine dictus fuerit. *Samaritani* recens ibi collocati 291
11 devorabantur à Leonibus, ut Prophetæ iſti acciderat, qui veniebat è *Sama-* 292
12 *riâ*, 1 *Reg.* 13. quia voluntati Domini non geſſerat morem. Poſtmodum 293
13 facti ſunt pertinaces acerbique inimici Judæorum; proximâ tamen Genera- 294
14 tione *Joſia* deſtruit inter eos ipſos reliquias Idololatriæ. Ad hanc Alienigena- 295
15 rum in *Samariam* ejuſque Civitates deductionem referri poteſt dictum Pro- 296
16 pheticum *Eſaj.* 7 : 8. ſi tempus ab ipſa Prophetiæ editione computare libeat, 297
17 *Intra ſexaginta & quinque annos atteretur Ephraim, adeo ut non ſit populus.* 298
18 Quæ Prophetia cum ſit prolata circa tertium vel quartum annum *Ahaſi*, ſi 299
19 annos hos 65. inde ulterius deducamus, finis illorum incidet in annum quaſi 300
20 vigeſimum tertium vel quartum *Manaſſis*. Quod ita acceptum, in eum 301
21 porrò ſenſum intelligi poteſt, ut ſcilicet Propheta talem iſtic *Ephraimo* rui- 302
22 nam denuntiet, [*Damaſcus* autem in eadem Prophetiâ includitur, quemad- 303
23 modum Coloniæ hujus novæ & ipſa pars fuit] ut non futura eſſet amplius po- 304
24 pulus aut Regio iſtius nominis, ſed cujus proprium nomen eſſet immutatum 305
25 atque abolitum. Aliam expoſitionem & tempus verbis hiſce atque annis de- 306
dimus ſuperius, numerando illos retrò à captivitate *Samariæ*, ſicut hic ab editâ Prophetiâ ulterius progredimur. Lector judicet, & quod videbitur eligat.

PRO-

Mundi | Manaſſis | Diviſionis

PROPHETIA HABAKUKI, tota.

HIs impiis temporibus *Manaſſis* vixit *Habakuk*, & adverſus impietatem illius prophetavit. De ipſo & *Nahumo* haud injuriâ accipi poteſt iſte Textus, 2 *Reg.* 21 : 10. *Dominus locutus eſt per ſervos ſuos Prophetas, dicendo, Propterea quod fecit Manaſſe Rex Judæ abominationes iſtas, &c. Idcirco ego adducturus ſum malum ſuper Jeruſalemum & Judam, ut quiſquis audierit, tinniant ambæ ejus aures.* Quod quodammodo idem eſt cum illo *Habakuki Cap.* 1. *verſ.* 5. *Reſpicite & intuemini, & admiratione abrepti admiramini; nam opus operor diebus veſtris, quod non credituri eſtis, quum narrabitur : nam ecce ego excitaturus ſum Chaldæos, &c.*

Judicium hoc ſuper *Judæam* per *Chaldæos* futurum demum erat poſt aliquod temporis ſpatium, ut videre eſt *Cap.* 2 : 3. & adverſus id Propheta populum præmunit per aureum iſtud Dogma, *Juſtus per fidem ſuam vivet* : perque prædictionem judiciorum, quæ ipſi *Babyloni* imminerent. Petit conſervationem Prophetiæ tempore captivitatis in Terrâ peregrinâ, & captivitatem illam appellat *medium annorum*, ſcilicet inter *Samuelem* & *Chriſtum*. Aſſumit monitionem propriam, quam aliis proponit, de *vivendo per fidem*, atque tempore afflictiſſimo & minimæ ſpei profitetur; exſultare tamen ſe velle in *Jehovâ*, & geſtire in Deo ſalutis ſuæ.

REGNUM JUDÆ.

II CHRON. CAP. XXXIII. *à verſ.* 11. *ad finem.*
II REGUM CAP. XXI. *à verſ.* 17. *ad finem.*

3336 26 307
27 IMpietas *Manaſſis* progreſſu temporis ipſum *Babylonem* in vincula perducit; 308
28 vincula autem cauſa ei ſunt humiliationis de impietate, atque humiliatio re- 309
29 ducit eum in ſuum Thronum. Animus ejus ſimul & ſtatus plurimum im- 310
30 mutantur. Quo regiminis tempore avectus ſit *Babylonem*, & quamdiu illic 311
31 ſit detentus, determinari nequit : at *Jeruſalemum* reverſus magnam inſti- 312
32 tuit reformationem, & magna aliquot ædificia extruit, ac urbes *Judæ* mu- 313
33 nitiores firmat præſidiis. 314
34 Jam autem, cum Monarchia *Aſſyria* ruitura eſt in proxima Generatione, 315
35 conſideremus paucis, quibus illa gradibus atque incrementis invaluerit hucuſ- 316
36 que, quo item modo ſe habuerit Regnum *Syriæ*, quod illa jampridem ſibi 317
37 per vim ſubjecerat. *Damaſcus* caput *Syriæ*, *Eſaj.* 7 : 8. jam diebus *Abra-* 318
38 *hami* extabat, *Gen.* 15 : 2. ſed de nullâ inſigni victoriâ celebrata fuit uſque 319
39 ad *Davidem*, neque etiam tum caput fuit *Syriæ*; eo enim tempore *Syria* di- 320
40 videbatur in varia Regna, ut *Aram Zobæ*, *Aram Beth-Rehobi*, *Aram Na-* 321
41 *haraim* & *Aram Damaſci*, 2 *Sam.* 8 : 3. & 10 : 8. in quibus Rex præcipuus 322
42 eâ tempeſtate erat *Hadad-Ezer*, filius *Rehobi*, Regis *Zobæ*, ut qui in unum 323
43 Regnum conjunxerat *Rehobum* & *Zobam*, quibus *Aram* quoque *Naharaim*, 324
44 vel bona ejus pars acceſſerat. Compara titulum *Pſalmi* 60. cum 2 *Sam.* 8 : 3. &c. 325
45 *Rezon* illius famulus aufugit ab eo, abiitque occupaturus Regnum *Damaſci*, 326
46 1 *Reg.* 11 : 23. Quæ Civitas tunc lacertos movere cœpit, brevique erat caput 327
47 futura totius *Syriæ*. Reges autem illic fuere qui ſequuntur, *Benhadad*, filius 328
48 *Tabrimmonis*, filii *Hezionis*, in diebus *Aſæ*, 1 *Reg.* 15 : 18. Deinde *Benha-* 329
49 *dad*, *Benhadadi* hujus filius, in diebus *Ahabi*, 1 *Reg.* 20 : 1, 34. & filii ejus 330
50 *Jorami*, 2 *Reg.* 6 : 24. Illum *Hazaël*, unus è Præfectis, ſuffocat, ejuſque 331
51 loco regnat, 2 *Reg.* 8 : 15. & multis malis *Iſraëlem* afficit, 2 *Reg.* 10 : 32. 332
52 Ei *Benhadad* filius ſuccedit, 2 *Reg.* 13 : 24. & poſt illum *Rezin*, ultimus 333
53 *Syriæ* Rex, captus ab *Aſſyrio* una cum *Damaſco*. Sicque imperium *Syriæ* 334
54 finem habet. 335
3365 55 *Manaſſe* moritur. 336
3366 1 *Ammon* biennium præeſt, ad extremum à famulis ſuis interfectus, ſed de 337
2 quibus populus Terræ ſumpſit ultionem. Florente *Syriæ* Regno, Regnum 338
Aſſyriæ erat haud magni nominis, ideoque valdè impropriè à quibuſdam conſtituitur prima quatuor Monarchiarum. Nullus ejus Rex in Scripturis celebratur uſque ad *Pulem*, qui regnavit tempore *Menahemi*, Regis *Iſraëlis*.

Famo-

Digitized by Google

Mundi | Amonis | Divisionis

Famoſus in Hiſtoriis Ethnicorum eſt *Sardanapalus*, Rex ejus Regni, dum
obſcurum fuit, poſtremus, & cum quo illud collapſum eſt. Ante id tempus
Jona profectus eſt *Niniven*, & prophetavit adverſus illam, triginta vel qua-
3367 2 draginta antè annis, quam cecidit. Ubi in alias manus venit, civitas atque Reg- 338
num potentiâ & victoriis cœpit eniteſcere. Primus Regum novæ ſtirpis erat
Pul, adeò potens, ut avelleret mille Talenta per modum tributi à Rege *Iſraëlis*,
2 *Reg*.15:19. Ei in Thronum *Aſſyrium* ſucceſſit *Tiglath-Pileſer*, qui *Syriam*
devicit, addiditque *Aſſyriæ*, 2 *Reg*. 16:9,10. Proximus ei regnavit *Salma-
nezer*, qui decem Tribus abduxit captivas, 2 *Reg*. 17:3. &c. & poſt illum
blaſphemus *Sanherib*, qui & *Sargon* dictus, ut eſt probabile ex *Eſaj*. 20:1.
Sanheribo ſucceſſit *Ezer-Haddon*, & poſtremus eſt *Aſſyriæ* Rex, cujus qui-
dem mentionem factam legimus, niſi *Aſnappar* ab illo diverſus fuerit. Tunc
Babylon ſibi vindicat *Niniven*, ſubjugante illam *Nebucadnezare*, ac *Babyloni*
ſubjiciente; cum *Babylon* anteà illi fuerit ſubjecta.

REGNUM JUDÆ.

II REGUM CAP. XXII. *verſ*.1. *Et* II CHRON. CAP. XXXIV. *verſ*.1. *ad verſ*.8.

Joſiæ

3368 1 JOſia regnavit 31. annos, cum regnare inciperet octo tantum annos natus. Rex 339
2 ætate ferè omnium minimus, qui unquam Regnum *Judæ* tenuerunt, ab 340
3 *Uziâ* alteris totidem annis ſuperatus, 2 *Reg*. 15:2. qui nihilominus diu re- 341
4 bus non fuit admotus propter minoritatem. Multa Deus per *Joſiam* exequi 342
5 decreverat, quare throno illum impoſuit, ejuſque pietatem oſtendit mundo 343
6 maturè. Dominus de illo locutus fuerat ante annos 340. 1 *Reg*. 13:2. 344
3374 7 *Jojakim* hoc anno naſcitur. Compara 2 *Chron*. 34:1. cum 36:5. 345
3375 8 *Joſia* ſeriò Deum quærit octavo anno ſui regiminis. 346
3376 9 *Joahas* naſcitur, vide 2 *Chron*. 36:2. Appellatur *Johanan* & *Sallum*, 347
10 1 *Chron*. 3:15. *Jer*. 22:11. Diciturque primogenitus *Joſiæ*, quia primus 348
11 regnavit; Filius verò quartus, quia natu fuit minimus. 349
3379 12 *Joſia Judam* atque *Hieroſolymam* purgat ab idolis. 350

PROPHETIA JEREMIÆ.

3380 13 JEremia prophetare incipit anno *Joſiæ* decimo tertio, & prophe- 351
tando provehere jam cœptum opus reformationis; quod proceſſit
gradu valdè tardo, non per negligentiam aliquam *Joſiæ* ipſius,
cujus cor valdè ſincere Domino erat deditum: ſed per ſocordiam
& remiſſionem Principum & populi, & quia in illis Idololatria nimis altas
egerat radices. Hinc factum eſt, quod *Jeremia* denunciet res adeo graves, &
adeo certam deſtructionem in ipſo reformationis tempore. *Joſia* anno regi-
minis duodecimo occeperat deſtruere Idololatriam; quantum tamen ſordium
illius reliquum fuerit anno ejus decimo octavo, vix eſt credibile, 2 *Reg*. 23.

Jeremia juvenis Sacerdos & Propheta pro Rege juvene, Prophetam *Iſraëli* egit, tanquam *Moſes*, annos quadraginta, 18. videlicet *Joſiæ*, 11. *Jojakimi*, & 11. *Zedekiæ*: Et ut *Moſes* tantum temporis ſpatium Doctor populo in deſerto adfuit, donec in Terram propriam introirent; ita *Jeremia* tamdiu Doctorem egit in Terrâ propriâ, priuſquam profecti ſunt in deſertum Gentium. Spiritus Sanctus ſpeciali nota inſignit quadraginta hos annos illius Prophetiæ, *Ezech*. 4:6. ubi Dominus ſubducens annos inter receſſionem decem Tribuum & exuſtionem Templi, qui ſunt in univerſum 390. eoſque numerans per Prophetæ cubationem totidem dies in ſiniſtrum latus: mandat ei ut cubet 40. dies in latus dextrum, atque ita ferat iniquitatem Domûs *Judæ* 40. dies, unoquoque die poſito pro unoquoque anno. Quo minimè ſignificatum vult, intercurſuros annos 40. ſuper 390. inter defectionem decem Tribuum & captivitatem *Judæ*; anni enim tantum 390. in univerſum fuere; ſed voluit ratione hâc inſignire iniquitatem *Judæ* ſingularem ſingulari aliquâ notâ, quod habuiſſent totos quadraginta annos tam eximias inſtructiones & admonitiones per tam eximium Prophetam, neque pœnitentiâ tamen tangerentur, ad propriam deſtructionem.

Anni Mundi | Josiæ | | Diviſiones

Prophetiæ *Jeremiæ* aut nullum planè tempus adſcriptum habent, & ſic haud facile poſſunt, ſi modò poſſunt, ad ſuum quæque tempus referri; aut tempus habent adſcriptum: ſed iſtæ omnes ferè loco proprio motæ ſunt, &
3380 13 cur id factum ſit, difficile eſt reddere rationem. Primum Caput *verſ.* 2. & 351
tertium Caput *verſ.* 6. ſola tempus regiminis *Joſiæ* præferunt; neque præterea uſpiam mentio fit ullius alterius Prophetiæ, quæ ejus tempore ſit edita. Dubium tamen nullum eſt, quin plurimæ è primis ejus Prophetiis tempore illius editæ ſint.

JEREMIÆ CAP. I.

HOc Caput proprium tempus indicat per annum *Joſiæ* decimum tertium; hocque tempus ſimul & occupatio fuit primo Prophetæ Miniſterio. Hic enim repoſitum eſt generale Caput, in quod tota Prophetia reſolvitur, *Virga & malum erupturum a ſeptentrione ſuper Hieroſolymam.* Deus ipſi oſtendit virgam nudam ſiccatam & arefactam, ad ſignificandam virgam atque ictum, quibus percutere populum Deus jam erat paratus: & quando quæſivit è *Jeremiâ*, quid videret, non ſe tantum virgam videre reſpondit *Jeremia*, ſed & lignum nominare novit, unde facta erat, quamvis arida eſſet & exſiccata, neque manifeſtum ſignum ineſſet, quo ligni ſpecies potuerit diſcerni. *Video*, inquit, מקל שקד, *Virgam Amygdali.* Benè vidiſti, inquit Deus; nam אני שקד, *Feſtino circa verbum meum, ut effectum dem ipſum.* Dominus exponit vocabulum *Schakeed* in reſponſo Prophetæ. Et quia Propheta tam plenè fuerat locutus, affirmans non ſe virgam modò videre, ſed virgam è *Schakeed*, ſive ex *Amygdalâ*; Dominus æquè plenè reſpondet, nempe non paratum ſe eſſe duntaxat ad virgam inducendam in terram, ſed quoque *Schokeed*, feſtinare ut illud det effectum.

3381 14 *Joſia* pergit in pietate & reformationis ſtudio; ira tamen Domini non re- 352
15 movetur, partim propter peccata *Manaſſis*, 2 *Reg.* 23:26. partim quia 353
16 reformatio populi erat ficta, *Jerem.* 3:10. partim denique, quia in pleriſ- 354
17 que illorum nihil omnino reformationis erat invenire. 355

II REGUM CAP. XXII. *à verſ.* 3. *ad finem, &* CAP. XXIII. *ad verſ.* 29. II CHRON. CAP. XXXIV. *à verſ.* 8. *ad finem. &* CAP. XXXV. *ad verſ.* 20.

REGNUM JUDÆ.

3385 18 EXemplar Legis propriâ *Moſis* manu deſcriptum hoc anno in Templo eſt 356
inventum. *Joſia* ſuper eo conſulit *Huldam* Propheteſſam. *Jeremia* hoc tempore non erat *Hieroſolymæ*, ſed *Anathotis*, civitate natali. Prophetat iſtic, donec cives ſui jam vitæ ipſius imminerent, *Cap.* 11:22. & tunc aſcendit *Hieroſolymam.* Dominus autem jam ante prædicit, expectandum ipſi eſſe, ut durius habeatur *Hieroſolymæ*, quam domi. Nam *ſi pedites fatigaſſent illum, quomodo curreret cum equitibus, &c. Cap.* 12:5. Si fatigatus fuerat inter æquales ſuos *Anathotis*, quid non inter magnates *Hieroſolymis* patiendum ſibi putaret? Sique in urbe natali, loco ſuæ pacis, tantum invenerat turbarum, quid futurum illi erat inter tumultus *Hieroſolymæ? Nam etiam fratres tui & domus patris tui, perfidè tecum egerunt, &c. Cap.* 12: *verſ.* 6.

Propheta admodum juvenis erat, quando prophetare incepit; & priores aliquot annos conſumpſit in concionando popularibus ſuis: at illi juventutem illius deſpectui habebant; ideoque, quemadmodum *Chriſtus* rejectus à Civibus ſuis, *Nazarethæ* incolis, abiit per omnem *Galilæam*, annuntians Euangelium, *Luc.* 4. ita & *Jeremia* rejectus inque periculum adductus *Anathotis* per ſuos cives, exivit inde, prophetaturus *Hieroſolymis*: ubi probabile eſt illum tunc temporis non fuiſſe, quando *Joſia Huldam* fœminam conſulebat ſuper *Moſaico* exemplari Legis. *Zephanja* hactenus Prophetæ conditione prorſus non comparuerat, ut modo obſervabitur.

Joſia ad Legis recitationem humiliatus & conſternatus, populum fœdere obligat, urget deſtructionem Idololatriæ, & Paſcha ſolemne celebrat.

JERE-

Digitized by Google

Mundi | Joſiæ

JEREMIÆ CAP. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII.

3386 19 JEremia poſtremis hiſce *Joſiæ* annis prophetat adverſus *Judam* & *Hieroſoly-* 357
20 *mam* admodum triſtia & gravia; ac clarè enuntiat, *Hieroſolymam* futu- 358
21 ram ſimilem *Silunti*, *&c.* Quoad tempus & ordinem horum Capitum, 359
22 Lector obſervare poterit pauca hæc ſequentia. 360
23 I. Cum Capita, quæ à vigeſimo ulterius numerantur, neque parùm ne- 361
24 que obſcurè loco proprio emota ſint, hæc ad vigeſimum uſque nihil iſtiuſ- 362
25 modi ullo evidenti ſigno vel ſignificatione occultiori, unde certi quid poſſit 363
26 elici, præ ſe ferre; ideoque neque tutum neque rationi conſentaneum eſt, ea 364
27 ullo modo tranſponere; ſed conſideranda erunt eo loco & ſerie, quâ collo- 365
28 cata ſunt. Neque quicquam video, quod obſtet: cum ordo illorum compa- 366
29 reat valdè directus & perpetuus. 367
30 II. Caput decimum tertium, & quicquid conſequitur ad vigeſimum uſque 368
primum, editum eſſe exiſtimo tempore *Jojakimi*, non verò *Joſiæ*; idque ideo, quia *Cap.* 13. *verſ.* 18. Propheta ad Regem & Reginam in hunc modum loquitur: *Loco humili conſidete; nam deſcenſurus Principatus utriuſque veſtrum, etiam corona ornatus veſtri.* Quod pleniſſimè adimpletum eſt in *Jojakimo*, atque uxore ejus, *Jer.* 22: 19. collat. cum 2 *Reg.* 24: 14. minimè verò in *Joſia* & Regina illius; certè non in Reginâ, quantum ex Scriptura liquet.

III. Speciale quiddam & imprimis notandum in omnibus ferè hiſce Capitibus reperitur, à principio ſcilicet tertii ad decimum quartum; commemorata nempe inibi magna ſiccitas, ſive defectus pluviæ; ut *Cap.* 3: 3. & 5: 24, 25. & 8: 13, 20. & 9: 10, 12. & 12: 4. & 14: 1, 2, 3, 4. Si jam ſiccitas hæc evenerit tempore *Joſiæ* [ut ejus mentio ſit paulo ante editam Prophetiam tempore *Joſiæ*, *Cap.* 3: 3, 6.] & tempore *Jojakimi*: [ut mentio ejus ſit proximè poſt Prophetiam adverſus *Jojakimum*, *Cap.* 13: 18. & 14: 1, 2.] ſi, inquam, eo tempore evenerit, apparet, triſtem hanc pluviæ inhibitionem accidiſſe extremis *Joſiæ* annis, & duraſſe partem aliquam temporis *Jojakimi*; atque ita hæc *Jeremiæ* Capita proximè coincidunt cum poſtremis annis regiminis *Joſiæ*. *Cap.* 11. *verſ.* 2. videtur Propheta loqui de Fœdere, quod populus, autore *Joſia*, inierat, reperto nempe & lecto exemplari *Moſis*; & ſeriò hortari populum ut illud cuſtodirent. Fieri etiam poteſt, ut iſta verba, *Cap.* 2. *verſ.* 31. *O generatio*, *ecce*, vel vide *verbum Domini*, illud ipſum exemplar reſpiciant. Certus ſum, illa magis propriè ita explicari, tanquam ſi digitum eò intendiſſet; quam explicata ſunt per Judæos quoſdam, quaſi iis oſtendiſſet urnam, in qua inerat *Manna*. Tantummodò dubium quoddam Chronologicum exortum eſt ſuper verſu decimo octavo Capitis ſecundi; an videlicet *Juda* fœderis aliquid cum *Ægypto*, & fiduciæ in eâ habuerit tempore *Joſiæ*; quod ut à Scriptura non aſſeritur, ita neque rejicitur. Rectè autem ſtatui poſſit, tale quid eo tempore factum fuiſſe, & probabilius quam contra, circumſtantiis omnibus ritè examinatis. Et quid, ſi cædes *Joſiæ* per Regem *Ægypti*, pœna fuerit temporalis, immiſſa propter fiduciam illius in *Ægypto*?

PROPHETIA ZEPHANJÆ, tota.

POſtremis temporibus *Joſiæ* etiam *Zephanja* ſurrexit, & Propheta comparuit; Regis *Ezechiæ* pronepos, ſi quidam rectè conjectant. Tempora Prophetiæ ejus hinc facilius eſt diſponere, quod, ut primus verſus hujus Libri Prophetiam ejus circumſcribit regimine *Joſiæ*, ſic octavus verſus Capitis ejuſdem Prophetiam proponat adverſus Filios, *Joaſum*, *Jojakimum*, & *Zedekiam*, propter veſtium, quibus utebantur, novas formas atque apparatum. Natu verò maximus horum trium, *Joſiæ* anno decimo octavo duodecimum annum non exceſſerat, neque ſecundus decimum. Verum quidem eſt, tres hoſce viros nominatim non exprimi; ſed cauſam non video, cur non ſenſu literali & proprio illos deſignari intelligamus.

Digitized by Google

* Maim. in Præf. ad Mish.

Mundi | Joſiæ | Diviſionis

ligamus. *Judæi* alius ſe mentis eſſe palam faciunt, quando * *Jeremiam* Diſcipulum faciunt *Zephanjæ*. Sic Commentatores quoque diverſæ ſententiæ ſunt; accipiunt enim Filios Regis latiori ſenſu pro Filiis Nobilium atque Aulicis: ſed quando expendo impietatem horum filiorum *Joſiæ* poſt patris mortem, rationem non invenio, cur multò meliores vivo adhuc patre exiſtimare debeam; neque video, cur non primo loco debeant collocari inter quoſcunque, qui merebantur reprehendi, & quibus increpatio iſta magis conveniret ſub nomine *Filiorum Regis*.

REGNUM JUDÆ.

II CHRON. CAP. XXXV, *verſ.* 20. *ad finem.*
II REGUM CAP. XXIII. *verſ.* 29, 30.

3398 31 JOſia cæſus à *Pharaone Nechone*, tamen in pace moritur, 2 *Reg.* 22: 20. quia 369
Deum habebat propitium, & morte ideo abreptus, ne vivus aſpiceret miſerias populi. Rex *Aſſyriæ* multo ante tempore ſubjugarat *Carchemiſum*, *Eſaj.* 10: 9. *Necho* autem, vel anteceſſores ejus recuperârant. Nunc verò ille iſtuc tendit, firmaturus ibi præſidium, vel locum ipſum recuperaturus; dumque cum exercitu partem nonnullam tranſit Regionis, quæ ſubjecta erat *Joſiæ*, *Joſia* ei litem movet, [quanquam forte illi fœdere erat junctus] & circa *Megiddumtem* cæſus eſt. Ad quod alluditur *Zach.* 12: 10. *Planctus Hadadrimmonis*; &, *in valle Megiddumtis*. Ubi occurrit *ellipſis* conjunctionis *Vau*.

II CHRON. CAP. XXXVI. *verſ.* 1, 2, 3, 4.
II REGUM CAP. XXIII. *verſ.* 31, 32, 33, 34, 35.

JOahas ab incolis Rex factus, ut cui maximè faverent; biennio enim *Jojakimo* erat natu minor. Compara 2 *Reg.* 23. *verſ.* 31. & 36. Vocatur *Sallum*, 1 *Chron.* 3: 15. *Jer.* 22: 11. Tres modò menſes regnavit, & remotus eſt per *Pharaonem Nechonem*. Regimen illius trimeſtre referendum eſt ad ultimum annum *Joſiæ*, ut planum fit ex temporis computatione, *Jer.* 25: 3.

Jojakimi

II REGUM CAP. XXIII. *verſ.* 36, 37.
II CHRON. CAP. XXXVI. *verſ.* 4, 5.

3399 1 JOjakim regnat annos undecim; conſtitutus per *Pharaonem Nechonem*, 370
2 perque eum *Jojakim* nominatus, cum ante *Eljakim* vocaretur. In qua no- 371
minis tranſmutatione *Pharao* magis oſtentabat ſuam poteſtatem, quam quicquam aliud: nam *Jojakim* & *Eljakim* ſunt unius ejuſdemque ſignificationis.

Jojakim agit impiè, ut impii ejus anteceſſores fecerant; *Et illius oculi ac cor non niſi ad quæſtum ſpectabant, & ad effundendum ſanguinem innocentem, atque ad exercendam oppreſſionem & concuſſionem*, *Jer.* 22: 17. Inter alia ejus impiè facta hoc non fuit minimum, quod commiſit initio regiminis, interficiendo Prophetam *Urijam*. Lege de hoc *Jer.* 26. *verſ.* 20, 21, 22, 23.

JEREMIÆ CAP. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. & XXII. *ad verſ.* 24.

ANte obſervatum fuit, Caput 11. propriiſſimè ad *Joſiæ* tempora referri, ut quod reſpiciat Fœdus, quod populus illo autore iniit; & Caput duodecimum cum illo conjungendum eſſe, videlicet *verſ.* 5, 6. *Cap.* 12. cum *verſ.* 21, 22, 23. *Cap.* 11. Atque ita cum fine Capitis duodecimi finem ſortiuntur Prophetiæ illæ *Jeremiæ*, quæ ad tempus *Joſiæ* pertinent. Etiam antè fuit obſervatum, *verſum* 18. *Cap.* 13. reſpicere ad tempus *Jojakimi*: idem judicium eſto de *verſu* 18. *Cap.* 22. Et idcirco, quia Capita, quæ inter iſta intercedunt, tempus adſcriptum non habent, neque ullo argumento liquet, ad quod aliud tempus referri debeant, poterimus Capitibus iſtis omnibus *Jeremiæ*, locum aſſignare à principio decimi tertii ad *verſum* 24. vigeſimi ſecundi, inter initia regiminis *Jojakimi*. Solum vigeſimum primum Caput eſt excipiendum: palam enim tempus *Zedekiæ* præ ſe fert. Ratio autem cur hoc Caput 21.

ante

Mundi Jojakimi ante proprium locum ſit collocatum,(poſitum enim eſt in medio eorum Capitum,quæ pertinent ad principium temporis *Jojakimi*,cum hoc ad tempus *Zedekiæ* pertineat, quod multo eſt poſterius) probabili conjecturâ hæc eſſe videtur,
3400 2 quod affinitatem habeat cum nonnullis, quæ Capite vigeſimo fuerant commemorata. Capite enim vigeſimo *Paſhur* quidam tempore *Jojakimi*, *Jeremiam* in carcerem jubet abduci, quia prædixerat deſtructionem *Hieroſolymæ* per *Babylonium*. Et Capite vigeſimo primo *Paſhur* quidam tempore *Zedekiæ Jeremiam* conſulit de modo liberationis à *Babylonio*, qui Prophetiam *Jeremiæ* hactenus ratam fecerat, quod *Hieroſolymam* obſediſſet. Notatu omnino erat dignum, unum *Paſhurem Jeremiæ* prædictioni adeò ſe oppoſuiſſe; alterum verò illam ita aſſeruiſſe: utque id tanto melius animadverteretur, duo hæc Capita, in quibus Hiſtoriæ iſtæ enarrantur, conjungere placuit. 371

Caput vigeſimum ſecundum uſque ad *verſ.* 24. oſtendit, id ipſum tempore *Jojakimi* editum eſſe, quando *Sallum* ſive *Jouhas* haud ita diu in Captivitatem fuerat abductus. Præcipit, *Ne fletote propter mortuum Joſiam, ſed fletote amarè propter* Sallumum, *qui abiit; nam non revertetur amplius*, *verſ.*10. vide 2 *Reg.* 23:34.

JEREMIÆ CAP. XXVI. *totum*, & XXVII. *ad verſ.* 12.

PRincipium duorum horum Capitum tempus ſuum refert ad *principium regni Jojakimi*; quod, phraſi hujus Prophetæ, non præcisè ſignificat annum primum regni illius, [primum enim, ſecundum, vel tertium annum ſigillatim non exprimit] ſed largius accipiendum eſt, ut patet in conſimili phraſi de alio Rege uſurpata atque expoſita, *Cap.* 28:1. *In principio regni Zedekiæ, anno quarto.* Hic *Zedekia* verſatur in quarto regni anno, & illud tamen *principium regni illius* appellatur. Ratio autem ita loquendi ſita eſt in duplici conditione & mutatione, quam ambo hi Reges tempore ſui regni ſubiere. *Jojakim* ſupra duos annos regnavit, autoritate *Pharaonis Nechonis*: ſed reliquum temporis, autoritate *Nebucadnezaris*: *Zedekia* annos minimùm quatuor regnavit obnoxius Regi *Babyloniæ*, *Jer.* 51:59. ſed temporis reliquum regnavit velut rebellis, quique jugum *Babyloniæ* excuſſerat, 2 *Reg.* 24:20. Idcirco tempus utriuſque Regis, antequam conditionis mutationem ſubierant, appellatur *Principium regni illorum.*

Quantum ad ordinem & methodum duorum Capitum, quæ jam inter manus verſantur, attinet, oculos pauliſper retrò reflectamus ad partem illam, in qua fixeramus pedem, quæ erat verſus vigeſimus tertius Capitis vigeſimi ſecundi; inde enim ad Caput hoc 26, quicquid intercurrit, ſede propriâ motum eſt, atque illic eſt collocatum per anticipationem. Verſus vigeſimus quartus Capitis 22. tempus ſibi tribuit regni *Jehojachini* ſive *Coniæ*, quod non extitit niſi poſtquam *Jojakim* regnaverat annos undecim: cum diverſæ Prophetiæ, quæ annis illis undecim *Jojakimi* editæ fuerant, poſteriori loco collocatæ ſint, ut *Cap.* 25. & 26. & 27. plurimæque aliæ. Ratio autem methodi hujus hæc eſt, quod comminationes adverſus patrem *Jojakimum*, & filium *Jehojachinum* commodè conjungi viderentur; magis etiam, quod tempus regiminis *Jehojachini* oppidò breve fuerit, nempe trium menſium; ideoque prædictio captivitatis ejus aptè jungitur prædictioni captivitatis patris, quandoquidem regimen ejus nullo loco habetur, *Cap.* 36:30.

Et quando Textus in illum incidit, hâc occaſione, à *verſu* 24. *Capitis* 22. ad finem; Prophetiæ, quæ ad tempus illius pertinent, ejuſque perſonam attingunt, omnes ſimul adferuntur, videlicet *Cap.* 23 & 24. ut quicquid ipſum ſpectat, congeſtum conſpiciatur in unum locum.

Caput 25. tempus habet annum quartum *Jojakimi*; præcedit tamen Caput 26. & 27, quæ ad *principium regni illius*, referuntur, quod ideo eſt factum, quia determinat tempus captivitatis *Babylonicæ*, quæ certè in Prophetia *Jeremiæ* primarium erat ſubjectum; ideoque quando Capitibus præcedentibus captivitatem prædixerat, & *Jojakimo* itemque *Jehojachino* denuntiaverat, fore ut & ipſi abducerentur captivi: & Capite vigeſimo quinto in eo

Mundi | Jojakimi | | Diſperſus

eſt, ut prædicat atque dimetiatur ſpatium & durationem Captivitatis, ideo, inquam, Capita hæc, quæ de primario hoc & generali Prophetiæ hujus Capite agunt, præponuntur & conjunguntur; poſtponuntur autem, quæ res continent particulares. Adeo ut Capita hæc, ſcilicet 26. & 27. ad *verſ.* 12.
3400 2 quoad temporis & Chronologiæ ſeriem connexa ſint cum *verſ.*23. *Capitis* 22. 371
Ratio autem, quare alia Capita ſint interpoſita, ex modò dictis intelligi poteſt. Capite 26. *Jeremia* in vitæ diſcrimine verſatur per Sacerdotes & falſos Prophetas, ſed per Seniores liberatur. Allegant duo exempla invicem contraria, unum *Ezechiæ*, qui Prophetiam *Michæ* piè eſt reveritus, neque ideò ullo malo ipſum affecit: alterum *Jojakimi*, qui maledicto auſu interfecit *Urijam*, quod vera fuerat vaticinatus. Prius proponitur ut exemplar ad imitandum; poſterius velut cautio ad deterrendum, ne per cædem *Jeremiæ* plus ſanguinis Prophetici funderetur, quandoquidem jam plus ſatis fuſum erat nuperâ cæde *Urijæ*.

Cap. 27. *ad verſ.* 12. injungitur *Jeremiæ*, ut juga & vincula conficiat, ad denotandam ſervitutem, quâ *Babyloni* ſubjiciendi erant. Verum in ipſo Capitis limine aliqua ſe difficultas offert: *In principio enim regni Jojakimi, Jeremia* jubetur vincula & juga facere, eaque mittere ad certos quoſdam Reges, *per Legatos qui venirent ad Zedekiam, Regem Judæ.* Jam verò quo pacto *Zedekia* dici poteſt *Rex Judæ*, in principio regiminis *Jojakimi*, qui poſtea undecim adhuc annos regnavit, & *Jehojachin* inſuper tres menſes, priuſquam *Zedekia* ad regnum pervenerit? *Reſp.* Putandum eſt hæc de *Zedekiâ* enuntiari prophetice, æque ac illa, quæ de filiis *Nebucadnezaris* dicta ſunt: Dominus enim per Prophetam prædicit, *Nebucadnezarem* regnaturum, filiumque ejus & nepotem poſt illum; ideoque Propheta confeſtim parare debebat juga & vincula, ac proprium collum iis indere, in ſignum ſubjectionis *Judæ*, quæ etiam anno proximo incepit. Una quoque prædicit, regnaturum *Zedekiam*, & complures Reges miſſuros ſuos Legatos ad illum; & per eos mitteret *Jeremia* juga illa ad illos Reges.

3401 3 Pars poſterior anni hujus tertii *Jojakimi*, principium eſt anni primi *Nebucadnezaris*; nam primus illius annus reſpexit partem anni *Jojakimi* tertii, & partem quarti, ut planum eſt ex comparatione *Dan.* 1:1. cum *Jer.* 25: 1. Verum eſt, *Jojakimi* annum quartum plerumque allegari, ut *Nebucadnezaris* primum: ſed obſervabimus deinceps, occurrere nonnunquam in Scripturis aliqua, quæ tacitè ſignificant, computationem illam hâc ratione eſſe intelligendam. 372

DANIELIS CAP. I. *ad verſ.* 8. & II. REGUM CAP. XXIV. *verſ.* 1. II. CHRON. CAP. XXXVI. *verſ.* 7.

REGNUM JUDÆ.

ANno hoc *Jojakimi* tertio *Nebucadnezar* obſedit *Hieroſolymam*, eamque cepit una cum *Jojakimo*. Ligat eum vinculis, deducendum ſcilicet *Babylonem*: ſed reſtituit throno & vectigalem fecit *Babyloniæ*; atque ita *Jojakim* ſervus illius factus eſt annos tres.

Hinc incipiunt ſeptuaginta anni captivitatis, & ſeptuaginta anni regiminis *Babyloniæ*, *Jer.* 25: 11, 12. & 29: 10.

Hac captivitate abducti ſunt *Daniel, Hananja*, *Miſaël* & *Azarja*: jamque triſtis illa Prophetia *Ezechiæ* complementum eſt ſortita, 2 *Reg.* 20: 18. itemque illa *Zephanjæ*, *Zeph.* 1: 8.

DANIELIS CAP. I, *à verſ.* 8. *ad* 18.

Anni Captiv.

3402 4 1 DAniel & tres ejus nobiles ſocii jam *Babylone* verſantes, cibum aulicum detrectant, ſeque auſteræ adeo diætæ dedunt, ut totâ Scripturâ unum modò ſimile exemplum occurrat, in *Johanne* ſcilicet *Baptiſta*: neque minus benè ſe habent, & vegeti pingueſque evadunt; ut pateat, hominem non vivere ſolo pane, &c. 373

JERE-

A. Mundi	Jojakimi	Anni Capitis		Diviſionis
3402	4	1		373

JEREMIÆ CAP. XXV.

QUarto hoc *Jojakimi* anno, qui primus fuit *Nebucadnezaris*, *verſ.* 1. *Jeremia* præparat poculum excandeſcentiæ pro *Hieroſolymâ*, & pro omnibus circumcirca Nationibus, ac poſtremò pro *Seſacho*, i.e. ipſâ *Babylone*.

JEREMIÆ CAP. XLVI. & XLVIII. & XLIX. *ad verſ.* 34.

J*Eremia* prophetat adverſus *Pharaonem Nechonem* & *Ægyptum*, deſcribens everſionem exercitûs illius *Carchemiſi*, quæ conſimiliter hoc anno contigit: & eo tempore Dominus ulciſcitur mortem boni *Joſiæ*, ut *verſ.* 10. Caput hoc, quamquam ad tempus *Jojakimi* pertinet, tamen hoc in Libro eò uſque remotum eſt, ut poſtponatur narrationi de *Judæ* captivitate, & profectione in *Ægyptum*, propter rationem, quæ modò attingetur; quandò & methodus *Cap.* 48. & 49. eâdem operâ expendetur.

JEREMIÆ CAP. XXXVI. *ad verſ.* 9.

B*Aruch* conſignat Prophetiam *Jeremiæ* in Libro, eamque recitat in Domo Domini Feſto ſolemni [die decimo, ut eſt probabile, menſis *Tiſri*] quarto anno *Jojakimi*, *verſ.* 1. Hoc Caput plurimis Prophetiis, quæ ad tempora *Zedekiæ* pertinent, poſtpoſitum eſt; quia placuit hiſtoriæ expoſitionem, & quæ ſpecialiter ad *Jeremiæ* paſſiones attinebant, juxta ſe invicem collocare. Refertur Capite 36. illum in carcerem conjectum fuiſſe tempore *Jojakimi*, *verſ.* 5. & librum illius per impium illum Regem eſſe combuſtum. Capite 37. narratur, carcere detentum fuiſſe tempore *Zedekiæ*, *verſ.* 15. & *Cap.* 38. in puteum fuiſſe conjectum.

JEREMIÆ CAP. XLV.

NUntium à Deo miſſum ad *Baruchum*, poſtquam ille Prophetiam *Jeremiæ* deſcripſerat, anno *Jojakimi* quarto.

Si oculos retro flectamus ad *Caput* 43. & 44. & argumentum illorum perſpiciamus, lucem hinc mutuabimur ad locum huic Capiti, & proximè ſequenti, in poſteriore hujus Libri parte aſſignandum, quanquam ad priora Regni *Jojakimi* tempora pertineant. Propterea quod *Johanan* populum duxerat in *Ægyptum*, contra expreſſum Dei verbum; *Jeremia Judæis*, qui jam in *Ægypto* degebant, triſtia denuntiat, ipſique *Ægypto* certam deſtructionem. Legere iſta licet *Cap.* 43. *verſ.* 9. & *Cap.* 44. per totum. Dein collocatur narratio ſolatii & excitationis, quam *Jeremia* propoſuit *Barucho* compluribus annis ante tempus aliarum Prophetiarum. Poſteà *Baruchi* ſecuritatem in *Ægypto*, inque iſtius populi miſeriis, animadvertere atque obſervare datur; eo enim *Johanan* abduxerat *Baruchum*, *Cap.* 43: 6. Similiſque Hiſtoriarum conjunctio obſervata fuit ſuper *Exod.* 18. ubi acceſſus *Jethronis* ad caſtra *Iſraelis* narratur, ſtatim poſt Hiſtoriam maledictionis adverſus *Amalekum*; ut oſtendatur maledictionem illam ad ipſum non pertinere, quamvis in iſtâ natione degeret.

Poſt inſertum Caput 45. quod verba continebat ſolatii plena pro *Barucho* in *Ægypto*, in mediis *Ægypti* comminationibus; Caput 46. quod itidem editum eſt anno *Jojakimi* quarto, proximè collocatum eſt, ut comminationes omnes adverſus *Ægyptum*, quanquam variis temporibus editæ, conjungantur; utque adimpletio hujus Prophetiæ, editæ tempore *Jojakimi*, & in exercitu *Pharaonis Nechonis* complementum conſecutæ, illos certiores faceret, expectandum *Iſraeli*

in

Mundi | Diviſionis

in *Ægypto* conſimile complementum Prophetiarum adverſus *Ægyptum*, quæ iis ibi agentibus annuntiatæ erant de miſeriâ illi ſuperventurâ per *Nebucadnezarem.*

Cum *Cap.* 46. haud malè ejuſdem temporis eſſe ſtatuuntur Capita 48. & 49. propterea quod *verſ.* 2. *Cap.* 46. expreſſione utatur communi, *Verbum Jehovæ, contra Gentes:* velut concludens ſermones illos & Prophetias omnes contra Nationes varias ſub uno tempore atque capite; niſi quod *Caput* 47. & *verſ.* 34. *Capitis* 49. diſtincti atque ſpecialis temporis ſint: de qua re dicemus, ubi eò fuerit perventum.

JEREMIÆ CAP. XXXVI. *à verſ. 9. ad finem.*

3403 | 5 | 2 | ANno *Jojakimi* quinto, menſe nono, *Jojakim* diſcidit atque com- | 374
buſſit *Jeremiæ* Prophetiam; quod flagitium fuit planè ſingulare. Expendat Lector, an lectio Libri per *Baruchum* anno quarto *Jojakimi*, die Feſto, *verſ.* 6. & iterata lectio nunc anno quinto *Jojakimi* Feſto extraordinario, menſe nono, amplius quam duorum menſium ſpatio diſtent. Dignum omnino eſt, quod conſideretur. Ipſe autem id non poſſum non affirmare, ratione nixus, ut exiſtimo, non mala. Hoc verò obſervatum atque ſuppoſitum juvat ad annos ſeptuaginta Captivitatis exactius indagandos; ſi non etiam nos doceat, inchoare annum à tempore primæ captivitatis, à vetuſto illius termino in menſe *Tiſri*, donec liberatio illud tempus mutaret & transferret ad menſem *Abib*; quod credo à Captivitate de novo eſſe mutatum. Caput præcedens, & hoc præſens, ac aliquot ſequentia ſunt Hiſtorica; ideoque ſimul collocata poſt illa, quæ magis erant Prophetica. Propediem ſimile quid dabitur obſervare in *Danielis* Libro.

3404 | 6 | 3 | Sexto hoc *Jojakimi* anno quod factum ſit, nihil ſpecialiter nar- | 375
ratur.

REGNUM JUDÆ.

II REGUM CAP. XXIV.
poſterior Pars verſus 1. & *verſ.* 2, 3, 4.

3405 | 7 | 4 | JOjakim rebellat adverſus Regem *Babyloniæ*, pro quo facto miſera- | 376
bilem invaſionem patitur, & *Juda* ſpoliatur; quæ calamitas per omne hoc tempus perdurat.

DANIELIS CAP. I. *à verſ.* 18 *ad finem.*

DAniel & tres illius ſocii adducti fuere ad Regem, & ſummè ab illo probati.

JEREMIÆ CAP. XXXV.

3406 | 8 | 5 | HIſtoria, quâ *Jeremia* memoratur *Rechabæis* propoſuiſſe vinum, &c. | 377
9 | 6 | facta eſſe dicitur *in diebus Jojakimi*; at anni nulla mentio eſt. Id | 378
10 | 7 | ſolum ex Textu colligitur, factum fuiſſe poſt rebellionem *Jojakimi* | 379
adverſus *Nebucadnezarem*: verſu enim undecimo referunt *Rechabæi*, *fugiſſe ſe Hieroſolymam metu Exercitus Chaldæorum, & Exercitus Syrorum:* qui fuere illi ipſi Exercitus, quos adverſus *Jojakimum* propter rebellionem ejus aſcendiſſe conſtat, 2 *Reg.* 24: 3, 4. Accidit ergo hæc Hiſtoria poſtremis his annis *Jojakimi.* Quod autem ea ultra ſedem propriam adeo compareat, ut ſubjiciatur diverſis Prophetiis, quæ ad tempora *Zedekiæ* referuntur, partim ideo putandum eſt fieri, quia narratio Hiſtorica eſt, atque ita rebus Propheticis poſtpoſita; partim etiam, quia factum hoc *Rechabæorum* Judæorum impietatem, quæ Capite præcedente enarrata eſt, eximiè exaggerat: eò magis, quia iſtic oſtendit, quam perfidè egerit populus in Fœdere ſuo cum Deo, ſervos ex libertate in ſervitutem retrahendo; hic verò commonſtrat, quam fideles fuerint *Rechabæi* in obſervando patris ſui præſcriptum.

REGNUM JUDÆ. | Mundi | Jojakimi | Anni Captiv. | D. e. ...

II REGUM CAP. XXIV. *verſ.* 5, 6, 7.
II CHRON. CAP. XXXVI. *verſ.* 6, 7, 8.

3409 11 8 JOjakim Captivus, cæſus & ſepultus ſepulturâ Aſini; juxta *Jer.* 22. *verſ.* 19. 38

JEREMIÆ CAP. LII. *verſ.* 28.

N*Ebucadnezar* deportat 3023. captivos Judæos. Quod intelligere neceſſe eſt de Captivitate *Jojakimi*; & contigiſſe dicitur *anno ſeptimo Nebucadnezaris*, quia obſeſſio *Hieroſolymæ* per illum ſeptimo ejus anno cœpta eſt, & Civitas capta principio octavi; & partim etiam ideo eſt adjectum, ut hæc Captivitas diſtinguatur à Captivitate *Jebojachini*, quæ in annum octavum incidit, quando *Nebucadnezar* multa hominum millia abduxit, 2 *Reg.* 24: 12, 14, 16.

II REGUM CAP. XXIV. *verſ.* 8, 9.
II CHRON. CAP. XXXVI. *verſ.* 9.

J*Ehojachin* filius *Jojakimi* regnat menſes tres. Nominatur etiam *Jeconia* & *Conia*, adeo ut nomen *Jeho* vel *Jahu* [quod contractione factum ex *Jehova*] nomini illius aliquando præfigatur, aliquando ſuffigatur; utque prior ſyllaba nonnunquam decurtetur: qua ratione ortum eſt nomen *Conia*.

Tres illius menſes includendos eſſe anno *Jojakimi* poſtremo, ſatis patet ex 2 *Reg.* 25: 4, 11. ubi undecim anni *Zedekiæ*, & novendecim *Nebucadnezaris* coincidunt: & ex 2 *Chron.* 36: 10. ubi dicitur, Regem *Babyloniæ*, poſt annum hunc finitum, eum iſtuc captivum deportaſſe.

Dubium haud exiguum exſurgit è comparatione Hiſtoriæ illius, prout in Libris *Regum* & *Chronicorum* referuntur: *Chronicorum* Libro affirmante, *octo* ipſum *annos* fuiſſe natum ubi regnare cœpit; Libro verò *Regum*, *natum* fuiſſe *annos octodecim*. In verbis tam diverſis fruſtra expectes, litari utrobique vocum proprietati; ſed alterum propriè accipiendum, ſcilicet, octodecim annos natum fuiſſe, ubi regnare cœpit; alterum verò ita intelligendum, quod Filius fuerit octavi anni, ſive in ſortem octavi anni inciderit, poſtquam aliqua *Judæ* Captivitas cœperat: initium enim regiminis illius fuit anno octavo *Nebucadnezaris*, 2 *Reg.* 24: 12. anno item octavo annorum ſeptuaginta Captivitatis. Agit igitur hic Spiritus Sanctus ad eum modum, quo utitur circa *Ahaſiam*, 2 *Reg.* 8: 26. & 2 *Chron.* 22: 2. ſimul coll. ut ibi obſervatum fuit.

JEREMIÆ CAP XXII. *à verſ.* 24. *ad finem.*

J*Ehojachin*, ſive *Jeconia* vix thronum aſcendit, cum *Jeremia* denuntiat ipſius Captivitatem, & ſtirpis *Salomonis* in illo extinctionem, reſpiciens ad Prophetiam ante editam adverſus patrem illius *Jojakimum*, *Cap.* 36: 30. *Non erit ei, qui ſedeat in throno Davidis.* Denuntiato fine Domus *Salomonis*, acclamat, *Terra, Terra, Terra*, ut audiat ea verbum Domini, innuens Regnum terrenum brevi ceſſaturum, & aliud naturæ diverſæ eſſe expectandum.

JEREMIÆ CAP. XXIII. *totum.*

R*Ex* hic & Regnum hoc Capite deſcribuntur; & poſtquam denuntiaverat ceſſationem Domus *Salomonis*, & ruinam Regni terreni domus *Davidis* Capite antecedente, nunc verba facit de æterno Rege & Regno *Davidis*, *verſ.* 5, 6. & *Væ* denuntiat maledictis iſtis Paſtoribus, qui ruinam Domus *Salomonis* promoverant.

Digitized by Google

REGNUM JUDÆ.

Mundi | Zedekiæ | Anni Captiv. | Diviſionis

II REGUM CAP. XXIV. *à verſ.* 10. *ad verſ.* 17.
II CHRON. CAP. XXXVI. *verſ.* 10.

J*Ehojachin*, ſive *Jeconia*, ſive *Conia* in Captivitatem traductus, & *Hieroſolyma* cum illo: 18000. viri ſtrenui; 10000. ex urbe *Hieroſolyma*, & 8000. ex reliqua Regione, prætereaque omnes theſauri Templi & domus Regis, ואת אילי הארץ, *potentiores Regionis:* ubi ſi ſcribatur אולי, valet *Stultos*. *Mordechai* hac Captivitate unà deportatus eſt, *Eſth.* 2: 6. Itemque *Ezechiel*; atque idcirco hinc ſuum tempus deſcribit, *Ezech.* 1: 2, & appellat, *Deportationem noſtram*, *Cap.* 40: 1.

II REGUM CAP. XXIV. *verſ.* 17, 18, 19, 20.
Et JEREMIÆ CAP. LII. *verſ.* 1, 2, 3.
II CHRON. CAP. XXXVI. *verſ.* 11.

3410 1 9 Z*Edekia* Rex conſtitutus per Regem *Babyloniæ*. Patruus erat *Jehojachini*, 2 *Reg.* 24: 17. ſed vocatur *ejus frater*, id eſt, conſanguineus, 2 *Chron.* 36: 10. & *ejus filius*, quia in throno ipſi ſucceſſit, 1 *Chron.* 3: 16. 381

JEREMIÆ CAP. XXIV. *totum.*

3411 2 10 J*Eremia* videt læta illis, qui cum *Jeconiâ* captivi detinebantur *Baby-* 382
3412 3 11 *lone*: eſſe ſcilicet eos ficubus bonis ſimiles, quæ eſui aptæ erant; 383
& ſuo tempore reverſuros.

JEREMIÆ CAP. XXVII. *à verſ.* 12. *ad finem.*

3413 4 12 ANnis abhinc tredecim juſſus fuerat *Jeremia* juga conficere & vincula, atque iis indere proprium collum; indicio, ita ſubjiciendam *Judam Nebucadnezari*; quod proximo anno evenit, tertio videlicet *Jehojachimi*: ſimulque ei præceptum fuit, cum horum & illorum Regum Legati *Hieroſolymam* advenirent ad *Zedekiam*, juga per iſtos Nuntios mittere ad ipſorum Reges. 384

Accidit id anno hoc quarto *Zedekiæ*, uti primus verſus *Cap.* 28. tempus illud expreſſe indicat.

JEREMIÆ CAP. XXVIII. *totum.*

H*Ananja* verſatur *Hieroſolymæ*; falſò prædicens reſtaurationem Captivitatis intra duos annos, ipſe percellitur morte intra duos menſes, quia rebellionem docuerat adverſus Dominum.

JEREMIÆ CAP. XXIX. XXX. XXXI. XLIX.
à verſ. 34. *ad finem. Et* CAP. L. LI. *tota.*

QUarto hoc regni ſui anno *Zedekia* ipſe profectus eſt, aut Nuntios miſit *Babylonem*, vel utrumque: ita enim verſus ille 59. Capitis 51. diverſimodè legitur; quando *Seraja* ibat cum *Zedekia*, vel quando ibat pro *Zedekia*, ſive *illius causâ*, *Babylonem*. Per viros autem, qui eò tendebant pro illo, vel cum illo, *Jeremia* mittit epiſtolas ad filios Captivitatis, quarum unâ perſuadere illis conabatur, ut cohiberent animum, ſeque componerent ad ſufferendam ſeptuaginta annorum Captivitatem. Huic duo Prophetæ *Babylone*, ſimiles *Hananjæ Hieroſolymæ*, contradixere, populoque contrarium perſuadere ſunt annisi: alius verò tertius ſcripſit *Hieroſolymam*, ut *Jeremiam* punirent; quapropter acerba judicia univerſis tribus comminatur, *Cap.* 29.

Poſtquam autem incidit in Prophetiam de reditu Captivitatis, *verſ.* 10, 11, &c. iſtius Capitis: ille *Cap.* 30. & 31. pluribus agit de revo-

cation

Mundi | Zedekiæ | Anni Captiv. | Urijonis

catione duarum Tribuum domum, & decem Tribuum ad Chriſtum. Quanquam verò dubium eſt, an Prophetiam horum duorum Capitum miſerit *Babylonem*; omni tamen dubio caret, ordinem eorum valdè aptè hoc loco concipi, ubi populi reditum prædicit.

Alias etiam Literas mittit *Babylonem* de ruinâ & deſtructione *Babylonis* ipſius, *Cap.* 50.& 51. quæ Capita collocata ſunt velut periodus hujus Prophetiæ, ut ſic concluſio illorum omnium exiſtat ruinæ *Babyloniæ* prædictio. Ad idem tempus revocare licet poſtremam partem *Cap.* 49. à *verſ.* 34. ad finem, ubi extat Prophetia adverſus *Elamum*; quæ gens ſe *Babyloniæ* contra *Judæam* junxerat, *Eſaj.* 22: 6. ſimiliterque hic in comminationibus *Babyloniæ* jungitur. *Principium regni Zedekiæ*, *verſ.* 34. accipi poteſt, ut *Cap.* 28: 1. pro anno illius quarto.

PROPHETIA EZECHIELIS.

CAP. I. II. III. IV. V. VI. VII.

3414 5 13 ANno quinto Captivitatis *Jehojachini*, Dominus *Ezechielem* excitat Prophetam populo *Babylone*, qualis *Jeremia* erat *Hieroſolymæ*. 385

Prophetiam ſuam orditur *ab anno trigeſimo* poſt inventum exemplar *Moſis* anno decimo octavo *Joſiæ*, ut vulgo exiſtimatur; ſed ut valdè probabile eſt, ab *anno trigeſimo poſt ſe natum*, cum ipſe Sacerdos fuerit, & hoc eſſet præſcriptum tempus, quo Sacerdotes functionem aggrediebantur, *Num* 4: 3. Hoc tempore Spiritus Prophetiæ ipſum incedit, ſicque juxta flumen in *Babyloniâ* vidit cœlos apertos, ut *Chriſtus* pari ætate ſibi apertos habuit juxta flumen in *Judæâ*, *Luc.* 3: 21, 22, 23.

Cum jam populus *Iſraëlis*, Eccleſia, plantandus eſſet in aliâ Terrâ in longum tempus, Dominus oſtendit gloriam in illorum medio, ut fecerat cum primo in Eccleſiam conſtituerentur in Deſerto; èque nube & igne, quemadmodum ibi fecerat, oſtendit ſe ipſum; ac è medio creaturarum viventium, velut è medio *Cherubinorum*, Oracula ſua pandit Prophetæ.

Jubet eum comedere volumen,depictam *Hieroſolymam* imaginariâ obſidione cingere,cubare ſuper latere ſuo 390.dies, convenienter tempori rebellionis populi à defectione *Jeroboami* ad deſtructionem Civitatis; & dies inſuper 40.qui reſpondeant 40. annis tranſgreſſionis *Judæ*,ſub miniſterio *Jeremiæ*, ut antè eſt explicatum :· comedere panem afflictionis & pollutionis, ad oſtendendam annonæ penuriam *Hieroſolymæ*, & populum comedentem immunda *Babylone*: detondere crines ſuos, eoſque dividere in partes fatalis ſignificationis,&c. Ubi autem Urbis deſtructio prope jam adeſt, futura nempe poſt annos non amplius quam quinque aut ſex, verbis triſtibus illam Propheta prædicit, & luget flebili lamentatione.

II CHRON. CAP. XXXVI. *verſ.* 11, 12, 13, 14, 15, 16.

REGNUM JUDÆ.

QUandoquidem quartus *Zedekiæ* annus vocatur *Principium Regni illius*, *Jer.* 28: 1. quod ſignificat ſtatum illius necdum everſum, ut ſupra obſervavimus; & quia *Ezechiel* proximo anno loquitur de ejus defectione à juramento, quo ſe Regi *Babyloniæ* obligârat, *Ezech.* 17: 15. concludere licet, rebellaſſe illum adverſus *Babyloniam* anno hoc regni quinto.

EZECHIELIS CAP. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX.

3415 6 14 OMnia hæc Capita incidunt in annum ſextum à captivitate *Jeconiæ*, vel in ſextum *Zedekiæ*, quemadmodum apparet ex tempore tribu- 386

Digitized by Google

Mundi | Zedekiæ | Capitis | Diviſions

to Capiti octavo, *verſ.* 1. & Capiti quoque viceſimo, *verſ.* 1. invicem collatis.

Cap. 8. Dominus oſtendit juſtam ſe cauſam habere, cur paratus ſit
3415 6 14 ad removendam gloriam ſuam à Templo, ſcilicet, quia pollutum erat 386
omnigenâ Idololatriâ.

I. Erat סמל הקנאה *Imago Zelotypiæ*, ſive imago provocans, *verſ.* 3, 5. in Templi aditu.

II. Omnis etiam *Sanhedrin*, & præſes illius *Jaaſanja* committebat omne genus Idololatriæ, *verſ.* 10, 11.

III. Fœminæ deflebant *Thammuſum*, i.e. *Adonin*, *verſ.* 14. Et

IV. Capita 24. Claſſium Sacerdotalium, ipſeque Pontifex maximus, quorum erat Deo ſervire ad Altare, vertebant terga, & adorabant Solem, מִשְׁתַּחֲוִיתֶם לַשָּׁמֶשׁ, *verſ.* 16. vox miro modo formata, ad miram illorum abominationem efficacius exprimendam.

Cap. 9. Deus ſuos notat antequam deſtructio ingruit: compara *Apoc.* 7. *Jeremias*, *Baruch*, *Ebedmelech*, & quicunque præterea Deum timebant, [illegible] ſunt liberationis ergò.

Cap. 10. *Ezechiel* gloriam Dei in Templo conſpicit, quam antè viderat apud flumen *Chebaris*: nunc verò ea motitata fluctuat, & removetur ad portam Orientalem.

Et *Cap.* 11. plane aufugit à Civitate ad montem *Oliveti.*

Capite 12. poſtquam Deus ad eum modum ſuam gloriam removerat, juſſit porrò Prophetam inſtrumenta ſua ſive ſupellectilem illinc tranſportare; quod ideo facit, ut eò penitius captivitatis cogitationem eorum animis infigat. Et exinde Propheta irruit in populum, falſos Prophetas atque Prophetiſſas, per acerbas redargutiones, &c.

Capite 17. continetur gravis denuntiatio judicii adverſus *Zedekiam* propter violatum juramentum & fidem adverſus Regem *Babyloniæ*; quodque ab *Ægypto* quæſiviſſet auxilium & robur, quo tuto rebellare poſſet. De hoc Liber *Chronicorum* ſtigmate eum inurit, quod ſcilicet rebellaſſet adverſus Regem *Nebucadnezarem*, qui eum adegerat ad juramentum per Deum, 2 *Chron.* 36: 13. Apparet, tunc hoc tempore defeciſſe & cœpiſſe ſuam rebellionem: atque ita nunc ſuam ipſius & *Judæ* deſtructionem fabricat; unde Propheta per omnia hæcce Capita tanto plus ponderis atque terroris comminationibus ſuis addit.

EZECHIELIS CAP. XX. XXI. XXII. XXIII.

3416 7 15 DEſtructio jam properè appropinquat. Deus Seniores *Iſraëlis* nullo 387
reſponſo dignatur, non magis quam *Saulem*. Gladius eſt exacutus & intentus in *Hieroſolymam* & *Rabbam*; *Nebucadnezar* ultionem utriuſque meditatur: videtur Rex *Ammonis* æque infidus fuiſſe *Babyloni*, ac fuerat *Zedekia*. Profano huic & impio Principi *Iſraelis* dies ſua venit: Coronam oportebat *perverſam, perverſam*, *perverſam* reddi, uſque dum veniret *Chriſtus*, cujus jus hoc erat. Peccata *Hieroſolymæ* & *Iſraëlis* enumerantur, cum jam vocatur ad reddendum rationes.

Nullius rei, quæ hoc anno acciderit, mentio fit.

REGNUM JUDÆ.

II. REGUM CAP. XXV. *verſ.* 1, 2. JEREMIÆ CAP. XXXIX. *verſ.* 2. & CAP. LII. *verſ.* 4, 5.

3417 8 16 ANno nono *Zedekiæ*, menſe decimo, ſive menſe *Tebeth*, decimo 388
9 17 die menſis, provectâ jam hyeme, *Nebucadnezar* obſidione claudit 389
Hieroſolymam.

EZECHIELIS CAP. XXIV.

ILlo ipſo die, quo obſeſſio illa contigit, *Ezechieli* per Dominum in *Chaldæa* indicatur; eique, ſub Parabolâ de morte dilectæ uxoris, &

per

Anni Mundi | Zedekiæ | Captiv.

per ipſum populo, deſtructio Urbis & Templi, oblectamenti illorum, prædicitur.

EZECHIELIS CAP. XXV.

PRofiteri pergit Dominus, ulciſci ſe velle vicinas iſtas Nationes, quæ calamitate *Hieroſolymæ* gaviſæ fuerant.

JEREMIÆ CAP. XXI.

ZEdekia, cum *Chaldæi* caſtra poſuiſſent adverſus Urbem, quærit ex *Jeremiâ*, quid de iis ſit futurum; & reſponſum recipit triſte, nimirum de deſtructione & Captivitate. Ratio ordinis Capitis hujus antè obſervata eſt.

JEREMIÆ CAP. XLVII.

PRædicit *Jeremia* ſubjugationem Philiſtæorum per *Nebucadnezarem*; etiam priuſquam *Gaza*, una ex urbibus illorum primariis, per *Pharaonem* foret expugnata. Factum id eſt, expeditione eâ *Pharaonis*, quâ *Hieroſolymam* obſidione ſolvit, *Jer.* 37. Caput hoc eo, quo conſpicitur, loco collocatum eſt, ut Prophetiæ, quæ adverſus *Ægyptum* prolatæ ſunt, conjungantur.

JEREMIÆ CAP. XXXVII.

3419 | 10 | 18 ÆGyptii, ad quos *Zedekia* à *Nebucadnezare* defecerat, obſidione 390
Hieroſolymam ſolvunt: attamen *Jeremia* futurum annuntiat, ut revertantur *Chaldæi* & Urbem expugnent. Ipſe comprehenſus in puteum detruditur.

JEREMIÆ CAP. XXXII. XXXIII. XXXIV.

JEremia in carcere Agrum ſibi pretio comparat, quo fidem faciat populum illuc reverſurum; de quâ re porro læta prædicit: ſed triſtia denuntiat præſenti Generationi *Hieroſolymæ*, qui obligati ſervos ſuos libertate donare, poſteà in ſervitutem retrahebant.

EZECHIELIS CAP. XXIX. *ad verſ.* 17.

ANno hoc decimo, menſe item decimo, & die menſis duodecimo, verbum Dei venit ad *Ezechielem* contra *Ægyptum*, &c. Extat hic manifeſta tranſpoſitio. Nam *Caput* 26. inſcriptum habet *annum undecimum*; & *Caput* 30. *verſ.* 20. itemque *Caput* 31. *annum undecimum.* Hoc tamen Caput, quod inter illa intercedit, *annum* ſibi *decimum* attribuit. Ratio hujus tranſpoſitionis intellectu facilis eſt, & in hiſce conſiſtit.

I. Prophetia contra *Ægyptum* facta eſt anno decimo, tempore maximè oportuno, utpote quando faſtus illius ad ſummum pervenerat, & *Hieroſolyma* repoſuerat in ea fiduciam. Nunc enim prodierat cum omnibus ſuis viribus, ut *Hieroſolymam* obſidione liberaret, ipſaque *Hieroſolyma* totâ ſpe in illam recumbebat: ideoque ipſo hoc tempore deſtructionem *Ægypto* denuntiat; ſpei verò in illâ fruſtrationem Judæis. Porrò

II. Ratio, cur ita collocata ſit hæc Prophetia poſt Prophetiam adverſus *Tyrum*, quam editam videmus *anno undecimo*, hæc eſt, quia *Tyrus* primò erat deſtruenda, & *Ægyptus* futura erat *Nebucadnezari* merces deſtructæ *Tyri*, *Cap.* 29: 18, 19. Idcirco, ut id melius obſervetur, comminatio deſtructionis *Tyri*, quæ poſterius erat pronuntiata, collocata tamen eſt ante comminationem de deſtructione *Ægypti*, quæ prius erat pronuntiata.

Digitized by Google

Anni Mundi | Zedekiæ | Capt.

EZECHIELIS CAP. XXVI. XXVII. XXVIII.

3420 11 19 UNdecimus hic *Zedekiæ* annus, & decimus nonus *Nebucadnezaris* fatalis annus fuit deſtructionis *Hieroſolymæ*; quando etiam anni *Ezechielis* 390. ad finem pervenerunt, *Ezech.* 4: 5. Horum primum facimus ipſum annum diviſionis Tribuum; alioqui illorum poſtremus in hoc tempus non inciderit. Ipſo primo die hujus anni *Ezechiel* habuit triſtem illam prædictionem de ruina *Tyri* & *Sidonis*.

EZECHIELIS CAP. XXX. *à verſ. 20. ad finem.*

SEptimo die hujus primi menſis prophetat *Ezechiel* de attritione & ruina *Ægypti*; cujus exercitum *Nebucadnezar* jam repulerat, & redierat ad obſidionem *Hieroſolymæ*.

EZECHIELIS CAP. XXXI.

PRimo die menſis tertii hujus anni, *Ezechiel* aliam Prophetiam habuit adverſus *Ægyptum*.

JEREMIÆ CAP. XXXVIII.

DUm Civitas animam agit, & victus omnis conſumptus eſt, *verſ.* 9. *Jeremia* (ſuggerentibus quibuſdam Regi maledictum hoc conſilium) in Foveam conjectus eſt; rurſumque inde liberatus per fidelem curam *Ebedmelechi* Æthiopis, &c.

JEREMIÆ CAP. XXXIX. *verſ.* 15, 16, 17, 18.

JEremia ita liberatus ope *Ebedmelechi* è *Fovea*, prædicit parcitum iri *Ebedmelecho*. Hæc autem narratio poſtpoſita eſt Hiſtoriæ de capta Civitate, quanquam *Jeremia* eam antè edidit; quia, poſtquam Spiritus Sanctus oſtenderat incolumitatem *Jeremiæ* in deſtructione, oſtendere ſimiliter voluit incolumitatem *Ebedmelechi*, ſecundum *Jeremiæ* Prophetiam.

REGNUM JUDÆ.

II REGUM CAP. XXV. *verſ.* 2. *ad verſ.* 20.
II CHRON. CAP. XXXVI. *verſ.* 17, 18, 19, 20, 21.
JEREMIÆ CAP. XXXIX. *verſ.* 2. *ad verſ.* 15.
Et CAP. LII. *verſ.* 5. *ad verſ.* 28.

MEnſe quarto anni hujus undecimi *Zedekiæ*, qui fuit menſis *Tamuz*, nono die menſis, (mediâ quaſi æſtate) nihil victus reliquum eſt, & Urbs perrupta. *Zedekia* & viri militares effugerunt noctu: verum *Zedekia* prehenſus eſt prope *Jerichuntem*, priuſquam vada *Jordanis* poſſet aſſequi; adductuſque ad *Nebucadnezarem*, & lata in eum eſt ſententia, &c. Hic, qui periculum nunquam videre voluerat, ipſum judicium videt, oculiſque erutis excæcatus eſt.

Menſe quinto, die ſeptimo menſis, *Nebuzar-adan* Templum & *Hieroſolymam* incendit, circa diem 23. *Julij* ſt. vet. & populi reliquias captivas abducit, (relictis tantummodò aliquibus ad agriculturam, quibus *Gedaljam* præpoſuit) unaque aſportat vaſa omnia Domus Domini, & duas columnas æreas, quæ erant ante illam collocatæ.

In deſcribenda altitudine duarum columnarum, quibus nomina erant *Jachin* & *Boaz*, diverſitas aliqua & difficultas occurrit: nam 2 *Reg.* 25: 17. dicitur, *Octodecim cubitorum erat altitudo columnæ unius.* Simile extat 1 *Reg.* 7: 15. & *Jer.* 52: 21. At 2 *Chron.* 3: 15 ſcriptum reperitur; *Fecit columnas duas, cubitorum tricenûm quinûm longitudine.*

Eodemque verſu dicitur, epiſtylium vertici utriuſque illarum impoſitum, fuiſſe quinque cubitorum: ſimiliter 1 *Reg.* 7: 16. & *Jer.* 52: 22. Verum 2 *Reg*, 25: 17. dicitur, altitudinem epiſtylii fuiſſe cubitorum trium.

Solutio

Mundi | Zedekiæ | Anni Captiv.
3420 | 11 | 19

Solutio I. diverſitatis in allatâ deſcriptione in eo conſiſtit, quod in Libro *Regum*, & *Jer.* 52:21. ponatur altitudo cujuſque columnæ ſeparatim; ibi enim dicitur, *octodecim cubitorum altas fuiſſe ſingulas.* At Liber *Chronicorum* ambas ſimul menſurat, & affirmat, *longas fuiſſe cubitorum tricenûm quinûm*, i. e. ambas ſimul habuiſſe eam longitudinem; ſingulas verò ſeptendecim cubitorum & dimidii. Dimidius autem cubitus, qui inſuper additus eſt, quando dictum eſt ſingulas altas fuiſſe cubitos octodecim, intelligi debet incluſus eſſe epiſtylio: cum enim epiſtylium pars quædam fuerit ærea longa ſolidaque, columnæ vertici impoſita, neceſſum fuit columnam parte aliquâ in illud immitti, (velut impagem in cavum firmioris cohæſionis cauſâ, in ædificiis immitti videmus) quæ valuit dimidium cubitum: adeo ut Columna alta fuerit cubitos octodecim; ſed extra epiſtylium tantum ſeptendecim cubiti & dimidius apparuerint.

II. Diverſitas ſecundæ deſcriptionis [de altitudine ſcilicet epiſtyliorum, quam unus Textus trium cubitorum facit, alter quinque] ex eo eſt orta, quod epiſtylia ipſa quinque cubitos ſingula eſſent alta; ſed parti illorum inferiori opus implexum eſſet circumductum, quod circum illa in columnarum verticibus Coronæ ſpeciem referebat; adeo ut non niſi cubiti tres plani epiſtylii aſpicientibus apparerent.

Hâc Captivitate *Seraja*, *Ezræ* pater, captus & cæſus eſt, 2 *Reg.* 25:18. *Ezr.* 7:1. Is ſacerdos erat primarius: ipſe autem & *Zephanja*, ſacerdos ſecundarius, ſive *Saggan*, vitæ finem ſortiti ſunt tam fatalem, quam *Hophni* & *Phineas* olim in ruina *Siluntis.*

Si *Ezra* hoc tempore in primâ infantiâ verſatus ſit, quinimo fuerit in matris utero, neceſſe tamen eſt provectæ admodum ætatis fuiſſe, quando tam diu poſt Captivitatem aſcendit *Hieroſolymam*, *Ezr.* 7. Judicium de illâ re feremus ſuo loco.

THRENORUM LIBER.

DE triſti fato, quod *Hieroſolymæ* evenit, hanc *Jeremia* Threnodiam componit, lugens ejus caſum oratione inprimis pathetica ac eleganti. Omnia enim Capita, excepto quinto ſive poſtremo, ſunt Alphabetica, hoc eſt ſingulis verſibus præfixas habent Literas Alphabeti; & tertium Caput Literas ſingulas ter uſurpat. Hoc unum obſervatur in Alphabetis omnibus, præterquam Capite primo, duas Literas, ע & פ, *Ain* & *Pe*, tranſponi. Cum enim *Ain* præponi deberet, ut in Alphabeto Hebræo conſtanter ſolet fieri; hic ſecus fit, & *Pe* præponitur, *Ain* autem poſtponitur. Tranſlatione hac Literæ *Ain*, quæ in numerorum ratione valet 70. Propheta, ut credibile eſt, digitum intendit ad 70. annos, quibus deſolatio *Hieroſolymæ*, quæ jam incumbebat, erat duratura.

JEREMIÆ CAP. XL. *ad verſ.* 9.

NEbuzar-adan Captivos omnes deducit *Ramam*, [vox iſtic miſerabilis eſt audita, lamentationis, fletus & ejulatus, ut *Cap.* 31:15. *Matth.* 2:18.] indeque *Jeremiam* ſolvit à catenis manuum, [quibus non ipſe, ſed Judæi illum vinxerant in Atrio Carceris] atque una dimittit, ut iret ad *Gedaljam*, aut quocunque placeret. Tunc venit ad eum Verbum Domini, quo ire jubetur ad *Gedaljam.*

REGNUM JUDÆ.

II REGUM CAP. XXV. *verſ.* 20, 21.
Et JEREMIÆ CAP. LII. *verſ.* 26, 27, 28, 29.

COntinuatio atque connectio Hiſtoriæ, quæ hic extat, ita concipi debet. *Nebuzar-adan*, poſtquam Templum incenderat, & Civitatem captivam fecerat; dum retrò tendit verſus Dominum ſuum, *Ramam* locum conſtituit, ubi omnes convenirent, ut ſectionibus præcedentibus narratur; atque illic loci diſponit de quibuſdam Captivis, ſpeciatim de *Jeremia*, quem vinculis ſolvit: indeque tendit ad Dominum ſuum, *Riblam*: quò cum Captivos ſuos

Digitized by Google

Mundi | Anni Captiv.

ſuos perduxit, *Nebucadnezar* 72. ex iis interficit. Numerus hic conſiderari meretur reſpectu eorum 72. qui primò electi fuere, *Num.* 11 : 26, 27. Utque id promptius percipiamus, ſciendum eſt diverſitatem intercedere inter rationem computandi, quam Liber *Regum* tenet, & eam quæ apud *Jeremiam* extat.
3420 19 In Libro *Regum Nebuzar-adan* commemoratur abduxiſſe *Hieroſolymâ Serajam*, *Zephanjam*, tres cuſtodes liminis, unum qui erat Præfectus bellatoribus, Scribam Præfecti militiæ, quinque viros ex intimis Regis, & ſexaginta viros è populo terræ; id eſt, quinque è Templo, è Civitate duos, quinque ex Aulâ, & e Regione ſexaginta, ac deduxiſſe illos *Riblam*; ubi Rex *Babylonis* eos morte affecit. *Jeremia* cum hac recenſione per omnia convenit; de eo autem, quod dicit, aſſumpſiſſe ſeptem viros ex intimis Regis, ita habendum, id revera eſſe factum, ſed occidiſſe eum tantummodò quinque ex illis: reliqui enim duo, *Jeremia* & *Ebedmelech*, liberati ſunt. Jam verò illorum Hiſtoriam quod attinet, antè exhibuit Scriptor enumerationem; ideoque quando dicit, omnes hoſce captos eſſe *Hieroſolymæ* & cæſos *Riblæ*, ipſe futurus erat interpres, quo pacto id foret intelligendum convenienter relationi, quæ in Libro *Regum* facta eſt.

Jeremia verſ. 28, 29. numerum iniens eorum, quos *Nebucadnezar* deportavit, refert anno illius ſeptimo 3023. Judæos, & anno decimo octavo 832. deportatos fuiſſe *Hieroſolymâ*: ubi ſi Lector rei circumſtantias benè examinet, haud parvam difficultatem offendet: nam

I. Nulla in hac recenſione mentio fit neque Captivitatis, quæ quarto anno *Jojakimi* contigit, & Captivitas prima fuit; nec Captivitatis *Jeconiæ*; in qua plurimum populi abductum eſt: &

II. Nuſquam alibi memoratur, *Nebucadnezarem* aliquos deportaſſe in Captivitatem *Hieroſolymâ*, vel anno ſuo ſeptimo, vel decimo octavo: ſed 2 *Reg.* 24: 12. refertur, id ab illo eſſe factum anno ſuo octavo, & anno decimo nono, *Jer.* 52:12.

Reſp. I. Quoad primum, ita habeto, Prophetam non ſimpliciter hic loqui de deportatis, ſed de deportatis & cæſis: iſtum enim ſenſum hæc ejus verba habent ex verſu antecedenti. Ad cujus rei confirmationem etiam illud facit, quod duobus his verſibus eorum ſolummodò captivorum mentio fiat, qui occaſione publicæ Rebellionis *Jojakimi* & *Zedekiæ* fuerant abducti: ideoque citra pugnæ ardorem interfecti. Sed anno quarto *Jojakimi*, quando *Daniel* ejuſque ſocii, itemque *Jeconia* & 18000. viri fuere deportati, ejuſmodi cædes non fuit facta, quia non extitit ejuſmodi rebelliô. Et ex hac ipſa re diſcere licet, quis fuerit *Jojakimi* exitus, adverſus quem ediderat Propheta comminationem ſepulturæ Aſini, quanquam Scriptura nuſquam clarè expreſſit.

II. Quod ad ſecundum attinet, jam antè nonnihil reſpondimus: nunc plenius exequamur. Primus annus *Nebucadnezaris* propriè tertius *Jojakimi* fuit: tunc enim prima de illo fama, *Dan.* 1: 1. Sed præterea, primus ejus annus cum *Jojakimi* quarto conjungitur: eo ſcilicet, in quo Captivitas ſeptuaginta annorum incepit; tunc enim Captivam fecerat *Hieroſolymam*. Et duplici hac ratione Scriptura tempora illa metitur; aliquando priori, ubi annus *Nebucadnezaris* habetur propriè primus: nonnunquam poſteriori, ubi reſpicitur annus primus regiminis ejus ſuper *Iſraëlem*, & annorum ſeptuaginta Captivitatis: cujus rei Scriptura ſpecialem rationem habet.

Jojakimi porro Captivitas, *Nebucadnezaris* anno octavo, juxta priorem temporis recenſionem, contigit; ſed ſeptimo dicitur contigiſſe, juxta poſteriorem: quâ eò magis uſus eſt, quia *Jeconia* deportatus fuit eodem anno; atque ita altera ab altera diſtinguitur. Sic verò *Zedekiæ* Captivitas accidit anno *Nebucadnezaris* decimo nono, juxta priorem eamque propriam recenſionem: hic autem accidiſſe dicitur decimo octavo, juxta poſteriorem: quod putandum eſt eò magis fieri, ut captivorum & cæſorum numero illi includerentur, quos *Nebucadnezar* è Judæis ceperat, quando ab obſidione *Hieroſolymæ* anno præcedenti redibat, per Regem *Ægypti* inde cedere coactus: intelligi enim non poteſt, quin aliquos tunc ceperit; & quomodo cum iis eſſet acturus, qui publicè erant rebelles, facilis eſt conjectura.

Digitized by Google

Mundi	Anni Captiv.

JEREMIÆ CAP. XL. *à verſ. 7. ad finem.*
Et CAP. XLI. *totum.*
II REGUM CAP. XXV. *verſ. 22, 23, 24, 25.*

3420 19 PRæfecti copiarum ac viri ipſorum, qui vitæ conſervandæ cauſa & metu exercitus *Chaldæorum* huc illuc inter fugiendum oberrarant, collecti iterum ad Præfectum *Gedaljam* aggregantur, fideique ſe illius committunt. Inter hos recenſet *Jeremia Jonathanem*, filioſque *Hephai Netophatitæ*; quos Liber *Regum* omittit, ſive quod unà cum *Gedalja* per *Iſmaëlem* eſſent cæſi, ut *Jer.* 41:3. inque *Ægyptum* nunquam pervenerint, quò Liber *Regum* ac *Jeremia* collectos hoſce Præfectos & Populum deducit poſt *Gedaljæ* exceſſum: ſive quod *Jonathan* venerit adhærens velut inferior fratri *Johanani*; atque hi filii *Hephai Netophatitæ* ſecuti fuerint ſigna *Serajæ Netophatitæ*; quo pacto Liber *Regum* enumerabit ſolos Tribunos ſive Præfectos ſuperiores.

Menſe ſeptimo, *Iſmaël*, quidam è Regio ſanguine minor natu filius, & decem Nobiles Aulici, invidentes *Gedaljæ* dignitati, ſcelerate illum contrucidant. Menſis hic valdè erat ſolennis; nam in eo futura erant Feſta Tubarum, Expiationis & Tabernaculorum: & menſe eodem *Salomon* antiquitus celebraverat memoriam dedicationis Templi, populumque lætabundum dimiſerat domum: ſed quàm rerum ordo jam converſus eſt!

Iſmaël præterea interficit 70. Proſelytos *Samaritanos*, qui venerant ad Feſtum Tabernaculorum; projecitque eos in foveam, quam *Aſa* fecerat, ut eſſet interſtitium inter *Samaritanos* & ipſum. Quæ itaque tunc facta fuit prohibendis *Samaritanis*, Judaicæ Religionis adverſariis; nunc impletur *Samaritanis*, Religionis ejus fautoribus. Exigua conſuetudo, quam Judæi habebant cum *Samaritanis*, & palantes paſſim cohortes *Chaldæorum*, ita intercluſerant mutuæ cognitionis occaſionem, ut infelices hi homunciones nihil inaudiſſent de Templi combuſtione, quanquam quintus jam menſis erat, ex quo illuc viam capeſſiverant; ubi autem id cognoſcunt, veſtes lacerant, &c.

JEREMIÆ CAP. XLIII. *&* XLIV.
Et II REGUM CAP. XXV. *verſ. 26.*

PRæfecti populuſque à morte *Gedaljæ* abeunt in *Ægyptum*, quamvis eſſent polliciti, ſemet divino arbitrio permiſſuros, & Deus apertè prohibuiſſet eò ire, jamque ab antiquis temporibus redire unquam in *Ægyptum* interdixiſſet. Miſer *Jeremia* unà cum iis eò eſt abductus; quò cum perveniſſet, adverſus *Ægyptum* pariter & illos prophetat.

3421 20 Judæi in *Ægypto* jam fixerant ſedem, & temporis proceſſu prolabuntur in communem atque apertam Idololatriam; de qua *Jeremia* ipſos redarguit, additis interminationibus ſeveriſſimis. Videtur *verſ.* 9. duriter perſtringere Idololatriam uxorum *Salomonis*, primam originem Idololatriæ Regum *Judæ*. ואת רעת נשיו Mala Regum *Judæ*, & mala uxorum illorum; quod certè vertere liceat, *uxorum quarumcunque illorum*: ſed vis phraſeos videtur ſpeciale quid ejuſmodi innuere: & eò etiam magis ita intelligi poſſit, quia incuſat præſentem Idololatriam mulierum Judaicarum in *Ægypto*, & reſolvit ulcus ad ipſum ejus caput, quod profectò in his *Salomonis* uxoribus eſt reperire.

Obſerva *verſ.* 25. quomodo ſyntaxis Hebræa tangere videatur iſtos viros, quod tam abjectè eſſent uxorii; העשינה & תקימנה & אתם ונשיכם ותדברנה, uſurpatione verborum in genere fæminino, quamvis ſermo ad viros habeatur.

Porro *Cap.* 45. Libri hujus *Jeremiæ verſ.* 1. narratur, *ſcripſiſſe Baruchum hæc verba in Libro ex ore Jeremiæ, anno quarto Jojakimi.* Quid? ea verba, quorum proximè eſt facta mentio? Non veriſimile eſt; dicta enim iſta poſtremo edita eſſe apparet ad occaſionem peculiarem. Mens itaque hæc fuerit, *Jeremiam* propoſuiſſe anno *Jojakimi* quarto Prophetiam, fore, ut *Hieroſolyma* deſtrueretur, & Terra relinqueretur deſolata, & populus captivus abduceretur, calamitate eos ac miſeria comitante: quod ita eveniſſe ex hiſtoriâ horum Capitum manifeſtum eſt: ideoque Caput hoc 45. hic eſt locatum, etſi res ipſa novendecim vel viginti ante annis contigerit, ad oſtendendam inque memoriam revocandam fidem earum

Digitized by Google

Mundi

rerum, quas Rex deploratus *Jojakim* credere abnuens Librum igni combuſſit. Eæ autem materia fuerunt alterius voluminis à *Barucho* conſcripti, poſtquam prius flammâ perierat.

EZECHIELIS CAP. XXXIII.

3421 20 ANnus hic vigeſimus *Nebucadnezaris* & primæ Captivitatis, duodecimus fuit Captivitatis *Ezechielis* cum *Jeconia*. Menſe verò decimo hujus anni, die quinto hujus menſis, indicatum eſt *Ezechieli*, *Hieroſolymam* igni eſſe concrematam, *verſ.* 21. & nec ipſi Templo eſſe parcitum. Ferè jam effluxerat ſeſquiannus, ex quo id factum fuerat, & hoc demum tempore innotuit. Veſperâ, antequam ei hoc nuntium adferretur, os ejus rurſus apertum eſt ad prophetandum ſuo populo; quod factum ab illo non fuerat ex eo die, quo *Nebucadnezar* obſidionem primò adverſus *Hieroſolymam* diſpoſuerat tribus ante annis; quorum annus unus cum dimidio in obſidione conſumptus fuit; unus verò annus, & paulo amplius dimidio, ad captæ Urbis tempora pertinet. Compara *Cap.* 24. *verſ.* 1. *& verſ.* 26, 27. Quamvis autem toto hoc tempore *Ezechiel* obmutuerit *Iſraeli*, non tamen obmutuit Nationibus aliis: prophetat enim contra exteras Regiones plurima triſtia, uti apparet ex Capitibus, quæ antea recenſuimus.

EZECHIELIS CAP. XXXII.

EOdem anno, duodecimo ſcilicet Captivitatis *Ezechielis* & *Jeconiæ*, Prophetiam habuit adverſus *Ægyptum*, menſe anni poſtremò, primo menſis die; aliam item die decimo quinto ejuſdem menſis, *verſ.* 17. Cæterum Caput hoc comparere loco non ſuo, facile animadvertitur: nam Caput trigeſimum tertium, quod ſequitur, aſcriptum habet decimum menſem anni hujus duodecimi; & hoc præſens menſem duodecimum. Sed æquali propè facilitate ratio iſtius tranſpoſitionis intelligitur: nimirum, quia prægreſſæ erant diverſæ Prophetiæ adverſus *Ægyptum*, aliaſque Regiones; ad quas hæc quoque ipſa addita eſt, ut unà cum iis collocetur.

EZECHIELIS CAP. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX.

3422 21 OMnia hæc Capita *Ezechielis* non pertinent ad tempus aliquod expreſſum &
22 determinatum. Caput quadrageſimum refertur ad annum Captivitatis *Jeconiæ* vigeſimum quintum: idcirco de ſpatio ampliori cogitandum eſt, & tempus iis dandum inter annum Captivitatis duodecimum, quo Caput trigeſimum tertium referri videmus, & inter annum vigeſimum quintum, quem aſcriptum gerit Caput quadrageſimum.

JEREMIÆ CAP. LII. *verſ.* 30.

3424 23 ANno *Nebucadnezaris* vigeſimo tertio, ſive vigeſimo tertio primæ Captivitatis (hi enim paralleli ſunt) *Nebuzar-adan*, Præfectus Prætorio, captivos abduxit è Judæis 745. homines: fortè in ultionem eorum, quæ ſcelerate adverſus *Gedaljam*, *Chaldæoſque* qui cum eo erant, fuerant perpetrata. Atque hic eſt poſtremus ictus, quo à *Babylonio* percuſſi fuere *Judæi*; jam quoque *Judæa* & *Hieroſolyma* ad plenam captivitatem ſunt redactæ.

PSALM. CXXXVII.

HIc autem haud male locum fecerimus Pſalmo 137. qui deſcribit conditionem, triſtitiam & illuſionem, quam hi captivi, dum *Babylone* hærebant, neceſſe habebant perpeti.

I CHRON. CAP. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX.

3425 24 NEque preter rem hoc loco denuò inſpiciemus, atque ad calculum revocabimus
25 Capita hæc primi Libri *Chronicorum*. Non eſt dubium, quin ipſa, eorumque textus in partes diſſoluti, ita collocari poſſint, ut legantur locis aliis, uti ſuperius

Anni Mundi | Anni Captiv.

perius dictum eſt: ita ut Genealogiæ & Hiſtoriæ, quæ alibi in Scriptura allegan-
tur, illic collocentur, ubi illarum fit mentio: ſimiliterque illæ, de quibus alibi per-
petuum eſt ſilentium, jungantur cum Hiſtoriis temporum ejuſmodi, in quibus
3427 26 contigiſſe vel extitiſſe maximè eſt probabile. Ita textus illos, qui loquuntur de
27 deducendis coloniis, de urbibus, deque Regionibus, referre convenerit ad ea
28 loca Libri *Joſuæ*, quæ enarrant diviſionem Terræ, quemadmodum de iis illic
29 agitur. Illi, qui deducunt prolixas Genealogias, ut virum aliquem illuſtrem
30 includant, qualis eſt Genealogia *Korachi* deducta ad *Samuelem*, *Cap.* 6. referan-
31 tur ad Hiſtoriam illius illuſtris viri. Ad hunc modum iſtæ Genealogiæ & Capita
32 conſiderari poſſint. Sed quandoquidem *Cap.* 9:1. dicitur, Genealogias haſce
eſſe ſcriptas in Libro Regum *Iſraëlis* & *Judæ*, *qui deportati erant in Babylonem*;
& diverſa loca horum Capitum, Captivitatem & poſtrema hæc tempora attingunt:
denique cum lectio horum Capitum poſt Hiſtoriam Captivitatis *Hieroſolymæ* velut
brevis repetitio ſit introductionis, collocationis & incrementi iſtius Nationis in
eâ Terra, è quâ Captivitatis Hiſtoria Lectorem modò monuit, illos jam eſſe re-
motos: maximè ad methodum faciet & in rem Lectoris erit, hæc Capita reſume-
re in manus, atque hiſce locis iterum legere.

EZECHIELIS CAP. XL. XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII.

3434 33 ANnus hic trigeſimus tertius primæ Captivitatis & *Nebucadnezaris*, fuit vi-
34 geſimus quintus Captivitatis *Jeconiæ* & *Ezechielis*. Jamque Dominus oſten-
dit Prophetæ Templum novum, majus totâ veteri *Hieroſolymâ*; & novam *Hiero-
ſolymam*, majorem totâ Terrâ *Canaanis*; iis ipſis dimenſionibus docens, non poſſe
ea literaliter intelligi, ſed ſpiritualiter omnino eſſe accipienda.

EZECHIELIS CAP. XXIX. *à verſ.* 17. *ad finem.* Et CAP. XXX. *ad verſ.* 20

3436 35 ANno hoc vigeſimo ſeptimo hujus Captivitatis *Ezechieli* Prophetia alia ob-
venit adverſus *Ægyptum*; quam ultimam ab hoc Propheta habemus;
eſtque hoc loco collocata, cum totius Libri poſtrema eſſe deberet, ut Pro-
phetiæ omnes contra *Ægyptum* conjungerentur. *Nebucadnezar* nuper *Tyrum*
ceperat, quod magno ipſi conſtitit; atque anno hoc *Ægyptum* ſubjugavit, quod
pro officio illo inſtar ſtipendii militum fuit: Et ſic tandem *Babylon* totius terrarum
orbis vera Monarchia cluit, ac *Nebucadnezar* evadit aureum iſtud Caput, *Ægy-
pto*, Regno uno quod ſe opponeret, jam ſubactâ.

DANIELIS CAP. II. III. IV.

3437 36 NEbucadnezar ad faſtigium ſuum evectus, ſomnium habet de quatuor
Monarchiis, de arbore ſuccisâ, &c. intumeſcit ſuperbiâ & tanquam Deus
coli depoſcit. Tres Principes *Judæ* incolumes manent in igni. Illi jam 40. mini-
mùm annos nati erant; ideoque impropriè fit, quod vulgò *tres pueri* dicantur.

Annus hic appellatur *ſecundus Regni Nebucadnezaris*, *Dan.* 2:1. non reſpe-
ctu Regalis poteſtatis, ſed Monarchiæ; ad quam perveniſſe intelligendus eſt,
poſtquam *Ægyptus*, unica potens Natio, quæ frontem adverſam opponere vale-
ret, jam erat ſubjugata. Eodem modo accipi debet *primus annus Cyri*, *Ezræ*,
1:1. non de primo anno Regni, ſed Monarchiæ univerſalis; ſicut verſus proxi-
mus explicat, ***Dominus Deus omnia Regna terræ mihi tradidit.***

Parte aliqua hujus anni *Nebucadnezar* non erat mentis compos.
3438 37 *Nebucadnezar* amens.
38 *Nebucadnezar* amens.
39 *Nebucadnezar* amens.
40 *Nebucadnezar* amens.
41 *Nebucadnezar* amens.
42 *Nebucadnezar* amens.
43 *Nebucadnezar* ad ſe & Regnum redit.
44

Digitized by Google

Anni Mundi | Anni Captiv.

II REGUM CAP. XXV. *verſ.* 27, 28, 29, 30.
JEREMIÆ CAP. LII. *verſ.* 31, 32, 33, 34.

3446 45 N*Ebucadnezar* diem obit, & *Evilmerodach* rebus præeſt. Hic annus eſt tri-
46 geſimus ſeptimus Captivitatis *Jeconiæ*. Die vigeſimo quinto menſis duo-
47 decimi *Evilmerodach* ipſum è carcere educit, & die vigeſimo ſeptimo extollit ſu-
48 pra omnes Reges *Babylonis*, victumque contulit totâ illius vitâ. Fortè ſeptem anno-
49 rum dementia & miſeria *Nebucadnezaris* hunc ejus Filium ad humilitatem aliquam
50 humanitatemque compulerat. *Jeconia* hoc tempore natus erat annos quinqua-
51 ginta quinque, & carcere fuerat incluſus annos triginta ſeptem: & jam Dominus
52 cum libertate donat. Ipſe *Salathielem* nuncupat hæredem proximum Throni &
53 Principatus *Davidis*; ex ſe enim *Jeconia* hærede carebat. Tempus trium Re-
54 gum *Babylonis*, quod ſpatium illius Monarchiæ univerſum comprehendit, facile
55 è Scriptura colligitur; nimirum *Nebucadnezarem* regnaſſe quadraginta quinque
56 annos, ut vocant, currentes; *Evilmerodachum* viginti tres; & *Belſchaza-*
57 *rem* tres. Primum ex eo manifeſtum eſt, quod trigeſimus ſeptimus *Jeconiæ* ap-
58 pelletur primus *Evilmerodachi*. Poſtremum modò planum fiet: ex quibus duobus
59 patebit, quid de ſecundo ſit ſtatuendum. *Evilmerodach* apud Septuaginta, *Jer.* 52.
60 nominatur *Ulaimadachar*: ſed multo propius ſuo nomini nuncupatur per eoſdem,
61 2 *Reg.* 25. *Joſepho Abilamaridochus* dicitur, *Antiq. lib.* 10. *Cap.* 12. Scriptura prorſus
62 ſilet de iis omnibus, quæ illius tempore ſunt facta, præterquam de liberatione
63 *Jeconiæ*; cum admodum mira ac notabilia *Babylone* contigiſſe memorentur tem-
pore patris *Nebucadnezaris*, & Filii *Belſchazaris*.

3468 67 *Belſchazar* regnat annis tribus.

Belſchazar.

DANIELIS CAP. VII.

1 ANno primo *Belſchazaris Daniel* viſionem videt quatuor Regnorum, quæ mundum turbabant; ſed inprimis Eccleſiam, à primo exortu *Nebucadnezaris* uſque ad adventum æterni Regni Chriſti in Euangelio; Regnorum videlicet *Babylonii*, *Medo-Perſici*, *Græci* & *Syro-Græci*. Omne tempus Regnorum ante *Babylonium* planè non attingitur, quia antè in Bibliis ordine expoſitum erat; & omnia tempora Romani Status poſt Chriſti adventum quoque planè non attinguntur, ſed exponenda relinquuntur dilecto Diſcipulo, [ut hæc expoſita videmus à dilecto Propheta] nimirum in *Revelationis* Libro.

Sede propriâ emotum eſſe hoc Caput, quilibet facilè animadvertet, qui modò reſpicit Capita duo, quæ proximè præcedunt: Caput enim quintum loquitur de fine regiminis *Belſchazaris*; hoc autem de ejus principio: Sextum res tractat temporis *Darii*, quod fuit poſt *Belſchazaris* mortem; hoc verò ea, quæ contigerunt inter principia regiminis *Belſchazaris*. Sed æquè manifeſta eſt hujus tranſpoſitionis ratio, ac ipſa tranſpoſitio: nempe Hiſtorica hujus Libri ſeparatim collocantur priori loco; Prophetica autem poſteriori.

3469 68 2 Secundo anno *Belſchazaris* nihil peculiare actum commemoratur.

DANIELIS CAP. V.

3470 69 3 B*Abylonis* peccata jam menſuram ſuam conſecuta ſunt. Ea *Belſchazar* cumulat abuſu Vaſorum Domus Dei in Feſto intemperanti & Idololatrico, in contumeliam & illuſionem ejus, cujus illa erant, & in eorum dolorem, quibus illa erant curæ.

Hinc Divina illa manus, quæ in Tabulis Legem populo ſuo ſcripſerat, judicium ſcribit *Babyloniæ* & *Belſchazari* in pariete; ruinam ſcilicet horum ſuorum hoſtium: *Hoc convertit noctem lætitiæ Regis in trepidationem*, ut dudum antè de eo prophetaverat *Eſaja*, *Cap.* 21:4. & *Jeremia Cap.* 50:43. Sapientes *Babylonis* ſtulti facti ſunt, neque legere noverunt hanc ſcripturam, quamvis conceptam propria ipſorum lingua. *Daniel* vero legit ac interpretatur; idque conſtructione *Hebræâ* ſimul & *Chaldæa*. Utriuſque enim Linguæ erant verba illa, *Mene*, *Mene*; numeravit atque finivit. *Tekel* Chaldaicè eſt,

Ap-

Mundi | Belſchazaris

Appendit; Hebraicè autem, *inventus es levior*. *Parſin* Hebraicè *Perſas* notat; *Pareſin* verò Chaldaicè *Diviſionem*. Daniel itaque interpretationem inſtituit ſecundum latitudinem vocabulorum in utraque Lingua: ad utroſque enim ſpectabat, tam *Hebræos*, quam *Chaldæos*, tametſi diverſimodè quoad eventum.

3470 3 Mox hoſtes, qui circa urbem erant diſpoſiti, impreſſionem facere cœperunt; Speculatores verò & Vigiles de ſpeculis ad arma conclamant, *Surgite*, *ô Principes*, *& inungite ſcutum*, vide *Eſaj*. 21: 5. Et, *Curſor curſori obviam currit*, *indicatum Regi Babylonis*, *Civitatem illius captam eſſe ab extremitate*, *Jer*. 51: 31. Et nocte eâ *Belſchazar* interfectus eſt. *Darius* autem *Medus* occupavit Regnum, annos natus ſexaginta duos; unde liquet annum captivitatis *Jojakimi* & *Jehojachini* illi natalem fuiſſe. Sicque à Domino proviſum eſt, ut in eo anno, in quo *Babylonius* maxime occupabatur abducendo captivos & deſtruendo, ille ipſe naſceretur, qui caperet & deſtrueret *Babylonem*. Obſervet Lector in Margine paginæ præcedentis, tertium annum *Belſchazaris*, annum modò eſſe Captivitatis ſexageſimum nonum; non autem ſeptuageſimum. Sed ſi ſimul obſervaverit, partem anni tertii *Jojakimi* propriè fuiſſe principium illorum ſeptuaginta annorum; etiam videbit, partem tertii anni *Belſchazaris* eâdem computatione partem aliquam fuiſſe anni ſeptuageſimi; & partem iſtius anni reliquam expletam fuiſſe in *Cyro* & *Dario*, molientibus Monarchiam antequam Decretum de ædificanda *Hieroſolyma* exiit.

. *Cyrus Perſa* junctus erat *Dario Medo* in expeditione adverſus *Babylonem*; pariterque in regimine Monarchiæ, quando eam obtinuerant: unde Propheta *Eſaja* deſcribens hoſtes *Babylonis* nominat Currum cum *pari* Equitum, Currum Aſinorum, & Currum Camelorum, *Eſaj*. 21: 7, 9. Et *Daniel* chirographum in pariete ita interpretatur, ut dividenda eſſet *Babylonia* Monarchia inter *Medum* & *Perſam*. Sed nomine *Darii* hic omnia geruntur, quia ætate longè erat major; quinimo ipſe Avus *Cyri*, ſi quid conjecturæ ex Scriptoribus Ethnicis eſt faciendum. Ipſi de *Aſtyage* quodam, Rege *Medorum*, narrant; qui unicam filiam habuerit, nomine *Mandanen*, quæ mater fuerit *Cyri* ex *Cambyſe*, *Perſarum* Rege: vide *Xenoph. Herod. Juſt*. De eo autem cum conveniat inter Scriptores omnes Gentiles, qui ſunt exiſtimatione meliore, non fuiſſe id temporis in *Media* alium Regem, quam *Aſtyagem*, *Cyri* Avum; concludere licet, hunc *Darium* cum illorum *Aſtyage* eſſe unum eundemque; & *Darium* tenuiſſe jure Avi Principatus nomen, quamvis *Cyrus* in victoria hac æquam partem haberet, inque aliis expeditionibus laudem victoriæ obtineret præcipuam. Ut ne inhæreamus immixtis fabulis, quas invenerunt Gentiles ad fidem atque auctoritatem *Cyro* conciliandam; ſicut facere conſueverunt in eorum gratiam, qui imperia primi condidere: velut quod Avus *Aſtyages* tradiderit ipſum *Harpago*, viro nobili, mox à partu occidendum: quod *Harpagus* abhorrens à facto ejuſmodi, tradiderit eum Paſtori primario Regii pecoris, in eundem finem: quod is infantem depoſuerit atque reliquerit in ſylva, ubi à Cane ſit lactatus: quod uxor Paſtoris ei domum perlato nutricem ſe præſtiterit, & infantem proprium pro eo expoſuerit, &c. Ut ea, inquam, omittamus, quæ inventa ſunt unicè honorandis *Perſici* imperii primordiis; ſecurè licebit recipere relationem, quæ unanimi conſenſu tradita eſt ab omnibus Gentium Hiſtoricis, & cui nulla adulationis ſuſpicio ſubeſſe poteſt; nimirum de ſtirpe deque parentibus *Cyri*, deque illorum conditione & nominibus. Hi verò Scriptores ipſum filium faciunt *Cambyſis*, *Perſarum* Regis, & *Mandanes*, filiæ atque prolis unicæ *Aſtyagis* Regis *Medorum*: unde utriuſque Regni hæres fuit.

Devicta *Babylone Darius* ſive *Aſtyages* redigit Monarchiæ illius regimen in Provincias 120. & Præfectos iis 120. præponit: ſupraque ipſos ordinavit triumviratum, ſive tres Principes, cæterorum Ephoros, quibuſque tam tributorum, quam regiminis ratio redderetur. *Danielis* claritas, quæ nuper percrebuerat, occaſione Divinæ illius ac admirandæ ſapientiæ ac ſpiritus, illum in ternarii iſtius Collegii membrum evehit. Ea promotio, munerîſque adminiſtrandi ratio invidiæ ipſum exponunt; invidia autem in Leonum ſpeluncam detrudit, &c. Factum id eſſe ſtatim poſt captam *Babylonem*, ipſo anni hujus ambitu, probabile eſt ob ſequentes rationes.

I. Quia eſt credibile *Darium*, ſimulac imperio potitus eſt, regimen Monarchiæ formare voluiſſe: *Danielem* autem, evectum ad iſtam dignitatem, non diu ab invidiæ telis potuiſſe eſſe immunem.

II. Valdè eſt probabile, *Darium* non diu poſt hunc annum regnaſſe.

Mundi | Belſchazaris

III. Quod Caput hoc *Chaldaicè* ſit conſcriptum, argumento eſſe videtur, id contigiſſe, dum *Daniel* verſabatur in *Chaldæa*.

DANIELIS CAP. VIII.

3470 3 PRimus & ſecundus verſus hujus Capitis manifeſtè oſtendunt, *Belſchazarem* tantum tres annos rebus præfuiſſe: nam refert tertio *Belſchazaris* anno *Danielem* fuiſſe *Suſis*, *Perſiæ* Metropoli. Non eſt veriſimile, illum vivo *Belſchazare* illic fuiſſe: munus enim ſuum & domicilium *Babylone* habuit uſque ad illius caſum: ſed eò pervenit, traductus à Monarcha *Perſico*, poſtquam is *Babylonem* ceperat, qui, ut patet *verſ.* 27. illum ibi ad multam dignitatem evexit,& negotiis Regiis admovit.

Hic annus, tertius *Belſchazaris* appellatur, eo fine ut diſcamus annum primum *Cyri* referre ad proprium ſuum tempus. *Belſchazar* jam per mortem è medio erat ſublatus, ac *Darius* Monarchiam *Babyloniam* in aliud imperium commutaverat. *Daniel* jam conjectus fuerat *Babylone* in antrum Leonum, inque aulam *Perſicam* traductus erat; *Cyrus* etiam ac *Darius* aliquo temporis ſpatio jam regnaverant: & tamen Caput hoc, quæque in eo facta referuntur, tribuuntur *anno tertio Belſchazaris*: partim ut ſciamus pro anno primo *Cyri* atque *Darii* habendum eſſe non eum ipſum annum, quo cecidit *Babylon*, ſed qui proximè eſt ſecutus; partim ut obſervemus, eodem anno, quo *Medi* atque *Perſæ Babylonem* deſtruxerunt, Dominum revelaſſe *Danieli* deſtructionem *Medorum* & *Perſarum*, duarumque Monarchiarum, quæ deinceps ſunt conſecutæ.

Omnia Capita in *Daniele*, à *Cap.* 2. *verſ.* 4. ad principium hujus Capitis conſcripta ſunt Linguâ *Chaldaicâ*; at quæ à principio hujus Capitis ad finem Libri reſtant, *Hebræâ*. Quicquid enim ſub Monarchia *Chaldaica* factum erat, conſignavit Linguâ *Chaldaicâ*: poſtquam autem Regnum iſtud deſtructum eſt, nihil ſibi Propheta cum iſta Lingua negotii eſſe voluit: ſed exinde porro uti conſtituit Linguâ propriâ, nempe *Hebræâ*; quandoquidem Deus noluit, ut Lingua *Perſica*, quâ tunc imperitantes utebantur, originalis eſſet ullius partis Scripturæ.

Darii & Cyri.

DANIELIS CAP. IX.

3471 1 DAniel intelligens ex Prophetiâ *Jeremiæ*, annos 70. Captivitatis perveniſſe ad finem, precibus Deum adit, ſuæ gentis reditum rogans. Reſponſum non tantummodò accipit benignum; ſed una etiam prædictionem temporum, quæ populo ipſius eſſent ſuperventura uſque ad mortem Chriſti: nempe ſeptimanarum ſeptuaginta, ſive ſeptuagies ſeptem annorum, hoc eſt quadringentorum & nonaginta. Hoc temporis ſpatium Angelus dividit in tres inæquales portiones.

I. Septem heptadas, ſive quadraginta novem annos, uſque ad abſolutos muros *Hieroſolymæ*.

II. Sexaginta duas heptadas, ſive quadringentos & triginta quatuor annos, inde uſque ad heptada ultimam.

III. Heptada ultimam; cujus medio poſteriori Chriſtus concionatur, ſcilicet, tribus annis cum dimidio, & tunc moritur, &c.

Verſus itaque vigeſimus ſeptimus ita legi debet; *Confirmabit Fœdus cum multis ſeptimanâ unâ, & in dimidio ſeptimanæ illius abolebit Sacrificium & Munus*, &c. Adeò ut ab hoc anno ad mortem Chriſti ſint quadringenti & nonaginta anni: neque cauſa eſt ulla, cur propter incerta Gentilium Monumenta dubium aliquod moveatur circa temporis hujus certam determinationem, quam Angelus Domini tanta cum ἀκριβείᾳ ſubduxit.

LIBER

Digitized by

Mundi | Cyri

LIBER EZRÆ.

CAP. I. *Et* II CHRON. CAP. XXXVI. *verſ.* 22, 23.

3471 1 CYrus promulgavit Decretum de reditu *Judæorum* in Terram propriam: quod ſignatum fuit eo ipſo momento, quo *Daniel* precabatur, *Dan.* 9: 23.

Darius adhuc ſuperſtes erat, rebuſque præerat, ut apparet ex *Dan.* 9: 1. ſed Decretum ejuſque promulgatio *Cyri* erat opus; non tantum reſpectu Prophetiæ, quæ præceſſerat de eo, *Eſaj.* 44: 28. ſed ideo etiam, quia victoriis atque potentiâ magis florebat. Nam I. non tantum cum *Dario* jus habebat in devictam *Babyloniam*, ſed in Regnum quoque *Mediæ*, utpote illius ex aſſe hæres: at *Dario* nullum cum illo commune jus erat in *Perſarum* Regnum. II. *Beroſus*, non *Annii* ille, ſed quem *Joſephus* allegat, *Lib.* 1. *contra Apion.* inquit, *Cyrum* devic iſſe omnem *Aſiam*, priuſquam veniret obſeſſum *Babylonem*: *καταςρεψάμενος τὴν λοιπὴν Ἀσίαν ὥρμησεν ἐπὶ τῆς Βαβυλωνίας.* *Cyrus* depromſit *Zerubbabeli*, qui apud *Chaldæos Schesbazar* nominabatur, vaſa omnia Templi, quæ *Nebucadnezar* abſtulerat. In illorum numero ineundo ineſt aliqua obſcuritas; nam, quæ iſtic ſpeciatim nominantur, tantum conficiunt bis mille quadringenta & nonaginta novem; Textus verò colligit quinquies mille & quadringenta. Sed Textus illa ſola nominat, quæ molis erant amplioris; collectio verò magna ſimul & parva comprehendit: quemadmodum dicitur, 2 *Chron.* 36: 18. Regem *Babyloniæ* deportaſſe *Babylonem* omnia vaſa domus Dei, *majora & minora*: vide *Joſeph. Antiq.* 11: 1.

EZRÆ CAP. II.

HOc Caput numerum computat *Judæorum*, qui reverſi ſunt è Captivitate: primumque eos nominat, qui Duces atque Principes in populo fuere; deinde diſtinctas Familias; & Perſonarum etiam numerum annotat. Caput ſeptimum *Nehemiæ* eundem Catalogum repetit, ſed multa cum diverſitate; cujus rei rationem nonnullam illic dabimus.

Præfecti & Directores primarii fuerunt hi duodecim.

I. *Zerubbabel*, Princeps *Judæ*.

II. *Jeſus*, filius *Jozadaki*, Pontifex.

III. *Nehemia*, qui poſtmodum *Hieroſolymam* condidit atque inſtauravit.

IV. *Seraja*, ſive *Azarja*, quemadmodum appellatur *Neh.* 7: 7. probabiliter *Ezra*, qui de nomine patris *Seraja* fuit vocatus.

V. *Rebelaja*, dictus *Neh.* 7. *Rabamja*; quæ nomina, literis diverſa, ſignificatione conveniunt: nam *Rebelaja* eſt, *Domini terror*; *Rahamja* verò, *Domini tonitru*.

VI. *Mordechai*, Patruus *Eſtheræ*, & everſor *Hamanis*.

VII. *Nahamani*. Is in Libro *Nehemiæ* memoratur; hîc autem omittitur: neque enim jam aſcendit; ſed alio tempore, antequam Catalogus à *Nehemiâ* fuit confectus.

VIII. *Bilſchan*.

IX. *Miſpar*, ſive *Miſpereth*.

X. *Bigvai*.

XI. *Rehum*, ſive *Nehum*.

XII. *Babana*.

Numerus populi erat 42360: proſelyti verò, ſervi, ancillæque fuere 7337.

EZRÆ CAP. III.

MEnſe ſeptimo reverſi *Judæi* congregarunt ſe *Hieroſolymæ*; exſtruunt Altare, Feſtum Tabernaculorum celebrant, offerunt ſacrificia, ſed Templo deſtituuntur.

Anno

Mundi | Cyri

Anno imperantis *Cyri* & reverſi populi ſecundo, menſe anni ſecundo, *ſive Ijar*, fundamenta Templi jacta ſunt. Complures adfuere, qui Templum prius viderant; anni enim tantummodo quinquaginta tres effluxerant, ex quo fuerat
3472 2 deſtructum: illi autem æque plorabant, ubi viderent, quanto inferius foret hoc ædificium eo, quod viderant; ac reliqui, qui Templum nullum anteà conſpexerant, lætabantur, cum novi operis auſpicia daretur contemplari.

EZRÆ CAP. IV.

3473 3 ARtaxerxes regnat tertio *Cyri* anno. Haud abs re fuerit hoc loco animum nonnihil reflectere ad Reges *Perſarum*, & hæc ipſa tempora; quandoquidem obſcuritas atque difficultas non exigua in illorum ſucceſſione ac computatione deprehenditur.

I. In devincenda *Babylone Cyrus* & *Darius* erant κοινωνοί, ut ſuperius fuit obſervatum; at *Darii* quidem in iſta expeditione apud Sacros Scriptores ſolius mentio fit, quia ætate præcedebat; apud Ethnicos verò ſolius *Cyri*, quia Conditor fuit *Perſicæ* Monarchiæ. Duo hi unà duos annos regnarunt, ut author eſt *Metaſthenes*, ſi qua illi fides: ſed ſive id ita factum eſt, vel ſecus; extra omne dubium eſt, eorum annos, ſive illi duo fuerint, aut plus iis, aut minus, una atque junctim fuiſſe computatos. Primus enim *Darii* annus, quando Edictum de ædificanda *Hieroſolyma* exiit, *Dan.* 9: 1, 23. primus quoque *Cyri* fuit, *Ezr.* 1: 1.

II. *Cyrus* ab Ethnicis Scriptoribus regnaſſe communiter exiſtimatur annis circiter triginta.

Herodot. triginta *annis. Juſtin. &c.* Id verò, de quo nunc quæritur, non eſt, quamdiu *Cyrus* omnino regnarit; ſed quamdiu regnarit, ex quo Monarchia *Perſica* in illo incepit; ſive poſt illum annum, quem Scriptura *primum illius annum* appellat; nimirum *quando Dominus ipſi dederat omnia Regna Terræ, & quando Judæos* propriis ſedibus reddidit. Hic plerique Scriptores prophani nihil quod ad rem facit, adferunt; & ſi qui id agunt, valde diſſona loquuntur.

Scriptura ea ſuggerit, quibus contenti eſſe poſſimus; ſcilicet *Cyrum* aut regnaſſe deinceps tantum tres annos, aut, ſi diutius vixit, bella ejus externa, quibus diſtrictus fuit, cauſam extitiſſe, filium *Artaxerxem* relinquendi Pro-Regem domi; ut is jam acquiſita gubernaret, dum ipſe occupatur acquirendis pluribus. Utrum de his duobus ſtatuatur, ſufficit propoſito, de diſponendis nempe temporibus, quæ præ manibus habemus.

Ad alterum horum concludendum, Scriptura argumentum ſuppeditat, quod extat *Ezr.* 4: 5. *Inimicos Judæorum conduxiſſe conſiliarios contra eos, omnibus diebus Cyri, uſque ad ipſum Regnum Darii, Regis Perſarum,* ut irritum facerent conſilium eorum de ædificando Templo; & voti tandem compotes fuiſſe factos, delatione quadam ad *Artaxerxem*. *Cyrus* toto vitæ tempore proprium Edictum planè non revocavit, vel diverſa juſſione abolevit; & ſi enervari illud per Filium ſit paſſus, vitæ ejus fatalis exitus per *Tamyrim* non niſi juſta illius merces fuit. Sed principio regiminis Filii ejus *Artaxerxis*, inimici deſiderium jam aſſecuti erant, & ædificatio eſt deſita. Id autem factum tertio *Cyri* anno, vel quando *Cyrus* jam vita ceſſerat, [ut *Danielis* viſio in *Perſia* fuiſſe dicitur anno tertio *Belſchazaris*, *Dan.* 8. *Belſchazare* pridem mortuo, uti iſtic obſervavimus] vel quando *Artaxerxes* Pro-Regis munere fungebatur: ſicque temporis computatio ab ipſo *Cyro* petitur, ut conſimili ratione alibi Scripturarum fit. Nam tertio anno *Cyri Daniel* totas tres ſeptimanas ſe luctui dedit, neque panem deſiderabilem comedit, neque caro vel vinum introiit in os ejus, neque planè ſeunxit, *Dan.* 10: 2, 3. Quarè autem? Ob impeditam Templi ædificationem: nam ut *Daniel* jejunaviſſe atque luxiſſe dicitur dies unum & viginti, ſic Angelus ait, Principem Regni *Perſiæ* unum & viginti dies ipſi reſtitiſſe; quod minimè ita eſt accipiendum, quaſi terrenus Rex quicquam poteſtatis habuerit in Angelum: ſed ſignificatur, novum hunc *Perſiæ* Regem impediendo Templi extructionem, impediviſſe unà lætum nuntium, quod alioquin Angelus ille attuliſſet; præterea calamitatem populi *Danielis* illi ſui luctus cauſam extitiſſe, apparet ex *verſ.* 15. Poſtquam enim ei indicarat Angelus, viſionem ſuper populo ipſius eſſe de multis diebus, obmutuit præ mærore, & ſpiritus ejus in illo defecit. Adeo ut prohibitio ædificationis Templi per *Artaxerxem*, contigerit anno *Cyri* tertio, ſcilicet aliqua ejus anni parte; & perduraverit ad annum *Darii* ſecundum.

III. Quam

Mundi Cyri

III. Quam longum porrò id ſpatium fuerit, magis quam ſuperiora eſt obſcurum; idque duplicis cauſa difficultatis. I. Quia haud facile eſt determinare, quot Reges intervenerint. Et II. ubi maximè id eſſemus executi, quærere ſupereſſet, quanto tempore hi Reges regnarint. Ut tamen duplici huic dubio ſatisfaciamus, ita ut inhæreamus Scripturæ, neque nos intricemus variis perplexiſque relationibus, quas Scriptores Gentiles afferunt, qui de Regibus Perſarum commentarios contexuerunt; inter progrediendum, & ubi ſe efferet occaſio, obſervabimus duo vel tria, quæ eò facient; & hoc quidem impræſens. Quemadmodum is, quo permittente, poſt diuturnam prohibitionem ædificationis Templi, eam iterum aggreſſi fuerunt Judæi, nominatur & *Darius* & *Artaxerxes*, *verſ.* 14, 15. ita iſtius prohibitionis auctor, *Aſſuerus* & *Artaxerxes* appellatur, *Ezr.* 4. *verſ.* 6, 7. *Artaxerxes* enim Regum *Perſiæ* commune nomen fuit, ut *Pharao* Regum *Ægypti*.

DANIELIS CAP. X. XI. XII.

D*Aniel* obſtacula extruendi Templi lugens, videt *Chriſtum*, ut in *Patmo Johannes*; & Revelationem accipit conditionis ſui populi ſub potentibus inimicis, donec furor *Antiochi Epiphanis* deſiiſſet; qui Sanctuarium violaturus erat, & Religionem Legemque *Moſis* daturus conculcandam, ad *tempus*, *duo tempora*, & *dimidium temporis*, ſive tres annos cum dimidio, ſive 1290. dies. At qui erat victurus dies quinque & quadraginta ultra tempus illud aſſignatum, ſive donec dies illi 1290. excreſcerent in dies 1335. is viſurus erat exitum *Antiochi*.

Artax. Aſſuer.

3474 1 Ædificatio Templi mancato Regis *Artaxerxis Aſſueri*, *Perſiæ* nunc imperantis, penitus omiſſa & velut oblivioni tradita eſt. Unde factum, ut complures Judæi, qui primo *Cyri* anno *Hieroſolymam* aſcenderant, redierint *Aſſuero* regnante ad ſedes priſtinas in *Babyloniâ* aut *Perſiâ*.

2 Templi ædificatio adhuc planè deſerta atque neglecta jacet.

LIBER ESTHERÆ.

CAP. I.

3476 3 A*Rtaxerxes*, qui & *Aſſuerus* dictus fuit, de nomine Proavi, è ſemine *Medorum*, *Dan.* 9: 1. amplitudinem ditionis *Cyri* atque *Darii* ſeptem provintiis exceſſit. Compara *verſum* 1. cum *Dan.* 6: 2. Ad oſtendendam ac videndam gloriam ſuam atque pompam, convivium fecit per dimidium annum Principibus ſuis, & per ſeptem prætereà dies toti *Suſorum* Civitati. Ubi autem omnis hæc gloria ingentis imperii oſtentata fuerat, cavere haud potuit, ut non imperium ejus ab uxore propriâ contemneretur.

ESTHERÆ CAP. II.

3477 4 TRes integros annos & ultra *Aſſuerus* degit ſine Regina. Famuli ejus
5 ac Miniſtri per ſingulas provintias inquirunt, quæ in Reginam eligi ſit
6 digna.

3480 7 *Eſther* recepta in Palatium Regis, anno regiminis illius ſeptimo, menſe decimo, *verſ.* 16. Filia *Benjaminis*, nata bono populi ſui. *Mordechai* in Captivitatem abductus fuerat cum *Jeconiâ* ante annos plus quam ſeptuaginta, reverſus verò *Hieroſolymam*, quando Captivi in terram propriam remittebantur; operamque dederat promovendæ illorum reſtitutioni atque proſperitati, quamdiu Templi ædificatio procedebat: ſed eâ impeditâ in *Perſiam* regreditur; inque eâ Aulâ procurat populi ſui bonum, quando in illorum urbe id facere non licebat.

3481 8 *Bigthan* & *Thereſch*, duo cuſtodes liminis ob perduellionem ſuſpenſi. Conſilium à *Mordechajo* detectum, & indicatum Regi.

ESTHERÆ CAP. III.

3482 9 H*Aman* evectus à Rege ad ſupremam in Regno dignitatem, à *Mordechajo* nec
10 incurvationem vel genuflectionem obtinet; aſpernabatur enim hic obſequium
11 S atque

Anni Mundi | Artax. Aſſuer.

atque reverentiam præſtare *Amalekitæ*; ejus enim gentis erat *Haman*, ex poſteritate nimirum *Agagi*, quem *Samuel* in partes concidit *Gilgale*.

Haman emere avebat *Judæos* omnes, qui ſub imperio *Perſico* degebant, Ta-
3485 12 lentis 10000. argenti, ſed gratis ipſi conceſſi fuère. Illos autem deſtruere non
prius aggreditur, quam Magicæ ſortitionis directione ſit uſus, inquirens quis potiſſimum dies commodus eſſet futurus referendæ ad Regem petitioni ſuæ; diabolus autem aſſignat ei diem decimum menſis primi: dein quis menſis aptiſſimus foret executioni; & ſors diabolica mentem *Adar* indicat.

Die decimo tertio menſis primi Literæ miſſæ ſunt in omnes Monarchiæ provincias, de *Judæis* præſtituto tempore interficiendis.

ESTHERÆ CAP. IV. & V.

PRovinciæ omnes re illa audita fuerunt perplexæ, & *Judæi* in Civitate *Suſorum* jejunium celebrarunt trium dierum & trium noctium. Temporis hoc ſpatium exacte annotatum eſt, intuitu ad tres dies & tres noctes mortis noſtri Servatoris; die enim tertio induit *Eſther* indumentum regium, מלכות, i.e. Regnum, aſſequitur Regis favorem.

ESTHERÆ CAP. VI. VII.

HAman ſibi ipſi Patibulum parat, & Honoris exhibitionem adjudicat *Mordechajo*. Uxor ac amici ſciunt maledictionem denuntiatam *Amaleko* cauſâ *Judæorum*, & *Hamanis* exitium prædicunt.

ESTHERÆ CAP. VIII. IX.

DIe vigeſimo tertio menſis *Sivan*, *Mordechai* atque *Eſther* obtinent Literas, quibus ſanguinolento *Hamanis* conſilio intercederetur, & *Judæis* fieret poteſtas adverſus hoſtes ſuos vi armatâ ſe tuendi; quod faciunt tempore laniénæ ipſorum deſtinato, cæduntque 75810. viros. Feſtum *Purim* inſtitutum.

ESTHERÆ CAP. X.

3486 13 POſt magnam hanc atque admirandam liberationem & proſperitatem *Judæo-*
14 *rum*, *Artaxerxes* ſive *Aſſuerus* Tributum imponit toti imperio. Quo autem re-
giminis illius anno id factum ſit, incertum eſt; & quamdiu poſteà regnarit, haud facile eſt determinatu. Scriptura enim annorum numerum, quibus ipſe, & ejus quoque in Regno *Perſiæ* ſucceſſores rebus præfuerint, nuſquam clarè exprimit. De hoc Rege altum deinceps ſilentium eſt: de proximo eatenus eſt ſermo, ut mentio fiat anni illius ſecundi, *Ezr.* 4:24. quarti, *Zach.* 7:1. ſexti, *Ezr.* 6:15. ſeptimi, *Ezr.* 7:8. vigeſimi, *Nehem.* 1:1. trigeſimi ſecundi, *Nehem.* 13:6. poſt quem annum quantum deinceps temporis regnarit, fruſtrà quæras.

Indicio ac collatione aliorum locorum concludere liceat, neque frivolis ſanè argumentis, Regem hunc *Artaxerxem Aſſuerum* regnaſſe tantum quatuordecim annos in univerſum. Cauſa ita exiſtimandi hæc eſt: quia *Zacharia* anno *Darii* ſecundo, tempus cujuſdam captivitatis annorum ſolummodo ſeptuaginta facit. Angelus Domini reſpondet, dicitque, *O Jehova Deus Exercituum, quamdiu tu non miſerturus es Hieroſolymæ, & Civitatum Judæ, in quas tu indignatus es hos ſeptuaginta annos*, *Zach.* 1:12. Et *Cap.* 7. memoratur, viros quoſdam *Babylone* miſſos eſſe *Hieroſolymam*, qui præter alia, de quibus acturi advenerant cum Sacerdotibus, qui erant in Domo *Jehovæ* exercituum, hanc etiam quæſtionem adferebant, *An flere debeo menſe quinto, quemadmodum feci his ſeptuaginta annis?* Confer *verſ.* 3. & 5. Jam verò à principio annorum ſeptuaginta, ſive à quarto anno *Jehojachinis* uſque ad *Darii* ſecundum complures anni ultra ſeptuaginta effluxerunt; ſcilicet tres *Cyri*, omnes *Aſſueri*, qui fuere duodecim memorati in Scriptura, priuſquam tributum imperio imponeret; & duo ipſius *Darii*: qui hoc calculo in univerſum conficiunt octoginta ſeptem annos; ſumpto initio ab eo tempore, unde ſeptuaginta captivitatis annos numerare convenit. Ideoque ſeptuaginta hos annos

Mundi | Artax. Aſſuer.

annos, memoratos *Zachariæ*, ab alio principio neceſſe eſt deducere, cum alioquin oritura eſſet plurima difficultas, & dicendi improprietas. Hoc verò annorum initium deſumitur *à deſtructione Hieroſolymæ & Templi conflagratione, anno videlicet decimo nono Nebucadnezaris, ad Darii ſecundum*; quo ſpatio continentur 51. anni de 70. *Babylonis*, tres *Cyri*, quatuordecim *Aſſueri*, quos ei tribuendos ſupponimus, & *Darii* duo.

3487 14 Etenim ſi Lector abſque præjudicio atque affectu exponat loca iſta duo *Zachariæ*, quæ allegavimus; nullo modo accipiet annos 70. quorum ibi mentio eſt, de 70. annis, de quibus ſermo eſt *Jer.* 25: 11, 12. & 29: 10. qui jam ante annos 17. juxta manifeſtum Scripturæ indicium, finiti erant. Præcipuè verò, ſi quis ſcopum ſeptimi Capitis *Zachariæ* benè perpendat, calculum noſtrum totum de ſeptuaginta annis convenientem promtumque comperiet. Secundo anno *Darii* Templum, poſt ædificationem ejus diu impeditam, extrui rurſus eſt cœptum, cum læto ſucceſſu; quarè Eccleſia *Babylonis* mittit *Hieroſolymam*, qui rogarent Sacerdotes; *An Templo nunc iterum extructo, jejunabo & obſervabo ſolemnes dies humiliationis, ſicut feci annis hiſce 70. quibus Templum deſtructum jacuit?* Si annos modò ſeptuaginta captivitatis jejunaverant, jejunare deſierant annis minimum ſeptendecim, ad ſecundum *Darii*, novemdecim autem ad quartum *Darii*, ut *Zach.* 7: 1. Et ſi jejunare deſierant tanto tempore, dum opus ædificationis Templi planè ceſſabat, quomodo in mentem iis venire potuit, jejunia iterum exordiri, ubi opus pulchre adeò procedit? Et ſi continuarant ea per totum tempus captivitatis, & per omne tempus deinceps conſecutum, quomodo anni tantum ſeptuaginta commemorantur, cum minimum fuerint octoginta ſeptem? Quocirca, meo judicio, pro certo eſt habendum, ſeptuaginta annos, de quibus dictum eſt, deduci ab incendio Templi uſque ad illius reædificationem, anno ſecundo *Darii*; eodemque hoc calculo tribui quatuordecim annorum regimen *Artaxerxi Aſſuero*, qui operi impedimentum objecit, ad colligendum hunc numerum; quemadmodum obſervavimus, *Joſuæ* ad eundem modum omnino tribui ſeptemdecim annos in collectione integræ ſummæ, quæ tota ex particularibus invenitur, præter ſolos iſtos ſeptemdecim annos. Porro quam undequaque ac aptè ratio Angeli *Gabrielis*, de ſepties ſeptem, vel quadraginta novem annis ab edicto *Cyri* de ædificandâ *Hieroſolyma* uſque ad operis perfectionem, congruat cum eâ quam exhibuimus computatione; obſervavimus ad annum *Darii* trigeſimum primum. Quin Lector id per ſeipſum ſatis facilè percipiet, citra omne indicium.

Artax. Darii

3488 1 Poſt *Artaxerxem Aſſuerum*, maritum *Eſtheræ*, præfuit *Artaxerxes Darius*, falſo habitus à Judæis pro *Aſſueri* filio; veriſimiliter idem cum *Dario Hyſtaſpis* (de quo Scriptores Gentiles) dictus Rex *Aſſyriæ*, *Ezr.* 6: 22.

EZRÆ CAP. V. *verſ.* 1.
Et HAGGAI CAP. I.

3489 2 SEcundo hoc anno *Darii*, primo die menſis ſexti, *Haggai* prophetare occipit, populumque incuſat, quod in Templi ædificationem non incumberent: præcipuè Judæos illos conductitios, de quibus ſermo eſt *Ezr.* 4: 5. qui corrupti erant ab inimicis, ut conſilio ſuo ædificationem facerent irritam; quique ſecreto inſtillabant, *Tempus nondum advenit, quo Domus Jehovæ ædificetur.*

Die quarto & vigeſimo ejuſdem menſis inſtituitur præparatio ad ædificationem. Cum *Hagg.* 1: 12. lege *Ezr.* 5: 2.

HAGGAI CAP. II. *ad verſ.* 10.

MEnſe ſeptimo, die menſis vigeſimo primo, *Haggai* prædicit gloriam hujus ſecundi Templi; eamque multis, qui *Salomonis* viderant, deprædicat.

ZACHARIÆ CAP. I. *ad verſ.* 7.

MEnſe octavo *Zacharia* prophetare incipit.

Anni Mundi | Annus Darii

HAGGAI CAP. II. *à verſ.* 10. *ad finem.*

3489 2 NOno menſe, die ejus 24. cœperunt lapides jungere ad conſtruendos Templi muros, & ædificium ſurrigere: nam à vigeſimo quarto die menſis ſexti nihil niſi præpararant materiam. Hoc die *Haggai* duas Prophetias habuit.

ZACHARIÆ CAP. I. *à verſ.* 7. *ad finem.* *Et* CAP. II. III. IV. V. VI.

MEnſe undecimo, die decimo quarto, *Zacharia* conſpicit Chriſtum, inſidentem equo; & Angelos ſpecie equorum, qui ipſi miniſtrabant. Videt viſionem quatuor cornuum, quæ *Judam* ſtuderent diſpergere; fueruntque *Rehum*, *Simſai*, *Thathnai* & *Schetar-Boſnai*: itemque quatuor fabrorum, qui cornua iſta confringerent, atque erant *Zerubbabel*, *Joſua*, *Ezra & Nehemia*. Videt *Hieroſolymam* paratam menſurari; quod ob id ſolum factum non eſt, quia ambitus ejus futurus erat interminatus. Videt veſtes ſummi Sacerdotis laceras ſordidaſque, & alias novas à Deo repertas, in figuram glorioſi Miniſterii ſub Euangelio: Chriſtum item, lapidem angularem, cum ſeptem oculis. Inde Eccleſiam videt, nempe ſeptem Lychnuchos aureos: & miniſterium Eccleſiæ è Judæis & Gentibus, ſcilicet duas Oleas, ingerentes ſe in iſtos Lychnuchos. Volumen item volans æquipe longitudine & latitudine porticus Templi, plenum maledictionibus. Improbitatem in *Ephâ*, maxima apud Judæos menſurâ, collocatâ in *Babylone*.

EZRÆ CAP. V. *à verſ.* 3. *ad finem.* *Et* CAP. VI. *ad verſ.* 14.

3490 3 INimici Judæorum, ſpecie officii erga Regem, ſed revera pravo adverſus Templum affectu, ſcriptis ad *Darium* Literis, ædificationem impedire laborant; verum id ſpeciali Dei providentiâ in occaſionem promovendi operis vertit. Ad hoc uſque tempus ædificarant Judæi, excitati ſolis Prophetarum *Haggaji* & *Zachariæ* hortationibus: nunc etiam permiſſione Regis nituntur.

ZACHARIÆ CAP. VII. VIII.

3491 4 QUarto anno *Darii*, menſe nono, qui eſt *Ciſleu*, die menſis quarto, וישלח בית אל, Congregatio, quæ *Babylone* erat, mittit *Hieroſolymam*, quæſitum de Jejuniis, nimirum an continuanda iſta forent, Templo jam ædificari cœpto, & provecto eò uſque; an verò iis in poſterum eſſet abſtinendum.

Jejunia autem iſta habuerunt:

I. Menſe quarto, in memoriam perruptæ Civitatis, *Jer.* 52: 7.

II. Menſe quinto, in memoriam exuſti Templi, 2 *Reg.* 25: 8, 9.

III. Menſe ſeptimo, in memoriam cædis *Gedaljæ*, & diſperſionis Judæorum, qui cum ipſo erant, *Jer.* 41: 1.

IV. Menſe decimo, *Zach.* 8: 19. in memoriam cœptæ obſidionis *Hieroſolymæ*, 2 *Reg.* 25: 1.

Adeo ut perſpicuum ſit ex ſcopo & occaſione omnium horum Jejuniorum ſolemnium, quæ cuncta referebantur ad poſtremam calamitatem ac ruinam *Hieroſolymæ* per *Babylonios*, nullum verò ex omnibus ad primam Captivitatem *Jehojachinis* ſive *Jeconiæ*; annos ſeptuaginta, qui univerſum ſolemnium horum dierum officiorumque ſpatium complecti dicuntur, intelligendos & computandos eſſe ab eo ipſo tempore atque occaſione, quæ ſupra indicavimus.

3492 5 Templi ædificatio pulchrè procedit, atque opus citra interruptionem promovetur.

EZRÆ CAP. VI. *à verſ.* 14. *ad finem.*

3493 6 ANno ſexto *Darii*, tertio die menſis *Adar*, Templum eſt abſolutum; & Feſtum dedicationis illius ſolemniter celebratur.

EZRÆ

Mundi	Artax. Darii.

EZRÆ CAP. VII. VIII.

3494 7 Die primo anni hujus ſeptimi *Darii*, *Ezra* egreditur ad profectionem *Baby-lone Hieroſolymam*, *Ezr.* 7:9.

Diebus nono, decimo & undecimo luſtrat profectionis ſocios, & jejunium celebrat ad flumen *Abavam*, *Ezr.* 8: 15, 23.

Die duodecimo iter auſpicatur, *verſ.* 31.

Die decimo quarto Paſcha ſolemniter celebratur *Hieroſolymæ*.

Ezra pervenit *Hieroſolymam* primo die quinti menſis, ſive menſis *Ab*: quarto autem die appendit omne aurum ac argentum, quod ſecum attulerat ex donatione Regis, Principumque, & *Iſraëlis* in *Babylone*.

Ezra erat patruus *Joſuæ*, qui jam eſt ſummus Sacerdos, *Cap.* 7: 1. coll. cum 1 *Chron.* 6: 14. Pater illius *Seraja* cæſus erat tempore direptionis *Hieroſolymæ*, 2 *Reg.* 25: 18. quæ facta fuerat ante annos ſeptuaginta quinque. *Ezram* autem tunc ætatis valdè teneræ fuiſſe oportet, modò genitus fuerit.

EZRÆ CAP. IX. X.

Quies & proſperitas, qua reverſi Judæi per breve tempus fruiti ſunt, morum corruptelæ cauſa extiterat, mixtorum ſcilicet connubiorum cum Nationibus, quibuſcum vixerant. Id *Ezra* corrigit, & fœminas illas, quarum ingens erat multitudo, dimitti jubet. Hic autem viri tantum quatuor ſe oppoſuerunt; Levitæ duo, & duo alii: in quem ſenſum legi debet, quod extat *verſ.* 15. *Cap.* 10. *Tantum Jonathan, filius Aſaëlis; & Jahſeja, filius Thikvæ, obſtiterunt huic rei* עמדו על זאת: *Meſchullam verò & Schabbethai adjuverunt eos.* Expende *verſ.* 16. indeque hanc tranſlationem comperies poſtulari.

Congregatio in eum finem inſtituta fuit die vigeſimo noni menſis; quo tempore elegerunt Seniores, qui huic negotio præſiderent. Ii verò ſedere cœperunt primo die decimi menſis, & totum perfecerant primo die primi menſis, *Cap.* 10. *verſ.* 14, 16, 17.

Facta eſt hæc res anno ſeptimo *Darii* ſive *Artaxerxis*; eo ipſo quo *Ezra* advenerat *Hieroſolymam*, ut Textus videtur innuere: niſi mirâ ſcriptione vocabuli לדריוש *verſ.* 16. Spiritus Sanctus *Darii* decimum indicare voluerit; לחדש העשירי לדריוש הדבר: Judicium ſit penes doctos.

ZACHARIÆ CAP. IX. X. XI. XII. XIII. XIV.

3495 8 Ab hâc matrimoniorum per *Ezram* reformatione, quæ ad annum *Darii* ſepti-
9 mum potiſſimum refertur, nihil eorum, quæ ad *Darii* vigeſimum conti-
10 gerunt, annotatum reperitur: atque inde *Nehemia* commovere ſe incipit. Hoc
11 itaque tempore, quod complectitur ſpatium annorum duodecim, veriſimile eſt,
12 *Zachariam* populo prophetaſſe, & promoviſſe opus Reformationis. Et quan-
13 doquidem nullum tempus annotatum eſt, quod diverſum ſuadeat; hoc loco non
14 malè expendentur *Capita* IX. X. XI. XII. XIII. XIV. in quibus Propheta
15 planè pleneque complura prædicit de Chriſto, deque tempore adventus ejus.
16 Prætereà de converſione *Pauli*, de Euangelii initio in *Hadrach* & *Damaſco*, de
17 *Antiochiâ* in *Hamathâ* excipiente Euangelium, de introitu Chriſti in *Hieroſolymam*
18 ſuper aſinum, *Cap.* 9: 9. de ipſo ad confuſionem redigente tres Paſtores, *Pha-*
19 *riſæos*, *Sadducæos* & *Eſſæos*: de eo vendito triginta Argenteis, *Cap.* 11: 8, 12. de
Diſcipulorum diſperſione, *Cap.* 13: 7. de nonnullis *Hieroſolymitanis* ſuper ipſo
plangentibus, quem transfoderunt, *Cap.* 12. de reliquorum, eorumque Urbis
& Templi excidio per incredulitatem, *Cap.* 11: 1, &c.

Digitized by Google

Ann. Mundi. Artax. Darii.

LIBER NEHEMIÆ, totus.

Ad CAP. XIII. *verſ.* 7.

3507 20 ANno vigeſimo *Artaxerxis Darii*, menſe *Ciſleu*, *Nehemia* intellecto calamitoſo *Hieroſolymæ* ſtatu, menſe ſequente *Niſan*, veniam obtinet à Rege proficiſcendi *Hieroſolymam*, unaque Diploma & ſatellites ſecuri itineris gratiâ. Hic obſerva, *Ciſleu* menſem nonum, & *Niſan* ſequentem, qui primus menſis erat, incidere utrumque in *Darii* annum vigeſimum, *Cap.* 1:1. & *Cap.* 2:1.

3508 21 *Nehemia Judææ* præeſt annos duodecim, priuſquam in *Perſiam* ad Regem re-
22 deat. Eo temporis ſpatio muros *Hieroſolymæ* ædificat, perficitque, & incolis
23 complet; populum in ordinem redigit, ac adigit ad Fœdus: *Hieroſolymam* au-
24 tem incolatui commodam tutamque efficit. Abſolutis verò omnibus, quæ ad
25 Civitatis populique ordinationem & conſtabilitionem pacis atque pietatis pertine-
26 rent, redit exeunte anno duodecimo, ſive anno Regis trigeſimo ſecundo, quem-
27 admodum præfinierat Cap. 13:6. A quo anno ſi retro numeres uſque ad pri-
28 mum *Cyri*, ſummam habebis ſepties ſeptem, ſive annos quadraginta novem, ip-
29 ſiſſimum ſpatium, quod Angelus ædificandæ *Hieroſolymæ*, Civitati ſcilicet ac
30 muris, aſſignarat, *Dan.* 9:25. nimirum annos tres *Cyri*, quatuordecim *Aſſueri*,
31 hujus verò *Darii* triginta duos. Et ad hunc terminum Vetus Teſtamentum, in recenſendis ordine Hiſtoriis, annorum computationem perducit; ultra autem hos *Darii* triginta duos annos narratio non inſtituitur ſummis expreſſis. Atque hæc ipſa res magis etiam ſecurum me reddit de computatione annorum, quibus hi *Perſici* Reges regnarint; nam non poſſum non pro certo habere, Spiritum Sanctum, qui diſtinctos horum Regum annos ad hunc uſque terminum exprimit, continuationem Chronicorum uſque ad hoc tempus abſolutæ *Hieroſolymæ* voluiſſe perducere, atque ibi demum finire Annales.

Capite ſeptimo hujus Libri, quod numerum exhibet hominum familiarumque, à quibus *Judæa* poſt Captivitatem eſt habitata, reperire licebit magnam differentiam à Catalogo, qui extat *Ezr.* 2. quanquam in Textu affirmatur, catalogum hic eundem exhiberi: nam ita ait *verſ.* 5. *Et inveni libellum recenſionis eorum qui aſcenderant primum; in quo inveni ſcriptum, &c.* Res itaque ſic accipienda eſt; *Nehemiam* inveniſſe Catalogum eorum, qui primo *Cyri* anno aſcenderunt, ſicut ille tunc contextus erat, & nomina vocaviſſe & Familias, juxta ordinem *Ezræ*. Ordine autem illo quoad appellationem & digeſtionem obſervato, numerum recenſet, prout tunc extabat, quando ipſe recenſuit. Familiæ quædam hoc tempore ampliores erant numero, quam cum Catalogus primum fuerat contextus: quædam erant diminutæ; quædam etiam omnino deſiderabantur. Etenim nonnullis, poſt primam recenſionem, plures ejuſdem Stirpis *Babylone* acceſſerant: è nonnullis verò aliqui, qui principio aſcenderant atque recenſiti fuerant, *Babylonem* erant regreſſi. Atque ita per comparationem iſtius Catalogi & numeri præſentis *Nehemia* obſervat, quid novus incolatus *Judææ* poſt primum reditum, vel incrementi vel decrementi ceperit.

3519 32 *Nehemia* ad Regem revertitur, *Cap.* 13:6. Atque hic Chronica Veteris Teſtamenti finem habent.

NEHEMIÆ CAP. XIII. *à verſ.* 7. *ad finem.*

TEmpore, quo *Nehemia* aberat [quod quam longum fuerit, incertum eſt] rerum ſtatus vehementer fuit corruptus, quem ipſe reverſus emendare allaboravit. Vixit exinde uſque ad tempora *Darii* ultimi Regis *Perſarum*; ejus enim mentionem facit *Cap.* 12. *verſ.* 22. ut & *Jadduæ*, Sacerdotis ſummi, qui obviam ivit *Alexandro magno*, venienti *Hieroſolymam*, & quem *Alexander* reverenter adeò excepit, uti *Joſephus* refert, *Antiq. Lib.* 11. *Cap. ult.*

Ezra quoque vitam produxit proximè tempora *Jadduæ*; ſcripſit enim *Chronicorum* Librum tempore *Johananis*, patris *Jadduæ*, *Neh.* 12:23. atque ita vixit uſque ad Monarchiæ *Perſicæ* inclinationem. Natus fuit minimùm 50. annis

ante

Mundi Artax. Darii ante primum *Cyri* ; & inde uſque ad *Darii* trigeſimum ſecundum fuere 49. anni ; in univerſum verò 99. Deinceps autem ſuperſtes fuit toto tempore unius Sacerdotis ſummi, nempe *Jojadæ* ; & ſcriptioni operam dedit tempore *Johannis* ſive
3519 32 *Jonathanis*, qui *Jojadæ* proximè ſucceſſit. Hæc verò conſideratio facit ad litem conciliandam rationi computationis temporum ac Regum à *Cyro* ad hoc uſque tempus, qua ſuperius ſum uſus.

PROPHETIA MALACHIÆ.

M*Aleachi*, Prophetarum Veteris Teſtamenti poſtremus, à nonnullis *Ezra* fuiſſe perhibetur. Verum id neque magni momenti eſt, neque ſatis certum. Quin ipſum illius tempus incertum eſt, ſi accuratè foret determinandum: ſed id unum indubium, vixiſſe eum temporibus corruptis, quorum initium *Nehemia* attigit. Invehitur adverſus extera matrimonia, *Cap.* 2. *verſ.* 11. de quibus *Neh.* 13: 23, 28. adverſus decimarum interverſionem, *Cap.* 3. *verſ.* 8. de qua *Neh.* 13: 10, 11. adverſus profanationes alias, *Cap.* 1. *verſ.* 13. & *Cap.* 2. *verſ.* 8. de quibus *Neh.* 13: 15, *&c.* Concludit convertendo populum ad ſtudium *Moſis* & Veteris Teſtamenti, atque ad expectationem *Eliæ Baptiſtæ*, qui Novi principium: quia poſt ipſius ex hoc mundo exceſſum, Spiritus etiam Prophetiæ exceſſit, ac velut peregrinus fuit inter Judæos, uſque dum aurora Euangelii illuceſceret. Libri *Apocryphi*, qui tempore intermedio fuerunt conſcripti, caruerunt dictamine illius ſpiritus; quandoquidem ille jam receſſerat.

Atque ita Vetus Teſtamentum concluditur, prædictione venturi *Baptiſtæ*, & comminatione maledictionis adverſus incredulos *Judæos*.

FINIS.

INDEX

INDEX

Librorum & Capitum, quæ in Harmoniâ & Chronicis Veteris Teſtamenti paſſim exponuntur & elucidantur.

LIBER GENESEOS.

CAP. I. Pag. 1
Cap. II. *verſ.*1,2,3. 2 col. 2.
Cap. III. 2 col. 1.
Cap. IV. 3 col. 1.
Cap. V. 3 col. 2.
Cap. VI. 5 col. 1.
Cap. VIII. *à verſu* 13. *ad finem.* 9 col. 2.
Cap. IX. 9 col. 2.
Cap. X. 10 col. 1.
Cap. XI. 11 col. 2.
Cap. XII. XIII. XIV. XV. 12
Cap. XVI. 13
Cap. XVII. XVIII. XIX. XX. ibid.
Cap. XXI. 14
Cap. XXII. ibid.
Cap. XXIII. ibid.
Cap. XXIV. & XXV. *uſque ad verſum* 7. 15
Cap. XXV. *verſu* 11. *& à verſu* 19. *ad finem.* ibid.
Cap. XXVI. 16
Cap. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. 17
Cap. XXXI. 18
Cap. XXXII. & XXXIII. *ad verſum* 17. ibid
Cap. XXXIII. *v.*17,18,19,20. ibid.
Cap. XXXIV. 19
Cap. XXXV. *à verſ.* 1. *ad verſum* 28. ibid.
Cap. XXXVI. ibid.
Cap. XXXVII. 20
Cap. XXXVIII. *verſ.*1,2,3,4,5. 18
Cap. XXXVIII. *à verſu* 6. *ad finem.* 20
Cap. XXXIX. ibid.
Cap. XL. 21
Cap. XLI. ibid.
Cap. XLII. ibid.
Cap. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. *ad verſum* 13. ibid.
Cap. XLVII. *à verſu* 13. *ad finem, &* Cap. XLVIII. 22
Cap. XLIX. & L. ibid.

LIBER EXODI.

Cap. I. Pag. 23
Cap. II. *ad verſum* 11. 25
Cap. II. *à verſu* 11. *ad finem.* 26
Cap. III. IV. ibid.
Cap. V. ibid.
Cap. VI. 27
Cap. VII. VIII. IX. X. *ad verſ.*21. ibid.
Cap. X. *à verſu* 21. *ad finem.* 28
Cap. XI. ibid.
Cap. XII. *ad verſum* 21. 27
Cap. XII. *à verſu* 21. *ad finem.* 28
Cap. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. ibid.
Cap. XVIII. 33
Cap. XIX. 28
Cap. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. ibid.
Cap. XXV. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. XXXI. 29
Cap. XXXII. XXXIII. XXXIV. ibid.
Cap. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. XL. ibid.

LIBER LEVITICI.

Cap. I. II. III. IV. V. VI. VII. 30
Cap. VIII. IX. ibid.
Cap. X. ibid.
Cap. XI. XII. XIII. XIV. XV. 31
Cap. XVI. ibid.
Cap. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. 32
Cap. XXVI. XXVII. ibid.

LIBER NUMERORUM.

Cap. I. 32
Cap. II. ibid.
Cap. III. IV. ibid.
Cap. V. VI. 33
Cap. VII. VIII. ibid.
Cap. IX. *ad verſum* 15. 30
Cap. IX. *à verſu* 15. *ad finem.* 33
Cap. X. *ad verſum* 11. ibid.
Cap. X. *à verſu* 11. *ad finem.* 34
Cap. XI. ibid.

Cap. XII.

Cap. XII. Pag. 34
Cap. XIII. 35
Cap. XIV. ibid.
Cap. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. ibid.
Cap. XX. 36
Cap. XXI. 37
Cap. XXII. XXIII. XXIV. XXV. ibid.
Cap. XXVI. XXVII. XXVIII. XXIX. XXX. 38
Cap. XXXI. XXXII. ibid.
Cap. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. ibid.

LIBER DEUTERONOMII. ibid.

LIBER JOSUÆ. 40
Cap. I. ibid.
Cap. II. ibid.
Cap. III. IV. ibid.
Cap. V. 41
Cap. VI. ibid.
Cap. VII. ibid.
Cap. VIII. ibid.
Cap. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. ibid.
Cap. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. XXII. XXIII. XXIV. ibid.

LIBER JUDICUM. 43
Cap. I. 44
Cap. II. *ad verſum* 11. 45
Cap. II. *à verſu* 11. *ad finem.* 46
Cap. III. *ad verſum* 11. ibid.
Cap. III. *verſ.* 11. 47
Cap. III. *à verſu* 11. *ad finem.* ibid.
Cap. IV. V. 48
Cap. VI. VII. VIII. 49
Cap. IX. ibid.
Cap. X. *verſ.* 1, 2. 50
Cap. X. *verſ.* 3, 4, 5. ibid.
Cap. X. *à verſu* 6. *ad finem.* ibid.
Cap. XI. & XII. *ad verſum* 8. 51
Cap. XII. *verſ.* 8, 9, 10. 52
Cap. XII. *verſ.* 11, 12. ibid.
Cap. XII. *verſ.* 13, 14, 15. ibid.
Cap. XIII. ibid.
Cap. XIV. XV. XVI. ibid.
Cap. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI. 45
Cap. XVII. ibid.
Cap. XVIII. ibid.
Cap. XIX. ibid.
Cap. XX. ibid.
Cap. XXI. 46

LIBER RUTHÆ. 48

I LIBER SAMUELIS. 53
Cap. I. II. III. 53
Cap. IV. ibid.
Cap. V. VI. 54
Cap. VII. *verſ.* 1. & *verſus* 2. *prior pars.* ibid.
Cap. VII. *verſus* 2. *pars poſterior*, & *porrò uſque ad finem.* ibid.
Cap. VIII. ibid.
Cap. IX. X. XI. XII. 55
Cap. XIII. XIV. XV. ibid.
Cap. XVI. ibid.
Cap. XVII. ibid.
Cap. XVIII. 56
Cap. XIX. ibid.
Cap. XX. ibid.
Cap. XXI. ibid.
Cap. XXII. *verſus* 1. *pars prior.* 57
Cap. XXII. *verſus* 1. *pars poſterior*, & *verſ.* 2. ibid.
Cap. XXII. *à verſu* 3. *uſque ad finem.* ibid.
Cap. XXIII. ibid.
Cap. XXIV. 58
Cap. XXV. ibid.
Cap. XXVI. ibid.
Cap. XXVII. 59
Cap. XXVIII. ibid.
Cap. XXIX. ibid.
Cap. XXX. XXXI. ibid.

II LIBER SAMUELIS.
Cap. I. ibid.
Cap. II. 60
Cap. III. ibid.
Cap. IV. ibid.
Cap. V. *à principio ad verſum* 11. ibid.
Cap. V. *à verſu* 11. *ad finem.* 62
Cap. VI. *à principio ad verſum* 12. ibid.
Cap. VI. *pars poſterior verſus* 12. *ad verſum* 20. 63
Cap. VI. *à verſu* 20. *ad finem.* ibid.
Cap. VII. VIII. ibid.
Cap. IX. 64
Cap. X. ibid.
Cap. XI. ibid.
Cap. XII. *ad verſum* 15. & *verſus illius prior pars :* Et Nathan abiit domum ſuam. ibid.
Cap. XII. *à verſu* 15. Et Dominus plagâ affecit infantem, &c. *ad verſum* 24. 65

Cap. XII. *verſ.* 24, 25. Pag. 65
Cap. XII. *à verſu* 26. *ad finem.* ibid.
Cap. XIII. ibid.
Cap. XIV. ibid.
Cap. XV. 66
Cap. XVI. ibid.
Cap. XVII. ibid.
Cap. XVIII. XIX. 67
Cap. XX. ibid.
Cap. XXI. *ad verſum* 15. 68
Cap. XXI. *à verſu* 15. *ad finem.* ibid.
Cap. XXII. ibid.
Cap. XXIII. 69
Cap. XXIV. ibid.

I LIBER REGUM. 70

Cap. I. ibid.
Cap. II. *ad verſum* 12. 72
Cap. II. *à verſu* 12. *ad verſum* 39. 73
Cap. II. *à verſu* 39. *ad finem.* 74
Cap. III. *verſ.* 1, 2. ibid.
Cap. III. *à verſu* 3. *ad finem.* 73
Cap. IV. V. ibid.
Cap. VI. 74
Cap. VII. *à verſu* 1. *ad verſum* 13. 75
Cap. VII. *à verſu* 13. *ad finem.* 74
Cap. VIII. 75
Cap. IX. *à principio ad verſum* 10. ibid.
Cap. IX. *à verſu* 10. *ad finem.* ibid.
Cap. X. 76
Cap. XI. *à principio ad verſum* 41. ibid.
Cap. XI. *à verſu* 15. *ad verſum* 21. 64
Cap. XI. *verſ.* 21, 22. 73
Cap. XI. *verſ.* 41, 42, 43. 77
Cap. XII. *à principio ad verſum* 25. 77 col. 1
Cap. XII. *à verſu* 25. *ad finem.* ibid. col. 2
Cap. XIII. XIV. 78 col. 2
Cap. XV. *à principio ad verſum* 9. 79 col. 1
Cap. XV. *à verſu* 9. *ad verſum* 16. ibid. col. 1
Cap. XV. *à verſu* 16. *ad verſum* 23. 80 col. 1
Cap. XV. *à verſu* 25. *ad verſum* 32. 79 col. 2
Cap. XV. *verſ.* 27, 28, 29, 30, 32, 33, 34. 80 col. 2
Cap. XVI. *à verſu* 1. *ad verſum* 23. 81 col. 2
Cap. XVI. *à verſu* 23. *ad finem.* 82 col. 2
Cap. XVI. *à verſu* 30. *ad finem Capitis* XIX. ibid. col. 2
Cap. XX. XXI. & XXII. *verſ.* 51, 52, 53. 83 col. 2
Cap. XXII. *verſ.* 41, 42, 43. 82 col. 1
Cap. XXII. *ad verſum* 50. 83 col. 1
Cap. XXII. *verſ.* 50. 86

II LIBER REGUM.

Cap. I. 83 col. 2
Cap. II. & III. *à verſu* 6. *ad finem* 85 col. 2
Cap. III. *verſ.* 1, 2, 3, 4, 5. 84 col. 2
Cap. IV. V. VI. VII. VIII. *ad verſum* 25. 86 col. 2
Cap. VIII. *verſ.* 25. *ad finem.* 87 col. 1
Cap. IX. & X. *ad verſum* 30. 88 col. 2
Cap. X. *à verſu* 30. *ad finem.* 89 col. 2
Cap. XI. *verſ.* 1, 2, 3. 88 col. 1
Cap. XI. *à verſu* 4. *ad finem.* 89 col. 1
Cap. XII. *verſ.* 1, 2, 3. ibid. col. 1
Cap. XII. *à verſu* 4. *ad finem.* ibid. col. 1
Cap. XIII. ibid. col. 2
Cap. XIV. *verſ.* 1, 2. ibid. col. 1
Cap. XIV. *à verſu* 3. *ad verſum* 19. 90 col. 1
Cap. XIV. *verſ.* 19, 20. ibid. col. 1
Cap. XIV. *verſ.* 21, 22. 91 col. 1
Cap. XIV. *verſ.* 23, 24, 25, 26, 27. 90 col. 2
Cap. XIV. *verſ.* 29. 91 col. 2
Cap. XIV. *verſ.* 23. *ad finem.* 90 col. 2
Cap. XV. *verſ* 1, 2, 3, 4. 91 col. 1
Cap. XV. *verſ.* 5, 6, 7. 98 col. 1
Cap. XV. *à verſu* 8. *ad verſum* 23. ibid. col. 2
Cap. XV. *verſ.* 23, 24, 25, 26, 27. ib. col. 2
Cap. XV. *verſ.* 28, 29. 99 col. 2
Cap. XV. *verſ.* 30, 31. 102 col. 2
Cap. XV. *à verſu* 32. *ad finem* 99 col. 1
Cap. XVI. *verſ.* 1, 2, 3, 4. 100 col. 1
Cap. XVI. *verſ.* 5. ibid.
Cap. XVI. *verſ.* 6. 101
Cap. XVI. *à verſu* 7. *ad verſum* 17. 102 col. 1
Cap. XVI. *verſ.* 17, 18. ibid. col. 1
Cap. XVI. *verſ.* 19, 20. 105 col. 1
Cap. XVII. *verſ.* 1, 2 102 col. 2
Cap. XVII. *verſ.* 3. 104 col. 2
Cap. XVII. *à verſu* 4. *ad verſum* 24. 105 col. 2
Cap. XVIII. *verſ.* 1, 2, 3. 104 col. 1
Cap. XVIII. *verſ.* 4, 5, 6, 7, 8. 105 col. 1
Cap. XVIII. *verſ.* 9, 10, 11, 12. ibid. col. 2

Cap. XVIII.

Digitized by Google

Cap. XVII. *verſ.* 24. *ad finem.* 111
Cap. XVIII. *à verſu* 13. *ad finem.* 109
Cap. XIX. ibid.
Cap. XX. *ad verſum* 12. ibid.
Cap. XX. *à verſu* 12. *ad verſum* 20. 110
Cap. XX. *verſ.* 20, 21. ibid.
Cap. XXI. *ad verſum* 17. 111
Cap. XXI. *à verſu* 17. *ad finem.* 112
Cap. XXII. *verſ.* 1. 113
Cap. XXII. *à verſu* 3. *ad finem.* 114
Cap. XXIII. *ad verſum* 29. ibid.
Cap. XXIII. *verſ.* 29, 30. 116
Cap. XXIII. *verſ.* 31, 32, 33, 34, 35. ibid.
Cap. XXIII. *verſ.* 36, 37. ibid.
Cap. XXIV. *verſ.* 1. 118
Cap. XXIV. *poſterior pars verſus* 1. *&* *verſ.* 2, 3, 4. 120
Cap. XXIV. *verſ.* 5, 6, 7. 121
Cap. XXIV. *verſ.* 8, 9. ibid.
Cap. XXIV. *à verſu* 10. *ad verſum* 17. 122
Cap. XXIV. *verſ.* 17, 18, 19, 20. ibid.
Cap. XXV. *verſ.* 1, 2. 124
Cap. XXV. *à verſu* 2. *ad verſum* 20. 126
Cap. XXV. *verſ.* 20, 21. 127
Cap. XXV. *verſ.* 22, 23, 24, 25. 129
Cap. XXV. *verſ.* 6. ibid.
Cap. XXV. *verſ.* 27, 28, 29, 30. 132

I LIBER CHRONICORUM.

Cap. I. *verſ.* 32, 33. 15
Cap. I. *à verſu* 34. *ad finem.* 19
Cap. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. 130
Cap. IV. *à verſu* 34. *ad finem.* 110
Cap. V. 99 col. 2.
Cap. VII. *verſ.* 21, 22, 23. 23
Cap. X. 59
Cap. XI. 60
Cap. XII. *à principio ad verſum* 8. 59
Cap. XII. *à verſu* 8. *ad verſum* 19. 57
Cap. XII. *verſ.* 19, 20, 21, 22. 59
Cap. XII. *à verſu* 23. *ad finem.* 61
Cap. XIII. *verſ.* 1, 2, 3, 4. 62
Cap. XIII. *à verſu* 5. *ad finem.* ibid.
Cap. XIV. ibid.
Cap. XV. *à principio ad verſum* 15. ibid.
Cap. XV. *à verſu* 15. *ad finem.* 63
Cap. XVI. ibid.
Cap. XVII. XVIII. Pag. 63
Cap. XIX. 64
Cap. XX. *à verſu* 1. *ad hæc verba*, Et Joab percuſit Rabbam, &c. ibid.
Cap. XX. *verſ.* 1. Percuſſitque Joab Rabbam, & deſtruxit eam; *&* *verſ.* 2, 3. 65
Cap. XX. *à verſu* 4. *ad finem.* 68
Cap. XXI. 69
Cap. XXII. *verſ.* 1, 2, 3, 4, 5. 70
Cap. XXII. *à verſu* 6. *ad finem.* ibid.
Cap. XXIII. *verſ.* 1. ibid.
Cap. XXIII. *à verſu* 2. *ad finem.* 71
Cap. XXIV. XXV. ibid.
Cap. XXVI. XXVII. XXVIII. *&* XXIX. *uſque ad verſum* 26. 72
Cap. XXIX. *verſ.* 26, 27, 28, 29, 30. ibid.

II LIBER CHRONICORUM.

Cap. I. *ad verſum* 14. 73
Cap. I. *verſ.* 14, 15, 16, 17. ibid.
Cap. II. ibid.
Cap. III. IV. 74
Cap. V. VI. *&* VII. *ad verſum* 11. 75
Cap. VII. *à verſu* 11. *ad finem.* ibid.
Cap. VIII. ibid.
Cap. IX. *à principio ad verſum* 29. 76
Cap. IX. *verſ.* 29, 30, 31. 77
Cap. X. ibid. col. 2
Cap. XI. *ad verſum* 5. ibid. col. 2
Cap. XI. *à verſu* 5. *ad finem.* ibid. col. 1
Cap. XII. 78 col. 1
Cap. XIII. 79 col. 2
Cap. XIV. *verſ.* 1, 2. ibid. col. 1
Cap. XIV. *à verſu* 3. *ad finem.* 80 col. 1
Cap. XV. ibid. col. 1
Cap. XVI. *à verſu* 1. *ad verſum* 7. ibid. col. 2
Cap. XVI. *à verſu* 7. *ad verſum* 11. 81 col 1
Cap. XVI. *verſ.* 11, 12, 13, 14. 82 col. 1
Cap. XVII. ibid. col. 1
Cap. XVIII. 83 col. 1
Cap. XIX. XX. 84 col. 1
Cap XXI. *verſ.* 1, 2, 3, 4. 85 col. 1
Cap. XXI. *à verſu* 5. *ad finem.* 86 col. 1
Cap XXII. *ad verſum* 10. 87 col. 1
Cap. XXII. *verſ.* 10, 11, 12. 88 col. 1
Cap. XXIII. XXIV. *ad verſum* 4. 89 col. 1

Digitized by Google

Cap. XXIV. *à verſu* 4. *ad finem.* ibid. col. 1
Cap. XXV. *ad verſum* 27. 90 col. 1
Cap. XXV. *verſ.* 27, 28. ibid. col. 1
Cap. XXVI. *verſ.* 1, 2, 3, 4. 91 col. 2
Cap. XXVI. *verſ.* 5. 96 col. 1
Cap. XXVI. *verſ.* 6, 7, 8. 97 col. 1
Cap. XXVI. *à verſu* 9. *ad verſum* 16. 98 col. 1
Cap. XXVI. *à verſu* 16. *ad finem.* ibid. col. 1
Cap. XXVII. 99 col. 1
Cap. XXVIII. *verſ.* 1, 2, 3, 4. 100 col. 1
Cap. XXVIII. *à verſu* 4. *ad verſum* 16. 101
Cap. XXVIII. *à verſu* 16. *ad verſum* 26. 102 col. 1
Cap. XXVIII. *verſ.* 26, 27. 105 col. 1
Cap. XXIX. 104 col. 1
Cap. XXIX. XXX. XXXI. ibid. col. 1
Cap. XXXII. *à principio ad verſum* 24. 109
Cap. XXXII. *verſ.* 24. ibid.
Cap. XXXII. *verſ.* 25, 26. 110
Cap. XXXII. *à verſu* 27. *ad finem.* ibid.
Cap. XXXIII. *ad verſum* 11. 111
Cap. XXXIII. *à verſu* 11. *ad finem.* 112
Cap. XXXIV. *à verſu* 1. *ad verſum* 8. 113
Cap. XXXIV. *à verſu* 8. *ad finem.* 114
Cap. XXXV. *ad verſum* 20. ibid.
Cap. XXXV. *à verſu* 20. *ad finem.* 116
Cap. XXXVI. *verſ.* 1, 2, 3, 4. ibid.
Cap. XXXVI. *verſ.* 4, 5. ibid.
Cap. XXXVI. *verſ.* 7. 118
Cap. XXXVI. *verſ.* 6, 7, 8. 121
Cap. XXXVI. *verſ.* 9. ibid.
Cap. XXXVI. *verſ.* 10. 122
Cap. XXXVI. *verſ.* 11. ibid.
Cap. XXXVI. *verſ.* 11, 12, 13, 14, 15, 16. 123
Cap. XXXVI. *verſ.* 17, 18, 19, 20, 21. 126
Cap. XXXVI. *verſ.* 22, 23. 135

LIBER EZRÆ. ibid.

Cap. I. ibid.
Cap. II. ibid.
Cap. III. ibid.
Cap. IV. 136
Cap. V. *verſ.* 1. 139
Cap. V. *à verſu* 3. *ad finem.* 140
Cap. VI. *ad verſum* 14. ibid.
Cap. VI. *à verſu* 14. *ad finem.* ibid.
Cap. VII. VIII. 141
Cap. IX. X. ibid.

LIBER NEHEMIÆ, totus.

Cap. I. *ad verſum* 7. Capitis XIII. 142
Cap. XIII. *à verſu* 7. *ad finem.* ibid.

LIBER ESTHERÆ.

Cap. I. 137
Cap. II. ibid.
Cap. III. ibid.
Cap. IV, & V. 138
Cap. VI. VII. ibid.
Cap. VIII. IX. ibid.
Cap. X. ibid.

LIBER JOBI. 24

LIBER PSALMORUM. 71

Pſalm. II. 77
Pſalm. III. 66
Pſalm. IV. 67
Pſalm. VII. 66
Pſalm. IX. 55
Pſalm. XVIII. 68
Pſalm. XXX. 67
Pſalm. XXXIV. 57
Pſalm. XLII. XLIII. 67
Pſalm. LI. 64
Pſalm. LII. 57
Pſalm. LIV 58
Pſalm. LV. 67
Pſalm. LVI. 56
Pſalm. LVII. 58
Pſalm. LVIII. ibid.
Pſalm. LIX. 56
Pſalm. LX. 63
Pſalm. LXIII. 58
Pſalm. LXVIII. 62
Pſalm. LXXXVIII. & LXXXIX. 24
Pſalm. XC. 35
Pſalm. XCVI. 63
Pſalm. CV. ibid.
Pſalm. CVI. ibid.
Pſalm. CVIII. 63
Pſalm. CXXXII. 62
Pſalm. CXXXVII. 130
Pſalm. CXLII. 57

LIBER PROVERBIORUM. 75

LIBER

LIBER ECCLESIASTÆ. ib.

CANTICUM SALOMONIS, ſive Canticum Canticorum. 76

PROPHETIA ESAJÆ.
Cap. I. 97
Cap. II. III. IV. ibid. col 2
Cap. V. 98 col. 1
Cap. VI. 99
Cap. VII. 100
Cap. VIII. ibid.
Cap. IX. ibid.
Cap X. XI. XII. XIII. & XIV. *ad verſum* 28. 103
Cap. IV. *à verſu* 28. *ad finem.* 105
Cap. XV. XVI. 106
Cap. XVII. 101
Cap. XVIII. XIX. 106
Cap. XX. ibid.
Cap. XXI. 107
Cap. XXII. ibid.
Cap. XXIII. 110
Cap. XXIV. XXV. XXVI. XXVII. XXIX. 107
Cap. XXVIII. 101
Cap. XXX. XXXI. 108
Cap. XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. ibid.
Cap. XXXVI. & XXXVII. 109
Cap. XXXVIII. ibid.
Cap. XXXIX. 110
Cap. XL. XLI. &c. *ad Libri finem.* ibid.

PROPHETIA JEREMIÆ. 113
Cap. I. 114
Cap. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. IX. X. XI. XII. 115
Cap. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. XX. & XXII. *ad verſum* 24. 116
Cap. XXI. 125
Cap. XXII. *à verſu* 24. *ad finem.* 121
Cap. XXIII. ibid.
Cap. XXIV. 122
Cap. XXV. 119
Cap. XXVI. & XXVII. *ad verſ.* 12. 117
Cap. XXVII. *à verſu* 12. *ad finem.* 122
Cap. XXVIII. ibid.
Cap. XXIX. XXX. XXXI. 122
Cap. XXXII. XXXIII. XXXIV. 125
Cap. XXXV. 120
Cap. XXXVI. *ad verſum* 9. 119
Cap. XXXVI. *à verſu* 9. *ad finem.* 120
Cap. XXXVII. 125
Cap. XXXVIII. 126
Cap. XXXIX. *verſ.* 2. 124
Cap. XXXIX. *verſ* 2. *ad verſum* 15. 126
Cap. XXXIX. *verſ.* 15, 16, 17, 18, ibid.
Cap. XL. *ad verſ.* 9. 127
Cap. XL. *à verſu* 7. *ad finem.* 129
Cap. XLI. ibid.
Cap. XLIII. XLIV. ibid.
Cap. XLV. 119
Cap. XLVI. XLVIII. & XLIX. *ad verſum* 34. ibid.
Cap. XLVII. 125
Cap. XLIX. *à verſu* 34. *ad finem.* 122
Cap. L. LI. ibid.
Cap. LII. *verſ.* 1, 2, 3. ibid.
Cap. LII. *verſ.* 4, 5. 124
Cap. LII. *verſ.* 5. *ad verſum* 28. 126
Cap. LII. *verſ.* 28. 121
Cap. LII. *verſ.* 26, 27, 28, 29. 127
Cap. LII. *verſ.* 30. 130
Cap. LII. *verſ.* 31, 32, 33, 34. 132

THRENORUM LIBER. 127

PROPHETIA EZECHIELIS. 123
Cap. I. II. III. IV. V. VI. VII. ibid.
Cap. VIII. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. XV. XVI. XVII. XVIII. XIX. ibid.
Cap. XX. XXI. XXII. XXIII. 124
Cap. XXIV. ibid.
Cap. XXV. 125
Cap. XXVI. XXVII. XXVIII. 126
Cap. XXIX. *ad verſum* 17. 125
Cap. XXIX. *à verſu* 17. *ad finem.* 131
Cap. XXX. *ad verſum* 20. ibid.
Cap. XXX. *à verſu* 20. *ad finem.* 126
Cap. XXXI. ibid.
Cap. XXXII. 130
Cap. XXXIII. ibid.
Cap. XXXIV. XXXV. XXXVI. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. ibid.
Cap. XL. XLI. XLII. XLIII. XLIV. XLV. XLVI. XLVII. XLVIII. 131

Digitized by Google

PROPHETIA DANIELIS.
Cap. I. *ad verſum* 8. 118
Cap. I. *à verſu* 8. *ad verſum* 18. ibid.
Cap. I. *à verſu* 18. *ad finem.* 120
Cap. II. III. IV. 131
Cap. V. 132
Cap. VII. ibid.
Cap. VIII. 134
Cap. IX. ibid.
Cap. X. XI. XII. 137

PROPHETIA HOSEÆ.
Cap. I. II. III. IV. 92
Cap. V. VI. 102
Cap. VII. VIII. IX. X. XI. XXII. XIII. XIV. 105

PROPHETIA JOELIS, tota. 94

LIBER AMOSI, totus. ibid.

PROPHETIA OBADJÆ. 95

LIBER JONÆ, totus. 96

PROPHETIA MICHÆ.
Cap. I. II. 99
Cap. III. IV. V. VI. VII. 108

PROPHETIA NAHUMI, tota. 109

PROPHETIA HABAKUKI, tota. 112

PROPHETIA ZEPHANJÆ, tota. 115

PROPHETIA HAGGAI.
Cap. I. 139
Cap. II. *ad verſum* 10. ibid.
Cap. II. *à verſu* 10. *ad finem.* 140

PROPHETIA ZACHARIÆ.
Cap. I. *ad verſum* 7. 139
Cap. I. *à verſu* 7. *ad finem.* 140
Cap. II. III. IV. V. VI. ibid.
Cap. VII. VIII. ibid.
Cap. IX. X. XI. XII. XIII. XIV. 141

PROPHETIA MALACHIÆ. 143

PAUCÆ

PAUCÆ AC NOVELLÆ OBSERVATIONES

Super

LIBRUM GENESEOS;

Quarum pleræque certæ; cæteræ probabiles ſunt; omnes autem innoxiæ, ac rarò anteà auditæ.

Digitized by Google

Comitatus

STAFFORDIENSIS

Incolis, popularibus chariſſimis; cæteriſque in urbe *Londinenſi* amicis,

Corpus ſanum, animum ſuâ ſorte contentum, & proſperitatem æviternam.

Pauca hæc Collectanea (præſtantes ac merito honorandi Amici & Populares) ubi primum naſci cæperunt, nullo ſpeciali conſilio vel ſtudio fuerunt compoſita; ortum enim ſuum occaſioni alterius operis debent. Nam dum aliquot jam annos deſudo in ſtruendâ Harmoniâ quatuor Euangeliſtarum (quâ oſtenditur eorum inter ſe, cumque Veteri Teſtamento convenientia) inque expoſitione ſenſus ac dictionis eorum; & dum in eum finem Vetus perlego Teſtamentum ſtudio quam poſſem intenſiſſimo, ad opus illud promovendum; factum eſt ut has obſervationes, (aliaſque ſimiles ſuper Libros reliquos) velut aliud agendo colligerem, quas animadvertebam, anteà aut rarò admodum, aut à nullo prorſus fuiſſe obſervatas. Opus illud, unde hoc enatum eſt, jam prorepere inciperet in conſpectum publicum, modò ars typographica tam fæcunda mater eſſet ejuſmodi Librorum, ac eſſe antea ſolebat. Exiguas intereà has ſtricturas, quæ ab incude illâ excuſſæ ſunt, donum deſtinavi humaniſſimæ veſtræ benevolentiæ; partim quidem ut extaret pignus affectus mei atque obſervantiæ erga tam præſtantes amicos; partim verò, ſi brevitas harum Collectionum (quas conatus fui conſtringere intra tam anguſtum ambitum, ut formâ congruerent ad ejuſmodi Libros, qui jam typis deſcripti ſunt; volumina enim his majora emptorem non inveniunt) progigneret ſcrupulum aliquem vel dubium, ut ſciretis ubi Author poſſet inveniri, atque ita amplius vobis ſatisfieret. Si Scriptum hoc facilem commemque acceſſum ſit habiturum, futurum expectate ut plura ejuſdem commatis, quæ jam prelo ſunt parata, in luce publica compareant, juxta ordinem ſequentium Librorum, prout horum temporum ratio eos ordine per typos poterit exhibere.

Aug. 25. 1642.

Vobis ad omne officium paratiſſimus,

JOHANNES LIGHTFOOTE.

PAUCÆ

Digitized by Google

PAUCÆ AC NOVÆ OBSERVATIONES
Super
LIBRUM GENESEOS

CAP. I.

SCriptura, verbum cognitionis, principium ducit ab Hiſtoriâ Creationis; primò, quia primus gradus ad cognitionem Dei eſt per Creaturam, *Rom.* 1:20. Secundò, Hiſtoria Creationis aſſerit juſtitiam Dei, loca habitationis Nationibus tribuens ac mutans, prout ipſi placet; quandoquidem Terra eſt illius, atque ipſe fecit illam. Tertiò, Reſurrectio docetur per Creationem, & finis mundi ab ipſo ejus principio; Deus enim, qui, quod nunquam fuerat, fecit ut exiſteret, multo magis facere poteſt ut exiſtat, quod antè fuit; ſcilicet hæc noſtra corpora. Cœlum ac Terra, centrum & circumferentia, uno momento ſimul ſunt creata; & nubes aqua plenæ (non quales oriri videmus ex collectis vaporibus; ſed, quæ *Gen.* 7:11. 2 *Reg.* 7:19. *Mal.* 3:10. appellantur *Feneſtræ* ſive *Cataractæ Cæli*) factæ eodem cum iis inſtanti, *verſ.* 2. Terra aquis jacebat obruta, neque acceperat hactenus perfectionem ſuam, decorem atque ornatum: & vaſtum illud vacuum, quod erat inter convexum harum aquarum & concavum nubium, completum erat veluti magna atque craſſâ caligne: Spiritus verò Dei movebat cœlos a primo momento, quo creati ſunt, motu circulari, ſupra & circum terram & aquas, ad fovendas & conſervandas eas in recenti ortu, *verſ.* 3. Horas duodecim cœli ad eum modum in tenebris circumacti fuerant: & tunc, jubente Deo, lux apparuit in ſuperiore *Horizonte*, eo nimirum ubi *Eden* debebat plantari; (nam illius præcipue loci gratiâ narratio contexta eſt) ibique horis alteras duodecim lucem præbuit, declinans per gradus cum motu cœlorum ad alterum *Hemiſphærium*, ubi itidem duodecim horas luxit; atque ita primus dies naturalis eâ mundi parte longus erat horas triginta ſex; cui æqualis fuit dies *Joſuæ*; *Joſ.* 10. & tempus, quo Servator morte fuit obnubilatus.

Verſ. 6. Quando lux occidere incipiebat in *Horizonte Edenis*, & veſpera vel nox diei ſecundi advenerat, juſſit *Deus* ut Aër expanderetur loco illius vacui, quod medium erat inter aquas ſuper Terram & aquas in nubibus. Hoc verò horis viginti quatuor perfectum erat; ita ut Aër motione Cœlorum per totum univerſum fuerit expanſus. In hoc diei ſecundi opere non dictum eſt; quemadmodum in reliquis, *vidit Deus id eſſe bonum*; quia, cum opus hujus diei fuerit circa ſeparationem aquarum, illæ omnino receſſerant, donec aquæ, quæ terram obtegebant, eſſent derivatæ in ſuos canales; quod tertio demum die eſt factum. Tunc verò bis eſt dictum, *vidit Deus id eſſe bonum*; ſemel ob plenam ſeparationem aquarum, & iterum ob inditam ſolo fæcunditatem.

Verſ. 9. In aëre recens creato Dominus tonuit, & aquas increpuit, *Pſalm.* 104:7. ſic ut proriperent ſe fugerentque verſus Occidentem in canales illos, quos iis Dominus deſtinaverat. Dum verò illæ aufugiebant, & arida apparuit, terra continuò produxit arbores & plantas ſpeciebus ſuis diſtinctas: quæ quidem productio tantum illarum ſubſtantiam ſpectabat; viror enim atque maturitas non niſi ſexto die extitit. Ita nunc *Eden* inſtructus eſt omnigenis arboribus, eſui ac voluptati aptis; quæ creato *Adamo* folia ferebant & fructus.

Verſ. 14. Luna & ſtellæ aliquæ creatæ ante Solem. Lucebat illa totam noctem diei quarti pleno orbe; Sole autem tempore matutino apparente, lux ejus erat aucta; quanquam corpus illius à Mundo fuit obſcuratum uſque ad veſperam diei ſexti, qui dies ejus primus fuit, & falcatam ſuam faciem oſtendit *Adamo*; qui eo tempore è tenebris ſui lapſus modò reſtitutus erat per ſplendorem promiſſionis.

Verſ. 21. Ceti ſoli nominati ex omni brutorum genere, ut oſtenderetur, viventium creaturarum maximas minimè potuiſſe ſeipſas producere.

Verſ. 25. Beſtiæ feræ & cicures creatæ, & omne genus reptilium, quibus Mundus, quâ parte *Eden* erat, inſtructus fuit, æquè ac hominibus. Beſtiæ mundæ creatæ ſunt ſeptenæ, tria paria ad prolem, & reliquæ ſingulæ *Adamo* in ſacrificium poſt lapſum: at immundæ tantummodò binæ, ad generis propagationem.

Verſ. 26. Homo per Trinitatem creatus circiter horam diei tertiam, ſive, appellatione noſtrâ, nonam antemeridianam.

CAP. II.

TRes primi verſus, qui agunt de inſtitutione Sabbathi, temporis proprii ordine referri debent ad finem Capitis tertii.

Verſ. 4. &c. Mane diei ſexti nebula, quæ è terra aſcenderat, per pluviam vel rorem in terram iterum decidit, eamque irrigavit: qua irrigatione factum eſt ut arbores & plantæ ad maturitatem brevi provectæ fuerint. Hic ros fuit cauſa quaſi naturalis; cæterum effectus, properæ productionis reſpectu, inter valdè ſupernaturalia eſt habendus.

Verſ. 7. E pulvere ad eum modum irrigato *Deus* creavit corpus viri, quò Pſalmiſta alludit, *Pſalm.* 110: 3. *Ros juventæ tuæ*; inque eam Terram ita præparatam inſpiravit ſpiritum vitæ & Gratiæ, *Eph.* 4: 24.

Verſ. 10. *Eden* irrigatus fuit à flumine in eum exundante ſemel quotannis; inſtar *Nili* & *Jordanis*, *Gen.* 13: 10. Ubi *Adam* ſic creatus, & Creaturarum dominus conſtitutus erat, Dominus ipſe ad illum creaturas adducit, ut acciperent ab ipſo nomina: quæ iis dedit naturæ ſingulorum convenientia, idque ad primum conſpectum; demonſtrans unà dominium ſuum in illas, & ſapientiæ excellentiam. Inter eas omnes nullam ſibi comparem conſpicit: ſed quia omnes eſſe conjugatas videt, & binas ad ſe accedere, tactus eſt ſenſu deficientis ſociæ. De qua itaque illi à Deo proviſum eſt, è corpore ipſius viri, nempe è coſta, qua parte facillimè poſſet carere. Et ſic finitur Creatio creatione mulieris.

CAP. III.

MUlier rata eſſe bonum Angelum qui loquebatur è corpore *Serpentis*, cum Diabolo colloquium inſtituit; qui cum animadverteret ipſam ſimul ad Mandatum, quod ei injunctum erat, addere & ab eo demere nonnulla, ad impudentiam eo majorem tentandæ illius provehitur, eamque ſeducit *cupiditate carnis & cupiditate oculorum & faſtu vitæ, ut* 1 *Joh.* 2: 16. Ipſa porro perſuadet marito: atque ita ambo ceciderunt eo ipſo die, quo fuerant creati, *Gen.* 3. *verſ.* 1, 2, 3. *Pſalm.* 49: 13.

Chriſtus promittitur antequam vir & mulier increpantur; etiam hi prius examinantur, quam ſententia in illos fertur; quod in Satana locum non habuit: illis enim Deus miſericordiam repoſuerat, huic non item. Maledictio non incumbit viro ipſi, ſed Terræ, ut doceretur deſideria ſua rebus ſuperis affigere, non verò maledicto ſolo; neque præ oculis habere Regnum Chriſti terrenum in hac Terra, quam Deus maledixerat.

Adam per fidem promiſſionem apprehendit & amplectitur, inque ejus fidei documentum appellat uxorem *Evam*, id eſt *vitam*, quia futura erat mater Chriſti quoad carnem, per quem vita afferretur; atque omnium credentium, qui per fidem viverent in ipſo. Ad cujus fidei magis perſpicuum ſignum & ſigillum, & ad pleniorem atque efficaciorem illius expreſſionem, Deus illum docet ſacrificandi ritum, ut Chriſtum morientem collocaret ante ipſius oculos in figura viſibili; & hoſtiarum pellibus ſui ipſius atque uxoris corpora conveſtire commonſtrat. Sicque primum quod in mundo mortuum eſt, fuit Chriſtus in figura.

Ad finem hujus tertii Capitis tres primos *verſus* Capitis II. de obſervando Sabbatho cogita adjungi; atque hiſtoriæ texturam ſuppone eſſe talem. *Adam*, poſtquam ita fuit lapſus, redargutus, iterumque erectus atque inſtitutus, & expulſus denique ex *Edene* die ſexto, diem proximum juxta mandatum Dei obſervat pro Sabbatho ſive ſancta quiete; inque ſolis Divinis officiis peragit. Ratio porrò quare id eo loco, quo videmus Cap. II. collocatum conſpicimus, partim in eo eſt ſita, quod Moſes dies ſeptem, ſive primam ſeptimanam mundi, voluit conjungere, ita ut nulla alia res interponeretur; & partim, quia oſtendere voluit, commemorando Sabbathum ante *Adami* lapſum, futurum fuiſſe, ſi perſtitiſſet in integritate, ut tamen Sabbathum ipſi eſſet obſervandum.

Dies ſeptimus ſive Sabbathum non iis, quibus cæteri dies, limitibus diſtinguitur; neque enim de eo dicitur, quemadmodum de reliquis, *Veſpera & Mane fuit dies ſeptimus*; quia futurum erat tempus, quando haberet novum principium & finem: & quanquam id *Judæis* fuit à veſpera ad veſperam; tamen ab initio illud non ita erat expreſſum.

CAP. IV.

CAin & *Abel* gemelli erant unius partus: prius autem is, qui naturalis erat, eſt natus; poſtea ille qui ſpiritualis.

Fides *Abelis* apparuit in ipſa ſacrificii materiâ, ut quæ mactatio fuit beſtiarum, atque ita repræſentatio mortis Chriſti: quam ob

ob rem cœlitus incenſa fuit; Caini verò non item, quamvis aridæ illius ſpicæ frumentariæ multò magis eſſent combuſtibiles. *Cain* & *Abel* uterque ſibi ipſis ſacerdotes fuerunt; non enim liquet, Sacrificia unquam oblata fuiſſe, niſi occaſione aliqua extraordinaria, uſque dum Lex id officium publicum conſtituit: ipſi autem, cui ejuſmodi occaſio obveniebat, liberum erat ſacerdotem agere ſibi ipſi, etiam ſub Lege, ut apparet in *Gideone*, *Manoa*, &c. itaque multo magis id ante eam permiſſum fuit.

Verſ. 7. Vocabulum *Peccati* potius videtur ſignificare oblationem vel expiationem pro peccato, quam pœnam: etenim primo, *Deus* non venit magis etiam dejecturus *Cainum*, ſed è dejectione eum erecturus, ut apparet quoque ex eo, quod oraculo è Cœlo ipſum ſit dignatus; & ex verbis etiam, quibus orditur. Secundò, ſi verba, *peccatum eſt præ foribus cubans*, ſignificationem habent ſubiti judicii, quod promptum eſſet eum devorare, quid ad hoc verba ſequentia faciunt? *Si non benefeceris, certò punieris; & fratris deſiderium tibi erit ſubjectum:* plus enim mali *miſero Abeli* comminarentur, certè æquale, ac *Caino*. Tertiò, vox Originalis חטאת, quemadmodum denotat peccatum, ita & ſacrificium pro peccato, ut *Hoſ.* 4: 8. 2 *Cor.* 5: 21. & per totum *Levitici* contextum. Et mos erat, (cui ut notiſſimo *Moſes* ſermonem accommodavit) collocare ſacrificia ad fores Sanctuarii.

Verſ. 14. *Cain* pœnâ ſuâ perculſus, cum de peccato eſſet ſecurus; petit à *Deo* quo mori ſibi liceret, quo à miſeria illa liberaretur. *Fiat itaque, ut quicunque me invenerit, occidat.* Verum denegat id illi Deus, reſervans eum punitioni longiori. *Cain* autem certior factus vitæ longævæ, dedit ſe omnigenis voluptatibus, ut eam quantum poſſet, deliniret; atque hæc eſt via *Caini*, *Jud. verſ.* 11.

Verſ. 23. *Lamech conſcientiæ horrore perculſus propter Polygamiam ſuam*, quæ jam in exemplum trahi incipiebat ad corruptionem mundi univerſalem, agnoſcit peccatum ſuum ſeptuplo gravius *Caini*; & pœnæ meritum ex proportione: *Cain* enim unum modò hominem occiderat, & ſolum ejus corpus; at ille pravo exemplo occiderat juveneſque ſeneſque, atque ipſas eorum animas. Ideoque expoſtulat de eo cum uxoribus ſuis, quæ ipſum eò induxerant.

CAP. V.

CHronica annorum 1556. qui omnes plenè computantur, excepto ſolo quingenteſimo *Noachi*, *verſ.* 32.

Verſ. 3. *Set* natus in peccato Originali: Pater omnium hominum in novo mundo poſt diluvium, *Num.* 24: 17.

Verſ. 23. *Enoch* tot annos vixit, quot dies integer annus complectitur.

Illi, qui vixerunt propius diluvio, cœlibatum diutius coluère, quia multos liberos aquis noluerunt gignere.

Verſ. 29. *Noach* conſolator, quia in eo libertas mundo danda erat edendæ carnis.

CAP. VI.

IN univerſali corruptione Mundi, *Noach octavus* in proſapia *Enochi*, cujus tempore profanitas ingruebat, ut 2 *Petr.* 2: 5. effugit abominationem & deſolationem temporum.

CAP. VII. VIII. IX.

D*Iluvium*. Beſtiæ in Arcâ vivunt citra inimicitiam; quod oſtendit ſenſum verborum *Gen.* 3: 15. de inimicitiâ cum Serpente. Serpens & *Noach* jam invicem amici ſunt. Eò alluditur *Eſaj.* 11: 6, 7. *Noach* in Arcâ commoratur *annum ſolarem completum exactè*, ſed qui in Textu computatur *menſibus Lunaribus*. *Univerſalis caligo* fuit, dum totos quadraginta dies pluit. *Oſtium Arcæ aquis merſum.* Arca aquis innabat preſſa *cubitis undecim*. Aquæ, ubi cœperant minui, quamdiu Montes ſuperabant, unum tantum cubitum quatriduo decreſcebant; ſed multò celerius poſteà. Poſt eorum ex Arcâ egreſſum per integrum dimidium annum *Noach* familiaque ejus & omnes creaturæ vitam ſuſtentarunt eo cibo, qui adhuc in Arca erat reſiduus; exierunt enim ipſo hyemis principio, quando nihil herbæ, frumenti vel fructus erat invenire uſque ad proximum ver. Interdictio de comedendâ carne unà cum ſanguine, coarguit Doctrinam de *Tranſubſtantiatione*.

CAP. X. XI.

S*Eptuaginta Nationes* diſperſæ *Babylone*, ſed non item *ſeptuaginta Linguæ*. Quindecim, memoratæ *Act.* 2 abrumpendo operi ſufficiebant; & non immeritò exiſtimari poſſunt totum numerum explere. *Sem*, quomodò conſiſtit in fronte Genealogiæ novi mundi, *neque patrem neque matrem habet* additos, *neque principium dierum nec vitæ finem*. *Naboris* vita decurtata eſt propter Idololatriam.

CAP. XII.

A*Braham* quaſi 75. annos natus accipit promiſſionem, & venit in terram *Canaanis*; & exactè *totidem* annos vixit *Sem*, poſtquam *Abraham* illuc advenerat; unde fieri poſſit ut ſit *Melchizedech*, *Cap.* 14.

Verſ. 6, 7. *Abram* extruit *Altare* proximè *montem Gerizimorum*, montem benedictionis, niſi forte ſuper ipſum montem fuerit: & *verſ.* 8. altare aliud extruit proxime *montem Ebalis*, montem maledictionis; niſi fuerit ſuper ipſum: vide *Deut.* 27. Ac ita per fidem adit poſſeſſionem terræ eodem in loco, ubi poſteri illius, Iſraelitæ, poſſeſſionem adierunt reipſi, *Joſ.* 6: 12, &c. 30.

Verſ. 11. Quando jam ingreſſurus eſt *Ægyptum*, quo fames eum pepulit, quod idem poſteritati ipſius deinceps evenit; timet, ſuæ vitæ cauſa, *Sarai*, quam, cum mulier candida eſſet, cito obſervaturi erant *Ægyptii*, homines fuſci coloris. Hæc eadem illecebra fuit Dominæ *Joſephi*, qua permota fuit illum expetere, quia ille vir eſſet candidus, ipſa verò mulier fuſca. Similis formæ fuit Filia *Pharaonis*, quam *Salomon* uxorem duxit; de quâ id primâ & literali acceptione intelligi debet, quod ſpiritualiter ad Eccleſiam eſt transferendum, *Cant.* 1: 5, 6. *Nigra ſum, at decora.* Et, *nigra ſum, quod contuitus ſit me Sol:* Tum illud *Pſalm.* 45: 13. *Tota glorioſa eſt Filia Regis intus:* externa enim facie erat fuſca.

Verſ. 17. *Pharao* plagis affectus propter *Sarain* ac *Abramum*, qui *Hebræus* erat *opilio*; mandavit *Ægyptiis*, velut legem ſanciret in tempus futurum, ne cum Hebræis exteriſve Opilionibus eam conſuetudinem haberent, ut eodem una victu uterentur; quod *Ægyptii* poſtea in perpetuum accuratè obſervarunt, *Gen.* 43: 32. & 46: 34.

CAP. XIII.

ABram *& Lot rixantur*, & digrediuntur *in valle Acboris.* Factum autem id eſt eodem anni tempore, quo Iſraël intravit in Terram, videlicet menſe anni primo, nempe *Abib.*

CAP. XIV.

NOach in benedictione filii *Semi*, ſingulari modo eum Terræ *Canaanis* Dominum conſtituit, *Gen.* 9. Itaque *Sem* huc ſe confert, & Civitatem condit, & ex indole ſuâ pacificâ nomen imponit *Salemi.* Hic regnat poteſtate Regiâ, ſed placide adeo & tranquille, ut ſimul etiam Sacerdos fuerit. Dum pater *Sem* vitam agit à curis negotiiſque mundanis vacuam, *Elamo* maximo natu filio, & hæredi proximo (quamvis in Oriente, ſede valde longinquâ, degeret) incumbebat, ad *Terram Canaanis* ſubinde reſpicere, atque attendere quo pacto Regni ſtatus ſe haberet; Terra enim ex legatione avi *Noachi* ad ipſum jure communi devolvebatur. *Hic titulus Kedorlaomerum* & hæredem *Elami* evocat è *Perſiâ* in Terram *Canaanis*, quando quinque Civitates in planitie rebellant. In hoc bellum aſciſcit tres ſocios, *minores natu Filios è domo Semi*; *Amraphelum* ex *Arphaxado*, Regem *Chaldeæ*; *Arjochum* è *Lude*, Regem *Ellaſaris*, *Babyloni* confinis; & *Tidealem* ex *Aſhure*, Regem Gentium, & nuper quoque *Ninives* conditorem. Hi quatuor, omnes filii *Semi*, & juſti vindices terræ illius adverſus uſurpationem *Canaanæorum*, conſtituunt ſocietate factâ eò expeditionem ſuſcipere, omnemque illam regionem citra ſimul & ultra *Jordanem* percurrere; quod & brevi poſtea exequuntur. Prima illorum irruptio fuit in Terram *Rephaæorum*, quæ maxime verſus Septemtrionem vergebat, & prima occurrebat: ſicque pervolitarunt *Zuzæos* in *Ammone*, *Emæos* in *Moabo*, *Horæos* ſive *Hevitas*, qui fuere *Troglodytæ*, ſive incolentes Cavernas ac Montes *Seiris* in *Edomo*, ut *Jerem.* 49: 10. *Obad. verſ.* 3. & omnes *Canaanæos* ad Vulturnum ac Meridiem uſque *Hazezonem Tamaris*, tractum infra mare mortuum. Ibi irruunt in terram *Canaananis* proprie ſic dictam. Quemadmodum vero edomuerant omnes has regiones à Septentrione verſus Meridiem ultra *Jordanem*, ita facere nunc conſtituunt à Meridie verſus Septentrionem intra *Jordanem*; quod & perficiunt. Sed quando pervenerant uſque *Danem*, extremum Terræ terminum ſeptentrionalem, *Abram* eos eſt aſſecutus, ac vincit victores. Et ſic jam duplex jus in Terram adeptus eſt, promiſſionis nempe & victoriæ. Id *Sem* ſive *Melchiſedech* obſervat, *Abramo* cum triumpho redeunte, ac intelligit, eum eſſe, atque illius poſteros, quibus Dominus terram eam per Spiritum *Noachi* propheticum aſſignaverat; rejeceratque hæredes, quibus lex communis & ratio magis favebat: ideoque *protulit panem & vinum*, *optimos Terræ fructus*, *eaque obtulit velut traditionem & poſſeſſionem illius*, ei, quem perceperat Deum elegiſſe & ſegregaſſe in verum hæredem.

CAP. XV.

OMnis metus, de vindicandâ terrâ per aliquem è filiis *Semi*, jam evanuerat, propter nuperam victoriam; niſi quod ſolus *Aram* timendus videretur, filiorum *Semi* natu minimus, cui nec vindices nec liberi ulli erant in iſto bello. Ab eo *Eliezer* deſcenderat, primarius *Abrami* ſervus. Et quoniam jus per reſignationem *Semi* devolutum erat ad *Abramum* ac hæredes illius; *Eliezer* jam proximus videbatur, ſi *Abram* ex ſe nullos liberos genuiſſet. Quando æmulatio hæc *Abramum* nonnihil turbabat, Deus quietum reddit per promiſſionem filii ex lumbis propriis, & per Fœdus, factum ſacrificio

creatura-

creaturarum omnis generis, quas offerre licebat.

CAP. XVI.

ABram certior factus de filio ex propriis lumbis (incertum an ex *Sarai*, an ſecus) aſſumit *Hagaram*, ut compos fieret promiſſionis. Illa per duritiem *Sarai* domo pulſa tendit in terram patriam *Ægyptum*; & in viâ viſionem habet Angeli Fœderis: quod demirata eſt, *viſiones* ſcilicet ſe habere extra domum *Abrami*: *ideoque vocavit illa nomen Jehovæ, alloquentis ipſam, Tu es Deus viſionis: an etiam hic mihi viſio expectanda erat*, loco tam ab *Abrami* familia diſtanti? Et puteus, ubi alloquebatur illam, vocata fuit, *Puteus viventis* (autoris) *viſionis*.

CAP. XVII.

CIrcumciſio inſtituta Hebrone, & circa Paſcha, loco & anni tempore, quo Baptiſta fuit natus, cujus miniſterio Baptiſmus in locum circumciſionis erat introducendus. *Abram* & *Sarai* circumciſi, ait *Rabbi Menahem*, velut novæ creaturæ erant, ideoque requirebant nova nomina.

CAP. XVIII.

TRes Perſonæ Trinitatis ſpecie trium virorum apparent *Abrahamo*, & cum ipſo prandent, primaque carne veſcuntur quá quiſpiam in univerſa Scriptura uſus eſſe memoratur *Abraham* ſupplicat pro *Sodomo*, uſque dum exiſtimaverat plures juſtos contineri in familia *Loti*, & tunc deſiit.

CAP. XIX.

FIlius & Spiritus Sanctus *Sodomum* veniunt, urbem deſtructuri, & jam Angeli appellantur, quia à Patre erant miſſi. *Loti* uxor *fulgure icta periit*; obriguitque & fixa eſt loco quo conſiſtebat; & quia *odoris* fuit *ſalarii* & falſi, *ſtatua ſalis* dicitur. *Sodom* deſtruitur miro igni, tantique memoria judicii ad hunc diem perdurat, nempe per aquam adeo miram: cum enim *Jordanes* ulterius ſuum exitum haberet; ab eo tempore placuit Deo, illum obſtruere, & planitiem eam convertere in fatalem paludem. *Lot duas* minimum *filias* habuit, qui igne & ſulphure *perierunt*; æque ac duas habuit quæ evaſerunt. Obſervari meretur, quam cito poſt inſtitutam circumciſionem civitates iſtæ fuerint everſæ, quæ membro eo, in quo Fœdus terræ obſignatum erat, tam horribiliter fuerant abuſi.

CAP. XX. XXI.

ABraham fugit in terram *Philiſtæorum*, ut *Iſaac* naſceretur extra terram, quæ propria *Canaan* appellatur: quod ad majus myſterium nativitatis illius pertinet. Deus ipſe venit viſibili forma, ut Cap. 18. *Sara menſuram habet Spiritus Prophetiæ duplo majorem quam Abraham*, nempe in ejicienda ancilla cum illius filio. *Salus Iſmaëlis* valde eſt *probabilis*. *Abraham* conſecrat ſaltum *Beerſebæ*, ut haberet *ſacra ligna* ad ſacrificia, æque ac ſacrum ignem.

CAP. XXII.

ABraham tranſit *decem tentationes*, quarum ultima & maxima eſt oblatio filii.

CAP. XXIII.

QUando ſol *Rebeccæ* ortus eſt Capite præcedenti, *Saræ* hoc Capite occidit. Primum veſtigium, & quicquid ſoli *Abraham* in terra *Canaanis* poſſidet, locus eſt ad ſepulturam; qua ipſa re Deus illum ac illius poſteros monuit, præ oculis habere ſpiritualem promiſſionis partem.

CAP. XXV.

QUo tempore *Abraham* duxerit *Keturam*, incertum eſt. Textus id conjugio *Iſaaci* ſubjicit, quia conveniebat, *Abrahami* actus, qui aliquantum ad promiſſionem pertinerent, ſimul omnes abſolvi, ante alia, quæ vel nihil vel parum huc facerent. Verum duxiſſe *Abrahamum* hanc mulierem, diu ante *Iſaaci* conjugium vel mortem *Saræ*, probabile eſt ob haſce conjecturas. I. Mirum ipſi viſum fuerat, filio augeri anno ætatis centeſimo; ideoque veriſimile non eſt, iniſſe matrimonium, cum annos natus eſſet centum & quadraginta. II. *Cap.* 24. *verſ.* 36. quando famulus iverat quæſitum *Iſaaco* conjugem, firmat is, *Abrahamum* dediſſe *Iſaaco* omnia quæ haberet; quod fruſtra fuiſſet dictum, ſi nullos præterea liberos habuiſſet præter *Iſmaëlem*, qui pridem ex domo ejus fuerat egreſſus.

Abrahami diſpoſitio, mittentis filios in terras Orientales, ſive *Arabiam*, non ex uſurpatione, ſed ex juſto belli titulo fuit, *Cap.* 14. Omnes hæ regiones ad terram *Canaanis* & promiſſionem pertinebant, ideoque in iis collocati ſunt circumciſi, loco *Canaanæorum*.

Poſtquam textus recenſuit filios *Abrahami*, eorumque ſedes; ipſum atque *Iſmaëlem* deducit ad ſepulchra ſua. Non quod mortui fuerint ante nativitatem *Jacobi* & *Eſavi*, ſicuti

 textus

textus collocat; *Abraham* enim vixit ad annum eorum decimum quintum; *Iſmaël* autem ad annum eorum climactericum, ſive ſexageſimum tertium. At *Moſes* jam nihil amplius de iis habebat dicendum; ideoque illorum hiſtoriam ſimul concludit. *Eſau* natus eſt totus hirſutus, hœdi inſtar, colore non niſi ruſo; ideoque *Eſavum* appellarunt, id eſt, *Factum*, ut qui jam perfectus eſſet, haberetque ab ipſa nativitate barbam & pubem.

Anno calamitoſo propter incumbentem terræ famem, *Eſau jus primogeniti vendit ex penuria cibi.*

CAP. XXVI.

FAmes, quæ cauſa fuit *Eſavo*, primogeniti jus conferendi in aliud caput; cauſa *Iſaaco* fuit ſeipſum conferendi in aliam terram, extra terram *Canaanis*. *Philiſtæi* (*Afri* ſtirpe, *Gen.* 10:14. & fuſco colore iis ſimiles) pulchritudinem *Rebeccæ* mulieris candidæ ſine mora deprehenderunt.

CAP. XXVII.

I*Saac*, ubi attigiſſet ætatem annorum 137. qua pater ejus *Iſmaël* deceſſerat, mortem propriam meditari ſeque ipſum ad eam præparare incipit. Emittit *Eſavum venatum* cauſa ferinæ, cogniturus inde, ipſine benediceret an non: nam non capiendo prædam antea, amiſerat benedictionem; & ſi hodiè quoque conſimiliter non caperet, futurum illud erat ſignum certum, amittendi ipſam benedictionem: atque ita, quamvis *Iſaac* benedictionem majorem ex improviſo in *Jacobum* contuliſſet, attamen quando *Eſau* domum revertitur cum ſucceſſu captæ prædæ, videt eſſe voluntatem Dei, ut aliquam adipiſceretur benedictionem; & ſic ei quoque benedixit. *Eſavi* veſtes, in quibus *Jacob* obtinuit benedictionem, *erant veſtes Sacerdotales*, quæ ad primogenitum pertinebant.

CAP. XXIX. XXX.

J*Acob robore præſtat tribus viris*, ac devolvit ſolus de ore putei lapidem, quod vis eorum omnium ſimul juncta efficere haud potuerat. Deceptus eſt à *Labane* per perſonam ſubornatam, & amplexatus eſt *Leam*, cum ſe *Rachelam* amplecti crederet; ut patrem ſuum deceperat per perſonam ſubornatam, *Eſavum* ſe eſſe ſimulans, cum eſſet *Jacob*. Servivit cum difficultate *per ſeptimanam nuptialem*, & adfert aliis lætitiam, ſibi verò laborem. *Joſeph*, *Zebulon*, & *Aſer* eodem tempore fuerunt in uteris ſuarum matrum; at *Joſeph* poſtremus eſt in lucem editus. *Dina* hoc ſeptennio non eſt nata, niſi gemella fuerit cum *Zebulone*. *Reuben* anno ætatis circiter quinto, dum meſſores conſequitur, incidit in Mandragoram; & ejus poma defert ad matrem: quo vili pretio *Jacob* quodammodo ad tempus venditus eſt à *Rachela*.

CAP. XXXI.

R*Achel* ſuffuratur *Labanis Teraphim in civilem uſum*; ad conſervandam memoriam quorundam ex majoribus ſuis, quorum erant imagines, & quas *Laban* impiè converterat in Idola.

CAP. XXXII.

J*Acob*, cum *Eſau* jam appropinquaret, *de promiſſis Dei adeo diffidit*, ut ei mittat ſupra quingentas omnis generis beſtias, quarum decimas Domino voverat: quas priuſquam ſolveret, Dominum in via obvium habet; *à quo in periculo fuit ut interficeretur*: ſed per preces & ſupplicationem apud Dominum prævalet, atque evadit; tantum claudo crure. Hæc *Jacobi* læſio non eſt habita pro defectu: ſed, ut cicatrices honorificæ virorum fortium, magnæ dignitati imputata fuit. Nam *Bethele* munia Sacerdotis exercet, ad quod officium, ſi claudicatio ejus habita eſſet pro defectu, ipſe fuiſſet ineptus. Ipſius poſteritas in omne ævum honorificam memoriam hujus læſionis ſervat, non edendo nervum, qui emarcuit. *Prima* hæc eſt *ceremonia*, qua *Iſraël* velut peculiaris populus diſtinctus fuit, quia ob hanc *Jacobi* læſionem *Jacob* primum eſt inſignitus nomine *Iſraëlis*. Circumciſio eos non diſtinxit à reliquo *Jacobi* ſemine ex *Hagara* & *Ketura*; ſed *diſtinctio hæc cibi Judaiſmum primum incboat. Non abſtinebant ab eſu membri*, in quo iſte nervus inerat, velut femore ovillo aut bubulo; femora enim agnorum Paſchalium edi debebant, *Exod.* 12:10. *ſed nervo pepercerunt*: atque illud ipſum non *ex abominatione* & deteſtatione, ſed *honoris cauſa* & ſingularis reverentiæ, quia gerebat monumentum impoſiti primum *Iſraëlis* nominis. Portio cibi, quam *Elkana* attribuebat dilectæ ſuæ *Hannæ* מנה אחת אפים *portio repræſentationis*, non incommodè de hoc membro intelligi poteſt: atque eandem cibi partem ſervari juſſerat *Samuel* in honorem *Saulis*: *Coquus depromſit femur*, 1 *Sam.* 9:24.

CAP. XXXIII. XXXIV.

S*Ichem Hivvæus* ſtirpe, *Cap.* 34:2. *Amoræus eſt* domicilio, *Cap.* 48:22. Sic *Ana Hivvæus* eſt ſtirpe, *Cap.* 36:2. *Beëri* domicilio

cilio *Hitthæus* uno loco, *Cap.* 26:34. domicilio *Horæus* eſt in alio, *Cap.* 36:30,24.

Juda tempore lanienæ non erat Sechemi, ſed *Chezibi* propè terminos Philiſtæorum, ubi uxorem duxerat, & domicilium habebat, loco multis milliaribus inde remoto.

CAP. XXXV.

P*Roſelyti Sechemi admiſſi ad Jacobi familiam per Baptiſmum*; circumciſio enim *Sechemitis* facta fuerat mortifera.

Benjamin natus virtute promiſſionis, verſ. 11. *Jacobum* enim vigor generandi naturalis jam defecerat; quamobrem merito nomen ei fecit *Benjamin*, *Filius dextræ*.

CAP. XXXVI.

MIra immutatio nominum in hoc Capite, ſi cum Capitibus aliis compares. *Judith Cap.* 26: 34. hic appellatur *Aholibama* ob Idololatriam illius. *Ana* illius pater, *Cap.* 36:2. & ſtirpe *Hivvæus*, dicitur *Beeri Hitthæus*, *Cap.* 26: 34 quia inter *Hitthæos* degebat circa *Beer-Lachai-Roi*. *Baſmath*, *Cap.* 26: 34. hoc loco eſt *Ada*, ad oſtendendum, matrimonia *Eſavi* Deo diſplicuiſſe. *Mahalath* eſt *Baſmath*, ut oſtenderetur conditio *Canaanæa* filiæ *Iſmaelis*.

Compara hanc genealogiam hoc Capite cum eâdem, prout 1 *Chron.* 1. exhibetur. *Timna* denique, quod hic nomen eſt fœminæ, & *concubinæ viri*, iſtic ponitur *pro viri illius filio*: Scriptura namque in hiſtoriis notis ſtrictim agit.

CAP. XXXVII.

EXpeditis, quæ ad *Eſavum* pertinebant, dolorem fratris ſui, quique primogeniti jus propria culpa amiſit; tranſit textus ad *Joſephum*, fratribus ſuis exoſum, & qui jus primogeniti obtinuit culpa alterius. Ille paſcens greges cum fratribus ſuis, ſocietatem init cum filiis ancillarum: filii enim *Leæ* haud magnam horum vel illius curam habebant. Inter eos, ubi ſe exiſtimarat in pretio eſſe futurum, duritiem eſt expertus: eum enim ceu ſervum vel famulum habebant, והוא נער, *& ſervus erat cum filiis Bilhæ & Silpæ*, *verſ.* 2. Hanc fratrum inhumanitatem, ipſe patri retulit; qui eam ob cauſam illi *veſtem* faciebat *verſicolorem*, *tanquam pignus juris primogeniti*, quod pater in illum cogitabat conferre, ut fratres illum tanto pluris facerent: verum ea ipſa res majus illi odium conflavit. *Reuben* ſolus alia mente fuit, bonumque ejus quærebat; quamvis jus primogeniti ab ipſo in *Joſephum* eſſet tranſlatum; quod argumento eſt, inceſtuoſum hominem facti pœnituiſſe, & ſanctis cogitationibus fuiſſe imbutum.

CAP. XXXVIII.

J*Uda* punitus in propriis liberis & in propria pudicitia propter venditionem ſui juſti fratris. Uxorem duxerat octo ferè annis priuſquam *Joſeph* venderetur, quando annum duodecimum non exceſſerat, ſi modò eam ætatem jam erat aſſecutus. Idcirco verba in principio Capitis, *per id tempus*, non tam reſpiciunt exactum tempus connubii *Judæ*, quam flagitium *Eri* & *Onanis*, quod contigit non diu poſt venditionem *Joſephi*; ſicque ob oculos ponit retributionem in liberis pro venditione ſui juſti fratris.

CAP. XXXIX. XL. XLI.

J*Oſeph* in ſervi conditionem redactus. Fuſca illius domina capitur deſiderio formæ ejus & candidæ faciei. Per interpretationem ſomniorum alienorum exaltatur, quemadmodum expoſitione propriorum venditus erat ad calamitatem. *Pharao* novum ei indit nomen, *Zophnat-Paanea*, petitum à Deo illorum oraculari *Baal Zephon*.

CAP. XLII.

J*Oſephi* verba חי פרעה *verſ.* 15, 16. non ſunt juramentum per creaturas, ſed precatio pro *Pharaonis* vita: *ita vivat Pharao*; *ut vos eſtis exploratores*. Quemadmodum *Lev.* 25: 36. hæc explicatio comprobatur.

CAP. XLVII

P*Harao*, qui nunquam viderat virum tam annoſum, ac *Jacob* eſſet, neque tam gravem capite vel canum barbâ; præ admiratione id unum ex eo quærit, quot annos eſſet natus.

CAP. XLVIII.

JUs primogeniti, quod *Jacob* deſtinarat *Joſepho* ante ejus venditionem, tum collatum illi ac confirmatum fuit, quando *Ephraim* ac *Manaſſe* pro filiis ab illo adoptabantur, tanquam *Reuben* & *Simeon*; indeque *Ephraim* inter Tribus dignitatem primogeniti obtinuit, unde *Moſes Joſuam eligit*, virum ex illâ tribu, quo duce populus in terram *Canaanis* ingrederetur.

CAP.

Digitized by Google

CAP. XLIX.

J*Acob unicuique Tribuum benedicit*, *verſ.* 28. Ideoque in verbis ejus, quæ ad *Simeonem*, *Reubenem* & *Levi* pertinent, quibuſque maxima ineſt acerbitas, aut benedictionem invenire neceſſe eſt, aut ſenſum perdere. Verba illius etiam ſunt *de eventibus futuris* Tribuum, æque vel magis ac duodecim Patriarcharum qui ante illum ſtabant, *verſ.* 1. Jactis hiſce fundamentis ad intellectum extremorum ejus verborum, ut ea ſupponere neceſſe eſt, liceat nobis exponere quædam ex iis, quæ præcipuam difficultatem habent, prout conſtructio Grammatica & fides hiſtorica feret.

Verſ. 3. *Reuben tu es primogenitus meus, vis mea, & principium roboris mei.* Superſunt *reliquiæ dignitatis* pro te, *& reliquiæ roboris:* nam vox יתר id in Bibliis ſæpe ſignificat. Et ſic *Reubeni* collata eſt dignitas præcedendi in bellis *Canaanis*, *Joſ.* 4: 12. Sic etiam ei *reliquiæ roboris* fuerunt in eo, quod limitanei eſſent contra *Hagarenos*, 1 *Chron.* 5: 10.

Verſ. 4. *Inſtabilis ut aqua* in ambiendo Sacerdotio; *Num.* 16: 1, 2. & in recuſanda terrâ promiſſionis, *Num.* 32. אל תותר, *Ne relinquas reliquias* inſtabilitatis tuæ, &c.

Verſ. 5. *Simeon & Levi ſunt fratres:* מכרותיהם, *negotiationes ipſorum ſunt inſtrumenta crudelitatis:* prætextu enim de pactione cum *Sichemo* uſi ſunt ad conſilium ſuum ſanguinarium perficiendum.

Verſ. 6. *Nam in irâ ſuâ interfecerunt virum, tanquam conſtituiſſent pro arbitrio ſuffraginem bovis incidere.* Etenim circumciſione uſi erant velut medio ad ſubigendos atque occidendos homines, quaſi abſcindere voluiſſent nervos bovis, ut eum pro libitu edomarent.

Verſ. 13. *Zebulon ad portum Marium habitabit*, habiturus Mare *Galileæ*, ſive lacum *Genezaret* ad Orientem; Mare verò *Phœnicium*, ſivè *Mediterraneum* ad ventum Caurum.

Verſ. 14. *Iſſachar eſt aſinus oſſeus, cubans inter duas ſarcinas*, Regni ſcilicet *Phœniciæ* ex unâ, & *Samariæ* ex alterâ parte.

Verſ. 22. *Joſeph eſt filius fæcunditatis; fæcunditas ejus in filiis erit juxta puteum: in filiabus tendit ad ipſum uſque hoſtem.* Interpretatio hæc partis iſtius benedictionis *Joſephi* ſubjecta eſto cenſuræ docti Lectoris, utpote conjectando concepta, potius quam temerè aſſerta. Rationes hæ ſunt: primò, manifeſta iſtic apparet Antitheſis inter בן & בנות, ideoque in conſtructione orationis ad filios ac filias reſpiciendum eſt. Secundo, vox בן loco in regimine eſt, vocali vero non eſt; vox autem פרת literâ ultimâ in regimine eſt, loco autem ſuo non eſt; idcirco utraque ita eſt reddenda, ut duplicis hujus conditionis illarum ratio habeatur. בן פרת, *Joſeph filius eſt fæcunditatis:* ubi loci habetur ratio; & פרת בן, *fæcunditas filiorum*; ubi ratio habetur vocalium ac literarum. Tertio, פרת conſimili ratione intelligendum eſt in poſteriori membro, פרת בנות, *fæcunditas in filiabus.* Quarto, שור uſu nativo Hebræis ſignificat *inimicum*, *Pſalm.* 92: 11. & tantummodò fluxit ex idiomate *Chaldaico*, ut pro *muro* accipiatur. *Joſephi* porrò in filiis fæcunditas conſpiciendam ſe præbuit juxta puteum *Sechemi*, ubi *Joſua Joſepho* ortus congregavit omnes Tribus, velut earum Princeps; ibidemque *Jerobeam* ortus *Joſepho* familiam illam ad Regiam dignitatem evexit. Ex his verbis *Jacobi*, incolæ *Sicharis* autoritatem habuerunt aſſerendi, puteum ſuum eſſe *Jacobi* puteum, filioſque ejus & pecora inde bibiſſe, *Joh.* 4: 5, 12. Nemini enim *Samaritanorum* liquere potuit, an non hic puteus effoſſus eſſet mille annis à morte *Jacobi*, niſi autoritatem peteret ab his verbis *Jacobi*, qui hac fundi portione conceſſa *Joſepho*, *Gen.* 48: 22. hic *Cap.* 49: 22. innuit fuiſſe in illâ puteum, & juxta illum puteum familiam ſuam provectum iri ad honorem. Fæcunditatem per filias videre licet *Jud.* 21. ubi filiæ *Jabeſi Gilhadis* & *Siluntis*, utræque *Joſephi* ſoboles, damna reſarciunt Tribus hoſtilis, *Benjaminis*, quæ alioquin univerſa interiiſſet.

F I N I S.

MANI-

MANIPULUS SPICILEGIORUM E LIBRO EXODI;

Ubi ſolutio probabilis ſcrupulorum quorundam manife-ſtiorum, & explanatio difficiliorum textuum, qui hoc Libro occurrunt;

Anteà ab aliis parcè exhibitæ.

Multum dilectis & merito honoratis Amicis, Incolis Parochiæ

S. BARTHOLOMÆANÆ

propè Excambium LONDINI,

Veritatem & Pacem, Gratiam & Gloriam.

NOn poſſum quin perpetuo commemorem, tum privatim coram Deo, tum publicè coram mundo, amorem favoremque, quibus ego affectus ſum à veſtro Cœtu; quomodò vos incognitum agnoviſtis, peregrinum recepiſtis, exulantem à meis feciſtis veſtrum; idque non promptitudine tantum planè ſingulari, ubi primum mutuo conſpectu frui datum fuit; ſed conſtantiâ etiam deinceps tenerrimi affectus haud interruptâ. Equidem omni ſtudio ac ope agnoſcere conabor ejuſmodi beneficia; & quicquid operi deerit, compenſare precibus & gratiarum actionibus. Et nunc quidem præſens munuſculum, quod tendit ad vos, accipite velut pignus atque arrham horum omnium. Pretium ejus non eſt ipſo volumine majus: ſed quantum dignitate atque doctrinâ deficit, ſuppleri exiſtimate obſervantiâ & gratitudine. Ingens copia Expoſitionum in hunc Exodi *Librum, cauſa fuit, cur meas nonniſi paucas eſſe voluerim: eas enim in chartam conjicere, quas illi jam occuparant, inutilis labor foret; invenire verò, quæ illos fugerint, foret labor æquè difficilis. Quicquid verò in hoc genere præſtiti, ad Lectoris refero judicium: quamvis enim mihi ipſi in pleriſque ſatisfecerim tamen aliis credendas non obtrudam ulterius, quam debitum earum examen & rationum robur viam iis pateſaciant.*

Novemb. 28. 1643.

Veſter ad perpetuam obſervantiam
ac officia promptiſſimus in
Chriſto Miniſter,

JOHANNES LIGHTFOOTE.

MANI-

Digitized by Google

MANIPULUS SPICILEGIORUM EX LIBRO EXODI.

SECTIO I.

Iſraël afflictus in Ægypto annos circiter 120.

A Datâ *Abrahamo* promiſſione, *Gen.* 12. uſque ad liberationem ex *Ægypto* & datam Legem, fuere 430. anni, *Exod.* 12:40. *Gal.* 3:17.

Hæc annorum ſumma dividit ſeipſam in duas æquales partes; quarum una tranſacta eſt ante eorum in *Ægyptum* introitum; altera vero dum iſtic commorantur. Ducenti & quindecim anni, expleti priuſquam in *Ægyptum* profecti ſint, in hunc modum colliguntur. A promiſſione datâ *Abrahamo* uſque ad natum *Iſaacum* effluxere anni viginti quinque: confer *Gen.* 12: 4. cum *Gen.* 21: 5. A nato *Iſaaco* ad natum *Jacobum*, anni ſexaginta, *Gen.* 25: 26. Exinde uſque ad profectionem eorum in *Ægyptum*, anni centum & triginta, *Gen.* 47: 9. Alteros ducentos & quindecim annos tranſegerunt in *Ægypto*, nimirum nonaginta quatuor ante obitum *Levi*, qui vitam ſupra univerſas duodecim Tribus diutiſſimè produxit; & centum ac viginti unum inter illius exceſſum atque illorum liberationem.

Uterque enim, *Levi* & *Joſeph*, nati ſunt in ſeptennio ſecundi famulatus *Jacobi*, *Gen.* 29. & 30. *Levi* quidem anno ejus quarto, *Joſeph* autem ſeptimo; ita ut triennii ſpatium intercederet. *Joſeph* verò, deſcendentibus in *Ægyptum* patre ac fratribus, natus erat annos novem & triginta: compara *Gen.* 41: 46, 53. cum 45: 6. quo tempore *Levi* annorum erat trium & quadraginta. *Vixit autem Levi centum triginta ſeptem annos*, *Exod.* 6: 16. Unde annis quadraginta tribus, quos vixit ante introitum eorum in *Ægyptum*, deductis, apparet eos in *Ægypto* fuiſſe annos nonaginta quatuor ante illius mortem. Hiſce porrò nonaginta quatuor deductis de ducentis & quindecim, quos in iſtâ terrâ triverunt, apparet etiam, annos centum & viginti unum interceſſiſſe inter illius mortem, ac eorum liberationem. Uſque autem ad illius mortem ab omni afflictione fuêre immunes, *Exod.* 1. *verſ.* 6, 7, 8.

SECTIO II.

Pſalmi LXXXVIII. & LXXXIX. tempore hujus afflictionis conſcripti.

DUo hi Pſalmi antiquiſſimi ſcriptionis fœtus ſunt, quos mundus poſſit oſtendere; ſunt enim conſignati multis ante annis, quam *Moſes* naſceretur, per duos viros, qui gemuerunt ſub hac ſervitute ac afflictione *Ægyptiacâ*, *Hemanem* & *Ethanem*, filios *Zerachi*, 1 *Chron.* 2: 6. *Pſalmo* LXXXVIII. *Heman* deplorat anguſtiam calamitatemque *Iſraëlis* in *Ægypto* metro maximè pathetico; ideoque huic elegiæ titulum facit, על מחלת לענות, *ſuper morbo propter afflictionem*; & hinc ipſe atque fratres illius dicuntur Filii מחול, *Maholis*, 1 *Reg.* 4: 31. *Pſalmò* LXXXIX. *Ethan* ex promiſſione *Gen.* 15. illorum liberationem lætè decantat, prænuntians fore ut furor Rubri Maris compeſceretur, *verſ.* 9. ac *Rabab* ſive *Ægyptus* confringeretur, *verſ.* 10. utque populus audiret lætum clangorem Legis, *verſ.* 15.

Objectio: Sed frequens *Davidis* in hoc Pſalmo eſt mentio, cujus ortus plurimis annis morte *Ethanis* poſterior fuit.

Reſp. I. Fieri poteſt, ut Propheticè fiat, quomodo *Samuelis* mentio facta exiſtimatur à *Moſe*, *Pſalm.* 99: 6. Iſte enim Pſalmus ex decreto Hebræorum *Moſi* auctori aſcribitur.

II. Comperitur in Scripturâ, ubi ſancti quidam viri, Spiritu Dei donati, ſcripta aliqua poſt ſe reliquerunt, dictata per Spiritum; alios, qui poſteris temporibus vixêre, eodem Prophetiæ dono imbutos, antiqua illa monumenta in manus ſumpſiſſe, & quibuſ-

Digitized by Google

dam ea additionibus expoliviſſe; prout præſentes, præteritæ vel futuræ occaſiones requirebant. Ut id liqueat, compara *Pſalm.* 18. & 1 *Sam.* 22. *Obadiam*, & *Jer.* 49: 14. & 1 *Chron.* 16 & *Pſalm.* 96. & 105. & 2 *Petr.* 2. & Epiſtolam Sancti *Judæ*. Conſimili modo Scriptum hoc *Ethanis*, incomparabilis monumentum antiquitatis, ac decantans liberationem ex *Ægypto*, temporibus poſteris, ut aptaretur ad uſum Templi Muſicum, in manus ſumptum eſt a Scriptore aliquo Divino, ejuſque baſi nonnihil eſt ſuperadditum, & tonus ejus eſt relevatus ad ſublimiorem clavem; nimirum cum ageret tantummodo de corporali liberatione ex *Ægypto*, adeo eſt exaltatus, ut pertingat ad ſpiritualem liberationem per Chriſtum; & idcirco *David*, ex quo is naſciturus erat, tam ſæpe commemoratur.

SECTIO III.

Verba obſtetricum Hebræarum non mendacium fuiſſe, ſed glorioſam confeſſionem fidei.

FUerunt obſtetrices Hebrææ, ſed fœminæ Ægyptiæ. Etenim *Pharao*, qui impium conſilium excogitarat, atque decreverat Iſraelitas quacunque poſſet ratione ſupprimere, noluit in ejuſmodi opere mulieribus uti Iſraelitis, quas ſciebat ſibi in hac cauſâ eſſe adverſarias; ſed mulieribus ſuæ gentis eam rem commiſit. Nomina earum adſcripta ſunt honoris cauſâ; quemadmodum *Marc.* 14: 9. dicitur, fore ut ubicunque Euangelium ſive Doctrina Salutis annuntiaretur, hæc etiam fides & factum publicaretur in memoriam illarum.

Obſtretrices dicebant *Pharaoni*, *Quia Hebrææ mulieres non ſunt, ſicut mulieres Ægyptiæ; ſunt enim vividæ*, &c. Hæc earum verba ortum habuerunt ab eadem fide, unde opus charitatis, conſervatio ſcilicet infantium. Et tantum à mendacio abſunt ut exiſtimari debeant illuſtris eſſe fidei confeſſio, ut qui ulterius proceſſerint, non multos reperiamus. Et res, de quibus loquebantur, tam procul erant falſitate, ut fuerint maximè admirabilis & miraculoſa veritas & certitudo. Revera animadvertebant manum & auxilium Dei ſingularia, clarè atque indubiè oſtenſa erga mulieres Hebræas in earum partu; ſcilicet, cum naturaliter aliæ mulieres eo ſtatu ſint debiles, languidæ, inque diuturno dolore verſentur, has eſſe fortes, vividas, quæque fœtus ſuos ſubito eniterentur. Quemadmodum enim efficacia promiſſionis ſe in Maribus *Iſraëlitis* oſtendebat in illo, quod quo magis ſervitute premerentur atque affligerentur, eo eſſent aptiores ad generationem, *verſ.* 2. *Act.* 7: 17. ita efficacia promiſſionis ſe in fœminis oſtendit in eo, quod parerent ſuos liberos ſupernaturali atque extraordinaria facilitate & celeritate. Ideoque obſtetrices coram *Pharaone* intrepida fiducia uſi ſunt, periculo etiam Martyrii; & clare ipſi expoſuerunt, quia non ut mulieres aliæ laborarent, ſed vividæ ac fortes eſſent, citoque partu defungerentur, non id aliunde quam à ſola Dei manu iis propitia poſſe provenire; cui propoſuiſſent ſe neutiquam opponere, ſuſque deque habitis omnibus illius juſſis, ne reperirentur θεομαχεῖν. Propter hanc confeſſionem tantâ cum libertate coram *Pharaone* egregiè editam, & rei planiſſime convenientem, *Deus fecit eis domos, quia timebant eum*, *verſ.* 21. id eſt, per Matrimonia illas in Congregationem *Iſraëlis* recepit, & familias Iſraeliticas per illas condidit.

SECTIO IV.

Nativitas Moſis, eaque ſupernaturalis, Exod. 2: 2.

NAtus eſt *Moſes*, poſtquam ipſius mater ætatem fæcundam jam exceſſerat. Nam ſi *Levi* genuit *Jochebedam*, cum annorum eſſet centum, quod ipſum credendi difficultatem habet, ut *Gen.* 17: 17. tamen *Jochebed*, cum pareret *Moſen*, minus biennio ab annis octoginta abfuerit. Sed plus quam probabile eſt, natam eſſe ante centeſimum *Levi*, niſi velimus *Levi* ultra annos quinquaginta nullâ prole fuiſſe auctum inter nativitatem *Merari* & *Jochebedæ*: Quo pacto nativitas *Moſis* uno gradu magis fuit miraculoſa, quam miraculoſa & extraordinaria nativitas aliorum ex Mulieribus *Hebræis* infantium; neque multo minus miraculoſa nativitas *Aaronis* fratris extitit. Ipſa itaque filium adepta id ætatis adeo ſpecioſum, manum Dei ſpecialem in eo obſervavit; ideoque eum tueri nititur adverſus edictum *Pharaonis*: fide enim intelligebat, conſervatum iri ut eſſet gloriæ Divinæ inſtrumentum ſingulare; quo autem modo futurum erat ut conſervaretur, hactenus ignorabat.

SECTIO V.

Servatoris allegatio ex Exod. 3: 6. *in Euangelio Lucæ Cap.* 20: 37. *expoſita.*

MOſes in *Midiane*, dum in receſſu ſuo vitam paſtoritiam colit, contemplationi ſe dedit rerum Divinarum: in quarum ἐκστάσει unâ Deus ipſe ei viſibiliter apparuit; idque in flamma ignis, cum paratus jam eſſet promiſſionem adimplendi; quemadmodum & *Abramo* apparuit, ubi eam propoſuit. *Factum autem eſt, cum ſol occidiſſet, & tenebræ eſſent, ecce fumantem furnum & ardentem lampada, tranſeuntem inter ſegmenta illa. Hoc die pepegit Jehova cum Abramo fœdus*, *Gen.* 15. *verſ.* 17, 18.

Verba,

Verba, quibus *Chriſtus* hic in rubo ad *Moſen* utitur, iterum urget apud Judæos, ut per ea evincat certitudinem reſurrectionis, *Luc.* 20: 37. *Mortuos autem ſuſcitatum iri etiam Moſes indicavit in rubo, cum dicit Dominum, Deum Abrahami & Deum Iſaaci & Deum Jacobi; nam Deus non eſt mortuorum, ſed vivorum:* quæ verba reverà reſurrectionem comprobant, ſi ſecundum ſe conſiderentur; ſed multo clarius, ſi referantur ac comparentur ad ipſorum Judæorum doctrinam & mentem.

Rabbi Simeon Ben Jochai dicit, *Sanctus benedictus Deus nomen ſuum non nominat ſuper juſtos vivos, ſed mortuos, uti dicitur, Sanctis qui in terra ſunt,* Pſalm. 16: 3. *Quando ſunt Sancti? Ubi terra conditi ſunt: neque enim ſanctus benedictus Deus omnibus diebus, quibus vivunt, nomen ſuum iis accommodat. Cur autem? Quia ſanctus benedictus Deus non confidit iis, ut non mali affectus illos de recto tramite avertant: ſed ubi jam vita functi ſunt, ſanctus benedictus Deus nomen ſuum ſuper ipſis nominat. Sed, ecce, reperimus ipſum nomen ſuum in Iſaaco juſto nominaſſe adhuc vivente; ita enim inquit Jacobo, Ego ſum Dominus Deus Abrahami patris tui, & Deus Iſaaci. Rabbi Barachia, & Doctores noſtri ſic ſolvunt; Noſtri Doctores dicunt, Videbat ejus cineres, quaſi ſuper altare eſſent collecti: Rabbi autem Barachia* rem ita expedit, *Ex quo oculis erat captus, pro mortuo habitus fuit, quia detentus erat in media domo, Rabbi Tanchum in Gen.* 28. *Rabbi Menahem in Exod.* 3.

SECTIO VI.

Virtus miraculorum, Hab. 3: 2. & Act. 19: 2. *explicata.*

DOnum Prophetiæ ſive prædictionis rerum futurarum fuit in Eccleſia inde à lapſu *Adami*; & nunc miracula addita ſunt propter incredulitatem: obſerva enim, ubi *Moſes* dicit, *Ecce non credituri ſunt*, Dominum mox reſpondere, *Quidnam hoc eſt in manu tua? Cap.* 4: 1, 2. Duplex hæc facultas, conceſſa *Moſi*, primo Prophetæ Eccleſiæ Iſraëlis, deſcendit etiam in Prophetas in illa Congregatione invicem ſuccedentes de tempore in tempus. Sed unà cum excellenti hoc dono datum fuit *Moſi* ipſimet noviſſe, & ſucceſſoribus conſimiliter, habere eos duplicem hanc poteſtatem, non à ſeipſis, ſed aliunde: docente id *Moſen* ac illos linguâ ejus balbutiente, quantum ad Prophetiam attinet; & leproſa ejus manu, quantum attinet ad Miracula. Succeſſio Prophetarum cœpit à *Samuele*, & in morte *Chriſti* eſt finita, *Act.* 3: 24. Non quod Prophetæ nulli fuerint *Moſen* inter & *Samuelem* ſed quia nominibus non legantur expreſſi, quandoquidem viſio hoc temporis ſpatio valde erat rara, 1 *Sam*. 3: 1.

Jam à principio regiminis *Samuelis* uſque ad principium captivitatis in *Babylone*, quadringenti & nonaginta anni fuerunt; & a fine iſtius captivitatis uſque ad finem vitæ Chriſti in terris fuere alii quadringenti & nonaginta anni. Septuaginta anni captivitatis intermedii, qui fuere utriuſque numeri ſeptima pars, *Habakuko* dicuntur, *Medium annorum*; nempe à principio Prophetiæ in *Samuele* uſque ad obſignationem Prophetiæ in morte Chriſti. *Vivifica opus tuum in medio annorum, in medio annorum notum fac.* Juſta enim tunc ratio erat metuendi, ne Spiritus Prophetiæ decederet planè ab *Iſraële*, quando captivus detinebatur inter Gentiles. Hæc cauſa fuit Prophetæ ram ſeriò precandi, ut Deus vellet vivum conſervare, vel *vivificare* opus ſuum *miraculorum* in medio annorum, ſive in hiſce captivitatis temporibus, & notas facere res futuras per donum hoc Prophetiæ. Et exauditus fuit in eo quod precabatur; ac ſupplicatio ejus ſortita eſt eventum in prophetico & potenti Spiritu *Danielis*.

Habuerunt Judæi veterem canonem, *à morte Zachariæ, Malachiæ horumque ultimorum Prophetarum Spiritum Dei receſſiſſe ab Iſraële & faceſſiviſſe ſurſum.* Adeo ut ab eo tempore deinceps prædictio futurorum & patratio miraculorum res inter eos raræ fuerint. Atque eo ſpectat reſponſio ſanctorum quorundam, *Act.* 19: 2. *Ne audivimus quidem, ſitne Spiritus Sanctus.* Non quod dubitarent de tali Perſona in Trinitate, ſed quia didiciſſent in ſuis Scholis, Spiritum Sanctum à *Malachiæ* morte receſſiſſe; & non inaudiviſſent hactenus, reſtitutuſne eſſet in donis Prophetiæ ac Miraculorum, an ſecus.

SECTIO VII.

Duo prima miracula, Exod. 4.

COnverſio baculi *Moſis* in ſerpentem manifeſto documento erat, de miris hiſce, quæ operaturus erat, nihil eſſe adſcribendum potentiæ Diaboli, per quam ſolam Magi ſua exequebantur. Ut enim Serpens aptiſſimum emblema fuit Diaboli, *Gen.* 3. & *Apoc.* 12: 2. ita ſignum fuit, *Moſen* hæc Miracula non edidiſſe virtute Diaboli, ſed poteſtatem in & ſupra ipſum habuiſſe, quando Serpentem pro arbitrio ita tractare ac ludere conſpiciebatur, ut baculum in Serpentem, & Serpentem rurſus in baculum converteret.

Præterea obſervatu dignum eſt, mandatum fuiſſe, ut *cauda eum prehenderet*, *verſ.* 4. Caput enim Serpentis attrectare non ad *Moſen* pertinebat,

Digitized by Google

pertinebat, ſed ad Chriſtum, loquentem ei ex rubo, ut legitur *Gen.* 3: 16.

Baculus *Moſis* ad montem *Sinai* converſus fuiſſe dicitur in נחש, commune ac vulgare anguium ſive ſerpentum genus: at cum projicit eum coram *Pharaone*, factus eſt תנין, *Cap.* 7: 10. ſerpens præcipuæ magnitudinis, adinſtar Crocodili; quod animal *Ægyptii* adorabant, & cujus rictui expoſuerant in flumine miſeros infantes Hebræorum.

II. Manus *Moſis* leproſa indicio fuit, nihil de operibus miris, quæ patrabat, illius facultati eſſe adſcribendum: fieri enim non poterat, ut res tam grandes conficerentur per impuram ac immundam manum; ſed perſpicuum erat, à potentiori illas pendere.

III. Ambo hæc Miracula, prima omnium quæ uſquam ab ullo Propheta patrata fuêre, modo prorſus ſingulari ſpectabant Miracula magni iſtius Prophetæ, qui venturus erat in mundum, cujuſque virtute hæc ipſa per *Moſen* eo tempore ſunt facta. Nam quemadmodum ad illum unum pertinebat, ejicere potentiam Diaboli ex anima, & animam à leprâ peccati curare; ita eidem reſervatum erat, ut primus Diabolum ejiceret ex corpore, & lepram corporis ſanaret. Quanquam enim, qui à *Moſe* ad *Chriſtum* fuerunt Prophetæ, donum Miraculorum habuere, & multi eorum mira edidere valdè præcellentia; illorum tamen nemo, nec quicunque alius, Diabolum valuit ejicere, vel leproſum ſanare, donec veniret magnus ille Propheta. *Eliſam* conſtat expoſuiſſe *Naamani* rationem, qua ſanari poſſet; cæterum neque eum ipſe attigit, neque omnino ad eum eſt egreſſus; ut oſtenderet non eſſe ſibi eam poteſtatem datam, ſed reſervari curationes illas venturo Chriſto.

SECTIO VIII.

Moſes in periculo mortis, propter diffidentiam, Exod. 4: 24.

CUlpa *Moſis*, quæ illi tanti diſcriminis cauſa fuit, non erat neglectus circumciſionis filii, ut vulgaris fert opinio, (id enim æque in illo tranſiri poterat, ac poſtea in multis millibus Iſraëlitarum in Deſerto) ſed magna illius incredulitas atque diffidentia. Hæc enim ei ratio fuit, cur tam enixè, tam ſæpè, tamque ſeriò declinaverit illuſtrem adeò & honorificam legationem, quam Dominus obire eum volebat; eademque in mortis diſcrimen ipſum adduxit, Legationis ſuæ functionem jam nunc aggredientem. Operæ pretium itaque eſt, obſervare, quæ illius cauſationes, & quam illæ leves ac fide vacuæ fuerint.

Primò, *Quis*, inquit, *ego ſum*, *ut eam ad Pharaonem*? Cap. 3: 11. Ad quod Dominus reſpondet, *Ego tecum ero*; *& apparitio hæc mea apud te certum tibi ſignum eſſe poteſt*, *me miſiſſe te*, verſ. 12.

Secundò, *Sed quem ego eſſe dicam*, *qui me miſit*? Annis enim abhinc quadraginta me aſpernati ſunt, dicentes, *Quis te Principem ac Judicem nobis dedit*? Cap. 4: 1. Hunc ſcrupulum Dominus exemit, dato Miraculorum dono.

Tertiò, *Sed facundus non ſum*, *neque antea fui*, *nec ex quo locutus es mecum*: nam quamvis datum mihi ſit, miracula in alios edere; non tamen hactenus in me edi contigit, ut aliquanto commodius, quam feci antea, prolata enuntiem. Ad hoc recipit id reſponſi, *Ego adero ori tuo*, verſ. 10, 11, 12.

Quartò, *Sed mitte*, *quæſo*, *per illam manum*, *quam miſſurus*, *vel extenſurus eras*, *verſ.* 13. Dicebas enim mihi, *Extenſurus ſum manum meam*, *& percutiam Ægyptum*, &c. Cap. 3: 20. Nunc itaque, quæſo, extende manum tuam; manus enim viri rei huic perficiendæ minimè ſufficit. Ex hoc ira Domini exarſit contra illum, idque merito. Nam hoc dicto negavit myſterium redemptionis, perficiendæ per virum, qui Deitatem haberet ubique ſibi conjunctam.

Nunc tempus eſt *Moſi* tendendi in *Ægyptum*, quando Deum exarſiſſe videt ad excuſationem ſuam. Itaque id agit, & iter capeſſit: ſed diffidentiam ſumit comitem; uxorem enim ac liberos ſecum ducit. Exiſtimet forte aliquis, documentum charitatis in eo eſſe ſingularis; verum ſi penitiori examine perſpiciatur, deprehendetur, ſingularis diffidentiæ eſſe exemplar.

Etenim quando Deus ei apparet prima vice, certum eum facit de populi liberatione, deque adventu illius per itinera ſua in illum ipſum locum; *Quum eduxeris populum ex Ægypto*, *coletis Deum juxta hunc montem*, Cap. 3: 12.

Si autem *Moſes* ei promiſſioni firmiter crediſſet, ſe populumque certo iſtuc perventuros, nunquam uxorem liberoſque ſibi adjunxiſſet, cum ipſorum & ſuo incommodo, in adeò longinquo itinere & in negotio adeo ſerio; ſed apud *Jethronem* reliquiſſet, donec ipſe & *Iſraël* ſuſcepta profectione perveniſſent ad illos. Sed id videlicet metuebat, iter hoc ſuum fore irritum, *Iſraëlem* non accepturum liberationem, & ob eam cauſam non obtenturum, neque legationem ſuam quicquam effecturam, præterquam quod ſibi ipſi per eam erat creaturus periculum, &, dum urſurus erat libertatem aliorum, ſuam forte arceſſiturum ſervitutem: ita ut vereretur, ſi uxorem liberoſque relinqueret poſt ſe, ne eos poſtea unquam videret. Quarè, ut ſecurus eſſe poſſit, ſecum illos mavult aſſumere; atque hujus diffidentiæ cauſa Dominus occurrit ei & occidere quærit.

Neque

Neque incredulitas hæc atque diffidentia levis fuit ac parvi momenti; ſed, ſi circumſtantiæ conſiderentur, apparebit, fuiſſe valdè magnam, & fidei defectum omnino gravem.

Zippora illius uxor jam ex puerperio decumbebat, mulier debilis, nuper admodum enixa, ideoque prorſus inhabilis ad iter adeo longum; infans autem recens natus æquè incommodis iis ac illa, vel magis etiam, impar: attamen & matri & infanti labor ſubeundus fuit cum vitæ utriuſque diſcrimine; neque enim audebat eos poſt ſe relinquere metuens ut unquam poſtea congredi daretur. Ea de cauſa eſt, quod *Zippora* bis illum appellet ſponſum ſanguinum; ante infantis circumciſionem, & poſt eam: ante eam quidem, quia ambos in vitæ periculum adduxit, domo eos educendo, cum uterque eſſet à partu recens; poſt eam verò, quia illa per ipſum adacta fuerat ad infantis circumciſionem, à cujus ſanguinis effuſione teneri animi mater fieri non potuit quin abhorreret. Atque inde eſt, quod *verſ.* 26. vocem *circumciſiones* numero plurali uſurpatam reperiamus. *Sponſus ſanguinum* למולת *propter circumciſiones.*

SECTIO IX.

Zippora nuper admodum infantem enixa.

Zipporam nuper admodum enixam fuiſſe, ex obſervatione eorum, quæ ſequuntur, conſtat.

Primò, quia *Jethro* parens illius circumciſus erat, cumque ipſo tota familia; *Midianita* enim erat, filius *Abrahami* ex *Keturâ*: & omnes *Abrahami* ſecundum carnem filii circumciſi fuerunt; idque non uſurpatione libera vel æmulatione illegitimâ, ſed ex fœdere atque obligatione inſtitutæ ceremoniæ. Et idcirco quantocunque temporis ac locorum ſpatio abfuiſſet *Moſes*, *Jethro* tamen curam habuiſſet infantis octavo die circumcidendi: nunc autem infanti domi manere non licet, donec impleſſet octo dies, & iterum ex circumciſione convaluiſſet, ſed ipſi tenero, & incircumciſo ſuſcipiendum eſt iter.

Secundò, obſerva nomen pueruli, quod ſecundum morem in Circumciſione impoſitum eſt: nam ſi majori ætate fuiſſet, quam modò eſt dictum, totum id tempus vel nomine omni caruiſſet, vel alio quam *Eliëzeris*, fuiſſet vocitatus.

Tertiò, nomen ei impoſuit *Eliëzeris*, *Deus enim*, inquiebat, *patris mei auxilio mihi fuit, & eripuit me à gladio Pharaonis*, *Cap.* 18: 4. Jam verò *Moſes* haud erat ſecurus à *Pharaonis* gladio, niſi ipſo eo tempore, quo in *Ægyptum* eſt profectus. Poſtquam enim ab *Horebo* rediit in *Midianitidem*, edixit illi Dominus, mortuos eſſe eos omnes, qui animam ipſius quærerent, *verſ.* 19. Eo autem illius diffidentia magis etiam aggraveſcebat, quod nimirum is, qui vidiſſet ejuſmodi mira ad *Horebum*, atque audiviſſet de miris aliis, quæ ejus cauſa Deus fecerat in *Ægypto*, exſcindendo illic inimicos ſuos; non auderet tamen confidere promiſſioni Dei, de certo ſuo reditu ad uxorem & liberos; ſed eos ſibi comites aſſumere cupiat. Ideo Deus eum in manifeſtum vitæ periculum inducit: quod *Zippora*, caſu conturbata, ob id evenire exiſtimans, quia filius necdum erat circumciſus, accipit illum & circumcidit. At *Moſes*, ſuæ ſibi incredulitatis atque diffidentiæ conſcius, in hoc tanto conſtitutus diſcrimine, redintegrat ſuam fidem, quam periculum hoc ceu argentum perpurgat: adeo ut ſe jam totum Deo tradat, per fiduciam in promiſſione; quam ut manifeſtam reddat, vocavit nomen filii, quando mater eum circumciderat, *Eliëzer*, *Deus eſt auxiliator meus*; quaſi diceret evitaturus ſum periculum à *Pharaone* atque Ægyptiis in hâc meâ Legatione, Dominus verò, ubi fidem illius aſpexit, miſſum fecit.

SECTIO X.

De nomine יהוה, *& quo pacto id Patribus incognitum fuerit*, *Exod.* 6: 2.

EST hoc incommunicabile Dei nomen, nulli unquam Creaturæ tributum, *Eſaj.* 42. *verſ.* 8.

Nomen hoc ſuo ſono ac literis fuit cognitum Patribus, atque hac ipſa illius ſignificatione. *Abraham* vocavit nomen montis *Morijæ*, יהוה יראה, *Gen.* 22: 14.

Iſaac invocavit בשם יהוה, *Gen.* 26: 25. Et *Jacob* dicit, יהוה אלהיך, *fecit ut occurreret mihi*, *Gen.* 27: 20.

Nomen יהוה tria ſignificat.

Primò, æternum Dei eſſe in ſeipſo, ita ut à nullo dependeat, cum nullo miſceatur. Quantum ad independentiam, nomen hoc exponitur, *Primus & ultimus, qui eſt, qui erat & qui venturus eſt.* Quoad eſſe autem illius ab omni mixtura atque compoſitione alienum, hoc loco dicitur, שמי יהוה לא נודעתי. Non, *Nomine meo* Jehova *cognitus eram*; neque, *Nomen meum* Jehova *erat cognitum*: ſed, *Nomen meum* Jehova, *ego eram cognitus*; ut oſtendatur Deum atque ipſius nomen non eſſe duas res, compoſitione unitas, ſed unam eandemque.

Secundò, יהוה ſignificat, Deum creaturæ largiri ipſius eſſe. De quo obſervari meretur, Deum non appellari *Jehova*, niſi creatione univerſa perfecta, & ſingulis rebus ſuum eſſe jam aſſecutis, *Gen.* 2: 4. Sic in omni-

Digitized by Google

omnibus ſermonibus, quos *Job* atque illius amici invicem habuerunt, nuſquam Deus dictus eſt Jehova, niſi ſemel *Job.* 12:9. ubi mentio fit creaturarum, quæ ſuum eſſe jam erant adeptæ.

Tertio, יהוה notat fidelitatem Dei in promiſſis: atque hoc ſenſu redditur אמן, *verus & fidelis*, indeque tot præceptis ſubjicitur; Hæc vel illa facies, omitteſve, *Ego ſum* יהוה.

In omnibus verò hiſce ſignificationibus præmittitur præceptis omnibus *Exod.* 20: *Ego ſum* יהוה *Deus tuus.*

Quemadmodum nomen hoc nulli Creaturæ eſt communicabile, ſed Deitati ſoli proprium; ita ſpeciatim ſingulis in Trinitate perſonis attribuitur. Primò, Patri, *Pſalm.* 110:1. Ipſe enim eſſentiæ fons eſt in ſeipſo. Secundò, Filio, *Jer.* 23:6. Ipſe enim eſſentiam largitur Creaturis. Tertiò, Spiritui Sancto: compara *Eſaj.* 6:8, 9, 10. cum *Act.* 28:25, 26. Ipſe enim eſt Spiritus veritatis, & eſſentiam largitur promiſſis.

Nomen יהוה ejuſque ſignificationem perfectè Patres ante *Moſen* cognoverunt: ſed non videbant experientiam ſignificationis illius poſtremæ, fidelitatis nimirum Dei in promiſſis, quæ Deus fecerat *Abrahamo* de liberatione ſeminis illius ex ſervitute, ejuſque introductione in Terram fluentem lacte & melle. Promiſſionem Deus illi propoſuit ſub nomine אל שדי, *Deus omnipotens:* ipſi autem illius omnipotentiæ confiderunt, quia is, qui promiſerat, præſtare valebat; ſed rem promiſſam eminus proſpiciebant, & nihil quicquam præſtationis guſtarunt: at nunc, inquit, me ipſum oſtenſurus ſum eſſe יהוה, fidelem ad exequendum atque perficiendum quicquid promiſi.

SECTIO XI.

Putiel, Exod. 6:25.

PLurimæ, & quoad maximam partem longè petitæ notationes hujus nominis adferuntur: & quando omnia, quæ dici poſſunt, in medium ſunt allata, quod ex cunctis maximè probatur, non niſi conjectura nititur. Conjecturæ itaque indulgere æquè nobis liberum eſt, ac aliis.

Eliezer uxorem ſuam duxit in *Ægypto*, & ex *idiomate Ægyptio* hoc patris ejus nomen tam probabiliter videtur ſignificationem ſuam habere, quam ex quolibet alio.

In nominibus verò ac titulis Ægyptiis duo hæc poſſunt obſervari.

Primò, Ordinem, Nobilitatem, & dignitatem Regiam videri denotatam atque diſtinctam fuiſſe per increſcentes haſce ſyllabas, *Phar*, *Phara*, & *Phara-oh*. Ordinem per *Phar*, ut *Poti-phar*, Præfectus, *Gen.* 41:45. Nobilitatem per *Phara*, ut *Poti-phara*, Princeps, *Gen.* 41:45. Majeſtatem verò per *Phara-oh*, Regum omnium ejus terræ commune nomen.

Fuit & alius dignitatis titulus, qui tributus fuit Judæorum ejus terræ, nimirum *Alexandriæ*, Præfecto, poſteris temporibus, ſcilicet *Alabarcha*; uti videre eſt in *Joſepho:* quod licet ipſi aliiſque derivare placeat ab Ἁλς, *Sal:* tamen, quandoquidem adhuc quærimus partem vocis poſteriorem, non minus probabiliter concipi poteſt eſſe compoſitum ex articulo אל, tam vulgari in Arabicâ linguâ *Abrech*, quod ad dignitatem ac honorem pertinet.

Secundò, gaudebant *Ægyptii* adjungere nominibus ſuis vel titulis, vocem *Poti* vel *Puti*; quod an factum fuerit in memoriam Patrui ipſorum *Put*, *Gen.* 10:6. ſive reverentiæ cauſa erga aliquod Numen iſto nomine inſignitum, ſive ob aliam rationem, indagari haud tam facile eſt, quam factum ab iis eſſe ex nominibus modò memoratis, *Potiphar*, & *Potiphara* conſtat; & conſimilis conditionis videtur eſſe nomen *Putiel*, de quo nunc loquimur.

Putiel itaque hic videri poteſt fuiſſe converſus quiſpiam *Ægyptius*, (concipe è poſteritate *Poti-pheræ*, cui Joſeph inſeverit ſemen veræ Religionis) qui commutans Idololatriam ac prophanitatem ſuam adoratione veri Dei, commutaverit etiam partem poſteriorem ſui nominis *Phera*, nomine ejus Dei, quem jam profitebatur; ut pro *Poti-phera* diceretur *Puti-el*. Explicatio optima, ut jam diximus, quam hac in re adferre licet, nihil aliud eſſe poteſt quam conjectura: in materia autem hujuſmodi ſi quid erramus, tam meretur excuſationem, quam rem acu tangere difficile eſt.

SECTIO XII.

De verbis Moſis, Gloriare ſupra me, Exod. 8:9.

PLagæ *Ægypti* initium cepere pro ratione peccatorum. Aquæ, per quas infantium ſanguis erat miſſus, & in quibus miſeræ creaturæ vitæ cauſa ſe motitarant, nunc in ſanguinem ſunt converſæ, & ranis ſcatent.

Præcedens ſanguinis Plaga non adeo illos afflixit, ac altera Ranarum; fodiendo enim aquam puram inveniebant remedium adverſus hoc malum: at nullum habebant adverſus ranas: nam in quælibet loca penetrabant, & per cibaria omnia, quæ obvia erant, graſſabantur, eaque devorabant; neque parcebant in ipſis hominibus prædam quærere: quare Pſalmiſta dixit, *Ranæ perdebant eos, Pſalm.* 78:45.

Tamen

Tamen non obſtantibus iis omnibus *Pharao Jehovam* in cunctis operibus ipſius nil niſi irridet, & per contemptum ac deriſionem rogat *Moſen* & *Aaronem*, quid *Jehova* poſſit ad plagam ab illis depellendam. Cui reſpondet *Moſes*, *Gloriare ſupra me*, audacter me cum meo *Jehova* ludibrio habe; tamen tempus deſigna, quando precaturus ſim, & precabor, ut agnoſcas non eſſe meo *Jehovæ* ſimilem. *Pharao* autem ei proximum diem fundendis precibus præſcribit; quod nequaquam tam diu diſtuliſſet, ſi ſeriò fuiſſet arbitratus, *Jehovam* ad preces *Moſis* Ranas potuiſſe removere.

SECTIO XIII.

Plaga Pediculorum. Dictum Magorum, Digitus Dei hic eſt, Exod. 8: 19. *non confeſſio de Deo, ſed horrenda & deteſtanda blaſphemia.*

PEr plagam Pediculorum Magi ad incitas fuere redacti; atque in minimis creaturis nihil poſſunt: nam (præterquam quod Deo placeret technas eorum vertere in vanitatem, ſeque ipſum oſtendere in minimis maximum) ſi imitaturi fuiſſent hoc miraculum, duo eos oportuiſſet efficere: primò, neceſſe fuiſſet producere pulverem; deinde, ex pulvere excitare pediculos: nam textus inquit; *Omnis pulvis terræ converſus eſt in pediculos in univerſa terra Ægyptiorum*, *verſ.* 17. quorum neutrum erat in eorum poteſtate; ideoque dicunt, *Digitus Dei hic eſt*. Cujus dicti mentem ut intelligamus, hæc obſervanda ſunt.

Primo, in Plagis præcedentibus ſanguinis & ranarum, *Moſen* præmonuiſſe priuſquam immitterentur; in hac autem id non feciſſe.

Secundo, fuiſſe Pediculos in terra etiam quam habitabat *Iſrael*, æque ac in aliis *Ægypti* regionibus; nulla enim facta diſtinctio inter terram *Goſen* atque *Ægyptum* memoratur uſque ad proximam Plagam colluviei animalculorum, *Excipiam eo die terram Goſen, in qua populus meus moratur; & ponam diſcretionem inter populum meum & populum tuum*, *verſ.* 22, 23. cum nulla ante poſita fuiſſet.

Enimverò quando *Moſes* aquas *Ægypti* in ſanguinem convertebat, Magi ſimiliter fecerunt ſuis incantationibus, & aquas terræ *Goſen* eodem modo converterunt in ſanguinem. Hic jam *Pharao* autumat, Magos ſuos æquaſſe *Jehovam*, quem ita deprædicabat *Moſes*, & eos tantundem poſſe in *Jehovæ* populum, ac ipſe poterat adverſus *Ægyptios*.

Et ſic, ubi *Moſes* per potentiam *Jehovæ* inducebat Ranas ſuper *Ægyptum*, Magi incantationibus ſuis inducunt ſimiliter Ranas ſuper terram *Goſen*: & hactenus exiſtimant Deum ſuum *Jehovæ Iſraelis* nihil cedere.

Ita ſanguis ac Ranæ reperiebantur per omnem terram *Goſen*; verum neque hic verus ſanguis, aut ranæ veræ fuerunt, neque omnino *Iſraelis* punitio fuit; nam non erat Domini opus, ſed tantum vanæ illuſiones à Domino permiſſæ, ut denique vafros homines retibus propriis implicaret.

Sed quando Plaga Pediculorum ingruebat, immittebatur in terram *Goſen* à Domino ipſo, eratque revera punitio populi ejus proprii per eum ipſum in eos immiſſa, æque ac in *Ægyptum*: nam *Iſrael* tot peccatorum *Ægypti* particeps, cogitare poterat, ſe jam ſimiliter quarundam ejus pœnarum participem conſtitui.

Hinc eſt, quod vir Dei, *Pſalm.* 78. recenſens Plagas *Ægypti*, Plagas Pediculorum prorſus non meminerit; nempe, quia *Iſraelis* pariter & *Ægyptiorum* Plaga fuit. *Iſrael* ſanguinem & Ranas æque habuerunt ac *Ægyptii*; ſed non æque verè nec à Deo, ideoque *Iſraëlis* Plagæ non fuerunt.

Tertiò, *Ægyptii* agnoſcebant unum ſummum Numen, atque id in Diis minoribus, quos colebant, adorare ſe exiſtimabant. Etenim quando adorabant Bovem, Canem, Crocodilum, &c. non harum creaturarum adorabant corpora, ſed bonas qualitates ipſis utiles. Autor enim eſt *Euſebius*, quidquid commodum eſſet atque utile ad humanam vitam, habitum fuiſſe ab illis pro Numine.

Quarto, de *Jehova*, Deo Hebræorum, nihil ſenſere amplius, quam de minori aliquo & triviali Deo, cujuſmodi ſingulæ Nationes habebant unum vel plures; rati Deum iſtum aliqua poſſe, quemadmodum in ſanguine ac ranis experti erant: ſed non poſſe majora; modo tanta poſſet, quanta ſui Dei, *Cap.* 5: 2. *Quis eſt Jehova, ut voci illius auſcultem? Non novi Jehovam, neque Iſraëlem dimittam.* Adeo ut Magorum vox, *Digitus Dei eſt hic*, ex hujuſmodi ratiocinatione collecta fuerit: Quando ſanguis & ranæ proveniebant, præmonebat ante *Moſes* de ſuo *Jehova*: ſed hi Pediculi proveniunt nulla *Moſis* præmonitione antecedente. Hinc manifeſtum eſt, non eſſe hoc *Jehovæ* opus: alioquin *Moſes* præſciviſſet; jam vero id eum latuit. Rurſus, quando Hebræus *Jehova* in terram noſtram inducebat ſanguinem & ranas, terram Hebræorum immunem præſtitit, ſuo videlicet populo parcens: at hæc Pediculorum Plaga tam cito illos opprimit, quam nos, idque ſine noſtra opera; ideoque fieri non poteſt ut hic *Jehova* ſit; neque enim afflicturus erat populum proprium: ſed factum eſſe neceſſe eſt per digitum *Elohim*, Magni Numinis; & *Jehovam* Hebræorum Deum eſſe oportet imbecillem.

Digitized by Google

SECTIO XIV.

Plaga ulcerum, Exod. 9: 9. *Duæ contrariæ Plagæ in unâ.*

MOſes & *Aaron* accipere jubentur manipulos cineris ex Fornace, ut, unde *Iſraël* ſuſtinuerat duram ſuam afflictionem, *Ægyptus* reciperet corporalem ſuam pœnam. *Moſes* manipulos quatuor debuit ſpargere in aërem verſus quatuor cœli regiones: ad quod duplex miraculum eſt conſecutum. I. Tantillum cineris ita fuiſſe multiplicatum, ut totam *Ægypti* terram pervolarit, & omnibus in ea hominibus ac beſtiis incubuerit. II. Ut iis inhærens, Plaga extiterit in eorum corporibus.

Quemadmodum duplex fuit Miraculum, ita & Plaga duplex fuit.

I. Cinis factus eſt שחין, hoc eſt, ardens prurigo, vel inflammata Scabies: id enim vox ſignificat, ut liquet ex *Job.* 2: 7, 8. ubi ſancti viri corpus perculſum eſt שחין רע, ſicca ardentique prurigine, eaque adeò intolerabili, ut ungues ſcabendo non ſufficiant, ſed teſtam gaudeat invenire quâ ſe ſcabat.

II. Prurigo hæc etiam ulcera habebat, quæ puſtulis efflorеſcebant, (id in *Jobo* non obtinuit) adeo ut *Ægyptii* vexati fuerint intolerabili pruritu, & intolerabili dolore: pruritu impellente eos ad ſcabendum, prohibente autem illud dolore ulcerum.

In quinque præcedentibus Plagis induratio cordis *Pharaonis* illi ipſi attributa eſt; in ſequentibus quinque attribuitur Deo: & juſtè, quando punitus ob peccata cor toties obdurarat, ut toties cor eſſet obduratum in pœnam.

SECTIO XV.

Plaga tenebrarum, Exod. 10. *Cur primo loco nominata*, Pſalm. 105: 28.

QUemadmodum homines primi mundi, *Sodomitæ* & *Judæi* tempore mortis Chriſti, perculſi fuere caligine, priuſquam intrarent caliginem extremam; ita & hic cum *Ægyptiis* factum.

Plaga hæc iis incubuit per triduum, diem ſcilicet undecimum, duodecimum & decimum tertium menſis *Niſan.* Nam ad finem caliginis, *Moſes* ad *Pharaonem* miſſus adeo ipſum offendit, ut Rex adire ſe deinceps interdiceret: quod *Moſes* ait ſe præſtiturum, *Non amplius intuebor deinceps faciem tuam:* ſed antequam ab eo exit, prædicit cædem primogenitorum iſtâc nocte, *Cap.* 11. *verſ.* 4. unde perſpicuum eſt, tenebras deſiiſſe die ipſo Paſchatis mane.

Quæſt. Cur itaque, cum Plaga fuerit numero nona, *Pſalmus* 105. primo loco collocavit?

Reſp. Quia Plagarum omnium, quæ iis immiſſæ fuerunt, maxime erat terribilis. Quæ enim præceſſerant, eorum tantum terram afflixerant, aut beſtias, aut corpora: quæ verò inſecuta fuit, non in omnes incubuit, ſed in ſolos primogenitos: At hæc Plaga ad mentem ipſam ac conſcientiam pertigit, atque univerſe omnes implicuit.

Id autem, quod adeo illos turbavit, non erat, totum triduum in tenebris deſidere; neque, non ſe commovere poſſe ad negotiorum curam; ea enim non tantum eos torſiſſent: ſed miſeria eorum præcipua hæc fuit, quod per eas tenebras viderent terribiles apparitiones Cacodæmonum atque Diabolorum, & horribiles ſpecies, quæ illos modis adeo horrendis conturbarunt, ut apud inferos ipſos jam degere viderentur. Obſervare enim licet, *Pharaonem*, qui nulla plagarum omnium, quæ prægreſſæ ſunt, vel minimum commotus fuit, adeo hac perculſum eſſe, ut ſtatim à finitis tenebris *Moſen* vocari jubeat, eique permittat proficiſci, *Exod.* 10: 24. Cujus rei cauſa non poteſt fuiſſe, quod tantummodo verſaretur in tenebris; ſed quod per tenebras horrenda conſpiceret.

Hinc factum eſt, ut *Pſalmus* 78. *verſ.* 49. plagam tenebrarum nomine ſuo non deſignet; ſed loco, in quo commemorari debebat, ea adferat, quæ in illa præcipua fuerunt; *Immiſit in eos æſtum iræ ſuæ, excandeſcentiam indignationemque, & anguſtiam, mittendo Angelos malos in eos.*

SECTIO XVI.

Iſraël circumciſus triduo tenebrarum. Miſit tenebras & obtenebrarunt eam, & non rebellarunt verbo ejus, Pſalm. 105: 28.

VErba hæc poſtrema, *non rebellarunt verbo ejus*, intelligenda ſunt de *Iſraële*, qui inter tenebrarum plagam partem aliquam præſtiterunt obedientiæ; quam, ſi indagare libeat, in ſubeunda circumciſione conſiſtere deprehendemus. Sectati enim fuerant Idola *Ægypti*, atque Idololatriâ *Ægyptiis* ſimiles erant facti, atque etiam in præputio. Nam quando *Joſua* eos circumciderat ingreſſu in terram *Canaanis*, dicebat, *Hodie devolvi opprobrium Ægypti à vobis*, *Joſ.* 5: 9. ſive illud, quo *Ægyptiis* ſimiles eratis, non eſſe ſcilicet circumciſos, in veſtrum opprobrium.

Sed quando Deus Paſcha inſtituit, circumcidi eos jubet; quia nemini haud circumciſo edere de illo licebat, *Exod.* 12: 48.

Eo tempore requiſita fuit generalis totius populi circumciſio, ſaltem maximæ illorum partis: nulli enim circumciſi erant, niſi paucis forte exceptis, qui conſtantius adhæſerunt Fœderi Dei ſui. Fuiſſe etiam generalem Circumciſionem in *Ægypto*, colligitur ex loco allegato, *Joſ.* 5. ubi Deus *Joſuam* jubet circumcidere populum *ſecundo*; quod oſtendit, fuiſſe aliquod tempus prius, quo generali Circumciſione circumciſi fuere, uti factum eſt ſecundò. Priorem verò hanc Circumciſionem neceſſe eſt in *Ægypto* factam fuiſſe; eodem enim loco negat textus, in Deſerto ullum omnino Circumciſioni fuiſſe locum.

Dum itaque *Iſraël* ex Circumciſione æger erat, Deus *Ægyptum* tridui tenebris, atque horrore concluſit, ut nulla daretur oportunitas, quâ adverſus hunc populum uterentur.

SECTIO XVII.

Principium anni mutatum, Exod. 12:2.

MUndus inde à creatione ad hunc uſque diem, annos ſuos inchoârat menſe *Tiſri* ſive *Septembri*, quod id ipſum anni tempus eſt, in quo & creatus erat. Id facile oſtendetur (adverſus illos, qui mundum menſe Martio ortum habuiſſe pertendunt) per has rationes.

I. Ex *Exod.* 23: 16. *Feſtum collectionis in exitu anni.*

II. Ex *Joel.* 2: 23. *Pluviæ ſerotinæ in primo menſe.*

III. Si *Adam* menſe *Martio* creatus fuiſſet, nihil maturæ frugis habuiſſet in alimentum: ſed in Autumno præſto ei erat.

IV. Si menſes, qui Paſcha præcedunt, à menſe *Martio* ordiendi fuerint, ſequetur diluvium univerſale creviſſe ipſo æſtatis Æſtu, humido autem multæ Hyemis tempore decreviſſe atque exaruiſſe.

V. Si annus ab ipſo principio initium habuiſſet menſe *Martio*, neceſſarium non fuiſſet jubere ut inde inchoaretur; quia aliud initium non eſſet cognitum.

A creatione igitur annus inchoatus fuit à menſe *Septembri*; at occaſione hac operis ſignificatione majoris, ut quod repræſentat redemptionem per Chriſtum, initium ejus in menſem *Martium* traductum fuit. Eſtque hoc primum Mandatum, quod *Iſraëli* per *Moſem* datum eſt.

Quemadmodum æra illa antiqua initium habuit ab Æquinoctio: ita & hæc habere debuit, ſed impari ratione. Illa exactè ab Æquinoctiali die cœpit; hæc a primo Novilunio, quod proximè ſecutum eſt; & non ab illo die, niſi iſte dies in Novilunium incideret. Quartus dies creationis mundi ſimul Æquinoctium fuit & Novilunium; & quanquam anni deinceps conſecuti cœperint à die iſto ſolari; tamen numerati ſunt per menſes lunares.

Cum igitur eorum annus cœperit à Novilunio; per ſe patet, numeratum fuiſſe per menſes Lunares; qui cum anno Solari breviores ſunt diebus undecim, tertius quiſque annus fuit intercalaris, cui menſis dierum 33. adjiciebatur, qui *Veadar* vocitabatur. Ita ut quamvis dicatur, *Salomonem* habuiſſe duodecim Miniſtros Sitarchos, pro duodecim menſibus anni, id tamen annum reſpicit ordinarium, & non ἐμβολιμαῖον, ſive intercalarem. Eo enim anno duodecim hi ſuis quiſque menſibus tanto miniſtrabant diuturnius; ut additum quoque menſem explerent; non autem eligebatur Miniſter novus in eum menſem, cui, ubi menſis iſte tranſiiſſet, nihil eſſet quod ageret, donec tertius annus rediret.

Æquitas ac velut anima hujus Legis, ut annorum initium eſſet a menſe *Martio* ſive *Abib*, in eo conſiſtit, quod annuntiatio Euangelii principium, Redemptio autem conſummationem eſſet habitura ab illo tempore. Nam ipſo illo tempore anni *Johannes* cœpit baptizare, quod principium Euangelii fuit, *Marc.* 1: 1. *Act.* 1: 22. Eo etiam anni tempore Servator noſter paſſus eſt perfecitque id, cujus hic eſt figura, noſtram ſcilicet Redemptionem.

SECTIO XVIII.

Particularia de Paſchate, Exod. 12.

AGnus Paſchalis erat Chriſti corpus in figura. Confer *Exod.* 12: 46. cum *Joſ.* 19. *verſ.* 36. Ad illum etiam vocula *Hoc*, in verbis Servatoris noſtri, *Hoc eſt corpus meum*, relationem habet. Recens ederant Agnum Paſchalem; atque is hactenus Judæis fuerat corpus Chriſti Sacramentaliter. Nunc verò *Jeſus* accepit panem eumque benedixit & fregit, atque expoſuit illis, eum deinceps debere eſſe ſuum corpus ſub Euangelio, eodem modo, quo agnus Paſchalis fuerat ſub Lege.

Secundò, Agnum crudum edere non licebat, *verſ.* 9. Quod nunquam fuiſſet interdictum, ſi ipſa cruda caro & ſanguis Chriſti, qualis in Cruce fuit, comeſta fuiſſet in Sacramento, quemadmodum Tranſubſtantiatio ſomniat: ſic enim crudum Paſcha tantò illud aptius repræſentaſſet. Præcipuè apud hunc Populum, qui in feſtinis epulis nonnunquam ſolebant crudam vorare, ut de Judæis notum eſt.

Neceſſitas nonnunquam transfert Paſcha in alium menſem, ſed nunquam ulterius quam in proximum. Ita primum Paſcha, uno excepto, celebratum eſt ab aliquibus die decimo

Digitized by Google

quarto menſis ſecundi, quia immundities ex cadavere cogebat illud prætermittere juſto tempore, *Num.* 9: 11. Et ſic ultimum Paſcha, uno excepto, de quo legimus ante Captivitatem, ſecundo menſe celebratum eſt, 2 *Chron.* 30: 2. quia *Ezechia* regnum adeptus ipſo anni initio, vel paulò antè, efficere non potuit, ut Templum & Sacerdotes ritè ſanctificarentur & mundarentur, populuſque conveniret in ipſum Paſchatis diem: vide 2 *Chron.* 29: 3.

Hæc Feſti tranſlatio in tempus toto menſe poſterius, efficacius demonſtravit, magis per hoc ſignificari futura, quam præterita; ut quod promptius in mentem revocet mortem Chriſti futuram, quam illorum ex *Ægypto* liberationem. Vis enim commemorationis ejus multum debilitabatur, quando in veram noctem non incidebat. Rurſus, Mobilitas hæc Feſti, quod adeò apertè repræſentat mortem Servatoris, recepit æquitatis ſuæ demonſtrationem, quando Servator mortuus eſt non ipſo Paſchatis die, ſed oblationem ſui in diem proximum diſtulit.

Object. Sed videtur, Chriſtum non ediſſe Paſcha ſuum die decimo quarto; nam *Joh.* 18. *verſ.* 28. non intrant Judæi in Prætorium, ne polluantur, ſed ut edant Paſcha.

Jam verò evidentiſſimè conſtat, Servatorem ediſſe Paſcha veſpere antecedente: quod ſimulac fecerat, comprehenſus eſt, & totam noctem criminationibus fuit impetitus; proximo autem mane adductus ad *Pilatum*: in cujus domum Judæi ingredi non audebant præ metu pollutionis, ſed ut ederent Paſcha. Ita ut liqueat aut Chriſtum, aut Judæos non celebraſſe illud ipſo die Paſchatis quem Lex deſignaverat, ſcilicet, vel ipſum id diem unum anticipaſſe, vel illos diem unum diſtuliſſe.

Reſp. Neque ipſe, neque illi præter mandatum. Expreſſe enim textus ait, Jeſum ediſſe ſuum Paſcha, & Judæos etiam ſuum, eâdem nocte, quæ fuit die decimo quarto, veſperi.

Matth. 26: 17. *Primo autem die Azymorum, acceſſerunt diſcipuli ad Jeſum, dicentes ei, ubi vis paremus tibi ad edendum Paſcha? Marc.* 14: 12. *Primo die Azymorum, quando Paſcha mactabatur:* ita & *Luc.* 22: 7.

Adeo ut Paſcha, ad cujus fruitionem ſe mundos conſervabant Judæi, quando Pilati prætorium præ metu pollutionis ingredi non audebant, non ſit accipiendum de Agno Paſchali, quem ederant veſpera antecedenti: ſed de Paſchali juvenco, cujus mentio fit *Deut.* 16: 2. 2 *Chron.* 35: 7, 8, 9.

Hic autem juvencus mactabatur certè tempore Paſchatis, ſed propriè pro beſtiâ Paſchali non eſt acceptus; eam enim citra ullam mutationem ex agnis vel hædis eſſe oportebat: ſed juvenci hi mactabantur velut Paſchali beſtiæ acceſſorii; à cujus Sacrificii conditione in hiſce differebant.

Primò, Agnus Paſchalis ſemper totuſque erat aſſus: hi elixi, 2 *Chron.* 35: 13.

Secundò, Agnus Paſchalis erat aſſus integer, & comeſtus abſque fractione oſſium; hi in fruſta dividebantur, atque ita diſtribuebantur populo.

Agnus Paſchalis ceremonia erat neceſſaria, ad quam mandato erant obligati: hi liberi erant pro ratione commorationis eorum *Hieroſolymæ* hebdomade Paſchali; ſi enim libebat, licuit redire domum proximo mane poſt comeſtum agnum Paſchalem, *Deut.* 16: 7. & tunc nulla urgebat neceſſitas occidendi juvencum in cibum reliquo Feſto: verum ſi præterea aliquot Feſti dies commorabantur *Hieroſolymæ*, tunc victus non erat arbitrii eorum, ut ederent omne quod liberet; ſed hiſce juvencis erat victitandum, quia alimentum hoc tempore oportebat eſſe ſanctum. Hinc alia etiam differentia reſultat inter Agnum Paſchalem & juvencos, ſcilicet, non eſſe hos primæ inſtitutionis Paſchalis; neque mactatos eſſe ullos juvencos Paſchate Ægyptiaco, ſed ſolos Agnos.

SECTIO XIX.

Cœnam Joh. 13. *non fuiſſe Cœnam Paſchalem.*

PRimò, communis eſt opinio, Cœnam *Joh.* 13. eſſe Cœnam Paſchalem, & *Judam* Sacramentum Cœnæ Dominicæ non eſſe præſtolatum; nam illum (poſtquam Servator intinxerat offam in amarum vel acidum condimentum, quo cum Agno Paſchali utebantur, atque ei dederat, Satanâ ſimul illum ingrediente) illinc faceſſiviſſe, audito, Quod facis, fac cito. Opinio fundamento improbo ſuperſtructa, ideòque etiam ipſa erronea. Nam minimè id fuiſſe Paſcha, Euangeliſta evidentiſſimè aperit, *verſ.* 1. quando inquit: Fuit ante Feſtum Paſchæ; & *Matthæus, Cap.* 26. *verſ.* 2. ait, Erat biduo ante illud: & reverà duobus milliaribus ab *Hieroſolymis*, *Bethaniæ*. Accurata quatuor Euangeliſtarum digeſtio ac comparatio idem clariſſimè evincet.

Secundò, ſi itaque Cœna Paſchalis non fuit, nullus Paſchalis Agnus eſt quærendus, neque Haroſeth vel condimentum ex amaris herbis, cum quo comeſtum fuerit: ſed cibus, quo illo tempore utebantur, & condimentum in quod Servator offam intinxit, fuit cibus ordinarius & ordinarium condimentum.

Tertiò, *Judas*, quando inde faceſſiverat cum ſuo, *Quod facis, fac cito*, non ivit *Hieroſolymâ* verſus hortum *Gethſemani*, ubi Chriſtus ope ejus captus fuit nocte Paſchæ; ſed confert

confert ſe *Bethaniâ Hieroſolymam*, pactionem conflaturus cum primariis Sacerdotibus, ut traderet illum; quod ubi executus erat, rediit *Bethaniam*.

SECTIO XX.

Cimelia Ægyptiorum mutuo accepta, Exod. 12: 35, 36.

ÆQuali jure hic quæri poteſt, utrum *Iſraël* oſtenderit minus honeſtatis in mutuò accipiendo, quod reſtituere non cogitabant; an *Ægyptii* minus prudentiæ, in mutuo dando, quod non reſtitutum iri ſciebant.

De priori reſponſio facilis eſt, habuiſſe illos expreſſum mandatum Dei, qui nihil injuſti jubere poteſt, & cui in omnibus obedire pietas eſt.

Alterum æque facile hoc modo explicatur, Idololatras in adoratione ſuorum Idolorum ſolere ſe exornare cimeliis ac inauribus, aliiſque elegantiis, ut tanto ſe acceptiores facerent, quemadmodum arbitrabantur, ſuo eleganter exornato Numini. Ita nunc *Ægyptii* de *Iſraële* judicant, eos, cum elegantem ſuum ornatum deſiderari ab iis conſpicerent, ituri entes nunc ad ſacrificandum, cogitare de ſacrificando Diis *Ægyptiorum*, ſicuti antea fecerant; atque ita ſecum ſtatuebant; certè nullum periculum eſſe poteſt ne excedant ex terra, quia adhuc adhærent noſtræ Religioni. Nam *Moſes* tantum verba fecerat de itinere tridui in Deſertum ad adorandum.

SECTIO XXI.

Rameſes, & *Succothæ*, verſ. 37.

CElberrima Numinum Ægypti Dea *Iſis* fuit, cujus paſſim in monumentis Ethnicorum extat mentio. A Deâ hâc ſyllaba ultima in voce *Raamſes* vel *Rame-ſes* videtur petita, ut quæ ſunt urbes de nomine illius appellatæ, & ſignificant urbem *Iſidis*, vel Templum *Iſidis*, vel ſimile quid. Quod enim Ægyptii vocant *Ses* vel *Sis*, linguæ aliæ efferre amant vocali præmiſſa. *Ægyptus* domi dicta fuit *Cophti*; ſed exteri dixere *Ecophti*; unde natum *Ægyptus*. Ita Mare, quod inter Græciæ Gentes interluit, Hebraicè fuit *Mare Gojim*, Mare Gentium: ſed Nationes aliæ præmittere maluerunt E; unde dici cœptum eſt, *EGojim*, ſive *EGæum*. Teſtamentum Syriacum & Arabicum, & ſcripta Judæorum, hujuſmodi exemplorum plena ſunt. *Succothas* ita volunt eſſe appellatas, quia *Iſrael* ibi commoratus eſt & fixit tentoria, cum exirent ex Ægypto: ſed ea profectione nimium habuere timoris à perſecutione *Pharaonis*, quam ut caſtra ponerent ac figerent tentoria loco illi tam propinquo. Urbs itaque potius nomen acceperit à nube gloriæ, quæ hoc loco iis acceſſit, quæque iis fuit למסך *in tegumentum*, *Pſalm.* 105: 39.

Hæc eorum Divina dux non abceſſit ab illis uſque ad mortem *Moſis*, niſi quod vituli aurei cauſa ad aliquod tempus fuerit ablata. Mortuo *Moſe* ab iis omninò receſſit: cum enim tranſirent *Jordanem*, Arca viam præivit, quod quamdiu nubes cum iis erat, nunquam fecerat, ſed inceſſerat in medio corpore, atque ipſo velut corde Exercitus.

Quemadmodum nubes receſſit morte *Moſis*, Prophetæ primi; ita inſtaurata eſt & clarè apparuit obſignatione magni Prophetæ; *Luc.* 9: 30.

SECTIO XXII.

De Decreto Maræ, Exod. 15: 25.

שם שם לו חק ומשפט: *Ibi poſuit ei ſtatutum & judicium.* Deus nunc incipit populum componere ac redigere in formam ſtabilis Reipublicæ; quod fieri nequibat, quamdiu metus & periculum iis impendebat à *Pharaone*: atque hic decernit ſtatutum & judicium ſuper ipſos, quæ expectanda haberent in deſerto, pro ratione obedientiæ. Si attenderent ſedulò ad verba ejus, &c. ſanaturus eos ac immunes ſervaturus erat a morbis, quemadmodum ſanaverat aquas haſce ſalſas, atque ex amaris dulces fecerat: ſin verò ſecus agerent, factis digna recepturos ſe ſcirent. Qui locum hunc obſcurarunt, quæſtionem movendo, an Inſtitutum hoc *Maræ* propoſitum de Sabbatho fuerit, an de Vacca rufa, an de probatione ſuſpectæ uxoris, an de dimenſo cibi per deſertum, obſcuritatem excitarunt ubi nulla eſt; & ſuppoſuerunt, hoc inſtitutum fuiſſe juxta quod *Iſrael* incedere deberet, cum decretum potius fuerit, ſecundum quod Deus agere cum ipſis ſtatuerat pro ratione operum eorum; & convenienter ei explicationi poſtrema verba, ושם נסהו, videntur eum ſenſum habere, *Nam ibi tentaverat eos.*

Vocabulum חק accipitur ſignificatu, qui convenit cum *Pſalm.* 2: 7. *Annuntio id pro decreto*, Quia Dominus dixerat ad me, Tu es Filius meus, &c. Ideò vos Reges & Principes &c. ſubjicimini obedientiæ ejus: alioquin ira ejus brevi accendetur, &c.

Digitized by Google

SECTIO XXIII.

Hiſtoriam de Jethrone, Exod. 18. *loco non ſuo poſitam eſſe; & quare.*

HIſtoriam hanc non locatam eſſe propria ſede, ex hiſce manifeſtum eſt. Primò, *Jethro*, *Moſis gener*, *accepit Holocauſtum & victimas Deo*, *verſ.* 12. Secundò, *Jam verò mane ſedebat Moſes ad judicandum populum*, *verſ.* 13. *& nota iis faciebat Statuta Dei & Leges*, *verſ.* 16. At eo tempore, ad quod hæc Hiſtoria refertur, nondum Tabernaculum vel Altare ad ſacrificandum erat exſtructum; neque ipſe *Moſes* hactenus Statuta & Leges a Deo didicerat: neque enim adhuc pervenerunt ad *Sinai*.

Tertiò, *Moſes* ipſe negat electionem Judicum & Seniorum, quæ *Jethronis* conſilio facta eſt, ante eorum à Monte *Sinai* abitionem contigiſſe. *Jehova Deus noſter allocutus erat nos in* Horebo, *dicendo*, *ſatis habitaſtis in monte iſto*, *&c. Et allocutus fueram vos tempore illo*, *dicendo*, *non ſum ſolus ferendo vos*, *&c. Deut.* 1. à *verſu* 6. ad *verſ.* 19.

Itaque hæc hiſtoria locanda eſt *Capite* 10. *Num.* inter verſus decimum & undecimum; narrationis vero filum eſt hujuſmodi. Poſtquam *Moſes* acceperat omnes Leges, quas Deus ei in Monte *Sinai* dare conſtituerat, ab *Exod.* 20. uſque ad Legem de argenteis Tubis, quæ omnium eſt poſtrema, *Num.* 10. venit *Jethro*, & adduxit *Moſis* uxorem atque liberos: cumque *Moſen* laborantem videret in Judicio, autor ei fuit eligendi Judices, ſibi in auxilium: quo facto haud diu poſt nubes ſe extulit, atque ipſis à Monte *Sinai* erat recedendum, *verſ.* 11. *Iſraële* ad profectionem compoſito, rogavit *Moſes Hobabum* ſive *Jethronem*, ſocerum ſuum, ut iret cum ipſo unà; quod abnuit *Jethro*, rediitque in propriam terram, *Num.* 10: 29, 30, 31, 32. collat. cum verſu ultimo hujus Capitis. Ita ordo hiſtoriæ habet. Ratio vero quare loco ſuo emota ſit, hæc eſt. Verſu ultimo præcedentis Capitis extat maledictio perpetua, decreta adverſus *Amalekum*; *Dominus juravit*, *Domino bellum futurum cum Amaleko de ætate in ætatem.* Jam verò *Midianitæ* & *Amalekitæ* tam promiſcuè agebant, ut unum veluti populum conſtituerent. *Kenitæ* autem, ſive familia *Jethronis*, habitarunt in medio illorum, 1 *Sam.* 15: 6. Idcirco, ut intelligeretur, iſtam *Amaleki* maledictionem nihil ad *Jethronem* pertinere, *Moſes* illum in hac narratione introducit venientem in Caſtra *Iſraëlis* & ad Deum, ſtatim poſt pronuntiatam maledictionem; ut quilibet animadverteret re ipſa, *Jethronem* ab illa haberi immunem.

Object. Sed *Moſes* & *Iſraël* juxta hunc calculum, jam ferè duodecim menſes circa *Sinai* commorati erant, priuſquam illius uxor & liberi ad eum accederent: & an credibile videtur, ut tam parum naturalis affectus inter illos interceſſerit?

Reſp. *Moſis* hæc cura fuit, non ex defectu affectus naturalis, ſed ex pietate, cohibere illorum adventum, donec ingens ipſius labor accipiendi ac promulgandi Legem, tum conſtruendi quoque Tabernaculum, præteriiſſet. Quin Literæ & viſitationes mutuo interceſſerint, non eſt dubium; ſicque ſpatio hujuſmodi disjuncti egerunt conſenſu mutuo ad certum tempus.

Epiſtolarum commercium interceſſiſſe, colligere licet ex *verſ.* 6, 7. *Et Jethro*, *Moſis ſocer*, *dixit Moſi*, *Ego ſocer tuus Jethro venio ad te. Tunc proceſſit Moſes obviam ſocero ſuo. Jethro* non loquitur hæc verba, *Ego venio ad te*, præſens præſenti: nam quomodo fieri potuit, ut iis auditis, *Moſes* ſocero obviam proceſſerit ſi præſens adeſſet? Neque etiam per internuntium iſta potuerunt eſſe dicta: impropriè enim & inficetè dixiſſet internuntius, *Ego Jethro venio ad te.* Sed *Jethro* ipſe *Moſi* per literas ſignificat, priuſquam ad illum veniat; quo facto *Moſes* ipſi obviam procedit.

SECTIO XXIV.

De profectione Iſraëlis Raphidimis in Sinai. Paulus explicatus, 1 Cor. 10: 4.

QUæſt. Quomodo dici poteſt, profectos eſſe *Raphidimis*, & veniſſe in *Sinai*, cum idem uterque locus fuerit? Omnibus enim notum eſt, montem, in quo Lex data eſt, dici *Horebum* & *Sinai* abſque diſcrimine. Confer *Exod.* 19. 18. cum *Mal.* 4: 4. At cum *Raphidimis* eſſent, erant ad *Horebum*, *verſ.* 2. Ita ut proficiſci *Raphidimis* in *Sinai*, ſit proficiſci ex *Horebo* in *Horebum*.

Reſp. Mons, in quo Lex erat lata, binominis fuit, &, quemadmodum *Bellonius* ſcribit, biceps; cujus una pars appellata fuit *Horeb*, à ſaxoſa ſiccitate, ut quæ aquæ omnino expers eſſet: altera verò *Sinai*, à ſenticetis ac rubis, quorum ibi erat copioſus proventus, & in quorum uno *Moſes* Dominum viderat in flammâ ignis: niſi nomen habuerit à *Sini*, filio *Canaanis*, *Gen.* 10. Jam vero quando *Iſraël* commorabatur *Raphidimis*, locum tenuerunt à parte *Horebi*, indeque ex arida rupe *Moſes* miraculoſè aquam produxit. Profectio itaque *Raphidimis* per circuitum Montis fuit, *Horebo* ad latus Montis, ubi *Sinai* erat. Atque hoc ſenſu intelligendus eſt *Paulus*, 1 *Cor.* 10: 4. *Bibebant ex rupe ſequente illos.* Non quod Rupes ſe commoverit, eoſque fuerit comitata:

ſed

ſed quod aqua, quæ miraculoſe erumpebat ex uno latere montis *Horebi*, proſecuta illos fuerit, proficiſcentes per montis radices, donec pervenirent ad alterum latus montis *Sinai*. Atque ita accipienda ſunt verba ipſius *Moſis*, *Projeci pulverem vituli aurei in torrentem, qui deſcendit ex illo monte*, *Deut.* 9:21. Non quod torrens eruperit è monte eâ parte, ubi vitulus fuit erectus; ſed quod parte altera per vallem montis decurrens illuc fuerit derivatus.

SECTIO XXV.

Statio & forma Iſraëlis ante Sinai, Exod. 19.

Die primo menſis *Sivan*, qui incidebat fere in medium *Majum*, St. V. anno Mundi 2513. venerunt *Raphidimis* in *Sinai*, ubi exercitus fixit tentoria; eo maxime latere, quod Euro ac Vulturno objacet. Vide *Deut.* 33:2. & compara ſitum *Sehiris*.

Tribus partibus Exercitus illorum ante illum locum conſedit.

I. Proxime montem tendebant Seniores, five 70. principes præcipuarum familiarum, quæ Ægyptum intrarant: atque hi dicebantur *Domus Jacobi*, *verſ.* 3. ut *Gen.* 46:27.

II. Proxime à tergo tendebat maxima pars populi, quæ tot centenis millibus conſtabat, atque nomine *filiorum Iſraëlis* inſigniebatur, *verſ.* 3. quæ diſtinctio obſervata eſt *verſ.* 7, 8. *Et Moſes vocavit Seniores*, *&c.* *Reſpondit autem totus populus*, &c.

III. Loco omnium extremo locata erat mixta multitudo, ſive Ægyptii, qui ſe Iſraelitis adjunxerant & una cum illis erant egreſſi.

Die ſecundo menſis & adventus eorum eò loci, Moſes aſcendit in montem, iſtuc vocatus à Domino, *verſ.* 3. & poſtquam deſcenderat, retulit ad populum verba Domini, *verſ.* 5. *Si ſeduló attendetis voci meæ, & ſervabitis fœdus meum; utique eritis mihi peculium præ omnibus aliis populis.* Ad quod *Iſraëlitæ*, prius etiam quam ſcirent quæ Præcepta Domini eſſent futura, promittunt attentionem atque obedientiam; non præcipiti ſuſceptione de perficiendo quod ignorarent, ut nonnulli eos reprehendere auſi ſunt; neque præſumptione de propriis viribus ſervandi Legem, ut alii adverſus eos ſtatuerunt; ſed illi, ut educati erant ab infantia, & inſtructi in doctrina Fidei, piè concludunt, cum Deus propoſuiſſet Legem ipſis dare, & Fœdus cum illis facere, minimè eum ſibi eſſe adverſaturum in ſalutis Doctrinâ; quin Legem, quam jam daturus ipſis erat, fore Legem, quæ porrò conferret ac duceret ad Fidem, inſtar Pædagogi ad Chriſtum, non vero quæ extingueret doctrinam ſalutis per eum obtinendæ.

Die menſis tertio *Moſes* iterum in Montem aſcendit, *verſ.* 9. & mandatum accipit populum ſanctificandi; quod eodem die factum eſt. Quarto autem & quinto, & ſexto mane decem Præcepta ſunt data.

SECTIO XXVI.

Judæorum opinio de Lege. Talm. in Maccoth. Rab. Abhubah Ner. 1.

Tota Lex, inquiunt illi, *data eſt Moſi; conſtans ſexcentis & tredecim præceptis. David Pſalmo decimo quinto omnia undecim præceptis comprehendit.* I. *Ambulare integrè.* II. *Agere juſtè.* III. *Loqui veritatem ex animo.* IV. *Non obtrectare.* V. *Injuria non afficere proximum.* VI. *Non amplecti, neque ſuſcitare opprobrium.* VII. *Contemnere reprobum.* VIII. *Honorare timentes Jehovæ.* IX. *Et eum, qui non mutat juramentum ſuum.* X. *Non dare mutuum ad uſuram.* XI. *Non accipere munera adverſus innocentem.*

Propheta Eſajas hæc reducit ad ſex, Cap. 33. verſ. 15. I. *Ambulare juſtè.* II. *Loqui rectè.* III. *Aſpernari lucrum.* IV. *Excutere manus ne accipiant munera.* V. *Obſtipare aures ne audiant ſanguinem.* VI. *Avertere oculos ne videant malum.*

Micha contrahit ad tria, Cap. 6: 8. I. *Agere juſtè.* II. *Amare benignitatem.* III. *Ambulare demiſſe cum Deo.* *Eſajas autem ad duo*, Cap. 56: 1. I. *Obſerva jus.* II. *Exerce juſtitiam.* *Amos comprehendit uno ſolo*, Cap. 5:4. *Quærite me.* *Et conſimiliter Habakuk*, Cap. 2. verſ. 4. *Juſtus fide ſua vivet.* Ita Judæi teſtimonium perhibent adverſus ſeipſos, quatenus ſtatuunt Fidem eſſe ſummam Legis, & nihilominus unicè operibus inſiſtunt. Teſtimonium Judæorum omninò animadvertendum.

SECTIO XXVII.

Articuli fidei credentis Judæi, collecti ex Moſis Lege.

I. *Credo ſalutem per fidem eſſe, non per Opera.*

Quando Judæi Talmudici concipiunt talem confeſſionem, qualis proxime eſt memorata, in qua omnem ſubſtantiam ac medullam Legis redigunt ſub unam hanc doctrinam, vivendi ſcilicet per Fidem, *Hab.* 2:4. *Juſtus per Fidem ſuam vivet:* minime mirum eſt, ſi vetuſtiores ac ſanctiores Judæi ſub Lege ſalutem expectabant, non per propria merita atque opera, ſed per Fidem ſolam. Fundamentalem hunc Religionis articulum promptum iis fuit diſcere ex his duobus.

I. Ex

1. Ex eo, quia obſervare Legem prorſus nequibant; quod conſcientia illorum ex ineptitudine audiendi Legem, & ex quotidianis lapſibus, non potuit non teſtari. 2. Ex eo, quia videbant homines ſanctiſſimos & cultus ſanctiſſimos, ſanctitatem non à ſeipſis habere, ſed mutuari aliunde. Ita enim animadvertebant Sacerdotem (qui erat, vel eſſe ſaltem debebat inter eos ſanctiſſimus) ſanctificari per veſtes ſuas, & ſacrificia ſanctificari per Altare. Ex his præmiſſis non poterant non concludere, nullum hominem, nullum etiam vel optimum cultum acceptari poſſe, ut in ſe ſanctum, ſed per aliud eſſe ſanctificandum.

II. *Credo non eſſe ſalutem ſine reconciliatione cum Deo, & non eſſe reconciliationem ſine ſatisfactione.*

Prior hujus Articuli pars adeo eſt plana, ut natura quoque eam doceat; ut conſimiliter poſteriorem: cui ſi adjicias *Moſaicam talionis Legem*, *Oculus pro oculo*, *dens pro dente*, omnis dubitandi ratio excluditur.

III. *Credo ſatisfactionem aliquando præſtitum iri.*

Id promptum erat colligere ex quotidiano ſacrificio, quod reſpiciebat tempus, in quo præſtanda eſſet ſatisfactio plena, cujuſmodi per infirma hęc & vilia perfici non poterat. Neque minus id ſignificabatur per annum *Jubilæum*, quando homines debitis ac ſervitute diſſolvebantur; ut qui ipſo tempore anni, quando annus *Jubilæus* capiebat initium, omnem *Iſraëlem* excitabat ad cogitandum de *Jubilæo* à peccatis & ſervitute Satanæ, in quam incidit humanum genus eodem anni tempore.

IV. *Credo hanc pro peccato ſatisfactionem præſtitum iri per virum quempiam.*

Rationi conſentaneum eſt, ut peccante homine homo ſatisfaciat: ſed *Moſis* lex de redemptione agri per propinquum, docuit *Iſraëlem* expectare ut aliquis, qui affinis eſſet carne humano generi, redimeret cœlum ipſi oppignoratum. גאל Hebraicè ſignificat & affinem & Redemptorem.

V. *Credo futurum illum eſſe homine majorem.*

Hoc didicerunt ex miniſterio publico in Tabernaculo, ubi Pontifex Maximus, vir adeò plenè ſanctificatus, quam quiſpiam eſſe poſſet, quoad functionem ejus externam; ſacrificium tamen iterum iterumque offerebat pro populo ac ſeipſo, neque tamen immundi eſſe deſinebant. Hinc res liquet congrua cujuſque captui, merum hominem, opus ſatisfactionis exequi non poſſe; ſed neceſſe eſſe, ut ſit quid homine majus.

VI. *Credo requiri, ut Redemptor tam Deus, quam homo eſſet.*

Ineptitudo beſtiarum ad præſtandam ſatisfactionem manifeſta illis erat ex eo, quod aliæ rurſuſque aliæ cæderentur in ſacrificium; neque cujuſquam tamen conſcientia eò magis eſſet mundata. Ineptitudinem hominis modò vidimus. Quod proximum ei operi deſtinaretur, Angeli erant: Sed eos *Iſraël* conſpiciebat in aulæis Tabernaculi ſpectatores tantummodò, & non actores in exequendâ reconciliatione. Unde iis concludere promptum erat, Deum requiri habitantem cum homine in unâ Perſonâ, ut nubes, gloria Dei, ab Arcâ nunquam diſcedebat.

VII. *Credo hominum Redemptorem, ut ſatisfactionem perficiat, ſuccubiturum morti.*

Hoc colligebant ex perpetuis cruentis ſacrificiis, & fœderibus factis, rebuſque omnibus mundatis per ſanguinem. Hinc fortuitus homicida admoneri poterat atque animadvertere, quemadmodum per mortem Summi Sacerdotis libertas ipſi reſtituebatur, fore ut humano generi per mortem Summi Sacerdotis reſtitueretur glorioſa libertas filiorum Dei. Liberatio eorum ex *Ægypto* per mortem Agni æque idem commonſtrabat.

VIII. *Credo moriturum eum pro peccatis; non propriis, ſed hominum.*

Sacrificia ſingula hoc commonefaciebant, quoties beſtiæ ac aves maximè innoxiæ offerebantur.

IX. *Credo eum ex morte eluctaturum.*

Hoc *Iſraël* neceſſariâ conſecutione collegit, Chriſtum, ſi morti erat ſuccubiturus, nihil facturum præter id, quod antea homines fecerant. Reſurrectionem ejus videbant in virgâ *Aaronis*, Manna, Hædo dimiſſo, Paſſere, &c.

X. *Credo me ſalvandum per fiduciam in illius meritis.*

Impoſitio dextræ in caput cujuſque beſtiæ, quam adducebant ſacrificandam, docebat illos, peccata ſua alteri eſſe imputanda; & retentio cornuum Altaris, aſyli adverſus vindictam, docebat, alterius merita eſſe imputanda ipſis; quanquam peccatores omnes per Altare non ſalvabantur, *Exod.* 21: 12. 1 *Reg.* 2: 29. cujus rei cauſa cum non in Altari hæreret, ſed in peccatore, facile eſt concludere, quid hoc iis ſignificarit.

Hactenus quiſque ſanctus *Iſraëlita* in hoc doctrinæ capite Chriſtianus fuit, reperiens per ſerium ſtudium hos articulos ſub velamento *Moſis*. Si qui eorum erant ignari, edocebantur ſingulis Sabbathis per doctos, qui Scripturas iis prælegebant atque exponebant. Per fundamenta hæc *Moſis*, & Prophetarum in ea Commentarios ſuper fide de *Meſſia*, Scholæ Judæorum eò peritiæ devenere, ut Diſcipuli illorum mentionem fecerint nominis *Jeſu*; memorarint tempus nativitatis ejus, menſe *Tiſri*; definierint ſpatium miniſterii

ſteril ejus, tres annos cum dimidio; deſignarint annum mortis ejus, annum *Jubilæum*; ſimiliaque alia, quæ in eorum Scriptoribus reperiuntur, quanquam ipſi non agnoverunt eum, in medio ipſorum comparentem.

SECTIO XXVIII.

Fœdus initum cum Iſraële; in quo ipſi non jurarunt in decem Præcepta, Exod. 24.

QUando *Iſraël* audire decem Præcepta non ſuſtinebat, promptum erat colligere, multo minus obſervare ea potuiſſe. Idcirco Deus *Moſi* ſeorſim dedit quinquaginta ſeptem præcepta alia, ſcilicet Ceremonialia ac Judicialia: in quæ omnia populus, mane proximo à latis decem præceptis, juravit fœduſque iniit; atque hæc eos populum fecerunt Ceremonialem & ſingularem. De quibus hæc obſervare licet.

I. Iniiſſe illos fœdus Lege ſcripta, *Cap.* 24: 4. *Et ſcripſit Moſes omnia verba Jehovæ, &c.* Quod facit contra Traditiones.

II. Librum hic fuiſſe ſcriptum quadraginta diebus ante ſcriptionem duarum Tabularum. Adverſus eos, qui pertendunt, primas literas, quas mundus viderit, fuiſſe ſcripturam Dei in his Tabulis. Prætereaque vidimus ſuperius duo Scripturæ monumenta iis, quæ *Moſes* reliquit, antiquiora, Pſalmos nimirum LXXXVIII. & LXXXIX. Et ejuſdem cum iis ætatis, vel non multo inferioris, eſt ſcriptio Libri *Jobi*, quæ probabiliter eſt profecta ab *Elihu*, collocutorum uno, ut conjicitur ex *Cap.* 32: 15, 16, 17. aliiſque veriſimilibus argumentis.

III. Primum hoc Fœdus percuſſum eſſe per aquam ac ſanguinem, & locutionem figuratam: duodecim enim ſtatuæ, quæ repræſentabant populum, vocantur *populus*, *Exod.* 24:4,8. Quemadmodum verba in Fœdere ſecundo, *hoc eſt corpus meum*, accipienda ſunt conſimiliter improprio ſenſu.

IV. Decem præcepta non inſcripta fuiſſe in Libro iſtius Fœderis; ſed ſolummodo 57. hæc præcepta, quæ modo diximus.

Nam: I. Dominus alia illa præcepta dat, quia populus iſta decem nequibat recipere; nam ſi hæc recipere atque obſervare potuiſſet, quemadmodum debebat; non fuiſſet neceſſe, ut aliam inſuper legis partem acciperet: veluti, ſi *Adam* obſervaſſet Legem moralem, non opus habuiſſet audire promiſſionem: itidem, ſi poſſemus recipere eandem legem, ut debemus, nunquam nobis opus eſſet Euangelio. Jam verò minimè eſt veriſimile, Deum, cum iis dederit alia illa præcepta, quia decem recipere nequibant, miſcere voluiſſe utraque in Fœdere.

II. Concipi non poteſt, Deum unquam adigere voluiſſe populum ad juſjurandum de plenâ obſervatione Legis, quam, ubi pronuntiabatur, ne audire quidem poterant.

III. Non opus erat ut decem Præcepta à *Moſe* populo prælegerentur, cum eadem ex ore Domini pridie jam audiiſſent.

IV. Si ſcripta atque cuſtodita fuiſſent in hoc libro, quid cauſæ fuiſſet, cur inſcriberentur atque conſervarentur in Tabulis lapideis?

V. Si *Moſes* legiſſet decem Præcepta initio hujus Libri, cur aliqua ex iis repeteret propè finem, ut *Exod.* 23: 12.

Ruminentur hæc ii, qui arbitrantur ac tueri volunt, Sabbatum, prout quarto præcepto continetur, tantum Judaicum eſſe ac proinde ceremoniale: & conſiderent probi illi viri, qui diem Dominicum aſſeruerunt adverſus alios, an non adverſariis nimium conceſſerint, largiendo, Præcepto quarto inſtitutum eſſe Sabbatum Judaicum.

Nam, primò, Judæi non juraverant in Decalogum omninò, atque idcirco nec in Sabbatum ut ibi occurrit; ſed ſolummodò in quinquaginta ſeptem Præcepta ſcripta in Libro *Moſis*, atque ita in Sabbatum, ut ibi invenitur, *Exod.* 23: 12.

Secundò, finis Sabbati Ceremonialis Judæorum erat in memoriam liberationis ipſorum ex Ægypto, *Deut.* 5: 15. Sed Sabbatum morale duarum Tabularum eſt in recordationem quietis Dei ab operibus creationis, *Exod.* 20: 10, 11.

SECTIO XXIX.

Punitio Iſraëlis propter vitulum aureum, Exod. 32.

ISraël nequit tam diu carere *Moſe*, quamdiu *Moſes* cibo. Ignis adhuc ardet in cacumine montis *Sinai*, è quo nuper adeo receperant Legem; & tamen illi tam citò violabant maximum iſtius Legis Mandatum graviſſimâ tranſgreſſione. Ex cimeliis *Ægyptiis Ægyptium* conflant Idolum, meditantes, ſi perditus fuiſſet *Moſes*, in *Ægyptum* reverti.

Grave erat peccatum, pro quo iis gravis pœna expectanda erat, quæ per varias generationes illis erat incubitura.

Primò, Nubes Gloriæ, divina eorum dux, diſceſſit à caſtris, quæ jam prophana atque immunda evaſerant.

Secundò, Tabulas coram facie illorum *Moſes* confregit, oſtendens eo facto, illos fœdere eſſe prorſus indignos.

Tertiò, Ædificatio Tabernaculi, quod ſignum futurum erat manifeſtum, velle Deum in medio illorum habitare, dilata eſt in

Digitized by Google

aliud tempus: nunc enim indignos ſe reddiderant.

Quartò, propter hoc peccatum tradidit eos Deus ad ſerviendum omni exercitui Cœli, *Act.* 7:42.

Quintò, *Moſes* comminuit vitulum in pulverem, & diſperſit in ſuperficiem aquarum, juſſitque populum bibere. Hic ſcortatio ſpiritualis eidem ſubjicitur probationi, cui carnalis, *Num.* 5:24. Eorum, qui Idololatriæ hujus rei erant, faciebat aqua ſic hauſta ut venter intumeſceret, & manifeſtum culpæ ſignum exhiberet; inde *Moſes Levitas* conſtituebat, cum mandato cædendi univerſos, quorum ventres invenirentur adeum modum intumuiſſe: quod illi tanto cum zelo & ſinceritate executi ſunt, ut pepercerint neque Patri neque Fratri, ſi culpæ viderent obnoxios.

In cæde hac ceciderunt ter circiter mille, qui anteſignani fuerant & duces in hac abominatione; unde & in exemplum ſunt puniti. In cæteros è populo Dominus immiſit Peſtem, *verſ.* 35.

Aaron primum dolorem in hac deſtructione fuiſſet experturus, ſi id, quod in hoc negotio egit, tam ſponte egiſſet, quam illi; ſed quidquid patratum ab eo eſt, ex vitæ metu factum eſt.

SECTIO XXX.

Moſen habuiſſe tria jejunia, ſingula quadraginta dierum.

Dubium eſt haud parvi momenti; Quare, cum placuerit Deo inſtituere Feſtum expiationis, ſolemne illud humiliationis Feſtum, eo anni menſe, quo peccatum intravit mundum, quare, inquam, non inſtituerit id eo die, quo peccatum intravit, videlicet die non ſexto, ſed decimo.

Ratio ejus quærenda eſt in obſervatione jejuniorum *Moſis* in monte, & in illorum poſtremi terminatione.

Jejunaſſe eum dies quadraginta tribus vicibus, non ita vulgo obſervatum eſt, quam facile eſt concludere ex propriis illius verbis.

Primum jejunium patet *Exod.* 24:18. *Et fuit* Moſes *in monte quadraginta dies & quadraginta noctes.* Ad finem horum dierum conficiebant vitulum aureum.

Secundum jejunium *Exod.* 32:30,31. *Poſtridie autem dicebat* Moſes *populo, vos peccaſtis peccato magno; nunc itaque adſcendam in montem, &c. Itaque reverſus eſt* Moſes *ad Jehovam, &c.* quod ipſe explicat, *Deut.* 9:18. *Deinde procidi coram Jehovâ ſicut prius, quadraginta dies & quadraginta noctes, &c.*

Tertium jejunium, quando adſcendit cum Tabulis recens dolatis, *Exod.* 34:28. *Et fuit ibi cum Jehova quadraginta dies, & quadraginta noctes, &c.*

Totum hoc ſi in unum computetur à die, quo decem præcepta data ſunt, ſive à ſeptimo die menſis *Sivan*, comperietur, jejunium ejus poſtremum, quando *Iſraëli* veniam impetravit & renovavit Tabulas, deſiiſſe in diem decimum menſis *Tiſri*; quo die deſcendit cum læto nuntio reconciliationis, in cujus rei memoriam dies iſte perpetuo dicatus fuit Feſto expiationis. Hiſce auditis unâ cum præcepto de extruendo Tabernaculo, incipit populus miſſis tentoriis tabernacula conſtare firmiora; quia longum erat futurum, antequam opus perficeretur, ipſique è *Sinai* diſcederent. Eam ob cauſam Feſtum Tabernaculorum relatum eſt ad diem menſis decimum quintum.

Hinc Tabernaculum cœptum eſt: & paulò minus dimidio anno iſti operi impenſum eſt.

SECTIO XXXI.

Forma ſive Idea, & repræſentatio Tabernaculi.

Forma & fabrica Tabernaculi ter repetita eſt, in exemplari, confectione & erectione: tanquam triplici hoc fune deſcriptionis Spiritus Sanctus adducere omnes vellet ad ſeriam obſervationem.

Videbat *Moſes* glorioſum Tabernaculum conſtitutum in Monte *Sinai*, exemplar illius, quod ipſe erat conſtructurus: quemadmodum poſterius futurum erat exemplar alterius magis glorioſi. Secundum exactam formam ejus quod viderat, ſuum erat confecturus. Quod docebat *Moſen* & *Iſraëlem*, confectionem & miniſterium Tabernaculi ſui unicè inſerviiſſe exemplari atque umbræ rerum cœleſtium, *Hebr.* 8:5. Chriſtus eſt verum Tabernaculum, per quem & in quo Deus habitat inter homines, *Joh.* 2:21. *Heb.* 9:11. Quemadmodum verò Tabernaculum fuit conſtitutum coram Deo in *Sinai*, priuſquam ullum factum erat in *Iſraële*; ita Chriſti incarnatio in Dei decreto diu præceſſit exhibitionem ipſius in carne. Poſt confectum *Moſis* Tabernaculum, id, quod in monte fuerat, evanuit; ſicut evanuit *Moſaicum* poſt adventum veri, hoc eſt, Chriſti.

Tabernaculum mobile *Iſraëlis* Templum fuit, unde itaque ſingulis profectionibus diſcere poterant, aliud immobile præ oculis habere. Conſtitit partibus tribus, Sancto Sanctorum, Sancto & Atrio, planè ut Templa noſtra, ubi eſt Adytum, Alveus & Cœmeterium. Quotieſcunque depoſitum fuit, dirigebatur in Orientem ac Occidentem, in modum noſtrorum Templorum: hac tamen cum differentiâ, quod pars Tabernaculi præcipua, & ſan-

Digitized by Google

ſanctiſſima omnium, noſtris reſpondens Adytis, obverſa fuerit Occidenti, atque Iſraël adorarit facie in Occidentem converſa; ut qui gentes imitari nollet, adorantes vultu directo verſus Orientem. In miniſterio autem ſuo ſemper nos Gentes, ad Occidentem degentes reſpiciebat, tanquam exſpectans fore ut ſecum Deo ſuo jungeremur.

SECTIO XXXII.

Dimenſiones Tabernaculi.

TAbernaculum longum erat cubitos triginta: nam viginti aſſeres, unum cubitum cum dimidio longi, complebant unum latus, ſive longitudinem ejus; latum autem erat cubitos decem, ſicut patebit poſtea. Interea verò hæc duo obſerventur.

Primò, quæ hic *tabulata* vertuntur, verè aſſeres fuiſſe craſſiuſculos, nempe ſingulos novem pollicum: dicitur enim in explicatione colligationis laterum Tabernaculi, tranſtillum è lignis Cedrorum pertranſiiſſe craſſitiem tabulatorum, quemadmodum ſtabant altera per latera alteris juncta: iſtud vero tranſtillum non fuit tenue quippiam; præcipuum enim erat lateris firmamentum: atque idcirco habere debuit foramen amplum, quo pertranſiret, ac proinde requirebatur aſſer craſſior, qui foramen ejuſmodi ferret, & non qui unum modò aut duos pollices eſſet latus.

Secundò, cubitum, quo menſuratum fuit Tabernaculum, tantum fuiſſe menſuram ſeſquipedalem, ſive cubitum communem; non verò Sanctuarii, ſive ſacrum cubitum qui erat trium pedum. Nam primò, dictum eſt, ſingulos aſſeres fuiſſe cubitum unum cum dimidio latos; ſi autem fuerint quatuor pedes cum dimidio, perpende ubi aſſeres ejuſmodi latitudinis fuiſſet invenire. Secundò, ſinguli aſſeres longi erant cubitos decem; ſi fuerint triginta pedum, quomodo poſſent portari? Tertiò, binæ argenteæ Baſes longitudine æquabant aſſeris unius latitudinem: jam verò duo talenta minimè ſuiſſent ſuffectura quatuor pedibus cum dimidio. Poſtremo, Altare Holocauſti tres cubitos altum erat; ſi ii eſſent novem pedum, quis in miniſterii functione ad eam altitudinem poſſet pertingere? His expenſis, deprehendes, cubitum, cujus hic fit mentio, tantum eſſe menſuram ſeſquipedalem: quæ res conducet ad menſuranda ea omnia, de quibus poſtea dicetur.

SECTIO XXXIII.

Populi contributio ad fundamentum argenteum: ejuſque forma & facies.

COncipe per imaginationem quadratum inæquale, ſive aream triginta cubitos, ſive quadraginta quinque pedes longam; latam autem cubitos decem, ſive quindecim pedes. Ejuſmodi fuit ambitus Tabernaculi intra ſuos parietes. Fundamentum erat ex ſectionibus argenti ſolidis, adumbrans ſoliditatem puritatemque veritatis, ſuper quam Eccleſia fundata eſt. Hæ ſectiones argenteæ univerſe erant centum: & in ſingulas ſectiones impenſa erant ſingula talenta argenti. Singulis viris in Iſraële à nato viginti annos & deinceps incumbebat pendere dimidium ſicli ad materiam harum ſectionum; cum in rebus cæteris ad certam ſummam obligati non fuerint, ſed ut darent prout cuique viſum eſſet. Hoc eos docere potuit, ad fundamenta Religionis omnes eſſe obſtrictos, ſed quantum ad cætera attinebat, unumquemque dare debere, prout ipſi datum eſſet. Quo pacto dimidium ſicli largiendum, ſcriptum invenitur, *Exod.* 38: 26, 27, 28. Numerati fuere ex Iſraële à viginti annos nato & deinceps ſexcenties & ter mille & quingenti ac quinquaginta viri. Quod ita colligitur. Talentum ſanctuarii continebat 120. libras, libra 25. ſiclos, ſive 50. dimidios ſiclos; adeò ut ſingula talenta continerent 3000. ſiclos, ſive 6000. dimidios ſiclos. Adeo ut ſexcenties mille dimidia talenta, collata per ſexcenties mille viros, conficiant talenta centum. Jam verò præter hos fuere ter mille quingenti & quinquaginta viri, qui conferebant totidem dimidios ſiclos, ſive mille ſeptingentos ſeptuaginta quinque integros, è quibus confecti ſunt columnarum unci, &c. *Exod.* 38: 28. Centum hæc argenti talenta in eam erant figuram redacta, ut conflata eſſent ſingula in maſſam ſolidam pollices tredecim & dimidium longam, & pollices novem quadraturâ; in eo latere, quod ſurſum ſpectabat, erat cavum proximè extremitatem. Jam verò binæ & binæ junctæ erant extremis partibus: & cava non erant in partibus junctis, ſed in extremis.

Porrò ſinguli aſſeres, ex quibus facta erant latera, quindecim pedes alti fuerunt; ſed pollices viginti ſeptem lati; ita ut exactè latitudine ſuâ longitudini binarum ſectionum argentearum reſponderint. Ad pedem aſſeris in quoque angulo, facta erat impages, mediâ parte aſſeris reſecta, vel tantundem demiſſa inter impagines, quantum longitudinis ipſæ comprehendebant: adeò ut quando impagines immiſſæ erant in ſua cava, medium aſſeris niteretur ſectionibus, ſive baſibus.

Digitized by Google

SECTIO XXXIV.

Parietes ac compages Tabernaculi.

HÆ itaque argenteæ Baſes ita collocatæ erant, ut quadraginta ad latus Auſtrale, quadraginta ad Septentrionale, & ſedecim ad partem Occidentalem tam arctè fuerint junctæ, quam fieri poterat; utque, etiamſi tot eſſent illæ numero, tamen non niſi unum conſtituerint ac perpetuum fundamentum. His è centum talentis impenſa ſunt nonaginta quinque, ſcilicet in duobus lateribus & in extremâ occidentali parte: quid de quatuor talentis reliquis factum ſit, deque parte orientali, poſtmodum videbimus.

Baſes porro hæ ita erant poſitæ, ut duo aſſeres iis immiſſi fuerint, aſſeres ſinguli duabus Baſibus nixi, utque viginti aſſeres comprehenderint latus Auſtrale, & totidem Septentrionale; octo autem occidentalem partem. Singuli hi longi erant quindecim pedes, atque ita, cum erecti erant, faciebant ut Tabernaculum aſcenderet ad altitudinem pedum paulo amplius quam quindecim quoad parietes: ut porro aſſeres illi immoti ac ſtabiles conſiſterent, multum juverunt duo aſſeres angulares; de quibus primo memineris; quam latera longitudinem habuerint, nempe pedum quadraginta quinque, ſive quæ reſponderet latitudini aſſerum viginti, qui ſinguli haberent pollices viginti ſeptem. Pars Occidentalis habebat integros ſex aſſeres, præter aſſerem ad ſingulos angulos extremum lateribus conjungentem. Aſſeres angulares ejuſdem erant cum reliquis omnibus latitudinis, & collocati in hunc modum; medium latitudinis unius aſſeris junctum erat extremitati lateris Meridionalis, ſive ei aſſeri, qui ultimus in Occidentem porrigebatur, adeo ut novem pollices de latitudine aſſeris angularis introrſum ſpectaverint, ad conficiendam Tabernaculi latitudinem: novem alii pollices impenſi fuerunt craſſitiei aſſeris lateralis cui conjungebatur; alii item novem exterius prominebant.

Ita habebat verſus Notozephyrum: & eodem planè modo in altero angulo Caurum verſus. Deinceps ita rem puta: Bini angulares aſſeres, qui introrſum porrigebantur, ſinguli novem pollicum; & ſex aſſeres inter illos medii, viginti ſeptem pollicum ſinguli, continent pedes quindecim, qui exactè ædificii latitudinem intra parietes complectuntur. Anguli hi connectebant extremam partem & latus, erantque ædificii firmamentum; quemadmodum *Chriſtus* Eccleſiæ eſt, Judæos ac Gentes in unum ſpiritualeTemplum compingens.

Præter hos angulos, Fabricam corroborantes, addita erant ſeptem vincula ut ad ſecuritatem nihil deeſſet. Primò aſſeres erant aſſeribus juncti ad pedem, adeo ut Textus eos nominet תאמים, ſive gemellos. Secundò, aſſeres ſinguli erant juncti proximis commiſſurâ aureâ. Tertiò, ad latus annuli Aurei affixi erant ſingulis aſſeribus, adeò ut quatuor vectes de lignis Cedrorum lectiſſimarum obducti auro eſſent inditi annulis ab una extremitate Tabernaculi ad alteram. Præter hoſce erat alter etiam vectis de eodem ligno, qui pertranſibat ab uno extremo ad alterum per corpus ſive craſſitiem aſſerum, facto in eum finem in aſſeribus ſingulis foramine. Hiſce vectibus Chriſtus aptè repræſentatur, qui vehitur per Scripturam totam in annulis variorum Textuum ac Hiſtoriarum. Quarto Capite Epiſtolæ *ad Epheſios* memorantur ſeptem vincula, quæ Eccleſiam connectunt ad unitatem: Primò, unum corpus: ſecundò, unus ſpiritus: tertiò una ſpes vocationis noſtræ: quartò, unus Dominus: quintò, una fides: ſexto, unus Baptiſmus: ſeptimò, unus Deus & Pater omnium.

Specta nunc per imaginationem corpus Tabernaculi, quatenus ex ſolis aſſeribus, è ligno Cedrino lectiſſimo nullâ re aliâ adjecta, compactum eſt. Longitudo ejus ab extremo ad extremum pedes quadraginta quinque explet; latitudo à latere ad latus pedes quindecim. Latera & extremum Occidentale aſſeribus in altitudinem educta pedes quindecim, & paulo amplius; fundamentum horum aſſerum, ſectiones argenti ſolidæ. Ædificii culmen & extremum Orientale tecto carent, donec poſtea eo inſtruantur. Primo itaque dicendum eſt de tecto culminis laterumque, & extremi occidentalis.

SECTIO XXXV.

De Aulæis Tabernaculi.

TAbernaculum erat circumdatum Aulæis [quæ portatu eſſent leviſſima] culmen & latera obtegentibus. Aulæa hæc erant operis Phrygii; materia, Xilinum, hyacinthinum, purpureum & coccineum dibaphum, ſimul contextum: exornatio, picturæ Cherubinorum.

Aulæa numero erant decem, ſingula viginti octo cubitos, ſive duos & quadraginta pedes longa: lata autem quatuor cubitos, ſive ſex pedes. Conſuta erant inter ſe, quina aulæa ſeorſim; & quina itidem alia ſeorſim: adeo ut conficerent Tapeta duo valde ampla, pedes duos & quadraginta longa & triginta lata. Appellantur *Exod.* 26:5. *Commiſſuræ*. Hæc autem duo invicem juncta erant hunc in modum. In orâ ſingulorum facta erant quinquaginta loramenta hyacinthina, quæ ſibi invicem reſponde-

derent, & quinquaginta anſulis aureis loramenta connexa erant; ſicque è duobus integris aulæis factum eſt unum tegmen, ſive Tabernaculum, *Exod.* 36:13.

Quæſt. Quarè univerſa decem Aulæa non conſuta fuerunt in unum tapetum; ſed quina & quina ſimul, in tapeta duo: hæcque deinceps fibula vel anſula aurea connexa?

Reſp. Primo, Tabernaculum diſtinctum erat in duas partes; Sanctum, & Sanctum ſanctorum; quæ velo invicem fuere ſeparata; de qua re inferius. Jam verò pro diviſione ædificii, & aulæa diviſa fuerunt. Nam *Exod.* 26:32. manifeſtum eſt, velum, quod Sanctum à Sancto ſanctorum ſeparabat, appenſum fuiſſe directe infra iſtas anſulas aureas, quæ quina & quina Aulæa connectebant: adeò ut quinque Aulæa expanſa fuerint ſuper Sanctum, & altera quinque ſuper Sanctum ſanctorum; verum cum hac differentia: Sanctum triginta pedes longum erat; Aulæa verò quinque] ſimul conſuta ejuſdem exactè erant amplitudinis: idcirco ſupernè duntaxat & latera contegebant; non autem extremitate Orientali ad interiora demittebantur. At Sanctum ſanctorum quindecim duntaxat pedes erat longum; & reliqua quinque Aulæa non ſuperne tantum contegebant, ſed etiam dependebant parte Occidentali ad baſes uſque argenteas.

Secundo, copulatio Aulæorum quinque & quinque ſeorſim nexu aureo, ſuaviter refert unionem duarum in Chriſto naturarum, Divinæ & humanæ, in unam perſonam: quæ duæ naturæ minimè confuſæ fuere, ut nec conſuta Aulæa; ſed dulciſſimè conjunctæ aurea atque ineffabili unione.

Tertio, æque efficaciter ſignificare poteſt duas Eccleſias, Judæorum & Gentium, connexas per Chriſtum; quæ ita conficiunt unicum Tabernaculum ſpirituale.

Jam age, Aulæa denuo menſura, ac concipe in longitudinem ſuper Tabernaculum eſſe expanſa. Longitudinem habebant pedum duorum & quadraginta, & latitudinem pedum ſexaginta, quando univerſa conſuta ſimul ac copulata erant. Latitudo hæc contegebat ædificii longitudinem, quæ quadraginta quinque pedum erat, & dependebat parte Occidentali uſque ad fundamentum. Extremum Orientale adhuc erat apertum. Quantum ad eorum longitudinem, quindecim pedes impenſi erant in contegendo plano ædificii culmine, quod erat quindecim pedes latum intra parietem & parietem. Novem pollices inſumpti ſunt utrimque contegendo craſſitiem aſſerum: adeo ut utroque latere dependerint duodecim pedes & pollices novem; atque adeo non abfuerint ab argenteo fundamento, niſi viginti ſeptem pollices, aut paulo minus.

SECTIO XXXVI.

De Aulæis ex lanâ caprinâ.

AD defectum hunc implendum; ſicut etiam ad protegenda pretioſa Aulæa ab aëris injuriâ, facta quoque Aulæa è lanâ caprinâ, numero undecim: ſingula ſex pedes lata, quæ alterorum quoque erat latitudo: verum cum Aulæo uno præcedentia ſuperarent, univerſa ſimul conjuncta ſex pedibus excedebant. Aulæa ſingula cubitorum erant triginta, ſive quadraginta quinque pedum, ideoque longitudine ſuperabant priora tribus pedibus. Hæc conſuta erant ſena ſeorſim & quina ſeorſim; & duo hæc tapeta integra invicem erant copulata quinquaginta anſulis æreis, cum altera totidem aureis eſſent copulata. Quando autem hæc Aulæa alteris erant impoſita ſuper Tabernaculum, non in eum modum collocata erant, ut æreæ hæ anſulæ directè inciderent in aureas ſuper velum; ſed viginti ſeptem pollices remotius, verſus Occidentem; adeo ut quinque Aulæa, quæ Occidentem ſpectabant, pertingerent ad pavimentum, & dimidium Aulæi redundaret, *Exod.* 26:12. Altera ſex, quæ poſita erant ad Orientem, pertingebant ad finem, tegebant columnas unde velum illud erat ſuſpenſum, & propendebant ſuper introitum dimidio aulæi, ſive pedibus tribus. Eorum longitudo, pedum quadraginta quinque, profundius ſubſidebat ad utrumque latus, quam altera aulæa; & novem tamen pollices à ſolo aberant: ſic ut fundamenta argentea ubique viſui paterent, præterquam extremo Occidentali.

Ita Tabernaculum duo tegumenta aulæorum habebat: ſed utraque in plano tecto non ſufficiebant ad prohibendam pluviam & cætera aëris incommoda: quare ſummæ parti additum eſt tegmen è pellibus arietum rubefactis; quod ſignificavit ſanguinem Chriſti Eccleſiæ protectoris.

Supra id aliud etiam tegmen erat, è pellibus nimirum תחשים, quæ cujuſmodi animalia fuerint, certò cognitum non eſt, quanquam interpretes de melibus intelligunt, quod probabilitate non caret propter pellium horum animalium durabilem uſum. Sic factum eſt, ut ſi ſtructuram hanc erectam, atque ad eum modum contectam contempleris, fundamentum argenteum animadvertas ubique aſpectui expoſitum. Quod fundamento ſeſquipede ſuperius tectum eſt uno duntaxat aulæo; quod in latere altius aſcendit, duobus; culmen verò, quatuor.

Digitized by Google

SECTIO XXXVII.

De Sancto Sanctorum.

SAcerdotes intrabant Tabernaculum parte Orientali; a quâ & nobis initium ſumendum: unde pergendo triginta pedes ulterius, pervenitur ad velum, quod diſtinguebat inter Sanctum & Sanctum ſanctorum. Sanctum ſanctorum perfectum atque inſtructum fuit, priuſquam velum erat ſuſpenſum; ideoque primò pertractabitur. Locus hic quindecim pedes longus erat, quindecim altus, & quindecim latus: atque ita perfectum quadratum, figura firmitatis, quâ aptè Cœlum repræſentabat.

In loco hoc, parte occidentali, poſita erat Arca Fœderis Domini totius mundi, *Job.* 3:13. typus Chriſti, per quem Deus Fœdus iniit cum Gentibus æque ac Judæis.

Arca conſtructa erat in modum Ciſtæ, ita ut alveum haberet, ut reciperet res intus. Longa erat tres pedes & pollices novem; lata pollices viginti ſeptem, totidemque alta; facta ex tabulis ligni Cedrorum lectiſſimarum, intrinſecus atque extrinſecus auro obducta: repræſentans Chriſti puritatem, in cogitationibus internis ſimul & externis actionibus. Pedibus, quibus niteretur, carebat, fundo ſuo inſiſtens ſolo, inque eo figura Chriſti humiliantis ſe ſuper terram. Extrinſecus ſuper ſupremam oram factus erat aureus Limbus circumquaque formâ coronariâ, repræſentans, inquiunt Judæi, coronam Legis, ſed aptiſſimè Chriſtum coronatum gloriâ. Singulis angulis inditi erant annuli Aurei, in quos inducti erant duo vectes è lignis Cedrorum lectiſſimarum Auro obducti, quibus Arca portaretur, manſuri iſtic perpetuo, & nunquam amovendi; quo, ut quidam exponunt, Sacerdotes monebantur, ut parati ſemper & præſto adeſſent ad miniſterium; ſed potius eo adumbrata videtur Chriſti Deitas, humanitatem ejus ſuſtentans, nullo unquam tempore ab ipſo receſſura. Operculum porro hujus Ciſtæ ſive Arcæ quod attinet, factum id fuit ex Auro puro, diductum formatumque exactè ad Arcæ ipſius longitudinem & latitudinem; adeo ut Arcæ impoſitum, aureum Limbum circumquaque premeret. E quaque extremitate factus erat Cherubinus, ſive repræſentatio Angeli, forma puelli, corpore inclinato, alis Arcam tegentibus; ſic ut alæ unius Cherubini contingerent alas alterius. Confecti erant ex Auro, & quidem ex eadem continua maſſa, unde ipſum operculum. Facies habebant ad ſe invicem obverſas, & utraſque verſus Operculum directas. Operculum hoc in Veteri ſimul & Novo Teſtamento dicitur Propitiatorium, *Anglis* vulgo *Mercy-ſeat*, i.e. *Miſericordiæ* ſive *Gratiæ ſedes*; atque ita nuncupatur, quia Deus inde gratioſe populo ſuo eſt locutus. Hanc partem benè attende, & plenè videbis Chriſtum.

Primo, Duo Cherubini inclinati verſus Propitiatorium. Ita omnes Angeli Chriſto.

Secundo, Alter alterum intuebatur, ſed ambo Propitiatorium. Sic duo Teſtamenta, Vetus & Novum, ſe reſpiciunt mutuo; ſed ambo Chriſtum. Idem faciunt duæ Eccleſiæ, Judæorum & Gentium.

Tertio, Propitiatorium tegit Legem: idem Chriſtus facit, ne accuſet ea ipſius populum ad condemnationem.

Quarto, Deus inde *Iſraëli* loquebatur; ita Deus nobis per Chriſtum, *Hebr.* 1:1.

SECTIO XXXVIII.

De Sancto extra velum.

ITa habebat fabrica atque apparatus *Sancti Sanctorum*, ſive loci omnium ſanctiſſimi. Ad hoc diſcernendum à Sancto, appenſum erat velum, ejuſdem cum pretioſis Tabernaculi Aulæis materiæ & operis. Velum autem hoc ita erat ſuſpenſum. Directè ſubter aureas anſulas, quæ aulæa connectebant, quatuor columnæ è lignis Cedrorum lectiſſimarum, auro obductæ, impoſitæ erant quatuor Baſibus argenteis, ſimilibus earum, quibus aſſeres erant impoſiti. Et hæ conficiunt centum ſectiones, ſive Talenta, quorum ſuperius facta eſt mentio. Columnæ hæ invicem pedes tres diſtabant; & exteriores duæ tres pedes à pariete. Ad cacumen cujuſque columnæ fixus erat uncus aureus, unde velum dependebat, quindecim pedes latum & totidem altum. Velum repræſentabat Chriſti carnem ſive humanitatem, celebratam per quatuor Euangeliſtas, quatuor Columnas, quæ ſuſtinent illam hiſtoriam.

Locus hic extra velum longus erat triginta pedes, & quindecim latus. In hunc Sacerdotibus licebat ingredi; & *Moſi* principi, ſpeciali prærogativâ. Apparatus ejus fuit Menſa panum propoſitionis, Candelabrum aureum, & Altare deauratum.

SECTIO XXXIX.

De Menſa panum propoſitionis.

AD Sacerdotis dextram, quando hunc locum pertranſibat, ſita erat Menſa panum propoſitionis, quæ hujus formæ ac materiæ fuit, & in hunc finem parata.

Menſæ ſtructura fuit duos cubitos longa, unum lata, & ſeſquicubitum alta. Materia

erant

Digitized by Google

erant ligna Cedrorum lectiſſimarum, tota auro obducta. Æqualis cum ſummâ ſtructura limbus aureus erat, exquiſitiſſimi operis, palmam latus: ſublimior autem extremitas æqualis cum ſummâ ſtructurâ, & limbus æquè latus inferius. Ad ſuperiorem extremitatem hujus limbi applicita erat Corona aurea, quæ ſtructuram circumquaque ambiebat, & intra hanc Coronam repoſitum erat tegmen. Ad quemque angulum ſive pedem annulus aureus erat affixus, proximè inferiorem extremitatem limbi aurei. Ut pedes, ita annuli quatuor erant, iiſque inditi vectes è lignis Cedrorum lectiſſimarum, obducti auro, quibus Menſa portaretur.

Huic Menſæ impoſitæ erant duodecim Placentæ, ſive Panes, repræſentantes duodecim Tribus, quæ panem ſuum quotidianum neceſſe habebant accipere à Deo. Ut in humeris *Aaronis* erant ſena & ſena Tribuum nomina, ita in hâc menſa ſenæ & ſenæ Placentæ: Tribus enim repoſitæ erant una ſuper aliam. Singulæ Placentæ continebant menſuras *Omer* duas, cui rei myſterium inerat: tantundem enim de Manna quilibet *Iſraëlita* colligebat in Sabbatum in deſerto, *Exod.* 16. Die verò Sabbati hæ Placentæ Menſæ imponebantur, ut *Iſraëli* per ipſam menſuram & diem in memoriam revocarent ſuſtentationem ipſorum in Deſerto. Hæ placentæ vocabantur Panes faciei, tabula item Menſa faciei; quia continuè coram Deo erant expoſita, oſtendebantque commeatum *Iſraëlis* a Deo & coram Deo eſſe.

קערות* Sub infima Placenta aurea * patina erat, cui iſta Placenta erat impoſita; inter ſingulas
כפות* item Placentas * patina aurea. Supernè utrum-
מנקיות* que ordinem ſex placentarum duæ * aureæ pa-
קשות* tinæ inverſæ tegebant, & ei impoſita erat * patina aurea cum Thure ei indito. Hæ commonefaciebant *Iſraëlem* Providentiæ Dei ſpecialis erga ſingulas Tribus.

SECTIO XL.

De Lychnucho aureo.

E Regione Menſæ ad latus meridionale, ſive ad manum ſiniſtram, ſtabat Lychnuchus aureus factus ex unâ maſſa continuâ. Forma ejus erat hujuſmodi. Pes ejus erat Aureus, ex quo ſurgebat ſcapus rectus, qui erat lucerna media. Prope pedem facta erat aurea lanx, ſpeciem Amygdalæ referens, & paulo ſuperius aureus calyculus, ſupra quem aureus flos.

Dein exibant rami duo, ex ſingulis lateribus unus, qui obliquè ducti erant æquali proportione, donec ſurgerent rectà ad altitudinem eandem cum ſcapo intermedio, ex quo procedebant. In ſingulis hiſce ramis formatæ erant tres aureæ Lances, ſpeciem referentes Amygdalæ, ſive ad inſtar teſtæ Pectunculi, ornatus gratiâ; ſupra quas viſebatur calyculus aureus, & ſupra illum aureus flos; & proximè ſupra illum erat cavum, in quo lucerna reponeretur. Ita habebant hi duo infimi rami, ſupra quos in medio ſcapo erat aureus calyculus, & deinde duo alii rami exibant ejuſdem planè formæ cum ſuperioribus: ſupra quorum proceſſum in ſcapo alius erat calyculus ſive ſphærula, & exibant duo alii, ſicut præcedentes: inde ſurſum ſcapus ornatus erat tribus aureis calicibus ſive lancibus, calyculo & flore. Sic apex ramorum omnium conſiſtebat æquali altitudine & diſtantiâ. Erant hic ſeptem aurea candelabra, repræſentantia ſeptem Spiritus Meſſiæ, memoratos *Eſaj.* 11: 2, 3. atque inde apud *Talmudiſtas* & in *Apocalypſi*. Varietas numeri ſeptenarii poterat *Iſraëli* ad memoriam redigere ſeptem dies Creationis. Quemadmodum duodecim Placentæ repræſentabant duodecim Tribus; ita lumen Lychnuchi ante oculos ipſorum poſiti, ſignificabat lumen Legis, quâ erant ducendi; & lucernæ perpetuò hic diſpoſitæ, æquè ac panes illic, monebant *Iſraëlem*, ipſos non minus lege, quam quotidiano ſuo pane indigere.

SECTIO XLI.

Altare ſuffitus.

INter Lychnuchum & Menſam medium erat Altare ſuffitus; aptè docens, eſſe ſuffitum precum, qui ſanctificat ſimul victum noſtrum ſpiritualem, lumine Lucernarum ſignificatum, & victum noſtrum corporalem, ſignificatum Panibus. Altare hoc confectum erat è lignis Cedrorum lectiſſimarum, auro obductum: longum erat unum cubitum, & unum etiam latum; altum autem cubitos duos. Ad quemque angulum habebat cornu, ex eâdem maſſa factum, ex quâ poſtis angularis. Cornua, tectum, & latera, auro omnia obducta erant. Ad extremam ſtructuræ partem ſurſum addita erat * Corona aurea; ad pedem *כתר
cujus Coronæ affixi erant duo aurei annuli, in כהנה
quos inducti erant duo vectes è lignis Cedrorum lectiſſimarum, obducti auro, quibus portaretur Altare. Altare hoc collocatum erat prope velum, exactè in ſpatii quoad latitudinem medio, (ante mediam Arcam, quæ intra velum erat) diſtans ab utrovis pariete ſex pedes & novem pollices. Ad latus ejus ſeptentrionale collocata erat Menſa panum propoſitionis, quæ longitudine ad parietem porrecta, occupabat ſeſquipedem è latitudine domus; ita ut inter ipſam atque Altare tranſitus ſive via relinqueretur tres pedes & novem pollices lata. Lychnuchus tantæ erat latitudinis ramis ſuis expanſis, quantæ lon-

Digitized by Google

longitudinis erat Menſa, atque ita collocata erat è regione illius, oſtendens quinque pollices inter ſingula cava deficiente uno in univerſum pollice. Quod candelabrum collocatum æquali à pariete diſtantiâ, ac ultima extremitas Menſæ ad alterum latus domus, præbebat idem ſpatium inter ipſum & Altare, quod relictum erat inter Altare & Menſam. Ita habuit apparatus loci hujus, qui dicebatur *Sanctum*. Introito parte Orientali, & proſpice ante te; offendes iſtic velum & aureum Altare. Ad dextram verſus velum duodecim panes in Menſa aureâ. Ad ſiniſtram ſeptem Lucernas ardentes in ſeptem aureis Lychnuchis factis ex unâ continuâ maſſa; quibus additos videbis ſeptem aureos forcipes & lances, ad emundandas Lucernas mane & vêſperi. Conjice oculos in parietes utroque latere, & nihil niſi aurum apparet. Suſpice ſuperiora, ibi oculos paſces picturis Cherubinorum multo artificio confectis in pretioſis Aulæis. Æquum non erat, ut quilibet oculus inſpiceret locum tam opulentum; idcirco, ut id caveretur, pars orientalis aulæum quoddam habebat, ſimile velo interiori, earundem dimenſionum, ejuſdem etiam materiæ, operis Phrygiani. Pendebat hoc ex ſeptem Columnis è ligno Cedrorum lectiſſimarum, obductis auro: Columnis ſingulis fundatis baſi ærea, & habentibus in vertice uncum aureum, ex quo tegmen ſuſpenſum erat.

Quæſt. Utrum velum pependerit intra columnas, an extra?

Reſp. Extra columnas, ita ut abſconderit Columnas ab aſpectu populi. Alioquin ſtructura non fuiſſet uniformis, cum omnes ædificii partes tectæ eſſent aulæis, hæc verò iis caruiſſet. Ita conſtructum fuit Tabernaculum, cum omni ſuo apparatu; nunc extrema ejus pars nobis conſideranda eſt, Atrium ſcilicet populi.

SECTIO XLII.

De Atrio populi.

STructura hæc Tabernaculi clauſa erat ſepto alio aulæorum, ſuſpenſorum circumquaque. A latere domus Meridionali, viginti cubitos ſeorſim à domo, diſpoſita erat ſeries viginti columnarum è lignis Cedrorum lectiſſimarum. Singulæ columnæ immiſſæ erant in ſingulas baſes æreas, quæ inter ſe diſtabant cubitos quinque, numerando à medio cujuſque columnæ ad alteram. Adeò ut vicenæ longitudinem conficerent cubitorum centum. In quamque columnam infixus erat uncus argenteus; habebat etiam columna quæque limbum argenteum circumductum. Ita ſe habebant ad latus Meridionale; & pari ratione ad Septentrionale. Ad partem Occidentalem, cubitos 35. ſeorſim à domo, diſpoſitæ erant Columnæ decem, eadem ratione & diſtantiâ, conficientes Atrii latitudinem in unaquaque extremâ parte cubitorum quinquaginta; exactè enim in medio comprehendebat domus latitudinem decem cubitorum. Eodem planè modo Columnæ diſpoſitæ erant ad partem Orientalem, pari ratione diſtantes & à domo & à ſe invicem. Ad latera ex uncis Columnarum ſuſpenſi erant tapetes, facti ex Xylino internexo, longi cubitos centum, alti quinque. In parte Occidentali erant conſimiles, longitudinis dimidiæ, altitudinis ejuſdem. In parte Orientali aliqua differentia erat: qui enim tapetes ibi viſebatur, ex tribus cortinis erat conflatus. Ad utrumque portæ latus tegumentum pendebat longum quindecim cubitos, & altitudinis ejuſdem. In medio eorum tegumentum erat longum viginti cubitos, ejuſdem cum tapetibus cæteris altitudinis, ſed pretioſioris materiæ: nam cum cæteri eſſent tantum ex lino, hic erat ex eadem materiâ, è quâ aulæa illa pretioſa, acu accuratè elaboratus. Ut hi tapetes firmarentur, neu parte inferiori, flatu motitarentur ſurſum, faſciæ iis erant alligatæ; faſciæ autem revinctæ erant ad æneos paxillos, qui paxilli refixi erant in ſolum; atque ſic omnia planè firmata. Ita etiam aulæa, quæ contegebant domum, inſtructa erant paxillis ejuſdem metalli, faſciis ad eos revinctis eodem modo, ad ſimile incommodum præveniendum. Atrium verò populi dicebatur, quia populo in illud introitus patebat, æquè ac Sacerdotibus ac Levitis.

SECTIO XLIII.

De Altari Holocauſti.

IN Atrio populi erat Altare Holocauſti verſus Tabernaculum, ut populus poſſet conſiſtere aſpectans ſacrificia, quæ offerebantur, facie obverſa ad Sanctum; tantummodò Labrum ulterius erat collocatum, nempe inter Altare & Tabernaculum.

Altare factum erat è lignis Cedrorum lectiſſimarum, quinque cubitos, ſive ſex pedes & octodecim pollices, longum, & latitudinis ejuſdem; altum autem tres pedes & pollices octodecim. Formatum erat in hunc modum. Primò, opus quadrilaterum erat validum, ſimile quatuor lateribus Menſæ, harum dimenſionum, cujus interſtitia aperta aſſeribus conjunctis clauſa erant. Tota illa ſtructura obducta erat ære. Ad quemque angulum cornu erat factum ex eo ipſo ligno continuo unde poſtis erat angularis. Ita concavum ſtabat, & intra cavitatem exactè in ejus medio inter fun-

fundum & ſupremam partem, poſitum erat æneum cribrum, opus reticulatum, ita ut cineres poſſent tranſire. Super hoc cribrum ignis perpetuo ardebat, neque unquam extinguebatur. In quoque angulo hujus cribri erat annulus æreus, qui ad unumquemque angulum tranſibat Altaris ſtructuram, atque extra illam dependebat. In his annulis vectes è lignis Cedrorum lectiſſimarum obducti ære politi erant, qui machinam atque cribrum una continebant; ſicque illa ſimul portabantur.

Ad Altare hoc varia pertinebant, facta ex ære. Primò, Lebetes ærei, quibus cineres Altaris exportabantur. Tum Palæ æreæ ad corradendos Cineres. Dein pelves æreæ, quibus ſanguis ſacrificii erat excipiendus. Præterea æreæ fuſcinæ, quibus partes comburendæ, ſi forte aliquæ extra ignem extarent, reponebantur, ut ita univerſæ certò conſumerentur. Denique ærea vaſa carbonaria, quibus Sacerdotes excipiebant prunas ex Altari, ut inferrent eas in Sanctum, ut ibi eis fieret ſuffitus.

SECTIO XLIV.

De Labro aquæ.

IN hoc atrio erat vas æreum, inſiſtens baſi æreæ, quod continebat aquam deſtinatam lotioni Sacerdotum, &c. Forma ejus in Textu non eſt expreſſa: ideoque ad materiam ejus & finem duntaxat attendemus. Factum erat ex ſectionibus æneis ſplendidis, quibus utebantur fœminæ ad faciem inibi contemplandam. Ex hoc etiam labro deſumebatur aqua, quando ſuſpecta mulier erat probanda. Collocatum fuit tam prope Altare, ut Sacerdotes ſe lavare poſſent, aggredientes Tabernaculi miniſterium; utque abluerent partes quaſdam ſacrificiorum. Labrum hoc aptè repræſentabat aquam Baptiſmi, quæ nos admittit ad ſacrata Myſt ria; maximè autem ſanguinem Chriſti, qui nos purgat ab omni impuritate carnis & ſpiritus.

SECTIO XLV.

Veſtes ſummi Sacerdotis.

כתנת השבץ PRoximè carnem tunicam gerebat teſſellatam, quæ pertingebat uſque ad calces, quales ſinguli quoque ejus filii habebant; *Exod.* 39:27. Facta hæc erat è Xylino, atque circum lumbos ejus erat aſtricta baltheo, operis Phrygiani & diverſicolore.

מעיל האפוד Super hanc induebat aliam tunicam, quæ appellatur tunica amiculi, quia amiculum huic ſuperinductum aſtrictioni ſerviebat. Hæc tunica ejuſdem erat materiæ & coloris, nempe è Xylino purpureo internexo dibapho. Hanc verò tunicam non induebat ſecundum vulgarem modum induendi tunicas, quæ parte anteriori eſſent apertæ; ſed inſtar ſuperpellicii, immiſſo primum capite; in quem finem in ſumma parte os habebat, ad caput ſcilicet immittendum; os autem illud limbo ejuſdem materiæ opere textili circumquaque erat munitum, ne laceraretur. In fimbriis hujus tunicæ facta erant Malogranata ex lino ac lanâ diverſorum colorum. Tintinnabula item aurea; ita ut eſſet Tintinnabulum, & Malogranatum; rurſus Tintinnabulum, & Malogranatum, circumquaque. Tunica hæc non ita longa fuit, quam tunica interior; ſecus Tintinnabula tracta fuiſſent per ſolum, neque ſonus eorum fuiſſet auditus: quæ res Aaroni mortem attuliſſet. Quod innuebat Sacerdotibus, oportere ut ſonus veræ doctrinæ & fructus probæ vitæ nuſquam iis deeſſent, ut Tintinnabula hæc & Malogranata non deerant. Repræſentabat etiam hæc tunica Humanam Chriſti naturam: primò, quemadmodum hæc ex una materiâ erat abſque mixtura, ita illa ſine corruptione: ſecundò, quemadmodum hæc induebatur more extraordinario, ita Chriſtus induit humanitatem extraordinaria conceptione & generatione. Tertiò, ut limbus circum os prohibebat ne laceraretur, ita unio duarum in Chriſto naturarum erat inſeparabilis. Quartò, qualia erant Tintinnabula & Malogranata, talis fuit ipſius doctrina & vita.

SECTIO XLVI.

Summi Sacerdotis Amiculum.

HIſce ſuperinduebat Amiculum, quod confectum erat è Xylino hyacinthino, & purpureo & coccineo: ubi ſingulis filis intertextum erat filum aureum; qua re aptè oſtenſa fuit puritas & ſanctitas Sacerdotis in quaque functione. Aptiſſime vero repræſentatur ſplendor Deitatis effulgens in ſingulis Chriſti humanis actionibus. אפוד

Vox Hebræa אפוד generatim ſignificat quippiam, quod hominem accingere aptum eſt. Specialius denotat veſtes aut alias res uſurpatas in miniſterio Divino. Ita *Samuel* miniſtrabat coram *Eli* lineo Amiculo, ſive linea tunica cinctus. Itidem *David*, quando deportabat Arcam in urbem *Hieroſolymam*, cupiens ſe componere in Sacerdotalem modum, quantum poterat, veſtitus erat ejuſmodi veſtitu, Amiculo ſcilicet lineo. Similiter abominatio, quam *Gideon* parabat, *Jud.* 8:27. Amiculum dicitur; quia fecerat ad exemplum Amiculi illius, quo *Silunte* ſummum Sacerdotem exornatum viderat. Specialiſſime Amiculum ſignificat ſupremum amictum ſummi Sacer-

 do-

Digitized by Google

dotis, quando miniſterio fungebatur ad Altare, ſeu in Tabernaculo. Forma ejus quadantenus ſimilis erat præcinctoriis, quibus opifices quidam utuntur, revinctis ad humeros, & pectus obtegentibus: conſimiliter & hoc magni pretii, è materia ſuprà memorata confectum. Latitudinem pectoris Sacerdotis æquabat, ad cujus utrumque latus humeralia habebat ex materiâ continuâ eadem, quæ tranſcendebat Sacerdotis humeros, & à tergo invicem connectebantur. Ante ipſius pectus deſcendebat uſque ad mammillas, ubi erat inferior ejus pars, in qua texta erat pars quædam ad revinciendum, ex eadem materiâ continuâ, adeo ut cingeretur circa mammillas, ſive cor; de qua re *Johannes* loquitur, quando ſe Chriſtum vidiſſe teſtatur præcinctum ad mammillas aureo cingulo, *Apoc.* 1:13. Humeralibus affixi erant hinc & illinc duo pretioſi lapides in fundis aureis. Lapides hi erant שהם, ſive Berylli, vulgò Sardonyches, qui lapis inter duodecim *Joſepho* erat peculiaris. Duobus his lapidibus inſculpta erant nomina duodecim Tribuum *Iſraëlis*, ſex eorum uni, & ſex alteri lapidi.

Ita factum eſt, ut quando Sacerdos comparebat coram Domino, onus totius *Iſraëlis* portaret ſuis humeris: in quo ineſt plena repræſentatio Chriſti.

In humeralibus conſimiliter erant duæ aureæ bullæ, proximæ his lapidibus, in quibus catenæ aureæ, quæ pectorale Amiculo nectebant, adeò infixæ erant, ut non poſſent diſſolvi. Tale erat artificioſum opus Amiculi cum ſuo cingulo, & quæ præterea eo pertinebant; plena ſignificatio pretioſi & gravis oneris Sacerdotii.

SECTIO XLVII.

Pectorale.

Super Amiculo annexum erat Pectorale; quod Pectorale Juris dicitur, quia Deus inde *per Urim & Thummim* reſponſa dabat, *Num.* 27:21. Materia hujus fuit, quæ Amiculi; ſcilicet Xylinum verſicolor, internexis ad fila ſingula filis aureis, ſimulque contextis quaſi eſſet pannus aureus. Pectorale hoc erat ex hoc panno, ita conformato, ut quando duplicatum erat, eſſet perfectè quadratum, menſuram habens unius ſpithamæ quaquaverſum. Ita, ſicut pars præcipua totius Tabernaculi, Sanctum Sanctorum, perfectum quadratum fuit; pars etiam præcipua veſtium *Aaronis* fuit hujuſmodi. Pars hæc erat duplicata, propter lapidum inſititiorum pondus, quod firmitatem requirebat.

Inſerti huic erant lapides pretioſi duodecim, diſpoſiti quatuor ordinibus, terni unoquoque ordine, ſinguli inſculptum gerentes nomen unius Tribus.

Primus, 1. *Reubenis.* 2. *Simeonis.* 3. *Levi.*
Secundus, 1. *Judæ.* 2. *Iſſacharis.* 3. *Zebulonis.*
Tertius, 1. *Danis.* 2. *Naphthali.* 3. *Gadis.*
Quartus, 1. *Aſeri.* 2. *Joſephi.* 3. *Benjaminis.*

SECTIO XLVIII.

De Urim & Thummim.

Nihil aliud fuiſſe *Urim* & *Thummim*, quam nomen *Jehova* ſcriptum atque inſertum Pectorali, ut quorundam eſt opinio, magis exorciſmum aliquem ſapit, quam Oraculum Divinum.

Splendorem verò, vel obſcurationem duodecim lapidum, Oraculum fuiſſe, ut aliorum opinio eſt, tam à re alienum commentum eſt, quam antecedens, ſi reſponſa expendamus, quæ variis temporibus fuere data: quemadmodum inter cætera hoc *Davidis*, Quo ibo? *Urim* reſpondit, *Hebronem.*

Hanc abſurditatem cum alii animadvertiſſent, affirmarunt, *Urim* & *Thummim* conſtitiſſe in nominibus *Abraham*, *Iſaac*, & *Jacob*, & duodecim Tribubus; &, ubi quid quærebatur, litteras, quæ dandis reſponſis inſerviebant, vel ſupra reliquas ſe elevaſſe, vel alio miro modo invicem eſſe conjunctas, & verba formaſſe ad reddendum reſponſum. At ſi litera *Teth* occurreret in reſponſo, ubi ea in illis nominibus?

Miſſis igitur his aliiſque conjecturis, videamus quid lucis è Scripturis peti poſſit.

Primò, *Urim* & *Thummim* non duæ, ſed una atque eadem res fuerunt; atque hâc de cauſa nonnunquam uno ſolo vocabulo indigetantur, *Num.* 27:21. 1 *Sam.* 28:6. &c.

Secundò, Lapides in Pectorali ſummi Sacerdotis appellantur *Urim* & *Thummim*, *Exod.* 28:30.

Tertiò, quando Deus reſpondebat per *Urim* & *Thummim*, non datum fuit reſponſum per ſignum aliquod in lapidibus, ſed per os Sacerdotis, *Num.* 27:21.

Quartò, Sacerdos, quando reſponſum erat recepturus, debebat indutus eſſe Amiculo, 1 *Sam.* 23:9.

Denique, Sacerdos, quando reſponſum erat recepturus, ſtabat coram Arcâ, *Judic.* 20:27, 28.

Modus itaque conſulendi Dominum per *Urim* & *Thummum* ejuſmodi erat.

Ea, ſuper quibus conſulendum erat, magni momenti eſſe debebant, & pertinere ad utilitatem publicam: lapides enim repræſentabant

Digitize

bant Judicium totius populi, *Exod.* 28:30. ideoque quod per eos quæreretur, ad publicum ſtatum pertinere æquum erat. Generalis ejuſmodi quæſtio erat illa, quæ facta eſt *Silunte*, *Jud.* 1:1. *Quis aſcendet primus contra Chananæos?* Et illa totius *Iſraëlis*: *An iterum aſcendam in prælium contra* Benjaminem; *fratrem meum? Judic.* 20:23. & aliæ plurimæ.

Quando ejuſmodi nodus ſolvendus erat, ſignificabatur ſummo Sacerdoti, quid conſulendo quæreret. Ita *David* petiit ab *Achimelecho*, ſummo Sacerdote *Nobi*, ut inquireret, num via ipſius futura eſſet proſpera, 1 *Sam.* 22:10. Idem *Danitæ* fecerunt perſonato Idololatrico Pontifici, *Jud.* 18:5. Sacerdos, ubi didiciſſet, de quo eſſet conſulendum, induebat Amiculum & Pectorale, quod Amiculo inſeparabiliter alligatum erat. Hæc mens eſt verborum *Davidis*, quando *Abjathari* Sacerdoti dicebat, *Adferto huc Amiculum*, 1 *Sam.* 23:9. Et hinc fuit, quod *Abjathar* abſtulerit ſecum Amiculum, quando fugiebat è ſanguinario *Nobo*, 1 *Sam.* 23:6. Abſque lapidibus in pectore Sacerdos non conſulebat; lapides enim repræſentabant *Iſraëlem*; & quando Sacerdos illos ferebat in conſpectum Domini, velut *Iſraëlem*, & ejus cauſam ferebat ad illum. Ire abſque his, erat ire abſque ejus nuntio. Si conſcientia *Saulis* nullam ipſi aliam cauſam dictaſſet, ob quam Deus reſpondere illi denegabat, ut certè multæ cauſæ minimè deerant; tamen hanc ſcire poterat cauſam eſſe indubitatam, quod ſcilicet, cum Arcam haberet ad manum, abeſſet tamen ſummus Sacerdos & Amiculum: cumque ſummam calamitatem in eo, quod reſponſi nihil poſſet recipere, ineſſe exiſtimaret; conſcientia ipſi poterat ob oculos ponere, quid perpetraſſet, occidendo Sacerdotes Domini.

Quando Sacerdos didicerat, de quo eſſet conſulendum, & veſtes, de quibus dictum eſt, induerat, ibat ſtabatque ante Arcam Domini, & de negotio quærebat; Dominus verò reſpondebat à Propitiatorio è medio Cherubinorum, atque ita Sacerdos reſpondebat populo. Erat verò diſcrimen aliquod in modo conſulendi per Sacerdotem, pro ratione ſitus Arcæ. Quando Tabernaculum erat erectum, Sacerdos in Sanctuarium intrabat, ſtabatque propinquus velo, quod Sanctum à Sancto Sanctorum diſtinguebat; ibique inquirebat, & Deus è medio Cherubinorum, qui erant intra velum, reſponſum dabat.

At, quando Tabernaculum erat ſolutum, ſive Arca à Tabernaculo ſeparata, huc atque illuc proficiſcens, tunc Sacerdos in ſuo apparatu ſtabat ante Arcam, ſicut aulæis erat contecta, & quærenda proponebat; reſponſum verò dabatur in iis, quæ ſpectabant *Iſraëlem*, quem Deus in illius pectore intuebatur. Hac de cauſa lapides, quorum gratia *perfectum lumen reſolvendi quæſiti* exhibebatur, appellantur *perfectum lumen*, ſive *Urim* & *Thummim*; ac reſponſum, quod ore dabatur Sacerdotis, appellatum eſt reſponſum per *Urim* & *Thummim.*

Contigit aliquando, ut *David* conſuluerit Sacerdotem, habentem Amiculum; Arcâ verò carentem; & Deus ei reſpondit, oſtenditque, mediis ſe non eſſe alligatum. Contigit ex adverſo, ut *Saul* conſuleret Arcam, cum abeſſet Amiculum; Deus verò ei non reſpondit, oſtendens, quam Sacerdotes, quos *Saul* etiam ad gladium uſque vilipenderat, ipſe honoraret.

Ita vidimus formam Pectoralis, opulentiam ejus & gloriam. Formam in eo, quod fuerit quadratum, quaquaverſum unius ſpithamæ: opulentiam, quod inſertos gereret duodecim pretioſos lapides: Gloriam, quod propter hos lapides, id eſt, propter eos, quorum nomina hi lapides gerebant, Deus ſecreta ſua revelaret ſuo populo. Aſpice Pectorale hoc affixum Amiculo, & vides *Aaronem*, ſummum Sacerdotem amictum glorioſo ſuo veſtitu. Ad quemque angulum Pectoralis infixus erat annulus aureus. In ſuperiori ejus parte, in ipſa extremitate, addita erat catenula aurea, quæ extremitatem fimbriæ inſtar percurrebat; eratque indita duobus annulis, qui erant ſinguli in ſingulis angulis; extrema verò catenulæ fixa erant globulis, ſive amentis, quæ erant in humeralibus amiculi juxta Sardonychas. Parte Pectoralis inferiori erat catena inſtar fimbriæ, ducta in eundem planè modum, quo altera, per duos annulos aureos; & extrema catenæ revincta erant ad Phrygianum Baltheum Amiculi, ut altera fixa erant ad humeralia. Pectorale ac Amiculum non magis ſeparare licebat, quam vectes & Arcam.

SECTIO XLIX.

Erectio Tabernaculi.

ANno mundi bis milleſimo & quingenteſimo decimo quarto, qui annus erat ab egreſſu *Iſraëlis* ex *Ægypto* ſecundus, menſe *Abib*, vel menſe primo Stylo Novo, primo menſis die, erexit *Moſes* Sanctuarium ad radices montis *Sinai*; modus verò erectionis illius fuit hujuſmodi.

Fundamenta argentea jecit, ordinibus ſuis diſcreta; inque iis immiſit aſſeres & firmavit clathris quinque, conjungens eos ſuperius fibulâ aureâ. Erexit etiam quatuor columnas in domo, unde velum erat ſuſpendendum; & quinque columnas ſimiliter in parte Orientali, unde itidem ſuſpendendum erat velum. Arcam

cam collocavit in Sancto Sanctorum, ſuſpendens velum ante illud. In Sancto collocavit Menſam & Panes propoſitionis ad latus Septentrionale; Lychnuchum verò ad Meridionale;& Altare ſuffitus exactè loco inter ea medio. Ad partem Orientalem ſuſpendit velum ad prohibendum vulgus, quo minus illa inſpiceret.

Altare & Labrum erexit ante introitum, eaque circumſepſit; atque ipſum adeo Tabernaculum ſepto tapetium circumquaque.

Ita Sanctuarium erectum fuit, decorum aſpicientibus, gloria ac robur *Iſraëlis*. Mox Nubes gloriæ diſceſſit à Tentorio *Moſis*, & ſplenduit ſuper Sanctuarium, ibique glorioſius, quam illic, eſt commorata.

Atque ita Exodus *finitur in nube, ſub qua proſpiciendum erat Tabernaculum magis perfectum, non manufactum, neque hujus ſtructuræ, in quâ Deitas habitaret corporaliter.*

F I N I S.

Judico Libellum hunc (cui titulus, A Handfull of Gleanings out of the Booke of Exodus) *inſigni doctrinâ refertum, ſummâ cum utilitate imprimendum,*

JA. CRANFORD.

INDEX

INDEX

Capitum & Sectionum, quæ in Obſervationibus in GENESIN, & Spicilegiis in EXODUM exponuntur.

In Obſervationibus in Librum GENESEOS.

GENESEOS Caput I.	Pag. 153	GENESEOS Cap. XXIII.	ibid.
Cap. II.	154 col. 1	Cap. XXV.	ibid
Cap. III.	ibid.	Cap. XXVI.	158 col. 1
Cap. IV.	ibid. col. 2	Cap. XXVII.	ibid.
Cap. V.	155 col. 1	Cap. XXIX. XXX.	ibid.
Cap. VI.	ibid. col. 2	Cap. XXXI.	ibid. col. 2
Cap. VII. VIII. IX.	ibid.	Cap. XXXII.	ibid.
Cap. X. XI.	ibid.	Cap. XXXIII. XXXIV.	ibid.
Cap. XII.	ibid.	Cap. XXXV.	159 col. 1.
Cap. XIII.	156 col. 1	Cap. XXXVI.	ibid.
Cap. XIV.	ibid.	Cap. XXXVII.	ibid.
Cap. XV.	ibid. col. 2	Cap. XXXVIII.	ibid. col. 2
Cap. XVI.	157 col. 1	Cap. XXXIX. XL. XLI.	ibid.
Cap. XVII.	ibid.	Cap. XLII.	ibid.
Cap. XVIII.	ibid.	Cap. XLVII.	ibid.
Cap. XIX.	ibid.	Cap. XLVIII.	ibid.
Cap. XX. XXI.	ibid. col. 2	Cap. XLIX.	160 col. 1
Cap. XXII.	ibid.		

In Manipulo Spicilegiorum ex Libro EXODI.

SECTIO I. *Iſraël afflictus in Ægypto annos circiter* 120. Pag. 163 col. 1

SECTIO II. *Pſalmi* 88. *&* 89. *tempore hujus afflictionis conſcripti.* ibid. col. 2

SECTIO III. *Verba obſtetricum Hebræarum non mendacium fuiſſe, ſed glorioſam confeſſionem fidei.* 164. col. 1

SECTIO IV. *Nativitas Moſis, eaque ſupernaturalis,* Exod. 2:2. ibid. col. 2

SECTIO V. *Servatoris allegatio ex* Exod. 3:6. *in Euangelio Lucæ* Cap. 20:37. *expoſita.* ibid.

SECTIO VI. *Virtus miraculorum,* Hab. 3:2. *&* Act. 19:2. *explicata.* 165 col. 1

SECTIO VII. *Duo prima miracula,* Exod. 4. ibid. col. 2.

SECTIO VIII. *Moſes in periculo mortis, propter diffidentiam,* Exod. 4:24. 166 col. 1.

SECTIO IX. *Zippora nuper admodum infantem enixa.* 167 col. 1

SECTIO X. *De nomine* יהוה, *& quo pacto id Patribus incognitum fuerit,* Exod. 6:25. ibid. col. 2.

SECTIO XI. *Putiel,* Exod. 6:25. 168 col. 1.

SECTIO XII. *De verbis Moſis, Gloriare ſupra me,* Exod. 8:9. ibid. col. 2.

SECTIO XIII. *Plaga Pediculorum. Dictum Magorum, Digitus Dei hic eſt,* Exod. 8:19. *non confeſſio de Deo, ſed horrenda & deteſtanda blaſphemia.* 169 col. 1

SECTIO XIV. *Plaga ulcerum,* Exod. 9:9. *Duæ contrariæ Plagæ in unâ.* 170 col. 1.

SECTIO XV. *Plaga tenebrarum,* Exod. 10. *Cur primo loco nominata,* Pſalm. 105:28. ibid.

SECTIO XVI. *Iſraël circumciſus*

triduo tenebrarum. Miſit tenebras & obtenebrarunt eam, & non rebellarunt verbo ejus, Pſalm. 105: 28. 170 col. 2
SECTIO XVII. *Principium anni mutatum*, Exod. 12: 2. 171 col. 1
SECTIO XVIII. *Particularia de Paſchate*, Exod. 12. ibid. col. 2
SECTIO XIX. *Cœnam* Joh. 13. *non fuiſſe Cœnam Paſchalem.* 172 col. 2
SECTIO XX. *Cimelia Ægyptiorum mutuo accepta*, Exod. 12: 35, 36. 173 col. 1
SECTIO XXI. *Rameſes, & Succotha*, verſ. 37. ibid.
SECTIO XXII. *De Decreto Maræ*, Exod. 15: 25. ibid. col. 2
SECTIO XXIII. *Hiſtoriam de Jethrone*, Exod. 18. *loco non ſuo poſitam eſſe; & quare.* 174 col. 1
SECTIO XXIV. *De profectione Iſraëlis Raphidimis in Sinai. Paulus explicatus*, 1 Cor. 10:4. ibid. col. 2
SECTIO XXV. *Statio & forma Iſraëlis ante Sinai*, Exod. 19. 175 col. 1
SECTIO XXVI. *Judæorum opinio de Lege. Talm. in Maccoth. Rab. Abhuhah Ner.* 1. ibid. col. 2
SECTIO XXVII. *Articuli fidei credentis Judæi, collecti ex Moſis lege.* ibid.
SECTIO XXVIII. *Fœdus initum cum Iſraële; in quo ipſi non jurarunt in decem Præcepta*, Exod. 24. 177 col. 1
SECTIO XXIX. *Punitio Iſraëlis propter vitulum aureum*, Exod. 32. ibid. col. 2
SECTIO XXX. *Moſen habuiſſe tria jejunia, ſingula quadraginta dierum.* 178 col. 1
SECTIO XXXI. *Forma ſive idea, & repræſentatio Tabernaculi.* 178 col. 2
SECTIO XXXII. *Dimenſiones Tabernaculi.* 179 col. 1
SECTIO XXXIII. *Populi contributio ad fundamentum argenteum: ejuſque forma & facies.* ibid. col. 2
SECTIO XXXIV. *Parietes ac compages Tabernaculi.* 180 col. 1.
SECTIO XXXV. *De Aulæis Tabernaculi.* ibid. col. 2
SECTIO XXXVI. *De Aulæis ex lanâ caprinâ.* 181 col. 2
SECTIO XXXVII. *De Sancto Sanctorum.* 182 col. 1
SECTIO XXXVIII. *De Sancto extra velum.* ibid. col. 2
SECTIO XXXIX. *De Menſa panum propoſitionis.* ibid.
SECTIO XL. *De Lychnucho aureo.* 183 col. 1
SECTIO XLI. *Altare ſuffitus.* ibid. col. 2
SECTIO XLII. *De Atrio populi.* 184 col. 1
SECTIO XLIII. *De Altari Holocauſti.* ibid. col. 2
SECTIO XLIV. *De Labro aquæ.* 185 col. 1
SECTIO XLV. *Veſtes ſummi Sacerdotis.* ibid.
SECTIO XLVI. *Summi Sacerdotis Amiculum.* ibid. col. 2
SECTIO XLVII. *Pectorale.* 186 col. 1
SECTIO XLVIII. *De Urim & Thummim.* ibid. col. 2
SECTIO XLIX. *Erectio Tabernaculi* 187 col. 2

ERUBHIM,

E R U B H I M,

S I V E

MISCELLANEA

Chriſtiana & Judaica, aliaque;

Relaxandis animis & otio diſcutiendo conſcripta.

Digitized by Google

Digitized by Google

Nobiliſſimo, Doctiſſimo & ornatiſſimo Equiti,

ROWLANDO COTTON,

omnem utriuſque ævi felicitatem.

Vir ſemper mihi honorande,

REpentia mea ac tenera ſtudia, invalida viam inire vel ambire patrocinium, per ſilentium, ut in *Plutarcho Pyrrhus*, tuum præſidium efflagitant. Expetunt enim, quando jam prodeunt in lucem, confugere ad te, qui poſt Deum primus iis vitæ auctor extitiſti. Tuus enim hortatus atque excitatio primò me extimulavit ad Sanctarum linguarum cultum; & hic tibi offero primitias ſterilis meæ meſſis. Comperta tua doctrina & benignitas certum me faciunt, te rectè poſſe, neque velle tamen nimis ſeverè de hiſce judicare; qualem Patronum meus Liber deſiderat. Atque hoc adeò tibi quidem præſentis moleſtiæ, mihi verò audaciæ cauſa eſt. Novi equidem potuiſſe me ſecurius latere, quam ita publicæ famæ ſubire periculum; nam, quòd à Romano Scriptore olim benè dictum fuit, *Durum eſt, ſi mundus objiciat mihi meas infirmitates manu mea conſignatas*; attamen nonnulla mihi ratio ſupereſt, cur omnium me conſpectui in hunc modum exponere voluerim. Fuerunt quidam, qui inclementer me pigritiæ ac ceſſationis arguere ſtuduerunt, quia non omni occaſione aliorum Miniſterio me ingeſſi, quandoquidem hactenùs Deo non placuit me ad propriam ac ſtabilem functionem vocare. Non me certe latet Apoſtoli de Miniſtris omnibus effatum, *Rom.* 1:14. *Græcis atque Barbaris, ſapientibus atque inſipientibus omnes debitores eſſe*, & (quod *Syrus* addit) eſſe *debitores, ut prædicent.* Et qui rite vocatus renuit, tam eſt pravus quam falſi Prophetæ erant, qui currere concupiſcebant, priuſquam eſſent miſſi; imo videtur eſſe pejor, qui miſſus ire detrectat. Ab hac cenſurâ quam ſim immunis, teſtem habeo conſcientiam propriam; quamvis confitear non me adeo feſtinare, ac quidam faciunt, ut rebus alienis me ingeram, ubi nulla eſt neceſſitas. Hoc mihi apud nonnullos ſuſpicionem conflavit torporis ac deſidiæ, à quâ ut me vindicarem, pueros imitatus aliam arundinem ejaculatus ſum ad reperiendam eam, quæ amiſſa erat. Ita periculum ſubii perdendæ hinc meæ exiſtimationis, dum illinc tueri eam laboravi. Imbecillitatis meæ mihi ſum conſcius; neque ignoro fieri poſſe, ut conatus hi eruditis non procul ab otio videantur differre; tamen quamcunque malim cenſuram incurrere, quam alterius iſtius otii arceſſi, quod malorum omnium origo eſt, & animi ingrati, qui bonorum omnium eſt impedimentum. Et hæc cauſa eſt, quæ me ad librum, librum autem ad te ire juſſit: ut per alterum mundo teſtificer, me otium minimè diligere; per alterum verò tibi manifeſtum faciam, minimè me diligere ingratitudinem. Accipe, obſecro, tam tenue donum, & gratitudinem tam importunam; & quod linguæ ac rei ipſi deerit, penſaturum me crede deſiderio atque affectu; & ſupplici prece perpetuò poſtulaturum ad Thronum gratiæ, quo tuque & nobiliſſima tua uxor præſenti proſperitate, & futurâ poſtmodum felicitate beemini.

Syrus ad verbum ad- dicit vo- cem, nam re- tinere li- cet inſtar commen- tarii, meh- uieb cuo cakrez, debitor ſum, vel obligatus ſum, ut prædi- cem.

Marc. 5. 1629.

Tibi ad omnia officia devotiſſimus

JOHANNES LIGHTFOOTE.

AD LECTOREM.

Humane Lector, (talem enim opto , vel nullum.)

D*E ſcribendis Libris haud injuria dixerim, quod Sapiens Græcus de matrimonio,* Juveni nimis maturum, ſeni verò nimis eſſe ſerum. *Ego tamen ætate juvenili auſus ſum prodire in publicum, tanquam vererer, ne ſatis mature homines imbecillitatem meam ac ruditatem intelligerent. Si nomen eruditi tueri nequeo, excuſationem ætas adferat; ſin minus, auſum hoc meum in ſolâ tuâ benignitate habeat præſidium: cui me libentius ſubmiſerim, quam tuæ Cenſuræ. Ego hic mecum attuli ſpicilegia quædam è magis ſeriis ſtudiis; quæ tibi offero, non adeo ad tuam inſtructionem, quam innocuam recreationem. Dictum* Rabbi Joſe bar Jehudah in Pirke Aboth *menti inhæret.* Quiſquis à juvene diſcit, ei ſimilis eſt, qui uvas edit immaturas, aut vinum bibit è torculari: ille verò, qui à ſene diſcit, eſt ei ſimilis, qui edit uvas maturas, & vinum vetus bibit. *Metu ne legenti tibi faſtidium ſubreperet, varietatem aliquam addidi. Nullam methodum obſervavi, ne fruſtrà* Miſcellanea *inſcripſiſſe videar. Eſt ubi prolixius me extenderim, quam alibi: & (ſicut* Rab. Salomon *de* Ruthâ *obſervat) nonnunquam ſtando ſpicas legi, nonnunquam ſedendo. Pro Judaizante ſpero non habebis, quamquam id genus ſcriptores ſæpiuſculè allego: id enim nihil eſt aliud, quam, ad exemplum Muſici apud* Plutarchum, *præmittere ſonum diſcordem, ut concordem tanto melius poſſis dijudicare; utque animadverſo errore tanto certius amplectaris veritatem. Si hic meus juvenilis conatus æqualem aliquem ad æmulationem in linguis ſanctis eſt provocaturus; ſtatuam, voti me compotem eſſe factum. Cenſuram tuam ſeveram eo uſque differ, donec futurum ſilentium, vel ſecundus aliquis conatus aut omnia labefactet, aut aliquo modo ſatisfaciat. Et pro hoc quidem tempore,* Quiſquis hæc legit, ubi pariter certus eſt, pergat mecum; ubi pariter hæſitat, quærat mecum; ubi errorem ſuum cognoſcit, redeat ad me; ubi meum, revocet me. Auguſt. de Trinit. Lib. 1. Cap. 3.

Veſtris commodis, imbecillâ licet, promptâ tamen voluntate addictiſſimus

JOHANNES LIGHTFOOTE.

Digitized by Google

ERUBHIM, SIVE MISCELLANEA

Chriſtiana & Judaica; aliaque.

CAPUT I.

De Cognitione Dei.

O*Mne tempus te perdidiſſe puta*, ait nonnemo, *quod meditationi de Deo non impenſum eſt.* Plenum eſſe cogitationibus de illo, æquum eſt, & ſancta prodigalitas; & tempus in ejuſmodi meditationibus conſumere, lucroſa eſt profuſio. In hunc finem datæ nobis fuere Scripturæ, ut ducerent nos ad meditandum de Deo, *meditandum de eo interdiu & noctu, Pſalm.* 1:2. In eo autem nonnulli peccant, quod de Deo nunquam cogitent; in hoc alii, quod de illo non cogitent rectè. Propheta id ſignum conſtituit impiorum, quod *Deus non ſit in omnibus cogitationibus illorum*; quales Judæorum inſtar *occidunt Zachariam, memoriam Domini, etiam inter templum & Altare.*

Laudanda hactenus fuit Philoſophi devotio, qui tot annorum ſpatio plus ſermonis cum Dis habuerat, quam cum hominibus. Si religio illius ad verum Deum fuiſſet directa, ecquid amplius ab ipſo eſſet requirendum? Utinam corda Chriſtianorum ita converſa forent ad ipſorum Creatorem, ut ille, qui fecit, etiam haberet ea. Gentiles exiſtimarunt, eſſe Deum; ſed quid de eo ſentirent, ignorabant. Precabantur, & cædebant hoſtias, varièque multa ſunt moliti; ſed jure inſigniviſſent Templa ſua Araſque ac Preces, *inſcriptione Athenienſium*, Ἀγνώςῳ Θεῷ, *ignoto Deo, Act.* 17.

Plato progreſſus eſt uſque ad conceptum unius Dei; *Perſæ* crediderunt, non poſſe eum Templo comprehendi; *Numas* exiſtimavit, non poſſe repræſentari per imaginem; atque in eo, ait *Clemens Alexandr.* à * *Moſe* fuit adjutus. Attamen omnes hi in cognitione Dei parum promoverunt. Natura, quando eos huc uſque perduxerat, omnes ſuas vires exhauſerat, neque ulterius progredi potuit. Felices itaque ſumus, modò verum pretium felicitati noſtræ ſciremus ponere, quibus *aurora exorta eſt ex alto; & Sol Juſtitiæ cum curatione in alis ſuis*; quibus meridies Euangelii illuxit, & cognitio Dei in robore ſuo. *Imo, Domine, indicetur Gathi, & annuntietur in plateis Azkelonis, ad invidiam ac mœrorem incircumciſorum, Deum eſſe agnitum in Britanniâ, & nomen ipſius eſſe magnum in Angliâ.*

* Νῦμας ἐκ τῶν Μωσέως ἀφεληθεὶς διεκώλυσεν ἀνθρωποειδῆ, &c. *Clement. Alex. Strom.* 1. p. 131.

CAP. II.

De nominibus Dei *apud* Judæos *& Gentes.*

N*Ulla gens*, inquit *Cicero, tam eſt barbara, tam effera, quæ non cognoſcat, eſſe Deum.* Et multa tamen, imo major populorum in mundo pars, ad rectam Dei apprehenſionem non pervenit; idque ob tres potiſſimum rationes. Prima eſt, quia cogitationes ſuas ultra ſenſus extendere neſciunt; atque ita concipiunt Deum corpus habere, quale ipſi habent, affectum colore, &c. Secunda, quando Deum de ſe metiuntur, atque eaſdem illi paſſiones attribuunt, quibus ipſi ſubjacent. *Non valentes enim homines, quidnam ſit Deus ſcire, quænam ſit vis ejus, natura, &c. in eas ſunt opinationes lapſi, ut Deum ex ſe fingerent; & qualis ſibi natura eſt, & illi talem darent actionum, rerum, voluntatumque naturam.* Tertia, cum ſupra naturam ſenſuſque aſcenderent, plurimum tamen à vero aberrarunt, comminiſcentes Deum genuiſſe ſeipſum, &c. Hinc multitudo atque diverſitas Numinum inter Ethnicos profluxit, cudentes ſibi aliquot Deorum millia, ut verum denique invenirent, nec tamen potuerunt. Hinc plurima eorum nomina, & multiplex deſcriptio apud eos occurrit, ut creditum eſſe videatur, æquè licere ipſis Deos facere, ac licuit Deo facere ipſos.

Aug. de Trin. lib. 1. *cap.* 1.

Arnob. adverſ. Gent. lib. 7.

Digitized by Google

Principio illi numina hæc ſua colebant citra omnem repræſentationem, ſolum ipſorum nominibus: ut ſunt *Cælites, Inferi, Heroës, Sumani, Sangui, & mille alia*, quorum relatio magis incantationis alicujus, quam alterius rei ſpeciem habet. Natura ipſa mortales convincit, eſſe quippiam quod pro ſupremo rerum omnium moderatore ſit habendum. Naturæ hoc lumen eos ad cultum alicujus numinis perduxit, ſed ad veram cultus rationem perducere non potuit. Hinc factum eſt, ut quidam coluerint beſtias brutas, alii arbores, nonnulli ſtellas, quidam homines, alii Dæmones. Aliqui per imagines, alii abſque illis; aliqui in Templis, alii ſine illis. Ita ut, velut *Gideonis* vellus, pars mundi Ethnica tota fuerit ſicca & conſtituta in tenebris atque umbrâ Mortis: *At in Judâ Deus notus eſt, & Nomen ejus magnum eſt in Iſraële.* Nomine ſuo *Jehova* ſeipſum appellavit, quando eduxit illos ex *Ægypto*, & gloriam ſuam inter illos collocavit. Noverant illum hiſce nominibus ac titulis, *Elohim, Adonai, El, Shaddai, Elion*, & nomine ejus magno *Jehovah*, ut Judæi id nuncupant. Cum Scripturæ Legis ac Prophetarum illos docerent, prætereaque illi tam familiariter cum vero Deo converſarentur, tamen reliquerunt illum, *ita ut ira incumberet Iſraëli.*

Rabbinici Judæi varias præter Scripturæ verba phraſes habent, quibus Deum in libris ſuis exprimunt. Ita frequenter illum appellant, *Hakkadhosh baruch hu, Sanctus benedictus ille*, literarum quatuor compendio הקבה. Nonnunquam uſurpant *El iithbarech, Deus qui eſt*, vel *ſit benedictus.* Alias *Shamaiim, Cælum*, per *metonymiam*, quia ibi habitat. Similis phraſis extat in Euangelio, *Pater, peccavi in Cælum, Luc.* 15: 18. Neque diſſimilis eſt ea, quæ frequentatur in *Angliâ, The heavens keepe you, ut te cæli incolumem ſervent.* Uſurpant *Shekinah* pro titulo Dei, ſed maximè Spiritus Sancti. De eo *Elias Levita in Thiſbi* ſcribit; *Magiſtri noſtri beatæ memoriæ Spiritum Sanctum appellant Shekinah, gnal shem shehu shaken gnal hannebhiim*, quia ſuper Prophetas habitat. Cum quo convenit Symbolum noſtrum *Nicenum*, ubi dicitur, *Credo in Spiritum Sanctum*, qui per Prophetas eſt locutus. *Shem, nomen*, uſurpant pro nomine Dei; & *Makom, locus*, itidem, quia Deus omnia comprehendit, & nihil comprehendit ipſum. *Gebhurah, fortitudo*, pro eodem ponitur. Delicati ſunt circa pronuntiationem nominis *Jehovah*, variis pro eo periphraſibus utentes, velut *Shem shel arbang, nomen* τετραγράμματον. *Shem haminhhad, nomen proprium*, aliiſque. Quidam apud *Euſebium* id eleganter expreſſit,

Επτά με φωνήεντα θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ
  Γράμματα τῶν πάντων ἀκάματον πατέρα.
Εἰμὶ δ' ἐγὼ πάντων χέλυς ἄφθιτος, ἣ τὰ λυρώδη
  Ἡρμοσάμην δίνης οὐρανίοιο μέλη.

Literulæ me bis binæ ac ter una ſonantes
  Numen perpetuum cunctipotenſque canunt.
Cunctorum chelys æternùm ſono; machina cœli
  Aſpirat ſuperum dulciſonumque melos.

Quæ iſtæ ſeptem literæ ſint, quæ ita exprimant Deum, haud difficile eſt conjectare ex literis nominis *Jehovah*, quod certè literis non niſi quatuor conſtat; ſed vocales numerum complent. De expoſitione nominis *Jehovah* in hunc modum *Rabbi Salomon* ſcribit: *Apparui iis nomine Dei omnipotentis; at nomine meo Jehova non cognitus ſum illis*, Exod. 6: 2. *Dicit ei* (inquit Rabbi) *ego ſum Jehova, fidelis in bonâ mercede conferendâ iis, qui coram me ambulant: neque enim fruſtra te miſi, ſed ad confirmationem verborum meorum, quæ effatus ſum patribus illorum. Eo autem ſenſu reperimus vocabulum Jehovah expoſitum variis locis. Ego ſum Jehovah fidelis in ulciſcendo, quando ſcilicet loquitur de punitione, ut, Si verò vos profanaveritis nomen Dei veſtri, ego ſum Jehovah. Similiter, quando verba habet de faciendis Mandatis, ut, Et vos ſervabitis mandata mea, & facietis illa, Ego ſum Jehovah, fidelis ad dandam vobis mercedem bonam.* Hactenus ille Rabbi.

Alchymiſtici Cabaliſtæ, ſive Cabaliſtici Alchymiſtæ ex nomine *Jehovah* extraxerunt nomen, ſive mavis numerum קפו, modo ſanè admirando: eſt autem hujuſmodi,

ופעמים יק הפעמים ה כח הרי קכה
ופעמים ולו הרי קסא הפעמים ח כח

הרי קפו *quod magnum myſterium ſcilicet ita habet. Decies dena conficiunt centum, quinquies quina viginti quinque; ecce 125: ſexies ſena triginta ſex, ecce 161: quinquies quina viginti quinque: ecce* קפו *ſive* 186. Ita vagatur amens illorum multiplicatio, multiplicans innumerabiles ſtoliditates in ſtolidis numeris, fingens conjecturas, velut *Sybillæ folia*, quæ ubi explorantur, nil niſi ventus eſſe apparent. *Irenæus* myſticam ejuſmodi turbam ciet ſuper nomine *Jeſu*; de quâ equidem conſiteri cogor nec hilum me intelligere; verba tamen ejus lubet aſcribere, ut, quod ego præſtare nequeo, lector tentet. *Nomen Jeſu*, inquit, *ſecundum propriam Hebræorum linguam, conſtat literis duabus integris & unâ dimidiâ, quemadmodum,*

qui

qui peritiores ſunt inter illos teſtantur; ſignificans Dominum, qui cœlum & terram continet: Jeſus enim juxta vetus Hebræorum idioma denotat Cœlum; Terra verò Sura uſſer appellatur. Hæc ille Pater, *lib. ſecund. adverſ. Hæreticos, cap.* 41. Super quibus verbis alto ſolummodò ſilentio criſin poſſum exercere. Tantùm de duabus literis & dimidiâ mentem ex ratione ſcribendi Judaicâ interpretor. Scribunt enim Judæi nomen Jeſu, ישו, negata ei literâ ultima ע, quia pro Servatore eum detrectant agnoſcere. Germanus Judæus *Elias Levita* verbis expreſſis ita loquitur: *Chriſtiani prædicant, Meſſiam ſuum aperto mandato Angeli Gabrielis nominatum eſſe* ישוע, *quia ſervaturus eſſet univerſum mundum ab inferno; ſed quoniam Judæi eum ſervatorem eſſe non confitentur, nec nomine* ישוע *dignantur; ſed literâ poſtremâ omiſſâ* ישו *appellitant.* Secundum hanc ſcribendi rationem, ut inquit *Irenæus*, vocabulum hoc literis duabus, ſcilicet יש, conſtat & dimidiâ literâ, id eſt, quam ita nominare licet, quià adeo eſt exigua.

Chaldæi nomen Dei ſcribunt per duplex Jod ſuperius, & per vocalem inferius in hunc modum יי. Unde quidam exſculpſerunt doctrinam Trinitatis: ut in duabus literis agnoſcatur Pater & Filius, & in vocali Spiritus Sanctus procedens ab utroque. Porroque ex diſtantia literarum atque vocalis æquali colligunt Perſonarum diſtinctionem, & ex propinquo omnium ſitu eſſentiæ unitatem. Aliud ejuſdem generis commentum habet *Bonfinius* in Hiſtoriâ *Hungaricâ*. *Quando Arrii hæreſis*, inquit, *recepta erat per totum terrarum orbem, ac dilatata tam perſecutione, quam diſputatione: urbs quædam in Galliis obſeſſa fuit propter conſtantem aſſertionem orthodoxæ fidei de coæqualitate Filii cum Patre. Deus ad confirmandos cives in eâ fide, hoc oſtendit miraculum. Occupato in Miſſæ functione ſacerdote ad Altare, tres, ecce, ſanguinis guttæ de cœlo in Altare decidunt; quæ aliquamdiù jacuerunt æquali invicem ſpatio diſcretæ, ad oſtendendam trium Perſonarum diſtinctionem; ad extremum verò, toto vidente populo, coierunt, ad oſtendendam eſſentiæ unitatem.* Hæc Hiſtoria. Verum certius habemus Prophetiæ verbum, *Tres eſſe qui teſtentur in cœlo, Patrem, Verbum, & Spiritum Sanctum: & tres illos eſſe unum.*

Chaldæi ſubinde uſurpant pro Deo vocabulum דחילא, & דחלא, *metus* vel *pavor*: propter metum, qui illi debetur. Sic è *Syria* rediens *Jacob*, & neceſſe habens jurare viro *Syro*, jurat ſecundum hanc *Syriacam* ſive *Chaldaicam* Phraſin, *Per pavorem Patris ſui Iſaaci, Gen.* 31: 53. ſive *per Deum, quem Iſaac reveritus fuerat*: quemadmodum *Onkelos* & *Jonathan* id exponunt.

CAP. III.

De Phraſi, Filii Dei, *Gen. Cap.* 6. *& Job. Cap.* 1.

IN *Jobo* omnes hanc Phraſin de Angelis intelligunt, & verè; quo ſenſu quia etiam Capite ſexto *Geneſeos* accipiant, totum corrumpunt: hinc enim ſtatuunt, concumbere Angelos cum mulieribus & gignere liberos. Id *Jarchi* ut credat animum fermè potuit inducere, ſimiliterque *Tertullianus*, *Lactantius*, aliique. Narrant nonnulli, quas nequitias hi Angeli mulieres edocuerint, & quam ingentes ex iis liberos progenuerint. Quam longè commenta hæc à verâ Philoſophiâ abeant, pronuntiet *Ariſtoteles*. *Merlinus* à *Galfrido Monumethenſi* memoratur, ex hujuſmodi ovo fuiſſe excluſus; credat, cui lubet. Illius ratio prophetandi perſuadere poteſt *Alano de Inſulis*, ut pro vero habeat; ſed cogor ego confiteri, id meis fidei Articulis minimè contineri. Ut nonnulli commenti ſunt, lapſos Angelos, ſive Diabolos hîc ex fœminis liberos procreare; ita Judæi improbè fabulantur, *Adamum* liberos genuiſſe ex diabolis. *Centum & triginta annos affirmant illi, Adamum ſeorſim ab Evâ vixiſſe; Diabolos verò veniſſe ad illum, quibuſcum conſueverit, & diabolos, ſpiritus & cacodæmones genuerit.* Et denuo; *Quatuor mulieres erant matres Shedhim, ſive Diabolorum, Lilith, Naamah, Ogereth, & Mahlath.* Utrumque hoc pari loco habeo; neutrum enim mihi veriſimile ſit. Uterque Chaldæus *Onkelos* & *Jonathan, filios Dei* vertunt *filios Magnatum* ſive *Judicum*, accipientes vocem *Elohim* ſenſu eo, quo accipitur in verſuum libri *Exodi* medio, ſcilicet 28. *Capitis* 22. *Non maledices Elohim*, ſive *Judicibus*. Opinio hæc priori longè præſtat, ſed Chriſtiani hâc ipſa aliam habent meliorem. Nempe domum progeniemque ſancti *Sethi* eſſe filios Dei, ſive Eccleſiam: ſobolem verò *Caini* fœmininam filias eſſe hominum. *Cyprianus di Valera* in verſione ſuâ Hiſpanicâ, *Gen.* 4. *verſ. ultimo* ita reddit, *Entonces commenciaron llamarſe, Tunc cœpêre homines appellari de nomine Dei, ſive de nomine Domini.* In Margine autem ita ſe explicat: eo tempore homines è domo *Seti* incepiſſe in publicam Eccleſiam coire, & diſtingui à familiâ *Caini*, atque appellari filios Dei, *Gen.* 6: 2

Digitized by Google

CAP. IV.

De Phraſi, Filii hominis.

PHraſis hæc frequens eſt in Scripturâ, in Rabbinis Hebræis, ſed maximè omnium in linguâ Chaldæa & Syriacâ. *Bene Anasha : & Bar nosho :* in quorum poſteriori Syrus communiter ſcribit אנשא, ſed omittit primam literam; cujuſmodi eclipſi iſta lingua etiam in aliis vocibus frequenter utitur, aliter ac pronuntiat ſcribens, quemadmodum apud Gallos fieri notum eſt. *Ezechiel* in Prophetiâ ſuâ *Hebraa* Scripturæ ſæpe appellatur *Filius hominis.* Cur tam crebro ipſe & non alius Propheta ita vocatus ſit, rationes à variis variæ adferuntur. Mihi quidem, qui omnibus illis multo ſum inferior, cauſa præcipua hæc videtur eſſe, quod, cum Prophetia ipſius in captivitate Babylonica ſit conſcripta, Chaldæa Phraſi uſus ſit, *Fili hominis*, id eſt, ô homo. Eâdem phraſi Daniel in *Chaldaâ* uſus eſt, *Dan.* 10: 16.

CAP. V.

De terris à Japheto occupatis per filium Javan.

JAvan vulgò pro *Graciâ* accipitur. Lingua etiam Græca apud omnes Hebræos nominatur ſermo *Javanis.* Neque aliter appellant Arabes. Syrus in *Rom.* 1: 16. vocat Græcos ארמיא, ob cauſam mihi quidem ignotam. *Javan*, filius *Japheti*, exiſtimatur iſtam regionem incolis inſtruxiſſe; in cujus facti memoriam *Iones* notiſſimum ſunt monumentum. *Moſes* quatuor ei filios fuiſſe affirmat, *Eliſam, Tharſin, Cithim*, & *Dodanim :* quos in omnem *Graciam*, uſque in *Italiam*, colonias deduxiſſe veriſimile eſt. *Eliſa* & *Dodanim* principio in propinquo egerunt: ſimiliter *Tharſis* & *Cithim*; ſed eorum poſteritas variè fuit diſperſa. *Targum Hieroſolymitanum* & *Babylonicum* quatuor horum virorum ſedes definiunt: *Jonathan* namque quartum verſum Capitis decimi *Geneſeos* in hunc modum legit: *Et filii Iavanis, Eliſa, Elis, Tarſus, Acacia, & Dardania. Hieroſolymitanum* ita: *Et filii Iavanis, Eliſa, & nomina regionum illorum, Alaſtaraſom & Dodonia.* Quam vocem *Alaſtaraſom* vitioſè ſcriptam eſſe arbitror, per duarum vocum conjunctionem, & erroneam acceptionem literæ ultimæ ם Mem pro ס Samech, quod in adeo ſimilibus facile poteſt contingere. Vocabulum *Alaſtaraſom* ſine dubio eſſe debuit *Alas*, ſive *Elis Tarſus. Elis* frequens eſt in omnibus Scriptoribus. *Eliſion* in *Homero in Bæot. Eleuſine in Plutarcho* in *Theſeo*, loca ſunt in *Graciâ* nomen gerentia coloni ſui veteris *Eliſa. Dodanim* ſui monumentum habet in nomine antiquæ *Dodone. Tharſus* memoriale ſui reliquit in *Ciliciâ*, in urbe *Tharſo* : quæ à *Plinio* celebratur *urbs libera*, *Nat. Hiſt. lib.* 5. & Sanctus *Paulus*, quia hinc oriundus erat, liber fuit, *Act.* 22.

Tharſis Gen. 10. nomen viri eſt; *Ion. Cap.* 1. *verſ.* 3. In Chald. Par. uſurpatum invenitur pro mari. *Exodi Cap.* 28. ponitur pro * Margarita. *Act.* 22. eſt nomen Civitatis. Securè mihi videor poſſe ſtatuere, urbem accepiſſe nomen à viro, mare ab urbe, margaritam à mari.

* Margarita *Tharſis, Exod.* 28: 10. Anglice redditur *Beril*: in Translationibus *Chaldæis* eſt *kermum jamma, Margarita Marina. Kerамides Plinio* memoratur, margarita, cujus nomen non multum abhorret à nomine *Terus. Targum* exiſtimat, *Tharſin* eſſe lapidem *Aſeri*; *Jonathan* contra, eſſe *Zebulonis*: quod veriſimilius eſt; margarita enim marina haud abſurdè *Zebuloni* attribuitur, maris accolæ, *Gen.* 49: 13.

Cithim Cyprum inſulam occupavit, haud procul à fratre *Tharſi.* Ab eo terra illa antiquitus *Cethin* dicta eſt, ut *Ant. di Guevara* eam nominat in *Horologio Principum.* Et agnoſcunt *Cyprii Cythnon* quendam, (*Cythnum*, ſive *Cithim*) pro conditore ſuo, teſte *Herodoto, libr.* 7. Inſula ea colonias deduxit verſus partes ulteriores, ad complendum mundum Occidentalem, quæ, quocunque profectæ ſunt, nomen patris ſui *Cithim* ſecum abſtulerunt. *Macedonia* ſive *Macetia* dicitur *Cittim*, 1. *Macc.* 1: 1. Denique penetrarunt in *Italiam*, quæ *Cittim* appellatur, *Num.* 24: 24. & ſic à Chaldæis redditur. Ita *Iavanis* poſteritas vehementer crevit in *Grecia* atque in *Italiâ*, & tandem tranſmiſit nobis homines in has Gentium inſulas.

CAP. VI.

De Doctrina Iudaicâ.

PRæcipua Judæorum ſtudia occupantur in Scripturis, vel in linguâ Hebraicâ; ſed fuere qui in aliis etiam rebus operam collocarint. Præcipua eorum doctrina Lingua Hebræa eſt, quæ revera fundamentum eſt omnis cognitionis ſacræ. Illius quidam valdè rudes ſunt; alii verò admodum periti. Ipſi autem tanti id ſtudium faciunt, ut errorem in unâ literâ mundum deſtruere affirment. Qui in hoc verſu, *En kadosh chaihovah*, legit *Beth* pro *Caph*, facit *ut in Iehovah non ſit ſanctitas*, & *deſtruit mundum.* Si lubet, vide amplum opus de ἀκρ, βεία iſtâ in *Tanch.* ſuper *Gen.* 1. Quanto ſtudio Rabbini in textu exponendo ea, quæ ad linguam pertinent, curare ſoleant, commentaria illorum argumento ſunt. Sed quemadmodum apud *Chancerum*, *Maximi Clerici non ſunt ſapientiſſimi viri*, ita & inter illos, qui maximi textuales ſunt, non ideo textum optimè explicant. Quidam in humanioribus Artibus laborarunt; ex iis nonnulli,

אין קדוש כיהוה אין קדוש ביהוה

Digitized by Google

nulli, velut *Kimchi* & *Levita*, in Grammaticâ, *Rabbi Simeon* in Logicâ, inque aliis alii; ſicut *Buxtorfius* in collectione Scriptorum Judæorum plenè enarrat.

CAP. VII.

De Talmude.

QUi nominat Talmud, omnem Judaiſmum nominat; & qui *Miſchna* & *Gemara* nominat, nominat omne Talmud. Sic *Levita Hattalmud nehblak*, &c. *Talmud diviſum eſt in duas partes; una Miſchna appellatur, altera Gemara: & hæ duæ ſimul dicuntur Talmud.* Hoc Judæis eſt, quod Pontificiis Concilium Tridentinum, fundamentum & baſis religionis ſuæ. Scripturæ enim hactenus credunt, quantum Talmud credit, utrique tribuentes æqualem authoritatem. *Rabbi Tanchum, filius Hanilai, ſcribit: homo vitam ſuam omnem in tres partes dividat; & tertiam partem deſtinet Scripturis, tertiam Miſchnæ, tertiam denique Gemaræ.* Ita duas partes libro Talmud tribuunt, Scripturis verò duntaxat unam. Adeo, Papiſtarum inſtar, humanas traditiones extollunt. Ingens hæc Judæorum Bibliotheca tale fere in Vetus Teſtamentum opus eſt, quale *Catena Aurea Thomæ Aquinatis* in Teſtamentum Novum. Extat enim hic ſumma eorum omnium, quæ Doctores ipſorum ſuper lege meditati ſunt, & explicationis gratia attulerunt: quemadmodum iſtic eſt collectio explicationum & commentariorum Patrum in Euangelia. Quoad materiam, haud malè *Originis* libris comparaveris, de quibus antiquitus dictum eſt; *ubi benè, nemo melius; ubi male, nemo pejus.*

Vox *Talmud* in Hebræa idem ſonat, quod in Latinâ linguâ * *Doctrina.* Commentarius eſt, ajunt Judæi, in Legem Dei ſcriptam. Legem autem & *Talmud*, inquiunt, utrumque Deus Moſi *dedit*, Legem de die & ſcripto, hoc noctu & vivâ voce. Lex cuſtodita hactenus per ſcriptionem, hoc per traditionem. Hinc frequens adeò in ſcriptis Rabbinorum diſtinctio, *Torah ſhe baccatubh*, & *Torah ſhe begnal peh*; *Lex per ſcripturas, & lex per ſermonem oris.* *Moſes* * dicunt, *accepit Legem è Sinai*, (exiſtimo ipſos legem hanc oralem reſpicere) *atque eam tradidit Ioſuæ, Ioſua Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetæ viris magnæ Synagogæ.* Atque ita, ut apud *Virgilium* fama, *crevit eundo*; & globi nivalis inſtar, à viâ molem accepit. Sic illi tricas ſuas non verentur imputare *Moſi*, & Senioribus, & Prophetis, quibus ejuſmodi commenta nunquam in mentem venerunt; ut Romanenſes pro traditionibus ſuis ſciverunt reperire libros *Clementis*, *Dionyſii* ac aliorum, qui de ejuſmodi commentis nec per ſomnium unquam cogitarunt. Adverſus haſce traditiones ipſorum, parte concionis *Matth.* 5. Servator agit. Sed Judæorum fundum impetit, quando tangit ipſorum Talmud: neque enim majorem theſaurum habere ſe credunt; in hoc *Cleopatræ* apud *Plutarchum* ſimiles, maximè curantes viperam, quæ interitum ipſis attulit.

* Elias Lev. in Thisbi.

* Pirke Aboth, cap. 1.

CAP. VIII.

De Talmudiſmo.

UT omittam tempus, quo conſcriptum eſt, & diſtinctionem inter *Hieroſolymitanum* & *Babylonicum*; præcipuus utriuſque, uti arbitror, finis conſiſtit in explanatione Veteris Teſtamenti. Tituli librorum ſcopum ſignificant. *Peſachin* circa Paſcha; *Sanhedrin* circa Tribunalia; *Beracoth* circa actionem gratiarum. Nonnunquam commentantur, aliquando alluſiones concinnant, modò tractant controverſias, mox miſcent fabulas. Nam liber hic complectitur eorum Legem & Politiam, & communiter quædam, quæ legem omnem & politiam tranſcendunt. Specimina pauca lubet adjungere, ut ex pede *Herculis* de ipſius corpore facias conjecturam.

Jud. 9: 13. dictum eſt à Vite, *Omittemne muſtum meum, quod lætificat Deum & homines? Quo pacto vinum lætificet Deum? Rabbi Akibah ait, quia homines Deo gratias agunt pro illo.*

Itidem in controverſiam iſtic trahitur, *An gratiæ agendæ ſint pro cibo & potu, quos quis nondum guſtavit?*

Alibi etiam, *Num ſint Deo gratiæ agendæ pro grato odore ſuffitus, quem quis percipit ex Idolothytis?*

Num candelam accendere liceat è candelâ aliâ, quæ lucet in candelabro inſignito imaginibus?

Utrum occupatò in cultu Divino, ſi ſerpens calcem ejus morſu petat, convertere ſe liceat & deſinere, ut animal excutiat, an ſecus? Ad quam quæſtionem *Rabbi Tanchum* ſolidè reſpondet, *Ne licere quidem ut pedem quatiat ad decutiendum ſerpentem*; & graviſſimam rationem addit; *Nam*, ait, *occupatus erat nonnemo precatione, irruitque in eum ſerpens, & calcaneum comprehendebat; ille perſeverabat in ſtudio Divini cultus, neque ſe commovebat: & confeſtim decidit ſerpens mortuus, inſtar rigentis lapidis, abſque viri noxâ. Legenda Aurea* arte hujuſcemodi monetam cudendi, nihil ipſos ſuperat.

Speci-

Digitized by Google

CAP. XII.

Nun inverſum ꞉ *Num. Cap.* 10. *&* 11.

Capite decimo Num. verſu trigeſimo quinto, in his verbis, ויהי בנסע הארן, *Erat autem cum profectura eſſet arca*, litera נ ſcripta eſt figurâ verſâ, in hunc modum, ꞉, *ad oſtendendam*, ut Judæi affirmant, *gratioſam converſionem Dei ad populum. Capite undecimo*, verſu primo, in verbis hiſce, ויהי העם כמתאננים, *Cum autem populus plane queribundi eſſent*, &c. litera נ iterum ſcripta eſt figurâ verſâ, in eundem modum, ꞉, *ad oſtendendam*, ut ipſi ajunt, *perverſam populi à Deo averſionem.* Atque ita duo hæc loca in magis fidis, quæ extant, exemplaribus, conſcripta inveniuntur. Quod ſi Judæi in ratione hujus rei indagandâ omnibus non ſatisfaciunt; tamen, quod de *Origine* pronuntiat *Eraſmus*, hominibus ſtudioſis occaſionem miniſtrarunt inquirendi in id, de quo aliter vix quæſituri erant. Miræ hujuſmodi in Bibliis quarundam vocum ſcriptiones,& extraordinariæ (ut literæ nunc aliquæ vocibus ſuperſcribantur, & nunc exiliores vulgaribus, nunc grandiores exiſtant) obſervatæ conſtanter in omnibus exemplaribus & libris, de nihilo certè eſſe non poſſunt. Si nihil illæ prætereà doceant, id certè oſtendunt, Textum non corruptum eſſe, ſed integrè cuſtoditum, quando hæc, quæ feſtinus aliquis ac rudis lector errori imputaret, tam accuratè in omnibus codicibus ſunt obſervata.

CAP. XIII.

De Maſorethis.

Authores hi habentur vocalium & accentuum; quæ opinio cùm à nonnullis, iiſque non contemnendis viris, recepta ſit, profiteri tamen cogor, non videri mihi hanc rem omni dubio carere. Labores, quos circa Biblia ſumpſerunt Maſorethæ, equidem admiror: ſed concipere nequeo, eos ibi aliquid ultrà egiſſe, quam quod obſervationibus ſtuduerint. Si qua vox, vel litera, vel vocalis à regulis Grammaticæ ordinariis abit, annotarunt, id ibi fieri; quod haud difficulter præſtiterit quilibet, qui in Hebræâ linguâ mediocriter eſt verſatus: at cur id fiat, ibi vel ſola Judaica ratio, vel nulla omninò addita comperitur. Ut unum textum in exemplum adducam; *Gen.* 14: 5. vocabulum כדרלעמר *Kedor-Laomer*, tam mirè punctatum eſt, ut nemo non animadvertat. Ipſe etiam ego obſervavi, antequam *Maſoram* oculis unquam uſurparam; quando verò ad eam accedebam, cauſam cogniturus, nullam quidem dederunt aliam, quam quod obſervationem ſuam annotaſſent, *Tebbah bhatha*, &c. Camets ſcriptum eſt cum duplici Sheva. Conſimiliter & alibi agunt, raro amplius quid exhibentes. Admirabilis intereà eorum opera eſt ad probandam textus integritatem, quam Papiſtæ negant. Omnes enim literas in Bibliis accuratè computarunt; unde conſtare poteſt, ne unicum pilum de ſacro hoc Capite periiſſe. Octingentæ & quadraginta octo notæ marginales obſervatæ atque conſervatæ ſunt, ad textus faciliorem captum. Verſus medius ſingulorum librorum notatur, numerus verſuum in quoque libro computatur; &, ut modò dicebam, nec punctum occurrit, à Grammaticæ regulis recedens, quod non inſigniatur notulâ. Ita ut, ſi aliunde non conſtaret, textus Teſtamenti Veteris integritas; horum hominum ſudores, meo quidem judicio, confidentiæ Papiſtarum retundendæ ſufficerent.

CAP. XIV.

De Lectionibus marginalibus.

Quod dixi, marginem tam ſæpe juvare textum, ſi ita loqui liceat, locis ſcilicet 848, videri poſſit textum arguere totidem errorum. Sed eruditi ejus rei rationem invenerint. Spero me ſatisfacturum mihi ipſi citra detrimentum, per hanc rationem, donec creſcens doctrina mea ſuggeſſerit meliorem. Nimirum, quando reviſionem Bibliorum aggrediebantur poſt captivitatem, quod *Ezram* feciſſe omnes credunt, uſos ad id fuiſſe pluribus exemplaribus, quæ cum diſcreparent, quippiam rejicere religio ipſis fuit, quia addere vel demere vetitum erat; unde factum eſt, ut reciperint ipſam illorum varietatem partim in textum, partim in marginem. Tamen non exiſtimo id hoc duntaxat modo eſſe præſtitum, abſque ſpeciali aliquâ cauſâ in quibuſdam locis: ſcriptio enim vocis נער pro נערה tam frequens, cogitationem mihi injicit, ſi nulla alia ratio perſuaderet, marginalia non eſſe humanas duntaxat correctiones.

CAP. XV.

Ex Kimchio *in Jona Cap.* 1.

Kimchius quæſtionem movens de Authoritate Libri *Jonæ*, &c. rationem adfert ſolatii plenam; quam ubi legi, non poteram non de ea amplius cogitare. Verba ejus hæc ſunt, digna obſervatione. *Meritò*

*ritò quæritur, quare hæc Prophetia pars facta ſit Sacræ Scripturæ, quoniam tota eſt adverſus Niniven, urbem Ethnicam; & nullam Iſraëlis mentionem habet: quod inter omnes Prophetias huic eſt peculiare. Verùm ita id exponere licet, ſcriptam eam eſſe in redargutionem * Iſraëlis: ecce enim, Populus peregrinus, qui ex Iſraële non erat, paratus erat ad reſipiſcentiam, & primo ipſo tempore, quo Propheta peccata eorum ob oculos ponebat, ab iniquitate ſuâ ad ſanitatem mentis redierunt; ſed Iſraël, quem Propheta ſine intermiſſione redarguebant, ab iniquitate tamen ſuâ non eſt converſus. Rurſus* (liber hic fuit ſcriptus) *ad oſtendendum ingens miraculum, quod benedictus Deus Prophetæ impendit, qui tres dies & tres noctes fuerat in ventre piſcis; quem incolumem tamen piſcis reddidit ejecitque in terram. Rurſus, ad docendum, Deum exhibere miſericordiam reſipiſcenti, cujuſcunque ille gentis ſit; neque veniam admiſſorum negare peccatoribus, quamvis numero ſint plures. Hæc Kimchius.* Super quibus extremis verbis non poſſum, quin meditationi vela pandam. An expectanda fuit veritas à Judæo, aut ſolatium ab Hiſpano? Et Judæus tamen Hiſpanus hîc exhibet utrumque; veritatem ſolabilem, & ſolatium verum. Deus veniam vult largiri peccatori Reſipiſcenti; hæc eſt ſolabilis veritas: & nulli veniam negare reſipiſcenti, cujuſcunque gentis ſit; hoc veriſſimum eſt ſolatium. Cum Judæus ita doctrinam reſipiſcentiæ annuntiat, non poſſum quin auſcultem, & juvem ipſum nonnihil in ipſius concione. Ut Deus paratus eſt ad condonandum Reſipiſcenti, cujuſcunque ſit gentis; ita ad condonandum quæcunque peccata, modò ſeriò pœniteat. Hîc excipio irremiſſibile peccatum in Spiritum Sanctum: quod cujuſmodi ſit, Scriptura tectis verbis occulit, partim ne deſperemus, ſi ipſi labamini; & partim ne condemnemus fratres, ſi incidant in peccatum aliquod huic propinquum, ſed reverà tamen diverſum. Ad ſuſtinenda verba & Judæi & mea de gratiâ gentibus faciendâ & condonandis peccatis, tam latus mihi campus panditur, quam latè omnes regiones & peccata mundi patent. Sed concludere me nunc quidem placet, quantum ad regiones attinet, ſolâ *Ninive*; &, quoad peccata, criminibus admiſſis à *Mariâ Magdalenâ*. *Ninive*, civitas gentilis, condita ab improbâ progenie, habitata ab impiâ multitudine, tamen, ut reſipiſcit, veniam conſequitur. *Maria Magdalena*, rea multorum peccatorum, conſuetudinis peccandi, peccatorum immaniſſimorum, tamen, ubi reſipuit, gratia ei facta eſt. Judæus occaſionem mihi ſuggerit ad duas Chriſtianas meditationes circa *Niniven*, ſive ad duos ſalubres affectus, Timorem & Spem. Peccata *Ninives* videt Deus; unde novi nec mea eſſe occulta; quod pœnæ timorem mihi injicit: At condonat Deus *Ninives* peccata, ideoque ſpero nec mea eſſe irremiſſibilia; id ſpem veniæ producit. *Col debharanſhe amar lehareang libbne Adam*, ait Rabbinus, *bithnai im lo jaſhubhu. Omnia mala, quæ minatur Deus hominibus hâc ſub conditione denunciantur, niſi reſipiſcant.* Quemadmodum ſuperiùs Judæus loquebatur ſolatium & veritatem, ita hîc ſolatium & terrorem connectit. Minatur Deus mala: hîc terror eſt; ſed id ſub conditione fit, iſtic ſolatium eſt. Utrumque in hiſtoriâ *Ninives* reperitur, *Adhuc quadraginta dies, deinde Ninive ſubvertetur*; ibi eſt minax terror: *ſed pœnituit Deum ejus mali, quo ſe dixerat affecturum eos, & non affecit*; ibi ſolatii plena conditio. Itaque, quod fecit *David*, cantare lubet cum ſpe & tamen cum timore de miſericordiâ & Judicio, primò de miſericordiâ, deinde de judicio. Miſericordiâ ſuper reſipiſcentiâ meâ, ne dejiciar; Judicio ſuper peccatis meis, ne efferar. Miſericordiâ in Judicio, & Judicio in Miſericordiâ. Rejicit quiſpiam per deſperationem miſericordiam *Ninive* exhibitam? Timeat terribile *Ninives* judicium. Trepidat aliquis ad terribile *Ninives* judicium? Soletur is ſe *Ninives* obtentâ miſericordiâ. Sed in ore duorum teſtium miſericordia ſtabiliatur. Sumamus *Mariam Magdalenam* cum *Ninive*: & quemadmodum iſtic video veniam multis factam peccatoribus, ita hîc de multis peccatis. Plurimis his peccatoribus condonatum eſt, tanquam eſſent unicus vir; de plurimis his peccatis nec unicum reſiduum eſt factum. *S. Bernardus* verba faciens de lotione pedum Chriſti, ait, Acceſſit ut peccatrix, receſſit ut ſancta. Acceſſit ut Æthiops & pardus, receſſit mutatâ pelle & maculis diſpunctis. At quo pacto id factum eſt? Accedit ad pedes Chriſti, & ſingultibus cordis ejecit peccata ex anima. Proſternere & tu, anima mea, inquit idem *Bernardus*; & procumbe, ô anima mea, ad pedes Chriſti, exterge illos tuis capillis, ablue lachrymis, quæ lachrymæ dum ipſius pedes lavant, tuam unà animam purgent. Pedes ejus lavas, & temetipſum lava cum *Mariâ Magdalenâ*; donec tibi dicat, quod dixit *Mariæ Magdalenæ*, remiſſa ſunt tibi peccata tua.

* Hebr. *Muſar. Inſtructionem.*

CAP.

CAP. XVI.

De ſacrificio.

SAcrificium parum abeſt quin antiquitate peccato æquale ſit; peccatum autem paulò duntaxat recentius eſt mundo. *Adam* ipſo quo creatus eſt die, ut maximè eſt probabile, peccavit & ſacrificavit; die verò inde proximo vacavit meditationi ejus, quò ſacrificium ipſius collimabat, ſcilicet Chriſti. *Cain* & *Abel* imitabantur paternam pietatem; ſed in ratione eam exequendi *Cain* plurimum defecit. *Abel* ignem habuit de Cœlo ipſi reſpondentem; ſed *Cain* ignis inſtar exarſit, quia eo deſtituebatur. *Noach* recipit in Arcam de genere quolibet mundo beſtiam unam imparem eo fine, ut poſt liberationem ſacrificio inſervirent; atque ita egit. Sed quod attinet ad commentum Paraphraſtæ Chaldæi, *ſacrificaſſe illum ſuper eodem Altari, quo Adam & Cain & Abel tanto antè tempore uſi fuiſſent*, refero id ad Judæorum fidem, quam valdè amplam depingit Poëta, qui dixit, *Credat Judæus apella.* A patribus ante legem in ſacra hac cultus divini parte decor atque ordo fuit obſervatus. Curavit deinde Deus, ut eam *Moſes* Libro *Levitici* ſcriptis mandaret. Dum ſtabat Templum Judæorum, ſive dum Judæis in Templo ſtare licuit, habuerunt ſacrificium ſuum quotidianum; donec magnus Sacerdos offerens ſemet ipſum, ſacrificiis atque oblationibus finem imponeret. Nunc contenti ſunt Judæi, &, quemadmodum ex Liturgiâ eorum patet, petunt à Deo, ut ipſe etiam ſit contentus precibus abſque ſacrificiis, quia nunc acceſſus ad ſacrificiorum locum iis eſt intercluſus. Afflictio, quæ iis, ut arbitrantur, ob hanc ipſam rem evenit, docere eos poteſt, *Meſſiam Nagidh*, ſive *Chriſtum Principem* ea eſſe executum, quæ ipſis *Daniel*, & Angelus *Danieli* de eo prædixerant.

Utrum Gentiles ſuum ſacrificandi ritum à Judæis mutuati ſint, an à naturâ, nihil intereſt quærere. De eo certus ſum, Judæos aliqua ſacrificiorum execrandorum à Gentilibus eſſe mutuatos. Sacrificia humana *Moſi* Ethnica ſunt: & tamen valdè illa frequentia fuerunt inter Judæos, uſurpata etiam antiquitus apud *Athenienſes*, & *Carthaginienſes*, ut *Plutarchus*, *Lactantius*, aliique teſtantur; & noſtris temporibus apud Indos, ut videre eſt in *Corteſio*, & alibi. Pravæ hujus conſuetudinis, quam uſurparunt Gentiles, quæ ratio fuerit, affirmare nequeo; niſi fortaſſis arbitrati ſint, crudelitatem eſſe gratiſſimam oblationem, vel Deos ſuos crudeles magis eſſe, quam miſericordes: vel adferri poteſt hæc cauſa. Didicerant vel à Judæis, vel ab oraculis, vel ab ipſo Dæmone, qui non difficulter hominibus indulget aliquod lumen, ut eò magis in tenebras inducat, fore ut vir aliquando offerretur; qui placaturus erat iram Dei, quod in Chriſto eſt impletum; unde intuitu hujus viri homines ſacrificabant, ſive ut viderent nunquid in ipſiſſimum virum inciderent, vel in memoriam hujus viri, uſque dum veniret.

Quidam arceſſunt *Jephtham* crudelitatis, quam in offerendâ filiâ commiſerit; cujus tamen fides *Hebr. cap.* 11. commendatur. *Auguſtinus* dubitat, an habendum ſit pro Dei præcepto, quod filiam propriam occiderit. Sed ejuſmodi ſcrupulum ſine cauſâ exiſtimo moveri, quoniam verba textus nihil hic definiunt. Homo Ethnicus apud *Plutarchum*, quando ei indicabatur neceſſe eſſe, ut aut Deæ cuidam offerret proprium infantem, aut quæ animo agitaret conſilia, felici ſucceſſu carerent; ſcivit reſpondere, *Paratum ſe eſſe toto animo ejuſmodi ſacrificium offerre Deæ, quale acceptare ei placeret; verum efflagitari ab eâ infantem ſuum, vel ejus cæde & ſanguine placari velle, neutiquam ſe ſibi poſſe perſuadere.* Certus ſum, *Jephtham* cauſam habuiſſe, cur multò accuratius in rebus hujuſmodi fuerit inſtitutus, quam aliquis Ethnicus toto mundo.

Varronis ea opinio fuit, non decere ut ullum omninò ſacrificium offeratur. Ratio ejus in *Arnobio* hæc eſt: *Quia Dii veri neque deſiderant ea, neque depoſcunt: ex ære autem facti, teſtâ, gypſo, vel marmore, multò minus hæc curant.* Homo Ethnicus in ſuo ſenſu verè loquitur; mens enim illius ſine dubio hæc eſt, Deos, qui ſint veri Dii, hâc crudelitate in beſtiis cæſis minimè delectari, neque ad ſuſtentationem ac cibum ſibi ea ab hominibus depoſcere. Et certè verus Deus, qui ipſa veritas eſt, quanquam ſacrificia imperavit, tamen non ulteriore ad ipſum reſpectu factum eſt ut ea mandaret, quam ut etiam hoc cultus Divini modo agnoſcere eos vellet, ſubmiſſionem & humilitatem ac obedientiam ipſi præſtandam. Quid enim ille beſtiam aut bovem curat, *Quandoquidem ipſius eſt terra habitabilis & plenitudo ejus, Pſalm.* 50: 12. *Lyranus* expoſuit ſpeciales fines, propter quos Deus *Iſraëli* tot imperavit ſacrificia.

Primus eſt, ut eos à conſuetâ Idololatriâ dimoveret: cultus enim veri Dei tantam curam requirebat, ut vix ullum tempus poſſent reperire de Idolis cogitandi. Et ipſæ, quas ſacrificabant, beſtiæ docere eos poterant

Digitized by Google

poterant vanitatem Idolorum Ægypti, quæ ipſi aliquando coluerant. Mactatio quippe bovis vel arietis vel hædi clarè oſtendebant, Apim ac Hammonem ejuſmodi formis cultos ab Ægyptiis, vanitatem eſſe meram.

Secundus; per ſacrificia ſua diſcebant, nihil ſe habere niſi quod accepiſſent à Deo: ideoque de ſuis beſtiis, tritico, vino, &c. offerebant ipſi in gratiarum actionem aliquid quod ipſius eſſet.

Tertius; ſacrificia hæc occaſionem præbebant cogitandi de Chriſto, donec ipſe veniret plenamque iis conciliaret expiationem. Atque ita *Lyra* docet, ipſas beſtias oblatas repræſentaſſe Chriſtum; bovem, patientiâ ſuâ: ovem, innocentiâ; & fœtentem hædum, imagine peccatricis carnis.

Quarta ratio addi poteſt, populum, dum ſtabat atque contemplabatur, haſce beſtias cædi & comburi, potuiſſe recordari propriorum meritorum, & revocare in memoriam peccata, propter quæ hæ beſtiæ ad hunc modum tractabantur. Impoſitio manuum (dextræ, ait Chaldæus) in beſtiæ caput, videtur inferre eos agnoviſſe, meruiſſe ſe id quod beſtia parata erat perpeti, cædem ac ignem. Quicunque autem deſiderat in hâc cultus divini parte indulgere Allegoriis, copiam ſuppeditabit *Flaviacenſis:* Et alioqui, Patres iiſdem abundant, ita ut modum quoque excedant.

Nautæ Gentiles, qui unà cum *Jona* navi vehebantur, dicuntur ſacrificaſſe & vota voviſſe: quod Chaldæus (exiſtimans navim & tempeſtatem parum oportunum fuiſſe locum & tempus ſacrificio) ita expedit, *Promittebant ſe eſſe ſacrificaturos*; ubi ſcilicet datum eſſet terrâ potiri, & vota vovere de Proſelytiſmo, ait *Jarchi*; vel dare pauperibus eleemoſynas, inquit *Kimchi*. Infinitum eſſet, veſtigia Ethnicorum perſequi, ac videre quam prope accedant ad ſacrificia Judæorum, aut procul ab iis recedant.

CAP. XVII.

Judicium Juſtum.

CRantzius, Hiſtoricus *Danus*, ut multa cognitu perjucunda hiſtoriæ immiſcet, ita facere non potui, quin inter legendum hiſtoriam hanc excerperem, in quâ Deum juſtum animadverto, homicidium verò triſte & miſerum. Conductus erat quiſpiam conſtituto præmio ad *Danum* quendam, hominem inſontem, occidendum. Executus facinus ſanguinarium mercedem iniquitatis crumenâ incluſam conſequitur. Aurum ad tempus animi ſenſum hebetavit: ſed ubi reatus cœpit remordere, aurum nihil amplius valuit. Ad extremum homicidæ conſcientia, teſtis ſimul & judicis vice fungens, ipſum de ſanguinario facinore accuſat & condemnat. Animus ejus ſimul & oculus deorſum dejiciuntur, alter uſque ad infernum, quò factum ſubſiderat, & alter ad terram, quò ſanguis. Infeſtus jam eſt vitæ propriæ, ut nuper fuerat alienæ. Advincit crumenam, in quâ inerat aurum iſtud, quo ad cædem alterius conductus fuerat, ad cervicem ſuam, atque eam cuilibet obvio, præmium ſuæ cædis offert. Denique repenſum ei eſt juſtiſſimâ retributione; conducit enim percuſſorem proprium eodem pretio, quo ipſe conductus fuerat. Atque ita pereunt, quorumcunque pedes leves ſunt ad fundendum ſanguinem; & qui feriunt illegitimo gladio, conſimili viciſſim feriuntur. Viri hujus calamitas in memoriam mihi revocat *Cainum*, homicidarum omnium primum parentem; & triſtem ejus condemnationem & miſeriam, onuſque & expulſionem. *David* aliquando gemebat ſub onere reatus ſanguinis; verum Deus reſipiſcentem allevavit, *Pſalm.* 51. *Judas* viam iniit *Caini* etiam deteriorem, ut liberaretur ab aculeo reatus ſanguinis, *Matth.* 27. Det Deus ne unquam experiar quid ſit, obnoxium eſſe reatui ſanguinis, niſi ſolum legendo.

CAP. XVIII.

De nomine Maris Rubri.

HEbræis *Suph* appellatur, mare juncorum, *quia*, inquit *Kimchi*, *magna juncorum copia juxta illud provenit.* Græcis, Anglis, cæteriſque Occidentalibus dicitur *Mare Rubrum:* cujus denominationis cum diverſæ à diverſis rationes adferantur, ea mihi reliquis videtur præſtare, quæ à rubore circumjacentis ſoli petitur. Quò facit quod *Herodotus* de quodam ejus tractus loco mentionem facit, qui *Erythrobolus* appellatur, quaſi dicas *Rubifundium.* Crediturque noſtram terram nomen *Albionis* eſſe conſecutam à conſimili cauſa, ſed diſſimili colore; à rupibus ſcilicet albicantibus in regione maritimâ. Judæi affirmant balænam, quæ hauſerat *Jonam*, devexiſſe eum uſque in Mare Rubrum, ibidemque illi monſtraſſe viam, per quam Iſraël egreſſus fuit: oculos enim belluæ uſum ipſi præſtitiſſe binarum feneſtrarum, per quas omne mare, quà ibat, proſpectari. Et neceſſarium putant, rationem aliquam invenire, fulciendo canoro huic figmento; arripiunt itaque, quod *Jonas* dicit, *Cap.* 2: 5. *Suph hhabuſh leroſhi, Alga erat circumfuſa capiti meo*; quod inter-

interpretantur, *Mare Rubrum erat circumfuſum capiti meo:* utque piſci via eò paretur, *Rabbi Japhet* ſcribit, Mare Rubrum cum mari *Japhuntico*, ſive *Mediterraneo*, continuari: quod niſi *Rabbi* de meatibus ſubterraneis intelligat, cogita quâm ille Geographiæ fuerit peritus; & ſi meatus ſubterraneos inveniat adeo amplos, nimirum patet quam profundâ doctrinâ polleat. Iter autem cœto nimis longum fuerit, ut ſpatio trium dierum ac noctium tranſierit inter columnas *Herculis* in Oceanum, indeque in Rubrum Mare. Sed neceſſe erat, ut fabulatores Judæi ſolertiam aliquam invenirent tuendis ſuis inventis.

CAP. XIX.

De vocabulo Raca, *Matth.* 5: 22.

Q*Vicunque dixerit fratri ſuo Raca, tenebitur Conſeſſu.* Vox eſt nomen ignominioſum, uſurpatum in *Talmude* pro contemptibili appellatione vilis hominis; ut *noſtri Rabbini narrant rem quandam factam fuiſſe cum viro religioſo, qui in viâ publicâ fundebat preces: precanti ſupervenit vir illuſtris & ſalutem dixit: verum ipſe eum non reſalutavit. Alter præſtolabatur, donec finiſſet preces ſuas: poſtquam illas abſolverat, dicit ei, Reka, nunquid in lege veſtrâ ſcriptum eſt, ut vobis caveatis? Si præcidiſſem tibi gladio caput, quis requiſiturus fuerat tuum ſanguinem?* &c. Atque ita iſte animo irato iter continuat. *Irenæus* phraſin habet vocis hujus ſignificationi valdè propinquam, *Qui expuit cerebrum*, quaſi dicas, caſſus cerebro; ſic *Raka* hominem inanem ſignificat vel intellectu vel probitate; quo ſenſu Græcum vocabulum κενὸς frequenter accipitur.

CAP. XX.

Furtim ſurrepta à Judæis ex Euangelio.

Euangelium.	*Judæi.*
SErvator noſter ait Diſcipulis ſuis, Meſſis quidem magna eſt, ſed operarii pauci, *Matth.* 9: 37.	RAbbi *Simeon* inquit; Hodie meſſis eſt, & opus eſt multum, & operarii deſidioſi, & merces magna, & Dominus familiæ urget, *Pirk. Aboth*, *per.* 2.
Quiſquis audit ex me Sermones iſtos, & eos præſtat, aſſimilabo illum viro prudenti, qui ædificavit domum ſuam ſuper petram: decidit autem nimbus, & venerunt flumina, &c.	Quiſquis legem diſcit, & plurima bona opera operatur, ſimilis eſt viro, qui ædificavit domum ſuam, conſtruens fundamentum ſaxeum, & reliqua lateritia; & aquæ percuſſerunt, & ſaxa perſtiterunt, &c.
Et quiſquis audit ex me hos ſermones, & eos non præſtat, aſſimilabitur viro fatuo, qui ædificavit domum ſuam ſuper arenam, &c. *Matth.* 7: 24, 25, &c.	Sed quiſquis diſcit legem, & non operatur plurima opera bona, ſimilis eſt viro, qui ædificavit domum ſuam, fundamentum conſtruens lateritium & reliqua ſaxea, &c. & teres ſolvebantur, &c. *Aboth Rabbi Nathan.*
Quodcunque verbum otioſum loquuti fuerint homines, de eo reddituri ſunt rationem in die judicii, *Matth.* 12: 36.	Eadem ferè verba in *Orehhoth hhajmi.*
Quâ menſurâ metimini, eâdem contra metietur vobis, *Matth.* 7: 2.	*Rabbi Mair* inquit; Menſurâ eâ, quâ homo metitur, metiuntur ei viciſſim, *Sanhedrin.*

Oratio Dominica tota ferè excerpi poſſit ex eorum ſcriptis; neque enim negant verba, ſed menti ejus contradicunt. Prima illius verba frequenter uſurpant, ſcilicet, *Pater noſter qui es in Cœlo*, in Liturgiâ precum, *fol.* 5. Et *Humiliate corda veſtra coram Patre veſtro, qui eſt in Cœlo*, in *Roſh haſhana*. Sed tantâ erga Patrem reverentiâ afficiuntur, dum Filium abnegant, quantâ Gentiles, qui dicere potuerunt, *Ζεῦ πάτερ ἡμέτερε κρονίδη*, *Jupiter Pater Saturnie*, quod in *Homero* frequens; atque ita *adorant ignotum Deum*, *Act.* 17. In alteris ferè precibus ajunt, *Veniat regnum tuum*, atque id *Bimherah bejamenu*, citò, etiam in diebus noſtris; ſed regnum terrenum eſt, quod tanto cum deſiderio expetunt. Precantur, *Ne inducas me in tentationem*, *fol.* 4. *Liturg.* dum *tentant eum, qui duxit eos in deſerto, ut faciebant patres ipſorum*, *Pſalm.* 95. Per Euangelium, quod ipſi in hunc modum compilant, æquum eſt ut judicentur.

CAP. XXI.

S. Cypriani *teneritas circa Orationis Dominicæ petitionem poſtremam.*

S. *Cyprianus* adeo, ut videtur, horret Deum facere authorem peccati, ut procul eſſe jubeat illam cogitationem, Deum quempiam inducere in tentationem. Itaque

Digitized by Google

que petitionem ita legit, *Ne nos patiaris induci in tentationem, ſed libera nos à malo*, relinquens ordinarium curſum & veritatem orationis, quia procul abeſſe cupit ab iis, qui exiſtimant Deum inducere hominem in tentationem; cum omnes non minus ac ipſe pro certo habeant, Deum neutiquam inducere quenquam in tentationem pravam, ut facit Satan; & nihilominus eum tentare homines. Ita diſertis verbis dicitur tentaſſe *Abrahamum*. Et argutè *Rabbi Tanchum* obſervavit, duas *Abrahami* magnas tentationes incipere iiſdem verbis, לך לך, *Abi*. Prior eſt, *Abi à terrâ tuâ, & à cognatione tuâ, atque à familiâ patris tui*, *Gen.* 12. Poſterior autem, *Abi in regionem Morijæ, & offer filium tuum Iſaacum in holocauſtum ſuper uno illorum montium, Gen.* 22.

Ecqua religio hîc vetat dicere; Deus *Abrahamum* induxit in tentationem? Sed, ut in petitione ſequitur, *liberavit eum à malo*, tutum præſtans à malis tentationis, quæ illi ſupervenerat. Et ſuave eſt illud *Jacobi* (quanquam primo intuitu videtur petitioni adverſari) πᾶσαν χαρὰν: *Fratres mei, pro ſummo gaudio ducite, quoties in tentationes varias incideritis, Jac.* 1: 2. Verſari in tentatione gaudium eſt; *Caſtigat enim Deus unumquemque filium, quem recipit*; & ne precari tamen deſine, *Ne inducas nos in tentationem, ſed libera nos à malo:* ubi poſterius oſtendat mentem prioris; ſcilicet, Ne nos in malum tentationis inducas, quod phraſi Apoſtolicâ tantundem valet, ac, *Ne ſine nos tentari ſupra id quod poſſumus.*

CAP. XXII.

Septuaginta Interpretes.

NOn eſt animus tempus terere cum *Clemente, Joſepho, Auguſtino, Epiphanio*, aliiſque, in aſſignando ſingulis ſua conclavia, quibus includantur, quo illorum tranſlatio tantò compareat admirabilior. Id unum placet ad mentem revocare, confeciſſe eos hanc verſionem invitos, ideoque nihil hîc expectari poſſe, niſi opus incertum ac vagum. Idque adeò ex re ipſa clariſſimè liquet. Additiones enim, quæ inibi occurrunt, variationes, & (quæ indubiè extant) παραβλεψίαι, argumento ſunt, quâ alacritate ad opus hoc acceſſerint. Facile eſſet, id demonſtrare mille locis. Quo pacto addant homines & annos, *Gen.* 5. & 10. & 11. & 46. Quomodo res ex ingenio ſuo confingant: velut quando uxori *Jobi* jurgia ſubminiſtrant, *Job.* 2. intrudentes integrum verſum plenum muliebrium paſſionum; *Vagandum*, inquit ea, *eſt mihi de loco in locum, & ubi conquieſcam ſedes deeſt*; atque ita porro. Sic *Job.* 1: 21. *Ipſe nudus exivi è ventre matris meæ, & nudus abibo illuc. Jehova dedit, & Jehova abſtulit, ut Jehovæ placuit, ita factum eſt. Sit nomen Jehovæ benedictum*; ex quibus periodus hæc, *ut Jehovæ placuit, ita factum eſt*, in textu *Hebræo* non extat, ſed ab iis eſt adjecta, atque ita recepta in ipſorum Liturgiam, eâ parte quâ agit de ratione Funerum. Operæ pretium eſt, errores eorum inveſtigare & perſequi, ut unâ operâ appareat, quantam Biblia illorum impunctata errandi occaſionem præbuerint. Specimen unum atque alterum ſit documento.

Textus Hebr.	*Septuag.*
Gen. 15: 11. dicitur, Aves deſcendiſſe in cadavera, *Abrahamum* verò eas arcuiſſe: in Hebræo eſt, וישב, *vaijaſhhebb*.	Ipſi pro וישב *vaijaſhhebb*, arcuit eas, legunt וישב *vajeſhhebb, unà aſſidebat iis*; atque ex hoc ipſo *S. Auguſtinus* pulchras contexuit Allegorias.
Judic. 5: 8. Hebræus textus inquit, Elegerunt novos Deos, tunc לחם שערים, *lahhem ſhegnarim*, bellum erat in portis.	Ipſi ajunt; Elegerunt novos Deos, quando לחם שערים, *lehhem ſegnorim*, * panis hordeaceus. * Ἄρτος κρίθινος.
Jud. 7: 11. Textus Hebræus ait; Deſcendit itaque ipſe & puer ejus *Phurah* ad extremitatem חמשים *Hhamuſhim*, militarium ordinum.	Iſti inquiunt, Deſcendit ipſe & puer ejus *Pharah* ad principium חמשים *Hhamiſhim*, virorum quinquaginta.

Ita à textu abeunt infinitis locis, quæ peritus quilibet videat facile & rideat. Omitto nunc, quàm transforment nomina hominum ac locorum. Ne moleſtus ſim, cæteris omiſſis unum modò adducam, quod ipſi velut difficultati tollendæ ſunt commenti.

1. *Reg.* 12: 2. dicitur de *Jeroboamo*, remanſiſſe in *Ægypto*, וישב במצרים *vaijeſhhebb bemitzraijm.*	2. *Chron.* 10: 2. dicitur, reverſum eum eſſe ex *Ægypto* וישב ממצרים *vaijaſhob mimmitzraijm.*

Septuaginta id ita vertendo complanant, 2. *Chron.* 10: 2. Καὶ κατῴκησεν ἐν Αἰγύπτῳ, ϗ ἀπέστρεψεν ἐξ Αἰγύπτου. *Et habitavit in Ægypto, & reverſus eſt ex Ægypto.*

Atque ejuſmodi quidem Græci illius operis ratio eſt. Si porrò Authoritatem ejus examinare libet, deprehendemus illam valdè miram. Et videtur *Tertullianus* ſignificare, Synagogas quaſdam Judaicas legiſſe Vetus Teſtamentum linguâ non Hebraicâ, ſed Græcâ. Sed hi fuêre Judæi

ex

ex Canaane; qui enim ibi habitabant, non adeò linguæ Græcæ periti erant, ut, quantum perſpicere poſſum, familiariter illam intelligerent. Si ii fuerint, crediderim librum, qui Chriſto datus eſt in Synagogâ, *Luc.* 4: 17. è verſione Septuaginta fuiſſe; quia textus, quem legit, propius ad Græcum, quam ad Hebræum accedit: ſed novi idioma illorum fuiſſe *Syro-Chaldaicum.*

Maxima verſionis hujus authoritas in eo apparet, quod ſacer Novi Teſtamenti textus Græcus tam frequenter illam ſequatur. Ut enim Deus verſione hâc uſus eſt velut prænuntio vocandis gentibus, ſic, ubi tempore adventus Chriſti jam ad magnam authoritatem pervenerat, infinitæ ejus ſapientiæ viſum fuit, iſti authoritati etiam addere, ut magis promoveret Eccleſiæ ædificationem. Et mirabile viſu eſt, quam decorè & convenienter Novum Teſtamentum verſionem hanc ſequatur, relictâ nonnunquam Veteris literâ, quô oſtendatur, Vetus in Novo exponere, maximè ejus eſſe qui Vetus dedit.

CAP. XXIII.

Septuaginta Interpretibus nimia à quibuſdam authoritas attributa.

FUerunt aliqui in primitivâ Eccleſiâ, qui tranſlationem hanc Græcam, ut hodiè Pontificii verſionem vulgarem Latinam, Hebræis fontibus prætulerint. De hiſce loquitur *Auguſtinus*, deque opinione illorum, & ſuam etiam ſententiam promit Libro decimo quinto *de Civitate Dei, &c.* Cap. 11, 13, 14. Ubi ſermonem habens de *Methuſalâ*, ſuperſtite adhuc anno decimo quarto poſt diluvium, juxta traditionem verſionis Græcæ: *Hinc*, inquit, *exoritur famoſiſſima quæſtio, ubi ille toto diluvii tempore vixerit. Nonnulli cum patre ſuo, (Enocho) qui tranſlatus fuerat, aliquantum fuiſſe, atque ibi, donec diluvium præteriret, vixiſſe arbitrantur, nolentes derogare fidem codicibus, quos in autoritatem celebriorem ſuſcepit Eccleſia: & credentes, Judæorum potius quam iſtos non habere quod verum eſt. Nam non eſſe credibile inquiunt, Septuaginta Interpretes, qui uno ſimul tempore unoque ſenſu interpretati ſunt, errare potuiſſe; aut ubi eorum nihil intererat, voluiſſe mentiri: Judæos verò, dum nobis invident, quod Lex & Prophetæ interpretando ad nos tranſierunt, mutaſſe quædam in codicibus ſuis, ut in noſtris minueretur autoritas.* Hæc quidem eorum opinio eſt; ſententiam verò propriam *Cap.* 13. aperit his verbis: *Ei linguæ potius credatur, unde eſt in aliam per interpretes facta tranſlatio.* Et *Cap.* 14. *Rerum geſtarum fides ab eâ linguâ repetenda eſt, ex qua interpretatum eſt quod habemus.*

Conſtat certè Patres pleroſque Græcos & Latinos verſionem Græcam ſequi: ſed arbitror id non tam voluntate fieri, quam merâ neceſſitate, cum pauci ex iis ſint, qui Bibliis Hebraicè ſciverint uti.

Concludere libet verbis *Clementis Alexandrini*, quibus rationem explicat, quare Deus ſacrum Codicem in linguam Græcam verti voluerit. Διὰ τοῦτο Ἑλλήνων φωνῇ ἡρμηνεύθησαν αἱ γραφαὶ, ὡς μὴ πρόφασιν ἀγνοίας προβάλλεσθαι δυνηθῶσι [*videl.* Ἕλληνας ἢ τοὺς ἀπ' ἐθνῶν] οἵους τε ὄντας ἐπακοῦσαι τῶν παρ' ἡμῖν, ἢν μόνον ἐθέλησαν. *Strom.* 1. *pag.* 124. Id eſt, *Ideò Scripturæ in linguam Græcam verſæ ſunt, ne prætextum ignorantiæ ſuæ gentes queant obtendere, cùm ea, quæ nos habemus, modò velint, poſſint intelligere.*

CAP. XXIV.

Phraſes Novi Teſtamenti à Judæis deſumptæ.

PHraſes Judaicæ & Talmudicæ in Sacrâ Scripturâ uſurpatæ magno *Broughtono* appellantur Talmudico-Græcæ. Hujuſmodi eſt *Gehenna*, apud omnes Rabbinos frequens. *Maranatha*, 1 *Cor.* 16.22. amara excommunicatio. *Mundus futurus*, tam ſæpe uſurpatum in Euangelio, & tam frequentatum apud Judæos & Chaldæos. *Raka, Matth.* 5: 22. de quo vide quæ diximus Cap. 19. *Jannes* & *Jambres*, 2. *Tim.* 3: 8. quæ nomina reperio in Paraphraſte Chaldæo cum exiguâ admodum differentiâ, unâque pulchellam de iis hiſtoriolam. In *Exodi* enim *Cap.* 1. *verſ.* 15. ita ſcribit. *Pharao ſomno ſopitus per quietem videbat, & ecce omnis Ægypti terra poſita erat in unâ lance; agnus* verò quidam junior in alterâ. At agnus ſuo pondere deprimebat lancem. * Sine morâ miſit & accerſivit præſtigiatores Ægyptios, & ſomnium ſuum illis enarravit. Sine morâ Janis & Jimbres, præſtigiatorum præcipui, aperierunt os ſuum, dixeruntque Pharaoni: Futurum eſt ut infans quidam naſcatur ex aliquâ de congregatione Iſraëlis, per quem omnis terra Ægypti vaſtabitur: quarè Rex conſuluit obſtetrices Judaicas, &c.* Eidem in *Exod.* 7: 11. appellantur illi *Janis* & *Jambres*. Utque melius intelligas, qui tandem hi duo fuerint, commentarius Hebræus ſuper Chaldæo inquit; *Duo erant nobilis harioli Balaami in arte præſtigiatrice diſcipuli:* atque ita allegat *Zophar* authorem ad ejus rei fidem faciendam. Utque probet *Janem* & *Jambrem* fuiſſe aut valdè per-

* Chald. Talia Barimera

* Chald. mijadh, è *manu: quæ loquendi ratio valdè eſt à ſcriptoribus Judæorum frequentata; planeque cum Anglicâ,* out of hand, *convenit.*

pertinaces inimicos atque adverſarios *Moſis*, aut alioqui genuinos atque obſequentes diſcipulos *Balaami*; Chaldæus affirmat *duos hoſce fuiſſe duos illos famulos, qui comites fuerunt Balaami in viâ*, proficiſcentis ad maledicendum *Iſraëli*. *Num.* 22: 22.

Beelzebub, ſive, ut Teſtamentum novum Græcum ſcribit, *Beelzebul*, cognomen eſt malignum, Judæis de Chriſto uſurpatum, *Marc.* 3: 22. & alibi. Utrum autem poſtrema vocabuli hujus litera caſu apud Judæos mutata ſit, an certo conſilio, equidem definire nequeo. Id conſtat, hujuſmodi variationes ſine ullâ ratione in qualibet gente extare. Ita *Reuben* Syriacè appellatur *Rubil*, *Apoc.* 7: 5. Ita Græcum & Latinum *Paulus* Syriacè eſt *Phaulus*, Arabicè *Baulus*. Sed nonnulli rationem dant ingenioſam literæ *L.* in *Beelzebul*, Judæos ſcilicet in deriſionem Dei *Ekronitici*, *Baalzebub*, (quod nomen ſatis vile erat, *Deus muſcarum*) dediſſe ei magis etiam ignominioſum, *Baalzebul*, Deus ſtercoris: id enim זבל Chaldeâ linguâ ſignificat.

Ut omittam alias Judaicas phraſes per Novum Teſtamentum, quod iis uſum eſt, honoratas; hoc ipſa res oſtendit, quanta cura ſit adhibenda ad genuinam Græci ſermonis lectionem, poſtquam tam multa idiomata & ſtyli genera in eo uſurpata eſſe apparet.

CAP. XXV.

Converſio Ninives, Jon. Cap. 3.

Liber *Jonæ* totus ex miraculis contextus eſt. Credunt quidam *Jonam* admirandum fuiſſe in nativitate ſuâ; ut qui filius fuerit viduæ *Sareptanæ*, quem *Elias* ſuſcitaverit à morte: quique, quia mater pueri dicebat, *Nunc experior verbum Jehovæ in ore tuo eſſe verum*, nominatus fuerit, *Ben amitthai*, *filius veritatis meæ*. Utrum hiſtoria appellari poſſit *Ben amitthai*, ſivè hiſtoria vera, lector judicet ex duabus civitatibus, *Sarepta* & *Gath hepheri*. Quicquid ſit de mira *Jonæ* nativitate, certus ſum, mirum fuiſſe in vitâ; utpote Prophetam & fugitivum ante naufragium; ſubmerſum, & tamen incolumem in naufragio; præconem reſipiſcentiæ, & murmuratorem in reſipiſcentiâ, poſt naufragium. Nec minimum mirum in ipſius Libro eſt converſio *Ninives*. *Ingens erat miraculum*, ait *Kimchi*, *Jonam fuiſſe in ventre piſcis tres dies & tres noctes, & fuiſſe nihilominus ſuperſtitem. Aliud etiam miraculum erat, non fuiſſe obſtupefactum, ſed uſum ei ſenſuum & intellectus conſtitiſſe & precatum eſſe.* Et ſi benè rem perpendamus, deprehendetur miraculum eſſe non levius, *Niniven*, Civitatem adeo magnam, tam diu in impietate obduratam, brevi adeo tempore converſam fuiſſe. Dicere, quod *Rabbi Joſua affirmat*, *nautas illos appuliſſe ad Niniven, & narraſſe ibi quicquid Jonæ erat factum; quomodo projeciſſent eum in mare, & ille tamen ipſiſſimus eſſet, qui inter ipſos præſens aderat; ideòque facilius crediderint*, quemadmodum omni authoritate deſtituitur, ita miraculum converſionis civitatis imminuit.

Quod *Jonas*, vir ignotus, è gente extranea, magnam adeò civitatem intrarit proclamans, *Adhuc quadraginta dies, & Ninive evertetur*, res mira eſt. Sed quod Rex tam brevi temporis ſpatio animum induxerit dimittere præconem, qui indiceret Reſipiſcentiam, æquè mira, niſi & mirabilior fuerit. *Jonas* proclamat, Civitas evertetur; Rex velut & ipſe proclamat, Civitas non evertetur, addens medium, quo ſervanda ſit, ſcilicet Reſipiſcentiam. Dicere, quod *Aben-Ezra* * facit, *quia Civitas dicitur Gnir gedholah leelohim*, *magna Civitas Dei*, *ideò timuiſſe illam Deum priſcis temporibus*, *nunc verò tempore Jonæ cœpiſſe agere impia*, etiam eò tendit, ut converſionis illorum, cui ſimilem mundus non vidit, mirabilitas extenuetur. Vetus mundus ſpatium habebat annorum, quo peccatorum admonebantur, pro Ninives horis; *& tamen edebant ac bibebant, & diluvium venit*; *tuncque inundantibus aquis multis*, *pœnitentia & preces ad Deum non pertingebant*, *Pſalm.* 32. *Sodoma* fruita eſt fideli monitione, præcone *Loto*, cujus juſtam animam illi vexabant, & reſipiſcere detrectabant, donec eorum veluti infernus incepit à cœlo, & ignis & ſulphur eos miſit in lacum ignis & ſulphuris: quando impium ſemen ejus, qui deriſit nuditatem patris ſui, periit propter nudam ſuam vitæ fœditatem; & flammæ cupiditatum miſerunt eos in flammas terræ & inferni. Viri Ninivitæ ſurgent in judicio adverſus generationem Judæorum, & condemnabunt eos, quia hi ad prædicationem *Jonæ* reſipuerunt, illi verò minimè ad prædicationem ejus, qui major erat *Jona*, inque medio illorum verſabatur. Quando Dominus vineæ mittebat ſuos miniſtros, quinimo proprium ſuum filium, occiderunt illos. In converſione & conſervatione Ninives non poſſum non admirari duplicem miſericordiam Dei, qui, ut utar Patris cujuſdam verbis, *Sic dedit pœnitentibus veniam, qui ſic dedit peccantibus pœnitentiam:* qui ſic paratus erat ad eorum pœnitentiam largiri peccatorum veniam; qui ſic paratus erat ad ſuas minas largiri pœnitentiam.

* Aben-Ezra, ut probet Niniven priſcis temporibus timuiſſe *Deum*, duas rationes adducit, ſed valde invalidas. I. Quia Prophetam aliquem non erat ad illos miſſurus: atque ita deerat miraculum miſericordiæ divinæ. II. Quia non legimus, illos imagines ſuas confregiſſe, aut de conſequitur, nullas habuiſſe. Quantum Rabbi aberret à tramite, ſive conſtructionem ſpectes, ſive rationem, quiſque quantumlibet leviter edoctus, dijudicet.

Aliter

Aliter longè, quam *Jonas*, acceptus eſt is, qui, miſſus à *Gregorio* Epiſcopo Romano, Euangelium veniebat annuntiaturus Regno noſtro Anglicano. Cujus facti hiſtoriam popularis noſter *Beda* plenè narravit. Ubi *Auguſtinus* Euangelium expoſuerat Regi, cumque à profanâ ipſius religione fuerat dehortatus: verba tua, inquiebat Rex, proba ſunt; ſed educatus ſum in eâ religione, quam hactenus ſequor; neque ut eam cum novâ aliâ commutem, poſſum à me impetrare. Hoc argumento complures ſuperſtitioſæ animæ his diebus nituntur, præferentes errare cum *Platone*, quam ſequi veritatem cum alio; præoptantes adhærere falſæ religioni, quod & faciunt, quam abnegare profeſſionem parentum ac majorum; nihil recuſantes, ut fidos aſſeclas decet, ire vel ad inferos ſocietatis gratiâ, potius quam ut cœlum petant ſoli. Ejuſmodi fidus comes *Rochardus* erat, Rex *Phriſonum*; de quo narratur, cum Epiſcopus eò uſque eum permoviſſet, ad amplectendum Chriſtianiſmum, ut jam aquam ingreſſum baptizare pararet; quæſiiſſe tum Regem, quò evaſiſſent majores ſui, qui ſine baptiſmo deceſſerant; in cœlum, an ad inferos? Cui cum Epiſcopus reſpondiſſet, haud dubiè ad inferos, repoſuiſſe pervicacem Regem, velle ſe eòdem cum illis tendere; pedemque unà ex aqua retraxiſſe, & baptiſmo omninò recuſaſſe. *Hæc animus meminiſſe horret, luctuque refugit.*

CAP. XXVI.

De Sacramentis Judæorum, Circumciſione & Paſchate.

Ambo hæc Judæorum Sacramenta effuſionem ſanguinis habuerunt, rerum aliarum figuram: quippe alterum memoriæ repræſentabat Chriſtum venientem; alterum verò poſtquam venerat, patientem. *Abraham ſignum accepit Circumciſionis, ſigillum juſtitiæ fide receptæ in præputio, Rom.* 4. Iſraëlitæ accipiebant inſtitutionem Paſchatis in Ægypto, *Exod.* 12. Non lubet inhærere explicationi harum rerum per allegorias, vel tempus & modum receptionis ad eum modum exponere: ſed attendere ſolummodò ad ipſas res.

Circumciſio ejuſmodi membro non de nihilo data fuit: verum membro generationis data *Abrahamo*, ſigillum ei fuit fidei ipſius, *fore ut pater eſſet omnium, qui credituri erant*, *Rom.* 4. ſpeciatim verò, ut proveniret Chriſtus de iſtis lumbis, quibus circumciſio erat propinqua. Quò pertinere exiſtimo juramentum, quod *Abraham* impoſuit famulo, & *Jacob Joſepho*, manu femori ſuppoſitâ, factum non per circumciſionem, ut Judæi arbitrantur, ſed per Chriſtum proventurum de his femoribus. Principio etiam circumciſio uſurpata fuit diſtinguendis Iſraëlitis: atque hinc diſtincti fuerunt. Sed cum tempore *Iſmaël* ſuam ſtirpem idem edocuerat, & jam Ægyptii, Phœnices, Arabes, & qui circum degebant populi, circumciſione utebantur omnes. Ita *Pythagoras* circumciſus fuit, quo ipſi religionis Ægyptiacæ myſteria paterent.

Circumciſio apud Judæos eundem, quem apud nos Baptiſmus, uſum obtinebat, admiſſionis ſcilicet ad Eccleſiam Iſraëlis. Eratque diſertum Dei mandatum, ut octavo die infans circumcideretur. *Et eo die potius, quam alio*, dicit *S. Auguſtinus*, *ut ſignificaretur Chriſti reſurrectio, qui per finem hebdomadæ in ſepulchro quievit, die verò octavo reſurrexit.* Et, ſi quid credendum putabimus *Ariſtoteli*, etiam illud, cur ante octavum diem circumciſio adminiſtrata non ſit, pro ratione allegare liceat, *quia infans ante diem ſeptimum propter infirmitatem maximè periculo eſt obnoxius.* Extraneus ſimiliter admiſſus fuit ad illorum congregationem, *Exod.* 12: 48. De quo *Rabbi Eliezer*, mirâ ductus imaginatione, exponit *Jon.* 1: 16. *Quapropter timuerunt homines illi timore magno Jehovam, & ſacrificaverunt ſacrificium Jehovæ, voveruntque vota:* in quæ errabundus Judæus in hunc modum commentatur. *Simulac nautæ, quum jam ad civitatem Niniven appropinquarent, conſpicerent mira omnia, quæ benedictus Deus in Jonâ oſtendebat, ſtabant attoniti, & ſuos quiſque deos projiciebant in mare. Redierunt Japhuntem, ac aſcenderunt Hieroſolymam, & carnem præputii ſui circumciderunt, ut fertur. Viri autem illi timuerunt Dominum valdè, & ſacrificaverunt ſacrificia. Quæ autem ſacrificia? Nullum niſi ſanguinem hunc circumciſionis, qui eſt velut ſanguis ſacrificii. Voveruntque adducturos ſe ſuam quemque uxorem & liberos ad timendum Dominum, Deum Jonæ; quodque voverant, adimplerunt.*

Et certè admittendi Proſelytos ratio hæc fuit, ſcilicet per circumciſionem: ſed tempore *Salomonis*, quandò Proſelytorum integræ chiliades accedebant, ii, ut Judæi nonnulli teſtantur, *Baptiſmo* ſive lotione admiſſi fuère.

Utrum neglectus Circumciſionis, ut ita appellem, in deſerto merè fuerit politicus, ut tanto eſſent paratiores itineri momento capeſſendi; an myſterii quid in hâc re infuerit, equidem non ſtatuerim; neque neceſſe erit referre, quomodo Judæi liberos ſuos circumcidant: id enim ma-

Digitized by Google

gnus *Buxtorfius* pleniſſimè eſt executus. Neque vacat etiam exponere, quantoperè illi ſuam circumciſionem extollant; integra enim volumina in id argumentum ex illorum libris promptum eſſet colligere. Quippe non animadvertunt, *Non eſſe Judæum, qui in propatulo Judæus eſt; nec eſſe circumciſionem, quæ in propatulo in carne eſt: ſed Judæum eum eſſe, qui in occulto eſt: & circumciſionem cordis & in ſpiritu, non in literâ, eſſe circumciſionem, cujus laus non eſt ex hominibus, ſed ex Deo.*

CAP. XXVII.

De Paſchate.

PAſcha plena erat paſſionis Chriſti repræſentatio; quanquam Paſcha Judæis amplius quid fuit, quam mera umbra. Si partes ejus lubeat percurrere, abundanter conſtabit. Breviter quædam annotemus, & mox manum de tabulâ.

Inſtituto Paſchate anni initium mutatum eſt.	ſic	Paſchate Chriſti initium hebdomadæ mutatum eſt.

Paſcha vel agnus fuit, ad ſignificandam Chriſti innocentiam: vel hædus, ad denotandam ſimilitudinem illius cum peccatrice carne; *Lyranus*.

Agnus ille, ſeu hædus foret, acceptus, dies quatuor habebatur in cuſtodiâ, ut conſtaret an eſſet immaculatus; & forte etiam, ut expurgaretur ſuo gramine.

Paſcha jugulabatur veſperi.	ſic	Chriſtus veſperi occiſus.
Sanguis ejus ſparſus faſciculo Hyſſopi.		Chriſti ſanguis ſparſus. Ac de eo arbitror *Davidem* eſſe intelligendum, *Pſalm.* 51. *Munda me Hyſſopo.* Id eſt, aſperge me ſanguine veri agni Paſchalis Jeſu Chriſti.
Aſſari debebat igne.		Ita Chriſtus probatus fuit igne afflictionis.

Aſſari autem debebant hæ partes;

Caput ejus.	Ita excruciata fuerunt in Chriſto	Caput ſpinis.
Crura.		Manus & pedes clavis.
Inteſtina.		Inteſtina lanceâ.

Comeſtio Paſchatis, quemadmodum concernit Iſraëlitas in ſuo ſtatu, ita docere poteſt Chriſtianos de edendo vero Paſchate, Domini Cœna.

Paſcha comeſtum	Sine fermento.	Ita Sacramentum Cœnæ edendum	Sine fermento malitiæ.
	Cum herbis amaris.		Cum pœnitentiâ amarâ.
	Succinctis lumbis.		Cum reſipiſcentiæ propoſito.
			Cum præparatione vitæ emendandæ.
	Pedibus calceatis.		
	Cum baculo in manu.		Innitendo baculo veræ fidei.
	Cum feſtinatione.		Properando ad mundanam hanc Ægyptum relinquendam.

Ita Paſcha primum in Ægypto uſurpatum eſt: poſt quod tota Ægyptus percuſſa eſt morte primogenitorum; jamque puniti ſunt Ægyptii filiorum ſuorum morte, ob cædem filiorum Iſraëlis. Fuit hæc nox illis perquam calamitoſa; ſed nox in mari Rubro multo gravior fuit.

Ad mortem Agni	Ægyptus deſtructa.	Sic per mortem alterius agni	Infernus deſtructus.
	Iſraël liberatus.		Genus humanum liberatum.

Quando Iſraël ex Ægypto egrediebatur, oſſa *Joſephi* unà exportarunt; atque ita, ut ipſe eos illuc deduxerat, ipſi eum illinc eduxerunt.

Similiter, quando Chriſtus egreſſus fuit ex ſepulchro, mortuorum oſſa ſecum extulit, quoſdam è ſepulchris excitando. Haud exiſtimo myſterio carere, quod Paſcha habitum fuerit per noctem; quodque *S. Paulus* ait, *Iſraëlitas baptizatos fuiſſe in mari*, quod itidem nocte, & *in nube* factum eſt: ſed denotari eo arbitror, hæc Iſraëlis Sacramenta ſpectaſſe auroram illam, quâ lux vera, quam præſignificabant, erat exortura.

Judæi in Paſchatis obſervatione præcepta inveniunt tredecim, quæ partim negativa ſunt, partim affirmativa.

I. De Mactatione Paſchatis, *Exod.* 12: 6.
II. De Comeſtione ejus. v. 8.
III. De non comedendo crudo aut cocto. v. 9.
IV. De nihil reliquum faciendo. v. 10.
V. De amovendo fermentum. v. 15.
VI. De comedendo azymos. v. 18.
VII. De cavendo, ne inveniatur domi ſuæ fermentum. v. 19.

VIII. De

VIII. De non comedendo fermentatum. *Exod.* 12: 20.
IX. De excludendo Judæos apoſtatas à comeſtione. v. 43.
X. Itemque alienigenas. v. 45.
XI. De non efferendo carnes domo. v. 46.
XII. De non frangendo in eo ullum os. v. 46.
XIII. De excludendo à comeſtione incircumciſos. v. 48.

Quanta cum varietate ipſi in hæc commententur, quemadmodum in cætera omnia, quàmque ſupra modum operoſi ſint in hiſce obſervandis, ut in cæteris omnibus, ſcripta eorum documento ſunt. Plicatio amararum herbarum, tres illorum azymæ placentæ, aqua illorum & ſal, inquiſitio fermenti, ejuſque productio & maledictio, gratiarum actio in menſâ, precatio ſuper manibus ſuis dum lavant, verba eorum ſuper panibus azymis, commemoratio quomodo vixerint in Ægypto atque inde exierint, verba illorum ſuper herbis amaris, Pſalmi eorum Paſchales, ſcilicet 113. & 114. Ceremoniæ hæ omnes & quas præterea obſervant, accuratè deſcriptæ ſunt in eorum Liturgiâ; quam ego Lectori linguâ notiori non negaverim, conſulens delectationi ejus ſimul & alicui inſtructioni: niſi dubitarem, ne, quod ajunt, actum agerem, & falcem mitterem in meſſem jam ab alio aliquo occupatam. Præterquam quod hæc ipſa non velut ἔργα conſcribam, & meletemata deſtinata; ſed velut πάρεργα quædam, & ſubciſivi temporis inopinatos proventus: impendens vacuas meas horas hiſce ſtudiis, ut fidem nonnullis faciam, totum mihi tempus non inaniter effluere. Sed forte in his ipſis congerendis alicui magis videar vacuus, quam ſi omnino agam nihil. Cui quod reſpondeam, id ſolum habeo, adoleſcentiæ hoc vitium eſſe; & futurum, ut creſcens ætas ducat ad meliora.

CAP. XXVIII.

De confuſione Linguarum.

MUndum Babylonicum in diverſas linguas fuiſſe diviſum, non alio argumento eget, quam quo *Diogenes* eſt uſus, motum evincens ex ambulatione: ſimiliter linguarum confuſio ex confuſâ locutione conſequitur. *Aliquando tota terra unius erat linguæ, unius loquelæ, & unius mentis; loquebantur enim omnes linguâ ſanctâ, in quâ mundus principio conditus fuerat,* (ut utar ipſis verbis Paraphraſtæ Chaldæi & Targ. Hieroſol. in *Gen.* 11: 1.) Sed *pro peccato diſſenſionis humanæ non diſpoſitiones tantum diverſæ, ſed diverſæ etiam linguæ in mundum intrarunt, Auguſt.* Intrarunt *Babylonem* cum harmoniâ diſcordi; indeque receſſerunt puniti loquelâ mutâ. Diſcordabant inter ſe, *dum quiſque imperium ad ſe rapit*, ut idem ait *Auguſtinus.* Diſſident à Deo in ſuo *Nagnavad lan Sigúda*, &c. *Faciemus nobis ſedem Idololatriæ,* (ut idem Targ. Hieroſol.) Sed diſperſi ſunt, loquentes alter alteri, etſi alter alterum minimè intelligebat; atque nihilo magis, quod ad rem pertineret, ſunt locuti, quam ſi nihil locuti fuiſſent omnino. Illorum pœna in *Babylone* ſimilis eſt corruptioni *Adami*, quæ nobis eſt hæreditaria: nam nunquam ſubimus ferulam in Scholâ Grammaticâ, quin pœnas demus de rebellione majorum Babylonicâ.

In quot regiones & * linguas hi rebelles in *Sinear* diſperſi fuerint, non minus res eſt ad indagandum confuſa, quam fuit illorum machinatio circa turrim. Tam eſt in varietate loquendi loquela diverſa, ut confuſionem reddat magis confuſam. *Euphorus* * *aliique complures Hiſtorici affirmant, nationes & linguas eſſe 75. attendentes ad narrationem Moſis, referentis, omnes animas, quæ ex Jacobo natæ, Ægyptum ingreſſæ ſunt, fuiſſe 75. Sed revera dialectus naturalis oſtendit fuiſſe 72. quemadmodum Scripturæ noſtræ tradiderunt.* Hæc quidem *Clemens Alexandrinus*; de cujus in hâc re judicio equidem non poſſum non pronuntiare, quod de *Aarone* circa vitulum aureum *Ambroſius. Tantum Sacerdotem,* &c. *Tam erudito viro, qualem agnoſco Clementem, neque cenſuram impingere, neque fidem accommodare auſim.* Communi conſenſu ſcribunt Judæi, eſſe præciſè 70. nationes & totidem linguas. Adeòque in eo ſibi fidunt, ut dicere non dubitent, animas 70. quæ cum *Jacobo* intrarunt Ægyptum, totius mundi nationes æquaſſe. Scholæ Hieroſolymitanæ hâc doctrinâ reſonant, & filii didicerunt à parentibus magni ſeſe facere. Magnifica hæc aſſertio Iſraëli, ſed ejuſdem conſervatio fuit periculoſa. Homines enim 70. nationum non ita per unum populum velint vilipendi. Ideo quando Iſraëli vires ad tuendam hanc jactationem deſunt, rem aſtu conficiunt. Quò facit doctiſſimi *Broughtoni* opinio; Septuaginta Interpretes, quando in eo erant ut Biblia verterent, eumque locum tractarent, qui de ſeptuaginta animabus domus *Jacobi* loquitur, non fuiſſe auſos ipſum ſeptuagenarium numerum ſcribere, ne arcana ex illorum ſcholâ vulgarentur, quoad faſtuoſam illorum doctrinam; & ne, famâ quoque & numeri relatione ad Regem Ægypti delatâ,

* *Dicit aliquis apud* Epiphanium; *Hoc inventu facile eſt: verum parum ipſe rem promovet.* Epiph. cont. Hæret. *tom.* 2. *lib.* 6.

* Εὔφορος δὲ καὶ ἄλλοι τῶν ἱστορικῶν, Clem. Alex. Strom. 1.

delatâ, conveniens numerus rumoris confirmaret veritatem; & ipſi per utrumque diſcrimen aliquod incurrerent; ideoque quinque inſuper addidiſſe, ne rotundus numerus remaneret *; quam verſionem *S. Stephanus* ſequitur: *Miſſis autem nuntiis Joſephus accerſivit patrem ſuum Jacobum, omnemque cognationem ſuam, Capitum quinquaginta quinque*, *Actor.* 7: 14.

* *Sic in* Gen. 10. *interpoſuerunt Septuaginta duos* Kainanes, *atque ita numerum rotundum* 70. *immutarunt.*

Judæi, quando ſuam præ nationibus ſeptuaginta dignitatem aſtu hoc laborant ſuſtinere, duplicem rationem in præſidium advocant. Primùm, capita numerant in planitie *Sinear*, ut *Moſes* fecit in deſerto, ac repererunt decimo *Geneſis* exactè ſeptuaginta homines; ideoque certâ conſecutione exactè ſeptuaginta nationes. Chaldæus ſuper hiſce verbis Dei, *Gen.* 11: 7. *Agedum, deſcendamus*; perdit * ſuave Myſterium Trinitatis, at loco ejus neſcio quæ non cerebri figmenta invenit: ita enim παραφράζει. *Dicit Dominus Angelis ſeptuaginta, qui ſunt coram ipſo; Agedum, deſcendamus jam, & linguam eorum confundamus, ut homo ſodalem ſuum non intelligat.* Et paulo deinde inferius ait; *Cum eo autem* (id eſt, cum Deo) *erant ſeptuaginta Angeli, qui cum ſeptuaginta nationibus numero conveniunt.* Non dubium mihi eſt, quin Caput decimum ſuppeditet ipſi totidem homines; ſed ubi totidem Angelos ſit inventurus, equidem ignoro. Septuaginta certè homines decimo Capite comparent: at an illi omnes Babylone fuerunt? Et ſi maximè illic fuerint, an neceſſe eſt ut ſeptuaginta linguis fuerint locuti? Integra eorum dodecas, *Canaan* & undecim illius filii, conſederunt invicem valdè propinqui, intra anguſtum ambitum Canaanis, aut certè non procul extra eum; ubi in iſtâ propinquitate linguis omnes non differebant, quin an aliqui, dubium eſt. Edomæos, Moabitas, Amalekitas, & Ammonitas linguâ Hebræâ non eſſe uſos, * *Theodoreti* opinio eſt; ſed hos omnes & Canaanem diſcrepaſſe linguis vernaculis, ante incolatum Iſraëlis, mihi non fit veriſimile. Imò Canaanem uſum fuiſſe linguâ Hebræâ, antè *Joſuæ* ingreſſum, adduci poſſum ut credam tribus rationibus.

* Julianus *hæreticus & negat Trinitatem hoc loco doceri, & contendit Deum ſolum huic operi fuiſſe imparem,* Cyrill. tom. 3. l. 4.

* *Quæſt.* 60. *in* Geneſ.

Primò huc faciunt antiqua oppidorum nomina terræ Canaanis, quæ Hebraicè ſonant. *Jebus, conculcatum*, tunc per Gentiles, ut nunc per Turcas. *Kirjath-Arbang, Civitas Arbæ, Joſ.* 14: 15. *Jericho, odorabitur illud*, Civitas Palmarum. Urbs peccatrix *Zeboim* habet in textu ſpecioſum nomen Hebræum, *Zebhiim*, id eſt, *Capreoli*, nomen dignius, quam ut Civitas adeò nequam eo appelletur; ideoque margo aliud imponit, ſcilicet *Zebhojim.* Infinitùm eſſet, nomina omnia Canaanæo-Hebraica perſequi; cui libet & licet, periculum faciat.

Secundo; certus ſum nomen primariæ cujuſdam Civitatis in *Canaane* (niſi & tunc æquè ac poſtea omnium prima fuerit) nempe *Hieroſolyma*, Hebraicum fuiſſe etiam ſub imperio *Melchizedeci* ſive *Semi*; utrumque enim unum virum denotat, ut * Chaldæi, * Judæi, & plerique etiam Chriſtiani exiſtimant. Tunc *Sem* ſubjecit ſibi *Canaanem* ut ſervum, *Gen.* 9: 26. ſub ſuo regimine; &, ut nullus dubito, ſub ſuâ etiam linguâ.

* *Vide Targum in* Geneſ. 10.
* *Vide* Broughtoni *Melchized.*

Tertio; video mulierem *Rahabam* intellexiſſe primo conſpectu homines Hebræos, & ſermonem cum iis miſcuiſſe, quantum apparet, ſine interprete.

Invenio *Amorrhæos* & *Sidonios* diſſentire in nomine *Hermon*, alteris id appellantibus *Sirion*, alteris verò *Shenir*, *Deut.* 3: 9. verùm Hebræi ſimul, & quidam Canaanæi, quantum comperio, in nomine *Hermon* conveniunt. Fundamentum igitur hoc de ſeptuaginta viris, qui decimo *Geneſeos* recenſentur, inferre neceſſariò ſeptuaginta linguas Capite undecimo, equidem pro ſolido recipere non poſſum: nihilominus ad judicium doctiorum me refero.

Secundam rationem pro linguis ſeptuaginta petunt ex *Moſe*, qui *Deut.* 32: 8. ita inquit. *Quum hæreditatem diſtribueret Excelſus gentibus; quum diſpararet filios Adami: ſtatuit terminos populorum pro numero filiorum Iſraëlis.* Quæ Judæi omnes de hoc loco commenti ſint ac congeſſerint, duo ex iis cæterorum loco explicent. Sunto illi *Jonathan ben Uzziel* & *Raſi. Jonathan* verſum illum Chaldaicè ita legit: *Quum Excelſus poſſeſſionem mundi daret populo, qui deſcendit ex filiis Noachi: quum divideret literas & linguas filiis hominum, ſeculo diviſionis, &c. eo tempore ſtatuit terminos nationum pro numero animarum Iſraëlis, quæ deſcenderunt in Ægyptum.* Ita Chaldæus. *Raſi* ſuper his verbis in eandem ſententiam ita commentatur. *Quando Benedictus iis, qui ipſum provocaverant, portionem dabat hæreditatis ipſorum, obruit eos ac ſubmerſit: Quando diſperſit generationem diviſionis, erat in illius manu, expellere eos è mundo; attamen id non fecit, ſed fines populorum ſtatuit, conſervavit eos, & non deſtruxit. (Pro numero) Numerus enim filiorum Iſraëlis, qui deſcenſuri erant è filiis Semi, & pro numero ſeptuaginta animarum filiorum Iſraëlis, qui deſcenderunt in Ægyptum: (ſtatuit terminos populi) ſeptuaginta linguas complectebatur.* Hucuſque Rabbi; qui adeo ſibi de numero linguarum ſeptuaginta confidit, ut affirmare non dubitet, fuiſſe homines

Digitized by Google

mines de ſeptuaginta nationibus in navi unà cum *Jonâ*, *Jon.* 1. Hæc ferè ſententia eſt Judæorum pro ſeptuaginta, & * Græcorum pro ſeptuaginta duabus: quo argumento equidem neſcio; niſi duo *Caïnanes*, *Gen.* 10. in Bibliis Græcis numerum ex horum mente compleant. Quidam harum rerum periti enumerarunt linguas & dialectos, quæ in uſu verſantur; ſed ſeptuaginta vel ſeptuaginta duas originales ego nunquam repperi. Linguæ hodiernæ veteri navi *Argo* ſunt ſimiles, quæ tot partibus erat reſtaurata, ut difficile eſſet exponere, quæ partes fuiſſent navis antiquæ *Argo*.

* *Clem. Alex. Epiphan. Comeſtor, &c.*

CAP. XXIX.

De Literis.

HEbræam linguam jam à principio mundi extitiſſe, nemo negat; ſed an eadem ſit literarum antiquitas, nonnulli quærunt. Quidam arbitrantur literas, quas Deus manu propriâ tabulis inſcripſit, omnium fuiſſe primas. Studioſiſſimus *Plinius* exiſtimat *literas apud Aſſyrios perpetuò obtinuiſſe*: at *Gellius* in *Ægypto* à *Mercurio* inventas arbitratur. Alii apud *Syros* iis originem aſſignant. Si *Plinium* diligenter examinemus, ipſum in primo ac poſtremo deprehendemus rem acu tetigiſſe; in medio autem non multum aberraſſe. Si lingua Aſſyria ſit lingua Chaldæa, ut maximè eſt veriſimile, extitêre certè iſtæ literæ ab initio mundi; quandoquidem literæ Hebrææ & Chaldææ ſunt eædem: niſi Aſſyriæ ab utriſque ſint diverſæ. Si linguam Syriacam cum *Theodoreto* accipias pro Hebræa, *Plinius* verè aſſerit, literas primùm inter Syros fuiſſe. Nam *Theodoretus* Hebræam linguam appellat Syriacam; quemadmodum Euangelium Syriacam vocat Hebræam, *Joh.* 19:20. Sed *Plinii* ſententia eſt, *Cadmum* literas primum in Græciam intuliſſe ex Phœnicia. *Juſtinus Martyr* cenſet, Græcos hanc gloriam tribuere ſibi ipſis. *Athanaſio* Phœnices literarum ſunt primi inventores. Eſtque ea recepta opinio apud *Clementem Alexandrinum*, literas inventum eſſe Phœnicum & Syrorum. *Eupolemus* putat Phœnices Grammaticam accepiſſe à Judæis, Græcos verò à Phœnicibus. *Euphori* autem opinio eſt, *Cadmum* literas attuliſſe. *Cherilus* in *Euſebio* Phœnices & Judæos confundit. In *Xerxis* enim exercitu invenit, quos Judæos appellat, & linguam tamen eorum vocat Phœniciam. Verba illius hæc ſunt.

Τῶν δ᾽ ὄπιθεν διέϐαινε γένος θαυμαςὸν ἰδέσθαι,
Γλῶσσαν μὲν Φοίνισσαν ἀπὸ ςόματος ἀφιέντες·
Ὤκουν δ᾽ ἐν Σολύμοις ὄρεσι πλατέῃ παρὰ λίμνῃ.

Illos à tergo ſequitur gens mira videri,
Phœnicum lingua mentis ſecreta recludens,
Amplum juxta lacum Solymæis montibus orta.

Hi Phœnices, ſi ita appellare libet; ſeu mavis, Judæi, literas primi habuerunt. At Judæi reverà non fuerunt Phœnices, neque lingua eorum Phœnicia, quanquam propter vicinitatem Poëta eoſdem facit. Lingua Phœnicia intercidit, niſi * Punica ſive Carthaginienſis & Phœnix ſive Phœnicia, quod maximè veriſimile eſt, eadem ſit: atque ita paucæ quædam lineæ inveniuntur in *Plauti Pœnulo*: ex quibus tamen, ut ait *Pareus*, parum aut nihil effici poteſt. *Euſebius* loquitur de *Sanchoniathone*, qui hiſtoriam Phœnicum linguâ Phœniciâ conſcripſit: de ipſâ verò linguâ nihil prætereà addit. Sed ad rem. Literas tam diu ante datam legem in uſu fuiſſe hiſce rationibus adducor ut credam.

* *Syriaca tranſlatio vocis* Phœnicia *in Novo Teſtamento videtur hoc confirmare.*

Primò, *Joſephus* cenſet, litteras extitiſſe antè diluvium. Scriptura etiam allegat Prophetiam *Enochi*: quæ ſcripta ne per eum fuerit, an ſecus, incertum eſt. Tamen ſi quid ejuſmodi fuerit, complura loca, quæ de eâ in *Tertulliano*, *Clemente*, aliiſque invenimus, oſtendunt, adeo multa non potuiſſe exactè conſervari ſermone non ſcripto.

Secunda ratio, quæ probabile mihi facit, literas ante legem latam extitiſſe, petitur ex meditatione computationis *Joſephi* in Ægypto, quæ ſine ſcriptione nullo modo videtur potuiſſe perfici.

Tertiò: Ut verò alia omittam, nequeo concipere, quomodo artes & ſcientiæ omnes tunc temporis floruerint (ut, quantum per infantiam illarum licuit, factum eſſe ſcimus) ſine fundamento omnis didacticæ, ſcilicet literis.

Quartò: Si ſcriptâ Judæis lege, labor iis incubuiſſet, diſcendi artem quâ docerentur colligere voces per literas, (quod neceſſe fuiſſet nihil literarum intelligentibus) id fuiſſet lex legi ſuperaddita, magnumque difficultatis augmentum.

Quintò: Neque credere poſſum, *Moſen*, quando inquit, *Dele me ex libro tuo*, tranſlationem ſumere à libris propriis, quos probabile eſt ipſum nondum ſcripſiſſe; ſed à libris aliis, quorum eo tempore aliqua copia extiterit.

Sextò; Chronica Ægyptia tot chiliadum annorum in *Diodoro* & *Laertio*, ſcio ridicula eſſe; curam tamen ejus gentis in rebus

geſtis memorandis conſtat fuiſſe ſingularem. *Græci ad illos comparati infantes fuerunt*, ut *Plato* auctor eſt; & *Moſes eorum*, ſive illorum diſciplinæ *fuit diſcipulus*, *Act.* 7. Porrò autem credere non poſſum, excellentem hanc humanioris literaturæ peritiam conſtitiſſe ſolummodò recordatione mentis citra omnem ſcripturam: neque veriſimile ſit, ſi dogmata ſcripturæ mandata fuerint, obſcuris tantum ipſorum Hieroglyphicis figuris fuiſſe depicta: ſed neceſſe eſt, quædam concepta fuiſſe ſcriptione ordinariâ ac familiaribus literis.

CAP. XXX.

De Linguâ Hebraicâ.

SIquis Hebræam linguam multis verbis velit commendare, meritò reprehenſionem incurrat iſtius Romani, qui cùm ingens volumen compoſuiſſet in laudem *Herculis*, audiit; *Labor hic vanus eſt: nemo enim unquam Herculem vituperavit.* Aliâ commendatione lingua hæc non eget, quam quæ ei propria eſt, eſſe ſcilicet quoad ſanctitatem linguam Dei, quoad antiquitatem verò linguam *Adami*. Deus enim illam invenit primus, *Adam* primus uſurpavit. Hac linguâ propagata fuerunt myſteria Veteris Teſtamenti. Eadem cœpit cum mundo & Eccleſiâ, & perduravit, ſemper glorioſior uſque ad captivitatem Babylonis, quæ huic linguæ, è confuſione primâ ſine corruptione elapſæ, verè Babel fuit, & confuſionem attulit. Reverſo populo in patriam terram, lingua hæc aliquo modo reſtituta eſt, ſed ita ut multum à primitivâ perfectione abſuerit. Sacræ Scripturæ recenſitæ ſunt ab *Ezra*, Scribâ idoneo regno cœli, in cujus theſauro erant nova & vetera. Temporibus *Macchabaeorum* omnia vergebant ad ruinam, fueruntque lingua & lex & cætera omnia deperdita. Atque ex illo tempore uſque ad nos linguæ Hebrææ puritas deſiit eſſe familiaris; poſſeſſio quippe ſolius Scholæ, certè inſtitutionis partus. Tempeſtate ea, quâ in terris vixit Servator, lingua Syriaca fuit in vulgari uſu, ut voces *Kepha*, *Golgotha*, *Tabitha*, aliæque teſtantur. Deinceps *Maſorethæ* ſurrexerunt, laborioſiſſimi, mortales qui dederunt operam, ut Hebræis Bibliis ſua conſervaretur integritas: itemque Grammatici, laborem conferentes ad idioma ipſum ab interitu vindicandum: ſed ut illud ad familiarem uſum reduceretur, neutri potuerunt præſtare. Quippe Judæi hodiè neque fixam ſedem habent, neque conſtitutam Rempublicam, neque linguam propriam; ſed regionum, in quibus degunt, linguâ utuntur. Ita id, in quo anteà maximè fuerunt delicati, periit, ipſique theſaurum hunc amiſerunt. Quemadmodum nonnemo apud *Senecam* vim omnem memoriæ morbo perdidit, & proprii etiam nominis eſt oblitus; ita illi peccatorum atrocitate perdiderunt ſermonem primitivum, obliti propriæ linguæ. Erratica eorum vita, ſimilis *Caini*, poſt cædem fratris ſui ſecundum carnem, ſcilicet Jeſu Chriſti, privavit eos pretioſo pignore favoris Divini, & ſtigmate notavit infelici, *cauterio conſpirationis antiquæ*, ait alio reſpectu *S. Bernardus*. Ante linguarum confuſionem totus mundus illorum linguâ eſt uſus, & non aliorum: at poſt confuſionem Judæorum ipſi uſi ſunt linguâ totius mundi, & non ſuâ. Ita autem cum iis non nuper tantùm, ſed jampridem fuiſſe comparatum, *Theodoretus* planum facit hiſce verbis: *Apud gentes alias*, inquit, *infantes ſtatim lingua utuntur vernaculâ. At nulli apud Hebræos infantes inveniuntur, quibus Hebræa lingua primitiva ſit; verum ea, quæ in regione illis natali obtinet. Poſtea, dum adoleſcunt, edocentur literas, & lectionem S. Scripturæ linguâ Hebraicâ.* Ita *Theodoretus*, *Quæſt. in Geneſ.* 59. 60.

Quo pacto illi liberos ſuos in ſuâ linguâ ac doctrinâ educent, donec ad virilem ætatem perveniant; Rabbi quidam ita explicuit in *Pirke Aboth*, per. 1. *Ben H. H. ait*; *Quinquennis pro Scriptura, decennis pro Miſchnah; qui decimum tertium explevit, pro* * *Mandatis; qui decimum quintum, pro Talmud. Qui decimum octavum, pro Matrimonio; qui vigeſimum, pro Miniſterio; qui trigeſimum, pro Viribus; qui quadrageſimum, pro Intelligentiâ; qui quinquageſimum, pro Conſilio; qui ſexageſimum, pro Senectute; qui ſeptuageſimum, pro Canis; qui octogeſimum, pro* * *Profunditate; qui nonageſimum, pro Meditatione; qui centeſimum, ille jam inſtar mortui eſt, qui præteriit atque exceſſit è mundo.* Expectant Judæi regnum glorioſum, ubi venerit Meſſias, filius *Davidis*, ad quem, donec appareat, continuis excubiis reſpiciunt; quemadmodum in eorum Liturgiâ, Articulo fidei duodecimo, continetur. Ipſe iis reſtaurabit, ut ſperant, regnum temporale; cujus opinionis, donec melius edocerentur, etiam Apoſtoli fuerunt, *Actor.* 1: 6. & tunc eorum lingua reviviſcet, ut arbitrantur. Sed divina Apocalypſis, quæ poſt ruinam Hieroſolymæ conſcripta eſt, facile iis explicuerit, cujuſmodi ſecunda Hieroſolyma ſit futura, non terreſtis, ſed cœleſtis, *Apoc.* 21: 2. Verùm ad linguam eorum revertamur.

Characteres, quibus Hebræa lingua nunc

* *Sive, Philacteriis, &c.*

* *Sive, fortitudine (nempe ingenii) ſive Deo.*

nunc ſcribitur, *Scaliger* judicat, eſſe poſteriorum temporum, non verò eos ipſos, quibus Judæi acceptis à *Moſe* uſque ad deſtructionem templi fuerunt uſi: illos enim uſos fuiſſe charactere Phœnicio ſive Canaanæo, quem hodie Samaritanum appellitant. Quam ille hæc verè, judicio Lectoris relinquo.

Character, quem hoc tempore habemus, aut fixa littera eſt aut currens. Priori Biblia ferè deſcripta ſunt; poſterior verò monumenta pleraque Rabbinorum.

Lingua tota & perfecta Bibliis continetur; neque alius liber uſpiam extat, qui totam & integram linguam contineat. Quod documento eſt, Scripturam loqui cujuſcunque generis hominibus, quandoquidem loquitur de rebus cujuſcunque generis. Lingua hæc eſt (quales Deus Judæos eſſe voluit, ſiquidem ſervarent ipſius legem) creditrix omnium, debitrix nullius. Omnes linguæ illi debent, ipſa nulli. Agnoſcendum hoc eſt præcipuè populis orientalibus. *Homines quidam ad Orientem*, inquit Origines, *priſtinam loquendi rationem ſervant*, (Hebræam veriſimile eſt innuere) *neque eam immutarunt, ſed lingua Orientali uti perſeverarunt, quia perſeverarunt habitare Orientali terrâ.* Nulla hodiè lingua orientalis, de quâ equidem audivi, Hebræa eſt; ut quo ſenſu verba *Originis* accipi debeant, ignorem: niſi id velit, eos qui ad Orientem habitare perſeverarunt, linguam conſervaſſe Sanctæ maximè propinquam, ut proximos ei terræ: quod verum eſſe, omnibus notum eſt. Ex ſermone illorum id palam eſt, & ſcripturâ confirmatur. Omnes illi didicerunt ab Hebræis ſcripturam dirigere à dextrâ verſus ſiniſtram, ſive, ut nos vocamus, ordine inverſo. Chinenſes ſolùm & Japonenſes excipio, qui certè ſiniſtrorſum pingunt; non tamen lineis tranſverſis, ut in aliis linguis obtinet; ſed perpendicularibus; quæ ſcribendi ratio mira eſt.

Præterea Linguæ pleræque Orientales Hebræo utuntur charactere, vel velocitatis gratia, cui eſt accommodus, aut ob aliam cauſam. Litera Chaldaica cum eo planè convenit. Lingua Syriaca, quanquam de ſuo habet duas vel tres literarum formas, non aſpernatur tamen nonnunquam ſuperinducere characterem Hebræum. Arabes idem faciunt, præcipuè Judæi in Turciâ, qui, ex odio Mahumetanorum, res ſuæ religionis Arabicâ quidem linguâ, ſed charactere Hebræo ſolent deſcribere. Conſimili ſcribendi ratione & ob eandem cauſam in ſuis ſacris utuntur Arabes Chriſtiani, conſignantes eâ linguâ Arabicâ, charactere Syro. Locum etiam quendam in *Epiphanio* in eandem mentem accipio, in quo de lingua Perſica ſermo eſt. Verba ex alio tranſcripta hæc ſunt. *Perſæ, præterquam literis propriis, & Syriacis utuntur; ut noſtro tempore complures gentes Græcis, quanquam ferè omnes proprium characterem poſſident.* Cogitet lector, an non veriſimile videatur, Perſas, ut vicinas alias gentes, uſos fuiſſe charactere Hebræo velocis ſcripturæ ergo; qui *Theodoreto* Syriacus nuncupetur.

Porrò explicare linguæ Hebrææ elegantiam, ſuavitatem & copiam, non eſt inſtituti mei: nam ii ipſi, qui linguam hanc nec legere didicerunt, hæc tamen ipſa legendo ſunt aſſecuti.

CAP. XXXI.

De Vocalibus.

ORientales linguæ, ſpeciatim Hebræa, & tres illius dialecti, Chaldaica, Syriaca & Arabica, ſcribuntur nonnunquam cum vocalibus, nonnunquam abſque iis. Ubi vocales apponuntur, certitudinis habetur ratio; ubi omittuntur, velocitatis ſcribendi. Habemus Biblia utriuſque generis. Septuaginta verſionem ſuam videntur adornaſſe ex Bibliis impunctatis, ut *S. Hieronymus* commentario in Prophetas videtur affirmare, & cuique, qui examinare eam voluerit, facilè apparebit. Locus *Gen.* 4: 7. id doceat loco cæterorum omnium; ubi Interpretes illi, ſervatis literis vocales mirum in modum immutarunt.

Textus Hebræus ita habet הלוא אם תיטיב שאת ואם לא תיטיב לפתח חטאת רבץ, *Halo im tetibh, Seeth, veim lo tetibh, lappethahh hhattath robeth. Si bene egeris, nonne acceptus eris; & ſi non egeris bene, peccatum pro foribus excubat.* Id illi vertunt, quaſi ſic punctatum. *Halo im tetibh ſeeth, veim lo tetibh lephatteahh hhatatha rebhats. Nonne ſi benè egeris in offerendo, & non benè egeris in dividendo, peccaſti? eſto quietus*: Hoc uno conſenſu Græci Patres, & complures è Latinis ſequuntur. Nequiverunt ipſi ita vertere, non quia ignorabant textum, vel quia Bibliis punctatis deſtituebantur; ſed de induſtriâ, ut à porcis celarent margaritas; quemadmodum doctiores exiſtimant. Aberraſſe autem deſtinato conſilio, ubicunque aberrarunt, ob multiplices lapſus non eſt veriſimile: ſed nonnunquam malè acceperunt textum impunctatum, atque ita malè conſtruxerunt. Codice punctato uti licuiſſet; ſed noluerunt.

Sunt qui exiſtiment, vocales Hebræorum non eſſe inventas niſi multis poſt Chriſtum annis. Quod mihi videtur tantun-

tundem eſſe, ac negare corpori ſuos nervos: vel ſervare infantem ſine faſciis, & ſinere, ut ſe vertat ac flectat in omnem partem, donec inter creſcendum formæ decorum omne excedat. Planiſſimè ego induxi animum & certum habeo, literas & vocales ita ſe habere in ſcriptura Hebræorum, ut in infante animam & corpus; ac eſſe unita invicem à conceptione ſuâ & ortu, eundemque illas agnoſcere authorem.

I. Lingua enim addiſci nequit abſque vocalibus, quanquam poſtea ars & uſus facultatem adferunt legendi citra illas. Grammaticæ hoc & non naturæ acceptum eſt ferendum: quò etiam loci ſenſus plurimùm confert.

II. Maſorethas id emendaſſe, quod Septuaginta non videbant; rectiuſque hiſce, quorum authoritas multo major erat, legiſſe, nequeo credere.

III. Servator verbis, quibus negat ex lege periturum unum *Jota* & unum *apicem*, videtur alludere ad literam minimam *Jod*, minimam item vocalem, & accentum.

IV. Denique, nulla ars humana punctandis Bibliis ſufficit; imò vix unico verſiculo, quemadmodum nunc habemus punctatum. In ſolo Decalogo totius mundi peritiæ aqua hæreret.

CAP. XXXII.

De utriuſque Teſtamenti Dialectis.

DUo Teſtamenta ſunt ſicut Apoſtoli Hieroſolymæ (quando confuſio linguarum in Babylone compenſata eſt diffuſione linguarum in Sione) loquentes linguis diverſis, ſed ad idem propoſitum. Differunt tantum linguâ & tempore; ſed quoad materiam, Novum velatum eſt in Veteri, & Vetus revelatum in Novo. *Eſaja, Cap. 6*: 2. in viſione audivit Seraphim clamantes *Zeh el Zeh*, alterum ad alterum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus eſt Jehova, Deus exercituum.* Ita clamant duo Teſtamenta, *Zeh el Zeh*, alterum ad alterum; Vetus clamat ad Novum, & Novum reſonat ad Vetus. Vetus clamat, Sanctus eſt Dominus, qui promiſit; Novum reſpondet, Sanctus eſt Dominus, qui præſtitit. Vetus dicit, Sanctus eſt Pater, qui dedit Legem; Novum dicit, Sanctus eſt Filius, qui annuntiavit Euangelium; & utrumque dicit, Sanctus eſt Sanctus Spiritus, qui Legem ſimul & Euangelium literis mandavit, ad homines ſanctificandos. Duo Cherubim in Templo Salomonis ita erant collocati, ut alis exterioribus contingerent latera domus; interioribus verò ſe invicem. Ita duo Teſtamenta hinc domus latera contingunt, hinc ſe invicem. Extenſione ſuâ concionantur ab initio mundi ad finem; ab eo, *in principio*; uſque ad illud, *Veni Domine Jeſu.* Conſenſu contingunt ſe invicem, eo, *Convertet cor Patrum ad filios*, *Mal.* 4: 6. Et, *Convertet cor patrum ad filios*, Luc. 1: 17. Hìc duæ alæ in medio coëunt. *Tertullianus* Prophetam *Malachiam* appellat *vinculum*, ſive fimbriam *Judaiſmi & Chriſtianiſmi*, limitem, qui ſignificet promiſſionem iſtic finiri, & præſtationem inchoari; Prophetiam concludi, & completionem locum invenire: non intercedere vel ſpithamæ ſpatium inter duplicem hunc ſacrum fundum, Vetus & Novum Teſtamentum; nam invicem ſe contingere. Quid igitur Papiſtæ ſibi volunt, quando Apocrypha pro Canonicis immittunt intruduntque inter *Malachiam* & *Matthæum*, Legem & Euangelium? Quid illi agunt aliud, quam ut murum exſtruant inter duos Seraphim, quo impediantur alter alterius clamorem exaudire? Quid ſibi aliud quærunt, quam ut obſtaculum inter eos interponant, quo prohibeantur alis invicem ſe contingere? Quò tendunt, quam ut aggerem jaciant inter hoſce fundos, quo eorum termini ſejunguntur? Quid aliud efficiunt, quam quod Scripturarum limites loco moveant, & culpam incurrant, quæ deſcribitur *Deut.* 27: 17. *Maledictus, qui movet terminum proximi ſui*? Quid aliud conantur, quam ut connubium Teſtamentorum divortio ſolvant, ſeque illo crimine aſtringant; *Quod Deus conjunxit, homo non disjungat*? Duo hæc Teſtamenta bina ubera ſunt Eccleſiæ, unde haurimus *ſincerum lac verbi.* Uber unum alteri non magis eſt ſimile, quam hæc duo invicem ſibi, ſi rem ſpectemus; ſed, quoad linguam, colore differunt. Vetus Teſtamentum, ſcriptum eſt, quod nemo ignorat, linguâ Hebraicâ; ſed nonnullæ linguæ externæ etiam in Scripturam admiſſæ ſunt, ut externæ quædam nationes præter Hebræos admitti debebant in Eccleſiam. Magna pars *Ezræ* Chaldaica eſt, quià è Chaldæis Chronicis petita. Partes illæ verſionum *Danielis*, quæ totum mundum concernunt, Chaldaïcè ſunt conſcripta, linguâ, quæ per id tempus toto mundo omnium erat notiſſima, utpote eorum, qui tum mundi Domini erant. Verſus undecimus decimi Capitis *Jeremiæ* eâdem linguâ eſt conceptus, ut Judæi tantum ex Chaldæorum linguâ addiſcerent, quantum ſatis erat ad Idololatriam eâ linguâ recuſandam. Alia• hujus idiomatis vocabula in Scripturâ frequenter occurrunt; velut duo nomina impoſita Chriſto, nempe *Bar* filius, *Pſalm.* 2: 10. & *Hhoter*, virga è trunco *Iſai*, *Eſaj.* 11. quæ habeo pro origine Chaldaicis; ideo-

1 Chron. 3.

• *Hhutra uſurpatum in omnibus Targum, variis locis pro virgâ.*

ideoque majus iis myſterium ſubeſſe exiſtimandum eſt; ſcilicet, Filium hunc & virgam fore bono tam Chaldæorum & Gentium, quam Judæorum & Hebræorum. Infinitum eſſet, ſingula, quæ hujus indolis & linguæ ſunt, percurrere. Lingua itidem Arabica in Scripturam admiſſa eſt, ſpeciatim libro *Jobi*, viri qui ex iis oris ortum habuit. An & phraſes Philiſtæorum, aliorumque circùm populorum ibidem extent, Lectori indagandum relinquo, & credo inventum iri. De eloquentia partium quarundam præ aliis, deque librorum nonnullorum præ aliis difficultate, etiam is, qui vernacula tantummodo Biblia legere didicit, teſtari poteſt. Optarim plures eſſe, qui iſtæc Hebraicè ſcirent evolvere, & quaſi cum Deo loqui linguâ propriâ, ut quemadmodum gratiâ Dei *Japhet* nunc habitat in tentoriis *Semi*, ſive ut gentiles obtinuerunt in rebus religionis prærogativam ſuper Judæos, ita irrigare vellent inſitionem ſui in hunc truncum ſucco hujus linguæ, quo *illos ad æmulationem provocarent*.

CAP. XXXIII.

De linguâ Novi Teſtamenti, ſive Græcâ.

Lingua Græca clavis eſt, quâ uſus eſt Deus ad *Semi* tentoria filiis *Japheti* aperienda. Glorioſa hæc lingua, ut Tullius appellat, maximam inde eſt gloriam conſecuta, quod Novum Teſtamentum in eâ ſit conſignatum. Honoravit Deus literas omnes nominando ſe ipſum à primâ & ultimâ, ſcil. Α. & Ω. *Homerus* numerum confecit omnium hominum, quos receperint Græcorum naves, oſtendendo quot navis maxima, quot item minima contineret. *Javan* Judæis pariter & Chriſtianis primus creditur regionem incolis inſtruxiſſe; & lingua ejus videtur vernacula fuiſſe inde à confuſione Babelis. Judæi, ubi exponunt Caput 49. *Geneſeos*, exiſtimant Jacobum maledixiſſe factum filiorum, *Simeonis* & *Levi* voce è linguâ Græcâ petitâ, *Macherothehem*, μάχαιραι αὐτῶν, gladii ipſorum. Sed Chaldæi omnes aliæque verſiones melius vertunt, *illorum habitationes*, *Gen.* 49: 5. Ex Antiquiſſimis gentilibus Græcis qui extant, primus eſt Homerus; quamvis lingua longè illo ſit vetuſtior, deque *Iliade*, *Homeri* argumento, uxor *Euandri*, mulier *Arcas*, Græco carmine ſcripſerit, ut nonnulli tradiderunt. Homerus linguam velut irrigavit, eaque ſæculis ſuccedentibus floruit, donec in Novo Teſtamento pervenit ad maturitatem. Dialectos illius notum eſt quinque fuiſſe; *Atticam*, *Jonicam*, &c. Macedonica aliquantò durior fuit, ut cognoſcimus ex *Clemente Alexandrino*, *Strom.* 5. ſpecialiter illorum *devotus Macedo*, ſive de orationibus eorum. Quomodo diſperſerit Deus & divulgaverit hanc Græcorum linguam per terrarum orbem, cum jam tempus inſtaret adventus Chriſti & ſcriptionis Novi Teſtamenti, res eſt conſideratione digna. *Alexander Magnus* cum Macedonibus ſuis partes mundi Orientales fecit Græci juris. Vetus Teſtamentum petente *Ptolomeo* Græcè verſum anteambulo fuit intromittendi Novi, quando *Japhet* habitaturus erat in tentoriis *Semi*. Conſueverunt Judæi obſervare mœſtum jejunium propter hanc verſionem; ſed mœrentibus Judæis Gentes cauſam habent gaudii. Eodem modo ad locum nuperiùs faciendum Euangelio (quod quouſque pertingebat Antichriſti poteſtas, obrutum, non ſubmerſum, jacebat) lingua Græca, occaſione victæ & direptæ Conſtantinopolis per Turcas, miſſa fuit in oras haſce Occidentales; ut loquentem Chriſtum audiremus linguâ ipſius propriâ, abſque operâ *Ægyptii*, qui interpretis fungatur munere, quali *Joſeph* eſt uſus ſermonem miſcens cum fratribus. Quid nunc cauſæ eſt, cur nitamur fundamentis Latinis, cum Græca puritas ad manum ſit? Nunquam Turca quippiam boni Chriſtianis præſtitit, niſi hoc: atque hoc ipſum contra ſuum conſilium; at Deus omnia dirigit ad gloriam ſuam. Licetque dicere de miſeris Græciæ incolis, quod de Judæis Apoſtolus pronuntiat, *Diminutione illorum ditati ſumus*.

Ut olim Athenæ dictæ fuerunt *Græcia Græciæ*; ita Novum Teſtamentum linguæ cauſâ appellari meretur inter *Græca Græciſſimum*. In eo (ut in inſcriptione crucis Servatoris) tres linguæ inſunt, *Hebræa*, *Græca* & *Latina*. Græca fundamentum; reliquæ duæ quædam additamenta. In linguâ Græcâ *Broughtonus* eruditas quaſdam regulas & exempla dedit, quibus varia ejus genera explicentur, videlicet linguæ *Septuaginta* Interpretum, *Talmudicæ*, *Atticæ* & *Apoſtolicæ*. Hebraicam, ſive Syriacam (nam ita accipienda vox Ἑβραϊστί in inſcriptione crucis) facile vel ex verſionibus eſt percipere. E Latinâ voces aliquæ, ſed paucæ, in Euangelio reperiuntur; ut Κῆνσος, Cenſus, *Matth.* 17: 25. Κυστωδία, cuſtodia, *Matth.* 28: 11. Σπεκουλάτωρ, ſpiculator, *Marc.* 6: 27. quo vocabulo & Targum Hieroſolymitanum utitur in *Gen.* 37. de *Potiphare*, fuiſſe nempe *Rabh Sapulachtaria*, *Principem Spiculatorum*. Et nonnullæ aliæ petitæ ex eâdem latinâ linguâ, quam productio Romani imperii tempore Servatoris ſparſerat Hieroſolymæ, inque vicinis oris. Et ſic

Marginal note: * Thucyd. lib. 1.

in Teſtamento Syriaco aliqua Latina reperire eſt, Græcorum verò magnam copiam.

CAP. XXXIV.

De Linguis Chaldaicâ & Syriacâ.

Linguæ Chaldaica & Syriaca aliquando re una fuerunt, ut apparet ex *Gen.* 31: 47. *Ezr.* 4:7. *Dan.* 2:4. Charactere reverà differebant, Babyloniis aliâ literarum formâ utentibus, Syris verò aliâ. Atque hoc illud fuit, per quod aqua hæſit Babyloniis, inſpicientibus quod in pariete erat ſcriptum, ſic ut legere id nequiverint, quamvis conceptum propriâ ipſorum linguâ, quia pictum erat literis alienis. Progreſſu temporis ipſæ linguæ cœperunt immutari, ut Chaldaica in *Daniele*, & *Onkelos*, & *Hieroſolymitano*, & *Jonathane*; & Syriaca in Novo Teſtamento documento ſunt. Paraphraſtæ puritate linguæ multùm inter ſe differunt, & omnes à puritate Bibliorum Chaldaicorum plurimum abſunt. Multa habent vocabula Græca immiſta, itidemque Syriaca; monumenta victoriarum *Alexandri*. Alii ſibi in *Daniele* multa Græca videntur offendiſſe. Ipſe *Montanus Oſphaja* paſſim reddit σοφοί. Poſſedit Chaldaica quatuor literarum figuras, vel, ſi mavis, Chaldaica duas, & Syriaca duas. Biblia noſtra, Paraphraſtæ & Rabbini Chaldaici Charactere Hebræo ſunt conſignati; alterum verò genus Samaritanum eſt. Lingua Syriaca literam habet fixam, qualem in Novo Teſtamento impreſſo videmus; & ſcripturam quandam currentem, quali Maronitæ utuntur velocitatis ergô: Haud adeò multùm differunt, ut in utroque Alphabetho apparet.

CAP. XXXV.

De Linguâ Arabicâ.

HÆc Dialectorum Hebræarum ditiſſima eſt, ac lingua, quæ cum pleriſque aliis certare poſſit de prompta velocitate & aptitudine ad familiare commercium. Frequens etiam in Sacris eſt, præcipuè in *Jobo*, homine iſtius regionis. Quare aliæ etiam Bibliorum partes eâ ſint uſi, intelligi, uti arbitror, ex eo debet, quod Judæa & Arabia, & utriuſque linguæ fuerint vicinæ. Hoc ſolo differt à ſociis Dialectis & linguâ matre, quod in nominum declinatione terminationes variet, ad morem Græcorum Latinorumque; quodque recipiat numeros duales in verborum formatione, ut ſolent Græci. De amplitudine Alphabeti, deque ejus ab Alphabetis aliis differentia, itidemque de linguæ genio, vel alia quacunque re, quæ ad illam pertinet, nihil poſſum in medium aſferre, quod non acceperim à ſingularis induſtriæ & doctrinæ viro, hujus atque aliarum præſtantium linguarum peritiſſimo, *Magiſtro Guiljelmo Bedwellio*, quem appellare nequeo abſque magna gratitudinis & honoris teſtificatione: cujus ego malim me diſcipulum profiteri, quam partes ſuſcipere alios docendi. Hâc linguâ Alcoranus *Mahummedi* conſcriptus fuit, eodemque idiomate adhuc legitur, mortis propoſitâ pœnâ, ſi in ulla litera erretur; quod æquè facile in hâc linguâ accidere poteſt, quam in quacunque aliâ.

CAP. XXXVI.

De Linguâ Latinâ.

HÆc in Scholâ Grammaticâ omnium addiſcitur prima; maximè poſt linguas ſacras neceſſaria ſtudioſis optimæ profeſſionis. Utrum Babylone fuerit, diſputationis ſerram cum nullo reciprocare velim. Id certum eſt, eam quâ nunc utimur, iſtic non fuiſſe; ſi quid credamus *Polybio*, affirmanti, *Latinam linguam, quæ tempore Junii Bruti in uſu erat, primo bello Punico nulli, niſi viris valdè eruditis, eſſe intellectam.* Tantum paucis annis degeneraverat. Poëtæ antiqui, comparati cum politiſſimo *Ovidio Tullioque*, magnum diſcrimen exhibent. Ampla hæc lingua, tam diffuſa olim quam quæcunque alia, & complexa magnam mundi partem, ſcholarum nunc & eruditionis cancellis concluſa conſpicitur. Diluvium Septentrionis, fœcundæ hominum matris, Romanum obruit imperium, diſperſit homines, & linguam Latinam velut ſpolium abſtulit. Gotthi, Vandali, Lombardi, & reliqua rigidi climatis progenies propriam linguæ Latinæ formam corruperunt, indeque procuderunt *Francicam*, *Hiſpanicam & Italicam.* Sed ſcintillæ quædam ab hâc incude miſſæ ſunt in alias Occidentis linguas; adeò ut pleræque circùm nationes Romam, propter linguæ ipſius confuſionem, habere poſſint pro alterâ Babylone.

CAP. XXXVII

De Linguâ Britannicâ annis ferè abhinc mille. Ex Bedâ.

Britannia in præſenti juxta numerum librorum, quibus lex Dei perſcripta fuit, quærit & confitetur unam eandemque cognitionem, ſublimem veritatem, & veram

Digitized by Google

veram ſublimitatem, linguis quinque, Anglicâ, Brittannicâ, Scoticâ, Pictica, & Latinâ. lib. 1. de Hiſt. Angl. Cap. 1. Deinde Cap. 19. ejuſdem libri aſſerit, *Auguſtinum Monachum, quando miſſû Gregorii magni Euangelium veniebat annuntiaturus in Angliâ, interpretes ſecum ex Galliâ adduxiſſe concionaturos Anglis.* Lingua illa, ut videtur, tum temporis in multo uſu fuit in Angliâ; ſed an ea ipſa ſit, quâ Galli hodiè utuntur, diſquiri poteſt. *Guilielmus Victor* magnam curam ac laborem adhibuit, ut linguam unà cum dominatu inferret, ſed rem perficere non potuit.

CAP. XXXVIII.

Jonathanis, Paraphraſtæ Chaldæi, de electione Levi ad Sacerdotium ſententia, verſa ex Paraphraſi illius in Geneſ. 32: 24.

*Jacob autem ſolus relictus erat in adverſa ripâ, & Angelus quidam ſpecie viri cum eo luctabatur, &, Nunquid, dixit, promiſiſti dare decimas omnium quæ habes? atque ecce, habes * duodecim filios, atque unam filiam; neque tamen eorum dediſti decimas. E veſtigio ſeorſim jubet conſiſtere quatuor primogenitos cum ſuis quatuor matribus:* (nam, ait annotatio marginalis, ſancti erant ob jus primogenitorum) *jamque octo cæteri erant relicti. Rurſus itaque numerare incipit principio facto à Simeone & deſinens in Levi, tanquam decimo, Michaël reſpondet, &, Domine mundi, ait, hic tua portio eſt, &c.* Ita Chaldæus. Super quibus verbis, ſi commentatione digna forent, plura poſſem afferre.

* Non habebat hactenus niſi undecim filios, ſed commentarius Hebræus in textum Chaldæum opem fert in hâc difficultate, & ait, *Rachelem prægnantem fuiſſe de Benjamine; quâ ratione ille numeratus fuerit, necdum natus.*

CAP. XXXIX.

De Judæorum abbreviatura, ע״ש.

SCribendi hoc compendium in omnibus illorum Scriptoribus frequens eſt. Quando aliquem è Scholis ſuis Doctorem allegant, vulgò adjiciunt hæc verba, *Ameru rabbothenu Zicceronam libbracah;* quorum compendium ſunt hæ quatuor literæ ארזל, *Sic ajunt Doctores noſtri memoriæ benedictæ.* At quando de ſanctis ex Veteri Teſtamento viris mentionem faciunt, phraſis eorum uſitata hæc eſt, *Gnalau haſhalom, Super ipſum pax;* compendio ita, ע״ש. Adeò ut quoties de *Moſe, Salomone, Davide,* aliiſque ſermo eſt, ea formula ſoleat adjungi. Arabes ſimiliter utuntur ſuo *Gnalaihi alſalemo, Super eum eſt pax.* Deeſt verbis Hebraicis verbum, unde dupliciter poteſt conſtrui: *Super eum eſt pax:* vel, *Super eum ſit pax.* Erudítiſſimus *Broughtonius* reddidit modo priori; cujus judicium mihi ſit pro lege. Exponere illud modo poſteriori, ſuperſtitionem Papiſtarum de interceſſione pro mortuis ſapere videtur: quam etiamſi Judæi non directè uſurparunt, certo tamen modo apparet ab iis adhiberi, documento partis ejus è Liturgiâ illorum, quæ appellatur, *Mazkir neſhamoth, Monitor animarum;* quæ cum brevior ſit, non putavi me præter rationem facturum, ſi ex illorum linguâ traducam; ut videat Lector Judaicum Papiſmum, & Papiſticum Judaiſmum; Deoque benedicat, qui nos iiſdem tenebris noluerit concluſos.

CAP. XL.

Mazkir neshamoth: *ſive Monitor animarum, in Judæorum Liturgiâ, impreſſa Venetiis.*

D*Ominus recordetur animæ* (ſive Spiritus) *Abba Domini N. filii N. qui introiit in mundum ſuum: ob hanc rem voveo pro eo Eleemoſynas, quarum efficaciâ anima ejus ligetur in faſciculo viventium cum animâ Abrahami, Iſaaci & Jacobi, Saræ & Rebeccæ, Rachelæ & Leæ, cæterorumque juſtorum virorum & juſtarum fœminarum, qui verſantur in horto Edenis. Amen.*

Dominus recordetur animæ Dominæ N. filiæ N. quæ introiit in mundum ſuum; quare voveo, &c. ut in præcedente.

Dominus recordetur animæ patris mei & matris, avorum & aviarum, avunculorum, & materterarum, fratrum & ſororum, cognatorum & cognatarum, ſive ex patre ſint, ſive ex matre, qui introierunt in mundum ſuum, ob hanc rem voveo, &c. Amen.

Dominus recordetur animæ N. filii N. & animarum omnium meorum conſanguineorum & conſanguinearum, ſive ex patre ſint, ſive ex matre, qui obierunt vel cæſi, vel confoſſi, vel combuſti, vel ſubmerſi, vel ſuſpenſi propter ſanctificationem nominis Dei. Ob hanc rem dabo eleemoſynas pro memoriâ animarum illorum; quarum efficaciâ ligentur animæ illorum in faſciculo viventium cum anima Abrahami, Iſaaci, & Jacobi, Saræ & Rebeccæ, Rachelæ & Leæ, cæterorumque juſtorum virorum & juſtarum fœminarum, qui verſantur in horto Edenis. Amen.

Mox Sacerdos enuntiat benedictionem in eum, qui iſtis charitatis officiis fungitur; quemadmodum deinceps in hunc modum deſcribitur.

Ille, qui benedixit Patri noſtro Abrahamo,

hamo, Iſaaco & Jacobo, Moſi & Aaroni, Davidi & Salomoni, benedicat Rabbi N. filio N. propterea quod vovit Eleemoſynas pro animabus, quas nominavit: propter honorem Dei, & propter honorem legis, & propter honorem diei: hanc ob rem Deus ſervet eum & liberet eum ab omni afflictione & moleſtiâ, ab omni peſte & morbo: & ſcribat eum ac obſignet eum ad beatam vitam, in die Judicii; & mittat benedictionem, & proſperet eum in quolibet opere manuum ſuarum, & omnem Iſraëlem, fratres ipſius: & dicamus, Amen.

Ita, humane Lector, vidiſti Papiſticum Judæum, intercedentem pro mortuis. Si porrò grave non ſit, animadvertere licebit, quam plerique intùs & in cute Papiſtæ ſint, advocantes demortuorum merita, quæ pro ipſis intercedant. Eò enim tendit precatio, quâ utuntur in libro *Sepher Min hagim ſhel col Hammedinoth*, &c. quam inde verſam ita exhibeo.

Fac propter laudes tuas. Fac propter eos, qui te amarunt, quique nunc habitant in pulvere. Fac propter Abrahamum, Iſaacum & Jacobum. Fac propter Moſen & Aaronem. Fac propter Davidem & Salomonem. Fac propter Hieroſolymam, civitatem tuam ſanctam. Fac propter Sionem habitaculum gloriæ tuæ. Fac propter deſolationem templi tui. Fac propter proculcationem altarium tuorum. Fac propter illos, qui occiſi ſunt ob Nomen tuum ſanctum. Fac propter illos, qui trucidati ſunt tuâ cauſa. Fac propter illos, qui intrarunt ignem aut aquam ad ſanctificationem Nominis tui. Fac propter infantes lactentes, qui non peccarunt. Fac propter infantes ablactatos, qui non offenderunt. Fac propter infantes, qui ſunt de familiâ doctorum noſtrorum. Fac propter te ipſum, ſi non propter nos. Fac propter te, & ſerva nos.

Dic mihi, optime Lector, ἢ Πλάτων φιλονίζει, &c. Utrum Judæus Romanizet, an Romanenſis Judaizet in hiſce exercitiis pietatis? Interceſſio hæc per alios inſigne documentum eſt, ambos rejeciſſe verum *mediatorem inter Deum & hominem, Jeſum Chriſtum.* Prophanus quis Ethnicus poterat Judæo pariter & Pontificio præſcribere hanc lectionem, *Contemno minutos iſtos Deos, modo Jovem propitium habeam.* Chriſtianum certè convenit dicere: Faceſſant minutula omnia Numina, ita ut ne caream magno Jeſu Chriſto, qui Deum mihi reddat propitium.

CAP. XLI.

De verſione Latinâ loci Matth. 6: 1.

ELeemoſynæ apud Rabbinos Hebræos appellantur צדקה, *Juſtitia*; quâ voce Syrus utitur, *Matth.* 6: 1. *Act.* 10: 2. ac alibi. Secundum quam loquendi conſuetudinem vulgata vertit, *Attendite ne juſtitiam veſtram faciatis.* Vetuſtum exemplar M. S. Anglicanum aſſervatur in Bibliotheca *Leceſeldenſi*, quod Latinam ita exprimit: *Takith hede, that you do not your rigtvviſnes before men, to be ſeyne of hem: ellis ye ſhullen have no mede at your fadir that is in hevenes. Cavete ne Juſtitiam veſtram faciatis coram hominibus, ut conſpiciamini ab illis: alioquin non habituri eſtis mercedem apud patrem veſtrum, qui eſt in cælis.* Aliam verſionem Anglicanam hoc ſenſu nunquam vidi; neque ullum exemplar Græcum. Apparet Papiſtam malle Judaizare, dum id facit in rem ſuam; quam ſequi veritatem Græcam. Septuaginta aliquibus locis Veteris Teſtamenti צדקה Juſtitiam verterunt, Ἐλεημοσύνην, largitionem eleëmoſynarum, nullo vel tenui ſenſu. Quando Papiſtæ hoc Novi Teſtamenti loco Ἐλεημοσύνην, largitionem eleëmoſynarum, verterunt δικαιοσύνην, Juſtitiam, æquè parum ad rem facit. In textu certè Hebræo una vox pro utroque uſurpatur, צדקה pro eleëmoſyna, cum propriè eſſet Juſtitia: quo fundamento equidem ignoro; niſi forte ſit ad ſignificandum * Eleëmoſynas dari oportere de juſtè partis: ſecùs, non ſunt Juſtitia. Vel, vocantur *Zadkatha* Syriacè, *Huger zadek le mehvvo*, appellantur Juſtitia, quia juſtum eſt, ut dentur, & dentur juſtè. Patres Concilii Tridentini multa locuti ſunt de merito Eleëmoſynarum: quibus rectè quiſpiam reſpondeat verbis ipſis verſionis vulgatæ, *Attendite ne Juſtitiam faciatis*, atque ex iis quæratis juſtificari.

* S. Chryſoſtomus tale quid attingit.

CAP. XLII.

Emblema.

IN pariete quodam Romæ tale quid depictum extitit. Vir erat nudus unâ manu tenens flagellum, & quatuor libri folia alterâ; in quibus ſingulis vox erat inſcripta. In primâ, *Plango*; in ſecundâ, *dico*; in tertiâ, *volo*; in quartâ, *facio*. Vera Reſipiſcentis effigies. Nudus eſt, quia peccata maximè ſecreta Deo vult eſſe aperta. Flagellatur, quia peccata ipſum pungunt. Liber ejus eſt ipſius reſipiſcentia; quatuor ejus verba ipſius actiones: primò

luget,

Digitized by Google

luget, ſecundò confitetur, tertiò ſtatuit, quartò præſtat. *Plango*, illìc peccati conſpectus eſt, & anxietas de illo; *Dico*, illìc contritio eſt de peccato, ejuſque confeſſio; *Volo*, illìc eſt propoſitum corrigens; *Facio*, illìc eſt ſatisfactio exequens.

CAP. XLIII.

Mahhanajim, Gen. 32: 2.

Jacob verò abiit itinere ſuo, veneruntque ei obviam Angeli Dei; dicitque Jacob, cùm videret eos, Acies Dei hæc eſt; quapropter vocavit nomen loci illius Mahhanajim.

Vocabulum duale eſt, loquiturque de duobus exercitibus, & non pluribus; qui quid ſint, Judæi pro ſolitâ ſuâ libertate, invenerunt expoſitiones admirabiles. Ut illas omnes omittam, hæc mihi vera eſſe videtur, & rationem habere denominationis. Habebat *Jacob* itineris comites, quos infra appellat exercitum ſuum. Et erat quoque multitudo Angelorum, quam appellat *exercitum Dei*. Hi duo exercitus fuere, unde loco nomen *Mahhanajim* petitum, alter cœleſtis, terreſtris alter. Ab iiſque acceptum arbitror, quod *Salomo* Eccleſiam comparet * *ſocietati Mahhanajim*; duobus namque Exercitibus conſtat Eccleſia, uno cœleſti, qualis hic Angelorum fuit, qui eſt Eccleſia triumphans; & alter peregrinans in terrâ, qualis hic *Jacobi* exercitus, qui eſt Eccleſia militans.

* Cant. 6. 12.

CAP. XLIV.

Liber Pſalmorum.

PSalmi univerſi in libros quinque diviſi ſunt, haud ſecus ac libri *Moſis*. Quæ partitio ſi obtineat, Bibliis libri ſeptuaginta comprehenduntur. Ubi verò ſinguli finiantur, imperitiores colligere poterunt ex clauſula *Amen*, Pſalmis affixâ; id enim finis libri indicium eſt; ut videre eſt *Pſalmis* 41. 72. 89. 106. atque inde ad finem.

Poteſtque inter hos & libros legis inſtitui decora harmonia.

Geneſis. Liber primus *Moſis* exponit, quo pacto felicitas amiſſa ſit per ipſam *Adami* ambulationem in conſilio ſerpentis & mulieris.	*Pſalm.* 1. Liber primus Pſalmorum exponit, quo pacto beatitudo queat recuperari, ſi homo *non ambulet in conſilio improbo*, veluti ſerpentis & mulieris, diaboli & carnis.
Exodus. Secundus Liber *Moſis* enarrat gemebundam afflictionem in *Ægypto*.	*Pſalm.* 42. Secundus liber Pſalmorum incipit à gemebunda afflictione, *Pſalm.* 42. 43.
Leviticus. Liber *Moſis* tertius legiſlationem explicat.	*Pſalm.* 73. Liber Pſalmorum tertius principio explicat, quanta Dei benignitas eluceat ex datione Legis. Hæc alluſio facta eſt à *Rab. Tanch.*
Numeri. Quartus liber *Moſis* recenſionibus occupatur.	*Pſalm.* 90. Quartus liber Pſalmorum initium habet à recenſione totius Arithmeticæ optimâ, miſerationum ſcilicet Dei, *Pſalm.* 90: 1. & dierum noſtrorum, *verſ.* 12.
Deuteronomium. Liber *Moſis* poſtremus omnium eſt repetitio.	*Pſalm.* 107. Liber Pſalmorum poſtremus, à *Pſalm.* 107. ad finem, ſimiliter eſt omnium repetitio.

Alluſionis hujus circa librum primum *Arnobius* author eſt.

In diviſione Scripturæ Judaicâ hoc Pſalmorum monumentum, & ejuſdem conditionis libri alii, ultimo loco reponuntur; non quod minimæ ſint dignitatis, ſed quia minimum habent connexionis cum aliis libris: aliqui enim illorum nihil hiſtorici habent; & reliqui hiſtoriæ ac libri ſunt molis minoris: atque ita ſeorſim in peculiarem claſſem redacti ſunt. Veteris Teſtamenti libros Judæi Acroſtichide ita tribus literis notant אנך vel תנך; ubi ſingulæ literæ ſingulas voces, & ſingulæ voces ſingulas Bibliorum partes ſignificant. א vel ת eſt *Aorajetha* ſive *Torah*, lex: נ *Nebhjim*, Prophetæ: כ *Cetubhim*, ἁγιόγραφα. Diviſio hæc adeò antiqua eſt, ut ipſe etiam Servator eâ uſus ſit, *Luc.* 24: 44. *Omnia quæ ſcripta ſunt in lege Moſis, & in Prophetis, & in Pſalmis:* Pſalmos accipiens pro eâ parte, quæ ἁγιόγραφα comprehendit, quorum Pſalmi ordine ſunt primi.

CAP. XLV.

De Creatione.

DUplici viâ pervenitur ad cognitionem Dei, operibus & verbo. Opera docent eſſe Deum, verbum explicat quis ſit Deus. Opera docent more Alphabetariorum literas conjungere; verbum, majori profectu legere. Quod ex operibus cognoſcimus, ſunt quaſi poſteriora Dei, per quæ Deus velut procul conſpicitur;

Digitized by Google

verbum facie ad faciem videndum exhibet. Mundus liber eſt conſtans tribus foliis; unumquodque folium multas habet impreſſas literas, & unaquæque litera monitionem. Folia ſunt cœlum, aër, & terra cum aquâ. Literæ in Cœlo ſunt omnes Angeli, ſtellæ & Planetæ. In aëre omnia meteora & aves. In terrâ & aquis omnes homines, beſtiæ, plantæ, piſces & mineralia. Omnia hæc conjuncta velut totidem literæ oſtendunt nobis illam veritatem, eſſe Deum: neque minùs nobis, quanquam paucis verbis, Apoſtolus docet *Rom.* 1: 20. *Ipſius enim inviſibilia* * *jam inde à condito mundo ex rebus factis intellecta pervidentur, æterna videlicet ejus tum potentia tum divinitas.* Similiter *David Pſalm.* 19: 1. Non de nihilo eſt, quod Deus conclave univerſi apertum exhibuerit; ſed ita fieri oportuit, quia oculos nobis dedit ad theſaurum ipſius introſpiciendum. Neque de nihilo eſt, quod dederit nobis oculos ad introſpiciendum ipſius theſaurum; ſed quia cor dedit, quo viſa admiraremur. Si opera Dei non animadvertamus, lapidibus ſimiles ſumus, qui oculos non habent, quibus videant. Si opera Dei non admiremur, quando illa animadvertimus, beſtiis ſimiles ſumus, quæ cor non habent, quo admirentur. Et ſi non laudemus Deum de operibus ipſius, quando ea admiramur, ſimiles ſumus diabolis, qui linguas non habent, quibus gratias agant. Digna auditu eſt hiſtoria de pauperculo ſene, quem Epiſcopus quidam invenerat amarè flentem ſuper viſo fœdo buſone: & qui, cum cauſam rogaretur adeò amari fletus, *Lachrymas*, inquit, *fundo, quia, cum Deus poſſet me tam fœdam tamque turpem creaturam facere quam eſt hic bufo, nec tamen fecerit; nunquam, dum vixi, benigno Creatori pro eo gratias egi.* Si opera creationis nos ducerent ad unam hanc monitionem, labor in iis obſervandis minimè fruſtraneus foret: quanto pluris nobis eſſe videbitur, ſi multo ducant ulterius?

* *In verſione Syriacâ legitur,* Res Dei occultæ.

C A P. XLVI.

Tempus ac modus Creationis.

MOſes verſu primo Bibliorum tres gentiles opiniones refutat: nempe eorum, qui exiſtimabant mundum eſſe æternum: dicit enim, *in principio*, &c. Deinde eorum, qui opinabantur, nullum eſſe Deum: dicit enim, *Deus creavit.* Denique eorum, qui agnoſcebant complures Deos: dicit enim * *Elohim creavit cœlum & terram.* Prima vox *in Principio* poteſt meditationes noſtras deducere ad omnium ultimum, ſæculi ſcilicet conſummationem; & hæ meditationes affectus noſtros dimovere poſſunt à mundo nimiùm diligendo: ut enim initium habuit, ita finem habere neceſſe eſt. Nolo inhærere explicationi vocis *Bereſhith in principio*; ſic enim difficulter finem invenero. Exponere, quemadmodum varii Commentatores laborent circa principium Mundi, mundus fuerit laborum. Quomodò *Targ. Hieroſol.* id vertit, *in ſapientiâ*, & ſectatores habet *Rabbi Tanchum*, & Judæos complures. Quomodò *Targ. Jonath.* uſurpet vocem Arabicam, *Min Awwala, a primo: Onkelos, in primis*, ſive *in principio: Jarchi, in principio creationis creavit.* Quomodò *Baſilius* magnus, *S. Ambroſius*, & innumeri alii id reddiderint; iſta, inquam, omnia perſequi, res foret laboris infiniti: id mihi ſufficit, mundum & omnia initium habuiſſe à Deo, qui in principio creavit cœlum & terram. Nonnulli Judæorum è voce *Bereſhith* faciunt *Betiſri*, id eſt in menſe *Tiſri* mundus creabatur. Hic menſis ferè cum noſtro Septembri coincidit; mundum verò eo menſe eſſe creatum, ut alias rationes præteream, hæc mihi ſatisfacit, quod feſtum Tabernaculorum, hoc menſe celebrari ſolitum, appelletur finis anni, *Exod.* 23: 16. Et hinc fluxiſſe reor, quod Judæi in Synagogis lectionem Bibliorum inchoent Feſto Tabernaculorum, ſcilicet ut prima lectio ſit Creatio, *Geneſ.* 1. eo anni tempore, quo mundus fuit creatus.

* *Etiam illi, qui Hebraica ignorant, facilè agnoſcent myſterium Trinitatis in* Elohim bara. *Sed pauci animadvertunt, quam ſuaviter id cum ejuſdem generis phraſi in* Haphtara, *cujus lectionem Judæi ad hæc* Moſis *verba referunt, conſpiret; videlicet* Eſaj. 42: 5. Jehovah bore haſhamajim, venotehem: *ubi* Jehovah *ſingulare eſt,* notehem *autem plurale; quod verti poteſt,* Deus creans cœlos, & Deus extendentes eos.

Modus Creationis oſtendit potentem ſapientemque artificem. Angelorum productio *Moſi* reticetur, ne arbitrarentur homines, ut Hæretici quidam apud *Epiphanium*, illos Deo in Creatione operam navaſſe. Si enim dies creationis illorum, * qui maximè veriſimiliter eſt primus, nominatus fuiſſet, homines improbi facilè ipſos pro actoribus in hoc opere habuiſſent, qui nihil niſi ſpectatores fuerunt. Ideo quemadmodum Deus *Moſen* à morte ipſius occultavit, ita *Moſes* Angelorum creationem; ne ut dii colerentur, atque honor debitus Creatori transferretur in creaturam. Deus in moliendo mundum initium cepit à ſuperioribus & verſus inferiora perrexit. Tribus diebus partes mundi conſtituit, & tribus aliis diebus illas exornavit.

* *Rabbi Salomonis ſententia eſt, creatos fuiſſe die ſecundo. Theologi multi de die quarto opinantur.*

Primo die fecit omnes cœlos, materiam terræ, & uſque ad lucem deſcendit. Secundo die deſcendit inferius, fecitque firmamentum aëris. Tertio die omnium infimè deſcendit, ac fecit diſtinctionem terræ & aquæ. Ita triduo uno partes corporis mundani conſtitutæ ſunt: triduo altero, atque eodem ordine rebus neceſſariis ſunt inſtructæ.

Die

Digitized by Google

Dic enim quarto cœli, qui primo die facti erant, ornati ſunt ſtellis. Die quinto firmamentum, quod ſactum erat die ſecundo, repletum fuit avibus. Sexto die terra, quæ abſoluta eſt die tertio, inſtructa eſt beſtiis, ac denique homine. * Ita Deus ſex diebus abſolvit omne opus Creationis. Decem enim illas res, quas Paraphraſtes Chaldæus * Deum narrat creaſſe circa veſperam Sabbathi, mundo jam perfecto, authoribus ſuis credendas remitto.

* *Septuaginta Interpretes ſuper* Gen. 2: 2. *pro eo*, Deus abſolverat die ſeptimo, legunt, abſolvit die ſexto.

* *Chald. Paraphr. ſuper* Num. 22. *& Jarch. ſuper* Deut. 34. *& Pirke Aboth.*

Rabbi Jarchi ſuper *Geneſ.* 2. obſervavit, Deum uno die creaſſe res ſuperiores, alio autem inferiores. Verba illius hæc ſunt. *Primo die creavit cœlos ſupra & terram infra. Secundo die firmamentum ſupra. Tertio die jubet terram aridam apparere infra. Quarto die luminaria ſupra. Quinto die jubet aquas producere infra. Sexto die creare decuit ſimul ſuperum & inferum, ut fecerat die primo, ne qua foret confuſio in opere ipſius; ideoque hominem compoſuit ex utroque, animam de iis quæ ſupra ſunt, corpus ex iis quæ infra ſunt.*

Rabbi Tancuman oſtendit quomodo conſtructio Tabernaculi conveniat cum creatione mundi. Luci primæ diei reſpondet candelabrum; lux enim primum opus eſt. Expanſioni verò Firmamenti, inſtar aulæi, reſpondent Tabernaculi aulæa: quod eſt ſecundum opus; atque conſimiliter in cæteris. Nemini non nota eſt opinio vetus de duratione mundi per ſexies mille annos, quia ſex diebus eſt factus; tum *Eliæ* Prophetia inter Judæos de mundi fine poſt annos ſexies mille; quæ Chriſti verbis planè eſt oppoſita. Multi hiſce opinionibus credunt; at pauci parant ſe ad finem adeo prope imminentem.

Allegoria.

Deus docuit proceſſu Creationis veteris mundi, quem oporteat eſſe profectum noſtrum, ut fiamus nova creatura, ſive novum cœlum & nova terra, renovati ſimul anima & corpore. I. Die primo fecit lucem: ita prima res, quæ in homine novo requiritur, eſt lumen cognitionis. Ita inquit *S. Paulus*, Hebr. 11. *Qui accedit ad Deum, huic credere oportet ipſum eſſe.*

II. Secundo die fecit Firmamentum, ſic dictum à * firmitate: ita ſecundus gradus in novâ hominis creatione eſſe debet firmamentum fidei.

* χάλκειον ἰρὲς *in Heſiod. &* ὐρανὸς πολύχαλκος, *Hom. Odyſ.* 3.

III. Tertio die, maria & arbores fructificantes, ita tertius gradus in novo homine eſt, irrigari aquis lachrymarum pœnitentiæ, & fructus producere his lachrymis dignos. *Ferte igitur fructus convenientes reſipiſcentiæ*, inquit Baptiſta, *Matth.* 3.

IV. Quarto die, Deus creavit Solem, ita ut, cum die primo lux fuerit, ſed citra fervorem, nunc die quarto lux & fervor ſimul jungantur. Sic quartus gradus in nova creatione novi hominis eſt, ut conjungat fervorem zeli cum lumine cognitionis ipſius; quemadmodum in ſacrificiis ignis & ſal ſemper erant conjuncti.

V. Quinti diei opus erant piſces luſitantes in mari, & aves volantes verſus cœlum. Ita quintus gradus novæ creaturæ eſt, vivere & gaudere in mari afflictionum, & evolare per preces & contemplationes ad cœlum.

VI. Sexto die Deus hominem fecit. Iis verò omnibus abſolutis homo eſt nova creatura. Ut igitur illa omnia in unum conferam, ut facit *S. Petrus* in aurea virtutum catenâ, 2 *Petr.* 1. *Adjicite veſtro cognitionis lumini firmamentum fidei, fidei veſtræ maria lachrymarum pœnitentiæ, lachrymis felices arbores bonorum operum, operibus bonis æſtum zeli, zelo alatas aves precum & contemplationis*; Et ecce omnia facta ſunt nova. *Ecce facti eritis nova creatura.*

Ut Biblia incipiunt à novâ creatione, ita deſinunt in productione novi cœli, & novæ terræ, & novi Paradiſi, & novæ arboris vitæ, *Apoc.* 21. ad quæ omnia, *O tu, quem diligit anima mea, dic, veni.*

CAP. XLVII.

De lapſu Adami.

LApſus *Adami* mors erat ejus ipſius, & mors noſtra, & mors *Chriſti.* In lapſu illius tres erant offendentes, tres offenſæ, tres etiam offenſi. Offendentes fuerunt *Satan*, *Adam*, *Eva*. Offenſiones erant ignorantia, infirmitas & malitia. Offenſi Pater, Filius & Spiritus Sanctus. *Eva* peccavit ex ignorantiâ, ideoque in Filium, Deum ſcilicet cognitionis, & veniam conſecuta eſt; quâ ratione & *Paulus* peccavit, & veniam eſt conſecutus, 1. *Tim.* 1: 13. *Adam* peccavit ex infirmitate, ideoque in Patrem, Deum potentiæ, & veniam conſecutus eſt; quâ ratione & *Petrus* peccavit, & veniam eſt conſecutus, *Matth.* 26. Sed Satan peccavit ex deſtinatâ malitiâ, ideoque in Spiritum Sanctum, Deum charitatis, & veniam non eſt conſecutus. *Nam quicunque locutus fuerit in Spiritum Sanctum, non habebit remiſſionem in æternum*, *Marc.* 3: 29. Deus autem ſingulis pœnam imponens, *Geneſ.* 3. de *Adamo* & *Eva*, priuſquam ſententiam ferat, quæſtionem habet, quippe miſeratus illos; imò *Chriſtum* prius promittit, quam infligit pœnam: at de ſerpente quæſtionem planè nullam habet, quia gratiam ei nullam volebat ex-

Cyprianus di Valera.

exhibere. Deus permiſit *Adamum* proprio ejus arbitrio, & labi illum paſſus eſt, quia ſciebat, quomodo lapſum illum converteret in lapſi ſalutem. Quando *Lazarus* moriebatur, *Chriſtus* non aderat, ut *Lazari* per *Chriſtum* reſuſcitatio tantò eſſet glorioſior. Ita ubi *Adam* lapſus fuit, Deus, ſi ita loqui fas ſit, ibi adeſſe noluit, (*Adamum* enim proprio arbitrio permiſerat) ut *Adami* per *Chriſtum* reſtitutio tantò glorioſior foret. De eo nonnemo cecinit, *O fœlix lapſus!* Infœlix fuit lapſus *Adami*, quatenus lapſu illius nos omnes lapſi ſumus; ſed fœlix tamen fuit infœlix iſte lapſus, quatenus futurum erat ut per *Chriſtum* reſtitueretur. *Joſeph* permiſit, ut frater *Simeon* ad tempus mitteretur in carcerem, quò ad extremum educere eum poſſet cum majori ſolatio. Ita Deus permiſit ut *Adam* ingrederetur ad tempus in carcerem *Satanæ*, ut tandem cum majori ſolatio educeret. *Quo die comederis de eo, morieris*; ibi carcer eſt. *Et vir accepit & comedit*; ibi *Adam* carcerem intrat. *Semen mulieris conteret caput ſerpentis*; ibi *Joſeph* liberat *Simeonem* ex carcere, Deus hominem ex inferno per *Chriſtum* educit. De hoc quæſtionem admirabundus movet Doctor aliquis; *utrum ſit mirabilius homines creare juſtos, an juſtificare injuſtos*? Utrum Deus majus miraculum editurus ſit, creando hominem è nihilo, an reſtituendo eum è ſtatu, qui nihilo erat deterior? In utroque certè mirabilem ſe præſtitit, & in primâ, & in ſecundâ creatione; juſtificatio enim ſecunda hominis creatio eſt.

CAP. XLVIII.

Ophitæ; Evia.

HÆretici quidam apud *Epiphanium* exiſtimant, ſe Diabolo eſſe obſtrictos propter laborem, quem impendit *Adamo* percellendo. Serpentem enim ſolebant adorare, quia, uti ajunt, cognitionem in mundum introduxit. *Clementi Alexandrino* non abſurdè videtur ſtatui, ſententiam eam ab Ethnicis eſſe hauſtam, qui ſuis *Bacchi* orgiis ſoliti erant ſerpentem apportare, velut in ſolemni pompâ, & clamare, *Evia, Evia.* Εὐίαν δὲ δασυνόμενον. *Evia* autem, ait *Clemens*, ſi ſpiritu aſpero notetur, *Hevia*, Hebraicè ſerpentem fœminam ſignificat. Ubi bonus vir Chaldaicam linguam appellat Hebraicam. In Hebraicâ enim non invenio hujuſmodi vocem, quæ denotet ſerpentem. Sed omnes Bibliorum verſiones Chaldaicæ ſuper tertium caput *Geneſis* & alia loca plurima, uſurpant pro ſerpente vocem חויא, quam arbitror ab illo indigitari.

CAP. XLIX.

De Græcâ tranſlatione quinti Capitis Geneſeos.

QUemadmodum Septuaginta, aliquot annorum centurias ætatibus hominum ante & poſt diluvium addiderint, pauci eruditorum ſunt qui neſciant. Hoc verò diverſam peperit computationem temporum, dum alii Hebræum Textum ſequuntur, alii Græcum. Hinc duo oriuntur haud exigua dubia. Circa *Methuſalam*, viventem poſt diluvium, qui mortuus eſt uno vel duobus menſibus ante illud. Et de morte *Semi* ante *Abrahamum* natum, qui vixit tot annos poſt *Abrahami* ingreſſum in *Canaanem*, quot *Abraham* natus erat, cum iſtuc adveniret; ſcilicet annos ſeptuaginta quinque. Et ſic fieri poteſt, ut fuerit *Melchizedec*. Græci magna cum commotione locum quærunt, ubi toto diluvii tempore conſtituant *Methuſalam*, metu ne ſubmergatur: ad extremum quidam illum collocant in ſummitate Arcæ *Noachi*, ubi totum illum annum aquoſum permanſerit. Judæi *Ogum* gigantem ibidem reponunt, ut Paraphraſtes Chaldæus in *Geneſ.* 14. admodum ridiculè obſervat: verba ejus, ut materiam habeas verè jocularem, grave non erit hic adſcribere. Verſum itaque decimum tertium in Chaldæo in hunc modum reddit. *Venit autem Og, reliquus ex iis qui diluvio perierant: in Arcâ enim inequitavit, atque ei velut operculum fuit, & cibis Noachi victitavit. Sed ſuâ cauſâ vel merito non fuit ſervatus; verum ut habitatores mundi viderent virtutem Domini, dicerentque, Nunquid Gigantes olim rebellarunt adverſus Dominum mundi, atque ipſe eos perdidit de terrâ? Sed ſimulac hi reges bellum parant, ecce Og cum iis eſt. Og apud ſe dixit, Ibo, & annuntiabo Abrahamo Loti caſum, eum ſcilicet captum eſſe, ut vadat ad illum recuperandum, atque ipſe unà in eorum manus incidat. Venit, atque ad illum accedit circiter diem Paſchatis, eumque offendit parantem liba Azyma; mox narrat Abrahamo Hebræo*; &c. Huc uſque Chaldæus; de cujus conceptibus hoc loco, ac infinitis locis aliis, & quos Judæi illius gens paſſim adferunt, neſcio utrum dicendum, *Riſum*, an, *fletum teneatis amici?* Sed redeamus ad propoſitum. Græca Biblia vitam *Methuſalæ* annis quatuordecim poſt diluvium prorogant. Rationem cur tot annos ei addant, multi adferunt; quam ego omitto. Sed, ut *S. Auguſtinus* ait, multi in computandâ hujus viri ætate deficiunt: *Nam in quibuſdam etiam codicibus*

* Chaldaica *Paraphraſis* Jonathanis *ita errat in ætate* Methuſalæ; *ſed ſoli id vitioſæ exſcriptioni deputavero.*

cibus Græcis, & uno Latino, & uno etiam Syro inter ſe conſentientibus, inventus eſt Mathuſalem ſex annis ante diluvium fuiſſe defunctus. *Auguſt.* de Civit. Dei, *lib.* 15. *cap.* 13. Hujuſmodi differentiæ meritò nos incitent ad ſtudium textus Hebræi, ubi adulteratio vel error non invenitur.

CAP. L.

De verbis; Semen mulieris conteret caput Serpentis.

* Utrumque Targum Hieroſol. & Babylon. hæc verba ad Meſſiam referunt.

NOvum Teſtamentum uberem commentarium in hæc verba ſubminiſtrat; in Euangelio ſcilicet *S. Lucæ*, qui *Capite tertio* oſtendit, quomodo per ſeptuaginta quinque generationes *Chriſtus* ſit ſemen mulieris; & *Capite quarto*, quomodo per tres tentationes ſemen ipſius cœperit conterere caput Serpentis: ubi Lectori licebit obſervare, quomodo eâdem ratione Diabolus tentavit *Chriſtum*, quâ tentârat *Evam*, ſed diverſo ſucceſſu. Quicquid uſpiam peccatorum eſt, à *S. Johanne* refertur ad hæc tria capita, *Cupiditatem carnis, libidinem oculorum, & faſtum vitæ*, 1. *Joh.* 2: 16. Per hæc tria *Eva* in Paradiſo lapſa eſt. Videbat arborem bonam eſſe ad cibum; & cupiditas carnis extimulavit eam: videbat gratiſſimam eſſe aſpectu, & libido oculorum provocavit eam: animadvertebat allaturam ipſi prudentiam, & faſtus vitæ perſuadet ut manum illi admoveat. Per hæc tria diabolus tentat *Chriſtum*; quando eſurit, volebat ut lapides converteret in panes, atque ita tentavit cupiditate carnis. Oſtendit atque promittit illi omnem mundi gloriam, & ſic tentat eum libidine oculorum. Exhortatur eum ut volet per aëra, ſicque eum tentat faſtu vitæ. Ut verò per hæc tria Serpens contriverat caput mulieris, ſic viciſſim per hæc tria ſemen mulieris contrivit caput Serpentis. David hanc victoriam præcinit, *Pſalm.* 91: 13. *Super aſpide incedes, & conculcabis Draconem.* Verſu proximè antecedente tentavit *Chriſtum* diabolus: ſed hoc præſenti non audet pergere; cedit enim illi in malum.

CAP. LI.

Hypocriticæ Judæorum precationes redargutæ à Servatore, Matth. 6: 5. Quia amabant precari ſtantes in Synagogis & angulis platearum.

COncio hæc *Chriſti* in monte maximè in eo eſt, ut redarguat Talmudicas Judæorum traditiones, per quas verbum Dei fecerunt inefficax. Hic verſus unum ex eorum dogmatibus de precibus per vias publicas condemnat, pro quo habent hanc traditionem in ſuo * *Talmud. Rabbi Joſi inquit: Quodam tempore ambulabam per viam, & deflectebam in unum deſertorum Hieroſolymæ ad precandum. Venit autem eo Elias * beatæ memoriæ, & obſervabat me in portâ, & præſtolabatur mi, donec preces meas finiſſem. Poſtea verò quam finiveram meas preces, Pax, inquit, ſit tibi, Rabbi. Ego viciſſim illi dicebam, pax tibi, Rabbi & * magiſter. Tunc dicebat mihi, mi fili, quamobrem te contuliſti in hoc deſertum? Dicebam ipſi, Ad precandum. Dicebat mihi, Potueras precari in viâ. Ego dicebam ei, Timebam, ne viatores me interpellarent. Dicebat mihi, Dixiſſes preces breviores. Quo tempore didici ab illo tria. Primò non neceſſe eſſe, ut eamus in deſertum: deinde didici, precandum eſſe per viam; denique didici, precantis per viam preces breviores dicendas eſſe.* Huc uſque eorum Talmud velut diplomate aliquo autoritatem conciliat illorum Hypocriſi, ſuperinducens hunc nothum b. m. *Eliæ*: cujus mos non fuit per vias publicas precari, vel exercitia religionis publicè peragere; ut quem vitæ ſolitudine *Johannis Baptiſtæ* typum fuiſſe conſtat.

* [illegible]

* Hebr. Zachu[illegible] laſtoo, memoria [illegible] in bonum.

* Hebr. Mori, quod Chaldaicè & Syriacè ſonat Dominum [illegible] Maran-atha [illegible] [illegible]

CAP. LII.

Iſraëlis afflictio in Ægypto.

DE *Iſraëlis* commoratione in *Ægypto*, multi Scriptores Gentiles nonnihil attigerunt: quanquam omnes diverſimodè, & nemo rectè. *Joſephus* adverſus *Appionem* iraſcitur fabulis, quas hàc de re confinxerunt. Quoad famem, quæ eos iſtuc ire compulit, (ſi illam intermiſſioni aſcenſus *Nili*, velut cauſæ naturali, imputemus, quod faciendum eſſe maximè eſt probabile,) videtur aliqua ejus memoria extare iſtius ſeptennii apud *Senecam*, *Quæſt. Natur.* ubi ait; *Per novem annos Nilum non aſcendiſſe ſuperioribus ſeculis, Callimachus author eſt.* Hic duos tantum annos numero addit. De *Iſraëlis* verò afflictione in *Ægypto* altum apud Gentiles ſilentium eſt. Deus *Abrahamo* dudum eorum ſervitutem prædixerat, addito tiam ſigno, avium videlicet deſcendentium in cadavera, *Geneſ.* 15. Typus *Iſraëlis* verſantis in *Ægypto*, & *Pharaonis*, *Iſraëlis* causâ puniti, in eo fuit, quod plagis affectus fuerit *Pharao* de *Sara* marito ereptâ, ac domi ipſius cuſtoditâ; ut legere eſt *Geneſ.* 12. Quamdiu in terra iſta hæſerint, pauci ſunt, qui ignorent; quam verò diu afflictio eorum duraverit, incertum eſt. Probabile eſt, habuiſſe annos circiter centum & viginti,

Nilus, Africæ miraculum, Ægypti flumen, quotannis exundans, paſſque ſuas tranſcendit quod ſi intermittat, aut ad juſtam altitudinem non aſcendat, famem exhibet, pluvii enim Ægyptus caret. Ab hoc flumine poſt Deum ubertas illorum aut fames derivatur. Notari meretur, vaccas pingues & tenues carne, in Pharaonis ſomnio

 tempus

(ubertatis tunc in eâ regione & penuriæ ſymbola) ex viro aſcendiſſe. *Rationem cauſamque, cur flumen exundet,* Pigaffetta *præ cæteris prolixè explicuit. Miror autem non idem mirum agnoſci in* Jordane, *qui idem patitur*, Joſ. cap. 1.

tempus conceſſum pœnitentiæ veteris mundi, & ætatis *Moſis*. Quærendum hoc eſt per ætatem *Levi*, quæ paulùm abeſt quin certò poſſit inveniri. Omnis generatio *Joſepho* æqualis ante erat demortua, quam afflictio ingruebat: quemadmodum omnis generatio *Joſuæ* æqualis morte erat abſumpta, antequam idololatria commiſſa fuit, *Jud.* 2: 10. Cauſam, quare Deus paſſus fuerit hæc evenire iis, an ut eos præpararet ad ipſum ejuſque Legem ritè excipiendam, an ut caſtigaret ob commiſſam idololatriam, an propter aliud quid, non audeo curioſius inquirere. Id dicere non vereor, ſcilicet, quando fundamentum (quod hic verè accidit) Eccleſiæ viſibilis hoc modo in afflictione jactum eſt, Eccleſiam illam non poſſe non afflictionem expectare, dum vivit in *Ægypto* hujus mundi. Sed ut *Iſraël* ſub perſecutione auctus eſt, ita & Eccleſia. Simulac enim *ſparſum eſt ſemen ſanguinis Martyrum, ſurrexit ſeges Eccleſiæ: Nec fruſtra oravit Eccleſia pro inimicis ſuis, qui oderunt eam, & qui perſequebantur: Auguſt. Serm. de temp.* 109. Ut omittam Judæorum commentum, *fœminas Iſraëliticas ſenos edidiſſe uno partu*; utque quæſtionem prætercam de *Nilo fœtifero*, cujus aquæ hauſtæ, utpote fœtificæ, *Iſraëlis* auctionem juverint; mihi unicè Deus videtur reſpiciendus, atque illius opus, qui adeò multiplicavit ac ſuſtentavit eos in fornace afflictionis. *Si Deus nobiſcum, quis contra nos?* Auctionem illam promiſerat Deus *Jacobo*, fugienti *Haranem*, *Gen.* 28. in ſomnio de ſummitate ſcalæ *Jacobi*. Atque hic expertus eſt, *veracem eſſe, qui promiſerat.*

CAP. LIII.

Caſtra Iſraëlis; juxta deſcriptionem Paraphraſtæ Chaldæi, *Num. Cap.* 2.

CHaldæus poſitionem Caſtrorum *Iſraëlis* admodum diligenter explicat. Operæ pretium fore putavi, vertere ex eo integrum Caput, ut videat Lector, ſi non veritatem, at ſtudium certè hominis & voluntatem.

Numeror. Cap. 2: 1. Et allocutus eſt *Jehova Moſen* & *Aaronem*, dicendo.

Verſ. 2. Filii *Iſraëlis* juxta ſuum quiſque vexillum, apud ſigna quò vocati ſunt, apud vexillum patrum ſuorum, caſtra habento; ex adverſo tentorii conventus caſtra habento * circumcirca.

* Chald. *circum, circum.*

Verſ. 3. Caſtra *Iſraëlis* ſpatium occupaverant miliarium duodecim longitudine, latitudine itidem duodecim. Cæterum qui caſtra ſua habebant parte orientali verſus Orientem; vexillum ſcil. caſtrorum *Judæ*, per quadrum; miliarium quatuor: ejus autem inſignia erant trium colorum referentium tres lapides, qui erant in pectorali, ſardium, topazium & pyropum: & aſcripta inibi erant nomina trium Tribuum, *Judæ*, *Iſſacharis*, & *Zabulonis*, in medio autem קומה יהוה,

ויפצו איביך וינו משנאיך מפניך

Surge, Jehova, & diſpergantur inimici tui, & oſores tui fugiant à facie tuâ. Eratque inibi depicta imago catuli Leonis pro principe filiorum Judæ, *Nahſone* filio *Amminadabi*.

Verſ. 4. Hujus verò exercitus, numero illorum, ſeptuagies quater mille ſexcenti.

Verſ. 5. Qui caſtra habebant juxta eum, ſunto Tribus *Iſſacharis*; & Princeps exercitus Tribus filiorum *Iſſacharis, Nathaniel* filius *Tſuharis*.

Verſ. 6. Hujus Exercitus & numerus ejus (Tribus) quinquagies quater mille quadringenti.

Verſ. 7. Tribus *Zebulunis*, & Princeps qui præerat Exercitui Tribus filiorum *Zebulunis*, *Eliab* filius *Helonis*.

Verſ. 8. Et Exercitus & numerus Tribus ejus, quinquagies ſepties mille quadringenti.

Verſ. 9. Univerſus numerus Exercitus *Judæ* * centies octogies ſexies mille quadringenti, per exercitus ſuos, qui primi proficiſcebantur.

* *Apud Chaldæum alius numerus extat; ſed id ex vitioſâ exſcriptione eſt: ideoque Hebræum textum ſequor.*

Verſ. 10. Vexillum Exercitus *Reubenis* caſtra habeat verſus meridiem per exercitus ſuos, in quadrum milliarium quatuor; inſignia verò ejus erant trium colorum referentium tres lapides in pectorali, Chryſopraſum, Sapphirum & Adamantem; atque inibi inſcripta erant nomina trium Tribuum, *Reubenis*, *Simeonis*, *Gadis*: in medio verò hæc verba: שמע ישראל יהוה אלהינו יהוה אחד *Audi, Iſraël, Dominus Deus noſter, Deus unus eſt.* Picta etiam erat forma Hinnuli. Pingenda verò fuerat imago Juvenci; ſed *Moſes* Propheta immutavit, quia cavere voluit occaſionem cogitandi de vitulo. Princeps autem, qui propoſitus erat exercitui Tribus *Reubenis*, erat *Elizur* filius *Schedeuris*.

Verſ. 12. Exercitus ejus & numerati ejus Tribus, erant quinquagies novies mille trecenti.

* *In Chaldæo verſus* 11. & 14. *deſunt.*

Verſ. 13. Et Tribus *Gadis*, & Princeps, qui præerat exercitui Tribus *Gadis*, erat *Eljaſaph*, filius *Rehuelis*.

Verſ. 15. Exercitus ejus & numerati Tribus ejus * quadragies quinquies mille ſexcenti.

* *In Chaldæo numerus extat juſto minor.*

Verſ. 16. Numerati omnes in exercitu *Reu-*

Digitized by Google

Reubenis centies quinquagies & ſemel mille quadringenti quinquaginta, per exercitum ſuum: obtinuerunt in profectione locum ſecundum.

Verſ. 17. Tum proficiſcebatur Tabernaculum conventus, & exercitus Levitarum intra caſtra, & caſtra eorum erant quatuor miliarium in quadrum: proficiſcebantur in medio; ut caſtrametabantur, ita proficiſcebantur, ſuo quilibet ordine, convenienter ſuo vexillo.

Verſ. 18. Vexillum caſtrorum *Ephraimi* per exercitus ſuos, caſtrametabatur Occidentem verſus; & caſtra eorum erant quatuor miliarium in quadrum; inſignia verò illorum erant trium colorum, referentium tres lapides in pectorali, Cyanum, Achatem & Amathyſtum; erantque inibi inſcripta nomina trium Tribuum, *Ephraimi*, *Manaſſis*, & *Benjaminis*; inque medio hæc verba; &c. וענן עליהם ביום. *Et nubes Domini erat ſuper ipſos de die, quando proficiſcebantur è caſtris.* Picta etiam erat forma pueri. Princeps autem, qui præpoſitus erat Exercitui filiorum *Ephraimi*, erat *Eliſchamas* filius *Ammihudis*.

Verſ. 19. Et exercitus ejus ac numerati Tribus ejus, erant quadragies mille quingenti.

Verſ. 20. Et juxta illum Tribus *Manaſsis*, & Princeps, qui præpoſitus erat Exercitui Tribus filiorum *Manaſſis*, *Gamaliel* filius *Pedah-tzuris*.

Verſ. 21. Et exercitus ejus ac numerati Tribus ejus, erant tricies bis mille ducenti.

Verſ. 22. Tribus *Benjaminis*, ac Princeps, qui erat præpoſitus exercitui Tribus filiorum *Benjaminis*, *Abidan* filius *Gideoni*.

Verſ. 23. Et exercitus ejus & numerati Tribus ejus erant tricies quinquies mille quadringenti.

Verſ. 24. Omnes numerati caſtrorum *Ephraimi* erant centies octuagies mille centum per Exercitus ſuos; & hi in tertiâ acie proficiſcebantur.

Verſ. 25. Vexillum caſtrorum *Danis* Aquilonem verſus, & caſtra illorum quatuor milliarium in quadrum: & inſignia eorum erant trium colorum, referentium tres lapides in pectorali, Beryllum thalaſſium, Sardium & Jaſpidem; erantque inibi inſcripta nomina trium Tribuum, *Danis*, *Naphtali* & *Aſeris*; inque medio hæc verba, יבנחה ואמר שובה יהוה ביה אלפו ישראל, *Cum verò quieſceret illa, dicebat, Revertere Jehova ad myriadas, ad millia Iſraëlis.* Picta etiam erat forma ſerpentis vel aſpidis. Princeps, præpoſitus exercitui filiorum *Danis*, *Abihezer* filius *Ammiſſchaddai*. Hinc porrò ad finem uſque Capitis textum Hebræum exacte ſequitur; quare labore plura vertendi ſuperſedeo. Unum hoc Lectorem habeo monendum, me lapides pretioſos, quorum mentionem facit, non exacte ſuis nominibus è Chaldæo expreſſiſſe; ſed ſecutum eſſe Biblia Anglicana Genevæ verſa, quæ ſola iſtâc linguâ eo tempore mihi erant ad manum. Niſi etiam hoc addendum ſit, tempora præterita & futura à Chaldæo eſſe confuſa; ideoque in iis minus me fuiſſe ſollicitum.

CAP. LIV.

De Jobo.

DUm Iſraël in *Ægypto* commoratur, *Job Arabiam* incolit, homo gentilis, & eo non obſtante vir tantæ probitatis; cujus *Patria*, ut *S. Gregorius* affirmat, *eo fine indicatur, ut viri probitas tanto fiat illuſtrior.* Tempus, quo vixit, colligi poteſt ex ejus ipſius & amicorum, qui ipſum inviſerunt, Genealogiâ. Deus quoque Capite primo & ſecundo ait, *non eſſe in terrâ hominem parem ei probitate*: quod documento eſt, *Abrahamum*, *Iſaacum* & *Jacobum*, itemque *Joſephum* vitâ jam defunctos fuiſſe, nec non *Moſen*: medio enim inter *Joſephum* & *Moſen* tempore *Iſraël* ſeipſum corrupit per idola *Ægyptia*, & in *Iſraële* (ubi, ſi uſpiam vir probus extaret, inventum iri veriſimile erat) nemo par *Jobo* reperiebatur. Ita dum *Iſraël* colit Idola, & Eccleſia deficere incipit in *Jacobo*, habet Deus in *Arabiâ*, cujus in domo erat parva Eccleſia. Cauſam quilibet habet ſuæ ſalutis ergo annotandi, *Satanam* noviſſe *Jobum*, ſimulac Deus de eo mentionem injicit.

Quando Angeli ſe ſiſtunt coram Deo, Satan Diabolus inter eos eſt.	ita	Quando Diſcipuli cum *Chriſto* ſunt, *Judas* Diabolus inter eos eſt.

Pharao in *Ægypto* affligitur à Deo.	*Job* in *Arabiâ* affligitur à Diabolo.
Hujus afflictiones indurant eum adverſus Deum.	Iſtius afflictiones indurant eum adverſus Diabolum.

Jobi liberi, dum convivia celebrant, opprimuntur ruinâ domus.	*Philiſtæi*, dum ludunt, itidem opprimuntur ruinâ domus, *Jud.* 16.

Job affligitur, ut milites 2. *Reg.* 1. ſcilicet per ignem.

Digitized by Google

Per captivitatem ut cives *Tſiklagi*, 1. *Sam.* 30. ut *Ægyptii* amiſſione liberorum, *Exod.* 12.

Et ut iidem *Ægyptii* per ulcera, *Exod.* 9.

Et (quæ non minima erat calamitas) ut *Adam*, per mulierem prava conſulentem.

Job tres viros ſecum habebat, quando ſtatus ejus per afflictionem eſt commutatus.	Similiter	*Chriſtus* tres viros ſecum habuit, quando forma ejus glorioſè commutatata eſt: qui tres ut adſuerunt *Chriſto*, quando *Moſes* & *Elias*,

Lex & Prophetia, locuti illi ſunt *de exitu, quo futurum erat ut defungeretur in Hieruſalem*, *Luc.* 9: 31. ita adſuerunt ei, quando ipſe eadem illa cœpit exequi, *Matth.* 26: 37.

CAP. LV.

Numina Ægyptiorum, ex Athenæi Deipn. lib. 7.

ANaxandrides libro de urbibus, ſermonem ad *Ægyptios* convertens, ita inquit.

Οὐκ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγώ,
Οὔθ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοοῦσ', οὔθ' οἱ νόμοι
Ἡμῶν. ἀπ' ἀλλήλων δὲ διέχουσιν πολύ.
Βοῦν προσκυνεῖς, ἐγὼ δὲ θύω τοῖς θεοῖς.
Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα,
Ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παραπολύ.
Οὐκ ἐσθίεις ὕεια, ἐγὼ δέ γ' ἥδομαι
Μάλιστα τούτοις: Κύνα σέβεις, τύπτω δ' ἐγώ,
Τοὔψον κατεσθίουσαν ἡνίκ' ἂν λάβω.
Τοὺς ἱερέας ἐνθάδε μὲν ὁλοκλήρους νόμος
Εἶναι, παρ' ὑμῖν δ' ὡς ἔοικεν ἀπηργμένους.
Σὺ μὲν τὸν αἴλουρον κακὸν ἔχοντ' ἢν ἴδῃς
Κλάεις, ἐγὼ δ' ἥδισ' ἀποκτείνας δέρω.
Δύναται παρ' ὑμῖν μυγαλῆ, παρ' ἐμοὶ δέ γ' οὔ.

Ita gentilis idolatra unus deridet alterum, quia adorat (ut alter exiſtimat) Numina magis ridicula. Ipſe gentilis homo jocari poteſt ac cavillari in ipſorum vanos Deos: quâ re *Dionyſius* ſe imprimis inſignivit. Maxima in hoc genere impietes fuit Pictoris, qui cum pingendam haberet ejuſcemodi Deam pro Civitate quâdam *Græciæ*, ubi coleretur, in tabella amaſiam ſuam expreſſit, fecitque ut adoratione culta fuerit. Et profecto quis hominum riſum tenuerit, videns (quemadmodum Poëta noſter canit) *Ægyptium* flexis genibus adorantem canem, vel preces fundentem ab bovem; vel præcipuè conſpiciens illum mœrentem ac lamentantem felem ægrotantem, præ metu ne ſcalpturiens ſuus Deus moriatur.

CAP. LVI.

De Lege per Adamum *violatâ.*

QUando Deus Paradiſum *Adamo* habitandum dedit, Lex inſtar codicilli locationis inter utrumque fuit: cujus fœderis requiſitis cum non ſatisfaceret *Adam*, ſeipſum ac nos unà univerſos perdidit. Deus aliquam legis partem illi recitavit, priuſquam laberetur, quæ * ſepis inſtar ei eſſet, illum retenturæ in Paradiſo: at quando non eſt viſum *Adamo* ullis terminis contineri, hæc lex, veluti gladius flammans introitu Paradiſi, ipſum illiuſque poſteritatem nunc detinet foris. *Adam* tantum audivit in horto, quantum in monte *Sinai Iſraël*. Sed verba duntaxat fuere pauciora, & tonitru abfuit. Lex ei leniùs data fuit ante lapſum; at pòſt tonitru eam eſt comitatum.

* *Judæi in ſcriptis ſuis eam phraſim de Lege frequenter uſurpant, ut videre eſt in Pirke Abboth*

Adam uno ictu fregit ambas tabulas atque omnia præcepta.

I. Alium ſibi Deum elegit, quando Diabolum ſequebatur.

II. Proprium ventrem convertit in Idolum ac Deum, ut loquitur Apoſtolus, *Quorum Deus venter eſt.*

III. Nomen Dei accepit in vanum, quando ei non credebat.

IV. Non ſervavit quietem ſtatumque, in quo illum Deus collocaverat.

V. Contumelia affecit patrem ſuum, qui erat in Cœlo; quare dies illius pauci fuerunt in eâ terrâ, quam illi Deus conceſſerat.

VI. Interemit ſeipſum omnemque ſuam poſteritatem.

VII. Quoad *Evam*, virginitatem gerebat integram: at oculis atque animo commiſit ſcortationem ſpiritualem.

VIII. Furatus eſt, ſicut *Achan*, quod Deus ſepoſuerat, & tangi vetuerat; furtumque ejus, ut *Achanis* totum *Iſraëlem*, totum mundum conturbavit.

IX. Teſtimonium perhibet adverſus Deum, quando teſtimonio Diaboli majorem fidem habuit, quam Deo.

X. Cupiditate nefariâ concupivit, ut *Amnon*; quod jacturâ vitæ illi atque omni ejus poſteritati conſtitit.

Quam numeroſa peccatorum ſoboles uno peccandi actu producta eſt! Faſtus cordis & deſiderium amplioris ſcientiæ, *Hamanis* ſimile ambitioni, nos ſubvertit. Peccatum hoc conceptum erat in cœlo per Angelos malos; ſed ejectum unà cum iis, neque eò unquam poſtliminiò introiturum. Hinc peccatum adeo ſuperbire geſtit, quia primam ſedem atque originem ambit.

Digitized by Google

ambit. Non de nihilo eſt, verba illa, *Beati pauperes ſpiritu*, in ſermone Chriſti, *Matth.* 5: 3. eſſe omnium prima, cum ſuperbi ſpiritu primi omnium peccatores fuerint.

CAP. LVII.

De Lege latâ in Sinai.

QUando *Iſraël* liberatus erat ex durâ ſervitute *Ægypti*, novo eos hero addixit Deus, ſibi ſcilicet ipſi. Syngrapham pacti mutui conſcripſit in monte *Sinai*. Loco eo, in quo *Moſes* anteà cuſtodierat gregem ovium, nunc multitudinem hominum curat. In latione Legis iſtic loci, ſi cum *Iſraële* loco tuo velis conſiſtere, multa animadvertenda obſervabis.

CAP. LVIII.

Cur hoc tempore, & non antea, Lex promulgata ſit.

IN *Sinai* nihil novi traditum eſt, cum Lex quodammodo anteà cognita fuerit. Sacrificium uſurpatum fuit ab *Adamo* in horto, quando corpora beſtiarum oblationi pro illorum animabus inſerviebant, pelles verò contectioni corporum illorum. *Cain* & *Abel* hanc cultus Divini rationem ex patris inſtitutione hauſerunt. Diviſio beſtiarum in mundas atque immundas *Noacho* non fuit ignorata, quando accedebant ad illum vitæ causâ, ut ad *Adamum* acceſſerant nominum habendorum gratiâ. *Abraham*, quando * fœdus cum eo iniit Deus, *Geneſ.* 15. beſtias atque aves diviſit ac non diviſit, planè ut juſſerat Deus, *Lev.* 1: 6, 17. & conſimiliter de cæteris. Patres edocere hæc liberos ſuos poterant, ut illi ipſi eadem à patribus ſuis edocti erant. At ubi homines multiplicari incipiebant, & multitudo magis evadere improba, detrectabant ora præbere fræno Legis, cujus non alium authorem noverant, quam patres: & cum homines non niſi breve tempus, ſi cum prioribus compararentur, viverent, ſicque plenam legiſlationem in ſuis familiis videre non poſſent: & quando Deus eduxit ſibi populum ex Ægypto, & fundamenta poſuit glorioſæ Eccleſiæ per ſigna & miracula, exiſtimavit eſſe utile ad eos cohibendos, nec non * à Gentibus diſtinguendos, Legem ferre ore proprio pronuntiatam, quo major erga ipſum eſſet reverentia: Nam *cælum & terra non poſſunt non auſcultare, quando Dominus loquitur*, *Eſaj.* 1: 2. Quod * Ethnicis cauſa extitit fingendi, ſe Leges ſuas ab aliquo Numine accepiſſe; quod quamvis nullibi apparuiſſet, leges tamen illorum tanto majori cum curâ fuerunt obſervatæ.

* *Ita loquuntur Biblia Genevenſia in margine. Sed Rabbi Salomon dudum antè ita ſcripſit; Conſuetudo eorum eſt, qui foedera ineunt, dividere beſtias in duas partes, perque medias partes tranſire, ut eſt Jer.* 24: 18. *Ita & Deus per haſce medias tranſiit in furno hoc fumante & lampade ardente. De faciendis foederibus ejus generis Homerus haud diſſimiliter loquitur.*

* *Vide Jarchi in Ruth. Cap.* 1.

* *Numa, Minos, &c.*

CAP. LIX.

De loco, quo Lex lata fuit, deque modo illius.

DEus Legem ſuam tulit in *Arabia*: ita impius *Mahomet* ſuam in *Arabiâ* prodidit; quarum hæc res deterior fuit, illa præſtantior, quam una regio unquam produxit. Deus ſuam legem tulit in *Sinai*, loco dumoſo, ut * vox videtur innuere; conveniens cum re naturæ adeo perplexæ. Attende ad Scripturæ ordinem, Lector benevole, dum eam legis; & animadverte, obſecro, Legem *Moſis* duobus locis latam fuiſſe, in *Sinai* ſcilicet, & Tabernaculo; unàque intellige alteram Legis partem ad ſolos pertinere Judæos, alteram verò totum mundum ſpectare. Lex Ceremonialis, quæ ad ſolos Judæos pertinuit, data fuit *Moſi* privatim in * Tabernaculo; & ſimul cum Tabernaculo concidit, quando aulæum fuit diſruptum. Lex Moralis ſpectat totum mundum, & in mundi totius conſpectu fuit edita, in montis videlicet cacumine, & perdurare debuit quamdiu mons ullus loco ſuo ſtaret. Lex Judicialis, quæ magis indifferens eſt, ſtareque aut cadere poteſt, prout Reipublicæ maximè videtur expedire, neque adeo propalam edita fuit quam una, neque adeo privatim quam altera, ſed modo inter utrumque medio.

* *Seneh dumum ſignificat, Exod.* 3.

* *Lev.* 1.

Lex in *Sinai* edita eſt cum igni & tubis; ita Chriſtus cum igni & tubâ veniet die noviſſimo, exploraturus, quo pacto homines obſervarint Legem hanc igneam, ut appellatur *Deut.* 33: 2. Ignea dicitur, *quia ab igni edita eſt, ut Targ. Hieroſol. & Babylon. exiſtimat*: quanquam, ut ego arbitror, amplius quid iis verbis ſignificatur: legitur enim *Eſh Dath*, quod verti poteſt *Ignis edicti*.

CAP. LX.

De virtute Legis.

LItera Legis mortua eſt; ſed ſpiritus conciliat vitam. Judæi literæ inhærent, & operibus ejus arbitrantur ſe vitam lucraturos; ſed Apoſtolus paſſim eos refutat. Arbitror ſcopum Parabolæ Chriſti, *Matth.* 20. de denario non aliud ſignificare. Quidam vineam ingreſſi ſunt circa Auroram Diei, ſive ſeculo ante diluvium; quidam horâ tertiâ, ſive tempore ante Legem; quidam horâ ſextâ & nonâ, ſive ſub

Vide Hilar. & Hieron. in h. l.

ſub æſtu ac onere Legis Judaicæ; quidam deniquc horâ ultimâ, ſub Euangelio. Qui ſub Lege ſunt, cauſam agunt meritorum, dicuntque, Nos portavimus æſtum ac pondus diei: id eſt, ſumptuoſa ſacrificia, anxias ceremonias, &c. quibus dominus reſpondet, denarium hunc eſſe ſuum; ſique eum alicui largiatur, non meriti ejus eſſe, ſed ſuæ gratiæ fructum. *S. Paulus* Legem appellat Pœdagogum, & ejuſmodi eſſe certum eſt; & Pœdagogum quidem talem, cujus mentionem faciunt *Livius* & *Florus*, qui pueros fidei ſuæ commiſſos perduxit ad *Hannibalem*, qui niſi magis is miſericors fuiſſet, quam crudelis, omnes periiſſent. Ita illi, qui operibus Legis nituntur, tandem per Legem adiguntur venire ad *Chriſtum*, qui, cum majoris ſit miſericordiæ quam Lex, eos liberat. Et ſi bene rem expendas, deprehendes, ut totam Legem, ita ſingulas partes, nos ad *Chriſtum* ducere. Lex Moralis oſtendit nobis, quid faciendum incumbat; atque eodem intuitu deprehendimus vires nobis ad hoc explendum deeſſe. Hoc nos ad quærendam legem Ceremonialem incitat, ut reperiamus ſacrificium aliquod vel ceremoniam, quæ pro obedientiâ non præſtitâ reſpondeat. Hic animadvertimus combuſtionem corporis beſtiæ vitâ caſſæ ſatisfactionem valdè exilem eſſe pro peccatis hominum vivorum; & præthereà purificationes ipſorum hominum parum valere ad mundandam impuram animam. Hæc igitur Lex nos tradit Legi judiciali; & per eam intelligimus quid meriti ſimus; & ſic tandem cogimur requirere Chriſtum * Jeſum: *Neque enim aliud nomen eſt, per quod nos oporteat ſervari.* Parabola, quam Servator proponit decimo *Lucæ*, nonnihil, ut autumo, habet, quod huc pertinet. *Vir quidam*, inquit, *deſcendit ab Hieruſalem in Jericho, & incidit in latrones, & exſpoliarunt eum ſuis veſtibus, & plagis impoſitis abierunt relicto ſeminece. Quidam autem Sacerdos deſcendit per eandem viam; qui viſo eo ex adverſo præteriit. Similiter & Levita venit per eandem viam, qui viſo eo itidem ex adverſo præteriit. Sed benignus quidam Samaritanus venit*, ut Textus habet, *qui hominem miſeratus, in vitâ ſervavit, hoſpitium procuravit, & impenſas diſſolvit.* Hujuſmodi eſt homo, qui incidit in Satanam, Peccatum & Mortem; & ab illis equo dejectus, ſpoliatus & vulneratus fuit. Satan dejicit eum ſuâ innocentiâ, quæ ſuſtinere ipſum debebat. Peccatum exuit eum omni ſuâ juſtitiâ, quæ veſtire ipſum debebat. Mors infligit ipſi reatum, & vulnerat eum. Hîc conſpicitur vir verſatus in ſtatu miſerabili; neque quiſpiam eſt, qui eum adjuvet. Appropinquat Sacerdos, id eſt, principio veniunt Sacrificia Legalis Sacerdotii, eaque juxtà quidem prætereunt, at nihil valent, & nullum ei auxilium poſſunt præſtare. Appropinquat Levita, id eſt, Ceremoniæ Legis Judicialis; eæque quidem juxtà prætereunt, at nihil valent, neque quicquam illi auxilii præſtare poſſunt. Demum etiam Sacerdos appropinquat, id eſt, Angeli vident ipſum, ſed loco ſuo jacentem deſerunt, neque enim opem ferre valent. Appropinquat Levita, id eſt, homines & totus mundus cum hoc ſtatu conſpiciunt, ſed ſolum in perpetuum relinquunt; non enim ei auxiliari noverunt. Sed appropinquat benignus Samaritanus, id eſt, ipſe Servator, qui Samaritanus eſt appellatus, & dictus Dæmonium habere, qui hominem miſeratus, à morte ſervavit, hoſpitium attribuit, & ſumptus ipſe contulit. Miſeratus eſt eum ipſis viſceribus; inde dixit; *Ita vivam, ut nolo mortem peccatoris.* Servabit ipſum proprio ſanguine; ideo dictum eſt, *Per plagas ejus ſanatio nobis facta eſt.* Hoſpitium ei præbet in Eccleſia ſuâ; ideo inquit Eccleſia, *Introduxit me in locum vini, habens pro vexillo amorem erga me.* Et ſolvit pro eo, quicquid conſumpſerit; ideo dicit, *Torcular calcavi ſolus.*

Narratur in hiſtoriâ *Regum*, *Eliſam*, cum ſuſcitandus eſſet filius *Sunamitidis*, emiſiſſe primùm ſcipionem ſuum, qui mortuo imponeretur; quod fruſtra fuit: at ubi ipſe *Eliſa* accedebat, atque incumbebat puero, ori ejus imponens os, & oculos oculis, & manus manibus, puer vitam recepit. Ita cum homo mortuus eſſet in lapſibus & peccatis, ut loquitur Apoſtolus, *Epheſ.* 2. Deus * ſcipionem ſive virgam Legis ei impoſuit; ſed quæ inde ad vitæ viriumque recuperationem utilitas? Scilicet ut deſiderium injiceret ardentius *Eliæ* ſive *Chriſti*; qui cum accederet, & os ſuum ori hominum imponeret, & naturam humanam in carnis aſſumptione exoſcularetur, oculoſque oculis & manus manibus imponeret, & quæ agendo homo commiſerat ipſe patiendo expiaret, homo vitæ ſuæ eſt reſtitutus. Deus libro *Eſajæ*, quando Prophetam miſſurus erat ad *Iſraëlem*, inquit; *Mi eſhlah: Quem miſſurus ſum, vel quis ibit nobis? Eſaj.* 6: 8. Quæ verba Judæus *Kimchi* ita per paraphraſin explicat. *Shalahti eth Micah, VVehem maccim otho: Shalahti eth Amos, VVehem Korim otho * Peſiluſa.* Miſi *Micham*, & percuſſerunt eum; miſi *Amoſum*, eumque dixerunt balbum. Quem miſſurus ſum, & quis ibit nobis? Tunc *Eſajas* dixit, Ecce me, me mittito. Concipe te poſt lapſum hominis, Deum videre id agentem ut mitteret magnum quempiam Prophetam, non modò ad *Iſraëlem*, ſed mundum univerſum, non

* *Erat Jeſus ſive Joſua, & non Moſes ſive Lex, qui nos introduxit in terram Canaanis.*

* *Pſalm.* 23.

* *Amos Hebraicè eum notat, qui linguâ gravis eſt: qualem Kimchi appellat Peſeluſa, à Græco* ψελλὸς, *blæſus.*

non docendi tantum gratiâ, ſed redimendi etiam. Fac audire te eum in hunc modum percunctantem, Quem miſſurus ſum, ut reſtituat lapſum hominem, & quis nobis ire cupit? Nunquid Angelos mittam? At creaturæ illæ ſunt, ideoque finitæ, unde infinitæ meæ juſtitiæ non ſunt ſatisfaciendo. Nunquam mittam ipſum hominem? Heu, quanquam aliquando potentiâ erat præditus non labendi, at nunc potentiâ ſuſcitandi ſeipſum deſtituitur. Miſſuruſne ſum beſtias, quæ ſeipſas pro ipſo offerant? Heu, an combuſtio mortuæ beſtiæ ſatisfacere poteſt pro peccatis hominum omnium vivorum? Quem miſſurus ſum, & quis nobis ire cupit? Servator paratus eſt ad reſpondendum cum *Eſaja*, *Ecce me*, *me mittito.* Ego adſum, idoneus qui exequar; volens qui mittar. Idoneus ſum, quia ſum Deus; volens, quia futurum eſt ut fiam homo. Deus ſum; & ſic explere poſſum legem, quam homo violavit. Futurum eſt ut fiam homo, ut ſic mortem ſuſtineam, quam homo eſt meritus. Ecce me, me mittito. Tunc, ut nonnemo ex martyribus noſtratibus moriens cecinit, canenere nobis omnibus licet viventibus: *Nemo niſi Chriſtus, nemo niſi Chriſtus.* Nemo niſi Chriſtus eſt curando vulneratum viatorem: Nemo niſi Chriſtus ſuſcitando mortuum Sunamitidis; Nemo niſi Chriſtus inſtaurando lapſum genus humanum; Nemo niſi Chriſtus voluit; Nemo niſi Chriſtus potuit: Non Angelus, non homo, non creatura ulla, non ſacrificium, non ceremonia præſtare pro nobis vel voluit, vel potuit, quod præſtare pro nobis ipſis non poteramus, & dicere *Torcular calcavi ſolus.*

Poſtquam Lex Ceremonialis & Judicialis ita nos perduxerunt ad *Chriſtum*, licet nobis iis valedicere. Sed aliter longè ſe res habet cum Morali; ubi enim auxilio ſuo nos eò perduxit, ejus porro officii eſt, ſuo auxilio nos iſtic retinere. Neque enim venit *Chriſtus*, ut abroget hanc legem, ſed ut eam compleat; non ab eâ nos abſolvit, ſed opem fert ut cuſtodiamus eam. Quid aliud eſt Euangelium, niſi ipſa Lex ſub lenioribus terminis Fidei & Reſipiſcentiæ? Quod eſt, quandoquidem obſervare legem nequimus, tamen, quantum quimus, ad obſervandam illam contendere, & duci pœnitentiâ, quod non obſervaverimus, & niti ejus meritis, qui obſervavit eam pro nobis. Ita quemadmodum amor Dei & proximi veteris Legis ſumma eſt, ita vera fides & reſipiſcentia non ſimulata compendium eſt novæ. Hoc argumentum fuit verborum *Chriſti*, quæ poſt baptiſmum prima eſt prolocutus, *Marc.* 1: 15. ſimiliterque illorum, quæ ante aſcenſum prolocutus eſt omnium poſtrema, *Marc.* 16: 16.

CAP. LXI.

De Decalogo.

DEcem præcepta appellare licet verba verborum Dei; quanquam enim tota Scriptura ejus verbum eſt, hæc tamen ſpeciali quodam jure illius Scriptura dicuntur, utpote in quibus ſe ipſum ſibi ipſi ſcribam atque amanuenſem fecit. Ex his Præceptis Lex tota & Prophetæ pendent; præcepta verò ipſa ex duobus officiis, Diligere Deum & proximum. Brevior ejus ac plenior explicatio non eſt quærenda, quàm dedit Servator, *Luc.* 10: 27. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totis viribus tuis, & ex totâ cogitatione tuâ: & proximum tuum, ut te ipſum.* Quatuor præcepta prioris tabulæ exponit verbis quatuor.

Dominum Deum tuum; hîc præfatio eſt, Ego ſum Dominus, &c.

Diliges Dominum, &c. *ex toto*

Corde.	ratione.	Primi	Præcepti.
Animâ.		Secundi	
Viribus.		Tertii	
Cogitatione.		Quarti	

Si opus ſit nobis expoſitione aliquâ ulteriori, quæ expoſitionem hanc Servatoris magis perſpicuam faciat, facile invenietur, veluti, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto*

Corde.	Ea enim	Creavit,
Animâ.		Redemit,
Viribus.		Cuſtodivit,
Cogitatione.		Illuſtravit.

Ideoque *diliges illum ex toto*

Corde.	ſine	Voce inani.
Animâ.		Hypocriſi.
Viribus.		Apoſtaſiâ.
Cogitatione.		Errore.

Hoc eſt primum & magnum mandatum; ſecundum autem ſimile eſt huic, Diliges proximum tuum ut teipſum. Hoc multum lumen fœneratur ſecundæ tabulæ; dimidiæ enim parti præceptorum illius deſunt objecta, quò officia ſint referenda. Præceptum primum objectum ſuum habet, *Honora patrem tuum, &c.* Penultimum item ſuum habet, *Non dices falſum teſtimonium adverſus proximum tuum.* Similiter ultimum etiam habet ſuum, *Non concupiſces quippiam, quod ſit proximi tui.* Sed, quando dicitur, *Non occides, Non furaberis, Non committes adul-*

Digitized by Google

adulterium, objectum nullum additur, nec explicatur, quem non liceat occidere, cum quo non liceat adulterium committere, à quo non liceat furari. Proptereà quia ipſi objectum hîc ponere debeamus, & Præcepta ad nos ipſos referre, in hunc modum: Non occides, primò non te ipſum; ſecundò, non proximum tuum, & conſimiliter in cæteris. Judæi juſto audacius objectum anguſtius addere non dubitarunt; ut apparebit inſpicienti expoſitionem illorum in tria hæc præcepta. Et Hæretici quidam juſto timidius aliquibus ex illis dederunt objectum * juſto largius.

Præceptum quintum Decalogi annexam habet promiſſionem; & petitio quinta Orationis Dominicæ annexam habet conditionem.

De exactâ punctationis ratione in hâc Scripturæ parte, Decalogo ſcilicet, dicere ſuperſedeo; quæ planè ſingularis eſt, & nonnulla habet prorſus advertenda.

Judæi collegerunt ſexcenta & tredecim Præcepta Negativa & Affirmativa, quæ inveniantur in totâ Lege, juxta numerum totidem literarum, quæ continentur duabus Tabulis, & totidem venarum & membrorum in humano corpore. Ordinem horum Præceptorum deſcripſerunt in margine Pentateuchi cum triplici Targum, editionis Hannovienſis, & in *Sepher Habhinnuch*. Illorum aliquot centurias in Linguam Anglicanam jam transfuderam, reliquaque cogitâram abſolvere, & producere in conſpectum Lectoris; ſed didici ea, abſque commentationibus, quibus Judæi ſuas iſtas diviſiones explicuerunt, difficulter poſſe intelligi: quas eruere res foret non exigui temporis & laboris. Hæc autem, quæ inter legendum obſervavi atque collegi, accipe, humane Lector, & quæ inibi errata inſunt, oculo propitio tranſi, ceu errata juventutis, quæ maturior ætas corrigat, ſi vota optimus Deus ſecundet: cui ego me ipſum & te commendo, cuique ſit honor & gloria ſempiterna.

Amen.

* *Marcion enim vetitum eſſe contendebat, beſtiam occidere, quia Præceptum, Non occides, certo objecto caret, Aug. de Civit. Dei, lib. 1. cap. 20.*

FINIS.

HAR-

Digitized by Google

HARMONIÆ
Quatuor Euangeliſtarum,

tum inter ſe, tum cum

VETERI TESTAMENTO,

PARS PRIMA;

Deducta à principio Euangeliorum ad SERVATORIS uſque Baptiſmum:

Unà cum explanatione præcipuarum difficultatum, quæ tum in Linguâ, tum in ſenſu occurrunt.

Digitized by Google

Digitized by Google

EPISTOLA
AD
LECTOREM.

Benigne Lector,

VElum Sanctuarii ſuſtentabatur quatuor columnis, & magnâ operis colorumque varietate erat elaboratum. Ita Hiſtoria veli carnis Chriſti, quemadmodum ea apud quatuor Euangeliſtas extat, illiuſque textura, opus eſt conſimilis varietatis. Unus enim refert, quod alter omiſerat; unus latius deducit, quod alter preſſius contraxerat: unus planius exponit, quod alter obſcurius innuerat; unus loco priori enarrat, quod alter in poſteriorem rejecerat; quodque unus uno modo explicat, alter explicat alio. Sicque illi ſua ſinguli conferunt ſymbola, vario contexta artificio, diverſa colore, ſed non ſubſtantiâ; vária intexturâ, ſed non ſubtegmine: ad conſtituendum perfectum ac ſacrum aulçum & ſupellectilem in domo Domini: & diverſas habentes facies in modo ſcribendi & componendi, quemadmodum viva illa animalia apud *Ezechielem* atque in *Apocalypſi*; pulchrè tamen ac concorditer occurrunt, conficientes unum corpus & compagem perfectæ Hiſtoriæ. *Exodi* 36. 31, 32.

Partes haſce conſuere in unam telam, atque ita ordine ſuo diſponere ac collocare, ut filum Chronicaque Hiſtorię methodus requirit; hoc opus, hic labor eſt. Sed quanquam ea res laboris & moleſtiæ eſt pleniſſima, labore tamen & induſtriâ poteſt ſuperari. Etenim in locis compluribus, ubi ordo narrationis immutatur, Textus oſtenderat, quę ſedes eſſet propria partibus illis loco ſuo emotis, quęque vera eſſet ratio, eas ad viciniam naturalem transferendi. In omnibus verò locis tam eſt iſta demonſtratio certa, quanquam in aliquibus obſcurior, ut præſidio ſerii ſtudii & circumſpecti examinis omnia ſine dubio ullo ad ſuas ſedes queant transferri. Magni complures ac eruditi viri, tam antiqui quam novi, tam Romanenſes quam Proteſtantes, laborarunt in hoc opere; ſed vix aliquis, vel nullus potiùs omninò, vernaculâ linguâ tam plenè atque ampliter, quam opus ejus indolis requirebat. Id verò me incitavit tandem, quanquam ad penſum tantæ eruditionis, judicii ac gravitatis omnium minimè idoneum, ut manum huic operi ipſe admoverem; utque, ſi fieri per meam caliginem poſſet, lucem aliquam & facilitatem Hiſtoriæ Euangelicæ afferrem; conferremque, quantum mea valeret paupertas, ſacrum aliquod ſymbolum ædificationi *Sionis*.

Methodus, quam mihi ipſe in hoc conatu pręſcripſi, cujuſque ſtricturas aliquas in præſenti parte licebit animadvertere, erat ejuſmodi; ut I. Textum Euangeliorum eo diſponerem ordine, quem conditio Hiſtorię ac continuatio neceſſariò requirit. II. Rationem redderem hujus ordinis, atque explicarem, quare Textus ad eum modum diſpoſitus ſit ſive prolixius, ſive contractius, prout vel evidentia, vel difficultas connexionis poſtulat. III. Rationem etiam aliquam darem difficultatum in linguâ Orientali, ut obviæ erant, ſive in textu Gręco illæ reverà ineſſent, ſive, ubi nullæ inerant, per curioſitatem, perverſam conſtructionem vel detorſionem Expoſitorum eſſent excitatæ. IV. Utque ad ultimum illuſtrarem atque aperirem ſenſum mentemque Textus ſecundum univerſum illius filum, ſpeciatim ubicunque abſtruſior atque obſcurior occurrebat.

Duo hæc poſteriora tentavi, & aliquò uſque in opere proceſſeram, abundanter omnia & copioſè executus, tam quoad linguam, quam ſcribendi rationem. Quippe quantum ad prius, Græca non in ſuæ tantum Regionis aut Septuaginta interpretum bilance expendi; ſed ad calculum inſuper vocavi variarum linguarum verſiones, produxi earum ſenſum, & cauſam indicavi, cur iis putarem adhærendum, vel ſecus.

Quantum verò ad poſterius, allegavi varias expoſitiones atque interpretationes Com-

Digitized by Google

mentatorum, ſive veteres illi eſſent, ſive recentiores; tum ſi qui alii ex occaſione ad hunc illumve Textum accommodatè aliquid ſcripſiſſent, illorum ego expoſitiones examinavi, & Lectori ſuggeſſi rationem eas vel rejectandi, vel amplectendi, prout res ipſa viſa eſt requirere. Verum enim verò, ubi animadvertebam opus ſurrecturum hâc ratione ad molem, quæ in ſe eſſet nimia, & Lectori crearet moleſtiam; malui primam hanc partem contrahere, velut in ſpecimen. In hâc itaque ea tantum pertractavi, quæ momenti erant majoris ad textus intelligentiam, ubicunque ille minus erat planus (in iis enim, quæ plana ſunt ſatis, cur tempus & laborem velim perdere?) ſuperque ea in medium attuli cogitationes meas; prętermiſi verò (niſi eſſet guſtus præbendi cauſâ in iis, quæ præ manibus habebam) gloſſas ac cogitationes aliorum. Et nunc quidem expecto ab eruditis meis ac percharis amicis & Lectoribus unde diſcam, utrum exhibendæ ſunt & aliæ partes, quæ (Deo benedicente & clementer aſpirante noſtris ſtudiis) vel amplâ illâ ac voluminoſâ methodo, quam initio mihi pręſcripſeram, vel brevitate, quâ hęc pars prodit, conſequi debeant.

Factum autem eſt, partim judicio, partim neceſſitate, ut opus hoc emitterem per partes; quarum nunc quidem hæc ſola, eaque molis ſanè exiguæ, & ultra tamen deſtinatum tempus, publicè comparet. Judicio hactenus ſum obſecutus, quod mundo nollem negare mea ſuper Euangeliſtas meletemata, ad quæ Deus mihi non denegârat idoneum tempus. Et quis differendum ſibi quippiam in ejuſmodi opere arbitrabitur, donec totum abſolverit, qui vitam ſuam cogitabit tam eſſe brevem & incertam, opus autem tam longum & difficile? Deinde & hoc ſpectavi, ut hâc ratione tributum velut annuum penderem illuſtri nomini, * cui conatum hunc à primo momento, ex quo cogitare de illo cœpi, deſtinaram. Neceſſitate etiam adactus aliter non potui, cum quia occupationes meæ novæ, neque paucæ ſanè neque leves, tantum mihi ſpatii non permiſere, quantum tantæ molis negotium requirebat; tum quia temporum difficultas ad eas anguſtias redegit typotheticas officinas, ut libros non niſi rariſſime magnis voluminibus edant. Singuli itaque anni ſingulas protrudent partes, ſi Deus vitam nobis, ſanitatem & quietem conſervet.

Roberto, Comiti Eſſexiæ.

Plurima erant, quæ pręmittenda videbantur ejuſmodi operi; verum, quia futurum videbam, ſi omnia illa parti huic exili, quam hâc vice exhibemus, pręfigerem, ut Pręfatio ſive Prolegomena ipſo libro eſſent prolixiora; duxi partibus ſingulis, ut ordine proditura ſunt, ſua eſſe reſervanda. Illa verò, de quibus cogitavi, quęque in eum finem repoſui, ſunt quæ ſequuntur.

I. Conſtituere certum annum nativitatis Servatoris, quod certè multam operam meretur; & fundamenta certa jacere, quibus nitamur, ut anni ejuſmodi definitio indubiâ authoritate ſit munita, nullique obnoxia ambiguitati. Id me exhibiturum promiſi unà cum primâ hâc parte, in quâ nativitatis Servatoris Hiſtoria exponitur.

II. Inire numerum omnium Textuum atque hiſtoriarum, quęcunque per Vetus Teſtamentum ſede ſuâ ſunt motæ, quod locis oppidò multis factum eſt; oſtendere item, quæ propria iis ſedes & ordo ſit, & cauſam exponere tralationis in ſedem aliam: quæ cum adeo in Veteri Teſtamento frequens occurrat, facile intelliget quilibet, minus mirum atque alienum videri debere, ſi idem contingat in Novo.

III. Deſcriptionem Chorographicam conficere regionis *Canaanis*, locorumque conterminorum, quæ inter evolvendum Euangelium paſſim legenti ſe offerunt: quam ego rem eſſe contendo neceſſitatis non levis, & intellectui hiſtoriæ haud mediocriter conducentem.

IV. Conſtruere Topographicam deſcriptionem urbis *Jeruſalem*, & fabricæ Templi: quod locis in Euangelio plurimis, quibus non exigua ineſt obſcuritas, facem allucebit.

V. Enarrare nonnulla de ſtatu, deque moribus ac ritibus Judæorum, qui tempore cœpti primum atque annuntiati inter eos Euangelii obtinuerunt; petenda ex Judaicis & aliis etiam Scriptoribus: quæ cum Euangeliſtæ non commemorent, ad intelligendos tamen Euangeliſtas plurimùm conferunt.

Atque hæc ſunt, amice Lector, quæ tanquam ad rem præſentem imprimis neceſſaria, ſingulas partes ordine ſecuturas comitabuntur: modò Deo Optimo Maximo placuerit, viribus me idoneis inſtruere, tum otium atque incolumitatem largiri.

Weſt-monaſterii, è Muſæo meo,
1. *Octob.* 1644.

Digitized by Google

PROLEGOMENA.

Mundi ætas tempore nativitatis Chriſti conſtituta : ratio calculi probata : difficultates in Scripturæ Chronicis præcipuæ diſſolutæ.

IN hiſtoriis temporum, tempora hiſtoriarum præcipuam notitiam atque obſervationem exigunt ; maximè verò tempus nativitatis Servatoris, quod plenitudo eſt temporis, peculiari quâdam dignitatis prærogativâ id depoſcit. Tempus, in quod omnes ſancti, qui præceſſerant, oculos multo cum deſiderio conjecerunt ; & tempus, à quo Chriſtiani omnes, qui ſecuti ſunt, annos ſuos & ſecula denumerarunt. Et nihilominus quam tempus hoc ac mundi ætas eſt incerta! in quâ myſterium tam grande contigit, & unde tam generalis computatio dependet in variis calculis doctorum & induſtriorum hominum. Neque verò hoc ſolum in ſcriptis illorum videre eſt, quod eo magis mirandum ob magnam calculi, quo utuntur, diverſitatem ; ſed ob eandem cauſam, tantam ſcilicet computantium differentiam, tempus certum ſtudio tanto enixiori eſt inveſtigandum. Unica ratio, quâ in tantâ diverſitate firmi quid eſt conſtituendum, hæc eſt, ſumere planam ac perſpicuam temporis indicationem in Scriptura, quæ ſingulari quadam curâ utitur, ut exacta & maximè certa Chronica ad hoc uſque tempus exhibeat : non autem confugere ad computationem Olympiadum, *Conſulum, aut alterius cujuſcunque humani calculi, qui fieri non poteſt quin peritiſſimum quoque earum rerum relicturus ſit in ambiguo atque incerto. Scriptura itaque, computatione utens maximè fidâ, à principio temporis ad hoc ejus complementum, retulit rem hanc ingentem, admirandam atque exoptatiſſimam, nativitatem Redemptoris, ad annum mundi ter milleſimum, nongenteſimum vigeſimum octavum. Quod ut tanquam certum atque indubium aſtruamus in tanto diſſidentium divortio, rogatum volumus humanum Lectorem, ne grave ſit examinare nobiſcum particulares ſummas, per quas Scriptura ad totalem hanc aſſurgit, & conferre operam circa ſcrupulos in aliquot numeris, qui computationem reddunt perplexam & dubiam, & judicium ferre de ſolutionibus, quæ ad ſcrupulorum illorum expeditionem atque extricationem pertinent.*

Et profectò, quanquam negotium quod ei objicimus, longum quodammodo & difficile eſt, minimè tamen dubito, quin utilitas ſit laborem prorſus compenſatura, quando non tantum ſe experietur certum factum de tempore, quod hâc occaſione inquirimus, & verò Chriſtianus quilibet inquirere omninò debet ; ſed ubi contemplabitur inſuper, idque, quod fore certus ſum, non ſine ſummâ delectatione, admirandam, myſticam & aptiſſimam calculi ſubducendi rationem, quâ utitur Spiritus Sanctus, ſacrâ plenam majeſtate, atque allicientem Lectores ad ſtudium atque reverentiam ſui. Quanquam verò totum hoc videri poſſit πάρεργον *quoddam, & quod parum faciat ad opus, quod præ manibus habemus, redactionem ſcilicet Evangeliſtarum ad certam harmoniam : attamen quia res præcipua eſt, quam inquirere oportet in principio hiſtoriæ, quæ explicat vitam noſtri Servatoris, certum atque determinatum tempus nativitatis ejus exponere ; rogatum volo benevolum Lectorem, ut peccanti à dextrâ potius, quam à ſiniſtrâ, condonet, & boni conſulat nimium deſiderium ſatisfaciendi potius, quam tenue aut nullum.*

SECTIO I.

A Creatione ad Diluvium anni fuerunt 1656, ut colligitur è *Geneſ.* 5. 6. & 7. per haſce partes.

Adamo *anno ætatis* 130. *natus eſt* Set, verſ. 3.
Seto *anno ætatis* 105. *natus eſt* Enos, verſ. 6.
Enoſo *anno ætatis* 90. *natus eſt* Cainan, verſ. 9.
Cainani *anno ætatis* 70. *natus eſt* Mahalaleel, verſ. 12.
Mahalaleeli *anno ætatis* 65. *natus eſt* Jared, verſ. 15.
Jaredo *anno ætatis* 162. *natus eſt* Enoch, verſ. 18.
Enocho *anno ætatis* 65. *natus eſt* Methuſala, verſ. 21.
Methuſalæ *anno ætatis* 187. *natus eſt* Lamech, verſ. 25.
Lamecho *anno ætatis* 182. *natus eſt* Noah, verſ. 28, 29.
Noah *anno ætatis* 600. *videt Diluvium*, Gen. 7: 11.

In univerſum 1656. *qui integer mundi annus comprehenditur duratione Diluvii: à die* 17. *menſis ſecundi, ſive* Marcheſchvan, Gen. 7: 11. *ad diem* 27. *ejuſdem menſis numerantur menſes duodecim*, Gen. 8: 14.

SECTIO II.

A Diluvio ad mortem *Teræ*, atque ad promiſſionem tunc *Abramo* factam, anni fuerunt 427, ut apparet *Gen.* 11. per haſce partes.

Sem *anno* 2. *à Diluvio genuit* Arphaxad, verſ. 10.
Arphaxad *annos natus* 35. *genuit* Selam, verſ. 12.
Sela *annos natus* 30. *genuit* Heberum, verſ. 14.
Heber *annos natus* 34. *genuit* Phalegum, verſ. 16.
Phaleg *annos natus* 30. *genuit* Rehu, verſ. 18.
Rehu *annos natus* 32. *genuit* Serugum, verſ. 20.
Serug *annos natus* 30. *genuit* Nachorem, verſ. 22.
Nachor *annos natus* 29. *genuit* Teram, verſ. 24.
Tera *annos natus* 130. *genuit* Abramum.
Abramo *annos nato* 75. *facta eſt promiſſio*, Gen. 12: 4.

Promiſſio facta *Abramo*, Gen. 12: 1. anno mundi 2083.

In univerſum 427. *quæ ſumma addita alteri annorum* 1656, *ætati ſcilicet mundi tempore Diluvii, ſurgit ad annos* 2083. *Unde porrò conſequitur, promiſſionem* Abramo *factam fuiſſe anno mundi bis milleſimo octuageſimo tertio.*

Controverſia autem hic non levis exiſtit, utrum Abram *filius* Teræ *natu maximus fuerit, an ſecus? Si fuerit, natus eſt anno* 70. *ætatis* Teræ, Gen. 11: 26. *non verò, ut Tabula ſuperior diſponit, anno* 130. *Si filius natu maximus non fuerit, cur* Moſes *eum nominavit loco inter illos primo?*

Reſp. *Primo*; *Filius natu maximus non fuit: nam* I. *in matrimonio habuit filiam fratris* Haranis, (*eam enim fuiſſe* Saram, *apud omnes pro maximè probabili habetur*) *decem modò annis ætate ipſo inferiorem*, Gen. 17: 17 *quod fieri non potuit, ſi* Saræ *pater* Abramo *ætate fuit inferior.* II. *Dicitur natus eſſe annos tantum* 75. *quando ex* Harane *diſceſſit*, Gen. 12: 1. *id autem poſt patris mortem factum fuit*, Act. 7: 4. *At verò ſi natus fuiſſet anno* Teræ 70. *fuiſſet annorum* 135. *quando pater illius deceſſit. Itaque ratio ineunda eſt retrorſum in hunc modum; Quandoquidem annos tantum habebat* 75. *quando deceſſit pater, neceſſariò concludi, fuiſſe natum* Teræ, *cum is annorum eſſet* 130. *quemadmodum in Tabulâ eſt poſitum.*

Reſp.

Digitized by Google

Reſp. *Secundò, inter* Teræ *filios nominatur primus, ut* Sem *inter filios* Noæ, *non quod tempore primus eſſet, ſed dignitate.* Semum *enim* Noæ *primogenitum non fuiſſe, planum fit ex comparatione ſequentium locorum.* Gen. 5: 32. *dicitur,* Noam *natum fuiſſe annos* 500. *quando primum filium genuit: &* Gen. 7: 11. Noâ *annos nato ſexcentos, Diluvium aquarum terræ incubuiſſe; quo tempore unus ex filiis ejus natus fuit annos centum. At* Sem *annis demum duobus poſt id tempus eam ætatem expleverat,* Gen. 11: 10. *Attamen primus filiorum ejus appellatur,* Gen. 5: 32. *&* 6: 10. *&* 7: 13. *&* 9: 18. *&* 10: 1.

Sunt nonnulli, qui planâ hâc, neceſſariâ ac certâ difficultatis iſtius explicatione non contenti, ſtatuunt Abramum *bis in terram* Canaanis *iter inſtituiſſe, ſemel ante mortem parentis, iterum poſt eam: cum* Moſes *&* Stephanus *invicem diligenter collati, perſpicuè oſtendant contrarium; & rem plenè atque ſufficienter expediant. Quod verò hominibus illis cauſa errandi fuit de duplici in* Canaanem *profectione, hoc eſt, quod verba Dei,* Act. 7: 3. Exi è terrâ tuâ, &c. *& verba illius,* Gen. 12: 1. Exi è terrâ tuâ, &c. *acceperint, velut prolata de eodem tempore & loco: cum magna in ipſis verbis differentia inveniatur, & tempore itidem ac loco diſcrepent.* Stephanus *narrat,* Abrahamo *verſanti adhuc in* Meſopotamiâ *vel* Chaldeâ, verſ. 4. *necdum habitanti* Harane, *apparuiſſe Deum, ac dixiſſe,* Exi è terrâ tuâ, atque è cognatione tuâ; *ſed ne gry quidem addidiſſe de domo Patris: patrem enim & omnem ejus familiam ducebat ſecum, & unà cum iis per aliquod tempus habitavit* Harane, Gen. 11: 31. *Et* Thera mortuus eſt Harane, verſ. 32. Tunc Dominus dixit Abramo; *ita enim* Gen. 12: 1. *vertendum eſt: non autem,* Et Dominus dixerat: *verba autem illius hæc erant,* Exi è terrâ tuâ, & è cognatione tuâ, & quoque è familiâ Patris tui; *illam enim nunc poſt ſe reliquit, nempe* Nachorem *& omnem Patris familiam, præter* Lotum *&* Saram, *qui parentum præſidio jam erant deſtituti. Hæc autem differentia benè conſiderata, ut fieri oportet, difficultatem hanc, cui tantum operæ impenſum eſt, tam expeditam facit; quam deſiderari quicquam poteſt.*

SECTIO. III.

A promiſſione factâ *Abramo* poſt mortem patris *Teræ* uſque ad liberationem populi *Iſraëlis* ex *Ægypto,* & lationem Legis, anni fuerunt 430. *Exod.* 12: 40. *Gal.* 3: 17.

H*Æc ſumma addita alteri annorum* 2083. *efficit mundi ætatem annorum bis mille quingentorum & tredecim, quando* Iſraël *liberatus & lex lata fuit.* *Liberatio ex Ægypto facta anno mundi 2513.*

Spatium hoc annorum 430, *quod inter Promiſſionem & Legem intercedit, diviſit Divina ſapientia & providentia in duas æquales partes, unam annorum* 215, *ante deſcenſum populi in* Ægyptum, *& alteram annorum* 215, *dum iſtic commoratur.*

Prius dimidium ita colligitur.

Anni vigintiquinque interceſsêre inter datam promiſſionem & natum Iſaacum: *confer* Gen. 12: 4. *cum* Gen. 21: 5.

Sexaginta anni inter nativitatem Iſaaci *& nativitatem* Jacobi, Gen. 25: 26.

Centum & triginta anni inter nativitatem Jacobi *&* Iſraëlis *profectionem in* Ægyptum, Gen. 27: 9.

Poſterius in hunc modum.

Nonaginta quinque anni fluxêre ab introitu eorum in Ægyptum *uſque ad mortem* Levi.

Quadraginta anni à morte Levi *uſque ad nativitatem* Moſis.

Octoginta anni à nativitate Moſis *uſque ad populi liberationem.*

SEC-

Digitized by Google

SECTIO IV.

Ab exitu *Iſraëlis* ex *Ægypto* uſque ad fundationem Templi *Salomonis*, fuere anni 480, 1 Reg. 6: 1. ſeptem verò anni in ædificando conſumpti ſunt, verſ. 38.

Templum Salomonis abſolutum anno mundi 300.

ITa ut, *annis his* 487. *qui interceſſerunt inter exitum ex* Ægypto *& abſolutam Templi ædificationem, additis ad* 2513, *qui fuerunt ætas mundi populo ex* Ægypto *egrediente, appareat, Templum* Salomonis *abſolutum fuiſſe anno mundi exactè ter milleſimo.*

Summa hæc colligitur ex hiſce partibus.

ISraël *in deſerto hæſit annos* 40.
Joſua *præfuit annos* 17.
Othniel *judicavit annos* 40, Jud. 3: 11.
Ehud *annos* 80, Jud. 3: 30.
Debora, *&c. annos* 40, Jud. 5: 31.
Gideon *annos* 40, Jud. 8: 28.
Abimelech *annos* 3. Jud. 9: 22.
Tola *annos* 23, Jud. 10: 2.
Jair *annos* 22, Jud. 10: 3.
Jephta *annos* 6, Jud. 12: 7.
Ibſan *annos* 7, Jud. 12: 9.
Elon *annos* 10, Jud. 12: 11.
Abdon *annos* 8, Jud. 12: 14.
Sampſon *annos* 20, Jud. 15: 20. *&* 16: 31.
Eli *annos* 40, 1 Sam. 4: 18.
Samuel *&* Saul *præfuerunt annos* 40, Act. 13: 21.
David *annos* 40, 1 Reg. 2: 11.
Salomon *annos* 4, 1 Reg. 6: 1.

In univerſum 480. *Inter omnes autem hoſce numeros nullus exiſtit, qui à textu non confirmetur, niſi quod non memoretur tempus præfecturæ* Joſuæ; *quod tamen non dubium eſt quin fuerit annorum ſeptendecim, quandoquidem apparet de numero* 480, *definito* 1 Reg. 6: 1. *hos ſolos eſſe annos, qui non commemorentur. Licebit etiam hic obſervare Lectori, annos, qui libro Judicum commemorantur tanquam anni oppreſſionis, ut* Jud. 3: 8, 14. *&c. non accipiendos eſſe pro ſpatio temporis diſtincto à tempore* Judicum, *ſed illorum tempori includendos.*

Cum verò res ita ſe habeat, quod plus quam probabile eſt, ut Templum Salomonis *abſolutum atque perfectum fuerit anno mundi* 3000, *videtur hinc porro corroborari opinio illa, quæ apud nonnullos recepta eſt*; Mundum, qui per ſex dies fuit creatus, ſex annorum millia in ſuo ſtatu continuatum iri, & venturum deinceps Sabbathum æternum. *Et certè obſervatio hæc non poteſt non placere iis, quibus ea opinio placet: ubi enim animadvertunt, tres primas myriades annorum mundi, finem habere in perfectione Templi terreſtris, animum inde ſibi eo fidentius ſument concludendi, tres myriades alteras iri finitum in conſummatione Templi ſpiritualis.*

SECTIO V.

A perfectione Templi *Salomonis* ad diſceſſionem decem Tribuum fuēre 30. anni.

Diſceſſio decem Tribuum, anno mundi 3030.

SAlomon *enim regnavit annos* 40, 1 Reg. 11: 42. *& anno regni ejus undecimo Templum perfectum fuit*, 1 Reg. 6: 38. *A quo anno ſi numerare pergas ad finem*

ejus regni, & initium filii ejus Rehoboami *numeraveris, facilè comperias, decem Tribuum defectionem accidiſſe poſt Templum extructum, anno triceſimo, annoque mundi* 3030.

SECTIO VI.

A defectione decem Tribuum duce Jeroboamo, ad deportationem Judæ in Babylonem, erant anni 390.

HI anni hoc modo collectivè numerantur ab Ezechiele, *Cap.* 4: 5, 6. Ego autem dedi tibi annos iniquitatis eorum numero dierum, trecentos & nonaginta dies, & portabis iniquitatem Domûs Iſraël. Et cùm compleveris hæc, dormies ſuper latus tuum dextrum ſecundò; & aſſumes iniquitatem Domûs Judæ quadraginta diebus. Diem pro anno, diem, inquam, pro anno dedi tibi.

Cave autem ut has ſummas ita accipias, quaſi diſtincti & diverſi anni eſſent, ac ſi à defectione decem Tribuum ad earumdem captivitatem eſſent anni 390. *& porrò* 40. *ad captivitatem* Judæ. *Nam à defectione decem Tribuum ad earum captivitatem non ampliùs erant quàm circiter* 270. *anni, & ab eâ deinde plus quàm* 100. *ad deportationem* Judæ: *ſed* 40. *iſti anni intra* 390. *numerandi ſunt, & pro illorum noviſſimis exiſtimandi, qui ideò ſeorſim & quaſi ſtigmate notantur, quia ſcil. Tribus* Juda *nequitiâ repetitâ, Deum uſque provocare pergebat, etiamſi per totum illud annorum ſpatium* Jeremias *ſumma cum perſpicuitate ſimul & zelo contra prædicaverit.*

Jam verò, ſi quis hos annos in partes juxta methodum Librorum Regum *&* Paralipomenon *dividere cupiat, conſtruat ſibi Tabulas Chronologicas tempora utriuſque regni, quamdiu utrumque ſteterit, complectentes, eo ordine ut ſinguli utriuſque anni ſibi invicem reſpondeant. In ea verò componenda non leves ſubinde occurrent ſcrupuli, quos, ut ſine hujuſmodi Tabula impoſſibile fuiſſet obſervaſſe, ita niſi omnes trutinentur ac dolantur, nunquam de vero computo certior fiat. Tabula ipſa inter legendum indicabit, annos aliquando pro* integris *ſumi, ut* 17. *illos* Rehoboami, 1 Reg. 15: 1. *aliquando rurſus pro* currentibus, *ut illos* Abijami *tres*, 1 Reg. 15: 1, 2, 9. *&* Elæ *duos*, 1 Reg. 16: 8. *Hoc verò penè nihil difficultatis habebit: quandoquidem in Sacris Libris uſitatiſſimus ſit hujuſmodi computandi modus; & quicunque prædictam Tabulam ad manum habuerit, varietatem iſtam quotieſcunque occurrerit, deteget facillimè. Alia tamen ſunt longè difficiliora, & quæ majorem meritò vindicant animi intentionem.*

I. *Dicitur* Jeroboam 22. *annos regnaſſe*, 1 Reg. 14: 20. *filiuſque ejus* Nadab *biennio*, Cap. 15: 25. *Attamen* Nadab *regnum ſuum inchoavit* Aſæ *ſecundo, qui fuit* Jeroboami *viceſimus primus: adeò ut* Nadab *biennium cadat intra patris ejus* 22. *annos.*

Eſt autem hujuſce computi hæc ratio. Dicitur 2 Paralip. 13: 20. *quòd* Deus percuſſit Jeroboamum, & mortuus eſt: *id eſt, gravi aliquo & diuturno morbo afflixit, adeò ut præ imbecillitate non potuerit ampliùs Rempublicam adminiſtrare, ſed filium ſuum regno præficere coactus eſt. Uterque verò, tam pater quàm filius, uno eodemque anno occubuit.*

II. Baaſa *dicitur regnum ſuum inchoaſſe* Aſæ *tertio*, 1 Reg. 15: 33. *& regnaſſe* 24. *ſequitur deinceps eum occubuiſſe* Aſæ *viceſimo ſexto, annis in textu pro currentibus habitis, ut* 1 Reg. 16: 8. *Et nihilominùs triceſimo ſexto* Aſæ *aſcendit* Baaſa, *& contra* Judam *dimicat*, 2 Paralip. 16: 1. *Adeò ut hoc bellum quaſi novennio vel decennio, poſtquàm mortuus fuerat, ab eo geri videatur.*

Facile verò ſolvitur hic ſcrupulus ope linguæ Originalis. Textus enim iſte in Paralip. *non eſt ita ſumendus, ac ſi aſſereret* Baaſam *adverſus* Judam *bellum intuliſſe triceſimo ſexto anno, quibus regnaverat* Aſa, *ſed potiùs iſtius temporis quo*

 dura-

duraverat regnum *cui* Aſa *tum præfuit, id eſt, triceſimo ſexto anno à diviſione Tribuum ſub* Rehoboamo. *Nam* Rehoboam *regnavit annos ſeptendecim, filius ejus* Abijam *tres, & in decimo ſexto* Aſæ *hoc bellum ſuſcipitur, viz. à prima diviſione anno triceſimo ſexto. Quamobrem cenſendum eſt, vocem* למלכות *ſpatium annorum qui ab ipſius regni initio effluxerant, potiùs quàm eorum quibus* Aſa *regimen exercuerat, denotare. Textus verò hoc bellum memorat juxta Epocham à prima diviſione ſumptam, potiùs quàm ab initio* Aſæ, *hanc ob cauſam, nempe quia utcunque Reges diverſos habuerint, animis nondum dividebantur, nec à mutuo commercio abhorrebant; nam huc uſque deſertorum nonnulli Davidis familiæ favebant. At verò* Baaſa, *quò diviſionem inſanabilem ac perpetuam reddat, Ramam extruit, nè quis indè ingrediendi, vel ad* Aſam *egrediendi pateret locus. Hæc verò jam ſecunda erat diviſio, & propterea Textus à prima numerat.*

III. *Dicitur* 1 Reg. 16: 23. *Anno triceſimo primo* Aſæ *Regis* Judæ *regnavit* Amri *ſuper Iſraël duodecim annis: in* Therſa *regnavit ſex annis. Attamen* verſ. 29. Achab *filius* Amri *cœpit regnare ſuper Iſraël triceſimo octavo* Aſæ *Regis* Judæ.

Illud verò impoſſibile eſt, ut duodecim fuerint anni inter triceſimum primum Aſæ *& ejuſdem triceſimum octavum.*

Reſpondeo. *Cœpit quidem* Amri *regnare ſtatim ac* Zimrim *interfecerat, hoc eſt* Aſæ *viceſimo ſeptimo:* ſolus *autem & ſine* æmulo *non regnavit ante* Aſæ *triceſimum primum.* Tibni *enim regnandi cupidus, bello ac tumultu perturbavit omnia uſque ad* Aſæ *triceſimum primum. Eo autem anno vincitur* Tibni, *&* Amri *etiam à* Tibni *milite pro ſolo Rege agnoſcitur, & ſine* æmulo *deinceps imperavit in* Tirza.

Inter dubia tamen eſt, quo ſenſu Amri, *qui* Aſæ *triceſimo primo regnare cœpit, deſiit verò ejuſdem triceſimo octavo, dicatur nihilominus non ultra ſex annos regnaſſe, cùm intereà octo currentes effluxerant.*

Reſpondeo. *Sex integri anni ſolummodò numerantur. Debellato* Tibni *penè finierat triceſimus primus* Aſæ: *moriente autem* Amri, *vix dum inierat triceſimus octavus. Haud abſimile computum in* Abrahami *atque* Iſmaëlis *ætatibus numerandis uſurpatum eſt in primo Circumciſionis uſu; quod ex utriuſque ætate, moriente* Iſmaële, *ſimul collatâ, conſtabit.*

IV. *Initium regni* Jehorami *filii* Jehoſaphati, *triplici notatur Epochâ: quarum prima à decimo ſeptimo patris ejus* Jehoſaphati *exorditur,* 1 Reg. 22: 51. *collato cum* 2 Reg. 1: 17. *&* 3: 1.

Secunda à quinto Jehorami *filii* Achabi, 2 Reg. 8: 16. *Fuit autem hic annus* Jehoſaphati *viceſimus ſecundus.*

Tertia à morte patris ejus Jehoſaphati, 2 Paralip. 21: 1.

Quæ ambiguitas ſic ſolvitur. Primò enim vicariam exercuit poteſtatem, patre ejus ad recuperandam Ramoth-Gilead proficiſcente: & quandoquidem Achab *in ea expeditione unà militabat, filius ejus* Achaziah *in regno* Iſraëlitico *ſimiliter Prorex conſtituitur.*

Deinde patre ejus Jehoſaphato Jehoramum *adverſus* Moabitas *comitante,* 2 Reg. 3. *rurſus Prorex conſtituitur. Atque ex eo tempore Textus, ejus regni initium tanquam certum exorditur: quod liquet ex* 2 Reg. 8: 17. 2 Paralip. 21: 20. *Nam ex eo tempore* Jehoſaphatus *domi rarò, foràs utplurimùm occupabatur, vel ſubditos ſuos ad ſanam religionem reducendo, vel* Moabitas *qui defecerant, ad debitum obſequium,* 2 Paralip. 19. *&* 20.

V. *Computatio annorum filii ejus* Achaziæ *longè majorem habet difficultatem. Cùm enim* Jehoram *annos duos & triginta natus regnum inierit, regnaveritque annis octo,* 2 Reg. 8: 17. 2 Paralip. 21: 20. *& quadragenarius obierit, quo defuncto,* Hieroſolymitani *filium ejus* Achaziam *ilicò in ſolio collocarunt, etiamſi natu minimum: dicitur nihilominus idem* Achazia *quadraginta duos*

duos annos fuiſſe natus, cùm regnare inceperit, 2 Paralip. 22: 1. *& propterea ſuo ipſius patre biennio ſenior.*

Reſpondeo. *Locus citatus ex* Paralip. *non dicit* Achaziam *eâ ætate fuiſſe, cùm regnum inchoaverit: diſertè enim docet liber* Regum, 2 Reg. 8: 26. *illum* viceſimum ſecundum *jam tum non ſuperaſſe. Cæterum iſti quadraginta duo anni ad aliud, viz.* regnum *familiæ* Omri, *non ad ætatem* Achaziæ *ſunt referendi. Erat enim initium regni* Achaziæ *in quadrageſimo ſecundo anno jam inde à primo Rege ex familia* Omri *numerato. Quod cuivis facile conſtabit, modo præſto fuerit* Tabula Chronica *priùs memorata.*

Quamobrem verba Hebræa, Ben arbagnim vehetajim shanah, *parùm rectè redduntur per,* Achazia natus erat quadraginta duos annos: *melius vertenda per,* Achazia erat filius quadrageſimi ſecundi anni: *id quod jamdudum acutè notavit* Seder Olam.

Nec mirum hujus regnum peculiari computo numerari, quum ille *ab* Omri *prognatus, ab ejuſdem moribus neutiquam abhorrebat. Matrem habuit* Athaliam, *filiam* Achabi, 2 Reg. 8: 18. *quæ quidem virum* Jehoramum *ad idololatriam pertraxit, filiumque* Achaziam *peſſimis* Achabi *inſtitutis imbuebat; quocirca non ut cæteri* Judæ *Reges, ſed potius tanquam unus ex ſcelerata* Omri *&* Achabi *progenie numerandus erat. Vide ſis quale ſtigma huic* Jehorami *familiæ inuſſerit* Euangeliſta, *in notis ad* Matth. 1: 8.

VI. *Supereſt adhuc unus de initio regni* Achaziæ *ſcrupulus. Nam juxta* 2 Reg. 8: 25. *regnum inchoavit, anno* Jorami *filii* Achabi *duodecimo: at juxta ejuſdem libri, Cap.* 9: 29. *anno undecimo* Jorami *filii* Achabi.

Reſpondeo. *Facillima eſt hujus dubii reſolutio ex* Tabula *Chronologica toties memorata. Inde enim innoteſcet, nondum defuncto patre* Achabo, Joramum *unum annum regnaſſe. Nam* Achazia *filius* Achabi *regnum iniit in* Achabi *viceſimo, qui erat* Jehoſaphati *decimus ſeptimus,* 1 Reg. 22: 51. *Prorex utique conſtitutus, patre Ramoth-Gilead tum oppugnante.*

Hic poſtquam non amplius anno regnaviſſet, ſucceſſorem habuit Jehoramum, *qui regnum iniit viceſimo primo* Achabi. Achabus *autem viceſimo ſecundo regni ſui obiit: & proinde* Jehoramus ſolus *rerum potiebatur, non ampliùs* undecim *annis; ſin tempus adjeceris quo* vicariâ *utebatur authoritate, exſurgunt duodecim. Duplici ergo modo ſupputantur.*

VII. Amazia *regnavit ab anno ſecundo* Joashi *Regis* Iſraëlis, 2 Reg. 14: 1. *hoc eſt, patris ſui* Joashi *Regis* Judæ *triceſimo octavo, triennio priùs quàm terris valedixit. Nec immerito, cùm fœdâ à Deo defectione & inhumanâ* Zachariæ *cæde,* 2 Reg. 12: 17, 18. 2 Paralip. 24: 23, 24, 25. *tot in ſe cumulaverat mala & calamitates, ut impar deinceps eſſet Reipublicæ adminiſtrandæ.*

VIII. *De* Uzzia *ſive* Azaria *conſtat eum quartum ætatis annum non ſuperaſſe, cùm pater ejus fatis conceſſit: in quantum non ſupra ſedecim vixerat ad* Jeroboami *ſecundi viceſimum ſeptimum,* 2 Reg. 15: 1, 2. *Quapropter nemine per undecim annos ſolium occupante, cætera omnia peregerunt iidem illi qui & pupilli Regis curam ſuſceperant.*

IX. *Quin & inter* Iſraëlitas *interregnum erat ſatis diuturnum, nempe viginti duorum annorum, inter* Jeroboamum *ſecundum &* Zachariam. *Nec in promptu eſt unde hoc evenerit conjectare. Sive bella ab exteris illata propter* Chamatham *&* Damaſcum *non ità pridem à* Jeroboamo *recuperatas,* 2 Reg. 14: 28. *ſive inteſtina odia, quæ non exigua fuiſſe oſtendit* Zachariæ *fatum,* 2 Reg. 15: 10. *ſive aliquid ab his diverſum in cauſa fuerit; illud certiſſimum, Regem per iſtud ſpatium nullum fuiſſe. Nam* Jeroboami *regnum erat quadraginta duorum annorum à decimo quinto* Amaziæ, 2 Reg. 14: 23. *obiitque Jeroboamus* Uzziæ *decimo quinto:* Zacharia *verò non regnavit ante* Uzziæ *triceſimum octavum,* 2 Reg. 15: 8.

X. *Di-*

Digitized by Google

X. *Dicitur* Hoshea, 2 Reg. 15: 30. Pekahum *interemiſſe viceſimo anno* Jothami *filii Uzziæ*, *quum* Jothami *regnum non ultra ſedecim annos protrahebatur*, 2 Reg. 15: 33. *Cæterùm hujus computi ratio in ſumma* Achazi *impietate videtur fundari: nam eo regnante perpetrata eſt iſta cædes. Placuit autem Spiritui Sancto* Achazum *propter ſcelera infamem, omninò reticere, & ad* Jothami *tempus quaſi propter pietatem non obliviſcendum, integrum factum referre abſque divino conſilio neutiquam perpetratum. Haud dubiè enim illâ* Pekahi *morte vindictam exercuit juſtiſſimus Deus propter immanem* Pekahi *in* Judæos *feritatem, qui centum & viginti millia hominum (fœdiſſimam lanienam) uno die trucidaverat*, 2 Paralip. 28: 6. *Erat autem* Achazi *improbitas, quæ populum ad defectionem à Domino ſollicitaverat, unde tanta exarſit adverſus gregem ſuum iracundia. Quapropter cùm rurſus à* Pekaho *Dominus ſanguinem repoſcebat, noluit ut iſta vindicta ſub* Achazo *homine nequam, ideòque Deo exoſo, ſed potiùs ſub* Jothamo *juſto ſanctoque Rege, poſteris traderetur.*

XI. *Quinimò aſſiduo lectori novus nec aſpernandus ſcrupulus de hoc viceſimo* Jothami *anno oboritur: viz. Si* Pekahus *regnare inceperit* Uzziæ *quinquageſimo ſecundo, ſive ultimo, regnaveritque annos viginti, ut* 2 Reg. 15: 27. *& deinde, Si* Jothamus *regnum ſuum inchoaverit in* Pekahi *ſecundo*, 2 Reg. 15: 33. *tum certè* Pekahi *annus viceſimus, in quo ab* Hoshea *interficiebatur, non foret, ut ſuprà, viceſimus, ſed decimus nonus* Jothami *Regis.*

Reſpondeo. *Verùm ex hoc, vix autem ex quovis alio textu colligere eſt quonam præcipuè anno* Uzzia *propter temeritatem in ſuffitum adolendo, leproſus evaſerit, nempe regni ſui ultimo. Eo morbo* Sacerdotes, *quorum erat de eo judicare, non infici potuerunt.* Jotham verò præerat domui, jus dicens populo regionis, 2 Reg. 15: 15. *quamdiu* Uzzia *in terris verſabatur. Jam verò ultimus ille* Uzziæ *annus, in quo* Jothamus *morbidi & impuri patris vices obierit, pro* primo *regni ejus anno hoc in loco reputatur: tametſi ſolus atque abſolutè non regnaverit ante* Pekahi *ſecundum.*

XII. *Dicitur* Hoshea *filius* Elæ *cœpiſſe regnare* Achazi *duodecimo*, 2 Reg. 17: 1. *qui tamen* Pekahum *interemerat* Achazi *quarto, ſive* Jothami *viceſimo. Unde conſequitur, eum non ſtatim ac mortuus eſt* Pekahus, *regnum obtinuiſſe, verùm per octennium præter propter, ægrè tandem quieſcente populo, fuiſſe impeditum. Veriſimile eſt,* Achazum, *defuncto tandem* Pekaho *præpotenti hoſte,* Iſraëlem *tunc temporis laceſſiſſe, memor utique crudelitatis, quam* Judæi, *interfectis multis millibus, non longè antè perſenſerant. Hinc* Hoshea *ſolium capeſſere minùs valebat: & forſan propter* hoc bellum, *non minùs quàm ob mores* Regum Iſraëlis, *quos nimis affectabat,* Achazus Rex Iſraëlis *appellatur*, 2 Paralip. 28: 19.

XIII. *Dicitur* 2 Reg. 18: 1. *quòd* Hezekia *regnare inceperit tertio anno* Hosheæ *filii* Elæ. Hoshea *verò* Achazi *duodecimo regnum iniit*, 2 Reg. 17: 1. *Ergò* Hezekia *in decimo quarto* Achazi, *qui cùm ſedecim regnaverit*, 2 Reg. 16: 2. *neceſſe eſt ut unà cum patre ſuo* Hezekia *per biennium, vel forſan triennium regno frueretur.*

Eſt autem hæc computatio Achazi nequitiæ *accepta ferenda, quæ illum non uno calamitatum genere oneraverat, ut* 2 Paralip. 28: 16, 17, 18. *&* 29: 7, 8, 9. *Atque illuſtrior hinc atque ardentior apparet* Hezekiæ *erga Reformationem affectus, quòd in eo tantoperè profeciſſet, etiam ſuperſtite adhuc patre ſcelerato, operi parùm favente.*

XIV. *Quin & nova ſuboritur difficultas de tempore quo* Hezekia *regnaverit, quatenus cum* Hosheæ *regno comparatur. Quum enim, quod ex ſupra dictis liquet, in* Hosheæ tertio *regnare cœperit, fieri non poteſt quin hujus* quintus *cum* Hosheæ ſeptimo *coincidat, cùm tamen* Hosheæ ſeptimus, Hezekiæ quartus *appelletur*, 2 Reg. 18: 19.

Reſpon-

Digitized by Google

Reſpondeo. Hezekiæ *regnum duplici Epochâ numeratur. Nam in* Hosheæ tertio, *qui erat* Achazi *decimus quartus, regimen exercuit quidem, ſed nec per majorem partem iſtius anni, nec ſuâ ipſius, ſed patris nomine, nec præclarum aliquid aut memorabile præſtabat. Cæterum anno inſequente,* Achazi *utique decimo quinto, atque* Hosheæ *quarto, religionis inſtaurationem magno auſu, nec eventu infelici, vel primo anni die, primo nimirum menſis* Niſan, *aggrediebatur,* 2 Paralip. 29: 3. *Quamobrem ab hoc præclaro facto ſemperque memorando, regni ejus initium computatur: ità ut hujus* ſeptimus *&* Hosheæ quartus *coincidant. Hujus ſexto decem Tribus deportantur,* 2 Reg. 18: 10. *Unde everſo* Iſraëlis *regno, nulla deinceps iſtiuus queat comparatio, nec* Judæ *Annales ulla in-poſterùm interturbat* Chronologica *dubitatio uſque ad Captivitatem* Babylonicam; *niſi quod in difficilibus illis atque inquietis* Jehoachazi *&* Jehojakimi *temporibus aliqualis enaſcatur ambiguitas. Quanquam enim non niſi tres menſes, (quibus* Jehoachaz *rerum potiebatur) inter* Joſiæ *obitum &* Jehojakimi *regnum memorentur interceſſiſſe, certiſſimum tamen eſt aliquot integros annos inteſtinis diſſidiis potiſſimùm conſumptos effluxiſſe. Id quod ſumma totalis* 390. *annorum à defectione Tribuum uſque ad Templum concrematum abundè commonſtrabit, eadem ratione quâ prius oſtendimus quamdiu* Joſua *olim exercitui præfuerat, nempe ex collectis ſingulis, & additâ eâ ſummâ, quæ ad totalem* 480. *annorum à* liberatione *ex Ægypto ad Templum exædificatum erat neceſſaria.*

Additis ergo his 390. *annis, ab* Ezechiele *notatis, integro nimirum ſpatio inter Tribuum defectionem & dirutas atque everſas* Hieroſolymas, *aliis antecedentibus Mundi annis* 3030. *exurgunt* 3420. *ætas Mundi, cùm à* Nebuchadnezzaro *atque* Babylonicis *expugnatæ atque deletæ erant* Hieroſolymæ. Hieroſolymæ delentur A. M. 3420.

SECTIO VII.

A Templo per Nebuzaradanum concremato, 2 *Reg.* 25. *Jerem.* 52. ad reverſionem è Babylone, 2 *Paralip.* 36: 22. *Ezræ* 1: 1. erant anni quinquaginta.

Inter viros doctiſſimos, qui de his temporibus ſcripſerunt, magna diſſenſio eſt, unde ſeptuaginta illi Captivitatis Babylonicæ *anni toties in Sacro Codice memorati,* Jerem. 25: 11, 12. *&* 29: 10. 2 Paralip. 36: 21. Zachar. 1: 12. *ſint inchoandi.*

Cùm enim Hieroſolymitani *ter à* Babylonicis *devicti deportabantur, nempe primò,* Jehojakimi *tertio,* 2 Paralip. 36: 6. Dan. 1: 1. *& deinde* Jehojakini *regno,* 2 Paralip. 36: 9, 10. *& poſtremò* Zachariæ *undecimo,* 2 Reg. 25: 2, 3. Jerem. 52: 45. *haud immeritò ambigitur, quodnam foret iſtorum* 70. *annorum initium, aut quiſnam* 390. *à* defectione Tribuum *uſque ad* Captivitatem *terminus.*

Nè in tanta ſententiarum diverſitate moleſtus eſſem ſingulas expendendo, mihi veriſimillimum videtur, 70. *illos annos à tertio* Jehojakimi *numerandos eſſe. Hujus autem ſententiæ noſtræ rationes paucis accipite.*

I. Daniel, *qui iſtius Captivitatis tempus computavit, & quæ tunc temporis fuerit populi conditio, edocuit, inde exorditur,* Dan. 1.

II. *Æquiſſimum ſentio, ut tempus iſtius Captivitatis à* prima *deportatione computetur.*

III. *Idem ſuadet ulterius* Jeremiæ *vaticinium,* Cap. 25: 11. *Quòd non tantùm* Judæi, *ſed etiam univerſæ Gentes adjacentes* Regi Babylonico *ſubjici debuerint, ac per* 70. *annos inſervire. Quocircà cùm hi* 70. *anni integram Imperii* Babylonici *durationem complectantur, à primo ejus Monarcha* Nebuchodonoſoro *ſunt ſupputandi.*

 Nec

Nec arduum exiſtimo hujus Monarchiæ *initium inveſtigare ; concurrit enim cum* Jehojakimi *tertio, quod apertè indicant*, Jerem. 32: 1. *&* 52: 12. *Nec obeſt, quod* Jehojakimi *quartus*, Nebuchodonoſori primus *appelletur*, Jerem. 25: 1. *quod facillimè evenire potuit, modo ſupponamus* Nebuchodonoſori *annum primum ità diviſum, ut duorum* Jehojakimi *partes aliquot comprehendat; quod &* Prætori Londinenſi *obtigit, quoties Rex aliquis regnum ſuum in vere inchoaverit, tum unus* Regis *annus duobus* Prætoris, *qui ingruente hyeme initiatur, quodammodo reſpondere poteſt. Hactenus* 70. *annorum initium vidimus: at nihilominus de fine* 390. *aliter ſtatuendum, eos utique non cùm* Nebuchodonoſorus *regnare cœperit terminari, ſed potius regni ejus anno decimo nono, ſive* Zedekiæ *undecimo, tum nimirum cùm urbs unà cum Templo vaſtaretur, nihilque ſupereſſet quod deportari poterat. Hoc enim firmat cum annorum ſummæ ſigillatim perpenſæ, tum ſtilus ipſe atque ſcopus Prophetæ, qui illo* 390. *annorum ſpatio integrum connotat tempus à prima Tribuum defectione*, Jeroboamo *ſollicitante, donec tandem à* Babylonicis *fere univerſus populus deportaretur. Subtrahendi itaque ſunt anni novemdecim ex illis ſeptuaginta, adeo ut circiter quinquaginta pro captivitatis menſura habeantur: quibus ſi* 3420. *Mundi, cùm Templum conflagraret, ætatem adjeceris, conflatur totalis* 3470. *ætas Mundi, cùm* Cyrus *annum regnaviſſet, ſub cujus auſpiciis populus eodem anno liberabatur.*

Judæi ex Babylone revertuntur A. M. 3470. *Ezr.* 1: 1.

SECTIO VIII.

A reverſione ex *Babylone* ad *Chriſtum* natum, anni 490.

H*Oc adeo liquidò conſtat ex* Dan. 9. *ubi de tempore ab Edicto* Cyri *de reſtituendis atque exædificandis Hieroſolymis uſque ad* Meſſiam *exciſum agitur, ut nemo inficias iverit, modò intellexerit ſepties* 70. *conficere* 490. *Quorſum enim iſtum annorum numerum commemoraret Angelus, niſi aliquid egregium poſt eos expletos certiſſimè factum iri ſubinnuiſſe voluerit? Imo tam duo temporis termini memorabiles, quàm nonnulla quæ interciderunt, adeo omnem eximunt ſcrupulum, ut nullus omnino ſuperſit dubitationi locus. Quòd ſi hos* 490. *annos, qui uſque ad mortem* Chriſti *deducuntur*, 3470. *Mundi utique ætati, cum his numerari cœperint, ſequitur* Chriſtum paſſum *fuiſſe* 3960. *ex quibus, ſubtractis triginta duobus, quibus vixerit, habemus* natum, *anno Mundi* 3928. *ineunte anno, juxta ſtilum veterem, à Mundi primordiis uſurpatum, nempe à menſe* Tiſri *ſive Septembre numerando. Adeo ut Mundi annus* 3928. *fuerit* Chriſti primus: *Mundi* 3929. *fuerit hujus ſecundus, quo quidem anno* Magi *eum inviſerunt. Mundi* 3930. *Chriſti tertius: & ſic deinceps Mundi* 3960. *excurſo ad Feſtum Paſchatis dimidio, foret hujus triceſimus ſecundus, excurſo itidem dimidio, ad quam ætatem cùm perveniſſet, crucifixum legimus.*

Christus naſcitur A. M. 3928.

Si quis ergo rogaverit, quis ille ſit qui jam volvitur Mundi annus, hoc anno Chriſti 1644. *facilè comperiet* 5572. *à prima creatione nunc recenter terminatos, ejuſque annum* 5573. *ab Æquinoctio Autumnali nuperrimè elapſo fuiſſe inchoatum.*

QUATUOR EUANGELISTARUM HARMONIA.

SECTIO I.

LUCÆ CAPUT I.

Præfatio, ſive Epiſtola nuncupatoria. Occaſio Operis & authoritas, quâ fretus S. Lucas Euangelium conſcripſit.

I. *Quoniam multi* (a) *aggreſſi ſunt* (b) *componere narrationem earum rerum* (c) *quarum plena fides nobis facta eſt.*

II. *Prout* (d) *tradiderunt nobis qui à principio ſpectatores ipſi & miniſtri fuerunt ſermonis.*

III. *Viſum eſt etiam mihi, omnia* (e) *altè repetita penitùs aſſequuto,* (f) *ordine illa ad te ſcribere, præſtantiſſime Theophile;*

IV. *Ut* (g) *agnoſcas earum rerum veritatem, quas auditione accepiſti.*

(a) Ἐπεχείρησαν applicatur ad quodvis opus licitum, & felicem in eo progreſſum: ut apud *Platonem* in *Phædro* de *Iſocrate*, & apud ipſum *Iſocratem in Orat. ad Demonicum.*

(b) *Narrationem componere*, Syr. Eraſm. Bruciol. &c.

(c) Πεπληροφορημένων. In ſacro Scripturarum ſtilo certitudinem indicat non ſolùm de *rebus geſtis*, verùm etiam *de modo* quo gerebantur. *Rom.* 4: 21. *&* 14: 5. *Coloſſ.* 2: 2. 1 *Theſſ.* 1: 5. 2 *Tim.* 4: 5. *Hebr.* 6: 11. Semel malè apud LXX. ſumitur, pro obſtinato malefaciendi ſtudio, *Eccleſ.* 8: 11.

(d) En hîc, ſi unquam aliàs, primæ claſſis Traditiones (Παρέδοσαν) ab ipſis Chriſti Diſcipulis primò natas, penè ubique agnitas & receptas, quinimò chartis mandatas, quæ tamen ſi ad Libros Θεοπνεύστους conferantur, nihili habentur.

(e) *Altè*, ſive Deſuper.

(f) *Ordinè.* Vel reſpectu illorum qui ante eum ſcripſerant, ita viſum eſt mihi *poſt illos* ſimiliter facere, quemadmodum Καθεξῆς accipitur, *Actor.* 3: 24. vel reſpectu *Hiſtoriæ* in genere, quam ſuſcepit concinnandum: adeò ut *Chriſti conceptio, circumciſio, baptiſmus, prædicatio, mors & reſurrectio*, eo ordine quo erant geſta, in ejus opere diſponerentur: ſin autem ejus *itinera, miracula, ſermones*, &c. reſpiciamus ſigillatim, comperiemus ea non uti gerebantur, ita in narrationis ſerie collocari; adeò ut prior ſenſus potior videatur.

(g) D. Lucas, nec illicitum eſſe Laico S. Scripturas evolvere, nec ignorantiam pietatis matrem, nec fidem implicitam ſufficere ad ſalutem videtur crediſſe.

Ordinis Ratio.

QUùm ſolus inter Euangeliſtas *Lucas* Hiſtoriæ ſuæ aliquid præfatus fuerit, poteſt hoc ejus Procemium univerſo omnium operi haud immeritò præfigi: per quod ad ſplendidam regiamque Euangeliſtarum ſtructuram ampliſſimus pateat atque amœniſſimus introitus. Sic ad Templum olim ducebat Porta, quam *Pulchram* appellarunt.

Harmonia & Explicatio.

VERS. 1. *Multi aggreſſi ſunt.*

NOn hîc vituperat, ut ſtatuunt non pauci Interpretes, horum Auctorum opera. Primò enim ait, illos narrationem compoſuiſſe *earum rerum, quarum plena fides facta eſt.* Deinde, & *ita* rem enarraſſe, *prout tradiderunt ſpectatores ipſi & miniſtri ſermonis.* Et poſtremò, *horum* & *ipſius* opus ejuſdem eſſe naturæ non diffitetur, in quantum dicat, *viſum eſt & mihi.* Cæterùm quùm hæc eorum opera abſque divino afflatu ſuſcepta fuerint, ea allegat approbatque tanquam *teſtimonia humana*, ab hoc ejus *divino* nunc demum eliminanda: quemadmodum & in Veteri Teſtamento memorantur *Libri Jaſher, Gad & Iddonis, & de Bellis Domini*; ita ut nec temnendi ſint, nec tamen pro pluſquam humanis reputandi; & his & illis perditis, nihil *exinde Scripturæ Canonicæ* detraheretur, utriſque ſcilicet abſque Numinis impulſu exaratis.

VERS. 2.

Digitized by Google

LUCÆ CAP. I. VERS. 2, 3.

Vers. 2. *Spectatores*] viz. duodecim Apoſtoli. *Miniſtri*] nempe ſeptuaginta Diſcipuli. Ex horum ad populum concionibus atque narrationibus, non pauci pio commoti affectu *Euangelia* concinnare aggrediebantur. Atque ad hujuſmodi Euangelia reſpicit hîc D. *Lucas*, non ad ea quæ vel *Matthæum*, vel *Marcum* authorem habuerunt, quanquam hæc vel tum piorum manibus terebantur. Horum enim prior *Spectator* erat, atque ex duodecim unus: alter probabiliter ex ſeptuaginta, & *Miniſter*; & proinde uterque non quæ famâ & rumore ſpargebantur, ſed quæ ſibimet ipſis nota & benè perſpecta erant, poſteris tradiderunt.

Vers. 3. *Viſum eſt & mihi omnia Altè repetita penitùs aſſecuto*] vel *Deſuper*; ſic enim Ἄνωθεν optimè verti poſſit. Quo ſenſu occurrit, *Joann.* 3:31. & 19:11. *Jacob.* 1:17. atque ſi ita accipiatur, divinum in Luca impetum ſubinnuit, ejuſque Euangelium à *multis* illis, *verſ.* 1. memoratis, quæ pervulgatâ hominum famâ, concionibuſque, *verſ.* 2. nitebantur, omninò diſtinguit; utpote quòd nihil complectatur, niſi quod author *Deſuper* acceperat.

Præſtantiſſime Theophile.] Veriſimillimum eſt eum fuiſſe *Nobilem Antiochenum*, Lucæ concivem, quem *Paulus*, dum *Antiochiæ* prædicabat, ad fidem pertraxit. Lucas præceptori ſuo aſſiduè inſerviens, nunquam deſeruit, 2 *Tim.* 4:11. Nec tamen Theophili *Antiochiæ*, poſteaquam *Paulus* diſceſſerat, commorantis prorſus immemor, eum in iis quæ ex *Paulinis* concionibus didicerat, perfectiùs inſtruit; & ſi quid fortè breviùs aut obſcuriùs tradebatur ſcripto, hoc ſupplet & luculentiùs enarrat, *ut agnoſceret earum rerum veritatem, quas auditione acceperat*: vel in quibus catechizatus fuerat.

Κράτιστε. *Epithetum virorum non vulgarium*, Actor. 24:3. & 26:25.

LUCÆ CAP. I. VERS. 3.

Κατηχήθης. *Vide* Actor. 18:25. & 21:21. Rom. 2:18. 1 Cor. 14:19. Gal. 6:6.

Theophilus apud *Græcos* idem eſt ac inter Hebræos *Jedidia*, nomen *Solomonis*, id eſt, *Dilectus Deo*, vel, ut eſt illuſtris ille *Abrahami* titulus, *Amicus Dei*.

Atque agnoſce hîc, lector, adimpletum illud Iſajæ vaticinium, *Iſaj.* 60:14. *Et adibunt te demiſſè filii affligentis te*, &c. Urbs etenim illa, quæ ab *Antiocho* nomen acceperat, *Chriſti fideles Chriſtianos* primùm appellat: atque inde proficiſcitur *præclariſſimus Euangeliſta*, ubi ſedem aliquando poſuerat *hoſtis* afflicti *Iſraëlis*, ſi quis alius acerbiſſimus inſenſiſſimuſque.

SECTIO II.

JOANNIS CAPUT I.

Oſtenditur idoneum, nec non neceſſarium fuiſſe, ut ſecunda SS. Trinitatis perſona, potiùs quàm aliarum alterutra, incarnaretur, mundumque redimeret: probaturque ex eo quòd Creator ſit, promiſſi largitor, & ſubſtantia tenorque typorum & vaticiniorum Veteris Teſtamenti.

I. *In principio erat* (a) *Sermo ille, & Sermo ille erat apud Deum,* (b) *eratque ille Sermo Deus.*

II. *Hic Sermo erat in principio apud Deum.*

III. *Omnia per hunc* (Sermonem) *facta ſunt, & abſque eo factum eſt nihil quod factum eſt.* (c)

IV. *In ipſo vita erat, & vita erat lux illa hominum.*

V. *Et lux iſta in tenebris lucet; ſed tenebræ eam non comprehenderunt.*

VI. *Extitit* (d) *homo miſſus à Deo, cui nomen Joannes.*

VII. *Is venit ad* dandum *teſtimonium*, id eſt, *ut teſtaretur de illâ luce, ut omnes per eum crederent.*

(a) Sermo, non prolatus, ſed ſubſtantialis: non vox articulata, ſed genita, ſubſtantia divinæ efficaciæ. *Ignat. Martyr, in Epiſt. ad Magneſ.* ſimiliter *Clem. Alexandr. Strom.* 5.

(b) Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. Ο' Articulus oſtendit τὸ Λόγος ſubjectum eſſe, & Θεὸς prædicatum.

(c) Aliqui hîc periodum terminant; alii hinc inchoant; alii ulteriùs extendunt. Quibuſdam placet hæc punctuatio, *Omnia per hunc facta ſunt, & abſque eo factum eſt nihil. Quod factum eſt in ipſo, vita erat.* Sic diſtinguit *Vulg. Lat.* ſic etiam Hæretici, (teſte *Chryſoſtomo, in Joann. Hom.* 5.) ut probarent Spiritum Sanctum creaturam eſſe. Alii ad hunc modum, *Omnia per hunc facta ſunt, atque abſque eo factum eſt nihil, quod factum eſt in eo*; & deinde inchoant periodum, *Vita erat*, &c. Sic *Manichæi*: unde *duo Principia, Bonum & Malum*, aſſerere conabantur.

(d) Ex *Malach.* 3:1. & 4:5. Hem! quàm aptè duo Teſtamenta connectuntur!

VIII. *Non*

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. I.

VIII. *Non erat ille* (c) *Lux illa, ſed miſſus fuit ut teſtaretur de illâ Luce.*

IX. Hic (f) *erat Lux illa vera, quâ illuminat omnem hominem venientem in mundum.*

X. *In mundo erat, & mundus per eum factus eſt; ſed mundus eum non agnovit.*

XI. *Ad* (g) *ſua venit, & ſui eum non* (h) *exceperunt.*

XII. *Quotquot autem eum* (h) *exceperunt, dedit eis hoc jus, ut filii Dei ſint facti,* nempe *iis qui credunt in nomen ejus.*

XIII. *Qui non ex ſanguine, neque ex libidine carnis, neque ex libidine viri, ſed ex Deo geniti ſunt.*

XIV. Et *Sermo ille factus eſt caro, & commoratus eſt inter nos (& ſpectavimus gloriam ejus, gloriam,* inquam, *ut* (i) *Unigeniti* egreſſi *à Patre) plenus gratiæ & veritatis.*

JOANN. CAP. I. VERS. I.

(c) Erat *Baptiſta* lux quidem, ſed qualis primæva illa ante ſolis creationem, debilis & imperfecta: non erat lux illa longè ſplendidior poſt ejus occaſum oritura.

(f) Poteſt legi, vel, *Veniens in mundum illuminat omnem hominem:* vel, ut reddunt Noſtrates, *Omnem hominem venientem in mundum.* Quam quidem meliorem lectionem exiſtimo: primò, quia vox ἐρχόμενον, non φῶς, ſed ἄνθρωπον immediatè ſequitur, & propterea ex uſu Grammatices cum ea conjungi debet: ſecundò, quia uſitatiſſima eſt inter Hebræos periphraſis באי עולם, *venientes in mundum*, quam imitatur Euangeliſta. *Syrus* vertit ut Noſtrates.

(g) Tanquam in domum ſuam vel inter populares ſuos, uti *Joann.* 16: 32. & 19: 27. *Actor.* 4: 23. & 21: 6.

(h) Παρέλαβον, *verſ.* 11. ἔλαβον, *verſ.* 12. quæ tametſi ejuſdem plerumque ſint ſignificationis, poteſt tamen aliqua ſenſus diſcrepantia ex ipſa vocum diverſitate obſervari. *Chriſtus* ad Judæos in *corpore* acceſſit, quem tamen illi, malè obfirmato animo, penitus abnegarunt, nec quovis modo venientem pro *Meſſiâ* agnoſcere voluerunt. At verò *Gentes* illum *verbo* ac *Spiritu* ad eos profectum ſpiritualiter ilico amplectebantur.

(i) כ׳ אמתרת, *Kimchi in Miclol*, ut *Numer.* 11: 1. Populus erat *quaſi* (vel *ut*) queribundus. *Proverb.* 10: 20. *Animus improborum* quaſi *parvi eſt*, id eſt, erat *planè queribundus, omninò perparvi eſt.* Similiter hic intellige, *ipſam gloriam Unigeniti.*

Ordinis Ratio.

POſt procemium, ipſa, uti par eſt, Hiſtoria exorditur, idque à Chriſti Divinitate, modo ab Argumenti dignitate nequaquam alieno. Cæteri Euangeliſtæ ea omnia reticent, quæ ante Servatoris noſtri, vel ad ſummum Præcurſoris ejus, conceptum & nativitatem gerebantur: ſolus *Joannes* retrò lectorem ducit ad mundi creationem, & Vetus Teſtamentum, & promiſſa Patribus data, in quibus omnibus *Chriſtum* propinat contemplandum. Rectè itaque hic ſtatuimus Sacræ Hiſtoriæ initium; nec defenſionem quærimus, cùm res ipſa loquatur. Præcipuè verò quum nemo inficias iverit, quin in Hiſtoriâ de *Chriſto*, perſona ejus priùs quàm actiones ſit ſpectanda: atque in perſonâ divinâ, (de quâ hìc Joannes) priùs quàm humana natura declaranda.

Harmonia & Explicatio.

OStendit Euangeliſta ex *Geneſ.* 1: 1. mundum ab ejus *Creatore* redimendum eſſe, nempe à *Sermone* ſive ſecundâ SS. Trinitatis perſonâ ad tantum opus apprimè comparatâ. Atque hinc omnimoda evitatur confuſio, cùm in *externis operibus* Trinitatis, tum etiam in *termino filiationis:* in *his*, dum idem ille qui hominem creaverat, lapſum erigat redimatque: in *hoc*, dum *unus idemque* factus ſit & *Dei* & *hominis* Filius.

VERS. I. *Sermo.*] Sic paſſim in Veteri Teſtamento appellatur. I. Ut Creationis, *Pſalm.* 33: 6. II. Ut promiſſi author, 2 *Sam.* 2: 7. collato cum 1 *Paralip.* 17: 19. III. Ut ipſum *ſubjectum* fœderis & promiſſi, *Hag.* 2: 5. *Deuter.* 30: 12. collatis cum *Rom.* 10: 6, 7. Ex quibus omnibus benè penſitatis, liquet cur Joannes hanc *Sermonis* appellationem cæteris antetulerit. Hâc enim indicare voluit, I. Collapſum mundum à primo ejus Opifice reſtituendum. II. Promiſſum in eo præſtandum eſſe, per quem primùm erat datum. III. Eandem perſonam fœderis *ſubjectum* fuiſſe in Veteri Teſtamento, ac in Novo *ſubſtantiam.*

2 Sam. 7: 21. *propter* Verbum *tuum.* 1 Paralip. 17: 19. *exprimitur per* propter Servum *tuum*, *Chriſti titulum*, Iſaj. 42: 1.

Ex citatis, iiſque conſimilibus S. Scripturæ locis, quibus Dei Filius, *Sermo*, (vel *Verbum*) appellatur, obtinuit aliquando apud *Judæos*, ut iſthoc plerumque titulo dignoſceretur. Unde à priore illâ nuper allatâ, altera deducitur ratio, cur eo potiſſimùm nomine utitur Euangeliſta: quia nimirum vulgò notum erat, & pleriſque omnibus familiare. In promptu ſunt exemplorum decades ex *Paraphraſtis Chaldaicis:* ſufficiant è plurimis quæ ſequuntur pauca. *Geneſ.* 28:

20, 21.

Digitized by Google

20, 21. *Si fuerit Verbum Dei in adjutorium meum*, &c. *Erit mihi Verbum Domini in Deum*. Exod. 19: 17. *Eduxit Moſes populum è caſtris in occurſum Verbi Dei.* Iſaj. 1: 14. *Neomenias & feſtivitates veſtras deteſtatur Verbum meum:* & verſ. 16. *Auferte malum operationum veſtrarum è conſpectu Verbi mei:* & Cap. 45: 2. *Verbum meum tibi præibit.* Similiter *Iſaj*. 48: 11. & 49: 5, 15. & 51: 5. *Jerem*. 24: 6. & 27: 5, 18. & 29: 14, 23. *Hoſ*. 1: 7, 9. *Zach*. 2: 5. & alibi ſexcenties. Sic *Talmudiſtæ* frequenter, & *Philo Judæus* de *Mundi Opificio* explicat hunc titulum: vel ipſis *Ethnicis* haud penitùs ignotum; eo enim utitur *Merc. Triſmegiſtus* in *Pimandro*, (ſiquidem ejus ſit opella) ut, *Voluntas Dei quæ Verbum Dei complexa eſt*, &c. & paulò pòſt, *Mens autem Deus, vita & lux cum Verbo ſuo mentem aliam opificem peperit, qui quidem ignis Deus eſt, & Spiritûs numen:* & rurſus, *Verbum Dei compegit purum naturæ opus:* & *Intellectus opifex una cum Verbo.* Sic etiam *Orpheus* apud *Juſtinum Martyrem:*

> Οὐρανὸν ὁρκίζω σε Θεοῦ μεγάλου σοφὸν ἔργον,
> Αὐδὴν ὁρκίζω σε Πατρὸς, &c.

Diſertiſſimè verò *Mahometes* in *Alcorano*. *Eiſe ſive Jeſus*, inquit, *eſt Verbum Dei, & hoc ipſum ſcilic. Verbum Dei eſſe creditur inter Saracenos proprium Jeſu Chriſti nomen. Adeo ut nemo mortalium, præter unum Jeſum, eo nomine appellitetur, quem Arabicè vocant Eiſe.* Sam. Maroch. lib. de *Adventu Meſſiæ*, cap. 27. Druſius in *Præter.* in locum.

Et Verbum erat apud Deum.] Cave ut hæc ad *Filii* ſive ſecundæ Trinitatis perſonæ *æternitatem* torſeris. Aliud enim eſt Euangeliſtæ inſtitutum: nempe ut oſtendat quàm maximè idoneum eſſe, ut is qui mundum ex nihilo produxerat, eundem denuò reſtitueret labefactatum: & propterea *ſecundam* in Trinitate perſonam, potiùs quàm aliarum alterutram, incarnari debuiſſe. Quocirca verba iſta, *In principio*, non ad æternam *Verbi* eſſentiam ſunt referenda, ſed ad tempus quo ille creatis omnibus exiſtentiam primùm impertiverit. Phraſis enim *Moſaica*, *Geneſ*. 1: 1. ex uſu *Moſeos* eſt exponenda. Quum ergò nemo ſanus dixerit, verba *Moſeos* ad quicquam ante mundi creationem extendenda; parili ratione nec hæc Euangeliſtæ ſunt ulteriùs referenda, nec afferunt Filii *æternitatem*, nec ejus initium declarant: illud tantummodò affirmant, Filium tum quidem extitiſſe, cæteraque omnia per eum fuiſſe facta. Nec deeſt intereà quòd ſolidè reſponderi queat *Ebioni* & *Cerintho*, qui *Verbum* ante virginem *Mariam* non extitiſſe docuerunt: nam ex conceſſo eum *in principio* fuiſſe, rerumque omnium Creatorem; ultrò conſequitur, eundem fuiſſe ab æterno: nec opus eſt in re clarâ perplexam aut ambiguam probationem adhiberi.

Hac phraſi, *Verbum erat apud Deum*, haud inconſultò utitur Euangeliſta.

Nam primò, hinc nobis exhibet Filii *per ſe ſubſiſtentiam*, ac *coëxiſtentiam cum Patre:* hanc, per *erat cum Deo*; illam, per ſolitariam vocem *erat*. Secundò, *Diſtinctionem perſonarum*; *Erat* (ſcil. *Sermo*) *cum Deo:* & *Eſſentiæ unitatem*; *Erat Sermo ille Deus.* Dicitur Filius apud Patrem eſſe, quemadmodum & *liberi* apud *parentes* eſſe dicimus; id quod vice verſâ vix quiſquam dixerit. Atque hinc tertia ratio phraſeos, viz. *relatio* inter Patrem & Filium. Quartò, propter *antitheſin* ſive oppoſitionem inter ea quæ jam dicta ſunt, & quæ ſequuntur: ſcil. Verbum (olim *apud Deum*) commoratum eſt *inter nos.* Atque hinc profectò *Doctrina Incarnationis*, ut & *beneficii magnitudo* non parum illuſtratur. Ille enim, ille, inquam, qui *in principio Sermo* erat *apud Deum*, univerſi orbis *Creator* potentiſſimus, carnem noſtram, ut eſt, fragilem, caducam, in plenitudine temporis induere, cum hominibus verſari, miſerumque mortalium genus redimere non abnuebat.

Eratque Verbum Deus. Priùs, *Deus perſonaliter* pro Patre; nunc verò *eſſentialiter* pro Deitate eſt accipiendum.

Moſes de creatione agens, diſtinctionem perſonarum per plurale *Elohim* oſtendit: mox verò, *Geneſ*. 2: 4. Deum appellat *Jehovah Elohim*, propter eſſentiæ unitatem. Haud ſecùs *David* de Domino ejuſque *Verbo* locutus, 2 *Sam*. 7: 21. & de Domino ejuſque *ſervo*, 1 *Paralip*. 17: 19. concludit ilicò, unum tantummodò Deum eſſe, utcunque iſti tituli plures ſubindicare viderentur. *Non eſt par tibi; imò non eſt Deus præter te*, &c. 2 *Sam*. 7: 22. Similiter *Euangeliſta*, poſtquam diſtinctè de *Deo* & *Verbo*, & de eo, quòd *Verbum erat apud Deum*, abundè dixerat; nè quis forſan *plures* eſſe Deos malè ſuſpicaretur, ſtatim occurrit periculoſæ ſuſpicioni, omnique ſequiori interpretationi viam occludit, in quantum addit, quòd *Verbum erat Deus*.

Vers. 2. *Hic erat in principio apud Deum. Idem*, ſed non eodem reſpectu recenter dixerat. Priùs de *Sermonis* cum Patre *coëxiſtentiâ*, additâ explicatione, *Verbum erat Deus:* nunc verò de ejus *cooperatione* in creatione mundi loquitur, prout ſequentia indicant, *Omnia per ipſum facta ſunt.*

Vers.

JOANN. CAP. I. VERS. 3, 4.

Vers. 3. *Omnia per ipſum facta ſunt.* Per ipſum, non ut cauſam *inſtrumentalem*, quod contendebant *Ariani*; ſed ut *efficientem*. Id enim ſæpenumerò valet præpoſitio διὰ, 1 *Cor.* 1: 9. 1 *Theſſ.* 5: 9. 2 *Cor.* 1: 1. *Proverb.* 8: 15, 16. *Epheſ.* 1: 1. *Coloſſ.* 1: 1. quemadmodum ἐν etiam exponi poteſt, *Coloſſ.* 1: 6.

Atque abſque eo factum eſt nihil quod factum eſt. Magna hîc lectionum varietas, ut ſuprà notavimus. Vid. *Chryſoſt.* in loc. *Vulg. Lat.* & *Alcuin.* in locum. At verò *Ignatius in Epiſt. ad Antioch. Tatianus in Harmonia*; *Chryſoſt.* in locum, & plerique Veteres, nec non verſio *Arab. Syr. Ital. Gall. Hiſpan.* & *Latine* omnes, Vulgatæ non nimium addictæ, *noſtræ* favent lectioni, quam quidem ſenſus loci vehementer & apertè ſuadet. Quod pariter faciunt Pontificii nonnulli, Vulgatam rejicientes. Sic *Rhemiſtæ* in margine; *Maldonat.* &c. Quàm durus enim, obſcurus & planè diſtortus ſit, vel optimus, qui ex altera illa eorum lectione elici poteſt, videre eſt apud *Alcuin.* in loc. *Victorinum* adverſ. *Arium*, lib. 3. *Aquin.* part. 1. quæſt. 18. art. 4.

De ejuſdem rei repetitione (ſenſus enim hîc nihil differt ab eo qui jam præceſſerat in verbis iſtis; *Omnia per ipſum facta ſunt*) notentur hæc tria. Primò, fieri potuit ad intentiorem & certiorem rei aſſeverationem: quod frequenter faciunt Hebræi per affirmationem & negationem in eâdem periodo, ut 2 *Reg.* 20: 15. *Jerem.* 38: 25. *Lament.* 3: 2. Secundò, ut binis clauſulis diſtinguerentur diverſi creaturarum ordines, adeò ut affirmativa, *Viſibilia* omnia, quæ à Verbo facta fuiſſe *Moſes* diſertè docuerat, complecteretur; negativa, *Inviſibilia*, de quibus *Moſes* non ita clarè locutus eſt, comprehenderet. Vel, tertiò, ut *affirmativa* indicaret omnia à Verbo *creata* fuiſſe; *negativa*, porrò nihil ab eodem non *regi & diſponi*: *χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν*, ſcil. nihil aut *factum* eſt abſque eo, aut *ordinatum*, ut *Joann.* 5: 27.

Deuter. 30: 20. Pſalm. 66: 9. Proverb. 4: 13. Joann. 5: 24. & 6: 35. Coloſſ. 3: 3, 4. 1 Joann. 5: 12.

Vers. 4. *In ipſo vita erat.* Alluſio ad nomen ab Adamo uxori Evæ inditum, qui quaſi jam prævidiſſet promiſſum ei poſt lapſum datum iri, uxorem ſuam *Chavam*, i. e. Vitam, vocavit, *Geneſ.* 3: 20.

Huc uſque de *Verbo* tanquam *naturæ* authore diſſeruit Euangeliſta, nunc denuò de eodem, tanquam *gratiæ* fonte & origine, acturus; & quem priùs *Creatorem* dixerat, nunc *Redemptorem* pariter oſtendit. Cùm enim *omnia* per ipſum facta fuiſſe, atque inter alia hominem exiſtentiam ac ſpiritum ab eo hauſiſſe docuiſſet; pergit uberiùs enarrando, quomodo per idem illud Verbum homo lapſus, perditus, pœnæque mortis adjudicatus, novam eamque præſtantiorem vitam recuperaverit: per *fidem* nimirum, quâ ſermonem in promiſſo oblatum amplexatur, ut *Habac.* 2: 4.

JOANN. CAP. I. VERS. 4, 6, 7.

Epheſ. 5: 14. 1 Pet. 2: 9. 1 Joann. 2: 8.

Et vita erat lux hominum. Vita in promiſſo, erat lux illa in mundo ſplendens, ad quam Patriarchæ omnes & Prophetæ, ſanctique viri, quotquot antè promiſſi adimpletionem vixerunt, quaſi ad ſtellam in tenebris fulgentem, reſpexêrunt: Hujus ope cultum ſuum dirigebant; atque in hunc ſcopum unicè collimârunt. Atque illa quidem tunc temporis emicuit, ac etiamnum elucet, in typis & umbris, in figuris & prædicationibus Legis & Prophetarum, quoties leguntur. Quam non tenebræ illæ, non obſcura myſteria; quibus, quaſi obductâ nebulâ, involvebatur, non, inquam, eò uſque obruebant; quin etiam per tantam caliginem penetraverit effulſeritque. Nec tamen tantus erat iſtius lucis vigor, ut Euangelii prædicationem redderet ſupervacaneam; quæ, quibus modis cœpta & peracta fuerit, feſtinat Euangeliſta enarrare, à Joannis prædicatione verſum exorſus inſequentem.

Vide Iſai. 25: 7. & 32: 3. & 9. 2 Corinth. 3: 13. Hebr. 12: 18.

Vers. 6. *Extitit homo miſſus à Deo*; &c. Poteſt hîc lector oculos retrò convertere, atque Euangeliſtæ methodum ſcopumque contemplari, unà cum ratione cur Chriſtum, *Verbum*, potiùs quàm alio nomine, appellavit. Primò enim *Verbum* erat, per quod tam homo, quàm cætera univerſa creabantur. Secundò, per quod homo poſt lapſum, renovatus eſt, & ad vitam reſtitutus. Tertiò, Verbum lucis, directionis, & conſolationis S. Patriarchis. Quartò, *Verbum promiſſionis*; nondum ſublatâ Legis & Prophetarum caligine: & nunc demùm Verbum eſt *incarnatum*, Euangeliique promulgator, quod à Joanne incipit, *Marc.* 1: 1. Atque hoc modo oſtendit Euangeliſta totum Vetus Teſtamentum à principio ad finem nihil aliud eſſe, quàm ipſum Euangelium, quanquàm obvelatum, & de Chriſto ſubobſcuriùs locutum: in creatione, *verſ.* 3. in promiſſo, *verſ.* 4. & ibidem in expectatione Patrum: inter Legis & Prophetarum tenebras, *verſ.* 5. & poſtremò in clarioris revelationis neceſſitate per adventum ejus in carne manifeſtandæ, *ibidem*.

Vers. 7. *Ut teſtaretur de illâ luce.*] Hîc, ut etiam in verſibus qui ſequuntur, lux *perſonaliter* pro Chriſto ſumenda eſt; at *verſ.* 4, 5. *virtualiter* pro lumine ab eo emanante accipiebatur; quapropter dicitur quòd lux (ſive lumen) illa erat *in* eo. Hîc Chriſtum

zed by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 10, 11, 12.

ipſum notat, qui eſt lux illa, quemadmodum vocatur, *verſ.* 9. Vide *Iſaj.* 10: 17. & 42: 6. & 49: 6. *Mich.* 7: 8. *Numer.* 24: 17. *Pſalm.* 84: 1. *Malac.* 4: 2. &c. Nam primò Chriſtus Deum Patrem ejuſque voluntatem patefacit, *Joann.* 1: 18. & 16: 25. Lux autem eſt quæ alia manifeſta reddit, *Epheſ.* 5: 13. Secundò, eſt effulgentia gloriæ, & character perſonæ illius, *Hebr.* 1: 3. qui eſt lux, in quo nullæ ſunt tenebræ, 1 *Joann.* 1: 5. Tertiò, ſuorum corda per fidem illuminat, *Epheſ.* 5: 14. Chriſtus in Euangelio patefactus longè clariore eà, quæ ſub Lege fuit, cognitione, mundum illuſtravit, *Iſaj.* 11: 9. *Pſalm.* 19: 8. 9.

Ut omnes crederent per illum.] Vox *omnes*, Gentes huc uſque excluſas cum Judæis unit & conjungit: quod pariter notat phraſis illa, *Lux quæ illuminat* omnem *hominem venientem in mundum*, כל באי עולם, *Verſ.* 9. Hoc enim de univerſali illâ totius mundi per Euangelium illuminatione intelligendum. Confertur enim lux *Euangelii*, & *Chriſti* in eo ſplendeſcentis, ei quæ in *promiſſo* ſub *Lege* fuit, (fortior imbecilliori.)

Vers. 10. *In mundo erat.*] Non occultè & virtualiter per potentiam ejus & providentiam; ſed vel ſenſibus, per vocem auribus, per ſpeciem oculis, manifeſtus, etiam priùs quàm humanam naturam induiſſet, ut *Geneſ.* 15. & 18. & 32. *Exod.* 3. *Joſ.* 6. etiam vel ab improbis & barbaris hominibus conſpici & exaudiri non dedignabatur, *Geneſ.* 4. & 20. & 21. & 31. *Dan.* 3: 24, 25. *Exod.* 14.

Vers. 11. *Ad ſua venit.*] *Incarnationem* loquitur, & *Judæos*, ad quos, velut ad peculium ſuum, in carne profectus, & inter eos verſatus, rejiciebatur. Erant autem *ſui*, electione, *Deuter.* 7: 6. acquiſitione, *Exod.* 19: 4, 5. fœdere, *Deuter.* 26: 18. & conſanguinitate, *Hebr.* 2: 16.

Privilegium, dignitatem, vel authoritatem, ut notat ἐξουσία, 1 Cor. 8: 9. & 9: 5, 6. Actor. 5: 4. Matth. 7: 29. ἐξουσία μάχιτος, Ariſtot. Ethic. 8.

Vers. 12. *Poteſtatem filios Dei fieri.*] Populus Eccleſiæ vocantur Filii Dei, *Geneſ.* 6: 2. & poſt Babelis diſperſionem, (quum Gentes vocabantur Filii hominum, *Geneſ.* 11: 5. (erat hic titulus Judæis peculiaris, *Exod.* 4: 22. *Hoſ.* 11: 1. Quum verò Judæi, utcunque Chriſti olim peculium, eum ità venientem rejecerint, exuendi erant iſthoc privilegio: Genteſque omnes, qui eum recipere non recuſarint, præclaro illo *Filiorum Dei*, vel (quod perinde valet) *Eccleſiæ Chriſti* titulo deinceps erant cohoneſtandi.

Qui credunt in nomen ejus.] Id eſt, in illum. Nam Dei nomen ſæpiſſimè in Sacro Codice, pro ipſo Deo ponitur, *Pſalm.* 75: 1. *Mich.* 6: 9. *Actor.* 3: 16. Etenim Deus ſine omni mixturâ aut compoſitione, puriſſima ſimpliciſſimaque eſſentia; & propterea nomen ejus & Deus ipſe unum idemque ſunt, non, ut in creaturis, diverſa, *R. Menahem* in *Exod.* 6.

JOANN. CAP. I. VERS. 13, 14.

Vers. 13. *Qui non ex ſanguine.*] Græc. *non ex ſanguinibus*, i.e. Majoribus, ſtemmate, vel ſerie genealogicâ à Patriarchis *Abrahamo*, *Iſaaco*, *Jacobo*, & ſic deinceps deductâ. *Joannes* enim *Euangeliſta* penè ità hîc loquitur, ut *Baptiſta*, *Matth.* 3: 9. Nempe *Chriſtum*, qui olim *Judæos* in filios adoptaverat, *Gentes* etiam ſibi in hæreditatem aſſumpturum, quanquàm à Judæis non ſint oriundi.

Neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri.] Moſis veſtigiis inde ab exordio Capitis preſsè inhærens *Euangeliſta*, nondum aliâ divertitur, utpote qui phraſi (Filii Dei) ex *Geneſ.* 6: 2. deſumptâ utebatur; pergit & aliam ex *verſu* ſecundum illum proximè ſequenti, mutuari: viz. *Non diſceptabit ſpiritus meus cum hominibus in ſeculum, quia caro iſti ſunt.* Quo in loco, ut Moſes per *carnem* intelligit *Cainis* prolem, homines luxui & libidini deditos, praviſque affectibus abreptos; & per *homines*, *Sethi* ſobolem, vel *Adami* filios, qui religioni & rationi obſequentes, vitam inſtituerunt, uſque dum degeneres, tandem in aliorum vitia proni reciderunt, factique ſunt *carnales:* ità & hîc *Joannes* utramque vocem accipit. Cùm enim oſtenderat, homines non eò in filios Dei cooptari, quòd ex Abrahamo ejuſque poſteris prognati ſint; & proinde jus illud, quod *Judæi* crediderunt nunquam violandum eſſe, planè nullum demonſtrarat: hîc etiam & alia, de quibus præcipuè inter homines jactatio eſſe ſolet, prætextus & jura, ſimiliter invalida eſſe docet: nempe primò, *voluntatem carnis*, i.e. naturæ vires; deinde, *voluntatem viri*, i.e. vim Philoſophiæ moralis.

Hinc impiè concluſit Apollinaris, carnem *ſolummodò humanam, non animam, à Verbo ſuſceptam eſſe; & Deitatem in Chriſti corpore* animæ rationalis *vices obiiſſe. Refutatur verò ex* Luc. 2: 52. & Matth. 26: 38.

Vers. 14. *Et Verbum factum eſt caro.*] Nunc tandem ad ingens illud incarnationis myſterium deventum eſt, in quo hæc præcipuè obſervanda. Primò, duo termini: alter, *Verbum & Caro*, binas in Chriſto naturas innuens; & alter, *factum eſt*, hypoſtaticam indicans unionem. Secundò, quòd Euangeliſta ſelegerit vocem *caro*, potius quàm *homo*, tametſi planè ejuſdem non rarò ſint ſignificatûs, ut *Geneſ.* 6: 12. *Pſalm.* 65: 2. *Iſaj.* 40: 5, 6. Idque primò, ut duas in Chriſto naturas luculentiùs oſtenderet, more loquendi ſcilicet apud Judæos perquàm familiari, qui *carnem & ſanguinem Deo* opponunt, *Matth.* 16: 17. *Galat.* 1: 16. Secundò, ut immenſam Dei miſericordiam

diam magnificentiùs extollat, eò quòd carnem adeò infinitis vocibus divinâ naturâ inferiorem, ità evexerit, duaſque naturas adeò miris modis in eadem perſonâ conjunxerit, ut per eam miſeros homines ſibi conciliaret. Tertiò, ut veritatem circa Chriſti humanitatem contra naſcituras hæreſes muniret, quæ illum non veram & realem, ſed aëream atque imaginariam carnem induiſſe finxerunt. Quartò, ut quod priùs dixerat de credentibus, quòd *facti erant filii Dei*, illuſtraret. Non enim ità fiunt per mutationem ſubſtantiæ corporalis, ſed per divinæ gratiæ participationem: è contrà enim *Chriſtus* factus eſt Filius Hominis, non quia in carnem mutatus eſt, ſed quia eam aſſumpſit. Quintò, ut oſtenderet vulneri remedium, & morbo medicamentum maximè idoneum adhiberi. Quum enim in nobis, id eſt, in *carne* noſtrâ nihil boni reperiatur, ſed tantùm peccatum, mors & corruptio; hanc tamen naturam ità turpiter inquinatam *Chriſtus* purgans è ſordibus, aſſumpſit, & per eam noſtris medicatus eſt corruptelis. Sextò, factum eſt *caro*; non ait, factum eſt *homo*, nè quis fortè conjiceret, eum *perſonam* aliquam *ſingularem* induiſſe, quod non omnino fecit, ſed *naturam humanam in genere* aſſumpſit.

Factum eſt caro.] Non mutatione, ſed aſſumptione; non Deitatem in carnem commutando, ſed carnem ad Deitatem aſſumendo; non ità ut deſinat eſſe quod priùs fuerat, viz. Deus, ſed ità ut novi aliquid ſibi adjungat, viz. naturam humanam.

Maluit autem Euangeliſta, *factum eſt caro* dicere, potiùs quàm *aſſumpſit carnem*, ut Incarnationis myſterium uberiùs illuſtraret, tam quoad *hypoſtaticam* perſonarum *unionem*, quàm earundem, poſtquam unitæ erant, *inſeparabilitatem*. Primo, hinc redarguitur *Neſtorius*, qui aſſeruit, *Verbum non fuiſſe hominem illum ex Virgine natum & conceptum; ſed poſtquam Virgo hominem pepererat, qui in omnimodâ virtute multùm profecerat, illum demùm Verbum Dei adeptum eſſe, & cum illo unitum, cujus virtute ſpiritus immundi ei ſubjiciebantur:* unde duas commentus eſt perſonas, duoſque ex duabus naturis filios à ſe mutuò diſtinctos. Strenuè autem & ſolidè refutatur hæc ejus hæreſis ex phraſi *Factum eſt caro*, cui altera illa, *Aſſumpſit carnem*, non ità ex diametro fuiſſet adverſata. Secundò, *Eutyches* & *Valentinus*, aliique qui ſtatuerunt *Chriſtum* non *verum*, ſed *apparens* corpus, habuiſſe, ex eâdem apertiſſimè falſitatis arguuntur, nec eorum errori relinquitur vel minima rationis ſpecies: quem tamen *aſſumpſit*, non ità penitùs ſuſtuliſſet, quandoquidem notum ſit, Angelos corpora aliquando aſſumpſiſſe, nec indè tamen ſequitur, corpora iſta fuiſſe verè humana. Quamobrèm hæc quatuor per phraſin illam, *factum eſt*, apertiſſimè indicantur. Primò, binas eſſe in Chriſto naturas, divinam ſcil. & humanam: in quantum non dicatur, *mutatum eſt in carnem*, ſed, *factum eſt caro*. Secundò, binas haſce naturas non conſtituiſſe duas perſonas, ſed unum Chriſtum: dicitur, *factum eſt caro*, non, *aſſumpſit carnem*. Tertiò, unionem illam hypoſtaticam eſſe: ait enim, *factum eſt caro*, non, *adjunctum carni*. Quartò & poſtremò, unionem iſtam nunquam ſolvendam eſſe, naturas nunquam ſeparandas: quanquam enim Angeli, depoſitis quæ aliquando acceperant corporibus, nudi inpoſterùm manſerunt ſpiritus; *Verbum* tamen ità factum eſt caro, ut unio ſit hypoſtatica, & nexus nunquam diſſolvendus.

Et commoratus eſt inter nos.] Nos ſcil. *Diſcipulos* ejus, quod ex phraſi proximè inſequente, *Vidimus gloriam ejus*, facilè colligitur. Idem Euangeliſta hanc rem tractat uberiùs, 1 *Joann.* 1: 1.

Plenus gratiæ ac veritatis.] Hæc enim verba proximè collocanda ſunt juxta ordinem ac conſtructionem Grammaticam: *Et Sermo factus eſt caro, & commoratus eſt inter nos, plenus gratiæ & veritatis. Vidimus gloriam*, &c. inſeritur per parentheſim, ob duplicem rationem. Primò, ut notum faceret, quinam illi ſunt qui per *nos* intelligendi, ſcil. Diſcipuli, *qui gloriam* ejus vidimus. Secundò, quia Apoſtoli *plenitudinem gratiæ* & *veritatis* in eo priùs non ſentiebant, quàm vidiſſent plenitudinem *gloriæ* iſtius, quam iis aliquandò in terris patefecit.

Gratiæ ac veritatis.] Quemadmodum duæ ſunt præcipuæ animæ facultates, intellectus & voluntas, quæ circa *verum* & *bonum*, objecta ſua peculiaria, maximéque propria, verſantur: ità hæc duo præcipuè tractant S. Scripturæ, *Pſalm.* 25: 10. & 40: 12. & 36: 5. & 138: 2. *Hoſ.* 2: 19. Cùm itaque promiſſa omnia, in gratiâ data, & in veritate adimpleta, Chriſtum (in quo ſunt Imò & Amen) tanquam illorum *ſubſtantiam* habuerint; docet Euangeliſta per hæc verba, *Commoratus eſt inter nos, plenus gratiæ ac veritatis*, omnia illa promiſſa in eo fideliter præſtari, & typorum ac vaticiniorum, ſive quæ ante Legem, ſive ſub Lege ad illum quovis modo referebantur, horum, inquam, omnium veritatem integrè in eo exhiberi: quinimò in eo fuiſſe plenitudinem illam gratiæ ac veritatis, quam Patriarchæ, Prophetæ, Sanctique omnes expectabant; & denique eundem fuiſſe Scripturarum ſcopum, ſubjectum & tenorem.

Digitized by Google

SECTIO III.

LUCÆ CAPUT I.

Conceptio & nativitas Joannis Baptiſtæ & Chriſti per Angelum Gabrielem prænunciantur.

VERS. V. *Fuit* (a) *diebus Herodis illius Regis Judææ, Sacerdos quidam nomine Zacharias, ex claſſe Abiæ: uxor verò ipſius erat ex* (b) *filiabus Aaron, & nomen ejus Eliſabeta* (c).

VI. *Erant autem* (d) *juſti ambo in conſpectu Dei, incedentes in omnibus mandatis & conſtitutionibus Domini inculpatè.*

VII. *Nec erat eis proles, eò quòd eſſet Eliſabeta* (e) *ſterilis, & ambo* (f) *provecti jam eſſent ætate.*

VIII. *Factum eſt autem ut cùm is ſacerdotio fungeretur in ordine ſuæ claſſis* (g) *ante Deum,*

IX. *Secundùm ritum functionis ſacerdotalis, ſortitus ſit munus ſuffitûs faciendi, ingrediendo in Templum Domini.*

X. *Tota verò multitudo populi foràs precabatur tempore ſuffitûs.*

XI. *Viſus eſt autem ei* (h) *Angelus Domini, ſtans ad dexteram altaris ſuffitûs.*

XII. *Et Zacharias eo viſo* (i) *turbatus eſt, & timor* (k) *incidit in eum.*

XIII. *Dixit autem ei Angelus, Ne time, Zacharia, nam exaudita eſt precatio tua, uxorque tua Eliſabeta gignet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem* (l).

XIV. *Et is erit tibi* (m) *gaudio & exultationi, multique ſuper ejus nativitate gaudebunt.*

XV. *Erit enim magnus in conſpectu Domini, & vinum* (n) *ciceramque non bibet, & Spiritu Sancto implebitur etiam à* (o) *ventre matris ſuæ.*

XVI. *Multoſque filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum.*

XVII. *Nam ipſe præcedet in conſpectu ejus cum ſpiritu & virtute* (p) *Eliæ, ut convertat corda patrum in filios, & rebelles ad* (q) *prudentiam juſtorum: ut paret Domino populum inſtructum.*

(a) *Herod* cum ה à fronte ſignificat *metum* vel *tremorem*, ut olim fons iſte, *Judic.* 7: 1. dictus eſt חרד, à timida *Gideonitarum* contremiſcentiâ. *Syrus* tamen & *Arabs* ſcribunt cum ה in initio.

(b) Joannes Baptiſta ex lineâ ſacerdotali tam ex parte matris, quàm patris.

(c) Septuaginta Aaronis, primi Sacerdotis, uxorem eodem nomine vocant.

(d) Sic *Abram* & *Sara*, *Iſaac* & *Rebecca*, *Elkana* & *Hannah*, ſinguli pares diu poſt conjugium ſteriles, & in conſpectu Dei juſti.

(e) Per totam Scripturam ſterilitas mulieri ſemper attribuitur.

(f) Hebraiſmus, ut *Geneſ.* 18: 11. 1 *Reg.* 1: 1. &c.

(g) Cultus divinus in Templo exhiberi ſolitus, dicebatur eſſe in conſpectu Dei, *Exod.* 23: 17. *Levit.* 1: 3, 11. & *Arca*, *Chriſti* utique repræſentatio, vocatur *Facies* ejus, *Pſalm.* 105: 4. imò verò *Deus ipſe*, *Pſalm.* 132: 5.

(h) Confer hanc Angeli apparentiam cum illa Gabrielis circa tempus ſuffitûs, *Daniel.* 9: 21.

(i) Ἐταράχθη. Quâ voce exprimunt LXX. *Pharaonis* ex inſomnio ſollicitudinem, *Geneſ.* 41: 8. atque eam ſervorum ejus, *Geneſ.* 40: 6. Confer *Judic.* 6: 22. & 13. 22. *Dan.* 8: 17. *Job.* 4: 14.

(k) Ut *Geneſ.* 15: 12.

(l) Idem ac *Jochanan* in Veteri Teſtamento frequentiſſimum: ut 1 *Paralip.* 3: 15. & 6: 9. & 12: 12. & 26: 3. 2 *Paralip.* 17: 15. & 23: 1. & 28: 12. *Jerem.* 40: 8.

(m) Ut שמחה, *Job.* 3: 12. אלי גיל. *Arabs* addit *habebis* gaudium *magnum*.

(n) Ut *Geneſ.* 21: 6. Σίκερα ex Hebræo שכר, quo ſenſu accipitur à LXX. *Levit.* 10: 9. *Numer.* 6: 3. *Iſaj.* 5: 11. & 28: 7. &c. Aliquando *Vinum* ſignificat: ut *Numer.* 28: 7. utplurimùm verò quodlibet potûs genus inebrians. Vinum quadraginta dierum vocatur *Shikar*, inquit *R. Menahem* in *Levit.* 10. Similiter *Chald. Paraphr.* in *Numer.* 6: 3. & 28: 7. *Judic.* 13: 4. Sed, *Quicquid inebriat ſive ex grano, ſive ex melle, ſive ex frugibus eliciatur, vocatur Shikar.* R. *Ezra* in *Levit.* 10. R. *Kimch.* in *Miclol*, *Brucioli*, Verſio *Italica*, ut & Gallica reddunt per *Cerevisiam*.

(o) Ἀστεῖος τῷ Θεῷ, ut *Moſes*, *Actor.* 17: 20. *Jerem.* 1: 5.

(p) *Hebr.* אֵלִיָּהוּ, 1 *Reg.* 17. *Græc.* apud LXX. Ἠλίου. At verò *Malach.* 4: 7. habet Textus *Hebraicus* אליה, quod per LXX. vertitur Ἠλίας.

(q) Ἐν φρονήσει. *In* prudentia, vel *per* prudentiam.

XVIII.

XVIII. *Tunc dixit Zacharias Angelo, Quo argumento iſtud noſcam? Ego enim* (a) *ſum ſenex, & uxor mea provecta eſt ætate.*

XIX. *Et reſpondens Angelus dixit ei, Ego ſum* (b) *Gabriel, qui adſto in conſpectu Dei;* (c) *miſſuſque ſum ut te alloquar, & hæc tibi læta nunciem.*

XX. *Et* (d) *ecce ſilebis, nec loqui poteris ad eum uſque diem quo hæc fient: eò quòd non credidiſti ſermonibus meis, qui implebuntur tempore ſuo.* (e)

XXI. *Erat autem populus expectans Zachariam, & mirabantur quòd is tardaret in Templo.*

XXII. *Ille verò egreſſus* (f) *non potuit eis loqui. Et agnoverunt eum viſionem vidiſſe in Templo; nam ipſe innuebat eis: permanſitque mutus.*

XXIII. *Et factum eſt, ut impleti ſunt dies miniſterii ipſius, abiit domum ſuam.*

XXIV. *Poſt illos autem dies concepit Elizabeta uxor ejus, & occultavit ſe menſes* (g) *quinque, dicens:*

XXV. *Nempe ità mihi fecit Dominus diebus quibus* (h) *me intuitus eſt, ut auferret opprobrium illud meum inter homines.*

XXVI. *Menſe autem ſexto miſſus eſt Angelus Gabriel à Deo in urbem* (i) *Galilææ, cui nomen Nazaretha.*

XXVII. *Ad Virginem deſponſam viro cui nomen erat* (k) *Joſephus, ex domo Davidis; nomen autem Virginis erat* (l) *Maria.*

XXVIII. *Ingreſſus igitur ad eam Angelus, dixit: Ave gratiâ dilecta, Dominus tecum* eſt: *benedicta tu inter mulieres.*

XXIX. *Illa verò, cùm eum vidiſſet, perturbata eſt ſuper ejus ſermone: & cogitabat qualis eſſet ſalutatio iſta.*

XXX. *Tunc dixit ei Angelus, Ne time, Maria,* (m) *es enim in gratia apud Deum.*

XXXI. *Et ecce* (n) *concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum.*

XXXII. *Hic erit magnus, &* (o) *filius* (p) *Altiſſimi vocabitur:* (q) *dabitque ei Dominus Deus ſedem Davidis patris ipſius.*

(a) Ut *Geneſ.* 18: 12.

(b) *Dan.* 8: 16. & 9: 21.

(c) Refertur ad viſibilem quam induerat formam.

(d) Signum quod *Achazo* dedit Deus ſimiliter introducitur per *Ecce, Iſaj.* 7: 14. collato cum *Ezech.* 3: 11.

(e) Εἰς καιρὸν, *Matth.* 2: 23. ut εἰς χολὴν πικρίας, *Actor.* 8: 23.

(f) Prima ſuffitûs oblatio magno erat cum Sacerdotum malo, *Levit.* 10. adeòque ritus iſte ſummo in pretio apud *Judæos* initium habuit in *ignorantia*, & exitum in *infidelitate*.
Olim defierat *vaticinandi* munus; nunc etiam *ſacerdotale* evaneſcit.

(g) Nota idem temporis ſpatium, ſiquidem per menſes numeretur, *Geneſ.* 7: 24. & *Apocal.* 9: 5.

(h) *In me* legunt *Noſtrates*: ſic *Arabs* & *Syrus*, quanquam parum ſuggerat Textus Originalis, ni forſan per præpoſitionem in ἐπεῖδεν.

(i) Vide 1 *Reg.* 9: 11. & *Iſaj.* 9: 1. & juxta LXX. *Joel.* 3: 4. & *Ezech.* 47: 9.

(k) Hic mihi venit in mentem celebratiſſimi illius Patriarchæ *Joſephi*, *Geneſ.* 37. uterque per inſomnium in *Ægyptum* miſſus; ubi alter *patrem* ſuum aluit, alter *Redemptorem*. Erant præterea hujus nominis, ex *Arimathæâ* unus, alius cui cognomentum erat *Juſtus*.

(l) Græc. Μαριάμ, quâ voce LXX. transferunt nomen ſororis Moſis, *Exod.* 15. &c. Vox propriè & apertè indicat, cum *rebellionem Judæorum*, tum etiam *amaram* eorundem afflictionem. Multum & atrociter puniebantur propter *Iſraëlis* in *Ægypto* ſcelera, tum cum *Miriam* hoc ſortita eſt nomen.

(m) *Geneſ.* 6. 9.

(n) Vulgato inter *Judæos* loquendi more utitur, ut *Geneſ.* 4: 1. quo oſtendat veram conceptionem & realem Servatoris noſtri nativitatem: perſtringens utique Hæreſin iſtam quæ ſtatuit, *Eum per uterum virgineum tanquam per canalem tranſiiſſe, abſque omnino ullâ naturæ participatione*: ut & aliam quæ ponit, *Eum non fuiſſe realiter natum*, ſed ἐν φαντασίᾳ. Hæc verba reſpiciunt ad *Iſaj.* 7: 14.

(o) *Vocabitur*, id eſt, *erit*: ut *Iſaj.* 1: 26. & 4: 2 & pro eo agnoſcetur.

(p) *Geneſ.* 14: 19.

(q) Jehovah Elohim.

XXXIII.

XXXIII. *Regnabitque in domum Jacobi* (a) *in æternum : & regni ejus* (b) *non erit finis.*

XXXIV. *Dixit autem Maria ad Angelum ,* (c) *Quomodo erit iſtud , quandoquidem virum* (d) *non novi ?*

XXXV. *Et reſpondens Angelus , dixit ei , Spiritus Sanctus ſuperveniet in te , & virtus Altiſſimi inumbrabit te : propterea id etiam quod naſcetur* (e) *ex te ſanctum , vocabitur Filius Dei.*

XXXVI. *Et ecce , Elizabeta* (f) *cognata tua , & ipſa concepit filium in ſenectute ſua ; & hic menſis eſt ſextus ipſi quæ vocabatur ſterilis.*

XXXVII. (g) *Quia apud Deum non erit ullum verbum quod fieri non poſſit.*

XXXVIII. *Dixit autem Maria , Ecce ancilla Domini , fiat mihi ſecundùm verbum tuum. Et abiit ab ea Angelus.*

XXXIX. *Surgens verò Maria per eos dies , profecta eſt in* (h) *montanam regionem cum feſtinatione in urbem Juda :*

XL. *Et ingreſſa eſt domum Zachariæ , & ſalutavit Elizabetam.*

XLI. *Et factum eſt , ut audivit Elizabeta ſalutationem Mariæ ,* (i) *ſubſiliit fœtus in utero ejus ; & repleta eſt Spiritu Sancto Elizabeta.*

XLII. *Exclamavitque voce magnâ , & dixit : Benedicta tu inter mulieres , quia* (k) *benedictus fructus uteri tui.*

XLIII. *Et unde hoc mihi , ut veniat mater* (l) *Domini mei ad me ?*

XLIV. *Ecce enim , ut extitit vox ſalutationis tuæ in auribus meis , ſubſiliit fœtus exultans in utero meo.*

XLV. *Et beata eſt* (m) *quæ credidit ,*

(a) *Iſaj.* 2: 5.

(b) *Iſaj.* 9: 7. *Dan.* 7: 14. *Mich.* 4: 7. *Pſalm.* 145: 14. *Hebr.* 7: 17.

(c) Quomodo in Sacro Volumine nonnunquam ſtrenuè aſſerit , vel negat , ut *Thren.* 1: 1. *Geneſ.* 39: 9. & 44: 34. nunc cum *dubitatione* interrogat , ut *Joann.* 6: 52. & 3: 4. nunc autem cum ignorantia , ſed abſque *dubitatione* , cum diſcendi deſiderio , ut *Joann.* 7: 15. *Luc.* 20: 44. quo ſenſu hîc ponitur. Credit enim Virgo *rem* factum iri , *verſ.* 45. de modo intereà ſollicita. Nam non ait , Hoccine fieri poteſt ? ſed , Quo , quæſo , modo hoc efficietur ?

(d) Pro coïtu modeſta periphraſis , quâ uſus eſt *Adamus* , ſtatim ac faſſus eſt ſe ex arbore ſcientiæ comediſſe , *Geneſ.* 4: 1. ac ſi ſubinnuere velit , omnem inde hauſtam ſcientiam *carnalem* fuiſſe. Ille uxorem novit , & miſeriarum experti , par infelix ſe *nudos* eſſe intellexerunt.

(e) *Ex te :* ſic *Syrus* , *Arabs* , *Juſtinus Martyr in Dialog. Nazianzenus* , *Orat.* 59. *Aponius in Cantic. Titus* in locum. Quidam tamen Codices non abſque periculo iſtis vocibus carent : cujuſmodi ſunt *Theophylacti* , *H. Stephani* , 1604. & *Amſtelodamenſis* , 1632. *Eraſmi* , &c.

(f) Gradus conſanguinitatis nequit certò determinari : potuit autem *Elizabeta* , vel ejus mater , *ſoror* eſſe *patris* vel *matris virginis Mariæ* , vel *Mariæ ava* ex matre potuit *ſoror* fuiſſe *patris* , vel *matris Elizabetæ* , vel *Zachariæ*. Utcunque verò ſe res habuerit , conſtat *Chriſtum* & *Joannem* ſanguinis propinquitate conjunctos fuiſſe , quanquam *Joannes Chriſtum* non novit priùs quàm Spiritu revelabatur.

(g) *Geneſ.* 18: 14.

(h) Nota eſt & pervulgata Judææ diviſio in *montoſa* , *planiciem* & loca Auſtralia , *Numer.* 13: 29. *Jerem.* 32: 44. &c. Pars Auſtralis eſt proxima ad Seir & Amalek , ab introitu uſque ad ultimos fines , ſive ad Mare mortuum , cui adjacent ab Occidente Philiſtæi. Hæc pars uſque ad clivos montium non longè ab *Hebrone* diſtantes ſeſe porrigebat. Hanc ſtatim excipiunt montes continuo jugo uſque ad *Hieroſolymam* , vel ultra eam verſùs Septentrionem excurrentes. Unde magna deinde *Jordanis* planities Orientem ſpectans protenditur , uſque ad ea loca quæ ex Samaria & Galilæa novis diſtinguuntur nominibus.

(i) Græc. ἐσκίρτησε. Quibuſdam idem eſt ac ἀσκαρίζω , quod apud Medicos ſignificat cujuſvis fœtûs in utero vivi qualemcunque motitationem. At verò hæc vox concitatiorem quendam & vehementiorem motum oſtendit , innuitque apud *Platon. Pol.* 9. laſcivientes virorum vel mulierum in inſomniis imaginationes. *Conſopita enim nobiliori animæ parte rationis participe , tum craſſior illa pars potu & cibo quodammodo ſaginata ,* σκιρτᾷ , *ſalit , ſive laſcivit , & depulſo ſomno ſuas cupit explere cupiditates.*

(k) Meſſias ſex benedictionibus locupletabitur , inquiunt R. *Solom.* & *Paraphraſis Chaldaïca* in *Ruth.* 3: 15. viz. Spiritu ſapientiæ , intelligentiæ , conſilii , potentiæ , ſcientiæ , & timoris Domini.

(l) Τοῦ Κυρίου μου. Quod non reſpondet voci יהוה , ſed לאדני , ut *Pſalm.* 110: 1.

(m) Vulg. Lat. *Beata quæ credidiſti* , per errorem juxta Janſenium , ſpiritu aſpero pro leni ſumpto ; adeò ut legerit Interpres , αὕτῃ pro αὐτῇ.

nam

LUCÆ, CAP. I.

(a) *nam* (b) *perficientur ea quæ dicta ſunt ei à Domino.*

XLVI. *Tunc ait* (c) *Maria, Magnificat anima mea Dominum,*

XLVII. *Et exultat ſpiritus meus ſuper Deo ſervatore meo.*

XLVIII. *Quia reſpexit humilem ancillam ſuam: ecce enim ex hoc tempore beatam me prædicabunt omnes ætates.*

XLIX. *Quia magnificè mecum egit* (d) *potens ille cujus ſanctum eſt nomen,*

L. *Et cujus miſericordia in omnes ætates* (e) *parata eſt timentibus ipſum.*

LI. *Forte facinus fecit* (f) *brachio ſuo: diſſipavit ſuperbos* (g) *cogitatione cordis ipſorum.*

LII. *Detraxit potentes è thronis, & extulit humiles.*

LIII. *Famelicos implevit bonis, & divites ablegavit inanes.*

LIV. *Suſcepit* (h) *Iſraëlem puerum ſuum,* (i) *ut memor eſſet miſericordiæ ſuæ:*

LV. *Prout locutus eſt Patribus noſtris, nimirum Abrahamo & ſemini ejus* (k) *in æternum.*

LVI. *Manſit autem Maria cum illa quaſi menſes tres: & poſteà revertit domum ſuam.*

LUCÆ, CAP. I. VERS. 5.

(a) Vel, *Ità ut perficiantur:* id enim valet כי, ut *Job.* 3: 12. כי אינק, ſimiliter *Pſalm.* 11: 3. Improbi tendunt arcum, &c. *ut deſtruantur fundamenta* quæ operatus eſt juſtus.

(b) Τελείωσις denotat aliquando ſeparationem rei à communi ad ſacros uſus, ut *Exod.* 29. apud LXX. Scriptores Chriſtiani pro Baptiſmo & Martyrio ponunt, quia per ea homines Deo conſecrantur. De Chriſto dicitur, *Hebr.* 2: 10.

(c) Nihili eſt quod hìc obſervat Ludolphus: ſcilicet Virginem non reperiri per totas Scripturas ampliùs quàm ſepties locutam fuiſſe.

(d) 'Ο Δυνατὸς. Ex amuſſim reſpondet voci *Elohim*, quam quidem LXX. & poſt eos N. Teſtamenti Authores paſſim per Θεὸς reddunt, propter SS. Trinitatis myſterium in ea comprehenſum. *Gibbor*, ſi ad Deum referatur, perinde valet ac Δυνατὸς apud LXX. *Pſalm.* 24: 8.

(e) *Pſalm.* 103: 17.

(f) *Pſalm.* 89: 10, 13. & 98: 1. & 136: 12. *Iſaj.* 53: 1

(g) במחשבות בבם, *Job.* 5: 13. 1 *Cor.* 3: 10. *Geneſ.* 11: 8.

(h) 'Αντελάβετο. Occurrit apud LXX. *Iſaj.* 41: 10. unde hic locus videtur deſumptus. 'Αντίληψις eſt brachium, *Pſalm.* 83: 8. & ſcutum, *Pſalm.* 87: 18.

(i) Græc. *Memor eſſe.* Syrus & Arabs, *Et recordatus eſt.*

(k) Hæc verba tot modis cum præcedentibus connecti queunt, ut difficile ſit ſtatuere, cum quibuſnam potiſſimum ſint conjungenda. Primò, ſi Deum loquentem reſpexeris, dici poteſt illum *in æternum* locutum fuiſſe, ſcilicet Patribus per omnes ætates. Secundò, non malè intelliguntur de ſemine *Abrahami* in æternum duraturo. Tertiò, aliter hoc modo, Miſericordiæ ſuæ recordatus eſt *in æternum.* Quartò, Memor eſt illius miſericordiæ quæ manet *in æternum.* Quintò, Miſericordiæ quæ erga *Abrahamum* ejuſque ſemen in æternum exhibebitur. Atque inter omnes modos, poſtremus, vel duo poſteriores ſimul ſumpti ſunt maximè congrui.

Ordinis Ratio.

NOn opus eſt multis ad hujus Sectionis ordinem ſtatuminandum, eſt enim vel ſine vindice tutus.

Tractatâ divinâ Chriſti naturâ in Sectione præcedente, humana proximè eſt expendenda. Et quidem ante omnia de conceptionis ejus modo agendum foret, niſi ratio juxta ac ordo rerum poſtularet, ut Præcurſoris ejus Joannis conceptus priùs ſigillatim declararetur.

Harmonia & Explicatio.

VERS. 5. *In diebus Herodis.*

NOn *auferetur Sceptrum de Juda, & Dux de femore ejus, donec veniet qui mittendus eſt,* (Shiloh) *Geneſ.* 49: 10.

Quæ verba legenda ſunt diſcretivè per *vel*, potiùs quàm *&*, quippe quæ prædicunt, poſtquàm ablatum eſſet ſceptrum, *Legiſlatorem* venturum, atque poſt eum, tum demum *Meſſiam* adfuturum.

Sceptrum penès Judam erat uſque ad Captivitatem *Babylonicam*; tum verò ſemel ablatum nunquam reſtituebatur, donec ille venit ad quem jure optimo pertinebat. Quod quidem luculenter prædixit Jeremias, tum,

Digitized by Google

LUCÆ CAP. 1. VERS. 5.

cùm præceps ad interitum ruebat Imperium Judaïcum. *Jerem.* 22:30. *Scribite virum illum liberis carentem fore, nam non proſperabitur de ſemine ejus quiſquam ſeſſurus in ſolio Davidis, & dominaturus ampliùs in Jehudam.* Quod itidem fecit *Ezechiel: Nebuchadonozare* exitium ejus moliente, *Ezech.* 21: 31. *Amove cidarm iſtam, & tolle coronam,* &c. *Perverſam, perverſam, perverſam reddam illam; etiam hæc non futura eſt, donec venerit is cujus eſt jus ipſum, & tradam ei.*

Reverſis à Captivitate, *Legiſlator,* ſive 70. *Seniorum Curia*, puppi aſſidebat, & Rempublicam adminiſtravit, uſque dum *Aſmonæorum* ſive *Maccabeorum* gens, dominandi cupidine abrepti, perturbarunt omnia. Horum mala imperandi libido Dominationem Regiam, illa bellum inteſtinum, hoc demum *Romanos* introduxit, qui ſubacto populo Regem Herodem præfecerunt. Erat is Antipatri filius, prognatus ex *Edomitarum* ſive *Eſavi* ſtirpe, *Judeis* ſemper adverſa atque inimicâ; quæ tamen in eos ante iſtum diem nunquam imperium exercuerat. Adeò ut nunc demum impleta verba illa, fatidico ore *Eſavo* ab *Iſaaco* dicta, *Fratri tuo ſervies, tempuſque veniet, cùm excuties & ſolves jugum ejus de cervicibus tuis*, Geneſ. 27:40.

Erat *Herodes* ferox & ſanguini inhians, (genuina ſcil. Eſavi ſoboles, qui fraterculum vel in utero vexavit innocentem) atque inter alia quamplurima dira atque abominanda ſcelera, venerandum illum 70. *Judicum* Senatum, *Sanhedrim* inter populares ſuos appellatum, turpiter & inhumanè trucidavit. Meritò itaque, ſi unquam aliàs, miſeram ſuam ſortem deplorarent Judæi iiſdem verbis, quibus aliâ occaſione dicuntur uſos fuiſſe, *Ve nobis, quia diſceſſit Sceptrum à Juda, & Legiſlator à femore ejus, nec tamen venit* (in ſolatium) *Filius Davidis.*

§. *Sacerdos quidam nomine Zacharias.*

Erant jam olim hujus nominis Sacerdos & Propheta, uterque ſuo tempore clarus & celebratus: *Zacharias* filius *Jehojadæ* ante Captivitatem, 2 *Paralip.* 24. & *Zacharias* filius *Barachiæ*, poſt eam, *Zach.* 1. Et profectò æquiſſimum eſſe ſentiendum judico, ut vir iſte, in quo omne deinde Sacerdotium terminari debuit, & obmuteſcere vaticinium propter magni illius Prophetæ ac Sacerdotis ſtatim naſcituri adventum, eodem cum iis nomine inſigniretur, penès quos tam hoc, quàm illud prius, in occaſum vergebat & ſenſim minuebatur.

LUCÆ CAP. 1. VERS. 5.

§. *Ex Claſſe Abiæ.*

Diſponebantur Sacerdotes à Davide in 24. Claſſes, 1 *Paralip.* 24. non quaſi *nullæ* fuiſſent ante ejus ætatem, ſed quia tot non erant. Quippe ratio omninò ſuadet, impoſſibile eſſe, ut omnes ſimul abſque ordine & delectu operi interſint, cùm ingens erat eorum numerus, quorum erat Sanctuario indeſinenter inſervire, & proinde neceſſe fuiſſe ut in Claſſes diſtribuerentur. Aſſerunt itaque *Judæorum* aliqui, eos in octo Claſſes à *Moſe* fuiſſe diviſos, quarum quatuor præfuit *Eleazar*, reliquis *Ithamar*. Statuunt alii, partitionem in ſedecim Claſſes ab eodem factam, adeò ut octo Claſſes ad utriuſque familiam pertinerent. Quam quidem *diviſionem* Textus ipſe, quanquàm *Auctorem* celat, non obſcurè videtur ſubindicare. Nam de *Davidis* diviſione, propter auctum illorum numerum locutus, hæc habet verba: 1 *Paral.* 24: 6. בית אב אחד אחוז אליעזר ואחוז אחח לאיתמר, quæ tantumdem valent, ac ſi diceretur, quòd ſingulis Claſſibus ſub *Eleazare* integra familia, (ſive ordo) de novo adjungebatur, ut propterea ſint hujus ordinis ſedecim Claſſes. At verò in ordine *Ithamaris* nihil innovatum, adeò ut hujus, ut olim, non erant ultra octo Claſſes, unde oritur integer viginti quatuor Claſſium numerus. Vide *R. Solom.* & *D. Kimchi* in locum.

לשכת 1 Paralip. 9: 33. (ſi rectè ſcribatur) transferunt LXX. per ἐφημερία.

His itaque ità per *Davidem* quoad numerum auctis, & per *ſortem* quoad miniſtrandi vices diſtributis, quò ſcil. ſacra in Templo officia meliùs peragerentur; dubitari nequit, quin illi juxta ordines ſuos miniſtrare inceperint, tum, cùm primùm in Templo Dei cultus occœperit celebrari; *primo* nimirum poſt feſtum *Tabernaculorum* Sabbato, circa viceſimum ſecundum diem menſis Tiſri, 2 *Paralip.* 7. *Solomon* enim feſtum illud inchoans decimo quinto iſtius menſis, terminans verò viceſimo primo, integro ſeptem dierum ſpatio in ejus celebratione excurſo, (juxta Legis præceptum, *Levit.* 23.) univerſum populi cœtum domum dimiſit (*verſ.* 10.) die viceſimo tertio. Pridiè verò ejus diei, ſive viceſimo ſecundo, habitus eſt conventus ſolennis: qui dies eo anno, ut conjicimus, erat Sabbatum. Jam verò in ingenti per eam feſti ſeptimanam populi confluxu, & denſâ ſacrificantium turbâ, major erat iſtorum Sacrorum labor, quàm ut una Claſſis, utcunque inter omnes numeroſiſſima, ei par eſſe potuerit: ſed eâ tempeſtate, (quod itidem in duobus aliis feſtis ſolennioribus fieri ſolebat) omnes promiſcuè

Digitized by Google

LUCÆ CAP. I. VERS. 5.

miſcuè miniſtrabant: ut etiam in Templi dedicatione feciſſent, 2 *Paralip.* 5: 11. Sabbato autem proximè inſequente, cœptum eſt ut ſingulæ per vices inſervirent, idque à Claſſe *Jehojarib*.

Poſt ſeptimanam ſemper nova ſuccenturiabatur Claſſis, quæ die Sabbato opus incipiens, deſiit rurſus eodem revertente, 2 *Reg.* 11: 7. 2 *Paralip.* 23: 4. Adeò ut ad feſtum Paſchatis ſingulæ Claſſes vices ſuas ſemel obiverint, & deinde rurſus erant ordine repetendæ. In octava, poſt annuam redintegrationem, vice (iſtiuſmodi enim erat ordo *Abiæ*, 1 *Paralip.* 24: 10.) lætum illud, de Chriſti Præcurſoris nativitate, nuncium affertur *Zachariæ*, eâdem penè anni tempeſtate, quâ *Saræ* prænunciabatur nativitas *Iſaaci*, viz. circa ſolſtitium æſtivum, *Geneſ.* 18.

Ut verò harum ſucceſſionum ordinem plenè ac perfectè lector intueatur, atque unà contempletur, quibus divinis officiis quaſi diviſus Judaïcus annus volvebatur, (quod quidem inter legendum Euangelicam Hiſtoriam non exiguo futurum eſt uſui) nolit, obſecro, moleſtè ferre, ſi hîc in operis limine ſubjungam *Kalendarium*, in quo, quænam ſit ordinum, ſive Claſſium Sacerdotalium ſucceſſio hebdomadaria; & quænam Legis aut Prophetarum portiones, in diebus feſtis majoris & minoris notæ, ut etiam in Sabbatis pro more in Synagoga prælegi ſolent, oſtendetur: eum ſcilicet in finem, ut quotieſcunque opus fuerit hæc inter legendum obſervare, ad manus ſit unde facilè quærenti ſatisfiat, nè forſan aliàs felix in ſacrâ lectione progreſſus aliquando nimium retardaretur.

Judæos per menſes lunares annum diſtinxiſſe, cùm ex verbis quibus menſem exprimunt, ut חדש & ירח, ſupra omnem dubitationem manifeſtò probatur, tum etiam ex multis S. Codicis hiſtoriis. Unde factum eſt, inquit, *R. Solom.* in *Geneſ.* 7. *ut unus menſis ſit integer, alter deficiens*: i. e. unus habeat triginta dies, alius non ultra viginti novem. Unde etiam evenit, ut illorum annus brevior ſit anno ſolari diebus undecim. Quod non leviter attingit Spiritus Sanctus in computatione temporis quo Noachus eſt in Arcâ commoratus. Docet enim illum intraſſe decimo ſeptimo die menſis ſecundi, & egreſſum eſſe viceſimo ſeptimo ejuſdem menſis anni inſequentis. Nec voluit intereà indicaſſe cum diutiùs quàm annum integrum ibi latuiſſe, ſed ſolarem per menſes lunares numeratum, *Geneſ.* 8: 14.

LUCÆ CAP. I. VERS. 5.

Jam verò undecim illi dies, exceſſus nempe anni ſolaris ſupra lunarem, in quovis anno tertio quaſi novum menſem triginta trium dierum conſtituebant: quem poſt *Adar* menſem collocabant *Judæi*, eumque vocabant *Veadar*, ſive *Adar* repetitum.

Miſſâ autem omni de Emboliſmo Judaicâ curioſâ diſquiſitione, ut & de modo quo Præfecti domûs Solomonis, qui duodecim erant, & Sacerdotum Claſſes numero viginti quatuor, hi in Templo Dei, illi in familiâ Regis, dies intercalares cujuſvis anni Embolimæi impleverint; de his, inquam, ego minùs ſollicitus, utpote à præſenti inſtituto aliquantum alienis, annum in communi circulo excurrentem exhibebo. Eſto itaque A. Litera Dominica, ſive Sabbatum indicans, cætera, ut Sacerdotum vices & Lectiones ex Lege & Prophetis, eo quo par eſt ordine, diſponentur.

Lectiones autem habebantur uno Sabbato, priùs quàm vices Sacerdotum, propter lectam nimirum primam *Paraſhah* vel Sectionem Geneſeos in feſto Tabernaculorum. Atque intra anni ſpatium, ſive ante proximum feſtum Tabernaculorum, Lex ſemper legi ſolebat, fueritne annus iſte Embolimæus, ſive non: nam ſi erat communis, tum Sectiones circa finem Deuteronomii longiores erant & pauciores: ſin Embolimæus fuerit, tum, pro numero Sabbatorum, in plures & breviores partiebantur; eâ tamen conditione, ut in feſto Tabernaculorum, integrâ perlectâ Lege, rurſus à Geneſi exordiantur.

Utrum *Moſes* fuerit, an *Ezra*, an quivis alius, qui Legem in has Sectiones diviſit, atque in hunc uſum deſtinavit: & quomodo Prophetarum Sectiones fuerint his ex parallelo allocatæ, & tandem in earum loca receptæ, cùm per *Antiochi* furorem non licebat ampliùs Legem populo propinare; nec locus eſt, nec tempus exquiſitè diſcutiendi. Id ſolummodò obſervet lector, viz. harmoniam duorum locorum uno eodemque tempore prælegi ſolere; unde lubenter agnoſcet prudentiæ pluſquàm vulgaris fuiſſe, eas ità aptè ſeligere. Imò verò Sectionum ſtudioſa obſervatio nonnullas aliquando explicabit difficultates, vix alias enodandas, uti paſſim per Kalendarium oſtendetur.

TISRI ſive ETHANIM,
Menſis primus.

1 *Reg*. 8: 2. 2 *Paralip*. 5: 3.

A medio Septembris ad medium Octobris.

1	A	Delaiah, Claſſis viceſima tertia. Feſtum Tubarum.
2	B	
3	C	
4	D	Lectiones.
5	E	*Deuter*. 26: 1. ad 29: 10.
6	F	*Iſaj*. 60: 1. ad finem Capitis.
7	G	
8	A	Maaziah, Claſſis viceſima quarta.
9	B	
10	C	Lectiones.
11	D	*Deuter*. 29: 10. ad 31: 1. Si plures erant in anno Septimanæ; ſin
12	E	non fuerint, uſque ad finem libri
13	F	lectionem producebant.
14	G	*Iſaj*. 61: 10. ad 63: 10. Hujus menſis decimo erat ſolennis illa & myſtica expiatio, *Levit*. 16: 29.
15	A	Festum Tabernaculorum, quo miniſtrant ſimul omnes
16	B	Sacerdotes, & Legem exordiuntur.
17	C	
18	D	
19	E	Lectiones.
20	F	*Geneſ*. 1: 1. ad 6: 9.
21	G	*Iſaj*. 42: 5. ad 43: 11.
22	A	Jehojarib, Claſſis prima incipit.
23	B	
24	C	Lectiones.
25	D	*Geneſ*. 6: 9. ad 12: 1.
26	E	*Iſaj*. 54: 1. ad 55: 5.
27	F	
28	G	
29	A	Jedaiah, Claſſis ſecunda.
30	B	

Lectiones.
Geneſ. 12: 1. ad 18: 1.
Iſaj. 40: 27. ad 41: 17.

MARHESVAN,
Menſis ſecundus.

1	C	
2	D	*Pars Octobris & Novembris.*
3	E	
4	F	
5	G	
6	A	Harim, Claſſis tertia incipit.
7	B	
8	C	Lectiones.
9	D	*Geneſ*. 18: 1. ad 23: 1.
10	E	2 *Reg*. 4. ab initio ad verſum
11	F	38. ejuſdem Capitis.
12	G	
13	A	Seorim, Claſſis quarta incipit.
14	B	
15	C	Lectiones.
16	D	*Geneſ*. 23: 1. ad 25: 19.
17	E	1 *Reg*. 1: 1. ad verſum 32.
18	F	
19	G	
20	A	Milcaiah, Claſſis quinta.
21	B	
22	C	Lectiones.
23	D	*Geneſ*. 25: 19. ad 28: 10.
24	E	*Malach*. 1: 1. ad 2: 8.
25	F	
26	G	
27	A	Mijanim, Claſſis ſexta.
28	B	
29	C	Lectiones.

Geneſ. 28: 10. ad 32: 3.
Hoſ. 11: 7. ad 14: 2.

CISLEU,
Menſis tertius.

1	D	*Pars Novembris & Decembris.*
2	E	
3	F	
4	G	
5	A	Hakkoz, Claſſis ſeptima.
6	B	
7	C	Lectiones.
8	D	*Geneſ*. 32: 3. ad 37: 1.
9	E	*Obad*. totum Caput: vel
10	F	*Hoſ*. 12: 12. ad finem libri.
11	G	
12	A	Abijah vel Abia, octava Claſſis.
13	B	
14	C	Lectiones.
15	D	*Geneſ*. 37: 1. ad 41: 1.
16	E	*Amoſi* 2: 6. ad 3: 9.
17	F	
18	G	
19	A	Jesuah, Claſſis nona.
20	B	
21	C	Lectiones.
22	D	*Geneſ*. 41: 1. ad 44: 18.
23	E	1 *Reg*. 3: 15. ad finem Capitis.
24	F	
25	G	Festum Encæniorum, ſive Dedicationis, per dies octo. Lectiones. 1 *Macch*. 4: 59. *Joann*. 10: 22.
26	A	Shecaniah, Claſſis decima.
27	B	Lectiones.
28	C	*Geneſ*. 44: 18. ad 47: 27.

29	D	*Ezech.* 37: 15. ad finem Ca-
30	E	pitis.
		T E B E T H,
		Menſis quartus.
		Eſther. 2: 16.
		Pars Decembris & Januarii.
1	F	
2	G	
3	A	Eliashib, Claſſis undecima.
4	B	
5	C	Lectiones.
6	D	*Geneſ.* 47: 27. ad finem libri.
7	E	1 *Reg.* 2. ab initio ad verſ. 13.
8	F	
9	G	
10	A	Jakim, Claſſis duodecima.
11	B	
12	C	Lectiones.
13	D	*Exod.* 1: 1. ad 6: 2.
14	E	*Iſaj.* 27: 6. ad 28: 14. vel
15	F	*Jerem.* 1: 1. ad 2: 4.
16	G	
17	A	Huppah, Claſſis decima tertia.
18	B	
19	C	Lectiones.
20	D	*Exod.* 6: 2. ad 10: 1.
21	E	*Ezech.* 28: 25. ad finem Ca-
22	F	pitis viceſimi noni.
23	G	
24	A	Jeſebeah, Claſſis decima quar-
25	B	ta.
26	C	Lectiones.
27	D	*Exod.* 10: 1. ad 13: 17.
28	E	*Jerem.* 46: 13. ad finem Ca-
29	F	pitis.
		S H E B E T,
		Menſis quintus.
		Zachar. 1: 7.
		Pars Januarii & Februarii.
1	G	
2	A	Bilgah, Claſſis decima quinta.
3	B	
4	C	Lectiones.
5	D	*Exod.* 13: 17. ad 18: 1.
6	E	*Judic.* 4: 4. ad 6: 1.
7	F	
8	G	
9	A	Immer, Claſſis decima ſexta.
10	B	
11	C	Lectiones.
12	D	*Exod.* 18: 1. ad 21: 1.
13	E	*Iſaj.* 6. Caput integrum.
14	F	
15	G	
16	A	Hezir, Claſſis decima ſeptima.
17	B	
18	C	Lectiones.
19	D	*Exod.* 21: 1. ad 25: 1.
20	E	*Jerem.* 34: 8. ad finem Capi-
21	F	tis.
22	G	
23	A	Aphses, Claſſis decima octava.
24	B	
25	C	Lectiones.
26	D	*Exod.* 25: 1. ad 27: 20.
27	E	1 *Reg.* 5: 12. ad 6: 14.
28	F	
29	G	
30	A	Pethahiah, Claſſis decima no-
		na.
		Lectiones.
		Exod. 27: 20. ad 30: 11.
		Ezech. 43: 10. ad finem Capi-
		tis.
		A D A R,
1	B	Menſis ſextus.
2	C	
3	D	*Ezr.* 6: 15.
4	E	
5	F	*Pars Februarii & Martii.*
6	G	
7	A	Jehezekel, Claſſis viceſima.
8	B	
9	C	Lectiones.
10	D	*Exod.* 30: 11. ad 35: 1.
11	E	1 *Reg.* 18: 1. ad verſ. 39.
12	F	
13	G	
14	A	Jakim, Claſſis viceſima prima.
15	B	Lectiones.
16	C	*Exod.* 35: 1. ad 38: 21.
17	D	1 *Reg.* 7: 13. ad verſ. 26. ejuſ-
18	E	dem Capitis.
19	F	Diebus 14. & 15. hujus menſis
20	G	celebratur feſtum Purim.
21	A	Gamul, Claſſis viceſima ſecun-
22	B	da.
23	C	Lectiones.
24	D	*Exod.* 38: 21. ad finem libri.
25	E	1 *Reg.* 7: 50. ad 8: 21.
26	F	
27	G	
28	A	Delaiah, Claſſis viceſima ter-
29	B	tia.
		Lectiones.
		Levit. 1: 1. ad 6: 1.
		Iſaj. 43: 21. ad 44: 24.

		ABIB, *Exod.* 12. ſive
		NISAN, *Nehem.* 2: 1.
		Menſis primus ſtilo novo.
1	C	
2	D	*Pars Martii & Aprilis.*
3	E	
4	F	
5	G	
6	A	Maaziah, Claſſis viceſima quar-
7	B	ta.
8	C	Lectiones.
9	D	*Levit.* 6: 1. ad 9: 1.
10	E	*Jerem.* 7: 21. ad 8: 4.
11	F	
12	G	
13	A	Parasceve, ſive Præparatio Pa-
14	B	ſchæ, *Exod.* 12.
15	C	Hac ſeptimana ſimul omnes
16	D	miniſtrabant, neglecto Claſſium
17	E	ordine.
18	F	Lectiones.
19	G	*Levit.* 9: 1. ad 12: 1.
		2 *Sam.* 6: 1. ad 7: 17.
20	A	Jehojarib, Claſſis prima, ſe-
21	B	cundam vicem inchoat.
22	C	
23	D	Lectiones.
24	E	*Levit.* 12: 1. ad 14: 1.
25	F	2 *Reg.* 4: 42. ad 5: 20.
26	G	
27	A	Jedajah, Claſſis ſecunda.
28	B	
29	C	Lectiones.
30	D	*Levit.* 14: 1. ad 16: 1.
		2 *Reg.* 7: 3. ad finem Capitis.
		IJAR,
		Menſis ſecundus ſtilo novo.
		Pars Aprilis & Maii.
1	E	
2	F	
3	G	
4	A	Harim, Claſſis tertia.
5	B	
6	C	Lectiones.
7	D	*Levit.* 16: 1. ad 19: 1.
8	E	*Ezech.* 22: 1. ad verſum 17.
9	F	ejuſdem Capitis.
10	G	
11	A	Slorim, Claſſis quarta.
12	B	
13	C	Lectiones.
14	D	*Levit.* 19: 1. ad 21: 1.
15	E	*Amoſ.* 9: 7. ad finem libri: vel
16	F	*Ezech.* 20: 2. ad verſ. 21.
17	G	
18	A	Malchijah, Claſſis quinta.
19	B	
20	C	Lectiones.
21	D	*Levit.* 21: 1. ad 25: 1.
22	E	*Ezech.* 4: 15. ad finem.
23	F	
24	G	
25	A	Mijamim, Claſſis ſexta.
26	B	
27	C	Lectiones.
28	D	*Levit.* 25: 1. ad 26: 3.
29	E	*Jerem.* 32: 6. ad verſ. 28.
		SIVAN,
		Menſis tertius ſtilo novo.
		Eſther. 8: 9.
		Pars Maii & Junii.
1	F	
2	G	
3	A	Nulla Claſſis ſigillatim, ſed pro-
4	B	miſcuè omnes ob Penteco-
5	C	ſten.
6	D	Lectiones.
7	E	*Levit.* 26: 3. ad finem libri.
8	F	*Jerem.* 16: 19. ad 17: 15.
9	G	
10	A	Hakkoz, Claſſis ſeptima.
11	B	
12	C	Lectiones.
13	D	*Numer.* 1: 1. ad 4: 21.
14	E	*Hoſ.* 1: 10. ad 2: 21.
15	F	
16	G	
17	A	Abijah ſive Abia, Claſſis octa-
18	B	va.
19	C	Hac vice prænunciata eſt Za-
20	D	chariæ nativitas Joannis Bapti-
21	E	ſtæ.
22	F	Lectiones.
23	G	*Numer.* 4: 21. ad 8: 1.
		Judic. 13: 2. ad finem Capitis.
24	A	Jesuah, Claſſis nona.
25	B	
26	C	Lectiones.
27	D	*Numer.* 8: 1. ad 13: 1.
28	E	*Zachar.* 2: 10. ad 4: 8.
29	F	
30	G	

TAM-

TAMMUZ,
Menſis quartus ſtilo novo.

Pars Junii & Julii.

1	A	SHECHANIAH, Claſſis decima.
2	B	
3	C	Lectiones.
4	D	*Numer.* 13: 1. ad 16: 1.
5	E	*Joſuæ* 2. totum.
6	F	
7	G	
8	A	ELIASHIB, Claſſis undecima.
9	B	
10	C	Lectiones.
11	D	*Numer.* 16: 1. ad 19: 1.
12	E	1 *Sam.* 11: 14. ad 12: 23.
13	F	
14	G	
15	A	JAKIM, Claſſis duodecima.
16	B	
17	C	Lectiones.
18	D	*Numer.* 19: 1. ad 22: 2.
19	E	*Judic.* 11: 1. ad verſ. 34.
20	F	
21	G	
22	A	HUPPAH, Claſſis decima tertia.
23	B	
24	C	Lectiones.
25	D	*Numer.* 22: 2. ad 25: 10.
26	E	*Mich.* 5: 7. ad 6: 9.
27	F	
28	G	
29	A	JESEBEAH, Claſſis decima quarta.
		Lectiones.
		Numer. 25: 10. ad 30: 2.
		1 *Reg.* 18: 46. ad finem Capitis viceſimi.

A B,
Menſis quintus ſtilo novo.

Pars Julii & Auguſti.

1	B	
2	C	
3	D	
4	E	
5	F	
6	G	
7	A	BILGAH, Claſſis decima quinta.
8	B	
9	C	Lectiones.
10	D	*Numer.* 30: 2. ad 33: 1. תשעה
11	E	באב, jejunium menſis quinti,
12	F	*Zachar.* 7: 5.
13	G	*Jerem.* 1: 1. ad 2: 4.
14	A	IMMER, Claſſis decima ſexta.
15	B	
16	C	Lectiones.
17	D	*Numer.* 33: 1. ad finem libri.
18	E	*Jerem.* 2. a verſ. 4. ad verſ. 29.
19	F	
20	G	
21	A	HEZIR, Claſſis decima ſeptima.
22	B	
23	C	Lectiones.
24	D	*Deuter.* 1: 1. ad 3: 23.
25	E	*Iſaj.* 1: 1. ad verſ. 28.
26	F	
27	G	
28	A	APHSES, Claſſis decima octava.
29	B	
30	C	Lectiones.
		Deuter. 3: 23. ad 7: 12.
		Iſaj. 40: 1. ad verſ. 27.

E L U L,
Menſis ſextus ſtilo novo.

Pars Auguſti & Septembris.

1	D	
2	E	
3	F	
4	G	
5	A	PETHAHIAH, Claſſis decima nona.
6	B	
7	C	Lectiones.
8	D	*Deuter.* 7: 12. ad 11: 26.
9	E	*Iſaj.* 49: 14. ad 51: 4.
10	F	
11	G	
12	A	JEHEZEKEL, Claſſis viceſima.
13	B	
14	C	Lectiones.
15	D	*Deuter.* 11: 26. ad 16: 18.
16	E	*Iſaj.* 54: 11. ad 55: 4.
17	F	
18	G	
19	A	JACHIN, Claſſis viceſima prima.
20	B	
21	C	Lectiones.
22	D	*Deuter.* 16: 18. ad 21: 10.
23	E	*Iſaj.* 51: 12. ad 52: 13.
24	F	
25	G	
26	A	GAMUL, Claſſis viceſima ſecunda.
27	B	
28	C	Lectiones.
29	D	*Deuter.* 21: 10. ad 26: 1.
		Iſaj. 54. ab initio ad verſ. 11.

Atque

LUCÆ, CAP. I. VERS. 6. Atque hâc, ſaltem non admodùm diverſâ, formâ volvebatur *Judæorum* annus, & in eo Sacerdotum vices, atque unà Legis ac Prophetarum lectiones peragebantur. Unde probabiliter conjecturam facere licet de ea anni parte quâ natus fuerit *Joannes Baptiſta*, circa quam multùm & crebrò hactenus errari ſolet.

VERS. 6. *Incedentes in omnibus mandatis & conſtitutionibus Domini inculpatè.*

In omnibus mandatis Legis *Moralis* & conſtitutionibus *Ceremonialis*, * & *inculpatè* mores illorum indicat quoad *Judicialem*. Virum exhibet Textus, juſtitiâ quoad Legem, quantum fieri poteſt, ornatiſſimum: quem tamen linguæ uſu privatum, & ab Angelo objurgatum cernimus, nè abſque fide per juſtitiam Legis quemquam juſtificari poſſe, parùm ſanè crederemus.

* Ἄμεμπτοι, *pro* תמים Geneſ. 7: 1. & *pro* ישר Job. 1: 1. *transferentibus Septuaginta.*

§. *Conſtitutionibus.*

Græc. Δικαιώμασι: Romanenſes transferunt *Juſtificationibus*, ac vocem partibus ſuis non modicè favere contendunt.

I. Quùm tamen per eandem vocem Septuaginta utplurimùm transferunt voces Hebraïcas חקים & חקות, idque pluſquam vicies in *Pſalm.* 119. & procul omni dubio iſtæ voces Hebraïcæ non ſignificant *Juſtificationes*. Certè alium iis affixit ſenſum *R. Solom.* in *Numer.* 19. *Quia*, inquit ille, *Satanas, aut vulgus hominum crebrò cum Iſraële diſceptare velit, percontando, quid hoc ſibi velit præceptum? Quid illud? Quâ ratione fundatur? Sufficit, quod* חקה *ſit, ſtatutum eſt, conſtitutio à Deo ordinata, nec ad te attinet plura de eo interrogare.* Vide & *R. Menahem* in eundem locum, & quomodo Chaldaicè reddatur, in *Pſalm.* 119. & alibi.

II. Apud Authores Græcos eodem ſenſu uſitatiſſimè accipitur, ac apud noſtrates Interpretes: quod exemplis oppidò multis probari queat ex *Ariſtot. Ethic.* lib 5. *Dion. Caſſ. Rom. Hiſt.* lib. 58. & 61. aliisque Authoribus.

III. Quemadmodum Septuaginta חקים & חקות per δικαίωμα reddunt, ità Arabs δικαίωμα per חקות vice verſâ interpretatur, oſtendens utique eandem utriuſque vocis eſſe ſignificationem.

IV. Difficillimum erit vel apud Septuaginta Interpretes, vel quemvis Ethnicum Authorem, locum aſſignare, ubi δικαίωμα perinde valet ac *Juſtificatio*. Videtur quidem, ſi quis alius, textus ille *Deuter.* 24: 13. huic redditioni favere: attamen tantùm abeſt ut per *Juſtificatio* ibi reddant (Romanenſes) ut uſi ſint voce ab eâ quàm longiſſimè diverſâ.

LUCÆ, CAP. I. VERS. 9.

VERS. 9. *Secundùm ritum functionis ſacerdotalis.*

Poteſt hoc bifariam exponi, vel de ritu ſuffitum adolendi, vel de more per ſortem determinandi, cuinam inter omnes Sacerdotes iſtud officium demandaretur: & quidem de hoc probabilius. Quorſum enim hîc doceret Euangeliſta ad Sacerdotem attinere ſuffitum facere, quum id ex Lege abundè intelligatur? Oſtendit itaque textus, hanc curam tunc temporis Zachariæ obtigiſſe, idque per *ſortem*, pro more uſitato. Adeo ut *ritus ſacerdotalis* optimè reddatur per *morem* vel *conſuetudinem* Sacerdotum. *Pontifex maximus pro lubitu ſuo ſolebat adolere; reliqui verò Sacerdotes ſinguli, prout ſors dederat, nec unquam permittebatur ut unus Sacerdos per totum vitæ ſuæ curſum bis adoleret.* Abarban. in Pentateuch. fol. 241.

§. *Sortitus eſt munus ſuffitûs faciendi.*

Ratio, potiùs quàm verborum ſyntaxis aut ſenſus literalis, urget, ut hîc intelligamus ſortis miſſionem. Quanquam enim *ſortior* aliquando ſignificet rei per *ſortem* acquiſitionem, non tamen ſemper id valet, ſed nonnunquam quemvis alium acquirendi modum denotat, ut *Actor.* 1: 17. Judas ἔλαχε τ̄ κλῆρον, *Sortitus eſt ſortem* miniſterii hujus: ſimiliter *Lucianus* in *Meſopogone*, *Anacreon*, τρυφᾷν ἔλαχεν ἐν μυζῶν, *Sortitus eſt ludere*, vel *deliciari*. Ratio tamen ità vehementer ſuadet ut pro *ſortis uſu* hîc accipiatur, ut nemo auſit inficiari.

Erant enim in quavis Claſſe Sacerdotes oppidò multi, aliquot millia, narrante Joſepho. Et ex S. Scripturâ abundè conſtat, quòd cùm in Regis *Joachi* inauguratione, trepidatum erat, nè fortè ab Athalia tumultus cieretur, Sacerdotes *duarum* Claſſium ſatis firmum Regis ac Templi præſidium exiſtimabantur, 2 *Reg.* 11: 5, 6, 7. Et Uzziâ adolère ſatagente, obſtiterunt ei octoginta Sacerdotes, 2 *Paralip.* 26: 17. Quamobrem in tanta Sacerdotum frequentia, cùm uni ſolummodò fas erat adolere, omninò neceſſarium fuit, ut quiſnam omnium eo munere fungeretur, ſors dirimeret: quæ quidem eo tempore Zachariam deſignaverat.

§. In-

LUCÆ CAP. I. VERS. 9, 10.

§. *Ingrediendo in Templum Domini.*

Hic ejus ingreſſus non erat in Sanctum Sanctorum, neque tunc ſuffitum fecit pro ſolenni more diei Expiationis, ſed ex uſu quotidiani miniſterii ante Velum, juxta Legis præſcriptum, exhibendi, *Exod.* 30: 6, 7, 8. Pontifex Maximus ſemel quotannis ſolebat adolere, in die ſcil. Expiationis. Sed neque hîc agitur de ea ſolennitate, neque erat Zacharias Summus Pontifex. Nam I. in omni de Pontifice Maximo ſermone, Lucas eum ſuo titulo appellare ſolet, ut *Cap.* 3: 2. *Actor.* 4: 6. &c. II. Zacharias juxta ordinem viginti quatuor Claſſium, vice ſuâ miniſtravit; quod Pontifici Maximo minimè congruit; qui proculdubiò in prima Claſſe diſponeretur, ſicubi in ulla fuiſſet conſtitutus. Erat autem Zacharias ex Claſſe octava. III. Zacharias adolendi munus per *ſortem* adeptus eſt; quod Pontifex habet ex jure ſucceſſionis. IV. Non erat in Sancto Sanctorum ſuffitûs altare, quod tamen in eo loco, quo Zacharias adolevit, reperiebatur. V. Sacerdotum Claſſes, vel à tempore quo cultus in Templo primùm celebrari occeperit, vel ab initio anni Eccleſiaſtici, vel Civilis, vel ab alio aliquo trium Feſtorum maximè ſolennium, vices ſuas obire inceperunt: at verò ab utrovis horum exorſi fuerint, planè impoſſibile eſt ut octava Claſſis circa diem Expiationis miniſtraret. Neque concipi queat, quo demùm tempore inceperint, ſi hæc omnia rejeceris. VI. Neque idoneum foret ut Joannes Baptiſta naſceretur Pontifex Maximus, utpote Miniſter futurus Pontifici verè Summo. Hic de Zacharia error, alteri illi diuturno ac longè latéque propagato de nativitate Domini, anſam præbuit.

VERS. 10. *Tota verò multitudo populi.*

Erant ſemper in Templo ad horam precationis, I. Sacerdotes iſtius Claſſis, cujus erat ſacris intereſſe. II. Levitæ ſub Sacerdotibus miniſtrantes. III. Homines *Stationis*, ut eos appellant Rabbini, i. e. qui univerſum populum repræſentabant, manus ſuas victimarum capitibus imponendo. IV. Ii, qui propter ardentiorem pietatem, divino cultui, quàm negotiis ſuis, vacare maluerunt. Ex his omnibus multitudo certè non exigua conflari potuit.

Quoniam verò *de totâ populi multitudine* mentio fit, videtur Textus ſubinnuere, eum diem non fuiſſe profeſtum, ſed Sabbatum potiùs, in quo univerſus populus ſolebat convenire. Adeò ut numeroſus admodùm fuerit comprecantium cœtus, non ſolùm ex Sacerdotibus ſeptimæ Claſſis conſtans, qui tum miniſtrare deſinere ſolebant; verùm etiam ex frequenti civium omnium turba, qui divino cultui eo die intereſſe tenebantur.

LUCÆ CAP. I. VERS. 10, 11.

Hoc die (ex conceſſo quòd Sabbatum fuerit) lectiones ex Lege & Prophetis in Synagogis habendæ, erant ad id, quod tum gerebatur, apprimè adaptatæ: nempe lex de Nazaræis, ex *Numer.* 6. & conceptus Samſonis, qui huic Baptiſtæ examuſſim congruebat, ex *Judic.* 7.

§. *Foris precabatur.*

Quùm cœpit holocauſtum, tibicines tubis clangere, & cantores voce modulari ſolebant, populo intereà ſeſe incurvante & preces fundente, uſquedum holocauſtum erat abſolutum, 2 *Paralip.* 29: 27, 28. Tum accepit Sacerdos thuribulum plenum prunis ardentibus ex altari, *Levit.* 16: 12. & (quantum ex iſtius diei ritu de aliorum ritibus fas ſit conjectare) Locum Sanctum ingreſſus ſupra altare adolebat, *Exod.* 30: 7. Populus intereà precibus in Atrio exteriori offerendis occupari, 2 *Paralip.* 29: 29. *Et in die Expiationis vehementer angi ſolent, & metu cruciari, quamdiu Pontifex intus commorabatur: illo verò in pace reverſo, magna erat omnium lætitia, quoniam exaudiebantur,* *R. Tanchum* in *Exod.* 33.

VERS. 11. *Viſus eſt autem ei Angelus.*

Quandoquidem duo præcipuè eaque planè ſtupenda miracula erant in nativitate Domini exhibenda, primum ſcil. ut *Deus homo fieret*, deinde ut *Virgo mater*: viſum eſt Summo Numini iſtis, quibus jam olim magno alicui eventui præludere ſolebat, iſtis, inquam, mediis uti, (Angelorum nimirum apparentiâ, & vetulæ jam pridem ſterilis & ſenio penè confectæ partu) quò tantis miraculis fidem conciliaret. Faciliùs enim crederent, Deum inviſibilem humanâ carne involutum, cum hominibus viſibili more verſari poſſe, qui idem ab Angelis pariter inviſibilibus ſæpiùs factitatum eſſe noverint: nec apud illos fidem ampliùs ſuperabat, Virginem caſtiſſimam & immaculatam parturire poſſe, qui annoſas vetulas, effœtas, & gignendis liberis prorſus inidoneas, non ſemel peperiſſe certiſſimè reſciverint. Hinc paſſim in Scripturis ſterilitas fœminis imputatur, nempe ut huic partui fides faciliùs adhibere-

LUCÆ CAP. I. VERS. 11, 13.

hiberetur, miraculo ſcil. in effœtis iſtis corporibus jam olim clarè elucente.

Quemadmodum hi duo typi & præſagia duplicis hujuſce myſterii ſub Veteri Teſtamento toties exhibebantur, ut mentes hominum ad ipſum faciliùs credendum & amplectendum diſponerent, cùm in Chriſti nativitate verè patefieret; ità parerat ut propalarentur in nativitate illius, qui Præcurſor Chriſti erat futurus, cùm ipſius *deſignati* myſterii *revelatio* mox expectabatur.

Vers. 11. *Ad dexteram altaris.*

Ad partem Septentrionalem: ad dexteram Zachariæ, dexteramque domûs partem, ut *Ezech.* 10: 3. collato cum *Zachar.* 3: 1. *Pſalm.* 109: 6, 31. & 142: 4. Angelum nuncium apportantem apparuiſſe, vix unquam ante iſtum diem viſum eſt aut auditum; monſtratque Urim & Thummim, voluntatis divinæ pridem uſitatiſſimos indices, in diſſuetudinem abiiſſe. Solebat enim Deus voluntatem ſuam Sacerdoti tenui & exili voce ex Arcâ inſuſurrare; nunc autem neque Arca, neque Oraculum loquebatur. Quod certè æquiùs ferri potuit, quòd Chriſtus Servator noſter, vera illa Fœderis Arca, & divinæ voluntatis veriſſimum Oraculum, adventum ſuum maturabat. Carebat ſecundum Templum, quinque quæ fuerunt in primo, uti notant Judæi de defectu literæ ה in voce אכבד, *Hag.* 1: 8. viz. I. Arcâ. II. Urim & Thummim. III. Igne de cœlo. IV. Divinâ præſentiâ, ſive nebulâ gloriæ. V. Spiritu Sancto, ſive prophetandi & miracula præſtandi poteſtate, *Maſſech. Jom.* &c. Major nihilominus futura erat ſecundi quàm primi gloria, propter Chriſti præſentiam.

Vers. 13. *Exaudita eſt deprecatio tua.*

Non quaſi liberos rogaſſet: cùm enim de filio ei loquebatur Angelus, homini nimirum ſenio attrito & penè confecto prorsùs incredibile videbatur. Non itáque liberos petebat, cùm ob eam rationem, tum etiam quia populi vice apud Deum agebat, & propterea non debuit pro ſeipſo ſeorſim ſupplicare. Quamobrem hæc verba intelligenda ſunt, vel de privata aliqua pro liberis precatione, quam olim forſan effudiſſet, ſerò exaudiendam, vel de publica illa, quam tunc habuit, pro liberatione Iſraëlis, pro peccatorum remiſſione, pro Chriſti adventu; quæ omnia populus pariter conjunctis votis expetebat. Hanc autem precationem aure tam facili & propitiâ exauditam enarrat Angelus, ut uxor ejus filium in utero geſtaret, qui prædicaret remiſſionem, & populum converteret, & Chriſto præcurreret è veſtigio ſecuturo. *Et nunc deprecamini vultum Dei, vos Sacerdotes, ut miſereatur veſtri, Mal.* 1: 9. Quo opere erat Zacharias tunc temporis occupatus: dixitque ei Angelus, *Exaudita eſt deprecatio tua, uxorque tua Elizabeta gignet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem*, i. e. per interpretationem, *Gratioſum*, ut *Iſaj.* 30: 18, 19.

LUCÆ CAP. I. VERS. 16, 17.

Vers. 16. *Multoſque filiorum Iſraël convertet.*

Multi Iſraëlitæ, cùm viderint ſigna Redemptionis, revertentur. Quam ob cauſam dicitur, *Vidit quia non eſt vir*, &c. *Iſaj.* 59: 16. *D. Kimchi* in locum.

Vers. 17. *Cum ſpiritu & virtute Eliæ.*

Joannes Baptiſta in omnibus Eliæ ſimilis, idem nomen gerit propter iſtam ſimilitudinem, *Malach.* 4. *Matth.* 11: 14.

I. Enim venit uterque languente & penè extinctâ Religione, quam II. uterque mirificè inſtauravit. III. Ob eam multa & atrocia ſimiliter perpeſſi ſunt, *Elias* ab *Achabo* & *Jezabele*, *Joannes* ab *Herodiade* & *Herode*. IV. Ambo in eremo verſati. V. Victu tenui, moribus ſeveris. VI. Veſte ciliciâ & cingulo coriaceo pariter uterque cinctus incedebat, 2 *Reg.* 1: 8. *Matth.* 3: 4. VII. Utrique adapertum eſt cœlum non procul à Jordane. Quibus alia annecti queant duo parallela, modò quæ de Elia narrant Judæi, fidem mereantur.

I. Enim illum ex Tribu Levi fuiſſe ajunt, (ut pote *Phineam* illum fuiſſe opinati, ut *R. Lev. Gerſh.* in 1 *Reg.* 17.) II. Eum etiam Circumciſionem diu omiſſam reſtituiſſe: quod ex his verbis, 1 *Reg.* 19: 14. arguunt, *Dereliquerunt fœdus tuum.*

Ut convertat corda patrum in filios.] Id eſt, corda Judæorum in Gentes.

Nam I. erat acerbiſſimum Judæorum adverſus Gentes odium: & Euangelio unicè debetur, (& proinde Joanni ex parte in quantum id primus prædicabat) quòd adduci potuerint Chriſtum unà profiteri, & per & propter eum ſe invicem amicè accipere atque amplexari.

II. Firmatur hæc expoſitio ab ipſamet experientia. Nam ſicut Euangelium ad Gentes, non minùs quàm Judæos, pertinebat, & Joannes *omnibus* teſtis erat & monitor, ut in Jeſum crederent; ità convertebat

Digitized by Google

LUCÆ CAP. I. VERS. 17.

tebat ille & Baptiſmo initiavit tam Ethnicos homines, quàm Phariſæos.

III. Baptiſmus, cùm primùm inſtituebatur, Sacramentum erat per quod ſoli Ethnici in veram Eccleſiam & Religionem deducebantur. Judæis itáque hoc Sacramentum expetentibus, & in ejus uſu cum Ethnicis conſentientibus, meritò dicitur, *Corda patrum converti in filios.*

IV. Uſitatiſſimum eſt apud Prophetas, Ethnicorum Eccleſiam *filios* Eccleſiæ Judaicæ appellitare, ut *Eſai.* 54: 5, 6, 13. & 60: 4, 9. & 62: 5. & 66: 12, 13.

V. Videtur Thalmud hæc verba de reconciliatione illa nuper memoratâ interpretari: vide *R. Solom.* in loc. *Malach.* Et *Joſephus*, *Antiquit.* lib. 18. cap. 7. aſſerit, *Herodem Joannem Baptiſtam virum probum interfeciſſe, qui Judæos ad virtutis exercitium inſtituebat, & ut juſtitiam erga ſe invicem colentes, & erga Deum pietatem, vellent* ἐν τῷ βαπτισμῷ συνιέναι, *in Baptiſmo convenire.*

Et rebelles, &c.] Habet *Malach.* *Et corda filiorum ad patres.* De hac varietate I. notandum, Spiritum Sanctum non tam de *verbis*, quàm de *ſenſu* Prophetæ, quem citat, ſollicitum eſſe. II. Quòd non multò poſt Joannis prædicationem & Baptiſmum, Eccleſia, imò verò tota natio Judæorum exterminata erat atque eradicata; & vel ante obitum Joannis, adverſus Euangelium ejuſque profeſſores inimicitias exercebant. (loquor de majore parte) Quamobrem non dicit, ***Corda filiorum***, id eſt, Gentium, ***ad patres***, (ſcil. Judæos, non ampliùs patres appellandos propter fœdam à Deo defectionem), ſed potiùs ***ad prudentiam juſtorum*** convertentur.

Rebelles.] Noluit hic *correlati* vocem inſerere, quia relati nomen priùs, ob rationem quam attulimus, rejecerat. Relationem tamen in voce *rebelles* quodammodò latentem, aperit & oſtendit, quandoquidem vox illa utplurimùm ad liberos erga parentes immorigeros & pravos applicetur. Quemadmodum itáque Judæos erga Euangelium inimico animo fuiſſe & alieno, oſtendit, eò quòd noluit eos *patres* ampliùs appellare: ità & Gentes, quales ante acceptum Euangelium fuerint, pariter oſtendit, dum *filiorum* titulo eos impertire recuſavit.

In prudentia juſtorum.] Græc. ἐν, non εἰς. Id eſt, *in*, non *ad* prudentiam. Sæpenumerò in Sacris Literis *Sapientia* vel Prudentia pro *Religione* ſumitur, ut *Pſalm.* 111: 10. *Deuter.* 4: 6. &c. Quo ſenſu hoc in loco eſt ſumenda. Nec debet hæc Prudentia ſumi pro *termino*, *ad quem*, *tanquam ad finem ultimum*, Gentes erant convertendæ; ſed *in hâc prudentia* ſive Religione ad *Deum* erant perducendæ. I. Enim, ſi ſpectentur hujus ſententiæ clauſulæ, ut in antitheſi, (quod res ipſa poſtulat, altera enim *Judæos*, altera *Gentes* pro ſubjecto habet) nihil clarius eſt, quàm quòd duo præcipuè à Baptiſta peragenda erant in converſione Judæorum. I. Scil. ut corda eorum ad Deum verteret, juxta verſum præcedentem, *Multos filiorum Iſraël convertet ad Dominum Deum ipſorum.* II. Ut acerba *Judæorum* erga *Gentes* odia leniret, animoſque ſedaret; quod hic intelligitur per *Convertet corda patrum ad filios.*

II. Itáque expectandum eſt aliquid in converſione Gentium, quod reſpondeat duplici huic operi, quod dixit Angelus à Joanne erga Judæos præſtandum; quod tametſi non exprimatur, nihilominus ſubintelligi debet. Mutato de induſtria ſtylo, Angelus *Gentes*, non *filios* vocat, ſed *rebelles*, ante adventum Chriſti nimirum Deo inviſos; neque *Judæos patres* nominavit, utpote paulò pòſt à Deo deſcituros, & proinde ut hoc titulo indignos. Neque voluit hoc in loco *Gentium* ad Deum converſionem expreſſè memorare: erat enim primarium *Baptiſtæ* & præcipuum munus, ut iret ante faciem Domini, hominesque ad eum converteret; & porrò verba hæc, *in prudentia juſtorum*, tantumdem valent, ſi ſeriò expendantur, ac ſi apertiùs idem declaraſſet.

III. Haud abſque dirigente Numine fuit, quòd non dicatur de Gentibus, quòd *convertenda erant corda eorum* ad Judæos, quemadmodum de *Judæis* vice verſâ erat dictum: ſed potiùs quòd convertendi erant in *prudentia juſtorum*: quippe quia *Judæorum* adverſus *Gentes*, atque *Gentium* in *Judæos* odia aliam atque aliam cauſam habuere.

Judæi enim *Gentes* abominabantur, non quia ſacra eorum & mores non habuerunt ſatis perſpecta, ſed partim præ ſuperbia, dum ſemetipſos Dei peculium exiſtimarunt, Gentes autem ſpretas & exoſas ei faſtuoſe crediderunt: partim verò præ metu, nè fortè, mutatis vicibus, in ſuum ipſorum locum aliquando adoptarentur, & proinde æmulâ quadam iracundiâ, & quaſi fatidico odio eos ſunt proſecuti. Quamobrem cùm uniendæ erant partes & tollenda diſſidia, jure meritò dicebatur, quòd *horum* corda ad *illos* erant convertenda, & affectus flectendi, in quantum datâ operâ *Judæi* adverſus *Gentes* jam olim adverſo fuiſſent animo atque inimico. E contrà verò *Gentes* ob ignorantiam *Judæos* averſabantur, utpote

LUCÆ CAP. I. VERS. 18, 19.

pote qui nondum reſciverant quanti habendus erat Judæorum cultus. Eos verò à cæteris Univerſi incolis præ ſuperbia ſeceſſiſſe, omnibuſque aliis ob cæcam quandam ac arrogantem ſuperſtitionem contrarium egiſſe hucuſque crediderunt: neſcientes utique Judæorum cultum veriſſimum fuiſſe, ſapientiæ Dei maximè congruum, ejuſque præceptis inſtitutum. Nec tam *homines*, quàm *Religionem* ſolebant vituperare. Quum itàque *Gentes* erant *Judæis* conciliandi, nihil magis neceſſarium erat, quàm ut converterentur *in prudentia juſtorum*; ſive ut ità animos induerent ſuos, ut eam Religionem amplecterentur, quam juſti olim exercuerunt, quamque ipſi hucuſque tanquam vanam, ſingularem & ineptam ſuperſtitionem contempſerant.

VERS. 18. *Quo argumento iſtud noſcam?*

Judæus ſignum petit, 1 Cor. 1: 22. Quod cùm faciat Zacharias, poſtquam miracula jam dudum ceſſaverant, majorem indicat animi incertitudinem ac diffidentiam; cùm tamen propter Angeli præſentiam eâ ætate planè inuſitatam, minùs dubitaſſe oportebat. Nam poſtquam Zacharias, Malachias, aliique Prophetæ poſteriores occubuerunt, Spiritus Sanctus cœlum repetens, dereliquit Iſraëlem, nec ampliùs in viſionibus, vaticiniis & miraculis ſolebat nunc, uti olim, cum iis familiariter verſari. Adeò ut hæc Angeli apparentia, ſignum Zachariæ datum, & miracula in Joannis nativitate edita, prima utique donorum certè reſtituendorum initia, glorioſo illi Chriſti adventûs diei, veluti diluculum orienti ſole fauſto jubare præluſerunt.

Ego enim ſum ſenex.] Eundem olim habuit Sara dubitationis prætextum, *Geneſ.* 18: 12. Sed I. major erat Zachariæ incredulitas, quandoquidem Sacerdos cùm fuerit, aliosque docere debuerit atque erudire, tamen in ipſis Religionis principiis cuivis Catechumeno non ignotis, titubavit, nempe circa Dei omnipotentiam. II. Si locum, quo hoc ei nunciabatur, locum quo oracula divina immediatè ſolent exhiberi, ſi tempus, viz. ſtatim poſt effuſas preces, reſpiciamus, augetur non parùm incredulitatis crimen. Ecquis enim in fide ſanus optabilius ſperaret expectaretve precibus reſponſum?

VERS. 19. *Ego ſum Gabriel.*

Id eſt, homo Dei, ſcil. ejuſdem conſtructionis ac Melchiſedech. Non hîc, ut Angelis mos erat, (forſan aliàs Gabrieli ipſi) nomen celat: ſed quod incertitudinem Zachariæ tolleret, monet eum loci iſtius, *Dan.* 9. & inde firmat hominem dubium & hærentem.

LUCÆ CAP. I. VERS. 20, 22, 23.

Qui adſto in aſpectu Dei.] Id eſt, illi miniſter ſum ſive inſervio, ut *Dan.* 7: 10. 1 *Sam.* 16: 22. 2 *Reg.* 5: 25. Infirmo nituntur fundamento, qui hinc aſtruere conantur, Gabrielem Archangelum fuiſſe, ſive ex ſupremo Angelorum ordine.

VERS. 20. *Et ecce ſilebis, nec loqui poteris.*

Signum Zachariæ datum duplicem ob cauſam erat in ſeipſo patefactum: tum quia dubitatio ejus è nimis anxia ſui ipſius contemplatione originem traxerat: tum etiam ut pœnas propter incredulitatem ſolveret, eodem tempore, quo atteſtante ſigno, de rei veritate certior ſiebat.

Nec ſimplici pœnarum genere exercebatur, *mutus* factus atque unà *ſurdus*: ſurdus, quia voci Angelicæ non auſcultavit: mutus, quia contradixit. Nam I. vox Græca Κωφὸς, ut & חרישא, quæ perinde valet vert. Syr. ſignificat tam *ſurdum*, quàm *mutum*. II. Dicitur *verſ.* 22. quòd *innuebant ei*, per *ſigna* ſcil. quæ niſi ſurdo opus non fuiſſent.

Ἀνθ' ὧν οὐκ ἐπίστευσας. Quæ poſterior pars commatis non ineptè ad hunc modum reddatur: Silebis, &c. uſque ad illum diem, quo hæc, *propter quæ* verbis meis non credidiſti, adimplebuntur.

VERS. 22. *Non poterat eis loqui.*

Sacerdotis erat, finito in Templo cultu, populo, antequam dimitteretur, benedictionem pronunciare, *Numer.* 6: 24, 25, 26. Quod ex more facturus Zacharias hæret, ex improviſo oppreſſus ſilentio. Quippe vergebat indies ad interitum Leviticum Sacerdotium, appropinquante, & citato quidem greſſu, Chriſto, ad quem ſolum pertinebat verè ac propriè benedicere.

VERS. 23. *Ut impleti ſunt dies miniſterii ipſius.*

Mutus & ſurdus Sacerdos munus ſorte ei deſtinatum pergit aliquandiu, ut queat obire, quanquam duplici illo ſupplicio afflictus.

I. Quia neutra harum imperfectionum numeratur inter eas, ob quas arcendi erant Sacerdotes à ſacro miniſterio.

II. Quia

Digitized by Google

LUCÆ CAP. I. VERS. 24, 26.

II. Quia in Sacerdotio Levitico maximè opus erat *manuum* operâ & uſu, ut in aſperſionibus, oblationibus, agitationibus, &c. (ad quem ſenſum exponit *Targum*, opus manuum Levi, *Deuter*. 33: 11.) adeò ut tolerabilior eſſet *linguæ* defectus. At verò Euangelicum miniſterium nequit per mutos peragi, cùm ſine prædicatione non conſiſtat: quamobrem ut feliciùs in eo procederent primi ejus præcones, ſingulari linguarum dono mirificè locupletabantur.

VERS. 24. *Occultavit ſe (Eliſabeta) menſes quinque*, &c.

Secedere voluit & latitare, partim ſui ipſius gratiâ, pio ſcil. erga Deum affectu vehementer commotæ, partim verò infantis cauſâ, quem tum in utero geſtabat. Verba enim, (cogitationum ejus indices) quæ, ſeceſſura protulit, apertè monſtrant facti rationem. Dixit autem, *Quia ſic fecit mihi Dominus, in diebus quibus reſpexit auferre opprobrium meum inter homines*: in quibus duo manifeſtò proponuntur obſervanda.

I. Quòd Deus opprobrium ejus ſuſtulit, filium ei largiendo. Hoc verò procul omni dubio non erat cauſa occultationis. Sed

II. Quòd ità cum ea egerit, viz. *benignè & munificè*, eò quòd non ſolùm filium concedebat, unde opprobrium ei adimeretur, verùm inſuper eximium futurum & illuſtrem, & ad præclarum prophetiæ munus deſignatum. Atque hæc vera eſt ſeceſſûs ratio, partim ut Deum, ob tantum beneficium, ardentiùs veneraretur, pietatemque clam multitudine excoleret feliciùs; partim verò ut omnimoda evitaret inquinamenta & contaminationis occaſiones, nè forſan pollueretur iſte, quem in utero habebat, filius, ſeveriſſimus olim futurus *Nazaræus*. Simile exemplum vide *Judic*. 13: 14.

* *Ita emphaticè, unde illuſtratur locus, qui hactenus à multis perperam intellectus, ſequiora & duriuſcula excuſſit interpretamenta, propter emphaſin non obſervatam, quaſi ſe præ metu ſubduxerit, nè reverà non eſſet gravida: vel juxta alios, nè levior, quam par erat, aut libidinoſa ab aliquibus haberetur, gravidâ in ſenectute factâ, &c. Judices, Lector.*

VERS. 26. *Menſe autem ſexto.*

Menſis hic à conceptione Baptiſtæ *ſextus*, erat ab anno inchoato *decimus*, ſive *Tebeth*, qui noſtri Decembris parti reſpondet: tempori, in quo antiquo & diuturno errore nativitas vulgò collocatur. Eâdem anni parte Eſthera (alia Virgo) erat ab Ahaſuero ad ampliſſimos & regios honores evecta, *Eſth*. 2: 16, 17.

In urbem Galilææ.] Non magis contumelioſè, quàm falsò, de Servatore noſtro à Judæis ſemel per contemptum dicebatur: *Nullum Prophetam ex Galilæa ſuſcitatum fuiſſe*, *Joann*. 7: 52. Ex Galilæa enim ortus eſt celebris ille *Jonas* Propheta: è *Gatho*, *Chepheris*, 2 *Reg*. 14: 25. in *Tribu Zebulunis*, *Joſ*. 19: 13. & in *Galilæa* ſolebat *Eliſa* diverſari, præcipuè verò *Elisha*, Schenumi, 2 *Reg*. 4: 8. in Tribu *Iſſacharis*, *Joſ*. 19: 18. Quorum ſinguli erant Gentium Prophetæ neutiquam obſcuri. Nec ullus aptior eſſe potuit locus, unde *Chriſtus* emergeret, ejuſque Diſcipuli ad convertendas *Gentes*, quàm *Galilæa* quæ erat *Gentium*.

LUCÆ CAP. I. VERS. 27, 28.

Nazaretha.] Vide 2 *Reg*. 17: 9. *Turrim Nozarim*, quam, ſi ferret Chorographia, hanc urbem ſignificaſſe crederem, utpotè in præcipitis montis jugo ad formam ſpeculæ extructam, *Luc*. 4: 29. *Nazareth* Arabicè *auxilium*, Hebraïcè *ramus* eſt, ſive *ſurculus*: titulus Servatoris noſtri, *Iſaj*. 11: 1.

VERS. 27. *Ad Virginem.*

Rabb. Oshua filius Levi dixit, *Iſraëlem ex Virgine* ſolatium accepiſſe, uti ait *Jeremias*: *Patrat Jehova rem novam in terra, Virgo ambit virum*, Jerem. 31: 21. *Bereſh. Rabb.* Vide etiam *Lyram* & *Gloſſ. interlin.* in locum.

VERS. 28. *Gratiâ dilecta.*

Κεχαριτωμένη. Quam vocem reperias apud Scholiaſtem Græcum in *Pſalm*. 18: 26. עם חסיד תתחסד —: μετὰ κεχαριτωμένη χαριτωθήσῃ; ut etiam thema unde derivatur, *Epheſ*. 1: 6. ἐχαρίτωσεν ἡμᾶς, &c. Adeat utrumque locum æquus lector, judicetque quàm propriè tranſtulerunt Noſtrates ſupra quod fecit Interpres Vulg. Lat. Ad ampliſſimam, quæ in terris haberi poteſt, dignitatem, ut mater Redemptoris eſſet, evecta eſt Virgo, idque docet Spiritus Sanctus voce utendo planè ſingulari.

Superſtitio res eſt ſemper nimiùm officioſa: nunquam verò magis quàm erga Virginem Mariam. Eam jam in cœlis pro Deâ veneratur; & dum in terris fuit, quicquid unquam præſtitit, mirè ſolet amplificare. Adeò ut fermè quicquid de ea dicitur, ità miſerè plerumque torqueatur, quò aliquid ſaltem laudis ei redundet, ut ineptè ſæpiſſimè, nonnunquam audaciùs, in Deum dictum & blaſphemo ore prolatum judicares. Teſtor hanc ipſam de Annunciatione hiſtoriam, in qua nihil occurrit quod gloriam ejus quovis modo promovere poterit, quin eò utcunque invitum pertrahatur

LUCÆ CAP. I. VERS. 28.

hatur, tam præter hiſtoriæ ſeriem, atque extra operis ordinem, quàm rei ipſius veritatem. Per memoratam vocem Κεχαριτωμένη, quaſi per tubam, ejus elogia ebuccinantur. Quam ideò reddunt per *Gratiâ plena*, ut inde eam ſeptem Spiritûs Sancti donis locupletatam, omnibuſque virtutibus cùm Theologicis, tum Moralibus inſtructam, & majore, quàm pro ſorte humana, Spiritûs Sancti plenitudine exornatam fuiſſe, ſtatuant & concludant.

Cùm intereà, I. Quotieſcunque S. Scriptura de gratiæ plenitudine loquitur, eam perpetuò per aliam phraſin exprimit, ut *Joann.* 1: 14. *Actor.* 6: 5.

II. Ipſe Angelus ità vocem exponit, ut noſtris faveat tralatoribus, indicetque intelligendum eſſe *favorem* (ſive beneficium) *acceptum*, non *Gratiam inhærentem, verſ.* 30. *Inveniſti gratiam apud Deum.*

III. Virgo ipſa in cantico ſuo eam ſic interpretatur.

IV. Sponſus ejus Joſephus, eam pro adultera ſuſpectam habuit: quod extra dubium neutiquam feciſſet, ſicubi (is qui certè optimè potuit) tam immenſam gratiæ plenitudinem, quantam jactitant Romanenſes, in ea perſpexiſſet.

V. Si cum aliis illuſtribus conferatur fœminis, in quo, quæſo, præſtat cæteris, niſi in ſingulari hoc & eximio Servatorem noſtrum pariendi privilegio? Habuitne prophetandi ſpiritum? Ità & illæ. Num Spiritum ſanctificationis? Et illæ pariter. Neque ea erat aut à peccati labe, aut moriendi neceſſitate magis immunis.

VI. Erat illa ex eorum numero, qui Chriſtum à prædicatione avocaſſe voluerant, *Marc.* 3. Quod haud ſanè certiſſimum erat tam exuberantis gratiæ indicium.

VII. Vide Janſenium in locum, qui cùm aliàs partibus iſtis egregiè favere ſolet, hanc tamen vocem ità, ut Noſtrates, exponit.

Dominus tecum eſt.] Multi de ipſa Incarnatione, ſive Domini in uterum Virgineum deſcenſu interpretantur. Cùm tamen I. eſt hæc phraſeos notæ & pervulgatæ nova & planè inſolens expoſitio. II. Eo temporis articulo nondum deſcenderat Dominus in uterum. Quamobrem verba ſolùm innuunt, Dominum ſingularem in eam favorem cumulaſſe, atque ejus reſpectu peculiari modo cum ea fuiſſe, ut *Judic.* 6: 12. Hinc miræ apparent Papicolarum ineptiæ, qui precationis, imò verò quoties opus fuerit, incantationis vim, iſtis vocibus *Ave Maria*, inſulsè attribuunt. Dum ſcil. I. Salutationem in precandi formam commutant. Et II. verba iſta, ab Angelo cœlitùs demiſſo, in re adeò ſingulari prolata, cujuſvis ori accommodant, & cuilibet occaſioni. III. Dum eandem compellandi formam, ei jam in cœlis evectæ, ac quæ dudum in terris verſanti congruebat, adaptare non verentur. Eam ſcil. *gratiâ* plenam appellant, quæ in cœlis æternâ beatur *gloriâ*, dicuntque *Dominum cum ea eſſe*, cùm longè apertiùs, *Illam eſſe cum Domino* diceretur.

LUCÆ CAP. I. VERS. 29, 31.

Benedicta tu inter mulieres.] *Inter*, non *ſupra.* Vide *Geneſ.* 30: 13. *Judic.* 5: 24.

VERS. 29. *Illa verò, cùm eam vidiſſet.*

Sic legit Syrus, Arabs, & plerique omnes præter Vulg. Lat. quem meritò ſuſpicari poſſumus, de induſtria ab Originali deflexiſſe, quò Virginis cum Angelis familiaritati ſpecioſiùs patrocinetur. Quum reverà Angelorum apparentiæ, priùs quàm hic ſe *Zachariæ* atque *Virgini* in conſpectum dederat, aut perquam raræ fuiſſent, aut omninò nullæ.

Qualis eſſet ſalutatio iſta.] Judex eſto lector, quàm miſerè & iniquè ſuperſtitio ſacrum Textum cruciat, ut aliquas ſaltem Virgini Mariæ extorqueat laudes, quæ nimirum vel hinc (quis credat) concludit, eam per totum vitæ ſuæ curſum nunquam ab ullo mortalium fuiſſe ſalutatam. Opinio ſanè, ac commentum omni examinatione penitùs indignum.

VERS. 31. *Et ecce concipies in utero.*

Reſpicit *Iſaj.* 11: 4. & inde monet Virginem, de illa, quæ ibi ſunt dicta, fuiſſe prænunciata: quod cùm primùm intellexit, cœpit ilicò de modo percontari, *verſ.* 34.

Et vocabis nomen ejus.] Pergit uſque ad vaticinium alludere, & è *multiplici* vocis וקראת ſignificatione decerpit unam.

I. Enim denotat perſonam tertiam fœmineam, ut *Deuter.* 31: 29. וקראת אתכם הרעה, quo ſenſu in memorato vaticinio eſt accipienda. *Et vocabit* (ſcil. Virgo) *nomen ejus Immanuel.*

II. Denotat ſimiliter ſecundam perſonam, & per eam vertunt Chaldæus, LXX. & reliqui duo Tralatores Græci, & in hoc loco Angelus, *Et vocabis.*

III. Applicatur inſuper ad tertiam perſonam pluralem, ut in Græco Matthæi textu, *Matth.* 1: 23. & in Chaldæo *Iſaj.* 60: 18.

Jeſus.] Græc. idem eſt ac *Jehoſchue* Hebr. ut *Actor.* 7: 45. *Hebr.* 4: 8. & *Joſua* Verſ. Chald. *Ezræ* 2: 2. Erat horum uterque priſcis temporibus celebratus. Alter enim

Digitized by Google

LUCÆ CAP. I. VERS. 32, 33, 34.

enim populum poſt Moſis obitum in terram Canaan eduxit: alter eum eodem reduxit è Babylone. Adeóque Servatorem noſtrum, Jeſum illum, qui populum ſuum ad cœleſtem Canaan eſt educturus, uterque ad vivum repræſentavit.

VERS. 32. *Filius Altiſſimi.*

Quod de ſempiterno throno & imperio verbis immediatè ſequentibus dicitur, manifeſtò evincit, Angelum de glorioſo promiſſo Davidi jam pridem dato, Virginem commonefacere, ex 2 *Sam.* 7: 14. explicato in *Hebr.* 1: 5. & proinde dubitantem erigere, atque hinc obfirmare, dum meminerit Virgo, ſe ex familiâ Davidis oriundam: atque ità ad firmam eorum quæ ei narrabantur fidem, gradatim ducitur.

Dabitque ei ſedem, (*ſive thronum.*)] *Pſalm.* 2: 7, 8, 9. *Ezech.* 21: 27. *Dan.* 7: 14, &c.

VERS. 33. *Regnabitque in domo Jacobi.*

Domus Jacob complectitur I. totum δωδεκάφυλον; & propterea latiùs patet quàm Iſraël: deinde II. Ethnicos & exteros omnes; quandoquidem in domo ſive familia Jacobi erat & horum turba non exigua.

VERS. 34. *Quandoquidem virum non novi.*

Hæc verba, inquiunt Rhemiſtæ, *declarant eam Virginitatis voto fuiſſe obſtrictam. Si enim virum noſſe ei licuiſſet, & proinde liberos habere, nunquam interrogaſſet, quomodo hoc fiet?* Janſenius preſſiùs urget, aſſerens, *Quòd hinc non ſolùm conſequitur, eam votum ſuſcepiſſe, verùm etiam votum iſtud Deo fuiſſe gratum atque approbatum.* Vide etiam *Aquin.* Part. 3. Quæſt. 28. Artic. 4. *Baron.* in Apparatu ad Annal. &c.

Reſpondetur. I. Quòd matrimonium inter Judæos non habebatur res indifferens, & pro cujuſvis arbitrio libera: ſed potiùs vim præcepti habuit, quod ad omnes extendebatur; & primum inter 613. illa Pentateuchi numeratur, cum triplici Targo, ad *Geneſ.* 1: 21. Et *Apoſt. Paulus* ad hanc eorum opinionem videtur alludere, cùm de matrimonio locutus, 1 *Cor.* 7: 6. dicat, *Præceptum non habeo.*

II. Inter vota quæ in ſe ſuſcipere ſolebant, *Virginitatis* nulla uſquam fit mentio. Temerarium erat illud Jephtæ, potuitque jure revocari, ſat cautè definientibus *Paraphraſte Chald.* & *Rabb. Solomone*, & ex ſententia *R. Dav. Kimchi*, pœnas ideò luebat, quòd redemptionem ejus non perſolverit juxta *Levit.* 27. LUCÆ CAP. I. VERS. 34, 35.

III. Abſque prole defungi, erat inter homines ignominioſum, *Luc.* 1: 25. & ſine conjugio vitam traducere, mulieribus infame, *Pſalm.* 78: 63. *Virgines non laudabantur*, id eſt, non dabantur in uxores. Jam verò Virginitatem ultrò vovere perpetuam, atque eandem tamen infamem reputare, turpem ac contumelioſam, immane quantum diſcrepant!

IV. Si quando Maria *Virginitatem* voverat, cur poſtmodùm viro conjungeretur? Vel ſi nupta fuit, quorſum iſtiuſmodi voto ſemet obligaret? Alii enim priùs, alii poſtquàm deſponderetur, eam votum illud nuncupaſſe contendunt.

V. Tale votum erat prorſus ſupervacaneum, cùm abundè ſuffecerit quòd *Virgo* fuerit.

VI. Inſolenter admodum & impropriè diceretur, *Non noſco virum*, ſi tamen intelligendum foret, *Neceſſe eſt ut nunquam noſcam.* Quæ phraſis certè omnibus in locis ubi *Virginum* fit mentio, pari ratione, ac in hac clauſula, eo ſenſu queat exponi.

VII. Dum in eo eſt Romaniſta, ut Virginitatem ejus ſuo gloſſemate extollat, judicium Virginis intereà & fidem trahit in ſuſpicionem. Si enim *voti* erat conſcia, neceſſe erat ut apud ſe ſtatueret, filium aut *per coïtum* gignendum eſſe, aut ſaltem *abſque eo* non poſſe procreari. Quorum prius *ignorantiæ*, poſterius *incredulitatis* eam inſimularet.

VIII. Verba ejus non ex animo profluunt pendulo & hærenti, uti Zachariæ illa, *Quomodo hoc noſcam?* At verò rei ipſius ſatis ſecura, pergit ulteriùs de myſtico ejus *modo* percontari. *Angelum* de *nativitate Meſſiæ* fuiſſe locutum, probè novit: *Meſſiam* ex *Virgine* oriundum ſatis intellexit: & præterea *ſemetipſam* Virginem *illam* eſſe iſthuic partui deſignatam, animo concepit: & de his omnibus nihil dubitans, cupit porrò de *modo* certiorem fieri, quo negotium adeò ſtupendum perageretur.

VERS. 35. *Spiritus Sanctus ſuperveniet in te.*

Angelus ſollicitam Virginem triplici reſponſo liberat. I. Eam de *modo* inſtruit. II. Simile exemplum in cognata ejus Elizabeta proponit expendendum. III. Eam, ex Dei potentia ducto argumento, firmat. Et quanquàm pariendi exempla in Elizabetâ aliiſque ſterilibus immenſæ Dei potentiæ unicè debeantur; poſſit tamen in Virgineo partu ſingu-

LUCÆ CAP. I. VERS. 35, 36.

ſingularis aliqua & pluſquàm vulgaris expectari cauſa. Nec falsò, quandoquidem hæ duæ actiones concurriſſe expreſsè memorantur. I. *Deſcenſus Spiritûs Sancti ſuper Virginem.* II. Poteſtatis Altiſſimi *inumbratio.* Quibus congrui duo itidem conſequuntur effectus. I. *Superveniet in te Spiritus Sanctus; quamobrem quod naſcetur ex te erit ſanctum.* II. *Inumbrabit te virtus Altiſſimi; & propterea id quod ex te naſcetur, vocabitur Filius Dei.*

Deſcendebat in eam Spiritus Sanctus I. in dono *prophetiæ*, per quod eodem inſtanti de conceptione in ſe producta, atque unà de toto Incarnationis myſterio pleniorem quàm priùs habuit cognitionem. II. Idem Spiritus Sanctus tantum ſanguinis & carnis ſive ſeminis aptè diſpoſuit ac præparavit, quantum corporis Servatoris noſtri materiæ ſuffecerit. Erat quidem hoc opus univerſæ Trinitatis: at Spiritui Sancto ſeorſim attribuitur, I. Ut ſanctificaretur ſemen illud, & ab omni labe originali purgaretur: eſt autem *Sanctificatio* opus Spiritûs. II. Ut pravis animis omnis cavillandi anſa præcideretur: qui forſan, ſicubi Filii in utero Virgineo conceptio Patri fuiſſet aſcripta, concluſiſſent ilicò, illum *nullo alio modo* ex Patre genitum fuiſſe.

Virtus Altiſſimi.] Quæ ſcil. maritalis amplexûs defectum compenſaret. Huc vox *inumbro* videtur reſpicere: modeſta utique *Hebræorum* locutio, per quam viri amplexus in concubitu exprimunt, ut *Ruth.* 3: 9. *Expande pallium tuum ſuper ancillam tuam,* ſive, Inumbret me pallium tuum.

Propterea quod naſcetur ex te ſanctum.] Titulus & epithetum hoc oſtendit I. Non ſolummodò humanam in Chriſto naturam puriſſimam eſſe, & omnimodæ ſordis immunem; verùm etiam conſequenter II. (ſi quod præcedit reſpexeris) Neminem, præter unum Chriſtum, perinde immaculatum fuiſſe, propterea quòd, præter hunc ſolum, nemo mortalium tam miro modo concipiebatur.

VERS. 36. *Elizabeta cognata tua concepit filium.*

Quòd Meſſias ex ejus ad quam loquebatur utero prodire debebat, priùs Virgini oſtenderat: pergit hic enarrare porrò, Præcurſorem ex Elizabeta ejus cognata procedere debere. Quòd Angelus non ſolùm voluerit ei ſignificare, Elizabetam factam fuiſſe gravidam, verùm præterea cogitationes ejus ad Præcurſorem Chriſti erigere, ex his quæ ſequuntur tribus licet conjectare. I. Quoniam dixit, concepit *filium*, non *infantem.* II. Quia ità intempeſtivè nati ſemper aliquid habuerunt eximiæ ac ſingularis dignitatis. III. Quia, ſi id curabat unicè, ut eam omnipotentiæ divinæ in vetularum partu in memoriam revocaret, quò rem poſſe fieri declararet; potuit id ex Saræ, Hannæ, aliarumque exemplis veteribus non ignotis, abundè feciſſe.

LUCÆ CAP. I. VERS. 39.

VERS. 39. *Surgens verò Maria, &c. profecta eſt in montanam regionem cum feſtinatione in urbem Juda.*

Urbs illa erat *Chebron*: dedit enim *Joſua Filiis Aaronis*, urbem *Arbahi*, quæ eſt *Chebron* in montanâ *Judæ* regione, *Joſ.* 21: 11. Et quandoquidem Zacharias erat ex familia Aaronis, & montanæ regionis Judæ incola, ineptum foret domum ejus alibi quàm in *Chebrone* fuiſſe, exiſtimare. Erat hic locus jam olim inter antiquas non uno nomine præclarus: hîc enim *Iſaacus* promittebatur Abrahamo; hîc inſtituebatur Circumciſio; atque hîc Abrahamus primam obtinuit *fundi* poſſeſſionem, & David *Coronæ*; & hîc porrò tria illa conjugatorum paria, *Abrahamus & Sara*, *Iſaacus & Rebecca*, *Jacobus & Lea*, ſepulchra habuerunt; imò verò, tradente Antiquitate, *Adamus & Eva*. *Mariæ* ad hunc locum feſtinationis, plurimæ ſunt ab Interpretibus excogitatæ rationes: vel ut veritatem ejus quod de Elizabeta narrabatur, exploraret; vel ei conceptum filium læta gratularetur; vel ut miniſtraret gravidæ; vel denique ut Chriſti in utero Virgineo præſentia Baptiſtam pariter embryonem ſanctificaret. Mihi verò hæc præcipua videtur ratio, *ut nimirum, ubi tot typi & tam variæ figuræ, aliaque quæ ad Chriſtum referebantur, peracta fuerant eodem in loco, Chebrone ſcil. ipſe Meſſias antitypus conciperetur.* Nam I. mirè hoc cum ſingulari illa in operibus divinis *harmonia* & *concentu* congruit, ut promiſſum de naſcituro Meſſia primùm adimpleri inciperet, (tum utique cùm concipiebatur) inter ipſiſſimos illos Patriarchas, quibus illud Deus primùm largiebatur. II. Videtur ſaltem aliqualis neceſſitas, ut *Shilo* iſte ex Tribu *Judæ* & ſemine *Davidis* oriundus, in *civitate* aliqua *ejuſdem Tribûs* ac *familiæ conciperetur*; quemadmodum & in alia urbe, quæ ad utramque attinebat, debuerat enaſci. III. Euangeliſta urbem iſtam ſigillatim indicans, *Chriſtum* reſpexiſſe videtur, potiùs quàm *Joannem*, qui utcunque Sacerdos erat,

Digitized by Google

LUCÆ CAP. I. VERS. 40,41,45.

erat, nihil tamen intererat intra quam Tribuum omnium ditionem primam lucem viderit. Hoc tamen, apertè monente Spiritu Sancto, non eſt prætereundum: nimirum, quòd *Joannes*, ad quem attinebat *Baptiſmum* in locum *Circumciſionis* ſubſtituere, eo ipſo in loco, *Chebrone* nempe, naſcebatur, in quo *Circumciſio* primùm erat inſtituta. Agnoſco quidem communiter obtinuiſſe, quòd Virgo in urbe *Nazareta* conceperit, idque eodem inſtanti quo Angelus eam alloquebatur: utrum verò hæc ſententia, an ea quam nuper retulimus, ſit probabilior, penès æquum & prudentem lectorem eſto judicare.

VERS. 40. *Salutavit Elizabetam.*

Videtur hoc feciſſe, cùm adhuc aliquantulum ab ea diſtaret, necnon intercedente forſan pariete, vel tabulato.

VERS. 41. *Subſiliit fœtus in utero.*

Ἐσκίρτησε: quâ voce utuntur LXX. de Jacobi & Eſavi in utero conquaſſatione, *Geneſ.* 25: 22. & de montium in Legis promulgatione, ſaltatione.

Addit Elizabeta *verſ.* 44. quòd *ſubſiliit fœtus ἐν ἀγαλλιάσει*: non quaſi ſibi conſciret, quid, vel quamobrem fecerit, magis quàm gemini illi priùs memorati; ſed, vel nunc *primùm*, vel ſaltem *vehementiùs*, quàm pro more, ſubſiliit. Vox Ἀγαλλίασις, & externam & internam geſticulationem atque exultationem denotat, atque nonnunquam ſolam externam, ut *Pſalm.* 65: 13. Ἀγαλλίασιν οἱ βουνοὶ περιζώσονται, *Exultatione colles accingentur*. Atque eo in ſenſu eſt hîc ſumenda, *Subſiliit fœtus in utero meo motu ac geſticulatione longè quàm pro more vehementiore.* Atque ità ἐν particula eſt, *modum* rei factæ, non *cauſam* actionis, indicans.

VERS. 45. *Et beata eſt quæ credidit.*

Videtur hîc Elizabeta animum ad conjugis ſui incredulitatem, pœnaſque ob eam datas, advertere: q. d. Hic vir cùm fuerit Sacerdos, ætate atque eruditione ſapiens, atque inter populares ſuos præclarus, nunciumque acceperit longè probabilius, quàm quod Mariæ afferebatur; Maria tamen fœmina obſcura, indocta, & privatæ ſortis, nuncium ſibi prorſus incredibile viſum, quod naturæ juxta ac rationis vires ſuperavit omnes, fideliter amplexata eſt, dum Zacharias ſuſpicioſè Angelum audit, & pluſquam muliebrem oſtendit ſolicitudinem.

LUCÆ CAP. I. VERS. 48.

VERS. 48. *Qui reſpexit humilem ancillam ſuam.*

Sive humilem ancillæ ſuæ conditionem. Ἐπέβλεψεν τοῖς LXX. familiaris, 2 *Sam.* 9: 8. *Pſalm.* 25: 16. notatque non *meriti* rationem in perſona quæ reſpicitur, ut hîc exponunt Pontificii, ſed benevolum ac miſericordem *reſpicientis* animum. Diverſè reddunt Pontificii: alii, *Reſpexit humilitatem meam cum approbatione:* alii hoc annectunt gloſſema, *Propter humilitatem meruit ut exaltaretur, & per eam apprimè diſponebatur, ut conciperet pareretque unigenitum Dei Filium.* I. Verò vox ἐπέβλεψε, quod priùs innuimus, planè diverſi eſt ſignificatûs apud Septuaginta *Senes*, ad quorum opem in ea interpretanda optimo jure confugimus. II. Ταπείνωσις non animi humilitatem, ſive virtutem eo nomine appellari ſolitam notat, ſed ſortem ſive conditionem pauperem & neglectam: quem ſenſum ei affigunt *Arabs*, *Syrus*, *Hiſpanus*, *Gallicus*, *Deodati*, *Ital. Belgic.* & *Latini omnes*, quibus non eſt religio à *Vulgato* vel latum unguem diſcedere: quo ſenſu ſimiliter occurrit apud LXX. *Geneſ.* 16: 11. & 41: 52. 1 *Sam.* 1: 11. & in Novo Teſtamento, *Actor.* 8: 33. collato cum Textu originali in *Eſaj.* 53: 8. Nec diſſentiunt Authores Ethnici, qui diſtinguunt inter ταπείνωσις, quam, uti & nos, accipiunt, & ταπεινοφροσύνη, per quam *virtutem humilitatis* intelligunt. III. Vox eadem, vel ſaltem conſimilis & ab eadem radice prognata, opponitur voci δυνατὸς, & nequit aliter quàm pro ſententia noſtra exponi. IV. Si, quod interpretantur Pontificii, Virgo diceret, *Reſpexit humilitatem meam, ut eam pro merito remuneraret*, profectò, ſupra quod ferri poſſet, de ſua ipſius humilitate ſuperbiret.

Beatam me prædicabunt omnes ætates.] Ut *Geneſ.* 30: 13. Non tu ſolùm, mea cognata *Elizabeta*, non tantùm *Judæus* populus, qui Meſſiam expectat, verùm univerſus terrarum orbis, atque omnes deinceps omnium Gentium ætates ad Chriſti cognitionem pervenient unà ac eum adorabunt, & me quoque beatam prædicabunt, ob immenſum benigni Numinis erga me favorem.

Diſſipavit ſuperbos, &c.] Si Virgo hæc verba in *Dæmonas*, in *Phariſæos*, in *Judæos*, vel denique in quamvis aliam ſocietatem collimàrit, uti ſtatuunt nonnulli;

LUCÆ CAP. I. VERS. 58.

æquali rationis ſpecie de *quatuor* iſtis *tyrannicis*, & perſecutionem continuò ſpirantibus *Imperiis*, apud Danielem memoratis; de his, inquam, æquè ac de quovis alio hominum genere, ea poſſimus interpretari. Quandoquidem verò, verba penè eadem in cantico Hannæ, 1 *Sam.* 2. comperiantur; ſatiùs habemus ea, de communi & generali Dei cum improbis agendi modo, accipere, quàm ad ſingulare aliquod ſeorſim ab aliis exemplum applicare.

SECTIO IV.

MATTTHÆI CAPUT IV.

VERS. I. (a) *Liber* (b) *generationis Jeſu Chriſti filii Davidis, filii Abrahami.*

II. *Abrahamus genuit Iſaacum. Iſaacus autem genuit Jacobum. Jacobus autem genuit* (c) *Judam & fratres ejus.*

III. *Judas autem genuit Phareſum & Zaramum è Thamara. Phareſus autem genuit Eſromum. Eſromus autem genuit Aramum.*

IV. (d) *Aramus autem genuit Aminadabum. Aminadabus autem genuit Naaſſonem. Naaſſo verò genuit* (e) *Salmonem.*

V. *Salmo verò genuit* (f) *Boozum è Rachaba. Boozus autem genuit Obedem è Rutha. Obedes autem genuit Jeſſen.*

VI. *Jeſſe verò genuit* (g) *Davidem illum Regem. David autem Rex ille genuit Solomonem, ex ea quæ fuerat uxor Uriæ.*

VII. *Solomon verò genuit Roboamum. Roboamus autem genuit* (h) *Abiam. Abias autem genuit* (i) *Aſam.*

VIII. *Aſas autem genuit Joſaphatum. Joſaphatus autem genuit Joramum. Joramus autem genuit Hoziam.*

IX. *Hozias autem genuit Joathamum. Joathamus autem genuit Achazum. Achazus autem genuit Ezechiam.*

X. *Ezechias autem genuit Manaſſem. Manaſſes autem genuit Amonem. Amon autem genuit Joſiam.*

(a) *Geneſ.* 5: 1.

(b) Poteſt exponi Liber *Hiſtoriæ*: iſthoc enim ſenſu occurrit *Generatio*, *Geneſ.* 2: 4 & 37: 2. & proinde potuit hîc eſſe titulus non ſolùm hujus Capitis, verùm etiam totius Euangelii. Verùm cum is ſit Euangeliſtæ ſcopus, ut memoret affinitatem cùm proſapia regia, quam habuit Chriſtus ex parte patris ejus *Joſephi*, oportet omnino congruenter huic inſtituto phraſin interpretari. Et ſic *Chaldaic. Paraphr.* reddit משפחתן, per Græc. Γένεσιν, *Job.* 32: 2. Aliter ſignificat Γένεσις, *Jacob.* 3: 6. & 1: 21.

(c) *Judas* pro Hebr. *Jehudas*: abhorret enim à pronunciatione Græca, ut *h* vel ante vocalem in medio vocis efferatur, vel poſt vocalem in fine. Semper itaque *h* in medio abjiciunt Græci, ut in vocibus *Joſaphat*, *Joram*, & *Judas*: in fine verò mutatur in *s*, ut in hac voce & aliis hujus Capitis benè multis.

(d) Sive *Ram*, 1 *Paralip.* 2: 9. *Ruth.* 4: 19.

(e) Sive *Salmam*, *Ruth.* 4: 20.

(f) Tradunt Judæi hunc fuiſſe *Ibezanem*, cujus fit mentio *Judic.* 12: 8.

(g) David ſignificat inter Arabas *vermem*; ad quod forſan alluditur, *Pſalm.* 22: 7.

(h) *Roboamus*, cùm hoc nomen filio ejus indidit, videtur ad id quod promiſit Deus Davidi his verbis, 2 *Sam.* 7: 14. *Ego illi pater ero*, reſpexiſſe: *Abijah* enim perinde valet ac *Deus eſt pater meus*. Cùm verò ad *Davidis* exemplum ſe neutiquam compoſuerit, nec proinde verâ & genuinâ fide, ſed auſu planè temerario titulum iſtum filio ejus impoſuit, cùm alibi in Sacro Codice filii fit mentio, reticetur ea pars nominis quæ Deum indicat, & (quaſi ob morum diſſimilitudinem) mutatur nomen in *Abi-jam*, id eſt, *Eſt mihi mare pater*, fluctuante ſcilicet circa omne bonum *Roboamo*. Vide *Jacob.* 1: 6. qui quadragenarius cùm fuerit, puer nihilominus appellatur, 2 *Paralip.* 13: 17.

(i) *Arabs* habet *Aſaphum*.

XI.

Digitized by Google

XI. *Joſias autem genuit* (k) *Jechoniam & fratres ejus in tranſportatione illa Babylonica.*

XII. *Poſt tranſportationem autem illam Babylonicam, Jechonias genuit Salatielem. Salatiel autem genuit Zorobabelem.*

XIII. *Zorobabel autem genuit Abiudem. Abiud autem genuit Eljacimum. Eljacimus autem genuit Azorem.*

XIV. *Azor autem genuit Sadochum. Sadochus autem genuit Achimum. Achimus autem genuit Eliudem.*

XV. *Eliud autem genuit Eleazarum. Eleazarus autem genuit Matthanem. Matthan autem genuit Jacobum.*

XVI. *Jacob autem genuit Joſephum virum Mariæ, ex qua genitus eſt Jeſus ille qui dicitur Chriſtus.*

XVII. *Univerſæ igitur progenies ab Abrahamo uſque ad Davidem, progenies quatuordecim: & à Davide uſque ad* (l) *tranſportationem Babylonicam, progenies quatuordecim: & à tranſportatione Babylonica uſque ad Chriſtum, progenies quatuordecim.*

XVIII. *Jeſu verò Chriſti nativitas ità fuit. Quum enim mater ejus Maria deſponſata eſſet Joſepho, priuſquam ipſi conveniſſent, comperta eſt prægnans eſſe è Spiritu Sancto.*

XIX. *Porrò Joſephus vir ejus, cùm eſſet juſtus, & nollet eam* (m) *ignominiæ exponere, voluit clam eam dimittere.*

XX. *Hæc autem quum in animum induxiſſet, ecce Angelus Domini in ſomnio apparuit ei, dicens, Joſephe fili Davidis, nè metue accipere Mariam uxorem tuam: nam quod in ea genitum eſt, ex Spiritu Sancto eſt.*

XXI. *Pariet autem filium, & vocabis nomen ejus Jeſum: ipſe enim liberabit populum ſuum ex peccatis ipſius.*

XXII. *(Totum hoc autem factum eſt, ut impleretur quod ait Dominus per Prophetam dicentem:*

XXIII. *Ecce, Virgo illa prægnans erit, & pariet filium, & vocabis nomen ejus Emmanuel: quod eſt, ſi interpreteris, nobiſcum Deus.)*

XXIV. *Experrectus autem Joſephus ex ſomno, fecit ut ei imperarat Angelus, & accepit uxorem ſuam.*

XXV. *Sed non cognovit eam, quouſque peperiſſet filium illum ſuum primogenitum: vocavitque nomen ejus Jeſum.*

(k) Vocatur *Conias*, *Jerem.* 22: 24. Demptà enim primà nominis ſyllabà, ſubinnuit Deus, ſe nolle deinceps regnum atque imperandi dignitatem *Solomonis* proſapiæ continuatà ſerie ſtabilire, uti videtur *Jehojakimus* ſibi ſpopondiſſe, cùm iſtiuſmodi nomen indiderit filio. Placebat Judæis nomen *Jehovah* ſuis ipſorum nominibus aliquantulum correptum præfigere: fronti enim nominis ſolebant affigere *Jeho*, ut *Jeho-ſaphat*, *Jeho-ram*, &c. Fini autem *Jahu*, ut *Mica-jahu*, *Eli-jahu*, Aliquando verò vel in eodem nomine ſolebant nunc fini, nunc initio pro lubitu adnectere, ut *Jeho-achaz*, 2 *Paralip.* 4: 17. idem eſt ac *Ahaz-jahu*, 2 *Paralip.* 22: 1. & *Jehojacin*, 2 *Reg.* 24: 8. eſt *Jecon-jahu*, 1 *Paralip.* 3: 16.

(l) Captivitas *Judæorum* ad *Babylonem* erat ſolummodo μετοικεσία, *tranſmigratio quædam familiarum*, (ut loquitur *Ariſteas* de *Ptolem. Lago* eos in captivitatem abducente, τοὺς μὲν μετῴκισεν, τοὺς δὲ ᾐχμαλώτευσε) quæ non longè pòſt revertebantur. Cæterum decem Tribus à *Shalmanezere* abductæ, dicuntur à LXX. eſſe ἐν Ἀσσυρίᾳ, 2 *Reg.* 18: 11. perpetuo nimirum exilio atque habitationum privatione. Quæ decem Tribus, ut & univerſa *Judæorum* natio, uſque ad hunc diem ſunt ἐν διασπορᾷ, per terrarum orbem exules, ſine patria, ſine domicilio vagantur errabundi, *Joann.* 7: 35. *Jacob.* 1: 1. 1 *Petr.* 1: 1.

(m) Παραδειγματίσαι. Tres, juxta *Aul Gell. Noct. Attic.* lib. 6. cap. 14. præcipuè reputantur puniendi rationes. Prima eſt, ut emendetur is qui peccaverit: ejuſmodi pœna vocatur νουθεσία, κόλασις, vel παραίνεσις. Secunda, ut conſervetur ejus dignitas cui facta eſt injuria: hæc τιμωρία dicitur. Tertia, cùm ad alios à ſimili peccato deterrendos, infligitur pœna, quæ παράδειγμα appellatur.

MATTH. CAP. I.

Ordinis Ratio.

POſt trium menſium (ut ex *verſu* ultimo Sectionis præcedentis liquet) abſentiam, Joſephus revertentem Mariam gravidam præter expectationem comperit, quamobrem eam clam dimittere apud ſe ſtatuit: exemplum Judæ haud multo diſſimile, quanquam mitiore ingenio, imitatus, qui cùm poſt æquale temporis ſpatium, Thamaram, quod minimè ſperabat, prægnantem invenerit, eam continuò morti adjudicavit, *Geneſ.* 38: 24.

Quod ſi bene perpendatur, facilè monſtrat, quàm propriè & conſultò, quoad ordinem temporis, *verſus* hujus Capitis decimus octavus ſtatim poſt ultimum Sectionis præcedentis collocetur.

Quandoquidem verò viſum eſt Euangeliſtæ à Genealogia opus ſuum inchoare, eſt & ea nobis neutiquam prætereunda; præcipuè verò cùm eam non ſine multiplici ratione in ipſo hiſtoriæ limine diſpoſuerit. I. Ut meliùs innoteſceret ratio verborum iſtorum quibus Angelus Joſephum eſt allocutus: *Joſephe, fili Davidis*, verſ. 20. II. Ut ſimiliter innoteſceret ratio tituli quo Sapientes Salvatorem noſtrum compellarunt, *Rex Judæorum*, Cap. 2: 2. III. Ut probetur eum verum fuiſſe atque unicum illum Judæorum Meſſiam, dum oſtenditur eum ex ſemine Abrahami, & Davidis proſapiâ eſſe oriundum, juxta quod promiſſa atque certiſſima Prophetarum oracula jamdudum indicaverant.

Duæ enim erant præcipuæ ac primariæ veri Meſſiæ notæ, quæ utrum Servatori noſtro convenirent, necne, ſolebant Judæi ſumma cum ſolicitudine exquirere. I. An ortus fuerit ex familia Davidis. II. An natus in Bethlehem. En fluctuantes utramque moventes quæſtionem, *Joann.* 7: 42.

His itaque ità ſe habentibus, nihil certè mágis erat neceſſarium, quàm ut Matthæus autor Hebræus, qui Euangelium ſuum in Hebræorum uſum exaravit, omnem de his rebus ſcrupulum in primo Hiſtoriæ limine penitus adimeret: quod quidem optimè fecit, dum in hoc Capite illum ex Davide prognatum; in ſequente verò natum fuiſſe in Bethlehem, demonſtravit.

Ultimus hujus Capitis & Sectionis *verſus: Non cognovit eam, quouſque peperit filium illum ſuum primogenitum*, &c. ſi hîc inſeratur, videtur quidem Hiſtoriæ ſeriem aliquantulum turbare, & citiùs quàm res exigit Chriſti nativitatem enarrare: in quantum verò nihil præterea de ea re adjiciat Euangeliſta, noſtrumque ſit inſtitutum, ſacrum Textum in quàm pauciſſimas portiones diſcerpere; retineat hâc vice quem habet locum abſque ulla tranſpoſitione. Atque imaginationis ope ea, quæ fuſiùs in duabus quæ ſequuntur Sectionibus, tractantur, quaſi Commentaria, ad id, quod hîc breviùs dicitur, referemus.

MATTH. CAP. I. VERS. 1.

Harmonia & Explicatio.

QUòd publicis Tabulis inſcripta fuerint, atque poſteris reſervata nomina eorum qui erant ex Tribu Judæ, ut & aliorum qui ex quavis alia ſe huic Tribui adjunxerint, non ſolùm durante Captivitate, verùm etiam deinceps, abundè probatur, cùm ex libris Ezræ & Nehemiæ, tum etiam ex eo quòd Lucas Annam ex Tribu Aſſer fuiſſe memoret, Paulus verò ſe ex Benjamino ortum aſſeveret.

Ex his Matthæus Genealogiæ ſuæ partem poſteriorem, ut & Lucas ſuæ priorem, deſcripſit: quas proinde fraudis inſimulati facilè teſtes fidei appellare potuerunt. Fruſtra itaque & iniquè Judæi hos Scriptores ſuggillare pergunt, cùm dudum perdiderint idoneos veritatis teſtes.

Filii Davidis, filii Abrahami.] Repetendæ ſunt & utrique applicandæ voces *Jeſu Chriſti:* hunc in modum, Jeſu Chriſti filii Davidis, Jeſu Chriſti filii Abrahami. Phraſin omnino ſimilem videas *Geneſ.* 36: 2. *Aholibama filia Hanæ, filia Tzibonis:* quæ verba ità ſunt accipienda, ac ſi diceretur, *Aholibama filia Hanæ, Aholibama filia Tzibonis;* quod abundè monſtrari poſſit ex ipſo illo Capite. Simile exemplum & ſæpiùs repetitum habes, *Luc.* 3: 23, &c. Abrahamus verò & David, potiùs quàm alii, hîc nominantur non unam ob cauſam. I. Enim erat alter horum pater univerſæ Gentis Judaïcæ; alter in regno primas obtinuit, ex qua natione juxta ac regno Chriſtum tandem oriturum, omnia omnium ætatum vaticinia prædixerant. II. Quia horum utrique Chriſtus olim promittebatur clariùs ac apertiùs, quàm cuivis alii.

Priùs nominatur David. I. Quia promiſſum apertiori modo illi factum, quaſi recens adhuc, memoriæ infixum manebat. II. Quia Meſſiæ originem ex Davide hauriendam præcipuè in Chriſto requirebant Judæi. III. Quia hoc modo Spiritus Sanctus impiæ iſti & Rabbinis uſitatiſſimæ diſtinctioni inter *Meſſiam Ben Joſeph*,

Digitized by Google

MATTH. CAP. I. VERS. 2, 3, 5, 8.

ſeph, & *Meſſiam Ben David*, per prolepſin occurrit & maturè diluit.

VERS. 2. *Judam & fratres ejus.*

Adjecit Euangeliſta *fratres ejus*, ex *Geneſ.* 49: 8. in conſolationem Tribuum, quæ nunquam, ut Juda, è Captivitate revertebantur; quæ tamen æquale, cujus hic monentur, jus ad Chriſtum habuerunt, *Hoſ.* 1: 11.

VERS. 3. *Pharesum & Zaramum.*

Memorat hìc nominatim Zaramum, quia in animo erat matrem eorum introducere, Thamaram. Iſmaël Iſaaci frater, & Eſavus Jacobi gemellus non nominantur, quoniam nequam erant & ſcelerati; noluit autem Judæ fratres aut gemellum Phareſi, bonos utique, ſilentio præterire. In nativitate Jacobi & Eſavi dicitur תומים gemelli, abſque א, quoniam alter eorum Eſavus improbus erat: at verò quum naſcerentur Phareſus & Zaramus, dicebatur תאומים cum א, quoniam uterque bonus erat, *R. Salom.* in *Geneſ.* 25: 38.

E Thamara.] Quatuor in hac Genealogia nominantur fœminæ, atque omnes aliquando infames, inceſta Thamara, Rechab pellex, Ruth Ethnica, & adultera Bathseba: ut oſtendatur nimirum, Chriſtum omnibus, utcunque purulentis vulneribus, ut mederetur veniſſe, qui jam olim fœminas uſque adeò peccatrices reſtituiſſet: ſeque probra noſtra & pudorem minimè contempſiſſe, qui ex parentibus hac in parte ignominioſis naſci non abnuebat.

VERS. 5. *E Rachaba.*

Eâ proculdubio cujus ſit mentio *Joſ.* 2. Judæi verò, (quò Matthæo, qui hæc omnia ex publicis Tabulis excerpſit, ſidem atque authoritatem adimerent) finxerunt eam Joſuæ nuptam fuiſſe. Vide *Kimchi* in locum.

* *Semen improbi exſcindetur*, Pſalm. 37: 28. *Vide literam* ע *in voce* [illegible], *ut etiam in* [illegible], *ultimam, in ipſiſſimo illhoc loco Pſalmi alphabetici & Acroſtici omiſſam.*

VERS. 8. *Joramus autem genuit Oziam.*

* Tres generationes hìc omittuntur, nempe *Achaziæ*, *Joashi*, atque *Amaziæ*: confer 2 *Paralip.* 3. cum 2 *Reg.* 8. Hoc tamen non abſque divino conſilio factum eſt, quandoquidem Deus olim idololatris in ſecundo Decalogi præcepto eſt interminatus, dicens, *Non facies idolum; ego enim viſito iniquitatem patrum in filios uſque ad tertiam & quartam generationem.* Erat enim *Joramus*, quemadmodum *Achabus*, idololatra; nam filia *Achabi* erat ei uxor, 2 *Reg.* 8: 18. Juſtum itaque erat apud Deum, iniquitatem ejus in filios viſitare: cujus rei indicium eſt, quòd nomina illorum ex hac Genealogia uſque ad quartam generationem exemit: pro more Sacri Codicis uſitatiſſimo, ut qui propter ſcelera Deo fuerunt inviſi, in certiſſima hiſtoria celentur eorum nomina, & æterna oblivione ſepeliantur. Sic univerſa *Caini* ſoboles omittitur in libris *Chronicorum*, nè forſan ii quos obruerat Diluvium, per Hiſtoriam reviviſcerent. Sic etiam in Moſis benedictione, *Deuter.* 33. Simeon non memoratur, propter inhumanam ejus in Schecemi incolas & *Joſephum* fratrem crudelitatem. Quid memorem *Dan* in obſignatione populi Dei, *Apocal.* 7. penitus omiſſum, propter idololatriam in ejus Tribu primùm inchoatam, *Judic.* 18. ut & *Joabum* in Catalogum Heroum *Davidis* non relatum propter cruentam ejus adverſus Amaſam & Abnerum immanitatem. Nec diſſimile exemplum divinæ propter Jorami impietatem iracundiæ in 2 *Paralip.* 22: 1, 2. videre eſt, ubi filii ejus Achaziæ regnum non juxta morem aliorum Regum ex Tribu Judæ numeratur, verùm mutato ſtilo computum inſtituitur, eo modo quo ſolet Omri familiæ duratio indicari; iſtius ſcil. familiæ quâcum affinitatem pater ejus per conjugium contraxerat, & ad ejus mores ſe uſque adeo conformaverat, ut idololatriæ tandem nequiſſimus conſors fuerit. *Filius ille quadrageſimum ſecundum annum agens, erat Achazia, cùm incepit regnare.* Id eſt, Erat iſte annus quadrageſimus ſecundus, ex quo Omri familia primum cœperat imperare, in quo cecidit è rerum faſtigio familia iſthæc, atque unà Achazia.

MATTH. CAP. I. VERS. 8, 11.

VERS. 11. *Joſias autem genuit Jechoniam.*

Sic legit *Syrus*, *Arabs*, *Græcique* optimi ferè omnes. Quam quidem lectionem omninò poſtulat Euangeliſtæ narratio, quò generationes à *Davide* ad Captivitatem rectè numerentur quatuordecim. Similiter etiam legit *D. Kimchi* in 1 *Paralip.* 3: 15. *Joſias*, fatendum eſt, genuit *Joachimum*, *Joachimus* autem genuit *Jechoniam*. Cæterùm cùm indignus ille fuerit, cujus aut mors defleretur, aut funus ſolenni Regum *Juda* ritu celebraretur, *Jerem.* 22: 18, 19. quantò minùs merebatur in ea familiarum ſerie, quæ ad *Chriſtum* ducit, memorari?

MATTH. CAP. I. VERS. 12.

VERS. 12. *Jechonias autem genuit Salatielem.*

Jechonias pater *Salatielis* dicitur eâdem ratione ac *Baasha* vocatur *Achabi* pater, 1 *Paralip.* 20: 34. non generationis, ſed præcedentiæ titulo. Prolem enim nullam habuit *Jechonias*, *Jerem.* 22: 30. eratque *Neri Salatielis* genitor, *Luc.* 3: 27. Quem tamen *Jechonias* ideo dicitur genuiſſe, quòd illum hæredem ſibi conſtituit, & in regno ſucceſſorem fore indicavit: quo nomine Deus ipſe *Chriſtum* genuiſſe dicitur, tum cùm illum è mortuis ſuſcitavit, *Pſalm.* 2: 7. *Actor.* 3: 33. hoc eſt, *per reſurrectionem declaravit eum filium ejus fuiſſe*, *Rom.* 1: 4.

Nihil ferè ſacris Scriptoribus familiarius, quàm in rebus aliàs abundè notis enarrandis brevitati ſtudere: cujus rei exemplum, ut alia mittam, habes egregium, & priori illo aliquanto durius, 1 *Paralip.* 1: 36. ubi *Timna Eliphazi* concubina ità memoratur, ac ſi filius ejus fuiſſet: ut etiam *Zedecia Jechoniæ* patruelis, filius ejus appellatur, 1 *Paralip.* 3: 16. propterea quòd eum in regno excepit.

Eſt apud Judæos dogma fundamentale in Talmude, *Quòd nullus unquam debuerit eſſe Rex Iſraëlis, niſi qui ex Davidis familia & Solomonis ſemine oriatur: & ſi quis ab iſthac familia defecerit unquam, ne ille eſt qui beatiſſimi Dei nomen, & verba Prophetarum qui locuti ſunt veritatem, pernegavit. Sanhedr. Perek.* 10. & *R. Samuel* in *Ner. Mitſvah*, fol. 153.

Cui ſententiæ utcunque primo intuitu ſuffragari videatur *Mattheus*, in quantum Servatorem noſtrum inde uſque à *Solomone* deducat *Judæorum* gratiâ, qui ab eo prognatum expectabant Meſſiam: atque hos in Euangelio ſuo exarando præcipuè reſpexit. Craſſiorem tamen ſenſum, qui *Meſſiam* terreni regni Dominum, & ex *Solomonis* familia ſine ulla omnino interruptione oriundum ſpectat, rejicit omnino, penituſque refutat. Quod cuivis prudentiori lectori, ex his quæ ſequuntur duobus, facilè conſtabit. I. Ex eo quòd ad Jechoniam uſque lineam deducit, in quo Solomonis familia, atque unà dignitas imperii, terminabatur. II. Ex eo quòd hâc lege Chriſti jus ad imperium in *Joſepho* fundetur, cum quo tamen & Chriſto nihil erat conſanguinitatis, nihil relationis, niſi quòd is Chriſti matrem ſibi deſponſaverat, patriſque nomen vulgò ſuſtinebat.

Aſſerunt quidem *Judæi* in vituperium Euangelii ſecundùm Lucam, *Jechoniam* verum fuiſſe *Salatielis* genitorem: & quòd poſtquam *Babeli* pœnitentiam egerat, Deus ei *Aſſirum* & *Salatielem* filios in ſolatium largitus fuerit, *D. Kimchi* in 1 *Paralip.* 3. Verumenimverò Deus, Deus ille quem non pœnitet, *Pſalm.* 110: 4. ſe jurejurando obſtrinxerat, *Jerem.* 22: 28. illum orbum hærede moriturum: nec potuit unquam ſera ejus pœnitentia hoc Dei conſilium juramento obſirmatum magis immutare, quàm *Moſis* precatio ab ea ſententia, quâ ſtatuit eum in *Canaan* non ingreſſurum, eundem Deum (utcunque benignum & miſericordem) potuit dimovere.

MATTH. CAP. I. VERS. 12, 13.

Salatiel autem genuit Zorobabelem.] *Salatiel genuit Pedajam, & Pedaja Zorobabelem*, 1 *Paralip.* 3: 18, 19. Quoniam verò deficiente Solomonis prole, honor deinde in Nathanis familiam transferebatur, qui quidem primum *Salatielem* decorabat, præcipuè verò in Zorobabele emicuit; hinc eſt, quòd quotieſcunque *Zorobabelis* mentio fiat, non vocetur *Pedajæ*, hominis quieti & obſcuri, filius, verùm *Salatielis* primi, nec indigni tantæ dignitatis Domini: erat etenim *Jechonias veluti ſigillum evulſum*, Jerem. 22: 24. *Zorobabel verò in ejus locum aſſumebatur*, Hag. 2: 23.

VERS. 13. *Zorobabel autem genuit Abiudem.*

In catalogo filiorum *Zorobabelis*, 1 *Paralip.* 3: 19, 20. neque *Abiud*, quem hîc *Mattheus*, neque *Rheſa*, quem *S. Lucas* memorat, recenſetur. Cæterum, quod in Scripturis ſæpiùs obſerves, horum utrumque, ut & alios non paucos, plura habuiſſe nomina, eſt judicandum. Erat itaque *Zorobabelis* primogenitus, honoriſque novi hæres, *Meſullam* dictus, vel in memoriam *Solomonis*, cujus familia recentem acceperat honorem, (quemadmodum unam è filiabus vocavit *Shelomith*, nomine utique conjugis *Solomonis*, *Cantic.* 6: 13. mutatâ terminatione maſculinâ in fœmininam, ex *Shelomo*, *Shelomith*) vel propter vocis ſignificationem, eſt enim *remuneratus*. Quum enim *Jechonias* nomen habuit *Shallum*, id eſt, *perfectus* ſive *completus*, quoniam in eo terminabatur Solomonis proſapia; neutiquam incongruum erat, ut poſt iſtius defectûs compenſationem per ſucceſſionem *Salatielis*, *Zorobabel*, in quo ea dignitas præcipuè elucebat, filium ejus *Meshullam*, id eſt, *remuneratus* ſive *compenſatus*, appellaret; vel quòd poſt reverſionem ex Babylone quietè urbem *Jeruſalem* inſtaurabant, atque inibi degebant

Digitized by Google

MATTH. CAP. I. VERS. 17.

bant in pace. Porrò idem hic filius *Abiud* vocabatur, in memoriam paterni decoris. *Hananiah* verò frater ejus ſecundus ideo *Rheſa*, id eſt, *Princeps* dicebatur, quia ex eo prognatus eſt Chriſtus. Conjecturas dices. Eſto. Eo tamen probabiliores, quòd in loco Paralipomenωn nuper citato, hi duo *Zorobabelis* filii ſeorſim ab aliis eorum fratribus notantur, quaſi ſingulare aliquid indicaretur & præcipuè memorandum. Nec omnino dubitandum eſt, quin Euangeliſtæ qui his utuntur nominibus, publicis aliquibus Tabulis aut Annalibus innixi fuerint tunc temporis abundè notis, unde rei veritatem hauſerint, ſuamque ipſorum fidem liberaverint.

VERS. 17. *Progenies quatuordecim.*

Per diverſa hæc temporum intervalla non una erat regiminis forma & gubernandi ratio; verùm exactis quatuordecim generationibus, ſemper aliquid in Republica immutabatur. Per primam harum diviſionum, Prophetæ; per ſecundam; Reges; per tertiam, Sacerdotes *Haſmonæi* rerum potiti ſunt. In primis quatuordecim, ad ſummum honoris incrementum adolevit Reſpublica in regno Davidis. In mediis, per Captivitatem Babylonicam miſeriis cooperta eſt ac quaſi ſepulta. Rurſus in poſtremis, ad gloriam denuo exſurrexit, quaſi adventu *Chriſti* renovata.

Primæ quatuordecim incipiunt in Abrahamo, cui factum eſt promiſſum; exeunt in Davide, cui clariùs idem & manifeſtiùs repetitur. Quatuordecim ſecundæ incunt, cùm cœptum eſt Templum ædificari; & cum eodem diruto terminantur. Tertiæ & poſtremæ inchoant, Judæis ex ſumma illa *Babylonica* miſeria ſenſim repentibus; deſinunt autem cùm per *Chriſtum* ſe perfectiſſimè liberatos gloriari potuiſſent.

Secunda illa ſeries quæ exit in *Captivitate Babylonica*, non numeratur à *Jehojakimo*, quo imperante cœpit, & deinde quodammodo crevit Captivitas: nec ab *Hezekia*, cujus tempore perfecta eſt & conſummata; cæterum à *Jechonia*, qui inter utrumque regnabat medius. Atque eandem numerandi rationem retinet *Ezechiel*, quod paſſim per ejus Prophetiam videre eſt, *Cap.* 8:1. & 20:1. & 26:1. & 29:1. & 31:1. & 32:1. & 40:1.

Integra ex 14. per 3. multiplicatis, eſt celebratiſſima illa ſumma 42. Tot enim erant ſphærulæ, calyculi, & rami Lychnuchi. Tot ſimiliter erant itinera & caſtrametationes *Iſraelis* ex *Ægypto* ad *Canaanem* proficiſcentis, *Numer.* 33. Totidemque erant pueri Bethel ab urſis lacerati, 2 *Reg.* 2:24. Vide *Apocal.* 11:2. & 13:5.

MATTH. CAP. I. VERS. 18, 19.

VERS. 18. *Priuſquam ipſi convenissent.*

Id eſt, priuſquam in una domo habitaſſent. Imò verò, veriſimillimum eſt, eos nondum in uno oppido degiſſe; verùm *Joſephum Capernaumi* vixiſſe, *Mariam Nazarethæ.*

VERS. 19. *Ignominiæ exponere.*

Παραδειγματίζειν. Qua voce utuntur *Septuaginta*, *Numer.* 25: 4. *Ezech.* 28: 17. ut & Author ad Hebræos *Cap.* 6: 6. ſemper in pejore ſenſu, teſte Eraſmo. Mirum eſt unde *Brucciolí* hanc clauſulam ſic tranſtulerit: *Non lo volendo publicare*; & ex Pontificiis non pauci ſic: *Non volens traducere.* Quorſum verò? Quia nimirum indignum ſe credidit Mariæ conſortio, & quòd major erat vultûs ejus decor & ſplendor, quàm ut eum potuerit intueri, exiſtimavitque longè credibilius ut fœmina abſque viro conciperet, quàm ut Maria quovis modo peccaret.

Atque ità ſtatuunt *Joſephum* uxorem ejus repudiaſſe, aut ſaltem aſperiùs tractaſſe, non ob aliam cauſam, niſi nimiam virtutem.

* *Clam eam dimittere.*] Non obligabatur vi legis, ut vel famam ejus minueret probatione ea coram Sacerdote habendâ, *Numer.* 5. vel ut pœnas ei ex Judicum ſententia infligeret. Erat quidem *adultera* morte plectenda, ſicubi accuſata, & actâ causâ, rea peragеretur. Nemo autem virtute legis tenebatur ad *accuſandum*, niſi qui in ipſo actu eam deprehenderit, *Joann.* 8: 4, 5. *Deuter.* 22: 22. *Numer.* 25: 8. Si quis uxorem duxerit, eamque odio habuerit, *Deuter.* 22: 13. potuit quidem eam ad probationem exigere, & ream punire. Sin, ſubortâ qualicunque ſuſpicione, voluerit quis nihilominus uxorem propter amorem tolerare, nullo urgetur crimine: concedit enim Lex indulgendi libertatem, *Judic.* 19: 2, 3. Sin autem duo ἐπαυτοφώρῳ deprehendantur, nullus ſupereſt miſericordiæ locus, utrique moriendum eſt, *Deuter.* 22: 22. qui locus lucem fœnerat *Levit.* 20: 10. & cauſa virginis *deſponſatæ* illuſtratur ex ea *non deſponſatæ*, quæ habetur *Deuter.* 22: 28.

* Ἀπολῦσαι. Dimittere vel repudiare, ut Matth. 5: 31. & 19: 7. Marc. 10: 4. Luc. 16: 18. *Eraſmus*: Voluit clanculùm ab ea divertere. *Sic* Brucciolí: La volſe occultamente laſciare. *Quaſi patiens ſit hac in re, non agens, Joſephus fuiſſet, nec tam à ſeipſo abegerit uxorem, quàm ſe ab ea ſejunxerit.*

Hinc facillimè ſolvitur quæſtio ea, quæ multorum Interpretum ingenia torſit, viz. quâ ratione *Joſephus Juſtus* dicatur, quum tamen hoc ipſo in caſu, uxori ſcil. indulgendo,

MATTH. CAP. I. VERS. 21, 23.

gendo, Legem violaverit. Reſpondetur enim, negando eum quicquam contra Legem feciſſe, quippe quæ tantum rigorem nequaquam exigebat.

VERS. 21. *Jeſum: ipſe enim liberabit.*

Rabbena Haccadesh ait: *Quoniam* Meſſias *homines liberabit, ideò vocabitur* Joſua. *Cæterum exteræ Gentes quæ fidem ejus amplexabuntur, illum appellabunt* Jeſum: *atque hoc ſubinnuitur* Geneſ. 49. *Chi jabbo Shilo, Donec Shilo venerit.* Vide *Galatin.* lib. 3. cap. 20.

VERS. 23. *Ecce, Virgo.*

Multis modis *Judæi* hanc *Iſajæ* prophetiam conantur eludere: nunc eam de Prophetæ uxore, ut *Iſaj.* 8: 3. nunc autem de uxore Regis interpretando: & ex *Proverb.* 30: 19. contendunt vocem Hebræam *Almah*, non neceſſariò *Virginem* indicare, ſed *fœminam* etiam quæ virum novit.

Reſpondetur autem I. Tres eſſe voces Hebraicas, quæ *virginitatem* ſignificant; hanc verò maximè propriè ità ſignificare. Nam I. נערה, *Virginem* quidem denotat, ſed non ſemper. Propriè *Adoleſcentulam* valet, ſive Virgo fuerit, ſive virum noverit. II. בתולה uſitatiſſimè *Virginem* indicat; attamen, notante Galatino ex *Proverb.* 30: 19. videtur aliquando aliter accipienda. III. Verò, עלמה Virginem ætate teneram & omninò intactam propriè ſignificat. Atque adeò נערה quamvis Adoleſcentulam etiam virginitate ſpoliatam, בתולה Virginem quidem, ſed ætate provectiorem, עלמה verò ætate integrâ pariter ac virginitate floreſcentem indicat.

Reſpond. II. Quòd Septuaginta hanc vocem per Παρθένος reddiderunt, quæ nonniſi Virginem ſolet denotare in *Iſajæ* loco ſuprà citato.

III. *Achazo* in ſignum atque inſtar miraculi erat, quòd עלמה *filium parturiret.* Quale verò ſignum, quod miraculum foret, ſi *puella* ope viri (non virgo) peperiſſet?

Vocabis nomen ejus Emmanuel.] Nomen *naturæ*, non *impoſitionis*: nempe *Deum in noſtra natura* agnituri erant, & propterea eum *Emmanuel* appellaturi, non quia nomen illud ei imponeretur. Vide conſimilem phraſim, *Eſaj.* 60: 18. *Ezech.* 48: 35.

MATTH. CAP. I. VERS. 23, 25.

Quod eſt, ſi interpreteris.] Hic & conſimiles hujus Euangeliſtæ loci non obſcurè arguunt, eum non Hebraicè, ut vulgò creditur, Euangelium ſuum conſcripſiſſe. Si enim id feciſſet, I. Hæc interpretatio fuiſſet ſupervacanea; ut taceam difficultatem idem per idem interpretandi. II. Iſtius ætatis Judæi *puram* Hebræam non intellexerunt; relicto utique patrio idiomate, ad linguam non minùs quam ad mores *Syrorum* jam dudum declinaverant. III. *Jonathan Ben Uzzi, Prophetas*, longè ante Chriſti adventum; ut & *Onkelos* non multo poſt eundem, *Legem* ex *Chaldæa* in *Hebraicam* tranſtulit. Utrinque verò eadem erat operis ratio: nempe quòd *Judæi* Biblia S. Hebræo, quo primùm exarata erant, idiomate, non legere tunc temporis, nedum intelligere potuerunt. Quo itaque conſilio, quem in finem *D. Mattheus* in ſuo opere Hebræâ dialecto uteretur? IV. Omnes ubique homines qui V. Teſtamenti lectioni eâ ætate incumbebant, (paucos tantùm excipio, qui Hebræas didicerant) Græcis τ LXX. codicibus utebantur: quamobrem apprimè conveniebat, ut N. Teſtamenti Scriptores ſe ad eorum linguam, & quantum fieri potuit, ad ſtilum accommodarent; idque eam ob cauſam, ut loci ex V. Teſtamento ab iis citati faciliùs per Græcos codices ad examen revocarentur. Atque hoc fecit cùm *Paulus*, qui in Romanorum, tum *Mattheus*, qui in *Judæorum* uſum ſcripſit. V. Expendant velim diligentiùs, hujus, quam rejicio, ſententiæ propugnatores, quare Chriſtus ex Alphabeto Græco nomen ſibi aſſumpſerit, *Apocal.* 1: 8.

VERS. 25. *Non cognovit eam, quouſque peperiſſet.*

Hic textus appoſitiſſimè coïncidet cum *Luc.* 2: 7. ad quem locum ideo eum reſervamus.

SECTIO

Digitized by Google

SECTIO V.

LUCÆ CAPUT I.

Joannis Baptiſtæ nativitas & circumciſio, linguæque uſus patri ejus reſtitutus, &c.

VERS. LVII. *Elizabetæ verò* (a) *completum eſt tempus ad pariendum; & peperit filium.*

LVIII. *Et audierunt* (b) *accolæ & cognati ejus, Dominum* (c) *magnificâ miſericordiâ ſuâ uſum eſſe erga eam, & ei gratulabantur.*

LIX. *Et factum eſt, ut die octavo venerint ad circumcidendum puerulum. Vocabant autem eum ex nomine patris, Zachariam.*

LX. *Sed reſpondens mater ejus, ait, Nequaquam, ſed vocabitur Joannes.*

LXI. *Et dixerunt ei, Nemo eſt in cognatione tua qui vocetur iſto nomine.*

LXII. *Innuebant autem patri ejus, quî vellet eum vocari.*

LXIII. *Iſque poſtulatâ* (d) *tabellâ ſcripſit, dicens, Joannes eſt nomen ejus: & mirati ſunt omnes.*

LXIV. (e) *Apertum eſt autem os ejus illicò, & lingua ejus; & loquebatur, benedicens Deo.*

LXV. *Ortus eſt timor omnibus accolis eorum: & in tota montana regione Judææ divulgata ſunt omnia verba iſta.*

LXVI. *Et omnes qui audierunt* (f) *repoſuerunt in corde ſuo, dicentes, Quiſnam puerulus hic erit?* (g) *Manus autem Domini erat cum eo.*

LXVII. *Et Zacharias pater ejus repletus eſt Spiritu Sancto, prophetavitque, dicens:*

LXVIII. *Benedictus Dominus Deus Iſraëlis, quòd inviſerit & redemerit populum ſuum,*

LXIX. *Et erexerit cornu ſalutis nobis in domo Davidis pueri ſui:*

LXX. *Prout locutus eſt per* (h) *os ſanctorum, qui à ſeculo fuerunt, Prophetarum ſuorum,*

LXXI. (i) Fore ut nos *ſervaret*

(a) Non erat mora pueri in utero, ità ut conceptus ejus ſupernaturalis, ſed communis.

(b) *Hebronem* occupant *Aaronis* poſteri; agros verò villaſque circumjacentes, *filii Judæ*. Erant utrique *Elizabetæ* accolæ & cognati.

(c) *Græcè*, ἐμεγάλυνεν ἔλεος: הגדיל חסדו, ut *Pſalm.* 18: 51. *Hebr.* & *Septuag. Tranſlat.* & *Pſalm.* 126: 2.

(d) *Vulg.* habet *pugillarem*: de quo vide *Plin.* lib. 13. cap. 2. Ἐν δέλτοισιν ἐμοῖς ἐπὶ γούνασι θῆκα, *Batrachomuom.*

(e) *Hebr.* פתח ſignificat & *aperire* & *ſolvere.* Et proinde, tametſi *ſolutio linguæ ejus* non exprimatur totidem verbis, ſubintelligitur tamen per Hebraïſmum in voce ἀνεῴχθη.

(f) Vide *Geneſ.* 37: 11. *Proverb.* 2: 1. & 3: 1. & 7: 1.

(g) *Vulgat.* habet, *Etenim manus Domini erat cum illo*: aliter ac *Græc. Arabs* & *Syr.*

(h) *Per os.* Id eſt, per ora. Ἑνικῶς numeri, ut *Geneſ.* 3: 1. *ligno* pro *lignis*: & *Exod.* 8: 2. &c. *rana* pro *ranis*, Hebr. Eſt nihilominus non minùs vera, quàm acuta, illa *Alberti Magni* obſervatio: *Quòd omnes Prophetæ locuti ſunt ea quæ cum Chriſto adeo mirè quadrabant, ut eos* uno ore *locutos fuiſſe judicemus.*

(i) *Græc.* eſt ſolummodo σωτηρίαν. Sic *Arab.* & *Vulgat. Lat* Poteſt autem vel cum τὸ κέρας, *verſ.* 69. connecti; *Erexit cornu ſalutis*, viz. σωτηρίαν, id eſt, *liberationem ab inimicis*: vel aliter, cum verbo *locutus eſt*, *verſ.* 70. hoc modo, *Locutus eſt ſalutem vel liberationem per os ſanctorum Prophetarum*: quæ ſyntaxis magis propria eſt ac genuina, *Beza.*

LUCÆ CAP. I. VERS. 59.

ex inimicis noſtris, & è manu omnium qui (k) *oderunt nos,*

LXXII. (l) *Ut uteretur miſericordiâ erga patres noſtros, ac memor eſſet fœderis ſui ſancti,*

LXXIII. *Et* (m) *jurisjurandi quod juravit Abrahamo patri noſtro*, nimirum *ſe daturum nobis,*

LXXIV. (n) *Ut ſine metu, è manu inimicorum noſtrorum liberati, ſerviamus ipſi*

LXXV. *Cum ſanctitate & juſtitia in ipſius conſpectu cunctis vitæ noſtræ diebus.*

LXXVI. *Tu verò, puerule, Propheta Altiſſimi vocaberis: præibis enim faciem Domini, ut pares viam ejus,*

LXXVII. (n) *Ut des cognitionem ſalutis populo ejus, per remiſſionem peccatorum,*

LXXVIII. (o) *Ex intimâ miſericordia Dei noſtri, quâ inviſit nos is qui prodit ex alto,*

LXXIX. *Ut appareat iis qui in tenebris & umbrâ mortis poſiti ſunt, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.*

LXXX. *Ipſe autem puerulus creſcebat & corroborobatur ſpiritu: fuitque in deſertis ad eum uſque diem quo ſe oſtenderet apud Iſraëlem.*

(k) Duplici phraſi ſenſus intenditur, 2 *Sam.* 22: 18, 41. *Pſalm.* 44: 11. & 68: 1. & 89: 24. & 106: 10.

(l) לעשות חסד, ut *Joſ.* 2: 12. 2 *Sam.* 9: 1. &c. *Syrus* legit conjunctivè, *Et oſtendit miſericordiam. Arabs* clauſulam ſequentem ſic, *Et memor fuit.*

(m) Ὅρκον, in accuſativo, vel per appoſitionem cum *cornu ſalutis, verſ.* 69. ſic *Toletus*: vel ſubintellecta κατὰ, ſic *Calvin.* vel quòd ſequatur verbum ποιῆσαι, *verſ.* 72. ſic *Syrus* & *Vetus Anglic.* vel denique, quòd verbum μνησθῆναι duos regat caſus διαθήκης & ὅρκον.

(n) Τοῦ δοῦναι ἡμῖν. Quæ clauſula eſt in fine verſûs præcedentis in Originali, & penè omnibus tranſlationibus. Vide *Syr. Arab. Vulgat. Gallic. Belgic. Diodat. Vatabl. Eraſm. Bezam*, &c.

(o) Græc. σπλάγχνα ἐλέους, *Viſcera miſericordiæ.*

Ordinis Ratio.

Ratio ordinis in hac Sectione hoc modo ſuccinctè aſſeritur, atque illuſtratur. Gravida facta erat *Elizabeta* ſex menſibus antequam *Maria* eam inviſebat, *Luc.* 1: 26, 36. & novem præterpropter, cùm ab ea diſcedebat, *verſ.* 56. *Mariâ* autem domum reverſâ, metuit *Joſephus* de ejus pudicitia. Hinc privati repudii periculum. Atque rebus *Nazarethæ* ſic ſtantibus, ecce *completum eſt Elizabetæ tempus ad pariendum.*

Harmonia & Explicatio.

VERS. 59. *Venerunt ad circumcidendum puerulum.*

In *Hebrone*, & circa Paſcha, *Circumciſio* primitùs inſtituebatur, *Geneſ.* 17. Atque hoc ipſo in loco, eâdemque anni tempeſtate, natus eſt & circumciſus *Joannes* ille *Baptiſta*, qui *Baptiſmum* Circumciſionis loco debuit ſubſtituere. Quod tibi liquidò conſtabit, modò tempus illud quo primùm apparuit Angelus Gabriel, & nuncium Zachariæ tradidit, in præcedente Calendario notaveris; quod & ipſi inſuper luculentiſſimè oſtendemus, tum cùm de Salvatoris noſtri nativitatis tempore infrà uberiùs agendum erit.

Vocabant eum ex nomine patris, Zachariam.] Rarum exemplum, cui in S. Scripturis vix aut ne vix par reperias, ut puer ex patre nomen accipiat. Verùm hoc quodammodo exigebat res ipſa mira & ſingularis.

Ritus iſte nomina pueris imponendi in Circumciſione, jam inde uſque ab Abrahamo & Sarâ defluxit, qui in prima ejus inſtitutione nova nomina acceperunt.

Nomen aliquando à matre erat inditum: illud verò ſemper in ipſo pariendi inſtanti, causâ aliquâ extraordinariâ impellente, ut *Geneſ.* 2: 32, 33, 34, 35. & 30: 6, 7. & 1 *Sam.* 4: 21. 1 *Paralip.* 4: 9. nonnunquam ab iis quæ puerperio intererant, ut *Geneſ.* 25: 25. 38: 29. & *Ruth.* 4: 17. Semper autem patris judicio erat reſervatum, ut vel prius comprobare, vel novum ſubſtituere pro libitu poſſet in die Circumciſionis: quod exemplum *Jacobi*, *Ben-oni* in *Ben-jamin* immutantis luculenter oſtendit. Hîc, quum Zacha-

LUCÆ CAP. I. VERS. 63. 64.

Zacharias mutus erat, & Elizabeta nihil de nomine ſtatuiſſet, viſum eſt adſtantium turbæ ex patris nomine infantem vocare. Et nunc ad Circumciſionem ille ducitur, cujus operâ ritus ipſe, inſtigante Deo, Baptiſmo ejus locum occupaturo, cedere debebat.

R. Solomon verba *Jeremiæ*, 25: 10. *Faciam ut pereat ſonus molarum, & lux lucernæ*, hunc in modum ex *Talmude in Sanhedrim* interpretatur. *Sonus molarum eſt convivium die Circumciſionis, quando mos erat aromata molendo comminuere in ſanationem vulneris: & Lux lucernæ eſt ipſa ſolennitas.* Atque hoc modo Circumciſionis interitum à Propheta prædici inopinatò fatentur, contendentes interea eam nunquam debere aboleri.

VERS. 63. *Scripſit, dicens.*

Hoc eſt, *quid velit indicans:* vel (ſcripſit) *in hunc ſenſum*, ut *Exod.* 18: 6. *Dixit Jethro Moſi, Ego Jethro venio ad te.* Dixit, i. e. per literas ad eum datas ſignificavit: id enim intelligendum eſt, ut cuivis ſeriò legenti manifeſtò apparebit. Similiter 2 *Reg.* 5: 6. *Et attulit literas ad Regem Iſraëlis, quibus dicebat.* Non quaſi *Naaman* ipſe ſequentia verba locutus fuerit, ſed literæ quas attulit, ea declarabant.

Joannes.] *Deus ſe gratioſum præſtitit.* Nomen mirè accommodum ei, qui *Regnum gratiæ* primus prædicare debuit, *Jeſumque*, qui fuit *ipſa Gratia*, indigitare. R. Jochanan *dicit: Quodnam erit nomen Meſſiæ?* Quidam *dixerunt*, Haninah, *id eſt, Gratia: juxta quod dicitur, Non dabo vobis* Haninah, *id eſt, Meſſiam qui vocabitur* Gratioſus, *Jerem.* 16: 13. *Talmud Babyl. in Peſach.* cap. 4.

VERS. 64. *Apertum eſt os ejus.*

Os quod obturaverat incredulitas, fides aperit. Quocirca non ineptè inter *Moſem* & *Zachariam* inſtituatur comparatio. Quorum alteri loquela propter incredulitatem adempta; alteri penè ipſa vita, *Exod.* 4. Moſes recuperatâ fide & circumciſo puero, periculo eripitur; *Zachariæ* non diſpari ratione ac tempore linguæ uſus reſtituitur, ut *Pſalm.* 116: 10. *Credidit, & propterea locutus eſt:* & *Lingua muti canit, Eſaj.* 35: 6.

Et lingua ejus.] Verſio noſtra *Anglica*, quemadmodum & *Gallica*, illuſtrationis ergô inſeruit, *laxata:* docentque nonnulli vocem διηρθρώθη in quibuſdam codicibus inveniri: quæ tamen non occurrit in *Syr. Arab. Vulg. Lat. Italic. Eraſm.* nec in aliis Tralatoribus. Nec omnino opus eſt tali dictione ad ſenſum perficiendum, quod tamen *Anglica* addidit, rudiori & indocto lectori poteſt opitulari.

LUCÆ CAP. I. VERS. 66, 68, 69, 70, 71.

VERS. 66. *Repoſuerunt ea in corde ſuo.*

Fieri non potuit, quin ſtupenda hæc *Baptiſtæ* nativitas omnes, ad quos ejus fama pervenerat, vehementer percelleret, ſingularemque excitaret ubique expectationem; ſive quòd in ea ætate, poſteaquam jamdiu ceſſaverant miracula, multa eaque eximia edebantur; ſive quòd nullius unquam pueri nativitatem tot prodigia & tam mira præſagia comitabantur: non *Iſaaci* glorioſiſſimi Patriarchæ, non *Moſis* magni illius Prophetæ, nec poſtremò cujuſvis alterius inde uſque ab ipſius temporis origine celebrati.

Manus autem Domini erat cum eo.] Vel quia Deus ei peculiari modo favebat proſpiciebatque, ut *Ezr.* 7: 6. & 8: 22. &c. vel quòd eum Prophetiæ dono impertivit, cùm primùm per ætatem accipere potuit, ut 1 *Sam.* 3: 19. utrumque enim per *Manum Domini* intelligi poteſt, *Ezech.* 1: 3. & 37: 1. & 40: 1. *Pſalm.* 80: 17. 1 *Paralip.* 28: 19.

VERS. 68. *Et redemerit.*

Græc. ἐποίησε λύτρωσιν. Ipſa phraſis ſolutum *pretium* commonſtrat; id enim valet λύτρωσις. Rurſus occurrit *Cap.* 2: 38. & vertentibus *Septuaginta, Pſalm.* 111: 9. & 130: 7. & utitur eâ *Theodotion* pro *ſatisfactione*, *Prov.* 6: 35.

VERS. 69. *Cornu ſalutis.*

Pſalm. 18: 1. 2 *Sam.* 22: 3.

VERS. 70. *Qui à ſeculo fuerunt.*

Quòd *Adamus* uxorem ſuam *Chavvam*, id eſt, *Vitam*, appellarit; *Chavva* filium primogenitum *Kain*, id eſt, *Poſſeſſionem*; aliumque filium *Seth*, id eſt, *Poſitum*, vocaverit, &c. erant hæc omnia non ſine præſago quodam ſpiritu facta, & naſcentis mundi de Chriſti adventu jam tum ſperato prædictiones.

VERS. 71. Fore ut nos *ſervaret ab inimicis noſtris.*

Dulciſſima hæc ad promiſſum in princi-

 pio

LUCÆ CAP. I. VERS. 76, 77.

pio rerum factum alluſio, de quo omnes ab eo uſque tempore Prophetas locutos eſſe verſu præcedenti inſinuaverat. *Inimicitiam ponam inter te & mulierem hanc, ſimiliterque inter ſemen tuum & ſemen hujus: hoc conteret tibi caput*, Geneſ. 3: 15. Prior pars commatis, *Ponam inimicitiam inter te, &c.* oſtendit quinam revera nobis ſunt inimici, ſerpens nimirum ejuſque ſemen: poſterior, *Conteret tibi caput*, medium quo liberabimur, nempe *Chriſtum* caput poteſtatemque *Satanæ* conterentem. Ex duobus verſibus ſimul expenſis, en qualis exſurgit ſenſus: ſcilicet omnes ab *Adamo* & qui deinceps fuerunt Prophetæ, ad promiſſum in *Paradiſo* reſpexerunt, prædixeruntque ſalutem per *Chriſtum*, regni *Satanici* vires ac caput confringentem, obtinendam eſſe.

VERS. 76. *Propheta Altiſſimi.*

Quemadmodum *Aaron* erat *Moſi* Propheta, *Exod.* 7: 4. Prophetia jam diu defecerat, & rara admodum, vel omnino nulla erat ſtante Templo ſecundo: nunc autem miro modo quaſi reviviſcit, & in hoc puero ex tumulo erumpit, primo utique novi generis Prophetâ, & ipſius *Chriſti* Prodromo.

VERS. 77. *Ut des cognitionem ſalutis populo ejus per remiſſionem, &c.*

Salus quam Lex primo intuitu obtuliſſe videatur, nonniſi per legalem juſtitiam, & perfectam omnium mandatorum Dei obſervantiam erat adipiſcenda. *Joannes* verò primus *Euangelii* præco, novam doctrinam introduxit, atque aliam ad ſalutem viam adaperuit, nempe per *remiſſionem* peccatorum, ut *Rom.* 4: 6, 7. Methodus propriè *Euangelica.*

LUCÆ CAP. I. VERS. 78, 80.

VERS. 78. *Is qui prodit ex alto.*

Græc. Ἀνατολὴ, quâ voce LXX. transferunt צמח, *Germen*, (Angl.) *Iſaj.* 4: 2. *Jerem.* 23: 5. *Zachar.* 3: 9. & 6: 12. nomen *Chriſti*, & proinde intelligi de perſonali ejus adventu & inter homines Epiphaniâ: quemadmodum Deus dicitur *Saram* viſitaſſe, *Geneſ.* 21: 1. id eſt, non ſolùm quòd ſe benignum erga eam præſtiterit, filium largiendo, verùm etiam quòd propriâ perſonâ & viſibili formâ eam inviſerit, ut *Cap.* 18: 14. *Hac tempeſtate revertar ad te, &c.* vel ità ſumi poteſt, ut unà cum præcedentium verſuum ſenſu conjungatur: quòd poſt emortuam Prophetiam, & reſuſcitatam, poſt tenebricoſam, prout in Lege tradebatur, ſalutis doctrinam; nova deſuper nobis exorta eſt lux & Euangelii ſplendor.

VERS. 80. *Fuitque in deſertis.*

Viz. *Ziphi* & *Mahonis*, 1 *Sam.* 23: 14, 25. Qui loci ab *Hebrone*, ubi natus eſt *Joannes*, non longe diſtabant, *Joſ.* 15: 54, 55. Nimirum non in Scholis Hieroſolymitanis, ſed inter rudes & indoctos in pagis & deſerto educatus.

Ad eum uſque quò ſe oſtenderet apud Iſraëlem.] Quum ſcil. triceſimum ætatis annum agens, ad Sanctuarii miniſterium erat introducendus, *Numer.* 4: 3. cui tamen pro more ſe non applicuit, ſed aliâ methodo Deo inſervire voluit.

SECTIO VI.

LUCÆ CAPUT II.

Chriſtus naſcitur: Paſtoribus innoteſcit: gaudent Angeli. Circumciſio Chriſti, & ejus in Templo præſentatio; quem ibi agnoſcunt *Simeon* & *Anna.*

VERS. I. *Factum eſt autem diebus illis, ut prodiret* (a) *edictum à* (b) *Cæſare Auguſto, ut deſcriberetur* (c) *totus terrarum orbis.*

II. *(Hæc deſcriptio prima facta eſt, præſidente Syriæ* (d) *Cyrenio.)*

III. *Ibant igitur omnes ut deſcriberentur in ſuam quiſque urbem.*

(a) Δόγμα Græc. ut *Dan.* 6: 8.

(b) *Cæſar* erat commune nomen Imperatorum *Romanorum*, ut *Abimelech* Regum *Philiſtinorum*, *Pſalm.* 34. *in titulo*, & *Pharaoh Ægyptiorum*. Cœpit ità ſumi à *Julio Cæſare* primo iſtius nominis Imperatore; quanquam *Cæſaris* nomen diu ante eum ſatis familiare fuit. Vide *Plin.* cap. 7. lib. 9.

(c) Ut *Ezr.* 1: 2.

(d) Autores *Romani* eundem *Quirinum* vocant.

IV.

Digitized by Google

IV. (e) *Aſcendit autem Joſephus à Galilæa, ex urbe Nazareta in Judæam, in urbem Davidis, quæ vocatur Bethlehema, propterea quòd erat ex domo & familia Davidis;*

V. *Ut* (f) *deſcriberetur cum Maria deſponſata ſibi uxore, quæ erat prægnans.*

VI. *Factum eſt autem quum eſſent illic, ut explerentur dies ad pariendum.*

VII. *Peperit igitur filium ſuum primogenitum, &* (g) *faſciis eum involvit, reclinavitque eum in præſepi, eò quòd non erat eis locus in diverſorio.*

VIII. *Erant autem paſtores in eadem regione excubantes, & agentes vigilias* (h) *noctis ſuper gregem ſuum.*

IX. *Et ecce Angelus Domini ſupervenit ipſis, & gloria Domini circumfulſit eos: & timuerunt timore magno.*

X. *Tum dixit eis Angelus:* (i) *Ne timete: ecce enim euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit toti populo:*

XI. *Nempe natum eſſe vobis hodie Servatorem, qui eſt Chriſtus Dominus, in urbe Davidis.*

XII. *Hoc autem vobis ſignum erit: invenietis infantem ſaſciis involutum jacentem in præſepi.*

XIII. *Et repente adfuit cum Angelo* (k) *multitudo exercituum cæleſtium laudantium Deum, & dicentium:*

XIV. (l) *Gloria in* cœlis *altiſſimis Deo, & in terra pax, in homines benevolentia.*

XV. *Et factum eſt, ut diſceſſerunt ab eis Angeli in cælum, tunc* (m) *paſtores illi dicerent alii ad alios, Eamus ſanè Bethlehemam uſque, & videamus factum iſtud quod Dominus notum fecit nobis.*

XVI. *Venerunt igitur feſtinantes, & invenerunt Mariam & Joſephum, & infantem jacentem in præſepi.*

XVII. *Eo autem viſo, divulgaverunt id quod dictum fuerat illis de pucrulo illo.*

XVIII. *Et omnes qui audierunt, mirati ſunt ea quæ ipſis dicta fuerant à paſtoribus illis.*

XIX. *Maria verò iſta omnia conſervabat, conferens ea in corde ſuo.*

XX. *Reverſi ſunt autem paſtores glorificantes & laudantes Deum ſuper omnibus quæ audierant & viderant, prout ipſis dictum fuerat.*

XXI. *Et cùm veniſſet dies octavus ad circumcidendum puerulum, vocatum eſt nomen ejus Jeſus, quod vocatum fuerat ab Angelo, priuſquam ipſe in utero conciperetur.*

XXII. *Et quum impleti fuiſſent dies purgationis Mariæ, ſecundùm* (n) *Legem Moſis, adduxerunt eum Hieroſolymam ut ſiſterent eum Domino,*

(e) Quicunque iter ſuſcipit, quacunque proficiſcatur, dicitur in Sacris Scripturis, *Aſcendere* vel *Deſcendere*, ut *Numer.* 16: 12, 14. *Jerem.* 21: 2. *Judic.* 16: 18. *Geneſ.* 12: 5. *Judic.* 5: 8. 1 *Sam.* 26: 10.

(f) Ἀπογράφεσθαι. Vox quæ occurrit hic & *verſ.* 1. & 3. diverſimodè redditur: ut *conſcriberentur*, *Syr. Arab. Rem.* ut *profiterentur*, *Vulg. Eraſm.* ut *deſcriberentur*, vel *taxentur*, rurſus *Eraſm.* & *Angli* noſtrates: ex quorum ſingulis ſimul collatis & expenſis clarè intelligamus quiſnam fuerit deſcribendi modus. Primò omnium cujuſvis oppidi vel urbis incolarum nomina in tabulas erant relata & conſcripta: ex hac conſcriptione pro *Romanorum* ſubditis habebantur: & deinde Dominis ſuis ſolvebant ſinguli juxta cenſûs proportionem.

(g) Ἐσπαργάνωσε. Vide Græc. in *Job.* 38: 6. & *Ezech.* 16: 4. Nonnulli exiſtimant faſcia ejus lacera & vilia, quaſi humiliationis inſignia, vocem itaque derivantes ex *σπαράσσω*, *lacero.*

(h) Chriſtus noctu natus erat: ſi enim interdiu, quorſum non ante noctem erat patefactus?

(i) Erat hoc nuncium ut ſolationis plenum, ità admodum perſpicuum & ad audientium captum accommodatiſſimum.

(k) *Tota* multitudo.

(l) Sive Dei erga homines *benevolentia* producit Deo in altiſſimis *gloriam*, & in terris *pacem.*

(m) Aſſeritur à pleriſque, paſtores hos tunc temporis non procul fuiſſe à turre *Hederis*, *Geneſ.* 35: 21. quæ circa mille paſſus diſtabat à *Beth-lehema.*

(n) *Levit.* 12.

Digitized by Google

XXIII. *(Prout ſcriptum eſt in Lege Domini:* (o) *Omnis maſculus primogenitus ſanctus Domino erit.)*

XXIV. *Et ut darent oblationem, ſecundùm id quod dictum eſt in Lege Domini,* (p) *par turturum & duos pullos columbarum.*

XXV. *Et ecce quidam erat in Hieroſolymis, cui nomen Simeon: eratque homo iſte juſtus ac religioſus, expectans conſolationem Iſraël, &* (q) *Spiritus Sanctus erat ſuper eum.*

XXVI. *Fueratque ipſi* (r) *divinitùs nunciatum à Spiritu Sancto, ipſum non viſurum mortem, priuſquam vidiſſet Chriſtum illum Domini.*

XXVII. *Is igitur venit impulſore Spiritu in Templum, & cùm introducerent puerulum Jeſum parentes, ut ejus causâ facerent quod in Lege conſuetum erat:*

XXVIII. *Tunc ipſe recepit eum in ulnas ſuas, & benedixit Deo, & dixit:*

XXIX. *Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, cum pace;*

XXX. *Quia viderunt oculi mei ſalutem tuam,*

XXXI. *Quam paraſti in oculis omnium populorum:*

XXXII. *Lumen detegendum gentibus, & gloriam populi tui Iſraëlis.*

XXXIII. *Joſephus autem & mater ejus mirabantur ſuper iis quæ dicebantur de eo.*

XXXIV. *Et benedixit eis Simeon, dixitque Mariæ matri ejus, Ecce poſitus eſt iſte caſui & reſurrectioni multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicatur,*

XXXV. *(Quin & tuam ipſius animam trajiciet gladius) ut detegantur ex multis cordibus cogitationes.*

XXXVI. *Erat etiam quædam* (s) *Anna Propheteſſa, filia* (t) *Phanuelis ex Tribu Aſeris, provecta in multam ætatem, poſtquam vixiſſet cum viro annos ſeptem à virginitate ſua.*

XXXVII. *Et* cùm eſſet *vidua quaſi annorum octoginta quatuor, non abſcedebat à Templo, jejuniis ac deprecationibus colens Deum noctem ac diem.*

XXXVIII. *Hæc igitur eo ipſo momento cùm ſuperveniſſet, viciſſim palàm agnoſcebat Dominum, & loquebatur de eo omnibus qui redemptionem expectabant Hieroſolymis.*

XXXIX. *At illi, ut perfecerunt omnia ſecundùm Legem Domini, reverſi ſunt in Galilæam, in urbem ſuam Nazaretham.*

(o) *Exod.* 13: 1.

(p) Nempe ob paupertatem *Mariæ* non potuit *agnum* comparare. Ea enim erat ex Legis præſcripto propria huic occaſioni oblatio, *Levit.* 12.

(q) Spiritus utique *Prophetiæ*, jamdiu uſque ab ætate *Malachiæ* & *Zachariæ* rarus admodum inter *Judæos*, & planè conticuerat; nunc autem reſtituitur, ut magnum illum adventantem Prophetam præmonſtraret.

(r) Κεχρηματισμένον. Iterum occurrit eodem ſenſu, *Matth.* 2: 12, 22. *Actor.* 10: 22. *Hebr.* 11: 7. & apud *Septuaginta*, 1 *Reg.* 18: 27. alio autem ſenſu, *Actor.* 11: 26.

(s) Confer 1 *Sam.* 1. & 2.

(t) Hebræi nomen hoc *Penuel* ſcriberent, ut *Geneſ.* 32.

Ordinis

Digitized by Google

Ordinis Ratio.

QUàm congruè hujus Sectionis initium cum præcedentis fine connectatur, res ipſa clariſſimè oſtendit. Poſtquam enim de Præcurſoris Chriſti nativitate, omnibuſque ad eam ſpectantibus tractatum fuerat: quid, obſecro, magis idoneè conſequi potuit, quàm ipſius Chriſti nativitas? præſertim cùm Euangeliſtarum nullus memoret quicquam interveniente ſpatio contigiſſe.

Harmonia & Explicatio.

Naves venient è littore Citthæorum, *& affligent* Aſſyrios, *& affligent Hebræos*, Numer. 24: 24.

QUòd per *Cittheos* intelligendi ſint *Itali*, agnoſcunt *Judæi*, ut in *Targo* aliiſque eorum ſcriptis videre eſt. Quinimo his ſuffragantur plerique omnes Chriſtiani, non exceptis ipſis *Pontificiis*, utcunque pungantur acerrimè poſteriori commatis parte, prout facilè probatur ex *Vulg. Lat.* & *Lyrano* in locum.

Vaticinium hoc tum quidem erat adimpletum, cùm primùm *Romani* victricibus *Pompeii* armis Hebræos ſibi ſubjugabant: præcipuè verò eò quòd erga Chriſtum tam poſt, quàm ante ejus nativitatem, ut hæc Hiſtoria indicat, immanem tyrannidem exercuerint; maximam verò (ſi ſummâ major eſſe poteſt) cùm morti eundem tradiderint, quod in paſſionis Hiſtoria oſtendetur.

Prædixerat olim *Jacob*, *Hebræos* ſub adventu Meſſiæ non fore ſuæ ditionis; cæterum ab extera Gente ad ſervitutem redactos. *Balaamus* quænam illa foret Dominatrix Natio, hoc vaticinio pateſecit. Atque hoc quidem à cordatioribus *Judæis*, iiſque perantiquis, erat obſervatum; unde *Meſſiam*, imperantibus *Romanis*, non longè poſt Templum ab iis dirutum, adventurum expectabant. Sic in *Talmude* quæſtio eſt, *Quodnam Meſſiæ nomen?* Reſpondent aliqui, *Ithevara, Leproſus, ſedetque inter pauperes in portis Romæ, portans eorum infirmitates, Sanhedr.*

Paraphraſtes Chald. in *Iſaj.* 11: 4. ſic legit: *Meſſias per ſermonem labiorum ejus occidet Romulum illum nequam*, (ſive, *improbum Romanum*) ſubinnuens nimirum cùm ſe credidiſſe, quòd Meſſias ſub Romano Imperio manifeſtari debuerit, tum etiam quòd Populus Romanus erat peculiari modo ὁ Πονηρὸς. Erat *Auguſtus* inter Romanos Imperatores *ſecundus*, vel potiùs *primus*, quandoquidem *Julius* Cæſar patruelis ei & anteceſſor, vix aut ne vix quidem ſe in Monarchia ſtabilire potuit; ut nec ipſe Auguſtus, niſi poſt aliquot annos, ejecto *Lepido* & devicto *Antonio* poteſtatis ſociis.

Dictus eſt *Auguſtus* ob præclaram Reipublicæ adminiſtrationem, qui aliàs (a) *Capias*, & (b) *Thurinus*, & *Octavianus* vocabatur: & parùm abfuit quin *Romulus* quaſi alter Urbis fundator appellaretur, niſi interveniente *Munacii Planci* conſilio, *Auguſti* nomen accepiſſet, quod *ſanctitatem & reverentiam* ſignificat.

(a) *Dion.*
(b) *Sueton.*

Uſque adeo in immenſum crevit *Reſpublica Romana*, (utpote *Parthos Britannoſque*, & quà tellus inter utroſque patebat complexa) ut non tam *Imperium* quàm *terrarum orbis* meruerit appellari. Nec deſunt inter Latinos Scriptores ſatis grandiloquæ hujus magnitudinis oſtentationes. *Cæſar regit omnia terris. Diviſum Imperium cum Jove Cæſar habet. Totum circumſpicit orbem. Terrarum orbis Imperium*, aliæque conſimiles phraſes tam in ſoluta, quàm in pedeſtri oratione oppidò frequentes. Vaſto huic & ingenti Imperii corpori, ſuâ ipſius mole laboranti, atque armis civilibus penè ad internecionem afflicto, quaſi peritiſſimus Medicus, *Auguſtus* pacem tranquillitatemque reſtituit. Atque eò majorem ſui apud omnes excitavit admirationem, quò plura paulò ante fuerant magiſque hiantia pereuntis vulnera. Nam à prima Reipublicæ adoleſcentia nulla unquam aut adeo diffuſa, aut tam venenoſa contagio eam occupavit, ac funeſtiſſima illa (ut nihil de externis dicam) inter *Syllam* & *Marium*, *Cæſarem* & *Pompeium*, *Auguſtum* & *Antonium* inteſtina bella. Non multò ante ea tempora de quibus hìc agit Euangeliſta, *Polybius* oſtendit ad quantas anguſtias redacta erat non tantùm *Roma*, verùm etiam *orbis terrarum*. *Coacti ſunt*, inquit ille, περὶ Πρεσβειῶν, cap. 12. *Romani ad Ptolomeum Ægypti Regem legatos mittere, qui propter famem & annonæ charitatem frumentum peterent. Nam milites omnia per Italiam uſque ad urbis portas vaſtaverant; nec aliunde comparari potuit, bello nimirum eâ tempeſtate per univerſum terrarum orbem ſæviente.* Nunc autem pax ubique medetur belli miſeriis, idque non ſolùm intra Romani Imperii fines, (adeo ut clauderetur Jani Templum, certiſſimum univerſæ pacis indicium) ſed etiam in regionibus Septentrionem verſùs remotiſſimis, ad quas Romanorum arma nondum

LUCÆ CAP. II. VERS. 1.

dum penetraverant, ut *Daniâ*, *Norvegiâ*, &c. Ubi tam ſecurâ, ſi qua *Crantzio* fides, fruebantur pace, ut gemmæ vel æs ſignatum in triviis ſuſpenſa nec ab hoſte, nec à latrone diriperentur. Hem! ea tempora, quæ cum adventu *Shiloh Principis pacis*, *Iſaj.* 9: 6. primâque *Euangelii pacis* propagatione apprimè congruebant.

Auguſtus ſatis imperandi peritus, poſtquam Reipublicæ pacem recuperaverat, ejus magnitudinem, divitias, ſubditorum numerum ac vires per cenſum explorat.

Atque ita *Romam* in ſummo incrementi ſui faſtigio collocatam cernimus; eam utique poteſtatem, naſcente Chriſto, primùm integram & perfectam, quæ illum ejuſque membra per omnia deinceps ſæcula erat afflictura.

Auguſtus, memorante *Tacito*, *Annal.* lib. 1. univerſi Imperii ſtatum ad calculum reduxit, eumque in Commentarium ſuâ ipſius manu conſcriptum retulit: *Opes publicæ continebantur; quantum civium ſociorumque in armis; quot claſſes, regna, provinciæ, tributa aut vectigalia, & neceſſitates ac largitiones; quæ cuncta ſuâ manu perſcripſerat Auguſtus.* Et *Dio* in vita *Auguſti* narrat eum circa hoc tempus ab *Italis* omnibus, quorum cenſus erat 5000. Seſtertia, tributum erogaſſe, pauperioribus autem peperciſſe.

VERS. 2. *Hæc deſcriptio primùm facta eſt præſidente Syriæ Cyrenio.*

Cur à *Cyrenio* Syriæ præſidente hæc deſcriptio computatur, multæ in promptu ſunt rationes. I. Quoniam *Judæa* erat cum *Syria* conjuncta quaſi pars ejuſdem provinciæ, adeo ut uno nomine utraque intelligatur. II. Hinc magis perſpicua eſt *Judæorum* ſubjectio, & à priſtina dignitate caſus: quandoquidem nunc poſt *Syrios* velut in tertio ſervitutis gradu collocari videantur: nempe *Herodes Judæis*, *Cyrenius Herodi*, *Auguſtus Cyrenio* dominatur. III. Quoniam maximæ calamitates, quas unquam ſenſerunt *Judæi* quamdiu *Canaanem* incoluerunt, ex *Syria* provenerunt: ut à *Gogo* & *Magogo*, *Ezech.* 38. ex domo *Septentrionis*, *Dan.* 11. *S. Lucas* autem, dum deſcriptionem hanc è *Syria* profluxiſſe notat, Judæos præteritarum rerum commonefacere videtur, & ad ultimum verſum 11. *Cap. Dan.* cum verſ. 1. *Cap.* 12. collatum alluſiſſe.

Dicitur hæc deſcriptio *primùm* facta eſſe præſidente *Cyrenio*: I. Quia Reipublicæ ſtatus ſemper olim turbatus inquietuſque nunquam antea pati potuit cenſum ita univerſalem. Et II. cum reſpectu ad eas quæ hanc conſecutæ ſunt iſtius provinciæ deſcriptiones: Auguſto videlicet non tam præſentem, quàm perpetuam ejus ſervitutem meditante, nec ſuam ſolius, ſed & ſucceſſorum ejus opulentiam promovente. Atque hinc profectò (nam juvat uſque repetere) *Romanæ Monarchiæ* initium eſt propriè computandum; quæ nequaquam inter quatuor illas *Dan.* 2. vel 7. memoratas eſt numeranda.

LUCÆ CAP. II. VERS. 3.

Joſephus ait, *Cyrenium* poſt *Archelai* mortem in *Syriam* eſſe profectum, * *ut populo jus redderet, omniumque facultates cenſeret.* *Archelaus* autem *Herodem* in regno excepit, *Matth.* 2. & uſque ad annum *Chriſti* circiter decimum regnavit, rerum potitus per decennium, teſte eodem *Joſepho*, *Antiquit.* lib. 17. cap. 15. Et proinde vel duæ erant *Cyrenii* in *Syriam* profectiones cenſendi gratiâ ſuſceptæ, (quod aſtruit *Funccius*) vel hîc, ut alibi non infrequenter, errat *Joſephus* in Chronologia.

* *Joſeph. Antiquit. Jud. lib.* 18. *cap.* 1.

VERS. 3. *Ibant omnes ut deſcriberentur.*

I. Regna & provinciæ, deinde urbes atque oppida, & demum ſinguli inibi degentes proportionem hujus deſcriptionis perſolvebant. I. Regna & provinciæ ſigillatim cenſebantur. II. Uniuſcujuſque regni & provinciæ urbes atque oppida, omneſque ad proprias urbes unde erant prognati reverti præcipiuntur. Atque III. univerſo populo ita quaſi in claſſes diſtributo, ſingulorum nomina in Tabulas referuntur: id quod Græca vox propriè ac primariò ſignificat. Et tunc temporis ſe Romani Imperii ſubditum vel ſtatâ verborum formâ, vel tributi alicujus ſolutione unuſquiſque profitebatur.

Et nunc *Judæi* illud jugum ſuſcipiunt, quod nunquam vel ad hunc uſque diem excutere valuerunt; durum ſervitutis onus ſemper miſeros oppreſſurum. Quod quidem ultrò ſibi accerſerunt, dum inteſtinis odiis flagrantes, Romanum exercitum introduxerunt; nec jam Rege atque Legiſlatore ſpoliatis vel umbra ſupereſt priſtinæ libertatis: cæterum in æternæ ſervitutis notam eorum nomina in Tabulas referuntur; & tandem è tectis, & à propriis negotiis procul avocantur, quò hanc ſuæ ſervitutis pompam ornent miſelli augeantque. Atque ita eſt *in verbis Rabbinorum noſtrorum, ſi generationem videas multis modis afflictam, tum Redemptorem expectate*, ex *Iſaj.* 59: 17, 18.

Digitized by Google

LUCÆ CAP. II. VERS. 4, 7.

17, 18. *Jerem.* 30: 6, 7. *D. Kimchi* in *Pſalm.* 59.

VERS. 4. *Aſcendit autem etiam Joſephus à Galilæa.*

Quicquid in cauſa fuerit, quòd *Joſephus Bethlehemæ* natus in Galilæam migraret, ſeu quia *Herodem* metuerit univerſæ *Davidicæ* prolis ſanguini inhiantem, ſive quòd ibi occupationem ejus feliciùs exercere potuerit: quicquid, inquam, fuit, certè mira & ſingularis Domini effecit providentia, ut *Romano* decreto è *Bethlehema Galilæam* ire juberetur, quò vetus illud de loco *Chriſti* naſcituri præſagium adimpleretur.

VERS. 7. *Peperit filium ſuum primogenitum.*

Eſt hæc loquendi formula Juriſperitis familiaris, & ex eorum uſu interpretanda; quibus moris eſt filium primo partu editum *Primogenitum* appellare, ſive alii deinde ſubſequantur, ſive iſte ſit unicus: non enim hoc titulo ad alios ordine ſuccedentes reſpiciunt, ſed ſolummodo hunc eſſe quem *primum* poſt nuptias enixa eſt conjux. Exemplum habemus 1 *Paralip.* 2: 19. ubi *Hur Ephrata* primogenitus dicitur, tametſi nulla ſit poſt eum natorum mentio. Similiter *Chriſtus* primogenitus vocatur, non quia primus erat inter plures *Mariæ* liberos, ſed ut nunc demum oſtenderetur quid olim præfigurabat typus ille *Chriſti* ſub Lege *primogenitus*, Rex utique, Sacerdos & Propheta in familia, & *Deo conſecratus.*

Eodem planè ſenſu dixit *Matthæus*, Cap. 1: 25. *Joſephum non cognoviſſe eam quouſque peperit filium ſuum primogenitum:* non quaſi poſtquam peperiſſet eam cognoverit; id enim particula *quouſque* nequaquam implicat. (Vide Annot. *Genevenſ.* in locum) Id autem præcipuè curabat Euangeliſta, ut Chriſti generationem nativitatemque citra omnino ullum *Joſephi* & *Mariæ* coïtum factam fuiſſe indicaret.

Nec alienum duco, cùm ſupra de anno nativitatis aliquid ſtatuerimus, hoc in loco ipſam anni tempeſtatem, quâ natus eſt Chriſtus, paulò accuratiùs inveſtigare.

Erat, ut ſupra notavimus, A. M. 3928.

At quiſnam fuerit *Auguſti* annus, nec uſque adeo neceſſarium duco perſcrutari, nec admodum facile determinare, cùm quòd inter *Hiſtoricos* non convenit de numero annorum quibus *Auguſtus* imperavit, tum etiam quòd annus *Tiberii* in quo baptizatus eſt *Chriſtus*, & à quo retro numerandum eſt, non eſt extra omnem controverſiam. Quanquam enim ex *Luc.* 3: 1. conſtat *Joannem* baptizaſſe anno decimo quinto *Tiberii*, non eſt propterea extra dubium, utrum *Chriſtum* eo anno baptizaverit. Sin autem receptiſſimum admittamus inter *Romanos* Auctores computum, quo *Auguſtus* 56. annos imperaſſe memoratur; & *Chriſtianorum* ſententiam, quæ Chriſtum ſtatuit *Tiberii* decimo quinto baptizatum: protinus concludendum erit eum *Auguſti* anno quadrageſimo ſecundo natum fuiſſe.

LUCÆ CAP. II. VERS. 7.

Diuturnus eſt & latè diffuſus error, quo ſub finem *Decembris* natus perhibetur. In quem inciderunt plurimi per alium de *Zacharia* errorem, perperam utique exiſtimantes, eum Summum fuiſſe Pontificem, in *Sancto Sanctorum* die Expiationis ab Angelo compellari; unde non immeritò colligebant, *Joannem* mediâ æſtate, *Chriſtum* mediâ hyeme fuiſſe natum. Anni pars *iter ſuſcipientibus* parùm accommodata; nedum *paſtoribus* circa greges vigilias nocturnas agentibus opportuna.

Quamobrem ut de vero nativitatis tempore rectè ſtatuamus, ea quæ ſequuntur ſunt expendenda.

I. Quòd ſpatium quo *Chriſtus* in terris agebat, erat nec plus nec minùs quàm 33. annorum cum dimidio: planè idem quo *David* regnavit Hieroſolymis, 2 *Sam.* 5: 4, 5. Quod in duas inæquales partes dividebatur, viz. in viginti novem integros, quibus ante Baptiſmum privatè vixit; dicitur enim *Luc.* 3: 23. quòd cùm baptizabatur, *incipiebat eſſe quaſi triginta annorum*, ſive quòd ad trigeſimi anni initium tum pervenerat: & deinde in tres annos cum dimidio intra Baptiſmum ejus ac mortem. Qui annorum numerus jam olim ab Angelo *Gabriele* prænunciabatur, *Dan.* 9: 27. *In medio iſtius ſeptimanæ abolebit ſacrificium & munus*; & facilè colligitur ex computatione *Paſchatum* aliiſque temporis circumſtantiis, quarum ſit mentio *Matth.* 4: 2. *Joann.* 1: 29, 35, 44. & 2: 1, 13. & 5: 1. & 6: 4. & 13: 1.

II. Quòd *Chriſtus* in feſto Paſchatis occubuerit: quod ex omnibus Euangeliis abundè conſtat.

III. Quòd, in quantum 32. annos cum unius dimidio vixerit, neceſſe eſt ſit natus circa medium menſis *Tiſri*, qui noſtro

ſtro *Septembri* reſpondet; quippe quia moriebatur in feſto *Paſchatis*. Nec probabilitatem hanc dico, verùm certitudinem neceſſariam; ſiquidem integrum & perfectum vitæ ſuæ ſpatium erant 32. anni cum dimidio. Tum enim, quemadmodum mortem obiit decimo quinto die menſis *Abib*, ſive die *Paſchatis*, ità fieri non potuit quin naſceretur decimo quinto Menſis *Tiſri* in *feſto Tabernaculorum*, menſe & feſto olim perquam celebribus. Hoc etenim menſe *mundus* & *peccatum* (uſque adeo citò intravit) originem habuere. Eodem menſe nati ſunt omnes quotquot ante diluvium vixerunt Patres, docentibus hoc, nec abſque ratione, *Judæis*. Ab eodem hoc menſe incipiebat Æra à creatione mundi ad exitum ab Ægypto: & ab eodem typicus iſte *Jubilæus* annus initium duxit: & poſtremò hoc ipſo celebrari ſolent tres illæ præclaræ ſolennitates, nempe *Tubarum*, *Expiationis*, & *Tabernaculorum*. Nec minora quæ de ipſo *Tabernaculorum* licet obſervare. Hoc enim tempore *Iſraël* in deſerto ad magnificum illud Tabernaculum erigendum ornandumque ſe primùm applicuit, *Exod*. 35. Eodem feſto Templum poſtea dedicabatur, 1 *Reg*. 8. Eodem tempore natus eſt Chriſtus, carniſque tabernaculum ferre non gravabatur, & denique hoc ipſo tempore ei baptizari placuit, & munus Euangelicum inchoare. Atque hinc rurſus altera *Judaica* ſervitutis & nova calamitas nobis ante oculos obverſatur: ac ſi parùm fuiſſet poſthabitis ſuis cujuſque negotiis duro Dominantis edicto cogi ut longa & moleſta caperent itinera, quo ſinguli in ſua quiſque civitate comparerent cenſendi; niſi neglecto inſuper divino cultu, *feſtis* nimirum *Expiationis* & *Tabernaculorum*, ut *Zachar*. 14: 16, 17. ad triſtiſſimum ſuæ ſervitutis & deſcriptionis ſpectaculum pro victoris arbitrio pertrahantur.

Et quandoquidem *Joannis* nativitas illi *Servatoris* noſtri ſex menſibus præceſſerat, operæ pretium erit obiter annotare quàm pulchrè quatuor anni cardines conceptùs utriuſque & naſcendi vicibus decorabantur. Conceptus eſt *Joannes* Solſtitio æſtivo, *Salvator* noſter hiberno. Natus eſt *Joannes* Æquinoctio verno, *Jeſus* autumnali.

Et faſciis eum involvit.] Una ratio cur Interpretes ſtatuunt *Chriſtum* citra omnem parturientis dolorem enaſci, ex hoc loco petitur; nempe *Maria* alienâ ope deſtituta *obſtetricis* partes obire potuit. Aliàs arguunt *eum* abſque matris dolore *natum*, quia abſque ejuſdem voluptate *concipiebatur*. Tertiò, firmatur porrò ſententia ex benedictione, quam propagationis ergô Deus in humanum genus contulit. Et denique quartò, ab exemplo *Hebræarum* in Ægypto puerperarum. Nam I. cùm *Adamo* atque *Evæ* nondum peccato inquinatis Deus dixit, *Fœtificate ac augeſcite*, *Geneſ*. 1: 28. dedit eis facultatem procreandi liberos ſe tum quidem perfectis non indignos, hoc eſt ſanctos, juſtos, & ab omni peccati & effectu & indice vel in recèns nato, vel in parturiente penitus immunes. Cæterum tales nunquam genuerunt, propter lapſum continuò ſubſequentem. Num ergo irrita erat benedictio, vana, & ad quem deſtinabatur finem prorſus inidonea? Num verba divina adeo emphaticè prolata, nondum corrupto homine, in fumos abire potuerunt? Nequaquam ſanè. Verùm in ſecundi *Adami* nativitate ità omnia ſecundùm hanc benedictionem agebantur, ut nihil omnino iſtis verbis exciderit, nihil ab ea benedictione defuerit, vel quovis modo ſit imminutum; natus eſt perfectè ſanctus & juſtus abſque omnino ullo matris gemitu aut angore. II. Si Hebrææ fœminæ in *Ægypto* tam breves & exiguos dolores in pariendo perpetiebantur, & aliis omnino diſſimiles eſſent: quantò rectiùs credamus B. Virginis partum facilem fuiſſe, & ad miraculum uſque ſine tædio & dolore, adeo ut, *Iſaj*. 66: 7. *Antequam parturiret, peperit*.

Eò quòd non erat eis locus in diverſorio.] Cum reverteretur populus ex *Babylone*, erant *Beth-Lechemitæ* centum viginti tres, *Ezr*. 2: 21. Jam verò annorum pluſquam 400. (qui inde uſque ad hoc tempus effluxerant) intercapedine, ad quantam multitudinem eorum poſteri creverint, vix dici poteſt. Cùm itaque *Imperatoris* juſſu tam ingens hominum frequentia urbem impleverat, ut fieri ſolet, unuſquiſque ſibi, ut potuit, proſpexerat: *Joſephus* & *Maria*, quæ ſors eſt pauperum, in diverſorium non admittuntur: & nunc ità feruntur rerum vices, ut quæ olim ejiciebatur foràs *ancilla*, nunc, extruſâ *liberâ* cum filio ſuo, hoſpitio accipiatur, *Geneſ*. 21.

VERS. 8. *Erant autem paſtores.*

Patriarchæ quibus promiſſus erat *Chriſtus*, erant hoc ipſo negotio occupati, *Geneſ*. 47: 3. ſpeciatim *Abrahamus* & *David*,
quibus

LUCÆ CAP. II. VERS. 8, 9, 13. quibus præ aliis luculentiùs ſpoponderat Deus, præcipuè verò David, qui à gregis *Bethlehemæ* cuſtodia in regnum evectus eſt, *Chriſti typus & progenitor*, 1 *Sam.* 16: 11, 12. Atque hinc in divina providentia ſacra quædam & uniformis harmonia clariùs elucet, dum qui olim paſtoribus promittebatur, paſtoribus ſimiliter primùm per revelationem innoteſcit. Confer cum viſionibus *Jacobi* & *Moſis* greges paſcentium, *Geneſ.* 31: 10. *Exod.* 3: 3. & matris Samſonis in agro.

Agentes vigilias noctis ſuper gregem ſuum.] Verſ. Angl. *Noctu agentes vigilias*, &c. at hoc minùs cum Græco quadrat. Erat enim nox inter Judæos in quatuor vigilias (trium horarum erant ſingulæ) diſtributa. *Prima*, ſive principium vigiliarum, occurrit *Lament.* 2: 19. *Secunda*, ut & *tertia*, *Luc.* 12: 38. *Quarta*, *Matth.* 14: 25. quæ etiam dicta eſt vigilia matutina, *Exod.* 14: 24. *Talmud* nihilominus nonniſi in tres vigilias dividit ex *Judic.* 7: 19. Ut ut res ſit, videtur quòd paſtores hi eo ordine vigilabant, ut ſtatas dormiendi vices ſibi mutuò præbuerint. Quòd ſi hoc placeat minùs, certum tamen eſt eos ſub dio pernoctaſſe; quod fere impoſſibile fuiſſet præ frigoris vehementia, mediâ utique tum ſæviente hyeme, ſiquidem Calendarium noſtrum rectè ſtatuerit de tempore nativitatis.

VERS. 9. *Gloria Domini circumfulſit.*

Id eſt, *Magna admodum & illuſtris gloria:* ſic enim Hebræi phraſin augent & quaſi in ſublime tollunt, ut *Cedri Dei*, id eſt, pulchræ valde & proceræ. Huic ſimilis gloria *Paulum* circumfulſit, *Actor.* 26: 13. hâc tamen diſcrepantiâ, quòd illa medio die, hæc noctis conticinio elucebat.

VERS. 13. *Multitudo exercituum cæleſtium.*

Haud incongruè cum articulo legi queat, *illa multitudo*, quaſi univerſus Angelorum chorus & exercitus *Chriſtum* recognoſcerent & concordi animo celebrarent, juxta illud Apoſtoli effatum, *Hebr.* 1: 6. *Quum inducit primogenitum in orbem terrarum, dicit, Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Sic [illegible] jactis primis mundi fundamentis cecinerunt omnes Angeli, *Job.* 38: 7. nec minùs lætantur cùm per Redemptionem denuò inſtauratur.

Vocantur Angeli *Exercitus cæli*, 1 *Reg.* 22: 19. *Job* 25: 3. Quo ſenſu *R. Menahem* accipit, *Geneſ.* 2: 1. *Ità perfecti ſunt cæli & terra omniſque exercitus illorum:* id eſt, inquit ille, Angeli, quorum creationem *Moſes* alibi non memorat. LUCÆ CAP. II. VERS. 14.

VERS. 14. *Gloria in cælis altiſſimis Deo.*

Poſtrema hujus commatis verba ſic legit Vulg. Lat. *Hominibus bonæ voluntatis*, contra ac facit *Syrus*, *Arabs*, & codices antiqui *Græci*, ut liquet, ex *Greg. Nazianz.* Orat. 42. *Andreâ Hieroſolymitano* in *Orat. de Salutatione Angeli*, &c.

Totum comma eſt nonniſi unum integrum *axioma*, ſive propoſitio in qua ultima clauſula eſt ſubjectum de quo duæ præcedentes prædicantur: in hunc ſenſum, *Dei erga homines benevolentia* Servatoris noſtri incarnatione declarata, in quantum Deus ipſe naturam humanam induere non gravaretur, *eſt illi in cælis altiſſimis gloria, & pax in terra.* Quòd hic ſit verus & genuinus verborum ſenſus atque ordo, colligitur I. Ex eo quòd conjunctio Καὶ inter *gloria Deo* & *pax in terra* collocetur, non autem copulat *benevolentia*, &c. cum aliarum utravis nec utrâque. II. Res ipſa hanc interpretationem exigit. Nam I. Εὐδοκία ἐν ἀνθρώποις hoc in loco planè tantumdem valet, ac Εὐδοκία ἐν Χριστῷ, *Matth.* 3: 17. & 17: 5. id eſt, *Quædam Dei in hominibus complacentia.* Jam verò II. hæc εὐδοκία patefacta eſt & declarata in Servatoris noſtri nativitate, quòd jam novâ & hactenus inauditâ methodo naturam humanam Deus ſibi aſſumpſerit, & proinde ad ſummam dignitatem evexerit. Quamobrem III. cùm occaſio hujus Angelicæ exultationis & cantilenæ non alia fuerit, quàm Chriſti nativitas; omnino conſentaneum eſt credere, ſtupendam illam Dei benevolentiam materiam ejuſdem fuiſſe atque ſubjectum. IV. Neceſſe eſt ut duæ iſtæ clauſulæ de *gloria in cælis*, & *pace in terra*, ſint prædicatum; quoniam ſi eas ſeriò trutinemus, & cum ampliſſima illa divinæ benignitatis per Incarnationem Chriſti declaratione conferamus, *gloriam* illam & *pacem* fructus & effecta iſtius benevolentiæ fuiſſe percipiemus. Quam facilis autem & explicata ſit hæc lectio & interpretatio præ aliis impeditis & obſcuris, ſive in tria axiomata diſcerpatur verſiculus, ſive in duo, ſeu εὐδοκίας in Genitivo, ſeu εὐδοκίᾳ in Dativo legeris; quam, inquam, hæc quam protuli ſit iſtis omnibus magis

 per-

LUCÆ CAP. II. VERS. 21,22,25.

perſpicua, mallem ex Interpretibus diſcas, quàm ex me.

Jam verò quantam Deo in excelſis *gloriam* attulerit hæc ejus erga homines *benignitas & complacentia*, quam nativitate Chriſti ſuſpiciendam exhibuit; idque reſpectu omnium ejus attributorum, ſapientiæ, veracitatis, juſtitiæ, potentiæ, miſericordiæ, &c. & quantam *pacem* terris induxerit, hominem ſibimetipſi, & Angelis, atque ſuæ ipſius conſcientiæ reconciliando, & mutua inter homines odia ac diſcordias tollendo; facilè præmonſtrari poterat, niſi quòd *Locorum Communium* ſubjectum minùs idoneum *Commentariis* reputaretur.

VERS. 21. *Et quùm adveniſſet dies octavus ad circumcidendum puerulum*, &c.

Neceſſaria erat *Chriſti* Circumciſio; cùm ut ſignum & characterem *Abramidarum* acciperet, tum etiam ut ad obſervationem Legis firmiùs obligaretur: nam qui circumcidebatur debitor erat totius Legis ſervandæ, *Gal.* 5: 3.

VERS. 22. *Et quùm impleti fuiſſent dies purgationis*, &c.

Dominus (*Jeſus*) 40. dies natus Templum ſuum intrat, & præconibus vetulâ & ſene omnibus ſperantibus redemptionem denunciatur. At nondum *Herodes* quicquam de eo ex Sapientibus audiverat; ſecus enim hanc furoris & malitiæ exercendæ opportunitatem neutiquam omiſiſſet. *Maria* verò, tametſi nullas ſordes ex partu contraxerat, purificatur tamen ex Legis præſcripto, cùm ne *Chriſtus* ullum Legis apicem non obſervaſſe judicaretur, tùm etiam arreptâ hâc occaſione, *Simeon & Anna* eum publicè agnoſcerent declararentque.

VERS. 25. *Quidam cui nomen Simeon.*

Videtur hic Simeon idem fuiſſe cum eo quem *Judæi* vocant filium *Hillel:* qui primus omnium dictus eſt *Rabban*; quo titulo, utpote inter illos Judaicorum Doctorum præſtantiſſimo, non ultra ſeptem unquam inſigniebantur.

Erat *Hillel* Præfectus primariæ iſtius Scolæ inter *Judæos* Auctores celebratiſſimæ, nomine *Beth-Hillel:* è qua prodierunt, narrantibus ipſis, aliquot Doctorum millia, præſertim octoginta illuſtriſſimi. *Hillel ſenior* (ſunt *Talmudis* verba) *habuit Diſcipulos octoginta: è quibus triginta digni erant ſuper quos, ut ſuper Moſem, Divina Majeſtas quieſceret: triginta alii digni erant ut ſol pro iis, ut olim pro Joſua, curſum ſuum ſiſteret: viginti reliqui mediæ erant inter utroſque claſſis. Omnium præclariſſimus erat* Jonathan Ben Uzziel, *qui Prophetas Paraphraſi Chaldaicâ illuſtravit; &* Jochanan *filius* Zaccai *erat infimus.*

LUCÆ CAP. II. VERS. 25.

Hujus tam celebris patris longè celebrior erat filius noſter *Simeon*, eò quòd mundi Soſpitatorem ulnis juxtà ac animo amplectebatur. Cujus hîc apponemus *Genealogiam* ex *Judæorum* Annalibus deſumptam. *Hillel* genuit *Simeonem*, titulo *Rabban* primùm decoratum. *Rabban Simeon* genuit *Rabban Gamalielem D. Pauli* autorem. Rabban Gamaliel genuit *Rabban Simeonem* ſecundum. *Rabban Simeon* ſecundus genuit *Rabban Gamalielem* ſecundum. *Rabban Gamaliel* ſecundus genuit *Rabban Simeonem* tertium. *Rabban Simeon* tertius genuit *Rabbi Judam* cognomine ſanctum. *Rabbi Juda* genuit *Rabban Gamalielem* tertium.

Hi ſex *Rabban* nomine clari erant ex proſapia *Hillel*; ſeptimus verò ex alia familia oriundus erat *Rabban Jochanan Ben Zaccai.*

Sin autem *Simeon*, juxta quod aſſeruimus, erat filius *Hillel*, & *Gamalielis* pater; meritò quæri poſſit, unde tam diverſi patris & filii mores atque ingenium? Alter enim vir ſanctiſſimus *Chriſtum* profeſſus eſt, referente Euangeliſtâ: alter verò *Paulum* in Phariſaica juſtitia inſtituit, veritatis Euangelicæ hoſtem acerrimum; quod cum *Simeonis* indole parùm congruiſſet.

Reſpondeo verò I. Sæpenumerò accidere ut patres optimi ſanctiſſimique filios habeant ſibi diſſimillimos. Exemplis ſunt *Eli, David, Joſaphat*; & etiamnum non pauca reperias.

II. Triginta præterpropter annis *Simeon Chriſtum* agnovit, priuſquam *Gamaliel Paulum* erudivit: & proinde, tametſi ſemel obſervaſſet quid erat à patre factitatum, potuit tanto temporis intervallo obliviſci; atque eò potiùs, quòd *Simeon* occubuerit ſtatim poſt glorioſam iſtam confeſſionem.

Expectans conſolationem Iſraël.] Eſt Articulus fidei *Judaicæ*, *Quòd credunt Meſſiam venturum, ſeque diu ac patienter expectaturos, etiamſi adventus ejus procraſtinetur.* Quod ad hunc uſque diem ineptiſſimè faciunt, etiamſi ab ejus adventum pluſquam mille & ſexcenti anni jam volvantur. Verùm non adeo vana ac incerta ſpes lactabat *Simeonem*: nam præter univer-

Digitized by Google

LUCÆ CAP. II. VERS. 26, 35.

univerſam illam de *Meſſia* eâ ætate adventuro expectationem, *Luc.* 19: 11. ille de eo certior fit ſingulari modo, revelatione utique divinâ, *verſ.* 26.

Adventus *Chriſti Conſolatio* dicitur ex *Iſaj.* 49: 13. & 52: 9. & 66: 13. *Jerem.* 31: 13. *Zachar.* 1: 17. aliiſque locis conſimilibus; quæ omnia ad *Meſſiæ* adventum reſpicere *Judæi* docent: quinimo in *Talmude* quæſtio eſt, quomodo, cùm venerit, appellabitur: & nonnulli concludunt *Menahem*, id eſt, *Conſolator*, ex *Lament.* 1: 16. in *Sanhedr.*

VERS. 26. *Ipſum non viſurum * mortem, priuſquam vidiſſet Chriſtum illum Domini.*

* Ut Pſalm. 89: 48. Sic videre corruptionem, Pſalm. 16: 10.

Hoc erat illud tempus, quo *Judæorum* gens *Meſſiam* apparituram exiſtimarunt, *Luc.* 19: 11. atque appropinquantem Redemptionem intentis animis cœperunt expectare, *Luc.* 2: 38. Id quod Angelus *Gabriel Danieli*, *Daniel* populo olim accuratè prædixerat, *Dan.* 9: 26, 27. Adeo ut non ſolùm *Judæi* ad unum omnes *Hieroſolymas* confluxerant, exacto per Prophetam præfinito tempore, *Actor.* 2. quin etiam totum Orientem occupaverat opinio, Principem quendam circa ea tempora exoriturum, nominis dignitate, & imperii magnitudine præpollentem, *Baron.* in *Appar. Sueton. Virgil.*

Quùm *Simeon* tempus illud per Scripturas (quod tum erat ſtudioſorum opus) exploraverat, certior tamen de eodem fit Spiritûs Sancti obſignatione, quæ uſque adeo prope inſtare ſubindicavit, ut ille, etiamſi ſenio attritus eſſet, & in ſepulchri margine collocatus, vitâ tamen non defungeretur, priuſquam diem illum videret ſibi exoptatiſſimum. En hîc *Prophetiam* dudum *Iſraëlitis* ereptam & extinctam, nunc denuò revertentem, & quaſi Phœbo Phoſphorum, *Juſtitiæ* illi *Soli* brevi orituro prælucentem.

VERS. 35. *Quin & tuam ipſius animam trajiciet gladius.*

Videntur hæc verba idem omnino valere, ac *Servatoris* ad *Petrum* illa, *Joann.* 21: 18. atque hæc *Mariæ*, ut illa *Petri*, martyrium pro *Chriſto* & Euangelio ſubeundum præmonſtrant. *Simeon* enim, qui in commate præcedente *Chriſtum* indicaverat *ſignum* eſſe cui *contradicatur*, idque non minùs ſui quàm Euangelii causâ, adeò ut multa propterea perpeti debuerit & à plurimis, ſtatim ſubjungit ad matrem converſus, quinimo tu ex eodem calice bibes, parilem ſubibis ſortem, gladiuſque perſecutionis tuam *vitam* (ψυχὴ enim id ſæpius valet) trajiciet.

LUCÆ CAP. II. VERS. 36, 37.

Ut detegantur ex multis cordibus cogitationes.] Hæc clauſula per parentheſin à fine verſûs præcedentis ſeparata, cum eo connecti debet, unde hujuſmodi ſenſus elicitur: q. d. Quandoquidem *Chriſtus* futurus ſit ſignum cui contradicatur, & perſecutionis propter Euangelium occaſio: multorum animi & affectus hactenus occulti, & vix aliàs patefaciendi, detegentur; adeo ut quinam ſint veri ac ſinceri ejus ſuæque cauſæ fautores, quinam ſubdoli & fucati hinc facilè dignoſcatur, ut *Matth.* 13: 21. & hodie videre eſt.

VERS. 36. *Filia Phanuelis ex Tribu Aſeris.*

Anna verè, ut 1 *Tim.* 5: 3, 5. id eſt, non per repudium, ſed mariti obitum *vidua*, annum ætatis jam prætergreſſa centeſimum, eligitur, & à Spiritu Sancto impellitur ad teſtimonium de *Chriſto* perhibendum; quod priùs *Simeon* feciſſet: ut adhibitis his utriuſque ſexûs teſtibus, res ipſa indubiè confirmaretur, & ille de quo teſtabantur, magis inclareſceret. Patris ejus nomen *Phanuel* non omittitur, vel quia vir erat ſuo tempore minimè obſcurus, vel propter nominis ſignificationem, rei quæ tum ab Anna gerebatur admodum accommodatam: illa enim tunc temporis Deum in os conſpiciebat, ut *Geneſ.* 32: 30, 31. Nec lubet hic præterire convenientiam inter Vetus & Novum Teſtamentum; dum hîc *Anna*, ut ibi plurimi Prophetæ, additis patris nominibus, memorentur, ut *Iſaj.* 1: 1. *Jerem.* 1: 1. *Joel.* 1: 1, &c. Erat *Phanuel Galilæus*: Galilæa enim intra *Aſeris* ſortem ſita erat. Atque inde nunc prodit Propheteſſa magnum illum declarans Prophetam, indè pariter oriundum, totius gentis decus & miraculum.

VERS. 37. *Non abſcedebat à Templo.*

Ratio hujus conſtantiæ vel erat, quòd paupercula ex Templi reditu alebatur, vel quòd Propheteſſa cùm fuerit, forſan in aliqua Templi camera hoſpitabatur: id enim fœminis licuit, 2 *Paralip.* 22: 11, 12.

SECTIO VII.

MATTHÆI CAPUT II.

Chriſtum bimulum inviſunt & venerantur Sapientes. Pueri *Bethleemitici* trucidantur. *Herodes* non longè poſt cædem moritur. *Chriſtus* ex Ægypto revertitur.

VERS. I. *Quum ergo natus eſſet Jeſus in* ea *Bethleema*, quæ eſt (a) *Judææ, temporibus Herodis Regis, ecce* (b) *Magi ab Oriente advenerunt Hieroſolymam,*

II. *Dicentes, Ubi eſt ille Rex Judæorum qui natus eſt? Vidimus enim ejus ſtellam in Oriente, & venimus ut adoremus eum.*

III. *His autem auditis, Herodes Rex turbatus eſt, & tota Hieroſolyma cum eo.*

IV. *Et congregatis omnibus primariis Sacerdotibus &* (c) *Scribis populi, percontatus eſt ab eis ubi Chriſtus ille naſciturus eſſet.*

V. *At illi dixerunt ei, In* ea *Bethleema* quæ eſt *Judææ. Sic enim ſcriptum eſt per Prophetam:*

VI. *Et tu Bethleema* (d) *terra Judæ, nequaquam* (e) *minima es inter duces Judæ: ex te enim exibit Dux qui paſcet populum illum meum Iſraëlem.*

VII. *Tum Herodes clam vocatis Magis, exquiſivit ab iis quo tempore ſtella apparuiſſet.*

VIII. *Et iis* (f) *Bethleemam dimiſſis, dixit, Profecti, penitus exquirite de puerulo illo: poſtquam autem* illum *inveneritis, renunciate mihi, ut & ego veniam, & adorem eum.*

IX. *Ipſi verò, audito Rege, profecti ſunt: & ecce, ſtella quam viderant in Oriente, præibat eis, donec venit ſtetitque* ſupra locum *in quo erat puerulus ille.*

X. *Viſâ autem ſtellâ gaviſi ſunt gaudio* (g) *magno valde.*

XI. *Et ingreſſi domum, invenerunt puerulum cum Maria matre ipſius: & proſtrati adoraverunt eum: apertiſque theſauris ſuis, obtulerunt ei munera,* (h) *aurum, & thus, & myrrham.*

XII. *Et divinitùs admoniti in ſomnio nè reverterentur ad Herodem, per aliam viam regreſſi ſunt in regionem ſuam.*

XIII. *Ipſis autem regreſſis, ecce, Angelus Domini apparet in ſomnio Joſepho, dicens, Experrectus accipe puerulum & matrem ejus, & fuge in Ægyptum; & eſto illic uſque dum dixero tibi: futurum eſt enim ut Herodes quærat puerulum ad eum perdendum.*

XIV. *Ille verò experrectus accepit puerulum & matrem ejus nocte, & ſeceſſit in Ægyptum.*

XV. *Et fuit illic uſque ad obitum Herodis: ut impleretur quòd ait Dominus per Prophetam dicentem, Ex Ægypto vocavi filium meum.*

(a) *Vulgat. Lat.* legit *Bethleem Juda*: idque rectiùs, *Hieronymi* judicio, quoniam ſic ſcribitur *verſ.* 6. Verùm hoc in *verſu* Euangeliſta eam vocat *Bethleemam Judææ*, ut ab altera *Bethleema Galilææ* eam diſtinguat: at in *verſ.* 6. eam *Bethleemam* in terra *Judæ* appellat, ut diſtinguat à ſorte *Benjamini*.

(b) *Græc.* Μάγοι, quam vocem retinet *Arabs*, *Syrus*, & *Latini* penè omnes cum *Italo*. *Gallicus* legit *Sages*, eodem ſenſu ac Noſtrates.

(c) Γραμματεῖς apud LXX. *Exod.* 5: 6. *Joſ.* 1: 10. 2 *Sam.* 8: 17. *Jerem.* 36: 10. *Ezr.* 4: 8. & 7: 12. Et Γραμματοεισαγωγεῦσι, *Deuteron.* 1: 15.

(d) γῇ Ἰούδα. Pro ἐν γῇ, præpoſitione ſubauditâ: ſic *Joann.* 1: 4.

(e) Ὀλιγοστὸς juxta LXX. *Mich.* 5. quæ *numerum* reſpicit. At verò *Matthæus* habet ἐλάχιστος, quæ ad magnitudinem refertur.

(f) *Bethleema* diſtat ab *Hieroſolymis* 35. ſtadia, *Juſtin. Mart. Apol.* 2. id eſt, quatuor milliaria cum dimidio.

(g) Ut שׂושׂ אשׂישׂ, *Iſaj.* 61: 10.

(h) *Merces apportabunt, aurum & thus, afferentque Regi Meſſiæ, & domo Domini*, R. Kimch. *Iſaj.* 60: 6.

XVI.

XVI. *Tum Herodes, cùm vidiſſet* ſe *illuſum eſſe à Magis, excanduit valdè, & miſſis* carnificibus, *interemit omnes pueros qui erant in Bethleem, & in omni confinio ejus, à bimulis & infra, ſecundùm tempus quod exquiſierat ex Magis.*

XVII. *Tunc impletum erat quod ait Dominus per Hieremiam Prophetam dicentem:*

XVIII. *Vox* (i) *in Rhama audita eſt, lamentatio & fletus, & ejulatus multus, Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolationem admittere* de eo *quòd non ſint.*

XIX. *Quum autem obiiſſet Herodes, ecce, Angelus Domini apparet in ſomnio Joſepho in Ægypto,*

XX. *Dicens, Experrectus accipe puerulum & matrem ejus, & proficiſcere in regionem Iſraëlis: mortui ſunt enim* (k) *qui petebant animam pueruli.*

XXI. *Ille verò experrectus accepit puerulum & matrem ejus, & venit in regionem Iſraëlis.*

XXII. *Quum autem audiſſet Archelaum regnare in Judæa pro Herode patre, timuit illuc abire: verùm divinitùs admonitus in ſomnio, ſeceſſit in partes Galilææ.*

XXIII. *Et quum eò veniſſet, habitavit in urbe quæ dicitur Nazareth: ut impleretur quod dictum eſt per Prophetas, fore ut Nazaræus vocaretur.*

(i) In Rhama natus eſt *Samuel*, 1 *Sam.* 1: 19, &c.

(k) Confer cum *Exod.* 4: 19.

Ordinis Ratio.

COmmunis atque inveterata opinio quæ huic noſtræ Hiſtoriæ collocationi adverſatur, difficultatem peperit in ea confirmanda. A pleriſque enim omnibus receptum eſt, *Magos* ad Chriſtum acceſſiſſe cùm nondum ultra tredecim dies natus fuiſſet; id quod *rubris* in Kalendario notatur *Epiphaniæ* titulo ad ſextum diem *Januarii*, ac ſi veritas eſſet neutiquam prætereunda. Quæ quidem opinio, ſiquidem perinde vera fuiſſet, ac eſt pervulgata, optimè locum indigitaret huic *Magorum* profectioni aptiſſimum, nempe tum procul omni dubio inter Salvatoris noſtri *Circumciſionem*, ejuſque *Præſentationem* in Templo diſponi deberet ad 2. *Cap. Lucæ* inter 21. & 22. verſum.

Cæterum cuilibet æquo ac cauto rerum æſtimatori tot & tanta & incongrua eam comitari videbuntur, ut in poſterum ob ea magis incredibilis exiſtimabitur, quàm hactenus viſa eſt propter antiquitatem veneranda.

Nam ut ea miſſa faciam quæ ad apparatum tam longæ itinerationi neceſſarium ſpectant, & moram ſaltem aliqualem *Hieroſolymis*, quæ quidem omnia tam exiguo temporis ſpatio expediri poſſe non is ſum qui credam: te tamen appello, lector, num veriſimile eſt, ut cùm jam ferverent *Hieroſolymæ* rumore *de Rege Judæorum*, cùm *Herodes* ſumma cum aſſiduitate exquiſierat *ubinam eſſet*, & à *Magis* illuſus totus exarſerat iracundiâ, puerulus ille quem *Herodes* tantâ ſolicitudine indagaverat, ultro ei in os projiceretur, atque in Templo ab *Anna* & *Simeone* denunciaretur ipſum illum eſſe quem *Herodes* & *Magi* diverſis conſiliis quæſiverunt? Nam I. juxta hanc opinionem neceſſe eſt ut 27. dies interceſſerint ex quo primùm *Magi Bethleemam* pervenerint, ad tempus quo *Joſephus* & *Maria Chriſtum* in Templo præſentabant. Ecquis autem crediderit, *Joſephum* nihil omnino reſciſſe eorum quæ *Hieroſolymis* ex adventu *Magorum* (etiamſi illi omnia reticuiſſent) & rumore de *Rege* obtigerant? nihil accepiſſe hominem non procul ab urbe degentem, de *Herodis* excandeſcentia, eò quòd *Magi* aliâ quàm putabat viâ revertebantur? Præterea II. fieri potuit, certè textus nihil habet quominus ſupponamus, ut Magi, dum *Bethleemæ* morabantur, divinitùs admoniti ſint de reditu, atque ea de re *Joſephum* certiorem facerent. Deinde III. extra dubium eſt, *Magos* longè paucioribus quàm 27. diebus quicquid erat *Bethleemæ* peragendum abſolviſſe. Certè ii qui minori quàm dimidio hujus temporis ſpatio eoſdem ab *Arabia*,

bia, vel *Perſia*, *Bethleemam* usque perveniſſe poſſe credunt, hoc neutiquam pernegabunt. Nec minùs certum eſt, *Herodem* intra idem tempus ſe à *Magis* illuſum percepiſſe, & proinde furore adverſus infantes *Bethleemiticos* agitari. Rebus ergo ſic ſtantibus, profectò ab omni ratione alieniſſimum judico, ut *Joſephus* illum puerulum, cujus ſolius cauſa tantæ ciebantur turbæ, in Tyranni manus injiceret. Poſtremò V. ut ut *Joſephus* horum omnium ignarus fuerit, (penè impoſſibile ſuppono) quâ tamen lege, quove artificio *Chriſtus* Tyranni rabiem effugiſſe poterat, ſiquidem tunc temporis *Hieroſolymis* fuiſſet, tantiſque præconibus publicè declaratus? Potuit quidem divina omnipotentia etiam tum incolumem ſervaſſe: cæterum, quem *fuga in Ægyptum*, admonente Numine, priùs eripuerat, eum *miraculoſâ poteſtate* poſtmodum ereptum temerè crederemus.

At verò præter hæc omnia, textus ipſe me ſuadebat vehementer, ut hîc, potiùs quàm alibi, hanc de *Magis* hiſtoriam collocarem, nempe poſt *Præſentationem*, imò verò, cùm Salvator noſter ſecundum circiter ætatis annum attigiſſet. Verba hæc ſunt. *Herodes, miſſis carnificibus, interemit omnes pueros qui erant in Bethleem, à bimulis & infra, ſecundùm tempus quod exquiſierat ex Magis.* Jam verò exquiſivit ille à tempore quo primùm *ſtella* apparuerat, *verſ.* 7. & à *bimulis* & infra interemit, *ſecundùm tempus quod exquiſierat ex Magis*: erat itaque proculdubio circiter biennium, ex quo ſtella viſa fuerat, id eſt, ex quo *Chriſtus* natus.

Duæ præcipuè ſunt inveteratæ de hac *Magorum* profectione ſententiæ. Unam, quæ eam ad decimum tertium diem aſſignat, ſupra memoravimus. Altera quidem diem certum non figit, ſed aliquando ante *Purificationem* Virginis collocandam ſtatuit. Nos verò eam biennio præterpropter poſt *Chriſtum* natum accidiſſe credimus. Et quò omnis ſcrupulus penitus eximatur, ferat lector, ut omnia, quanta ſcio, proponam argumenta, tam quæ pro utravis parte militant, quàm quæ utramvis oppugnant æquâ lance trutinanda.

Contra noſtram objicitur.

Obj. I. Vox γεννηθέντος, *verſ.* 1. oſtendit eum recenter natum; ſignificat enim rem nuperrimè factam, vel vixdum abſolutam.

Reſpond. Hæc obſervatio Grammaticalis non eſt perpetuò vera: nam μνηστευθείσης, *Matth.* 1: 18. eſt planè ejuſdem temporis & formæ, quæ nihilominus indicat rem pluſquam tribus ante menſibus factitatam. Annon σαρκωθέντα & γεννηθέντα res itidem oſtendunt 1600. ante annis factas, in ipſo fidei Chriſtianæ *Symbolo?*

Obj. II. Stella quidem viſa eſt biennio ante *Chriſtum* natum; *Magi* verò eum 13. dies poſtquam natus eſt inviſerunt.

Reſpond. Huc pauci refugiunt, quibus, opinor nunquam in mentem venit, quàm impoſſibile foret ut *Magi* certum nativitatis tempus aliunde quàm ex ſtella diſcerent. Atque non magis cum ratione, quàm fere omnium opinionibus, convenit ſtellam ſignum fuiſſe nativitatis *concomitans*, non verò *antecedens*, nedum biennio præcucurriſſe.

Obj. III. Magi venerunt, *Mariâ* adhuc *Bethleemæ* diverſante: *Herodes* vel aſtu, vel aliâ aliquâ cauſâ detulit puerorum cædem per biennium.

Reſpond. Hoc verò & textui & communi rationi ex æquo adverſum eſt. Nam quæ ratio ſuadet ut cædem deferret, cùm quò diutiùs à cæde abſtinuerit, eò difficiliùs foret quem quæſiverat invenire? Deinde textus apertè narrat, eum cædem perpetraſſe, ſimul ac perceperat ſe à *Magis* illuſum; id quod percipere potuit non longè poſtquam deceſſerant ab Hieroſolymis.

Obj. IV. In verbis iſtis, *Et interemit omnes pueros qui erant in Bethlehem à bimulis & infra, ſecundùm tempus quod exquiſiverat ex Magis*, verba iſta, *ſecundùm tempus quod exquiſiverat*, non ad *à bimulis*, ſed vocem *infra*, ſunt referenda. Videntur enim hæc ab Euangeliſta interſeri, ut oſtendat non omnes infra bimulos fuiſſe occiſos, ſed eos qui circiter eam ætatem erant, & qui non poſt viſam ſtellam, ſed ante eam naſcebantur. Nam non credebat *Herodes*, regium hunc infantem *poſt* viſam ſtellam natum fuiſſe: at verò omnes circa iſtam ætatem trucidavit, ne fortè *Chriſtus* ante eam naſceretur, vel grandior, quàm pro ætate miraculosè factus, immanitatem ejus evitaret. Et quemadmodum belluina iſta rabies ultra *Bethleemam* ad confinia graſſabatur; ſic etiam ultra primam ſtellæ apparentiam extendebatur, ne fortè effugeret aliquis circa illud tempus ſatis infeliciter natus. Nec locus nec tempus unum ſævienti ſatis videbatur.

Reſpond. Novum eſt gloſſema in textum, vel fatente *Baronio*, qui ſe ejus authorem aliquandiu credidit, donec comperuit tandem *Janſenium*, ut ſolent acutiora ingenia, in idem incidiſſe: uterque pro virili conatus eſt ea quæ de hac *Magorum* profectione

Digitized by Google

MATTH. CAP. II. ſtione docuerat Kalendarium, ſtatuminare. Cæterum, ut taceam quàm rudis ſit & incondita hæc interpretatio, quod cuivis apparet, modò præjudiciis haud occæcato, ut etiam lepidam de conſiliis *Herodis* conjecturam, quaſi conſcirent omnia; hoc præcipuè notari velim, nec quemvis æquum arbitrum rejicio, quis ſenſus, quæ vel minima aſtutiæ ſpecies, ut *Herodes* omnes pueros circiter biennium ante viſam ſtellam natos occideret; neminem verò eorum qui vel eo tempore quo primùm apparuit, vel poſtquam viſa fuiſſet, naſcebantur: ut horum, inquam, vel omnino nullum, vel paucos admodum jugularet? Annon enim pari ratione ſuſpicari potuit, ſtellam nativitatem *præmonſtraſſe* æquè ac *conſecutam* fuiſſe? *Chriſtumque* naſci forſan unâ vel alterâ ſeptimanâ poſt eam viſam, non minùs quàm in quavis præcedentium? En autem quàm bellè inter ſe conſentiunt eorum dogmata, qui ſtellam naſcente *Chriſto* apparuiſſe (rectè quidem) ſtatuunt, atque unà *Kalendarii* fidem confirmare ſatagunt!

Obj. V. Magi verò *Chriſtum Bethleema* invenerunt: quid iſtuc ille tum bimulus? Docet enim *S. Lucas*, Cap. 2: 39. *Joſephum* & *Mariam*, ſimulac omnia ex præcepto Legis præſtitiſſent, (omnia nempe ad purificationem ſpectantia, *Chriſto* nondum ampliùs 40. diebus nato) *Nazaretham* abiiſſe. *Magi* igitur poſt iſtos 40. dies accedentes, neceſſe eſt ut *Chriſtum Nazaretha* comperuerint.

Reſpond. Ad quæſtionem, unde eſt quòd *Chriſtus* etiam bimulus *Bethleema* reperiatur? idem reſpondeo quod antiquiores hujus noſtræ ſententiæ, ut ut pauci fuerint, fautores ſolebant regerere: nempe, parentes ejus cum puerulo *Hieroſolymas* proficiſcentes, ut ibi mares omnes coram Domino comparerent, id quòd ter quotannis ſolenniter facere Lex præceperat, fortè inter eundum *Bethleemam* deflexiſſe. Quæ certè reſponſio, ſiquidem melior non foret, neutiquam aſpernanda eſt: quanquam textus ipſe, ſi ſeriò expendatur, ſuccurrit huic conjecturæ, & ſuggerit longè ſolidiorem: ſcilicet, parentes ejus, ſicut olim intellexerant neceſſum eſſe ut in *Bethleema* naſceretur, id utique Prophetis quaſi uno ore concinentibus; ità haud minùs exiſtimarunt neceſſarium ut ibidem enutriretur propter ejus cum familia *Davidica* conſanguinitatem. Quapropter metuebant aliò deportare, niſi ea de re ſigillatim moniti, nempe donec eos Angelus *Ægyptum* dimiſerit. Nec nos hac in re, ut illi in *Herodis* conſiliis detegendis, vano nitimur augurio: ſed textus ipſe hoc luculentiſſimè demonſtrat. MATTH. CAP. II. Nam cùm Angelus poſt *Herodis* obitum, *Joſephum* ad terram *Iſraëliticam* ex *Ægypto* reverti juſſerat, legitur, *quòd cùm audiiſſet* Archelaum *regnare in* Judæa *pro patre ſuo, timuit illuc abire.* Quale verò hoc conſilium *Judæam* abeundi? Cur non potiùs Galilæam patriam ſuam rectà peteret? niſi quòd animo ejus altè inhæſerit, non magis neceſſarium eſſe ut *Meſſias Bethleeme* naſceretur, quàm ut ibidem etiam educaretur; atque hinc *Bethleemam*, unde deceſſerat, neceſſariò propter *Meſſiam* redeundum duxerit: qui tamen ob Angeli in ſomnio monitum ſeceſſit *Nazaretham*, *verſ.* 22. Liquet ergo à *Chriſto* nato ad hanc ex *Ægypto* reverſionem eum nunquam auſum fuiſſe domum ſuam reverti, niſi cœlitùs impulſum: imò verò *Nazaretham* toto eo ſpatio non inviſiſſe: ſecus enim probabile eſt, ut animus eò, potiùs quàm ad *Judæam* traxerit, dum reditum cogitabat.

Atque hinc explicari poteſt *Lucæ* illud, *Cap.* 2: 39. *Ut perfecerunt omnia ſecundùm Legem Domini, reverſi ſunt in Nazaretham.* Nimirum breviter ea tranſilit quæ fuſiùs à *Matthæo* narrari noverat. Nec is erat ſcopus Authoris, ut innuat ſubitaneum poſt *præſentationem in Templo* in *Galilæam* reditum; ſed ut talis eſſet in Hiſtoria tranſitio, ut quod proximè narrari debuerat, tametſi poſt aliquot annos factum, à *Chriſto* in Galilæa præſtitum intelligeremus. Et utcunque breviuſculæ videantur hujuſcemodi tranſitiones, ſunt tamen in Scripturis frequentiſſimæ*. Miſſis ergo quamplurimis quæ adduci queant, nonnulla ex ipſo *Luca* in *medium* proferam. Ex. gr. *Cap.* 4: 14. ita narrat *Chriſtum* à pinna Templi ad *Galilæam* reverſum eſſe, ut videatur nihil interveniſſe: quum nihilominus *Chriſtus* ſecundò cum Diabolo in eremo luctatus eſt, atque inſuper *Joannem* apud *Jordanem* inviſit, priuſquam *Galilæam* revertebatur. Rurſus *Actor.* 9: 18, 19. &c. *Paulum* ad fidem converſum, baptizatum, *Damaſci* aliquandiu prædicaſſe, inſidiis impetitum, per murum evaſiſſe, & ad *Hieroſolymas* rediiſſe omnia adeo ſuccinctè & continuatâ ſerie enarrat, ut hæc nonniſi triennio fuiſſe geſta nemini ſuboleret; quinimo iter à *Damaſco* ad *Arabiam*, atque inde reditum nuſquam memorat; quod tamen perfecerat, ipſo narrante *Paulo*, *Gal.* 1. priuſquam repetebat *Hieroſolymas*.

* *In Euangeliis præcipuè.*

Obj. VI. At quorſum poſt viſam ſtellam tantopere tardarent iter Magi iſti, ut non

igitized by Google

MATTH. CAP. II. VERS. I.

non ante biennium *Hieroſolymas* & ad Chriſtum proficiſcerentur?

Reſp. Annon *Moſes* etiam, *Exod*. 18. penè per annum integrum liberos & uxorem non vidit, quanquam non adeo procul aberat, quin uno die iter confeciſſe potuerit? Verùm Deus aliter, pro ſumma qua eſt ſapientia, ſingulari ratione ordinaverat. Sic *Magos* hos aliquandiu cohibuit non loci à *Judæa* diſtantia, ſive ex *Arabia*, ſive *Perſiâ*, ſive ultimis *Indis* venerint, potuit enim iter vel tùm minori quàm dimidio iſtius temporis ſpatio abſolvi; verùm ſummi Numinis conſilium, partim ut diuturnior *Chriſti Bethleeme* mora omnem eis adimeret ignorantiæ prætextum, ſi Regem agnoſcere recuſaverint, partim verò ut redintegratis matris viribus,membriſque pueri aliquantulum obfirmatis, uterque paratior eſſet ad fugam, quam Deus prævideerat poſt adventum *Magorum* capeſſendam.

Harmonia & Explicatio.

VERS. I. *Temporibus Herodis Regis.*

ERat *Herodes* filius *Antipatri* ex *Eſavi*, ut priùs diximus, ſanguine. Nec nos movet *Nic. Damaſceni* authoritas, (quam tollit *Joſephus*) eum ex Principibus *Judæis* è *Babylone* reverſis ſatum aſſerentis. *Antipater Julium Cæſarem* amicum & familiarem habuit, atque inde *Judæam* in provinciam accepit. Quam is filiis diſtribuens, *Phaſaelum Hieroſolymis* cum confiniis, *Herodem* (eundem qui hîc dicitur) *Galilææ* præpoſuit.

Herodes quâ verſutiâ, quâ opulentiâ *Romanos*, qui deinceps erant, Præſides ſibi devinxit, præcipuè verò *Antonium* quo obſequio atque promiſſis allecto, poſtea ad *Auguſtum* ſibi conciliandum haud infeliciter utebatur, quamdiu junctis conſiliis illi imperium exercuerunt. Hi duo eum *Judææ* præficiunt, haud abſque Senatu ſuffragante, quem ex adulatione, verſutiâ, crudelitate, atque omnimodâ injuſtitiâ haud minùs quàm ex quatuor elementis totum compoſitum dixeris. Cujus geſta & vitam cum à *Joſepho*, *Egeſippo*, aliiſque abundè enarrentur, ſupervacaneum foret hoc in loco memorare. Quanquam, quonam *Herodis* anno *Magi Bethleemam* advenerint, atque infantium ibidem obtigerit laniena, operæ pretium duximus obſervare; cùm ut quanta fuerit *Salvatoris* noſtri in *Ægypto* mora, quem ſtatim poſt mortuum *Herodem* reverſum novimus, innoteſcat; tum etiam ut quàm citò Tyranni hujus immanitatem Deus vindex ulciſcebatur intelligamus.

MATTH. CAP. II. VERS. I.

Joſephus, *Antiquit*. lib. 14. cap. 26. *Herodis* initium in 184. Olympiade collocavit, *Cn. Domitio Calvino II.* & *C. Aſinio Pollione* Coſſ. & ab ejus æmuli *Antigoni* morte 34. ei aſſignat annos; attamen ex quò primùm à *Romanis* Regis titulum acceperat, 37. *Antiquit*. lib. 17. cap. 30. quocum conſentit *Egeſippus*, *de Excid. Hieroſolym*. lib. 1. cap. 45. nec minùs *Euſebius* in *Chronico* quoad poſteriorem 37. numerum, quanquam longè aliter de regni ejus initio ſtatuat, nempe Olympiade 186. octennio ad minimùm ſeriùs quàm *Joſephus*. Nec abſque ratione: nam, ſiquidem *Herodes* regnare inceperit iis quos vult *Joſephus* Coſſ. nec ultra 37. annos ſolium occupaverit, ſequitur omnino eundem anno antequam natus eſt *Chriſtus* fuiſſe defunctum. Quod abundè liquebit, modò annos à *Cn. Domitio* & *Aſinio Pollione* Coſſ. inde uſque ad *Cornel. Lentulum* & *Valer. Meſſalinum*, quorum Conſulatu paſſus eſt *Chriſtus*, numeraveris: nimirum ab U. C. anno 714. ad annum 751. Utcunque ergo *Joſephus* de annorum numero rectè pronunciarit, certè regni initium parùm accuratè inveſtigavit. Quid ergo? Num ab ultima *Aſmonæi* ſplendoris ſcintilla extincta (*Antigonum* loquor *Herodis* æmulum) 37. annos illos numerandos dicamus? Cæterum hac in re diſſentit à *Joſepho Dio*, & *Euſebius* ab utroque. *Joſephus* enim *Antigoni* mortem, atque *Hieroſolymas* per *Socium* expugnatas ad annum U. C. 717. *M. Agrippa* & *Canidio* ſive *Caninio Gallo* Coſſ. refert: *Dio* verò *Antigonum* in patibulum actum, atque *Herodem* Regem ab *Antonio* conſtitutum vult, anno U.C.716. *Claudio* & *Norbano* Coſſ. anno nimirum citiùs quàm *Joſephus*: ut *Euſebius* è contrà uno vel altero ſeriùs.

Ab his omnibus diverſa eſt *Baronii* computandi ratio, qui *Herodem* tùm regnum inchoaſſe, cùm primùm ab *Auguſto* poſt *Antonium* prælio *Actiaco* profligatum, Regis inſignia accepit, atque inde annos numerandos exiſtimat, *Cæſare* tùm *Rhodi* occupato, teſte *Joſepho*, *Antiquit*. lib. 15. cap. 10. *Auguſto III.* & *Val. Meſſallâ Corvino* Coſſ. Ex cujus ſententia ultro ſequitur, *Chriſtum* viceſimo nono *Herodis* anno fuiſſe natum, atque unà cum eo circiter novennium vixiſſe: quæ quidem tametſi chronologicas *Joſephi* difficultates aliquantulùm illuſtrare queat, aliis tamen, quæ eam non mediocriter premunt, urgentibus,

MATTH. CAP. II. VERS. 1.

bus, acerbius ſanè videtur atque parùm accommodatum remedium.

I. Quia hæc de *Magorum* adventu atque *Herodis* obitu opinio, Chriſtum ponit novennium præterpropter, vel ſaltem prope ſeptennium (uti nos computamus) in *Ægypto* commoratum fuiſſe. Cæterum, quænam in tam diuturno exilio, tenuique parentum fortunâ, foret vitæ alendæ ratio, viderint iſtius ſententiæ patroni, ne majorem eâ, quam amoliri cupiunt, inducant difficultatem.

II. Multò durior videbitur illa *S. Lucæ* tranſitio, ſiquidem 9. anni à Præſentatione in Templo uſque ad reditum *Chriſti* ex *Ægypto*, interfluxerint; imò verò *Baronio* ejuſque ſimilibus, qui nihil temporis interceſſiſſe contendunt, longè duriſſima.

III. Hinc præterea ſequitur, *Chriſtum* decimum nonum ætatis annum ſuperaſſe moriente *Auguſto*; quod, opinor, cum *S. Luca*, Cap. 3. eundem in *Tiberii* decimo quinto triceſimum iniiſſe docente, ægrè conciliabitur. Eſto enim ex ſententia *Cardinalis*, *Chriſtum* nonum attigiſſe annum moriente *Herode*; attigit ergo decimum nonum, cùm *Archelaus* (qui decennium regnavit, *Joſeph. Antiquit.* lib. 17. cap. 15.) in exilium relegabatur; quo pulſo, ita ab eodem *Joſepho* memorantur *Cyrenius* & *Coponius*, quaſi *Judææ* Præſides aliquandiu fuerint ac moderatores. *Coponium* excepit *M. Ambibuchus*, cui ſucceſſit *Annius Rufus*, & tùm demum è vita exceſſit *Auguſtus*. Quibus collatis & perpenſis ſedulò, nihil apertius quàm quòd *Chriſtus* viceſimum ad minimum annum perveniſſet moriente *Auguſto*; id quod Euangelio plurimùm adverſatur, cùm eundem decimum quintum nondum eo tempore prætergreſſum edoceat. Quæ tamen partitiones temporum retro ac ſigillatim expenſæ & ad hunc errorem refellendum, & ad veritatem ſtabiliendam utilitatem afferent. Largiamur itaque, (quod quidem veri ſpeciem habet) *Coponium*, *Ambibuchum* & *Rufum* ſingulos annum integrum, nec ampliùs, rerum potitos fuiſſe, quorum triennio ſiquidem *Archelai* quod excurrebat decennium adjeceris, exurgunt anni 13. quibus ex 15. (Chriſti nimirum ætate moriente *Auguſto*) ſubtractis, ſupererunt 2. Erat ergo *Chriſtus* ferè bimulus à *Magis* inveſtigatus. Quocirca cùm *Chriſtus* vix ultra duos annos vixiſſet, *Archelao* regnum inchoante, ſequitur omnino eundem natum fuiſſe *Herodis* triceſimo quinto. Quòd ſi quis objecerit, *Chriſtum multò* ſeniorem fuiſſe, ex ante dictis bene penſitatis facilè refellitur; ſin de paucis aliquot menſibus litem moverit, ultro concedimus, iſtumque exceſſum *Archelai* defectu (non enim integrum decennium regnavit) reſcindi & exæquari credimus. Nec tamen ita minutias curamus, ut iiſcum ſentiamus, qui *Herodem* eâdem illâ nocte quâ pueros *Bethleemiticos* trucidari juſſerat, imò paucas poſt horas lethali vulnere percuſſum tradunt, improbamque animam exhalaſſe: incertum illud; quanquam pluſquam probabile ſit, eum poſt iſtud facinus non ultra paucos menſes lucis uſuram habuiſſe; id quod cuivis aſſiduo lectori quæ ſupra attulimus abundè indicabunt.

Magi.] *Sortilegi*, vel *Venefici* haud incongruè verti poteſt: quanquam enim *Magi* vel *Magia* mollius quiddam ſonat, atque apud *Ethnicos* Auctores non tantùm innocentiam, ſed etiam laudem plerumque ſubindicat; in Sacris tamen Literis, è quibus, potiùs quàm aliunde, petenda eſt vera ac genuina hujus vocabuli ſignificatio, longè ſecus eſt. Fateor lubentiſſimè, *Magos* olim apud *Perſas* eâ exiſtimatione fuiſſe, ut in naturæ, rerumque omnium cognitione paſſim apud ſuos ſapientiſſimi haberentur, neminemque regno potiri potuiſſe, niſi illorum præceptis inſtitutum: necnon *Platonem*, *Ciceronem*, *Philonem*, *Plinium*, alioſque *Magiam* tanquam ſummum perfectiſſimumque Philoſophiæ genus ſæpenumerò laudare. Cæterum S. Scriptura, optima proculdubio ſui interpres, eâ voce ſemper utitur in ſequiori ſenſu pro diabolicis illis Sacrilegorum Veneficorumque ritibus, artibuſque illicitis & bonis omnibus abominandis. Sic *Actor.* 8:9. *Simon Μαγεύων.* *Actor.* 13:8. *Elymas ὁ Μάγος.*

Quinetiam Harioli illi & Malefici, *Dan.* 1:20. & 2:2. (Babylonicè אשפית) vocantur Μάγοι in Verſione Græca, ſive τῶν LXX. illa fuerit, ſive *Theodotionis*, ſive cujuſvis alterius. Eſt autem ab omni ratione perquam alienum, vocem Sacris Codicibus familiarem, ex *Perſarum*, *Platonis*, *Plinii*, &c. uſu, potiùs quàm ex ipſo ſacro idiomate, velle interpretari.

II. Ad *Chriſti* gloriam ejuſque natalitiorum ſplendorem magnopere facit, ut iſtarum artium calliidi ſupponantur. Hinc etenim homines nefariis ritibus deditos, Diaboli ſervos & ſceleratis ſacris oblectatos, his omnibus relictis, ad *Chriſti* pedes provolutos videbimus, & ſe & ſua pauperi, obſcuro, & longinquè nato infanti humiliter offerentes.

III. Nec rejiciatur tanquam nova hæc

 aſſertio,

MATTH. CAP. II. VERS. 1.

aſſertio, cui profectò Antiquitas ſuffragatur. Nam de ſtella *Magorum* duce ad hunc modum *Ignatius Martyr in Epiſt. ad Epheſ.* Ἔνθεν ἐμωραίνετο σοφία κοσμικὴ, γοητεία ὕθλος ἦν, καὶ γέλος ἡ μαγία, eſt quaſi antitheſis inter homines aliquando veneficos, pòſt verò ſanctos; olim *Diaboli* mancipia, pòſt verè ſacros & *Chriſto* dicatos. Similiter *Juſtinus Mart. in Dialog. cum Tryph.* de iiſdem *Magis* priſtinâque eorum conditione locutus, hæc habet. *Erant* ἐσυλευμένοι πρὸς πάσας κακὰς πράξεις τὰς ἐνεργουμένας ὑπὸ τοῦ Δαιμονίου ἐκείνου. Nec aliter *Theophylactus* ad mentem *Chryſoſtomi*. *Erant*, inquit, *Deo adverſi atque inimici, Diabolo autem peculiari modo devoti:* quod porrò firmatur ex Verſione Hebraica Euangelii ſecundùm Matthæum, cujuſcunque demum fuerit. Cæterum ne plura addam, illi quos citavi Patres cum reliquis, nec paucis quidem nec infimi nominis, conſentiunt, quorum nonnulli, *Magos* hos ab *Erythræa Sibylla* de Rege *Judæorum* monitos fuiſſe ſtatuunt; alii verò à *Balaamo*, cui & artis ſimilitudine, *Incantatores* utique, atque etiam conſanguinitate conjunctos fuiſſe contendunt.

Ab Oriente.] Hinc noſtra de *Magis*, ſiquidem probatione indigeret, ſententia, ulteriùs confirmari queat. Orientem enim ob auguria, incantationes & ſortilegia famoſiſſimum oſtendit *Iſaj.* 2: 6. interpretantibus LXX. *R. Solomone*, *D. Kimchi*, ipſo etiam contextu corroborante. At de regione & *Magorum* patria non minor eſt, quàm de ipſis hominibus, difficultas ac diſſenſio. Nonnulli patriâ *Chaldæos* fuiſſe exiſtimant; ducti, opinor, promiſcuâ illâ atque notâ τοῦ *Chaldæus* & *Magus* ſignificatione, potiùs quàm contextûs ratione vel aliis S. Scripturæ locis id ſuadentibus: cùm ea fere omnia loca quæ de *Chaldæis Hieroſolymarum* everſoribus mentionem fecerint, eos non uti *Magos* ex *Oriente*, ſed ex *Septentrione* profecturos atteſtentur, ut *Jerem.* 1.

Quamobrem alii eos *Perſas* fuiſſe arbitrantur, quoniam *Magus Perſarum* vox eſt.

Quanquam I. quandoquidem vox ea ex uſu atque idiomate ſacro ſit potiſſimùm interpretanda, ut ſuprà monuimus; nullus video quo jure ad *Perſas* ſolos reſtringi debeat. Deinde II. ſi dicatur *Magos* non eſſe communem *Sapientum Doctorumque* hominum appellationem, ſed potiùs nomen gentilitium, familiam denotans apud *Perſas* illuſtrem à patre *Mag* vel *Mago* oriundam; eam aſſertionem haud facilè refelli poſſe judico; quandoquidem de *Rab-Mag*, ſive *Magno Mag*, *Jerem.* 39: 3. legimus *nobili Babylonico*; ut etiam de *Magone Carthaginenſi*; cùm interea utrùm doctus aliquis ſic fuerit appellatus penitus ignoramus.

Probabilior ergo veriſimiliorque eorum ſententia, (penès lectorem tamen eſto pro lubitu ſuo ſtatuere) qui eos ex *Arabia* vel *Meſopotamia* haud procul à *Charrane* profectos volunt. Qui ex *Arabia* deducunt, optimè ſtatuunt, habentque *Juſtinum Martyr.* adeò fidenter de ea re pronunciantem, ut vaticinium illud *Iſaj.* 8: 4. de fracta *Damaſci* opulentia eò trahere non reformidet.

Nam I. *Arabia* reſpectu *Judææ* eſt *Orientalis*, ejuſque incolæ paſſim in Sacro Codice vocantur *Orientales*, *Geneſ.* 25: 6. *Job.* 1: 3.

II. Munera à *Magis Chriſto* oblata erant merces *Arabicæ*, ut *aurum Schebæ*, *Pſalm.* 72: 15. *thus* itidem *Schebæ*, ſive *Sabæ*, juxta hemiſtichium, *ſua thura Sabæi:* nec procul inde *myrrhæ* copia, docente Hiſtoriâ. Nec dubitandum eſt, quin cujuſcunque patriæ fuerint, munera obtulerint, ut *Jacobus* olim *Joſepho*, non longè petita, ſed domi nata, non ex alienæ terræ, ſed ex ſuæ proventu facilè conquirenda.

III. Huic ſententiæ favent, & cum ea quodammodo conſentiunt in S. Literis non pauca memorabilia. I. Imprimis enim quadrat cum eo quod *Jethro* primus *Judæorum* Proſelytus, ut *Magi* Chriſti, erat itidem *Arabs* & ex Abrahami ſemine. II. Optimè etiam conſentit cum Pſalmo illo 72. nuperrimè citato. III. Nec temnendum eſt quod *David* & *Solomon*, uterque *Chriſti* typus, in *Arabes* dominabantur. IV. *Canaan* non tantùm *Judæam*, ſed etiam magnam *Arabiæ* partem complectebatur. Quicunque primos iſtius regionis incolas paulò diligentiùs exquiſiverit, eam à *Cuſho* & *Canaane* duobus *Chami* natis primùm occupatam comperiet: quos tandem expulit *Abrahami* ſoboles, haudquaquam injuſtè, ſed juxta promiſſum Dei, ſe *Canaanitidem Abrahamo* daturum pollicentis. Devictis igitur & profligatis quatuor Regibus qui terram non ita pridem ſibi armis comparaverant, *Abrahamus* ſummo jure optimoque titulo eam accepit. Atque hinc ad *Euphratem* uſque *David* atque *Solomon* limites ſuos extenderunt, atque tum demum vaticinium illud, ſeu potiùs promiſſum *Abrahamo*, *Iſaaco* & *Jacobo* factum de terra *Canaanis* ab eorum poſteris olim poſſidendâ perfectiſſimè adimple-

MATTH. CAP. II. VERS. 2.

implebatur. Annon autem longè veriſimilius eſt, ut *Abrahamidæ*, potiùs quàm alienigenæ, *Chriſtum* agnoſcerent; *Arabeſque*, qui *Davidi* atque *Solomoni* ſe olim dediderant, citiùs quàm exteri, ſe tanquam primitias Euangelii *Judæorum* Regi dicarent?

VERS. 2. *Ubi eſt ille Rex Judæorum qui natus eſt? Vidimus enim ejus ſtellam in Oriente.*

Quicquid difficultatis in hoc verſiculo occurrit, ex tribus inſequentibus unà cum reſponſionibus, quæſtionibus abundè enodabitur. I. Quænam illa ſtella? II. Ubinam *Magi* eam viderint? III. Unde ex viſa ſtella Regem Judæorum indicari collegerint?

Ut mittam verò plurimas varianteſque circa primam quæſtionem conjecturas, ſtella hæc nihil aliud fuiſſe mihi videtur quàm ſtupendus ille glorioſiſſimuſque fulgor, quo paſtores *Bethleemitici* percellebantur, cùm *ſupervenit ipſis Angelus*, lætum de nato Salvatore apportans nuncium, *Luc.* 2:9. Quem procul intuentes *Magi* ſive *Incantatores* iſti, dum fortè aſtris intenti, foràs eâ nocte excubias agebant, ſtellam novam fuiſſe, repentinam & ſtupendam exiſtimarunt. Verba autem *in Oriente* ad homines ipſos, non ad ſtellam, referri debent, hoc modo, *Nos in Oriente degentes vidimus ſtellam ejus*. Non quaſi ſtella in Orientali cœlo comparuerit, ſed illi Orientalem terræ plagam incolentes, eam quaſi *Judæa* impendentem conſpexerunt; unde forſan aliquid de *Rege* in ea terra nato ſuſpicati, omen acceperunt.

Eſto itaque lumen illud fulgidum ſtupendumque à paſtoribus viſum à *Magis* ſtellam nuncupari. Quo jacto fundamento, firmum modò fuerit ac ſolidum, triplex ille quæſtionum nodus quaſi uno ictu reſcinditur; unâ eâdemque operâ ſolvuntur omnes. Videamus autem aliquantò accuratiùs quâ ratione nititur.

I. Extra dubium eſt ſplendorem illum ſive gloriam Domini uno eodemque tempore paſtoribus, ac ſtellam *Magis*, apparuiſſe; utrumque nimirum tum, cùm naſceretur Dominus *Jeſus*. Cùm enim idem eſſet utriuſque ſcopus, ut inclareſceret magis cùm apud Gentes, tùm *Judæos Chriſti* natale; quæ ſuadet ratio, utrumque eodem tempore non obtigiſſe? Quorſum unum idemque nuncium diverſis temporibus allatum fingeres? Eâdem ergo nocte *Bethleemæ* paſtores, in *Arabia Magi* ſplendorem cernunt; quidni ergo eundem, fruſtrà foret rationem quærere.

MATTH. CAP. II. VERS. 2, 3.

II. Ex ſuppoſito quòd ſtella in Orientali cœlo viſa fuit, perquàm difficile foret conjectare, unde *Magis* in mentem veniret Regem *Judæorum* natum fuiſſe; quæ ſi *Judæa* medio ſive centro imminuiſſe ponatur, ea valdè minuitur difficultatis magnitudo. Quanquam enim in hoc negotio Spiritui Sancto optimo certiſſimoque duci primas tribuamus, imò lubentiſſimè agnoſcamus ei nequaquam opus fuiſſe ſtellâ monitrice; ægrè tamen ducimur, quin credamus eum ſtellâ tanquam idoneo inſtrumento fuiſſe uſum, & proinde ita in cœlis collocatâ, ut locum nati Regis indigitaret. Quæ ſi in Oriente fuiſſet, ad *Indos* potiùs, quàm *Judæos*, reſpexiſſe meritò putaretur.

III. Notiſſima res eſt atque experientiâ comprobata, vel maximum ſplendorem mirè minui, ſi longo intervallo atque noctu proſpiciamus, adeo ut ægrè ſuperet ſtellæ magnitudinem, etiamſi proximo cuique ingens, uti revera eſt, eſſe videatur. Quidni ergo & *Magi* ſimilem ob cauſam falli potuiſſent? Certè neque analogia fidei, neque rationis vis, neque S. Scripturæ autoritas omnino impediunt quominus credamus.

IV. Ultimò, neque illud leviter tranſeundum, quòd poſteaquam *Herodem* atque *Hieroſolymas* reliquiſſent *Magi Bethleemam* versùs proficiſcentes, rurſus ſtella apparuerit, propinquior jam facta, & locum ipſum ubi jacuit puerulus apertiùs indigitans; quem quidem natum fuiſſe è longinquo viſa priùs declaraverat. Priùs eam *Judææ* impendentem viderant; hinc *Hieroſolymas* petendi ratio: jam verò *Hieroſolymis* ferè perpendicularem contemplantur & ad *Bethleemam* dirigentem.

VERS. 3. *Turbatus eſt & tota Hieroſolyma cum eo.*

Herodes de regno metuit, & *Hieroſolyma* de pace. Cùm enim jam 37. annis regio ſplendore vitam egiſſet, & quâ aſtutiâ, quâ crudelitate filiis etiam ſuis ad regnum viam muniviſſet; quam acri dolore eum cruciaret nuncium de Rege recenter nato, Rege ditionem quam feris nepotibus malè ſpoponderat erepturo! Quod etiam acerbiùs vellicaret animum, quia non tantùm plebeculæ rumore divulgatum noverat, ſed igne de cœlo mirè coruſcante, quaſi ſuffragante Numine, confirmatum.

Nec minùs *Hieroſolymitani* de novo,

 præter

MATTH. CAP. II. VERS. 4.

præter *Herodem* quem à *Romanis* acceperant, Rege malè ominabantur. Juſtè etenim *Romanorum* odia in ſe propter repudiatum *Herodem* accenſa extimuerunt; eorumque arma, ſibi certè funeſta, reformidarunt. Sin de *Meſſia* (quem tunc temporis unicè expectabant) lætior aliquantulum ſpes labentes animos erigere potuerit; eos tamen vehementer angeret rarus planèque inſolens liberandi modus, propter præpotentes *Romanorum* vires ægrè ſine tumultu peragendus.

VERS. 4. *Omnibus primariis Sacerdotibus.*

Quoniam nonniſi unus eodem tempore Summus Pontifex inter Judæos eſſe ſolet, hinc quibusdam viſum eſt, Sacerdotes aliquot à *Præſidibus Romanis*, vel aliâ aliquâ causâ ab officio pulſos, per *primarios Sacerdotes* hic intelligi debere. Sic, narrante *Joſepho*, *Valerius Gratus Iſmaëlem* loco *Anani* ad Pontificatum evexit: quo rurſus pulſo, *Eleazarum Anani* filium in ejus locum ſuffecit. Eo autem amoto, mox *Simonem Fitz Kamuthum* ſubſtituit: atque eo mox detruſo, *Joſephum* cognomine *Cajapham*. *Cajapham* verò non longè poſt *Vitellius* deturbavit, *Jonathane Hitz Anano* ei ſuccedente. Quos omnes dignitate ſpoliatos *primarios* nihilominus *Sacerdotes* appellari volunt. Rationi autem magis congrua eſt atque vero finitima eorum ſententia, qui *primarios hos Sacerdotes* familiarum capita, & 24. Claſſium (ex *Davidis* diſtributione, 1 *Paralip*. 24.) principes eſſe volunt. Adeoque *Primarios* vocari, non quòd officii dignitate cæteris Sacerdotibus eminebant, ſed vel familiarum capita erant, vel forſan quia Senatores erant Magnique Concilii ſive 70. Seniorum partem tertiam effecerunt.

Et Scribis populi.] *Populi Scribas* appellat, ut ab aliis privatorum Scribis diſtinguat: *Baruchum* enim *Jeremiæ* fuiſſe è literis legimus, ut & *Serajam Davidi*, 2 *Sam*. 8: 17. (al. 2 *Sam*. 9: 3.) Qui autem hìc memorantur & paſſim in *Euangeliis*, non erant *privati*, ſed *publici*, & proinde populi Scribæ, quorum officium duabus præcipuè partibus conſtabat.

I. Ad eos pertinebat Sacra Volumina exſcribere, quoties Exemplar deſiderabatur: tanti etenim & tam varii in SS. Scripturarum literis, vocalibus, apicibus, *myſtici* ſenſus & mirè arcani comprehenduntur, ut temerarium foret cuivis homini tranſcribendi, reſque adeo ſublimes cujuſvis calamo tractandi, copiam feciſſe. Quapropter ſingulari curâ cautum eſt, ut doctis quibuſdam viris ea cura mandaretur, quorum erat *Apographa* omnia facere, ſedulòque curare ne ulla inde menda vel corruptela Sacro Originali Textui irreperet: qui propterea *Scribæ populi*, ſive *SS. Bibliorum Exſcriptores* audiebant. Hinc apud *Rabbinos* crebra illa mentio de *Tikkun Sopherim*, ſive *correctionibus* vel *directionibus Scribarum*, quarum veſtigia in 18. locis obſervant *Mazoretæ*, & enumerant omnia ad initium libri *Numerorum*. *Scribæ* hi vel *Levitæ* forſan erant vel *Sacerdotes*, vel utriuſque ordinis: erat enim ea Tribus Sacrarum Scripturarum imprimis perita atque ſtudioſa; quippe cujus officium erat populum inde erudire, *Deuter*. 33: 10. *Mal*. 2: 7.

Erant hujus Tribûs quaſi quadraginta octo Academiæ, in quibus *Clerus Legis* & *Prophetarum* ſcientiâ imbui ſolebat, *Joſ*. 21. Illorum aliquot, qui literis operam navantes præ cæteris claruerunt, ea data eſt provincia, ut vel ipſi Sacra Volumina exſcriberent, vel ſaltem ita *Apographis* omnibus adeſſent, ut nulla unquam corrupta aut mendoſa prodirent. Opus profectò quod ſummam eruditionem poſtulabat.

II. Erant porrò hujuſmodi *Scribæ* præcipui & præ aliis aſſidui Verbi Divini præcones. His maximè fervebant roſtra, atque inſtituebatur populus: nec enim ſatis duxerunt Sacras Paginas puras atque integras conſervare, quinimo populo eaſdem ſolerter & crebrò ſolent pro concione explicare. Quocirca *Salvator* noſter dicitur *docuiſſe ut auctoritatem habens*, *non ut Scribæ*, *Matth*. 7: 29. id eſt, non ut communes & quotidiani populi inſtructores. Hinc *Chriſtus* de communi *Phariſæorum*, *Sadducæorum*, atque omnium ferè *Judæorum* opinione percontatus, de *Scribis* tamen quæſtionem inſtituit, *Quomodo dicunt Scribæ Chriſtum eſſe filium Davidis?* *Marc*. 12: 35. quia nimirum Scribæ ſæpiſſime ex ambone perorantes, iſtam doctrinam tradiderunt.

Ab utraque muneris ſui parte *Ezra* vocatur Scriba in Lege Moſis, *Ezr*. 7: 6. cùm *Apographorum* Sacrorum inſpector, tum Legis Interpres aſſiduus. Atque hujuſmodi Scribam etiam intelligit Servator noſter, *Matth*. 13: 52. ad regnum cœlorum inſtructum, monita ſua ex. V. & N. Teſtamentis tanquam ex ærario depromentem. Paraphr. *Chaldaicus* ad *Jerem*. 6: 13. & 8: 10. pro *Propheta Scribam* legit, atque iſtius loci ſenſum ad ejus quem nunc tractamus, accom-

MATTH. CAP. II. VERS. 4.

accommodat: vocem utique *Prophetam* perinde accipiens, ac alibi *D. Paulus Prophetiam* pro *prædicandi* munere, 1 *Theſſ.* 5:20. 1 *Cor.* 14: 5,&c.

Paſſim in Euangeliis, præſertim verò in Hiſtoriâ de Servatore capto atque accuſato, occurrunt *Pontificum*, *Scribarum* & *Seniorum* tituli, (ſic *Matth.* 26:3. *Marc.* 15:1.) quaſi ex terno hoc hominum genere Magnum Concilium componeretur; ex *Pontificibus* nempe, filiis *Aaronis*; *Scribis*, ex *Tribu Levi*; & *Senioribus*, è *Laïcis*, uti vocantur, deſumptis. Erant hi omnes juris admodum periti, legumque omnium probe gnari, quanquam omnes non eodem modo jus dicebant; uti *Canonici*, *Civilis*, & *Communis*, ut dicitur, juris periti non ad omnia ſe habent eodem modo. *Seniores* lites dirimere ſolebant, cauſaſque adjudicare, nec interea docebant populum ex officio. *Pontifices* & docebant & judicabant, ita tamen ut dubiis explicandis & tollendis difficultatibus potiſſimùm occuparentur, ſciſcitantibus aliis, ut Salvatore noſtro, *Luc.* 2:46. Vide *Hag.* 2:11. *Mal.* 2:7. non ſoliti ex ambone dicere. *Scribæ* autem Legis interpretes pariter ac præcones, & difficilia enodare ſolent, & pro concione aſſiduè dicere. Atque ad triplicem hanc *magnorum Seraphicorumque* Doctorum diſtributionem *D. Paulus* reſpexiſſe videtur, 1 *Cor.* 1: 20. *Ubi ſapiens?* (vel populi Seniores) *Ubi Scriba? Ubi diſquiſitor ſeculi iſtius?* (vel Pontifices qui quæſtionibus reſpondeant.)

Percontatus eſt ab iis, ubi Chriſtus ille naſciturus eſſet.] *Rectè*, inquiunt *Rhemiſtæ*, *Herodes primarios Sacerdotes conſuluit in quæſtione ad Legem atque Religionem ſpectante:* & quorſum alios? certè ad reſpondendum minùs idoneos. Inſidioſa tamen eſt poſterior iſtius annotati clauſula, & ad captandos rudiores comparata: *Utcunque enim*, adjiciunt, *improbi ſint*, *tamen ex officii ratione ſæpius ad veritatem dicendum adiguntur*. Quam doctrinam ſe ex *Cajapha* vaticinante abundè confirmaſſe putant; quod quidem vehementiùs urgent in *Annot.* ſuis ad *Joann.* 11:51. perinde quaſi *Cajaphas* propter *Pontificatum*, ſive *officium* tunc temporis prophetaſſet; longè ſecus ac textus ipſe docet, qui tempori potiùs id tribuendum innuit. *Hoc autem ex ſemetipſo non dixit; ſed cùm eſſet Pontifex Maximus anni illius.* Ubi non, *cùm eſſet Pontifex Maximus*, ſed *anni illius*, emphaticè dicuntur: *anni* nempe *illius*, in quo Sancti Spiritûs dona uberrimè impertiebantur modo ac copiâ ad eum uſque diem inauditâ.

MATTH. CAP. II. VERS. 6.

VERS. 6. *Et tu Bethleema terra Judæ*, &c.

Verba hæc, quemadmodum vel à Scriba, vel Euangeliſta, vel utroque citantur, à litera textûs unde petuntur, permultum diſcrepant. Nec tamen hîc, ut alibi nonnunquam, oritur diſſenſio ex eo quòd Euangeliſtæ τῶν LXX. verſionem ſequantur; nam vel ab ea etiam latè diſſentiunt. Subeſt itaque ſingularis aliqua ratio; quam ut videamus accuratiùs, atque unà conciliemus diſcrepantia, quotquot occurrunt, ſingula expendemus verba, atque ordine explicabimus.

I. Itaque notandum, quòd cùm *D. Matthæus* legat, *Tu Bethleema terra Judæ*, textus *Hebræus* habet, *Tu Bethleem Ephrata*, nullâ factâ *Judæ* mentione: ſimiliter *Chaldæus*, nec non *Septuaginta-viralis*, niſi unicâ adjunctâ voculâ, ſic, *Tu Bethleema domus Ephrata*, *minima es*, &c.

Cui reſpondent plurimi ad omnes in hac citatione difficultates in genere, cùm *Scribas*, tum *Euangeliſtas* ſcopo ac mente Prophetæ potiſſimùm ſolicitos, nolle ejus *verbis* aut apicibus nimiùm aſtrictos eſſe. Et quandoquidem ita ſæpiſſime laudetur V. Teſtamentum à Novi Scriptoribus, non video quid in ea reſponſione deſiderari poſſit, niſi quòd uſque adeo lata ſint hæc diſcrepantia, ut non tam diverſa videantur, quam planiſſimè contraria. Idcirco alii aliter reſpondent.

II. Enim ajunt, Scribas textum *memoriter* producentes, perperam eum allegaſſe, atque *Euangeliſtam* ita ſcripſiſſe quemadmodum illi loquebantur: in opprobrium utique *Doctorum* adeo probè Sacras Literas callentium, ut textum longè aliter ac ſcribebatur, proferrent. At verò qui in *Rabbinis* paulò verſatior fuerit, percipiet ilico homines longè expeditiores eſſe, quàm ut in textu, è quo rerum momenta pendebant, titubarent: præcipuè verò cùm eâ tempeſtate *Hillel* & *Shammai*, magni quidem conſummatiſſimique viri, Cathedram occupabant, ſtudiiſque moderabantur; quorum operâ & auſpiciis iſtius ætatis *Judæi* omni eruditionis genere præceſſoribus ſuis anteverterunt.

III. Quòd nonnulli doceant, alteram fuiſſe *Syriacam* editionem præter *Hebræam*, *Judæis* illius ætatis admodum familiarem, in qua textus hic *Michæ* ita legitur, ut in *Euangeliſta*, citatus nempe juxta editionem tunc temporis vulgatiſſimam; duo habet incommoda, quibus funditùs evertitur.

I. Quòd

MATTH. CAP. II. VERS. 6.

I. Quòd nullus è Scriptoribus *Judæis* de ulla, nedum Syriacâ, Prophetarum editione, præterquam ſolâ Chaldaicâ *Paraphraſi* mentionem fecerit; nuſquam hujuſmodi lectionem confirmaverit. II. Deinde, quòd nemo *Chriſtianorum* hujuſmodi editionem viderit unquam, nec proinde aliquid certi de ea lectione pronunciare poterit. Optimè ergo mihi videtur præſens incommodum amoveri, ſi dicatur nec *Scribam*, nec *Euangeliſtam*, nedum utrumque, vel per oblivifcentiam lapſum fuiſſe, vel corruptâ editione falſum; ſed *datâ operâ* & *conſultò* paulò aliter ac in textu habentur, hæc verba produxiſſe.

Nam I. etiamſi *Bethleema* jam olim ab antiquis temporibus, *Geneſ.* 35: 19. *Ruth.* 4: 11. imò & vivente adhuc *Micâ*, cognominata fuerit *Ephrata*; potuit tamen illud nomen recentioribus parùm eſſe notum, minimè verò omnium *Regi* ut improbo, ita forſan hujuſmodi antiquitatis ignaro. Nam diuturna illa 70. annorum captivitas, tam in Republica, quàm in locorum nominibus, adeo multa permutavit, ut facillimum eſſet, aſcititium quendam hujuſcemodi villæ titulum ex uſu & memoria hominum excidiſſe.

II. *Ephrata* cognominata eſt hæc villa in memoriam fœminæ, uti conſtat ex 1 *Paralip.* 2: 19. Quùm ergo *Herodes* de *Chriſto* ex *Juda* oriundo aliquid intelligebat, cætera eò ſpectantia neſcius; ecquid præſenti de *Chriſto* naſcituro colloquio magis appoſitum eſſe potuit, quàm *Judæ* in memoriam revocaſſe, *Ephratam*, de qua nihil reſciverat forſan, omnino præteriiſſe? Quocirca, quod primo intuitu perperam ex Propheta allegatum judicetur, ſi propiùs aſpexeris, ſi tempora quibus ſcriptum erat vaticinium, ab eis quibus citatum eſt longè diverſa fuiſſe memineris; ſi denique perſonas colloquentes quales fuerint conſideraveris, nihil conſultiùs, aut ſapientiùs factum agnoſces. Nam verba illa *Terra Judæ*, *Ephratæ* loco ſubſtituuntur, non quaſi genuina Prophetæ verba eſſent, ſed *Herodem* erudiendi gratiâ, atque ut ad captum rogantis magis appoſitè atque explicatè reſponderetur?

Michæ ætate notiſſimum erat *Ephratæ* nomen, poſtea verò fortaſſe minùs uſitatum. Certè *Micha Judæis* locutus eſt, & proinde nomine iis familiari utebatur; quod itidem feciſſent Scribæ Judæis pariter locuturi. Cæterum *Herodem* erudientes, impropriè admodum *phraſi* ab eo non intellectâ uſi fuiſſent; quapropter pro inſolenti *Ephrata*, *Terra* Judæ ſufficiunt, cùm aptè loquentes, tum ita dilucidè, ut non minùs *univerſa plebs*, quàm *Herodes*, reſponſum intelligeret.

Nequaquam minima es.] Longiùs hìc à *Micha* abſceditur: quæ enim hîc *emphatica* eſt negandi particula, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ, apud Prophetam non invenitur, nec in textu *Hebraico*, nec Septuaginta-virali, nec in Paraphraſi *Chaldaica*. Imò verò *Michæ* verba, *Minima ut ſis in Ducibus*, &c. atque illa *Matthæi*, *Nequaquam minima es*, ſibi invicem opponuntur. Quò verò faciliùs concilientur, neceſſe eſt primò ipſius Prophetæ locum diligenter expendere, ut ex citatione cum textu ritè tandem comparatâ, quanta ſit diſſenſio ſive convenientia clariùs intelligatur. Voces *Hebrææ* de quibus maximè dubitatur ſunt צעיר להיות: quas vertunt *Noſtrates*, *Quanquam ſis minima*: LXX. Ὀλιγοστὸς εἶ τοῦ εἶναι ἐν χιλιάσιν Ἰούδα. (Aliam vocem, quàm quæ hîc habetur, pro *minima* uſurpantes) Alii verò libri, inquit *Nobilius*, & alter ille in LXX. *Scholiaſtes*, habent: μὴ ὀλιγοστὴ, ut *Hieronym. Tertull. Cyprian.* Sed metuo ego, ut iſti Patres *Matthæum* potiùs ſecuti ſint in ea lectione, quàm ut in Prophetæ textu eam unquam invenerint. *Vulg. Lat.* habet, *Parvulus es in millibus Judæ. Ital.* Bruccioli Verſio, ut & *Gallica*, legit, *Parva exiſtens eſſe*, vel *haberi*. Ad *Noſtrates* prope accedunt *Aben Ezra*, & *D. Kimchi. R. Salomon* quid ſenſit oſtendit gloſſa ejus: *Æquum foret ut minima eſſes inter familias Judæ propter impietatem* Ruth Moabitiſſæ *in te habitantis: at nihilominus ex te veniet*, &c. *Janſenii* ſententia eſt optimè conciliari poſſe per adjectam *interrogationem* in textu Prophetico, *Et tu Bethleem, minima es?* quæ negationi æquipollet, *non es minima*. Verùm his omnibus opponi poteſt adjectivum צעיר non poſſe cum *Bethleema* tanquam ſubſtantivo cohærere propter generis diverſitatem: impedit enim Syntaxeos ratio, id quod quivis obſervabit Grammaticus, atque ultrò largietur. Hæc itaque exponere quaſi cohærerent, cùm ipſa *Grammatica* vetat, tum etiam ſenſus loci, qui ex ea conſtructione nunquam cum Euangeliſta conciliari poteſt. Quinimo, verbis iſtis ita in conſtructione conjunctis, duriuſculus oritur ſenſus: q. d. *Tu Bethleema parva exiſtendo, ex te Dux egredietur.*

Iis itaque potiùs adhærendum eſt, qui צעיר neutrius generis eſſe contendunt; id quod vel ipſa terminatio probat, quæ apud *Hebræos* eadem eſt in nominibus maſculinis & neutris. Sic igitur legunt. *Et tu Bethleema Ephrata, parvum eſſe inter Duces Judæ, ex te egredietur Dux*: q. d. Minima pars

MATTH. CAP. II. VERS. 4.

pars eſt honoris tui inter Duces *Judæ* numerari, eiſque exæquari; major enim tua futura eſt dignitas, tu ſanè omnibus anteponenda, *quoniam ex te prodibit Dominator in* Iſraële, *qui paſcet populum meum.* Atque ad hunc ſenſum ego *Chald.* Paraphraſim interpretandam judico, etiamſi me non fugiat eum à plurimis alіorſum trahi. *Chizgner havetha leithmannaah: Et tu Bethleema Ephrata, parùm abeſt quin ſis ſuperior* (vel perfecta) *in millibus* Judæ. Quàm benè hanc interpretationem ferant verba *Chaldaica*, (præſertim ſi quid *Chizgner* valeat, *Pſalm.* 2: 12. & 73: 2. *Hoſ.* 1: 4. & alibi in *Chaldæo* Paraphraſte ſeriò perpendatur) penès iſtius linguæ peritos judicium eſto.

Quamobrem ſi textus Prophetæ hoc modo exponatur, *Euangeliſta* ei non tantùm non opponi comperietur, ſed rem planè eandem, quanquam paulò aliter, fuiſſe locutum. Alter enim inquit, *Parvum eſt quòd inter Duces Judæ numereris.* Alter, *Nequaquam minima es inter Duces.* Annon hoc eſt ſenſu conſentire? Certè non eſt contraria dicere. Si exiguus eſſet *Bethleemæ* honor inter Duces haberi, quippe quia ex *Meſſiæ* nativitate longè majorem olim conſecutura erat gloriam, ultro profectò ſequitur quod ab Euangeliſta dicitur, eam nimirum inter eos nequaquam minimam eſſe. En ergo Euangeliſtam juxta mentem *Prophetæ* locutum, loquendi more non re ipſâ diverſum, ad audientium captum ſeſe accommodantem. Eruditè quidem & appoſitè objicit *Janſenius* ab hac interpretatione paulò alienior, quòd *Parvum eſt*, nunquam exprimitur in SS. Scripturis per צעיר, ſed per *Magnat*, ut *Iſaj.* 7: 13. *Geneſ.* 30: 15. & alibi. Regero tamen, quòd tametſi id per *Magnat* ſæpe dicatur, non ſemper dicitur, ſed aliquando per *Tikton*, 2 *Sam.* 7: 19. aliquando per *Nakel*, ut *Iſaj.* 49: 6. quidni ergo & aliquando per *Tſagnir*, ut hoc ipſo in loco?

Inter Duces Judæ.] Apud *Micham* legunt Noſtrates *in millibus Judæ*, quemadmodum etiam *Chald.* LXX. *Vulg. Lat.* reliquique Interpretes ad unum omnes. En ergo alterum nodum, *Euangeliſtâ* nondum cum Propheta quem allegat coïncidente. Per *millia Judæ*, *Rab. Salomon* vult *familias* intelligi; *D. Kimchi* autem, *urbes*. Vox eodem ſenſu ac apud Prophetam ſemel occurrit, *Judic.* 6: 15. *Mei milleni* (ſic *Noſtrates* in marg.) *pauperes ſunt in Manaſſe.* Quem locum ita accipiunt *D. Auguſtinus* & *R. Eſaja*, quaſi ipſe Gideon eſſet *Chiliarchus*: vult autem *Levi Gerſham*, patrem ejus millenis præfuiſſe. *Chaldæus* autem *Rabbinique* alii de millenis illis intelligunt, quorum in numerum relata erat ejus familia. Ut ut fuerit, liquet tum ex hoc textu, tum aliis ſimul collatis, univerſas Tribus *Iſraëliticas* in *Chiliades* fuiſſe diſtributas, ſingularumque *Chiliadum* nomina in Tabulas publicas iſtius urbis, quam vel jure hæreditario, vel aliàs occupaverant, relata fuiſſe. Pagi quorum rariores erant incolæ, in centurias, Urbes autem in *Chiliades* pro numero civium dividebantur. *Amoſ.* 5: 3. *Civitas illa quæ procedit millenis, reliquos faciet centenos; & quæ procedit centenis, reliquos faciet denos.* Pagis meritò quidem minoris habebantur; urbes verò millenis civibus florentes quaſi Duces vel Principes erant: hinc faciliùs *Prophetæ* atque *Euangeliſtæ* conciliatio, atque mens utriuſque clara apparet. In verbis autem cur diſcrepent, in re conſentientes, paucis habeto.

MATTH. CAP. II. VERS. 4.

I. Quoniam cùm quæreretur, *ubinam Rex eſſet naſciturus*, *Regis* dignitati cumprimis conveniebat, ut Principum potius quàm Chiliadum mentio eſſet in reſponſione. Ubi enim *Rex* niſi inter Proceres principeſque viros expectandus?

II. Vox *Alphi* apud Prophetam, & *mille* ſignificat, & *Principes*, aſſerente *R. Kimchi* ad locum *Judicum* nuper à me laudatum. *Sunt*, inquit, *qui Alphi* (Noſtratibus eſt *mei milleni*) *accipiunt pro patre meo, uti & Alluph*, *cujus ſignificatio eſt Princeps vel Dominus.* Quam vocem inſtituto ſuo accommodat *Euangeliſta.* Quod quidem & ipſa quæſtio quodammodo poſtulabat: atque etiam

III. Quod tertiò lubet annotare, tempus aliæque aliquot circumſtantiæ quæ *Chriſti* adventum comitabantur. Nam eâ tempeſtate & *ſperabant Judæi*, & valde *timebat Herodes*, ut *Chriſtus* victricibus armis Tyrannum regno ſpoliaret, populumque in libertatem pariter ac rerum dominium vindicaret. Quòd ſi *Euangeliſta* dixiſſet Regem hunc inter *Judæ millia* venturum, huic falſæ de Chriſto opinioni plus æquo faviſſe judicaretur, & ad præpotentem aliquem terrarum Dominum, milite ſtipatum & bella molientem, potiùs quàm Principem pacis ſciſcitantes direxiſſe videretur. Quapropter phraſin illam militarem emollit aliquantulum, optimèque attemperat cùm ad *Herodis*, tum ad *populi* captum, dicendo *inter Duces* (vel *Principes*) *Judæ.* Contendit autem nonnemo potiùs legendum eſſe *in Ducibus*, *quàm inter Duces*, ad hunc modum exponens. *Tu Bethleema*

MATTH. CAP. II. VERS. 4, 7, 11.

Judæ nequaquam minima es in ducibus, id eſt, in eis parturiendis vel educandis. Cæterum ingenioſum hoc magis quàm ſolidum, nec tam ad Græcum Originalem quàm Latinum textum conformatum.

Ex te enim exibit Dux.] *Chaldæus* Prophetæ textum ſic legit, *Ex te exibit Meſſias*; quam firmant *R. Salomonis* & *D. Kimchi* expoſitiones. Veriſſimè ergo *Lyranus* ait, *Catholicos* iſtos qui hunc locum de *Ezekia* interpretantur, ipſis *Judæis* magis *judaizare*. *Theophylactus* docet *Judæos* aliquot ad *Zorobabelem* retuliſſe: attamen, quod & ipſe olim reſpondit, veriſimillimum eſt *Zorobabelem* non *Bethleemæ*, ſed *Babylone* fuiſſe natum; *Matthæus* apertè monſtrat eum tam à *Judæis* quàm Ethnicis de alio eſſe intelligendum; quanquam in verbis aliqua ſit diſcrepantia, adeo tamen exigua, ut conſentire potiùs quàm diſſentire meritò dicantur Propheta ac Euangeliſta.

VERS. 7. *Tùm Herodes clam vocatis*, &c.

Clam, nè *Judæis* ſuboleret quod ille machinabatur. Hi aſtutiæ, immanitatis, atque ambitûs ejus probè gnari, quos nimirum diuturnus uſus edocuiſſet, facillimè improbum conſilium præoccupaſſe potuiſſent, *Magos* utique tempeſtivè admonendo.

Magis exquiſiviſſet ab eis quo tempore ſtella apparuiſſet.] Si ſtatim poſt viſam ſtellam *Hieroſolymam* verſus fuiſſent profecti, *Herodes* facilè ex viarum tædio de tempore reſcire potuiſſet; ſed ex hac quæſtione abundè patet, eos de ſtella tanquam non recenter, ſed effluxo aliquo temporis intervallo, viſâ: imò *Magos* ipſos confitentes habemus *verſ.* 16. eam ante biennium apparuiſſe.

VERS. 11. *Aurum, & thus, & myrrham.*

Myſticam horum munerum expoſitionem, quaſi *myrrha homini* propria eſſet, *aurum uncto*, &c. iis relinquimus quibus volupe eſt iſtiuſmodi rebus occupari. Textus apertiſſimè quod res eſt loquitur, *Magos* nimirum optima quæque & lectiſſima quæ eorum patria præbebat munuſcula *Chriſto* obtuliſſe. Quæ portabant *in theſauris ſuis*, ut habet textus, id eſt, inter iſtas merces quas ſolent iter capeſſentes ſibi comparare, tùm potiſſimum quum eos quos inviſuri ſunt munere conciliandos cupiunt, *Geneſ.* 24:53. 1 *Reg.* 10:2.

MATTH. CAP. II. VERS. 15, 18.

VERS. 15. *Ex Ægypto vocavi filium meum.*

Textus hic V. Teſtamenti atque alter ille ex *Jeremia* citatus, viz. *Vox in Rama audita eſt*, uſque adeo plenus eſt ac copioſus, ut duas occaſiones utrumque reſpexiſſe dicas, & dupliciter adimpleri, ita ut prior occaſio quaſi proludat poſteriori. Sic etenim textus hicce *Hoſeæ* non ſolùm *Eccleſiæ Iſraëliticæ* antiquam illam & primævam reductionem, ſed etiam nunc denuo caput *Eccleſiæ* inde pariter reverſurum indicavit. Tùm quidem *Joſephus* patrem ſuum aluit, nunc alter *Joſephus* Redemptorem. *Ægyptus* olim infanticidio infamis, nunc tandem hujus puerili effugium ſit præſidiumque.

VERS. 18. *Vox in Rama audita eſt.*

Rama non longè aberat à *Bethleema*, quanquam inter alterius Tribûs limites: adeo ut miſeri parentum puerorumque ejulatus in abominanda *Bethleemitica* laniena ad *Ramam* uſque pervaſerint, omniumque ibidem aures cruciaverint. At verò quanta hujus Scripturæ plenitudo! En quomodo Propheta, quomodo Euangeliſta ad res diverſas, uterque tamen aptiſſimè, eam retulit. Semel etenim in ipſius *Jeremiæ* ætata impleta erat. Quantus enim *Ramæ* ejulatus, quàm crebræ illîc lachrymæ, cùm everſis *Hieroſolymis Nebuzaradan* eò captivos perducens, hos gladio adjudicaverit, illos pro arbitrio ſuo ſervituti, *Jerem.* 40:1. Finge autem qualis ploratus, quantus luctus eſſe debuit in ea miſerorum turba, quorum aliquot morti addixerat dura victoris ſententia; alios à patriis ſedibus avulſos *Babylonem* relegaverat nunquam inde reverſuros. Proculdubio quæ tùm in *Rama* audita erat vox, etiam *Bethleemam* penetravit. Nunc autem alio modo impletur vaticinium, dum *Herodes* in pueros *Bethleemiticorum* ſævit adeo ferociter, ut qui in urbe, ſuburbiis, cunctiſque confiniis audiuntur ejulatus, mutatis jam vicibus, ad *Ramam* uſque perveniant.

Rachel plorans filios ſuos.] *Rachelis* ſepulchrum vel inter *Ramam Bethleemamque*, vel ſaltem non longè ab utravis ſitum erat, *Geneſ.* 35:16, 20. 1 *Sam.* 10:2. Eleganter itaque Spiritus S. *Rachelem* (quæ in partu *Benoni*, id eſt, filii doloris animam olim exhalaverat) figurare introducit, ad amplificationem triſtitiæ propter infantes trucidatos.

MATTH. CAP. II. VERS. 19.

tos. Hinc liquet *Prophetam* hoc in loco præcipuè ad ea reſpexiſſe quæ à *Nebuzaradane* geſta erant: nam in *Bethleema* nulli erant propriè *Rachelis* liberi; eam etenim incoluerunt *Judæ* filii, *Leâ* ſati. *Rachelis* autem proles *Ramam* habuit, *Ephraimutarum* oppidum, qui *Joſephum* patrem agnoverunt. Potuit nihilominus rectè dici *Rachelem* etiam *Bethleemiticos* pueros ploraſſe, in quantum maritum habuit omnium Tribuum patrem, & propterea univerſam ejus prolem affectu proſequebatur, ejuſque curâ tangebatur, quamvis ipſa quorum vices dolebat nunquam peperiſſet. Sic *Joſephum Chriſti* patrem vocari novimus, non aliam ob cauſam, niſi quòd *Mariam* conjugem habuit. Similiſque loquendi ratio occurrit *Geneſ.* 37: 10. *An venturi ſumus ego & mater tua ut incurvemus nos tibi?* nam *Joſephi* mater jam tùm ad plures migraverat.

VERS. 19. *Cùm autem obiiſſet Herodes.*

Puerulorum cædem ſequitur è veſtigio *Herodis* obitus: quam enim donec vixerat exercuerat crudelitatem, atque innocentium clade quaſi conſummaverat, haud abſque flagranti ſtudio ipſum vitæ Dominum perimendi, eam tandem Deus vindex ulciſcebatur. Hoc autem poſtremum Tyranni facinus tribus plus minùs menſibus priuſquàm occubuit perpetratum credimus. Quo ſpatio, quales ejus erant mores, & quæ vitæ ratio, breviter ex *Joſepho* diſcimus. Diu ante hoc tempus binos filios ſuos *Alexandrum* & *Ariſtobulum* vitâ ſpoliaverat, tertii *Antipatri* mortem etiam meditatus, quanquam patri ſimillimus eſſet, ejuſque teſtamento regnorum hæres deſignatus. Eum verò læſæ Majeſtatis ſuſpectum incarcerari juſſit, ſupplicio ſtatim tradendum, niſi morbus quo non ita longè pòſt interiit, pœnam retardaſſet, præbuiſſetque vincto ſpem novam poſſibilemque effugiendi occaſionem. Multiplici morbo ſimul intabuit, interno viſcerum ardore, bulimiâ, paſſione cœliacâ, podagrâ & hydrope, quin & pediculi lumbos & pudenda deprædabantur, totiuſque corporis fœtor arcebat inviſentes. Hiſce cruciatibus accedente etiam ſenectutis, erat enim ſeptuagenarius, moroſitate, adeo aucta eſt inſita animi ferocia, ut ſupra modum ſæviret, nec ab ullo crudelitatis genere abſtinuit. Hinc plurimos qui auratam Aquilam quam prope Templum erexerat, abſtulerant, capite malè mulctavit. Dein morti vicinior, *Antipatrum* ſuſtulit, multoſque nobiles pariter ac plebeios carcere maceravit, addito inſuper edicto, ut ſimul ac ſe mori contigerit, ad unum omnes jugularentur, ne forſan *Judæis* in ejus funere deeſſet veri doloris cauſa. Vide *Joſeph. Antiquit.* lib. 17. cap. 8. 9. 10. & *de Bell.* lib. 1. cap. 21.

MATTH. CAP. II. VERS. 20, 22.

VERS. 20. *Mortui ſunt enim qui petebant animam pueruli.*

Similiter *Moſi* olim dicebatur, *Exod.* 4: 19. ubi relativum plurale *qui* ad *Pharaonem* referendum eſt, ſervoſque ejus, qui uno animo occiſi *Ægyptii* mortem vindicaturi *Moſem* perditum ibant: quos diutina illa quadragenaria in *Midiane* mora extinxit. Hîc verò, quanquam & ſervi *Herodis* pueri animam petiiſſe meritò dicantur, cauſam tamen non video, cur credatur eos omnes qui adulatione, ambitu vel obſequio facinus iſtud promoverant, pueroque mortem intentarant, vel cum eo, vel ſaltem non longè pòſt interiiſſe.

Quocirca relativum *qui* hoc in loco *Herodem* filiumque ejus *Antipatrum* reſpexiſſe videtur: erat enim ita dominandi libidine abreptus *Antipater*, ut binos fratres perderet, ne forſan alteruter regnum interciperet; imò nec à parricidii cogitatione abhorruit, uſque adeo regnandi expectatione ac cupidine totus exarſerat. Cogita ergo, quàm veriſimile eſt eum qui patri ſuo non pepercerat, nullum inſidiarum genus aut ſpeciem crudelitatis adverſus novum hunc *Judæorum* Regem à *Magis* declaratum, omiſſurum. Ille quinque diebus citiùs quàm pater ejus, extinctus eſt; quod priùs ex *Joſepho* monuimus. Atque ſic tandem juſtiſſima Numinis vindicta & pater & filius ſuo ipſorum capite pœnas luunt, & quos conjunxerat crudelitas, ſupplicium ferè ſimul opprimit peſſundatque. Satis ergo explicantur illa Angeli verba: *Accipe puerulum, & proficiſcere in regionem Iſraëlis: mortui ſunt enim (Herodes & Antipater) qui petebant animam pueruli.*

VERS. 22. *Archelaum regnare in Judæa pro Herode patre ſuo.*

Herodes primò *Antipatrum* regni hæredem conſtituit; mox autem detectâ quam is inierat conjuratione, mutato conſilio ac teſtamento, *Antipam* ejus loco ſubſtituit; poſtremò verò ſibi parùm conſtans *Archelaum* nominat, quem deinde ſucceſſorem habuit.

Erat ejus exitus, ut ſolet eorum qui

Digitized by Google

MATTH. CAP. II. VERS. 22. ſolia occupant humano ſanguine irrigata, ſatis infelix. Poſtquam enim decennium regnaverat, accuſantibus *Judææ Samariæque* Proceribus, regno boniſque eum privavit *Auguſtus*, & *Viennam* in exilium ejecit, *Joſeph. Antiquit.* lib. 17. cap. 8. 9. 10.

MATTH. CAP. II. VERS. 23. Vers. 23. *Fore ut Nazaræus vocaretur.*

Ex *Iſaj.* 11: 1. ubi *Meſſias Nezer* vocatur, quæ eſt & *Surculus* & *Civitas Nazareth:* eodem ergo vocabulo & *Chriſtus* ipſe indicatur, & nativitatis ejus locus.

SECTIO VIII.

D. LUCÆ CAPUT II.

Vers. XL. *Puerulus autem* (a) *creſcebat, & corroborabatur ſpiritu, implebaturque ſapientiâ: & Dei gratia erat ſuper eum.*

XLI. *Ibant verò parentes ejus* (b) *quotannis Hieroſolymam in feſto Paſchæ.*

XLII. *Quum igitur factus eſſet annorum duodecim, ipſique aſcendiſſent Hieroſolymam ſecundùm morem illius feſti,*

XLIII. *Et peregiſſent illius dies, revertentibus ipſis, ſubſtiterat puer Jeſus Hieroſolymis: & hoc neſcivit Joſephus, nec mater ejus.*

XLIV. *Exiſtimantes autem eum eſſe in comitatu, ierunt viam unius diei: & requirebant eum inter cognatos & inter notos.*

XLV. *Et quum eum non inveniſſent, reverſi ſunt Hieroſolymam quærentes eum.*

XLVI. *Et factum eſt triduo poſt, ut invenirent eum in Templo, ſedentem in medio Magiſtrorum, & audientem eos, & eos interrogantem.*

XLVII. *Percellebantur autem omnes qui eum audiebant, ſuper intelligentia & reſponſis ejus.*

XLVIII. *Et eo viſo, facti fuerunt* parentes ejus *attoniti: & dixit ad eum mater ipſius, Fili, cur ita feciſti nobis? Ecce pater tuus & ego anxii quærebamus te.*

XLIX. *Tunc dixit ad eos, Quid eſt quòd quærebatis me?* An *neſciebatis oportere me* (*) *in eis eſſe quæ Patris mei ſunt.*

L. *Sed ipſi non intellexerunt verba quæ ipſis fuerat locutus.*

LI. *Deſcendit autem cum eis, venitque* Nazaretham; *& erat eis ſubjectus. Et mater ejus conſervabat verba hæc omnia in corde ſuo.*

LII. *Jeſus verò proficiebat ſapientiâ & ſtaturâ, ac gratiâ apud Deum & homines.*

(a) *Confer* Exod. 2: 10. & 1 Sam. 2: 26.

(b) Exod. 23: 15, 17.

* *Vel, in domo patris mei.*

Ordinis Ratio.

HUjus Sectionis ordo apertè cum præcedenti Sectione cohæret, ut modò priorem rectè collocari conſtiterit, omnis de hac penitus eximatur ſcrupulus. Cùm enim cæteri omnes *Euangeliſtæ* nihil eorum quæ infante adhuc *Chriſto* gerebantur, meminerint, totumque illud ſpatium à reditu ex Ægypto decimum uſque ætatis annum prorſus omiſerint; nihil profectò uſpiam in Euangeliis reperire eſt, quod inter hanc & præcedentem Sectionem diſponi, noſtrumve ordinem interturbare debeat. Breviter enim quæ *Chriſto* eo temporis intervallo obtigerant, primo hujus Sectionis verſiculo enarrantur. *Puerulus autem creſcebat, & corroborabatur ſpiritu, implebaturque ſapientiâ: & Dei gratia erat ſuper eum.*

Harmonia atque Explicatio.

LUCÆ CAP. II. VERS. 40. Vers. 40. *Puerulus autem creſcebat*, &c.

Bimulus in *Ægyptum* profectus, non diu, forſan haud ultra duos vel tres menſes exul agebat; quemadmodum & *Moſes* pari circi-

Digitized by Google

LUCÆ CAP. II. VERS. 41, 42.

circiter ſpatio intra patris ſui parietes latitabat, fatum ſuum & *Pharaonis* furorem evitans. Poſtquam *Nazaretham* matris urbem reverſus eſſet, & duos annos cum quarta ſuperaverat, nondum tamen, (uti ex more *Hebræorum*, cui eum veriſimile eſt obſecutum fuiſſe, conjectare licet) ablactabatur. Nec interea tam mole corporis, quàm animi robore ac vigore auctum non fuiſſe credo, quod quidem docent ipſa *Euangeliſtæ* verba, *corroborabatur ſpiritu*; *ſpiritu* nimirum, non Sanctum *Dei Spiritum*, (qui proculdubio ſemper aderat) ſed animam humanam, ſpiritualem naturæ noſtræ partem indicante. Binis ergo phraſibus cum in utraque hominis parte incrementum accepiſſe teſtatur Euangeliſta. *Creſcebat* corpore; *corroborabatur* animâ ſive intellectu: *implebaturque ſapientiâ* longè ſupra aliorum infantium ſortem, & ſingularis quædam *venuſtas* tum corporis tum actionum omnium emicabat.

VERS. 41. *Ibant verò parentes ejus Hieroſolymam*, &c.

Joſephus hîc vocatur *Chriſti parens*, uti alibi apud *D. Paulum*, 1 Cor. 1: 21, 23. *prædicatio* verbi *ſtultitia* dicitur, nempe ex communi hominum opinione. Quorſum verò *fœminæ* hoc feſto *Hieroſolymam* petebant, cùm *Lex mares* ſolummodo ter quotannis coram Domino ſiſtendos præceperat, alius erit diſquirendi locus.

VERS. 42. *Quum igitur factus eſſet annorum duodecim.*

Quum Servator noſter ſummam incredibilemque ejus ſapientiam ſtupeſcente Magiſtrorum turbâ, uti narrat Hiſtoria, proferebat; pari ætate erat cum *Solomone*, cùm inter fœminas de mortuo vivoque puerulo litigantes, 1 *Reg*. 3: 25, 28. diremit controverſiam. Illum etenim tunc temporis duodecim annos natum fuiſſe conſtabit ex ſequentibus.

Nam I. triceſimus ſeptimus erat *Davidis* annus, vel ante obitum ejus tertius præterpropter, cùm *Abſalom* plebem ad defectionem primùm ſollicitare cœpit. Quod ex obſcura illa & omnimoda Epocha deſtituta annorum numeratione, 2 *Sam*. 15: 7. erui poteſt. *Tandem fuit, exactis quadraginta annis, ut diceret Abſchalom Regi, Abeam, quæſo*, &c. Quadraginta anni hîc memorati ex tempore quo primùm populus Regem petiit numerantur, tres nimirum *Saulis*, 1 *Sam*. 13: 1. & *Davidis* 37.

LUCÆ CAP. II. VERS. 42, 43.

complectentes. Quibus demum exactis, *Abſchalom* regnum vendicabat. Unde obiter annotari lubet, nimium illud Regis habendi deſiderium Deo quidem inviſum, populo etiam infauſtum fuiſſe, atque aptiſſimo ſupplicii genere caſtigatum. Diſtrahebatur etenim populus anceps utrum è duobus ſequeretur, multorumque ſtrages perduellis partes oppreſſit.

II. Notandum *Abſchalom* integrum biennium *Hieroſolymis* è conſpectu patris ſemotum manſiſſe, priùs quàm apertè defecit, 2 *Sam*. 14: 29.

III. Illum per triennium *Geſchuris* exulaſſe, antequam *Hieroſolymas* adventabat, 2 *Sam*. 13: 38.

IV. Biennium interceſſiſſe *Thamaris* ſtuprum, & *Amnonis* cædem exilii cauſam, 2 *Sam*. 13: 23.

Quibus conjunctis annis, liquet abundè decennium ad minimum effluxiſſe inter *Thamaris* ſtuprum & *Davidis* obitum, totidemque proinde monſtrantur anni *Solomonis* nati.

Quinimo aliqua, nec exigua, temporis intervalla per diverſas hujus hiſtoriæ diſtinctiones: e. g. à nato *Solomone* ad *Thamaram* violatam, ab *Abſalome* ad patris conſpectum introducto, ad eundem bellum civile molientem, aut apertè inferentem; (nec diſpar eſt ratio plurium haud abſimilium Periodorum) aliquod, inquam, non exiguum tempus elapſum fuiſſe, nemo qui res accuratè perpenderit ibit inficias. Cæterum, quantum illud fuerit curioſè definire, ardua res eſt; ut etiam de Servatoris noſtri ætate, quum inter Magiſtros diſputaret, exactè ſtatuere, fere impoſſibilis. Tametſi enim *Euangeliſta* eum tunc temporis duodecim annorum fuiſſe referat, ambigitur tamen, utrùm de integris an currentibus loquatur. Certo certius eſt iſti numero ſex integros menſes aut defuiſſe, aut ſuperfuiſſe: natus etenim menſe *Septembri*, diſputavit in *feſto Paſchatis*, id eſt, *Martio*, vel *Aprili*. Sic etiam cùm *Solomonem*, dum inter litigantes hoſpitas dijudicaret, duodecim annos natum dicimus, de minutiis temporis nolumus intelligi, nec opus eſt accuratâ ſupputatione, quandoquidem ad iſtum numerum prope accedat textus. Vide *Ignat. Martyr.* in *Epiſt.* ad *Magneſ.*

VERS. 43. *Subſtiterat puer Jeſus Hieroſolymis: & hoc neſcivit Joſephus, nec mater ejus.*

Solenne erat manè domum reverſuris, ad

LUCÆ CAP. II. VERS. 43.

ad Templum accedentes Dominum venerari, 1 *Sam.* 1:19. Quanta autem illa erat turba, cùm *mares* ad unum omnes, *fœminæque* quamplurimæ iſti ſolennitati intereſſe ſolebant! Veriſimile ergo eſt, quòd cum à Templo deceſſerant iter ſtatim ſuſcepturi, *Joſephus* & *Maria*, reliquaque quæ unà ibat Galilæorum turma, ſubſtiterit *Jeſus* in Atrio Templi, quod etiam frequentare ſolet, donec à parentibus inventus erat. Quandoquidem verò, quod vix quiſquam dubitaverit, ille pro puerorum indole parentes ſubinde relinquere, & diverſis cœtibus hominum per ſolennem iſtam ſeptimanam ſe immiſcuiſſe potuit; haud mirum eſt ſi parentes inter medios amicos minùs ſolliciti erant, ut in eorum conſpectu unà proficiſceretur ab *Hieroſolymis*. Illi enim nullam omnino ſubſiſtendi cauſam ſuſpicati, facilè crediderunt inter familiares ſuos in tanta multitudine non paucos verſatum, etiam extra eorum conſpectum tutum fore. Imò verò de hoc uſque adeo perſuaſi erant, ut cùm primùm eum quærere inceperint, eum *Hieroſolymis* commoratum fuiſſe nequaquam ſuſpicantes, amicos ſuos & cognatos qui unà in via erant, (de his enim intelligenda ſunt verba illa) de puero interrogabant; donec exacto primi diei itinere, fruſtrà eum etiam in hoſpitio quærendo, mutato conſilio *Hieroſolymas* eundem quæſitum poſtridie revertuntur.

Nonnulli ſentiunt moris fuiſſe ut in tanta multitudine ſtatis his ſolennibus *Hieroſolymas* inviſente, viri ſeorſim à fœminis diſtinctâ catervâ iter fecerint: liberos, vel in fœmineo agmine matribus ſe adjunxiſſe, vel patribus inter viros pro lubitu ſuo, vel nunc his, nunc illis adhæſiſſe exiſtimantes. Hinc *Joſephus* puerum cum matre fuiſſe ratus, *Maria* autem cum patre, uterque parens cum peracto itinere eum nuſquam in hoſpitio compererint, ſe falſos fuiſſe demum agnoſcebant. Quæ ſententia, ſiquidem certa eſſet, ut eſt admodum dubia, cum ipſo textu parùm aptè quadrare videtur: inde enim liquet, utrumque ſimul abſentiam pueri obſervaſſe, idque ſtatim ab ingreſſo itinere, priuſquam ad hoſpitium deventum erat. Nec propterea reditum ad *Hieroſolymas* cogitabant, quippe qui ægrè inducebant animos, ut crederent velle eum ibi ſubſiſtere, cùm cæteros omnes itineri ſe parantes cerneret domum reverſuros. Hinc ergo aſſidua per omnes cœtus percontatio, edocuit tandem illum ad hoſpitium ab amicorum nullo deductum fuiſſe.

LUCÆ CAP. II. VERS. 46.

VERS. 46. *Et factum eſt triduo poſt, ut invenirent eum in Templo.*

Tertio nimirum die ex quò ſe ſurripuerat, dum parentes valedictoria ſacra peragebant. Primo die cum cæteris itinerabantur, ſecundo *Hieroſolymas* repetebant, tertio inveniebant quæſitum *Jeſum*.

In Templo, ſedentem in medio Magiſtrorum.] Confer *Pſalm.* 82:1. *Hag.* 2:7. *Mal.* 3:1, 2. Magnus ille Judicum Doctorumque Senatus, *Sanedrim* dictus, in Atrio Templi ſolet haberi. Quod obſervavit *R. Solom.* ex connexione viceſimi primi Capitis Exodi cum viceſimo. Exit viceſimum his verbis: *Quòd ſi altare ex lapidibus facies mihi*, &c. deinde incipit viceſimum primum: *Hæc autem ſunt judicialia*, &c. hinc colligit *Judices* in Sanctuario conſidere debuiſſe. In eandem ſententiam, at longè copioſiùs, dicit *Maimonides. Sanedrim*, inquit, *in Sanctuario ſedebat. Erat Senatorum numerus* 71. *quemadmodum dicitur, Collige mihi ſeptuaginta viros ex Senioribus Iſraël. His præfuit* Moſes, *juxta quod dicitur, Atque ibi ſtent illi tecum: en* 71. *Horum ſapientiſſimum cæteris præficiebant, eratque ille Caput Curiæ, atque Sapientes illum* Naſi *(Principem) appellant, occupatque ille* Moſis *locum: eminentiſſimum autem inter* 70. *reliquos primo proximum ſtatuunt, & dexter illi aſſidet, vocaturque* Abbeth Din, *ſive Pater Curiæ: qui ſuperſunt ex* 70. *ante horum faciem ſedes habent, quiſque pro ſua dignitate*, &c. *Sedent autem in area quaſi in circulo, ut* Naſi *atque* Abbi Din *ſimul omnes intueri queant. Quin & binæ aliæ conſtituebantur Curiæ, quarum utrinſque Judices erant viginti tres: altera ad portam Atrii, altera verò ad portam Montis Domûs. Maimonid. in Sanedr. per.* 1. 5. In utram harum, ſive eam quæ ad exteriorem, ſive quæ ad interiorem portam habita eſt, Curiam Salvator noſter ſe contulerit, ambigi poteſt; quandoquidem, ut ut in alterutra fuerit, in Templo fuiſſe meritò reputetur.

SEC-

SECTIO IX.

Miniſterium Joannis Baptiſtæ erat Euangelii principium.

MATTHÆI CAP. III.

VERS. I. *Temporibus autem illis adfuit Joannes Baptiſta, prædicans in deſerto Judææ,*

II. *Dicenſque, Reſipiſcite: appropinquavit enim regnum cælorum.*

III. *Nam hic eſt ille de quo dictum eſt per Eſajam Prophetam dicentem, Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, complanate ſemitas ejus.*

IV. *Ipſe verò Joannes habebat* (f) *veſtimentum ſuum è pilis camelinis, zonam coriaceam circum* (g) *lumbos ſuos, alimentum autem ejus* (h) *erat locuſtæ &* (i) *mel agreſte.*

MARCI CAP. I.

VERS. I. *Principium Euangelii Jeſu Chriſti Filii Dei,*

II. *Ut ſcriptum eſt in Prophetis, Ecce, ego mitto nuncium illum meum ante faciem tuam, qui parabit viam tuam coram te.*

III. *Vox clamantis in deſerto, Parate viam Domini, complanate ſemitas ejus.*

IV. *Baptizabat Joannes in deſerto, & prædicabat baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum.*

V. *Et exibat ad eum omnis Judaica regio ac Hieroſolymitæ, & baptizabantur omnes ab eo in Jordane flumine, confitentes peccata ſua.*

VI. *Indutus autem erat Joannes pilis camelorum, & zonâ coriaceâ circa lumbos ſuos, & edebat locuſtas & mel ſilveſtre.*

LUCÆ CAP. III.

VERS. I. *Anno autem decimo quinto Imperii Tiberii* (a) *Cæſaris,* (b) *Pontio* (c) *Pilato procurante Judæam, Tetrarchâ Galilææ Herode, Philippo autem ipſius fratre Tetrarchâ Ituraæ & Trachonitidis regionis, & Lyſaniâ Abilenes Tetrarchâ,*

II. (d) *Sub Pontificibus Maximis Anna & Cajapha, factum eſt verbum Domini ad Joannem Zachariæ filium, in deſerto.*

III. *Venit igitur in omnem regionem circumjacentem Jordani, prædicans baptiſmum reſipiſcentiæ ad remiſſionem peccatorum:*

IV. *Ut ſcriptum eſt in libro ſermonum Eſajæ Prophetæ dicentis,* (e) *Vox vociferantis in deſerto, Parate viam Domini, complanate ſemitas ejus.*

V. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis deprimetur, & quæ curva ſunt fient recta, & aſperæ viæ fient planæ:*

VI. *Videbitque omnis caro ſalutem Dei.*

(a) Vocabatur *Claudius Tiberius Nero*, atque propter vitæ improbitatem atque intemperantiam, *Caldius Biberius Mero*, Suet. in Tib. cap. 42.

(b) Uſitatum inter Romanos prænomen: ſic *Pontius Nigrinus*, Dion. lib. 58. *Pontius Fregellanus*, Tacit. Annal. lib. 6. & *Pontia*, id. ibid.

(c) A *Pilo telo Romano*, vel à Pila, id eſt, columnâ.

(d) *Annas* eſt apud *Joſephum Ananus*.

(e) Non quaſi *Chriſtus* præco eſſet, & *Joannes* vox ejus, uti nonnullis viſum eſt; ſed *Joannes* ipſe præco eſt, & *vox* ejus prædicandi actio.

(f) Veſtimentum hirſutum quidem, attamen quali Propheta olim induebatur, *Zach.* 13: 4.

(g) Vide *Eliam* ſimiliter veſtitum, 2 *Reg.* 1: 8.

(h) Eſca munda, *Levit.* 11: 22.

(i) Mel foras in agris repertum, ut *Deuter.* 32: 13. *Judic.* 14: 8. 1 *Sam.* 14: 26.

MATTHÆI CAP. III.

V. *Tunc exivit ad eum Hieroſolyma, & tota Judæa, totaque regio circumjacens Jordani:*

VI. *Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata ſua.*

VII. *Quum vidiſſet autem multos ex Phariſæis & Sadducæis venientes ad baptiſmum ſuum, dixit eis, Progenies viperarum, quis vobis præmonſtravit ut fugeretis à futura ira?*

VIII. *Ferte igitur fructus convenientes reſipiſcentiæ.*

IX. *Et ne putate vobis dicendum apud vos ipſos, Patrem habemus Abrahamum: dico enim vobis, Deum poſſe etiam ex lapidibus iſtis excitare liberos Abrahamo.*

X. *Jam verò etiam* (k) *ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis igitur arbor non ferens fructum bonum, exciditur, & in ignem abjicitur.*

LUCÆ CAP. III.

VII. *Dicebat igitur turbæ venienti ut baptizaretur ab ipſo, Progenies viperarum, quis præmonſtravit vobis ut fugeretis à futura ira?*

VIII. *Ferte igitur fructus convenientes reſipiſcentiæ. Et ne cœperitis dicere apud vos ipſos, Patrem habemus Abrahamum: dico enim vobis, poſſe Deum etiam ex lapidibus iſtis excitare liberos Abrahamo.*

IX. *Jam etiam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis ergo arbor non ferens fructum bonum, exciditur, & in ignem abjicitur.*

X. *Et interrogavit eum turba, dicens, Quid igitur faciemus?*

XI. *Reſpondens autem, dixit eis, Qui habet* (l) *duas tunicas, impertiat non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat.*

XII. *Venerunt autem publicani ut baptizarentur, & dixerunt ei, Magiſter, quid faciemus?*

XIII. *Ipſe verò dixit eis, Nihil ampliùs quàm quod conſtitutum eſt vobis, exigite.*

XIV. *Interrogarunt autem eum etiam milites, dicentes, Et nos, quid faciemus? Et ait eis, Neminem concutite, neque* (m) *dolo opprimite, & contenti eſtote* (n) *ſtipendiis veſtris.*

XV. *Expectante autem populo, & cogitantibus omnibus in cordibus ſuis de Joanne, numnam ipſe eſſet Chriſtus ille,*

(k) Vox eadem occurrit apud LXX. *Pſalm.* 74: 5. *Judic.* 9: 48. 1 *Sam.* 13: 20. Vox נרגא quam habet *Syrus*, occurrit etiam in *Paraphr. Chaldaic.* ad *Job.* 24: 20. qui eſt in Anglica Verſione verſus viceſimus nonus.

(l) Χιτών. *Ionicè* κιθών ex *Hebr.* כתנת, propriè veſtem exteriorem indicat, ut apud LXX. *Geneſ.* 37: 30. *Matth.* 5: 40. *Athen. Deipnoſ.* lib. 1. *Tellias* dedit 500. equitibus χιτῶνα καὶ ἱμάτιον, Tunicam exteriorem & interiorem.

(m) Συκοφαντήσητε. *Iſter* in *Atticis*, ſic ait. *Non licebat ficos in Attica creſcentes aliàs deportare, quò ſoli incolæ eis perfruerentur. Quandoquidem verò plurimi comperti erant qui eas ſolebant ſuffurari, qui fures iſtos ad Magiſtratum detulerunt primùm vocabantur* Sycophantæ, *Athen. Deipnoſ.* lib. 3. Ac primò quidem optimus quiſque atque illibatæ famæ huic exportationi impediendæ providebat: poſtea verò propter authoritatis abuſum, nomen ipſum ubique malè audiebat, *Id. ibid.* ac proinde *Sycophanta* fere idem eſſet ac vitilitigator. *Sycophantarum mos eſt primùm de altero malè dicere, & quaſi clam vituperare, eum nempe in finem ut qui audierit, eadem dicere provocetur, quem deinde ipſi accuſabunt; abſque periculo quidem, quia inſidioſè iſta faciunt.* Dio. Caſſ. lib. 58.

(n) *Opſonium*, vox Latina, ideo in Græco textu poni videtur, quia cum milite *Romano* ſermo erat, atque iſta propterea vox iis familiaris. *Cajus pandria cum opſonio viritim dedit*. *Sueton.* in *Cajo*, cap. 18. Iterum occurrit *Rom.* 6: 23.

Digitized by

MATTHÆI CAP. III.

XI. *Ego quidem baptizo vos aquâ ad reſipiſcentiam: is verò qui pone me venit, validior me eſt, cujus non ſum dignus qui ſoleas portem; ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto & igne.*

XII. *Cujus ventilabrum eſt in manu ſua, & qui perpurgabit aream ſuam, & coget triticum ſuum in horreum; paleam autem exuret igni inextincto.*

MARCI CAP. I.

VII. *Et prædicabat, dicens, Venit pone me qui validior me eſt, cujus non ſum dignus qui incurvatus ſolvam corrigiam ſolearum.*

VIII. *Ego quidem baptizavi vos aquâ: ipſe verò baptizabit vos Spiritu Sancto.*

LUCÆ CAP. III.

XVI. *Reſpondit Joannes, dicens omnibus, Ego quidem baptizo vos aquâ: ſed venit qui validior me eſt, cujus non ſum dignus qui ſolvam corrigiam ſolearum: ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto & igne.*

XVII. *Cujus ventilabrum in manu ipſius, & qui perpurgabit aream ſuam, & congregabit triticum in horreum ſuum; paleam autem exuret igni inexſtinguibili.*

XVIII. *Multa igitur etiam alia exhortans euangelizabat populo.*

Ratio Ordinis.

QUanquam ſatis amplum temporis ſpatium inter hujus ac præcedentis Sectionis res geſtas elapſum fuerit, tùm nihilominus vel oculatiſſimus Sacrarum Literarum perſcrutator ne verbum quidem de intermediis comperiet apud quemlibet Euangeliſtarum; facilè, opinor, largietur abſque ulteriori probatione, hanc noſtram diſpoſitionem & quod ad rem ſpectat eſſe neceſſariam, & cum præcedentibus aptè cohærere. Nec eſt quod vehementer admiretur Euangeliſtas omnes ea quæ tanto temporis intervallo à Servatore noſtro geri potuerunt, adeo alto ſilentio præteriiſſe: modò obſervet ſedulò *D. Joannis* prædicationem fuiſſe ipſa Euangelii exordia; quod vel prima hujuſce Sectionis verba commonſtrant. Hinc ergo colligere eſt ſacros Scriptores eò potiſſimùm tanquam in ſcopum collimaſſe; niſi quòd properantes ſtitiſſet aliquandiu Servatoris ejuſque prænuncii conceptio ac nativitas, neceſſariò quidem, at quaſi obiter, enarranda; & à primario inſtituto paululùm deflexiſſet.

In his ſimilibuſque, quibus ſubinde utendum eſt parallelis columnis, lectoris oculus ea aliquando componere inter legendum debet, quæ per ſcriptionem minimè conjungi potuerunt abſque audaci nimis ac temerariâ textuum tranſpoſitione. E. gr. hâc ipſâ in Sectione haud magis operoſum fuiſſet tertium *Marci* poſt quartum quintumque ejuſdem Capitis verſiculum collocaſſe, quàm eodem quo eſt ordine tranſcripſiſſe; imò luculentior tùm foret ejus cum iis quæ utrinque habentur convenientia. Attamen religio mihi erat quicquam in ea collocatione, quam haud abſque ratione *D. Marcus* elegerat, temerè immutare, eademque ſemper uti cautelâ mecum deſtinavi; ſatius reputans à lectore expetere ut huic, ſi quis ſit, defectui oculo ſuo ſuccurreret, quàm integros textus è ſedibus ſuis divellere, ut de novo in aliis diſponantur. Fieri profectò nequit quin aliquibus in locis permutandi ſint ac tranſponendi textus. Quotieſcunque verò obtigerit, non diffiteor me iſtiuſmodi rationem prolaturum, quæ & lectori ſcrupulum omnem adimet, & à me crimen amovebit.

Harmonia & Explicatio.

MARCI CAP. 1:1.

Euangelii principium.

ÆTas illa mundi, de qua priſci Vates quaſi uno ore bona omnia prædicabant, hinc exorditur; variis autem titulis inſignitur. Nunc *ultima tempora* audit, *Eſaj.* 2:2. *Mich.* 4:1. *Joel.* 2:28.

Digitized by Google

MARC. CAP. I. VERS. 1.

2:28. Nunc *Annus acceptus Jehovæ*, *Eſaj.* 61: 2. Aliquando *Regnum Dei*, *Dan.* 2: 44. & 7: 14. Aliquando *cœli novi* & *terra nova*, *Eſaj.*65: 17. appellatur. Atque ex ipſius Euangelii computo eadem à miniſterio atque prædicatione *Joannis Baptiſtæ* eſt inchoanda, teſte hoc ipſo verſu, & *Matth.* 11: 12. & *Actor.* 1: 22. & 10: 37. Adeo ut tametſi *Chriſti*, novi illius *Adami*, *nativitas* Epocha ſit Chriſtianis, & tempora computandi initium, uti olim Antiquis erat *mundi creatio*; propriè tamen ac reſtrictiùs loquendo, Ætas Euangelica, quæ eſt quaſi novi mundi creatio, antequam *Joannis* prædicaret baptizaretque, non incipiebat. Cujus miniſterium optimo jure *Principium Euangelii* haberi debet, ſive prædicandi, ſive baptizandi munus reſpiciatur.

Nam I. *Joannis* doctrina, tam quoad modum prædicandi, quàm ſcopum, erat à literali Legis doctrina admodum diverſa. Lex etenim *opera* præcepit perfectamque obedientiam. *Hoc fac, & vives. Maledictus eſt qui omnia hujus Legis verba non præſtiterit.* *Joannes* autem reſipiſcentiam exigit, mentis renovationem, fidemque in eum qui ſequebatur, jubet: omnimodæque ex *operibus* juſtitiæ renuncians, reſipiſcentiam propter violatam Legem prædicat, juſtitiamque per ſolum *Chriſtum* obtinendam. Novi ergo jam facti ſunt cœli, nova terra, novum præceptum, nova Eccleſia, in qua, ademptâ omni ex operibus Legis juſtificatione, glorioſa reſipiſcentiæ doctrina ejus loco ſubſtituitur.

II. Quanquam Baptiſmus pro initiali ritu huc uſque habebatur, quo *Judæi* Proſelytas Ethnicos purgantes, in Eccleſiam ſuam cooptabant: nunc demum ipſos *Judæos* eodem proluendos perhibet *Joannes*, monens nimirum, I. *Judæos* ipſos in novam profeſſionem transferendos eſſe. II. Cùm *Judæos*, tùm Gentes in unum corpus unamque Eccleſiam debere coaleſcere.

Quandoquidem *Joannis* prædicatio tanti momenti erat, Euangelii nempe mundique renovati principium; non eſt quòd miremur, *D. Lucam* eam ex *Imperatoris* anno, *Pilati*, *Herodis*, *Philippi*, *Lyſaniæ*, ac poſtremò Pontificum *Annæ* & *Cajaphæ* notato, accuratè admodum definiviſſe: quò memorabilis iſte annus univerſo orbi innoteſceret, & quiſnam illis temporibus mundi ſtatus eſſet, quæ conditio intelligeretur.

Jeſu Chriſti Filii Dei.] *Chriſtus* prædicandi munus ſuſcepturus, cœlitùs in Baptiſmo ſuo *Filius Dei* appellatur: cui imprimis congruit, ut Euangelium dicatur *Jeſu Chriſti Filii Dei.* Neceſſe autem erat ut hoc de Euangelii Authore declaratum eſſet, I. Quia Euangelium plena & perfecta erat voluntatis Dei Patris manifeſtatio. II. Quia cæremonias rituſque *Moſaicos* tollere debebat. III. Ethnicos atque alienigenas in Eccleſiam intromiſit, quum olim populus Iſraëliticus Dei peculium exiſtimabatur. IV. Quia ſpem ſalutis fidem noſtram non in nobiſmetipſis, ſed in altero collocandam eſſe docuit. Quis autem voluntatem Patris patefacere, ritus *Moſaicos* abolere, & fidem à nobis in ſe, ut in objecto, habendam exigere potuit, præterquam unus *Jeſus Chriſtus Filius Dei*? qui è ſinu Patris profectus, umbrarum ſubſtantia, typorumque antitypus, intergerinum illum parietem quem in Lege ipſe poſuerat, diſjicere potuit, utpote qui non tantùm Euangelium prædicavit, quin & Legem perfectè adimplevit.

MARC. CAP. I. VERS. 2.

VERS. 2. *Ut ſcriptum eſt in Prophetis.*

Ex Verſione *Syriaca*, *Arab. Vulg. Lat.* atque illâ *Victoris Antiocheni* & ex *Origene* apud eum citato, aliiſque, videtur quoſdam codices legiſſe, *Ut ſcriptum eſt in Iſaja Propheta.* Atque ita ab ipſo *Marco* ſcriptum fuiſſe ſentit *Janſenius*, & ab Eccleſiæ Doctoribus propter nonnullas quibus laborabat difficultates, poſtmodum fuiſſe commutatum.

At verò I. audax profectò facinus ac impium eſt, quanquam forſan ad dubia tollenda ſatis expeditum, textui pro lubitu addere vel detrahere, prout magis aut minùs difficilis videbitur: quod non eſt SS. Biblia exponere, ſed nova cudere, & fingendo corrumpere.

II. Jam olim à priſcis temporibus legebatur *in Prophetis*, uti nos hodie habemus, longè priùs quàm voces iſtæ *in Iſaja* irrepſerant. Quod probat ipſe *Janſenius* ex *Irenæo*, lib. 3. cap. 11.

III. Alterum ſententiæ membrum (& primùm quidem, quod hoc in caſu aliquid ponderis habet) non in *Iſaja*, ſed in *Malachia* Propheta reperitur. Quanquam enim in N. Teſtamento ea quæ ex V. Teſtamento citantur loca aliquando adeo arctè connectantur, ut tametſi revera diverſi ſint textus, non ita videantur; ea tamen ubique ſervatur ratio, ut prius membrum ſemper ad iſtum locum pertineat unde integra ſententia deſumi videbatur. Sic *Actor.* 7: 7. facilè ſuſpicaretur lector, il-

illud

Digitized by Google

MARC. CAP. I. VERS. 2. lud Dei effatum quod allegat *Stephanus* ſoli *Abrahamo* fuiſſe prolatum : cùm revera duplex eſt Dei eloquium ſimul conjunctum : quorum unum *Abrahamo*, alterum verò *Moſi* fere poſt 400. annos tradebatur. Quoniam autem de *Abrahamo* ſermo erat, ideo quòd ad eum pertinebat, prius eſt in citatione.

IV. Non convenit cum N. Teſtamenti idiomate, ut diceretur ſcriptum eſt *in Propheta*, ſed potiùs *per Prophetam*. Legimus quidem, *Scriptum eſt in Lege*, *Luc.* 10: 26. & *Scriptum eſt in libro Pſalmorum*, *Actor.* 1: 20. imò, *Scriptum eſt in Prophetis*, *Joann.* 6: 45. in *plurali* nimirum; at in ſingulari, *in Propheta*, nuſquam reperire eſt.

V. Noſta lectio, *Ut ſcriptum eſt in Prophetis*, optimè quadrat cum uſitatiſſima *Hebræorum* diſtributione V. Teſtamenti in אנך ſive *Orajetha*, *Nebyim*, *Chetubbim*, in *Legem*, *Prophetas*, & *Hagiographa*: quam quidem ut olim approbavit Servator noſter, *Luc.* 24: 44. ita ad eandem Euangeliſta videtur reſpexiſſe.

Ante faciem tuam, &c. *viam tuam coram te.*] Prior clauſula nec in *Hebræo* codice habetur, nec apud LXX. poſterior in utroque, at longè aliter quàm citatur: nam uterque legit *coram me.*

Primò autem notandum, *Euangeliſtas* atque *Apoſtolos* in citationibus ſuis ex V. Teſtamento non de vocum minutiis aut literarum apicibus adeo ſolicitos eſſe, quàm de mente ac medullâ loci quem producunt: cujus rei occurrunt quamplurima documenta. Hinc ergo liquet, exiguam in voculis diſcrepantiam ſenſum haudquaquam impeditum reddere. Hîc verò duæ perſonæ in particulis *me* & *te* directè opponuntur.

Secundò, elucet ſæpenumero SS. Scripturarum majeſtas, ex eo quòd loca ſubinde alleget & verbis & ſenſu nonnunquam immutata, imò contraria: at non eo conſilio ut fidem authoritatemque tolleret mutuò illa varietas, ſed potiùs ut ſibi invicem interpretes ſint textus diſcrepantes; id quod ex parallelis V. & N. Teſtamenti locis fuſiùs oſtendi queat, ut *Geneſ.* 10: 22, 23. citat. 1 *Paralip.* 1: 17. *Geneſ.* 36: 12. collat. cum 1 *Paralip.* 1: 36. 1 *Sam.* 25: 44. parall. 2 *Sam.* 21: 8. 2 *Paralip.* 3: 15. cum *Jerem.* 52: 21. aliiſque id genus quamplurimis, ubi quod ſcriptum erat, ſenſus vocumque varietate ipſe Spiritus S. explicat illuſtratque. Nec minor elucet in N. Teſtamento majeſtas, ſive loca ejus parallela ſpectemus, ſive ex V. Teſtamento allegata. Quod enim *Malachias*, *ante faciem meam* habeat, *D. Marcus* verò *tuam*, non ſibi invicem contradicunt, ſed potiùs alter alterius ſenſum illuſtrat, & uterque latens aliquod myſterium videtur ſubinnuere. Chriſtus enim, uti revera eſt, appellatur, *Exod.* 33: 14. *Facies Patris*; Paterque in Chriſto ſemetipſum hominibus conſpiciendum exhibuit: atque cùm in Propheta, tum in Euangeliſta, verba quæ nunc tractamus, quaſi à Patre prolata eſſent, ſunt intelligenda; perinde ac ſi ſemel *de Filio* dicta fuiſſent, mox verò *ad eundem.* Sic ergo *Malachias*, Ecce mitto nuncium meum qui parabit viam ante *faciem meam*, id eſt, ante Filium in natura ſua divina ſpectatum, *effulgentiam gloriæ Patris & characterem perſonæ ejus*, *Hebr.* 1: 3. *Marcus* autem ſic, Qui parabit viam ante *faciem tuam*; nempe tuam, ô Fili, qui homines redempturus es, & prædicaturus Euangelium. Eſt autem hujuſmodi perſonarum permutatio in *Hebræorum* eloquentia & Rhetorica perquam uſitata, ut 1 *Sam.* 2: 1, 2. Cor meum exultat *in Jehova*. Lætor de *ſalute tua*. Nullus eſt ſanctus ut *Jehova*; nam nullus eſt præter *te*, *Zachar.* 12: 10. Et aſpicient *ad me* quem confixerunt, & plangent *eum* planctu, &c. *Vulg.* & *Cap.* 14: 5. Veniet *Dominus Deus meus*, & omnes Sancti *tecum*, *Angl.*

LUCÆ 3: 1. *Anno autem decimo quinto Imperii Tiberii Cæſaris.* LUCÆ CAP. III. VERS. 1.

Tiberius matrem habuit *Liviam*, uxorem *Auguſti*, à quo in *Cæſarum* familiam adoptatus Imperium accepit. Homo ſupra omnes quos memorant Annales vafer, crudelis, avarus, & fœdè libidinoſus, quaſi ex hujus indole jam tùm ominari liceret, quid à feroci & ſceleratâ urbe futuris per omne ævum Chriſtianis ſperandum eſſet. Tiberii annus decimus quintus cum A. M. 3957. coincidit. *Joannes* circa feſtum Paſchatis, id eſt, vernum Æquinoctium baptizandi munus occœpit exercere, uti ex baptizato Servatore conjectamus. Nam ſi *Jeſus* in menſe *Tiſri* ſive Septembre tingebatur, (quod infra demonſtrabitur) annum tùm agens ex Legis præſcripto, *Numer.* 4. triceſimum: & ſi *Joannes Chriſto* ſex menſibus ſenior munus ſuum anno itidem ætatis ſuæ triceſimo auſpicabatur; ultro ſequitur eum memorato tempore prædicationem incepiſſe. Erat quidem Tiberii decimus quintus cùm primùm *Joannes* baptizabat: at verò utrùm ante iſtius anni exitum Salvator noſter baptizatus fuerit, necne, meritò dubitemus:

 erat

LUCÆ CAP. III. VERS. 1.

erat etenim initium anni *Tiberii* à 14. Kal. Septembris, ſive *Auguſti* menſis decimo octavo die, quo è vita exceſſit *Auguſtus*, ſupputandum, *Sueton. in Auguſt.* cap. 110. Quandoquidem ergo verno hujus anni tempore, id eſt, excurſo fere dimidio, *Joannes* baptizare incepit, terminabatur annus ante Servatorem baptizatum, & proinde hujus Baptiſmus cum A. M. 3958. coincidet; ineunte anno qui erat *Tiberii* decimus ſextus recenter etiam inchoatus: niſi Imperatoris annum è Januario, ut ſolent annos Conſulares, ſupputare placeat. Cæterum de his nolo litigare, nec communi ſententiæ refragari, quæ *Chriſtum* in *Tiberii* decimo quinto ſacro Baptiſmate prolutum fuiſſe ſtatuit.

Pontio Pilato procurante Judæam.] Vocatur *Procurator Judææ* à *Tacito*, *Annal.* lib. 15. eique labem inurit *Egeſippus*: ait enim, quòd *vir nequam* erat, *& parvi faciens mendacium*, de *Excid. Hieroſ.* lib. 2. cap. 5. Hujus ergo ingenio convenit ſcoptica illa atque irriſoria de veritate quæſtio, *Joann.* 18: 38. *Quid eſt veritas?* Provinciam poſt *Gratum* accepit, magno cum *Judæorum* malo & dolore adminiſtravit, donec à *Vitellio* dejectus *Romam* vocabatur ut cauſam diceret, *Joſeph. Antiquit.* lib. 18. cap. 3. 4. 5. *Philo* in *Legatione*.

Tetrarchâ Galilææ Herode.] Erat hic *Antipas Herodis Magni* filius, ex patre nominatus *Herodes*, homo improbus, qui multiplici ſcelere authoritatem ſuam dehoneſtavit: quem demum à nepote ſuo *Herode Agrippâ* atque inceſtuoſâ ejus amaſiâ *Herodiade* accuſatum, *Cajus* in exilium egit; quod infra ſuo in loco uberiùs oſtendetur.

Tetrarchâ.] Nonnulli Græci vocabuli ſignificationi nimis inhærentes, per *Tetrarcham* eum intelligunt qui quartam regni partem moderatur, quia nimirum radix Græca *quatuor* ſignificat. Hinc igitur colligunt *Herodis Magni* regnum quadrifariam ab *Auguſto* diſpertitum fuiſſe, quatuorque ejus filiis diſtributum, *Archelao* nimirum, (quem excepit *Pilatus*) *Herodi Antipæ*, *Philippo* & *Lyſaniæ*. Eidem ſcopulo impingens *Syrus*, ſic vertit: *Dum eſſet Herodes Tetrarcha in Galilæa, & Philippus frater ejus Tetrarcha in Ituria & in regione Trachonitide, & Lyſania Tetrarcha Abilenes:* & *Arabs*, *Herode quartæ partis Præfecto*, *ſcil. Galilææ*; & ſic in reliquis. Sin hæc ſententia ad calculum revocetur, ſequentia ἄτοπα comperientur.

I. Hinc ſequeretur *Tetrarchiam* non ampliùs quàm quartam unius regni partem complecti debere, quum *Plinius* interea lib. 5. cap. 18. *Tetrarchias* memorat regnis non minores, & in regna coactas, cujus exemplum eſt *Trachonitis*. *Intercurrunt*, inquit ille, *cinguntque has urbes Tetrarchiæ regnorum inſtar ſingulæ, & in regna contribuuntur* Trachonitis, Paneas, *in qua* Cæſarea *cum ſupradicto fonte* Abila. Capite etiam 23. *Cœloſyriam* 17. ait habuiſſe *Tetrarchias in regna deſcriptas, barbaris nominibus decem & ſeptem*.

II. Ponit hæc ſententia *Herodis* regnum in *quatuor* partes diviſum, quum tamen ex *Joſepho*, *Antiquit.* lib. 17. conſtat *tres* tantùm pro numero filiorum partes fuiſſe.

III. Ponit etiam *Lyſaniam Herodis* filium fuiſſe, quod falſiſſimum. Veriſimilius ergo eſt *Tetrarcham* in quarto dignitatis ac honoris gradu apud *Romanos* fuiſſe conſtitutum. *Imperator* ſummus omnium Dominus in primo ſtabat; *Proconſul* qui provinciæ præerat, in ſecundo; *Rex* in tertio; & in quarto *Tetrarcha*. Sic *Miſhnch* & *Shaliſh* inter *Hebræos* Regi proximum denotat, vel ab eo tertium.

Philippo autem ipſius fratre Tetrarchâ.] Herodes Antipam *quem regni hæredem deſignaverat, ſed mutato conſilio teſtamentum etiam mutavit*, Tetrarcham Galilææ & Peræ *conſtituit*. Regnum *Archelao largitus*, Trachoniticam, Gauloniticam, Bataneam & Paneada *regiones Tetrarchiæ nomine aſſignavit* Philippo *filio*, *germano fratri* Archelai, *Joſeph. Antiquit.* lib. 17. cap. 10.

Ituræa.] Videtur hæc regio à *Jethure Iſmaëlis* filio, *Geneſ.* 25: 15. cognominata, ſita quidem in *Arabiæ* (a) confiniis, at quaſi pars *Syriæ*, ut hîc ab Euangeliſta, ſic ab aliis ſemper (b) exiſtimata. Has *Tetrarchias* regioneſque hîc memorat Euangeliſta, quoniam *Syria* & *Judæa* una provincia erant, eidemque Proconſuli ſubjectæ. Nempe totam *Canaanem* duplici nomine diſtinxerat, *Galilæâ* & *Judæâ*; *Syriæ* provinciam triplici denotare voluit, *Ituræâ*, *Trachonitide*, atque *Abilene*. Nec incongruè quidem ipſius Euangelii exordium à *Syriæ* Præfecto, non minùs quàm *Judææ*, ſupputat, quum priùs in *Cap.* 2: 1. de Servatoris nativitate agens, etiam à *Syriæ* Præpoſito computandi rationem inierat. Quinimo hæc methodus optimè cum Annalibus *Romanis* conſentit, in quos proculdubio *Syriæ* & *Judææ* unius utique provinciæ, Proconſules ſimul veluti ejuſdem corporis membra referebantur.

(a) Strab. lib. 16.
(b) Plin. lib. 5. cap. 23.

Et Trachonitidis regionis.] Hujus regionis nomen *Straboni* videtur è duobus montibus ſive ſcopulis *Trachones* dictis deſumptum: quos itidem veriſimile eſt ab *Hebræa*

Strabo ubi ſupra. Plin. lib. 5. cap. 18.

Digitized by Google

LUCÆ CAP. III. VERS. 1, 2.

bræa voce כרח *laſſitudo*, nomen mutuaſſe, propter aſcendendi ſuperandique tædium ac difficultatem: de aliis enim *Ituraæ Arabiaque* montibus, quos ſtatim poſt hos memorat, *Strabo* eos ὄρη δύσβατα appellat, ægrè tranſcendendos. *Joſephus* exiſtimat *Uz Arami* filium natu maximum, primum hanc terram incoluiſſe, *Antiquit.* lib. 1. cap. 7. nec multùm refert utrùm natu maximus, ut eſt Joſephi ſententia, fuerit, necne; illud verò notandum potiùs, hanc ipſam *Arami* ſortem fuiſſe, atque intra *Syriæ* fines jacuiſſe, prædatricem quidem *Herodis* ætate, cujus incolæ ex *Damaſcenorum*, qui vicini erant, ſpoliis vitam præcipuè alebant, *Joſeph. Antiquit.* lib. 15. cap. 13.

Lyſania.] Neque *Herodis*, ut aſſerunt nonnulli, neque *Ptolemai Mennai*, quod volunt alii, filius (ſaltem non immediatè) erat *Lyſanias*, ſed *Mennai* pronepos, vel alterius cujuſdam *Mennai* ex eadem familia oriundi: nam tametſi *Joſephus*, *Antiquit.* lib. 14. cap. 23. & *de Bello Jud.* lib. 1. cap. 11. *Lyſaniam* patris ſui *Ptolemai Minnai* ſucceſſorem referat, impoſſibile tamen eſt ut de eodem *Lyſania D. Lucas* hoc in loco loqueretur, quia nimirum inſtigante *Cleopatrâ*, aliquandiu ante natum *Servatorem* interficiebatur, *Joſeph. Antiquit.* lib. 15. cap. 4.

Abilenes.] Regio ex urbe *Abila* nomen accepit: hanc autem in *Cœloſyriâ* ſitam (vel in *Decapoli*, ut habent quidam codices) tradit *Ptolomæus* lib. 5. cap. 15. hoc inſuper adjecto titulo, Ἄβιλα ἐπικληθεῖσα Λυσανίου. Vide etiam *Plin.* lib. 5. cap. 18. Vox hæc adeo affinis eſt *Havilæ*, cujus mentio eſt *Geneſ.* 2: 11. & 10: 7. ut inde primùm natam fuiſſe jure ſuſpicaremur, locique nomen à *Cuſchi* illo filio, qui cum fratribus ſuis ibidem recenſitis *Arabiam* vel vicinam aliquam terram primùm occupabat, ſedemque figebat.

VERS. 2. *Sub Pontificibus Maximis* Anna & Cajaphâ.

Pontifex Maximus propriè dictus nonniſi unus eodem tempore eſſe potuit: eumque tunc temporis *Cajapham* fuiſſe cùm ex *Joſepho*, tùm ex Sacris Scripturis abundè liquet. *Annas* verò ideo Pontifex appellatur, quia *Naſi* erat, ſive Concilii *(Sanhedrim)* Princeps, & *Moſis* ille quidem, quemadmodum *Cajaphas Aaronis*, locum occupabat, necnon ex ſacerdotali proſapia, uti & *Cajaphas*, oriundus. *Annam* autem Senatûs Principem fuiſſe inde probatur, quòd prehenſum *Salvatorem* primò ad *Annam* delatum legimus, *Joann.* 18: 13. atque ab eo vinctum deinde ad *Cajapham* deductum, *verſ.* 24. quin & ubi de Senatu agitur, *Actor.* 4: 6. *Annas* primus omnium nominatur. Cæterum alius erit de eodem loquendi locus, ubi quæ *Joſephus* habet fuſiùs oſtendemus.

LUCÆ CAP. III. VERS. 2.

Factum eſt verbum Domini ad Joannem.] Eodem modo priſci mittebantur vates, *Jerem.* 1: 2. *Ezech.* 6: 1. Hinc itaque *Joannem*, æquè ac illos, Prophetam eſſe, conſtat, Baptiſmumque ab eo plenâ authoritate munito inſtitutum fuiſſe & peractum. Utrùm verò per verbum hoc, *ſubſtantiale* illud & *perſonale*, *Joann.* 1: 1. intelligendum ſit, an potiùs *verbum Prophetiæ* à Spiritu Sancto profectum; atque utrùm per inſomnium, an extaſin, an viſionem, vel quemcunque demum modum revelatum fuerit, ardua magis foret diſquiſitio quàm utilis, certè hoc in argumento parùm neceſſaria. Hoc tamen notare haudquaquam ſupervacaneum: viz. quòd quum jam inde uſque à *Malachia Prophetarum* ordo extinctus eſſet, adeo ut per multos retro annos nemo verbo Domini ita impellente populum inſtituerat; nunc demum inſtaurandus eſſe videretur; *Joanne* nimirum, & *magno illo Prophetâ*, ejuſque *Apoſtolis* prædicandi munus auſpicantibus, à quibus renovatus ordo incipiebat. Aliud enim eſt Sancto *Prophetiæ* Spiritu afflari, aliud verò eodem impellente populum ſolenniter & aſſiduè prædicando inſtituere. Afflabantur enim *Huldah*, *Barac*, *Debora*, *Hanna*, plurimique alii utriuſque ſexûs, nec propterea *Eccleſiæ* inſtructores delegati erant, vel acceperant unquam prædicandi autoritatem. Attamen *Jeremias*, *Eſajas*, *Ezechiel*, reliquique ejuſdem ordinis Prophetæ, non ſolùm afflatum divinum ſentiebant, ſed quoniam *factum eſt ad eos verbum Domini*, ad ſolenne prædicandi munus inaugurabantur: quod deinde eodem adjuvante Spiritu, exercere aſſidui & ſolerter debuerunt. En quid ipſe Euangeliſta de hac *verbi Domini* ad eum acceſſione judicavit, *Joann.* 1: 33. *Miſit me*, inquit, *ut baptizarem aquâ.*

Ad Joannem Zachariæ filium in deſerto.] E Sacerdotibus ſati viri jam facti ſacro miniſterio ſolenniter inaugurari ſolent, nominibus ſuis unà cum patris nomine in Tabulas in Templo repoſitas relatis. Ad hunc ritum *Euangeliſtam* forſan reſpexiſſe veriſimile eſt, quandoquidem de *Joanne* ſacrum munus occupante locutus, eum *filium Zachariæ* fuiſſe tradat. Quanquam enim *Joannes*

Vide Suidam in voce Ἱερεῖς.

Digitized by Google

MATTH. CAP. III. VERS. 1. *annes* deſignatum munus aggreſſurus, Templum, quod fieri mori[ge]rat, non viſebat, quippe qui in *deſerto*, ubi utplurimum degebat, ſingulari planè modo vocabatur: cùm tamen ex more *Judaico*, ſi ad Templum ſe contuliſſet, hac vel conſimili formâ de ſuſcepto ab eo miniſterio teſtatum foret: viz. *Joannes Zachariæ filius hoc vel illo tempore munus ſuum auſpicabatur:* ad hunc, inquam, ritum viſum eſt Spiritui Sancto ſe quaſi conformare, illumque verbis fere iiſdem in Sacerdotum numerum adſcribere, *Factum eſt verbum Domini ad Joannem filium Zachariæ.* Nec diſpar eſt ejuſdem Euangeliſtæ loquendi formula de Servatore noſtro recèns baptizato, munuſque ſuum ineunte.

MATTH. 3: 1. *Prædicans in deſerto Judææ.*

Hoc eſt in oppidis & vicis deſerti: ſimiliter *Joſ.* 15: 61, 62. & 1 *Sam.* 23: 14, 24. quorum aliqua forſan intra *Hebronis* confinia ſita erant, eique ſubjecta: erant enim
* 1 Sam. 2: 3. * plures *Hebronis* civitates. In hac urbe natus eſt *Joannes*.

MARC. CAP. I. VERS. 4. MARC. 1: 4. *Baptizabat Joannes in deſerto.*

Probabile eſt *Joannem* primùm in natali ſuo ſolo prædicaſſe; exinde verò, prout vel occaſio monuerit, vel ſpiritus impulerit, ad alia loca demigraſſe. Et quidem ipſa *Hebron* erat veluti pars deſerti, etiamſi nuſquam in Sacris literis ita appelletur. Et ſi quis verba illa *Lucæ* 1: 80. *Fuitque in deſertis*, &c. de *Hebrone* interpretari velit, haberet ſanè quo ſe defendere poſſit. Nos autem, ne quam cavillandi anſam demus, ad ea loca reſtriximus quæ in ipſo textu *deſerta* nuncupantur.

Ut ut verò ſe res habuerit, ſive in *Hebrone* ſive alibi enutritus fuerit *Joannes*, & plerumque verſatus; illud extra dubium eſt, eum prædicationem ſuam exorſum fuiſſe in civitatibus deſerti quæ non procul aberant ab *Hebrone*. Quòd ſi quis etiam eundem ibidem baptizaſſe crediderit, nec *Jordanem* petiiſſe, donec ſparſâ ejus per *Hieroſolymas Judæamque* famâ, magnum baptizandorum numerum attraxerat, adeo ut aquæ deſideraretur copia in *Jordane* facillimè comparanda; nihil, quantum ego video, aut hiſtoriæ adverſatur, aut myſterio, nec aliquid *Joanni* inſolens aut novum affigit: nam quòd aliis præterquam *Jordanis* aquis in baptizando uſus fuerit, infra compertum habebimus. Imò verò nihil magis rationi conſentaneum, quàm ut primò in civitatibus oppidiſque baptizaret, uſque dum auctâ Diſcipulorum turbâ ad fluvium ſe conferre neceſſum eſſet. MARC. CAP. I. VERS. 4.

I. Quiſquamne imaginari queat, eum prope *Jordanem* per arva ſolitariè errare velle, ubique prædicare: & non potiùs urbes atque oppida petiiſſe ubi maxima hominum frequentia?

II. Nec majorem rationis ſpeciem habet, ſi quis aſſereret, eum, urbis alicujus incolas qui ſe ei dederant, Baptiſmumque expeterent, aut ad fluvium aliquando longè diſſitum baptizandos deduxiſſe, vel ritum ad tempus diſtuliſſe, donec omnes eò unà convenire poſſent. Fruſtra hoc ſanè & ineptè diceretur, niſi priùs oſtenſum foret, *Jordanis* aquam ſupra omnes ſanctam fuiſſe, & ſolùm ad Baptiſmum deſtinatam: cujus rei falſitatem nos deinceps patefaciemus.

Summam autem hujuſce rei hiſtoriam, quantum ex tribus Euangeliis colligere eſt, ſic paucis accipito. Primò prædicabat in *Judææ* deſerto, oppidis nimirum ac vicis à loco nativitatis ſuæ haud longè diſſitis: quoſcunque autem ad meliorem frugem Baptiſmique deſiderium prædicando adduxerat, eoſdem ibidem baptizavit. Inde verò totam quæ circa *Jordanem* eſt regionem peragravit, & creſcente in dies Diſcipulorum numero, & ſimul accedente ingenti turbâ, in *Jordane* propter aquæ copiam tantæ multitudini neceſſariam, eos omnes baptizavit, *Joann.* 3: 23.

Et prædicabat Baptiſmum reſipiſcentiæ.] Antitheſis quædam eſt inter hunc *Joannis* priſcumque illum Proſelytorum Baptiſmum, & Circumciſionem, quibus in antiquam Eccleſiam cooptari ſolet. Aptè quidem ritus iſti *Circumciſio* audiebant, & *Baptiſmus operum*, (ſive præſtationis) hic verò *Baptiſmus reſipiſcentiæ.* Omnis enim circumciſus *totius Legis ſervandæ debitor* erat, *Gal.* 5: 3. quemadmodum & *Proſelytæ* omnes Baptiſmo initiati. At longè alia eſt hujus, ſive *Joannis* dixeris, ſive *Chriſtianorum*, Baptiſmi natura. Alter enim ad totam Legem obſervandam obligat: alter è contra ad reſipiſcentiam propter Legis ſervandæ impoſſibilitatem, &, ut exutâ propriâ, quæ cèrtè nulla eſt, juſtitiâ, cum Chriſto moriamur exigit, ac in ejus morte ſimus conſepulti. Hinc igitur I. videre eſt quàm aptè hæc *Joannis* prædicatio exordium Euangelii appelletur: primum etenim in Eccleſiam aditum ſub nova hac conditione aperuit. Hinc etiam II. colligimus

Bap-

Digitized by Google

MATTH. CAP. III. VERS. 2.

tiſmum hunc *reſipiſcentiæ* ad infantes quoque pertinere, etiamſi quid ſit reſipiſcentia protinus ignorent: non enim tùm, cùm Sacramentum hoc ſuſcipiunt in limine Eccleſiæ adhuc hærentes neceſſe eſt ut reſipuerint; ſed in futurum obligantur; ut cùm eò uſque adoleverint ut ratione uti valeant, & Sacramenti vim intelligere, tùm quidem antea in Eccleſiam aſciti, ſeriò agant pœnitentiam. Sic etiam cum puerulis circumciſis olim actum: qui etiamſi neque quid Lex eſſet, nedum obedientia conſcirent, ad totam nihilominus Legem ſervandam tenebantur, tùm nempe cùm ætate progredientibus rerum ſcientia ingeniique vigor accedere ſolebant.

MATTH. 3: 2. *Dicenſque, Reſipiſcite, appropinquavit enim Regnum cœlorum.*

Regnum cœlorum phraſis frequens admodum in Euangelio, atque uſitata, ex *Dan.* 2: 44. & 7: 14. petita videtur, & *Chriſti* regnum ſpirituale ſub Euangelio latè propagato cunctiſque gentibus patefacto, denotat. Quanquam latiori ſenſu quamlibet Euangelii prædicationem comprehendat, propriè tamen & reſtrictè de univerſali illa ad omnes Gentes, æquè ac *Judæos*, Euangelicæ doctrinæ prædicatione ſumenda eſt. Id quod cùm ex vocis *cœlorum* ſignificatione demonſtrari queat, tum ex eo quòd dicatur *appropinquare, Matth.* 4: 17. etiam tùm cùm jam publicè prædicari cœperat; quin etiam ex ipſo *Danielis* textu unde hauſta eſt loquendi formula, plurimiſque aliis, ut paſſim, occurrit locis. Uberiorem autem hujus rei explicationem eò uſque differemus, donec favente Deo, ad vexatiſſimum illum locum *Matth.* 16: 19. *Dabo tibi claves Regni cœlorum*, deventum fuerit. Ubi, quantum ego intelligo, *Chriſtus Petro* prædixit, illi in provinciam datum eſſe, ut primus omnium Gentibus fidei myſterium aperiret, ut *Actor.* 15: 7. & 10.

Quum ergo *Regnum cœlorum* non ſimplicem prædicationem indicet, verùm etiam *Gentes* oblatum Euangelium amplexuras, hoc certè *Judæos* ad reſipiſcentiam vehementer impuliſſe debuerat, poſt vocatas utique Gentes ilico, niſi reſipuerint, abjiciendos, *Deuter.* 32: 21.

Ante Chriſti adventum quatuor illa à *Daniele* in locis citatis memorata Imperia crudeliter & pro arbitrio ſuo latè per orbem terrarum dominabantur. His autem everſis adventante *Chriſto*, novum erigitur Regnum, in quo ſceptro ſuo juſtitiæ, verbo ac ſpiritu univerſæ Gentes regebantur. Ante ejus adventum etiam Eccleſia rerum terreſtrium promiſſis ſuffulta, terrenis ritibus obſtructa & intra *Canaanem*, exiguum telluris angulum, concluſa tenebatur: at propagato demum Euangelio, Chriſto terras inviſente, quàm latè protendebantur *Eccleſiæ* fines, vel ad remotiſſimas Gentes, diſſitiſſimoſque quà patet terra populos utcunque linguis aut ſacris disjunctos producti! nec ampliùs terrenis ritibus, ſed cœleſtibus ornata, promiſſiſque ſpiritualibus freta, amplificatur. Utrobique ergo ingens eſt diſcrimen inter cætera illa Regna, atque hoc quod dicitur *Regnum cœlorum.*

LUCÆ CAP. III. VERS. 5.

LUC. 3: 5. *Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis deprimetur.*

Indicant hujuſmodi phraſes aliunde mutuatæ obices omnes atque impedimenta penitus ſemotum iri, quò facilis eſſet ad Chriſtum aditus, & complanata ad Euangelicam obedientiam via. Inolevit jam olim apud *Judæos* opinio, directricem illam populi, dum in eremo agebat, *nubem* hæc omnia propriè atque abſque figura feciſſe, viz. montes disjeciſſe, & complanaſſe valles, obvia quæque proſtraviſſe, vepres comburendo, ſcopulos perfringendo, atque omnia denique tollendo quæ itinerantibus tædium creare poterant, aut viam impeditam reddere.

Nec deſunt qui docent *Jeroboamum*, poſtea quàm vitulos *Danis* & *Bethelis* erexerat, pium quemque *Hieroſolymos* proficiſcentem poſitis inſidiis intercepiſſe: atque huc referunt verba illa *Hoſ.* 5: 1. *O Sacerdotes... Vos domûs Regis... velut laqueus eſtis in Mizpa, & rete expanſum ſuper Thabore*, &c. Si harum opinionum alterutra vera fuiſſet atque indubitata, quàm aptè hæc *Eſajæ* atque *Euangeliſtæ* verba eò reſpexiſſe crederentur. Quandoquidem verò meræ conjecturæ ſint, tutius ſanè judico de mutuatis hujuſmodi phraſibus ſtatuere, quòd oſtendunt ſolummodo omnia cujuſcunque generis obſtacula eſſe amolienda.

MATTH. 3: 6. *Confitentes peccata ſua.* MATTH. CAP. III. VERS. 6.

Deo confitentes, non *Joanni:* impoſſibile enim illud & minimè neceſſarium. Impoſſibile propter maximam baptizandorum frequentiam: & minimè neceſſarium, quandoquidem nec ad Baptiſmum diſponeret, nec ad remiſſionem obtinendam quicquam

quam

Digitized by Google

MATTH. CAP. III. VERS. 7.

quam conferret, quæ patraverant facinora coram recenſere.

Præterea, quæ hìc dicitur confeſſio, Baptiſmum non præceſſit, ſed conſecuta eſt. Nam I. ſi vocem ipſam ad Grammatices examen reducamus, ὁμολογούμενοι, quæ eſt in utroque Euangelio, quibus hæc res tractatur, non implicat eos confeſſos fuiſſe priuſquam ad Baptiſmum acceſſerant, tùm enim dicendum foret ὁμολογησάμενοι.

II. Cum ipſius Baptiſmi fine ac doctrina quadrabat magis confeſſionem poſt, quàm ante Baptiſmum fieri: baptizabantur enim *ut reſipiſcerent*, non *è contra*. Sacramentum ad reſipiſcentiam ducebat, non vice verſâ: nam ex ipſo ritu nova ad reſipiſcentiam acta eſt obligatio.

III. Veriſimile eſt Servatorem noſtrum ad populi morem hac in re ſe conformaſſe: ille verò cùm primùm à fluvio exceſſit, precationi incubuit; quidni & cæteri ſimiliter recenter loti, pœnitentium ritu peccata ſua confiterentur?

Vers. 7. *Quum vidiſſet autem multos ex Phariſæis & Sadducæis venientes ad Baptiſmum ſuum.*

Phariſæi, *Sadducæi*, & *Eſſeni* tres *Judæorum* Sectæ, *Joſeph. Antiquit.* lib. 13. cap. 9. erant *tres* illi *Paſtores* apud *Zachar.* 11: 8. à Salvatore noſtro excindendi.

Duæ priores erga ſe invicem odio flagrantes, Chriſtoque & Apoſtolis ejus ambæ inimiciſſimæ ſæpe ſæpius in Euangeliis memorantur.

Phariſæorum origo quæ fuit, quæve nominis ratio, haud perinde facile eſt inveſtigare, ac eſt de *Sadducæis* utrumque dicere. Hi enim à *Sadoc* Sectæ authore & *Antigoni* Diſcipulo nomen acceperunt. Sic enim expreſsè docet *Rabb. Nathan*, in *Aboth*, Per. 5. *Antigonus de Socoh eruditionem habuit è Simeone cognomine Juſto. Apopthegma ejus hoc erat: Ne eſtote tanquam ſervi mercedis deſiderio Dominis ſuis miniſtrantes; eſtote verò tanquam ii qui non ob mercedis ſpem, ſed propter inſitum Dei timorem Dominis inſerviunt. Erant hujus Antigoni Diſcipuli duo qui dictata ejus immutarunt, quorum Diſcipuli immutantes pariter quæ edocti erant, ſuos inſtituerunt. Illi poſtea hoc modo docuerunt. Quid Patribus noſtris in mentem venit ut hæc traderent? Num poſſibile eſt operarium toto die laborare, & veſperi mercedem non accipere? Si verò Patres noſtri vitam futuram cognoviſſent mortuorumque reſurrectionem, hoc ſanè modo non docuiſſent. Hi enim à Lege ſeparabant, à quibus bina poſtmodum emanarunt Sectæ*, Sadducæi & Baithuſæani. Sadducæi à Sadoco *dicti*, Baithuſæani à Baithuſo. Sic ille. Erat autem *Antigonus* cujus ſanam doctrinam adeo in ſequiorem ſenſum detorquebant, *Simeonis Juſti* dicti, de quo mox plura dicemus, Diſcipulus.

At quo tempore, quâve occaſione orti ſint *Phariſæi*, aut unde nomen habuerint, nihil fere certi habet, utrùm à *Paroſcho* uno ex populi Ducibus, cùm ex captivitate reverteretur, *Ezr.* 2: 3. nam ad illius vocis normam ac ſonum, horum nomina ſæpiſſime ſcribunt Auctores *Judæi*: an forſan à *Perush*, quod eſt *expoſitio*, propterea quòd Legem per traditiones ſuas interpretari & exponere in ſe ſuſcipiebant: an à *Parush*, quæ eſt *ſeparatio*, quoniam ſe reliquis omnibus ſanctiores arroganter exiſtimantes, à populo quem vilipendebant, ſecernebantur, *Luc.* 18: 9. Quarum *etymologiarum* quælibet ſatis ſpecioſa videtur, etiamſi poſtrema ſit anteferenda, propter ea quæ de ſingularitatis affectatione de iis dicuntur cùm in Sacris Scripturis, tum etiam aliis Scriptoribus quamplurimis: de qua nos etiam plura adjiciemus cùm ad dogmata, geſta, doctrinaſque eorum fuſiùs tractanda deventum fuerit.

De tempore verò quo primùm nata eſt Secta, longè profectò difficilior eſt quæſtio & perobſcura. Sin autem fas ſit quid ſentiam apertè effari, mihi *Sadducæis*, nec multò tamen, antiquiores eſſe videntur, dictumque illud *Malachiæ*, (expirante jam tùm Prophetâ & Prophetico Spiritu) *Cap.* 4: 4. *Recordamini Legis Moſis*; & *Phariſæis* originem dediſſe & *Sadducæis* opinionum ſuarum firmamentum. Quum enim ſub exitu Spiritûs Prophetici Deus O. M. de ſe & voluntate ejus omnia plenariè patefecerat, nec quicquam adjicere voluit, nec vates ampliùs inflare; populum ſuum ad *Legem* remittit, illamque ſolam fidei morumque normam deinceps futuram aſſiduè addiſcere cohortatur. Hinc genus quoddam hominum idoneam arripiunt traditiones ſuas atque interpretamenta venditandi occaſionem, quæ à *Moſe* longâ ſerie ac non interruptâ defluxiſſe comminiſcentes, obtrudunt populo: & uti olim Prophetæ, dum nondum ſublatus eſſet è terris Prophetiæ Spiritus, Legem interpretari ſolebant, plebemque erudire, ſacro afflatu agitati; ita extinctâ demum Prophetarum claſſe, hoc hominum genus *Moſem* pariter illuſtrare volunt, methodo quidem, uti gloriabantur, non minùs authoritatâ, quàm ſi reſuſcitati

Digitized by Google

MATTH. CAP. III. VERS. 7.

ſuſcitati loquerentur Prophetæ. *Eſt enim hoc*, inquiunt, *ipſius Dei in ſuam Legem gloſſema, quod Moſem ipſum edocebat dum una erat in monte; hoc idem Moſes Joſua tradidit, Joſua Senioribus; quod itidem Eli à Senioribus accepit & Phinea, ab Eli Samuel, à Samuele David, à Davide Abijah Shilonita, ab Abijah Elijah, ab Elijah Eliſha, ab Eliſha Jehojada, à Jehojada Zacharias, à Zacharia Hoſea, ab Hoſea Amos, ab Amoſo Iſajas, ab Iſaja Micah, & à Micah Joel, à Joele Nahum, à Nahume Habaccuc, ab Habaccuc Zephanias, à Zephania Jeremias, à Jeremia Baruch, à Barucho Ezra ejuſque ſchola. Schola Ezræ dicebatur viri magnæ Synagogæ, erantque Haggæus, Zacharias, Malachias, Daniel, Hananias, Michael, Azarias, Nehemias, Mordocæus, Bilsha, Zerubbabel, plurimique viri ſapientes numero* 120. *Ultimus erat Simeon Juſtus dictus, eratque unus è* 120. *Ezraque in Pontificatu ſucceſſit.* Vide *Rambam in Miſh.* Tom. 1. ſtatim ab initio.

In illo temporis intervallo quod inter *Zerubbabelis, Nehemiæ, Mordocæi* aliorumque piorum ætatem quorum nomina in Sacris Annalibus memorantur, effluxit, uſque ad *Simeonem Juſtum*, *Phariſæorum* Secta mihi videtur primùm exorta, ætate nimirum traditionibus admittendis admodum accommodatâ: non erat exigua temporis portio ab *Ezra*, uſque ad *Simeonis* ætatem; quod abundè, ſiquidem opus eſſet, ex particulari enumeratione commonſtrari poſſit. Erat inſuper occaſio & veluti fundamentum quoddam traditiones introducendi celebre illud magnæ *Synagogæ* dictatum, *in Pirk. Aboth*, per. 1. *Tria dixerunt viri Synagogæ: Eſtote in judicio cauti: Ut magna ſit eruditorum copia curate: Legem ſepe munite.* Noviſſimum hoc de *Lege ſepe*, id eſt, juſtà ſtatâque expoſitione muniendâ præceptum introduxit firmavitque quæ deinde adjiciebantur interpretamenta ac traditiones: facilè enim populo perſuadebant, Legem adeo omnibus communem eſſe, ut fas eſſet cuivis proletario homini eam commentis ſuis temerare, perquam incongruum eſſe & minimè ferendum: quâ opinione ſimul ac populum penitus imbuerant, ſuas ilico quas in promptu habuerunt expoſitiones proferunt, quibus eam quaſi ſepto muniebant, tutamque præſtabant ab omni privata expoſitione.

His autem ſuis gloſſematis duplici prætextu authoritatem conciliabant. I. Strenuè aſſerendo ea uſque à *Moſe* continuatâ ſerie dimanaſſe, juxta Genealogiam nuper à nobis recitatam.

II. Auſteritate vitæ ſeveriſque moribus & fictâ ſingularis pietatis ſpecie, quibus ſe cæteris anteire gloriabantur, & proinde dum à reliqua plebe propter eximiam ſanctitatem ſecernebantur, ſe ſuaque dogmata commendarunt. Hinc illud *Separantium* nomen, hæc prima traditionum initia.

MATTH. CAP. III. VERS. 7.

Et quemadmodum ex illis Prophetæ verbis, *Recordamini Legis Moſis*, *Phariſæi* commenta ſua obtrudendi occaſionem arripuerunt, iiſque & populi utilitatem promoveri, & *Moſis* ipſius honorem conſervari obtenderunt; ſic etiam *Sadducæi* & errorem ſuum confirmandi, eumque latiùs propagandi idoneam nactos eſſe opportunitatem exiſtimabant: quandoquidem in ea Lege, ad quam præcipuè ipſius Spiritûs Sancti juſſu animum advertere monebantur, atque ultra quam nihil omnino pro Canonica Scriptura admittebant, nec de mortuorum reſurrectione, nec de vita futura vel leviſſimam eſſe mentionem acriter contendebant.

Venientes ad Baptiſmum ſuum.] Utcunque *Joannes Sadducæos Phariſæoſque* duriuſculo *viperarum* nomine appellaverit, eos nihilominus à Baptiſmo non repulit; quod ex *Lucæ* ejuſdem rei narratione cum hac *Matthæi* collatâ abundè liquet. Quocirca *Lucæ* illud 7: 30. *Phariſæi verò & Legis Interpretes conſilium Dei aſpernati ſunt adverſus ſemetipſos, non baptizati ab eo*, de quibuſdam, non de omnibus eſt accipiendum.

Progenies viperarum.] Progenies (*Angl.* Generatio) Græc. non γενεὰ, ſed γεννήματα non denotat præſentis ætatis homines, ut alibi ſæpenumero, *Stabit in judicio cum hac generatione. Adultera generatio ſignum quærit*, id eſt, homines hujus ſeculi: quanquam enim & hoc etiam vox ipſa comprehendat, is tamen non eſt primarius Euangeliſtæ ſenſus; aſt eo titulo in Patres ſuos ac Majores pariter ac ipſos invehitur Baptiſta: *viperas enim appellat viperarum prolem:* patrum juxta ac filiorum pravam indolem caſtigans. Hoc autem eo fecit conſilio, ut vaniſſimam illam opinionem, cui confiſi miſerè hallucinabantur, penitus ex eorum animis evelleret: *Se nimirum genuinos fuiſſe Abrahami filios.* Nequaquam, inquit *Joannes*, *Ne putate vobis dicendum apud vos ipſos, Patrem habemus Abrahamum.* Non enim vos eſtis ſemen illud promiſſi, aſt ſerpentinum genus, nequam improborum parentum ſoboles. Nec *Phariſæis* ſolummodo aut *Sadducæis* Gentis iſtius hæreticis hanc labem inurit, quin & univerſæ turbæ, uti

MATTH. CAP. III. VERS. 6. 9.

narratio *D. Lucæ* oſtendit, Baptiſmum poſtulanti. Hinc in ipſo Euangelii limine illuſtrat Euangeliſta primævum illud de mulieris ſemine promiſſum, *Geneſ.*3: 15. dum *Jeſum* enunciat verum eſſe illud ſemen, Gentem verò *Judaicam* ſerpentinam prolem, mulieris ſemen venenoſâ rabie impetentem, & morte malè mulctantem, utcunque ſe ſanctos eſſe *Abrahami* filios faſtuoſè glorientur.

Ejuſdemque rei eos admonet *Servator* ipſe, eodem titulo compellans homines, *Matth.*12: 34. & 23:33.

Vipera peſſimum eſt ſerpentum genus, maximèque noxium; ſubitaneâ enim morte vulneratos opprimit, *Actor.*28:4,6. Vide *Joann.*20: 16. *Iſaj.* 30:6. & 59: 5. quibus locis phraſis ipſa & epithetum deſumpta videntur. Vide etiam *Iſaj.* 41: 24. juxta not. margin. Verſionis *Angl.* & Gloſſema in *D.Kimchi* in locum.

Ut fugeretis à futura ira.] His verbis ad ultimam V. Teſtamenti clauſulam *Joannes* videtur reſpexiſſe, in qua *Malachias* de Euangelicæ prædicationis initio agens ac de Baptiſta, *Convertet*, inquit, *cor patrum ad filios*, *& cor filiorum ad patres*, *ne veniens percutiam terram anathemate.* En iram illam futuram in ipſorum capita certiſſimè effundendam, ſiquidem Euangelio uſque obniti pergerent, noviſſimo quidem reſipiſcentiæ & converſionis medio. Nec inanis erat interminatio, quum poſt quadraginta circiter annos à *Romanis* mirum in modum vexati perierunt.

Vers. 9. *Ne putate vobis dicendum apud vos ipſos, Patrem habemus Abrahamum.*

Hoc ſæpiſſimè ſolebant jactitare, ut *Joann.* 8: 33. *Paraphr. Chald.* & *R. Solom.* in *Iſaj.*62. Et ex *R.Solomonis* ſententia *Idumæi* etiam gloriabantur quòd eſſent *Abrahamo* ſati non minùs quàm *Judæi.* Sic enim ille *Obadiæ verſ.*3. interpretatur. *Qui habitas in fiſſura petræ. Innititur*, inquit, *baculo Patrum ejus*, *Abrahami & Iſaaci*; *quod tamen ei non prodeſt.*

Etiam ex lapidibus iſtis excitare filios Abrahamo.] Nonnulli, ut *Ignat. Mart.* in *Epiſt.* ad *Magneſ. Clem. Alexandr. Protrept. ad Græc.* aliique hoc per figuram ad Gentes transferunt: *Quorum lapidea ſunt adverſus veritatem corda*, *& qui ſaxa ſtipiteſque cultu proſequuntur*, *ex his poteſt Deus filios Abrahamo excitare.* Veriùs tamen ad literam exponi poteſt ad minuendam ineptam *Judæorum* arrogantiam: q.d. Corruet profectò illud cui vaniſſimi homines innitimini fulcro: non enim ſatis eſt ex *Abrahami* proſapia fuiſſe oriundos; poteſt enim Deus pro immenſa qua eſt poteſtate, meliores quàm vos eſtis, filios vel ex lapidibus *Abrahamo* efformare.

MATTH. CAP. III. VERS. 10.

Vers. 10. *Jam verò etiam ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.*

Sive *illativè* cum *Vet. Lat.* legamus, ut *Jam enim*, &c. ſive *copulativè* cum noſtratibus *Anglis*, ut *Et nunc*; perinde conſtat *argumentum* hic proferri, ſive *rationem* quæ priùs dicta ſunt corroborantem. Ut autem quod res eſt dicam, ita cum trium verſuum præcedentium ſingulis ex æquo convenit, ut difficile ſit dictu ad quemnam potiſſimùm referri debeat. Si enim ad ſeptimum reducatur; adeo apertè monſtrat *iram* certè *futuram*, ut cervicibus etiamnum inhærentem indicet & confeſtim erupturam. *Jam enim ſecuris poſita eſt ad arborum radices.* Octavo connectatur, & quàm aptè quadrat cum metaphora illa de *fructus producendo*, firmatque doctrinam & ſuadet vehementer ex periculo infrugiferis arboribus impendente. *Jam enim ad harum radices poſita eſt ſecuris.* Quòd ſi cum immediatè præcedenti conjungatur, carnalem *Judæorum* ſecuritatem atque arrogantiam validiſſimè atque acriter convellit, hoc modo paraphraſticè. Vos quidem non movent toties denunciatæ Dei minæ, quippe extra periculum ſitos, propterea quòd ex *Abrahami* lumbis profecti ſitis, & ſancto ſtemmate prognati; quod tamen adeo nullum eſt oſtentandi argumentum, ut, volente Deo, vel lapidibus competere poſſit; ex his enim poteſt & Deus filios *Abrahamo* excitare: nec magis firmum eſt adverſus calamitates munimentum. Quapropter cavete, inquam, vobis: *Jam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.*

Quidam per ſecurim intelligunt verbum Dei, aut prædicationem ſive promulgationem Euangelii, ex *Jerem.*23:29. juxta LXX. & ex *Hoſ.* 6: 5. Alii verò *Chriſtum*, cujus duæ ſunt naturæ, Divina & Humana, ut in ſecuri duæ principales partes, ferrum & manubrium. At verò Interpretum pars longè maxima de Dei judiciis ſive inflictionibus dictum accipiunt: quorum ſententia his porrò rationibus ſtatuminatur.

I. Quia in contextu cùm antecedente tum etiam conſequente de judiciis & vindictâ divinâ agitur, ſteriles omnes atque induratos ſtatim oppreſſurâ, ut de *ira futura*, verſ. 7. *in ignem projectione*, *& de igne*

igne

MATTH. CAP. III. VERS. 10. *igne inextinguibili*, *verſ.* 10, 12. Quum ergo ſecuris cædis & ruinæ ſit inſtrumentum, optimè videtur de iſtiuſmodi judicio ſive pœnarum erogatione exponi.

II. Omnino videtur ad *Iſajæ* 10: 33, 34. hic locus referendus. *Ecce*, inquit Propheta, *Dominus Jehova exercituum collocaturus eſt ramum violenter, adeo ut proceri ſtaturâ exſcindantur, & alti deprimantur, & circumputabit perplexa ſylvæ ferro ſuo; denique Libanus ipſe per magnificum caſurus eſt.* Quem locum ut intellexerint priſci *Judæi* de Reipublicæ ſuæ excidio circa *Chriſti* adventum, haud alibi rectiùs quàm ex ſuo ipſorum teſtimonio in *Talmude* ediſcamus, in Tractatu *Beracoth*. *Dum terram fortè arabat Judæus quidam, unus è bobus quos agebat, mugiebat. Inter mugiendum adventum Domini declaravit Arabs illàc præteriens; exaudivit mugitum bovis, dixitque Judæo: O Judæe, dimitte è jugo boves, nec curæ tibi ſint inſtrumenta tua; ſubvertitur enim Sanctuarium veſtrum. Rurſus autem bos mugivit. Tum Arabs: O Judæe, inſit, junge boves, & inſtrumenta tua præpara; nam natus eſt vobis Meſſias, &c. Dixit autem Rabb. Abuni: Ecquid opus eſt hoc ex Arabe didiciſſe? Planiſſimus eſt Iſajæ textus, Libanus cadet per magnificum; & mox ſequitur, Virga pullulabit ex trunco Jeſſæ, & ex ejus radice ſuccreſcet ramus.*

Ad radicem arborum.] Per *radicem arborum* I. intelligere poſſumus *radicem* illam *Jeſſæ*, de qua ex *Iſaj.* 11: 1. nuper diximus. Nulla quibus *Judæi* crebrò vexabantur bella, ſtrages, calamitates, urbium excidia aut captivitates ſtirpem illam *Jeſſæ*, aut ſtemma *Davidicum* unquam valuerunt exterminare: hanc enim adverſus omnia infortunia tutam conſervabat promiſſum de Chriſto inde olim naſcituro, uſque ad impletam promiſſionem & exoptatum Domini adventum. Poſtquam autem diminutæ promiſſi vires, eam poſt præſtationem utique diutiùs tueri non potuerunt, & illa tandem communi fato ſubjicitur atque penitus eradicatur.

II. *Securis jam poſita eſt ad radicem* gloriationis veſtræ atque arrogantiæ: quum enim vos criſtas erigere ſoletis, cæteroſque deſpicatui habere, quòd ex *Abrahamo* prognati eſtis; en inſtat tempus quo parvi pendetur oſtentatum illud privilegium. Nihil intererit ex quo quis ſit natus; ſed quicunque Deo obſecutus fuerit, quâcunque ex Gente ſatus, propitium Numen habebit, dum rejicietur interea nequam & rebellis *Abrahami* progenies. Tanti non eſt quod jactitatis privilegium.

III. *Hieroſolyma* erat quaſi radix totius Gentis, unde *politiæ* religioniſque rationem veluti ſuccum ac vigorem hauriebat. Illa autem jam fere inclinat immiti ſecuri ilico exſcindenda. LUCÆ CAP. III. VERS. 10. 11

IV. Inſtituitur forſan per hanc phraſin comparatio inter ea quæ jam denunciabantur mala, atque ea quæ olim perpeſſi erant. Tunc, ut in captivitate *Babylonica*, pro tempore afflicti, promiſſis nihilominus ſuſtentabantur, nec ita everſa urbs, quin ad patrias ſedes & antiqua jura aliquando redierint; nunc verò acerbiùs urget fatum, æterno excidio deſtinantur, nullo temporis tractu ad priſtinam libertatem reſtituendi.

Quòd ſecuris dicatur *jam poſita* ad radicem arborum, duo videntur ſubindicari; primò, certiſſimum eſſe; ſecundò, etiamnum inſtare eorum excidium: quandoquidem jam tùm *Romani* eos ſubjugaverant, qui urbem Gentemque non ita multò poſt everſuri erant, paratiſſima cædis inſtrumenta.

LUCÆ 3: 10. *Et interrogavit eum turba*, &c.

Verſus 7. cum hoc collatus, oſtendit quæſtionem illam, *Quid igitur faciemus?* ab eiſdem fuiſſe motam quos *Baptiſta* noviſſimè locutus *viperarum progeniem* appellaverat, nempe à *Phariſæis Sadducæiſque* ut ex *Matthæo* liquet, & ſimul promiſcuâ reliquâ multitudine, teſte Lucâ. Quo autem conſilio, quâve mente illud ſciſcitati ſunt, ſive ut iram futuram evitarent, ſive bonorum operum ſtudioſi, utrùm periculi metus, an doctrinæ amor & reverentia quæſtionem extorſerit, *Quid faciemus?* utilitatis parùm habet ſtatuere, difficultatis plurimum. Magis autem è re fore duxi adnotare, quanta erat iſtius doctrinæ efficacia, quæ mentes hominum ab *Abrahami* ſanctitate cui tantoperè fidebant, avertere potuit, aliamque in ſemet ipſis promovendi ſtudium excitare.

VERS. 11. *Qui habet duas tunicas, impertiat non habenti.*

Conſtat ex Euangeliſtæ reſponſo, eos de fructibus illis bonis, quos *verſ.* 8, 9. ab iis exegerat, hìc percontari; adeo ut verbum ποιήσωμεν hoc in loco ad ποιοῦσαν & μὴ ποιοῦν in iſtis verſibus ſit referendum.

In reſponſo autem eleemoſynas & pauperum ſublevationem præcipuè hortatur, non ut his potiùs, quàm aliis officiis pro

 pec-

LUCÆ CAP. III. VERS. 11.

peccatis ſatisfacere poſſent, vel quicquam à Deo promereri, ſed ad alias quamplurimas graviſſimaſque cauſas. Nempe I. propter operis facilitatem, noluit rudiores in ſchola Euangelica tyrones deterrere; quod tamen feciſſet, ſiquidem ſui ipſius abnegationem, mortificationem, patientiam, lætitiamque etiam in mediis perſecutionibus, aliaque hujuſcemodi in limine adhuc hærentibus propoſuiſſet. Ardua hæc ſunt & infantum viribus ægrè uperanda. Attemperat ergo præcepta Diſcipulorum ingenio; non cupit tyrones nimis urgere: quapropter jubet quod à quovis facillimè poſſit, nempe ut ex ſuo penu pauperibus aliquid impertirent.

II. Euangelii indoles miſericordiam, non ſacrificium exigere, *Hoſ.* 6:7. *Matth.* 12:7. quamobrem non præcipit in victimis oblationibuſque comparandis rem profundere, uti Lex poſtulabat, nec ut jejuniis corpus macerarent, ad exemplum multorum ex Diſcipulis ejus. Cæterum ad jucundiora charitatis miſericordiæque opera vocat, inter quæ primas habet ſpectatiſſima, uti eſt, erga indigos munificentia.

III. Hinc etiam plurimarum virtutum experimentum capit: utrùm mundo ſincerè renunciant, ex bonorum libera diſtributione: utrùm per fidem vivant, ex ſuperato paupertatis metu, etiamſi ſua aliis impertiverint: utrùm vicinos ex animo diligant, ex bonorum communicatione: utrùm denique cœleſtia ardenter expetant, ex harum rerum abdicatione, & erecto ad ſuperiora animo, facilè diſcere poteſt & dijudicare.

IV. Probabile eſt etiam inter eos qui in conſpectu erant, hos divites fuiſſe, illos egenos; alios ſplendidè veſtitos, alios pannis & ſquallore obſitos: & proinde pro re nata illum præcepiſſe, ut ſibi mutuò ſuccurrerent tempeſtivâ rerum partitione.

Qui habet duas tunicas.] Non jubet voluntariam omnium abdicationem, ſed eleemoſynam pro rerum copia; non ut tunicam dent indigo, niſi ſuperſit altera quæ proprio tegendo corpori ſufficiat, ex duabus alteram impertiri vult; quo ſenſu & βρώματα, *cibos*, in plurali habet. Non vult ita nudis veſtimenta præbeant, ut ipſi deinde nudi incedant; ut ſic eſurienti ſuccurrere, ut ipſi datori poſtmodum neceſſe ſit oſtiatim emendicare: verùm ut ex ſua affluentia pauperibus quæ neceſſaria ſunt largiantur; primùm ſeipſos ament, deinde proximum tanquam ſeipſos.

LUCÆ CAP. III. VERS. 12.

VERS. 12. *Publicani.*

Publicani primò erant tributorum collectores per provincias *Romanæ* ditioni ſubditas; nec honore munus carebat. *Cicero* enim *M. Varronem Bruto* ſuo commendans, duas cum illo initæ *amicitiæ* rationes profert, *Epiſt. ad Memm.* &c. lib. 13. 10. *Quarum una eſt*, inquit, *quòd verſabatur in hoc ſtudio noſtro, quo etiam nunc maximè delectamur; deinde quòd maturè ſe contulit in ſocietates Publicanorum: quod quidem nollem. Maximis enim damnis affectus eſt: ſed tamen cauſa communis Ordinis mihi commendatiſſimi fecit amicitiam noſtram firmiorem.* Et in Orat. pro *Cn. Plancio. Flos*, inquit, *Equitum Romanorum, ornamentum civitatis, firmamentum Reipublicæ Publicanorum ordine continetur.* Erantque imagines poſitæ *Tit. Veſpaſiano* καλῶς τελωνήσαντι, honoris utique monumentum, *Sueton.* in *vit. Veſpaſiani* ſub initio.

At temopris progreſſu valde immutata erat & muneris & adminiſtrantium indoles. Mox enim cuivis è fæce Romuli elocabantur iſtæ coactiones, annuo reditu conducendæ, adeo ut munus dignitatem protinus omnem amiſit. Hinc qui in Euangelio memorantur Publicani ignominioſâ quâdam notâ ab aliis diſtinguuntur, & ferè ſceleratiſſimis annumerantur peccatoribus.

I. Itaque paſſim malè audiebant propter habendi cupidinem, graviſſimaſque *exactiones*, quæ publicorum munerum elocationem utplurimum conſequuntur. Hanc avaritiam *C. Tacitus*, *Annal.* lib. 13. *Publicanorum immodeſtiam* appellat, quam populum ægrè tuliſſe memorat, & *Neronem* aliquomodo edictis coercuiſſe. *Suidas* hanc habet deſcriptionem. *Vita Publicanorum vis aperta eſt, & rapina impunita, negociatio adverſa rationi, & inverecunda mercatura.*

II. Erat adverſus hoc hominum genus ſingularis quædam *Judæorum* odii acerbitas. Se etenim natos ad libertatem exiſtimarunt, & ab omni obedientia, præterquam Deo, debitâ, & vectigali, niſi proprio ipſorum Regi ſolvendo, immunes.

Hæc autem hominum tripudia libertatis patriæ hoſtes, coactionibus à popularibus ſuis exigendis & Gentem ſuam deprimere autumarunt, & *Romanorum* nimiâ familiaritate uti, quod à *Judæorum* ingenio multùm abhorrebat; quin & horum quæſtu nimis grave

Digitized by Google

LUCÆ CAP. III. VERS. 13, 14.

grave tributorum onus immodicè augeri querebantur.

VERS. 13. *Nihil amplius quàm quod conſtitutum eſt vobis exigite.*

Hinc confirmantur quæ nuperrimè dicta ſunt de Publicanis repetundarum accuſatis, quibus mos erat non tantùm *Romanis* in tributis à ſua Gente exigundis opitulari, verùm etiam habendi flagrantes deſiderio, adaugere onera & ſupra quod *Præfecti Romani* imponebant, exigere. Notandum verò, Baptiſtam *Phariſæis Sadducæiſque* qui ſanctitatem ſuam gloriabantur, aliquid *præſtandum* præcepiſſe, *Qui duas habet tunicas*, &c. obedientiâ veluti Lydio lapide animos eorum exploraturus. Publicanos autem & milites docet à quibuſdam ſceleribus ad quæ propenſiores erant, *abſtinendum* eſſe. Cùm enim nequitiâ infames eſſent & admodum inquinati, cumprimis erat neceſſarium, ut primò improbitatem dediſcerent, quò deinde faciliùs ad bonam frugem redirent, & virtutem colerent

VERS. 14. *Milites.*

Romani nimirum, vel ſocii iis merentes. Ecquis enim credat eos *Judæis* tanquam milite præſidiario fuiſſe uſos, etiam domi cùm eſſent & ad rebellionem proclives? Hîc igitur *Gentes* habemus Euangelio primùm auſcultantes.

Neminem concutite, &c.] Hoc reſponſo omnimodam alterius læſionem dicto an facto, linguâ vel manu, imò vel in ipſa cogitatione prohibet Baptiſta, idque hominibus quorum vitæ ratio vim ac injuriam fere ſemper annexam habet.

I. Eos interdicit omni violentiâ externâ, ne ſcil. vulnerent, ſtuprent, expilent, tectis faces admoveant, atque iſtiuſmodi alia perpetrent facinora, quæ vitam militarem plerumque ſolent comitari.

II. Ne cui inſidientur, ne falsò deferant, aut authoritatis ſpecie quem aliter non potuerunt, opprimant, leoninam rabiem vulpinâ aſtutiâ permutantes.

Dein III. ne ſtipendii modum conquerantur, aut majori inhient; hinc reliqua naſcuntur ſcelera. His querimoniis *Percennius* tumultuantes tres *Legiones* acriter incitavit, *infructuoſam* dixit *militiam*, *denis in diem aſſibus corpus & animam æſtimari*, *Tacit. Annal.* lib. 1.

Notandum porrò Euangeliſtam cùm *Publicanis* reſpondentem, tùm militibus, non munera ipſa vel vitæ genus damnaſſe, modò ſublatis criminibus tranſigatur. Illis non præcipit ut deſinant prorſus vectigalia exigere, ſed ne quid ſupra modum exigant: nec his ſtipendia facere prohibet, modò ab omni injuria temperetur.

LUCÆ CAP. III. VERS. 15.

VERS. 15. *Expectante autem populo.*

Plurima erant eâ tempeſtate quæ populi expectationem de *Chriſto* erexerant, animoſque ſubire facerent *Baptiſtam* fortaſſe illum fuiſſe quem venturum crediderunt.

I. Hoc ipſum monebat *tempus*, quod cum Lege & antiquis vaticiniis illud prænuntiantibus apprime convenire obſervabant. Jam enim diſceſſerat à *Juda* ſceptrum, & Legiſlator ſive *Sanhedrin* ab *Herode* extinctum. Tunc *Romani* ſuæ Genti dominabantur. Tunc expletæ erant *Danielis* hebdomadæ 70. Hinc temporis opportunitatem agnoverunt, & erectis animis Regnum cœlorum expetebant, *Luc.* 19: 11. ideo *Hieroſolymas* conceſſerunt, quaſi uno animo manifeſtationem ejus præſagientes, *Actor.* 2. uti priùs innuimus.

II. Quam expectationem fovebant admodum ſingularis Baptiſtæ pietas, morum integritas, zeli ardor, & ſtupenda planè vitæ parcimonia animique ſeveritas, &

III. Deinde mira & ad eum uſque diem inaudita in prædicando efficacia: his, inquam, omnibus conjunctis, non eſt quòd miremur tantam fuiſſe Baptiſtæ exiſtimationem, ut illum ipſum fuiſſe Chriſtum populus ſuſpicaretur.

IV. Favebat & huic opinioni ardor ille animi magnumque *Meſſiæ* videndi deſiderium; facilè enim credimus quod volumus. Deſiderium enim cum expectatione conjunctum indicat vox Græca. Sic etiam *Chriſtus* vocatur προσδοκία ἐθνῶν, *Geneſ.* 49: 10. juxta LXX. & *Deſiderium* illorum, *Hagg.* 2: 7. Quinimo probabile eſt rumorem de *Magorum* itinere, de *Annæ* & *Simeonis* dictis, aliiſque de *Chriſto* tùm nato teſtimoniis plurimorum ad aures perveniſſe, inſitamque de *Joanne* opinionem obfirmaſſe. Ut autem roboris aliquid ei accederet, ex miro naſcendi modo, aut ex eo quòd patri obtigerat, ut aliquorum ſtat ſententia, ægrè quis crederet, niſi cui inſuper perſuaſum fuerit populum oblitum eſſe *Meſſiam* ex Tribu *Judæ* expectandum, vel ut illud requirenti ſatis eſſet *Eliſabetham*, Virginis *Mariæ* utique conſobrinam,

 Luc.

Digitized by Google

Luc. 1:26. ſanguinem aliquem ex ea Tribu accepiſſe.

VERS. 16. *Reſpondit Joannes.*

Tametſi ſint qui exiſtimant *Joannem*, aperiente Spiritu S. quæ illi in animo volvebant probè intellexiſſe, quia nimirum dicitur ſolummodo eos in *cordibus* ſuis de *Joanne cogitaſſe*; longè mihi probabilius videtur, cum quid de ſe ſentirent externo aliquo indicio, fortaſſe ſermone, didiciſſe. Cùm idem fere omnis turba cogitabat, vix fieri potuit, aut ne vix quidem, ut nemo quiſquam neque dicto, neque ſuſurro, vel percontatione aliquâ quid in mente haberet aperiret, ita ut vel pinguis cerebri homuncio quid agitaretur intelligeret.

Ego quidem baptizo vos.] De hujus reſponſi ſenſu convenit inter omnes Euangeliſtas, etiamſi in circumſtantiis aliquot enumerandis paululùm diſſentiant. I. Nempe, quum *Lucas* ita hæc verba referat, quaſi datâ ex opinione populi occaſione eſſent prolata; *Matthæus*, qui rem eandem fere totidem verbis narrat, nihil habet de quæſtionibus præcedentibus, nec omnino iſtiuſmodi videtur obſervaſſe loquendi occaſionem; verùm ita hæc verba interſerit, ac ſi continuatâ dicendi ſerie, dùm *Phariſæos Sadducæoſque* alloquebatur, ad eos demum deventum eſſet. Nec propterea neceſſe eſt hîc ſcrupuloſè hæſitare, cùm nihil fere uſitatius ſit, ut unus è quatuor copioſè narret quod alter breviùs dixerat, hic interſerat quod alter in hiſtoria omiſit.

II. Quanquam *Matthæus* & *Lucas* ita hoc diſpoſuerunt reſponſum, quaſi aliis ejus dictis poſterius ſit prolatum, *Marcus* primâ fronte collocavit & in ipſo prædicationis exordio, nec quicquam præterea dictum omnino memorat. Hoc autem ideo fecit, quia *Chriſti* Baptiſmum, prædicationem & miracula feſtinabat enarrare; ac etiam quia *Matthæus* reliqua fuſiùs declaraverat; præcipuè ut lectores certiores redderet, hoc de *Joanne* teſtimonium in omnibus ejus ad populum concionibus ubicunque loci eſſet, conſtanter perhibitum fuiſſe.

III. Cùm *Lucas* hoc ita memorat, quaſi dictum eſſet ut populi cogitationibus ſatisfieret, *Joannes* tanquam reſponſum præcedentis quæſtionis vi expreſſum refert, *Joann.* 1: 25, 26, 27. Atque hîc ſi quis roget, utrùm de eadem re eodemque tempore uterque ſit locutus; in promptu eſt regerere, negando. Ex æquo enim patet ex ipſo *Luca*, verba à ſe memorata ante *Chriſti* Baptiſmum dicta fuiſſe, ac ex *Joanne*, quæ apud ipſum habentur, poſt eundem fuiſſe prolata. Nam *verſ.* 26. ſubinnuit ille *Chriſtum* jam tùm mediæ turbæ interfuiſſe, quanquam tunc temporis ignotum ei, imò atque ipſi *Joanni*, donec Spiritûs Sancti deſcenſu tandem quiſnam eſſet innotuit, *verſ.* 33. Unde quidem firmatur quod nuper de *Joanne* diximus, nempe eum ubivis locorum eſſet, inter quoſcunque homines conſtitutus, idem de ſe teſtimonium conſtanter perhibuiſſe. Quandoquidem igitur in ſe, vitæque ejus ſanctimoniam, mirumque baptizandi modum, omnium oculos converſos defixoſque viderat, aptiſſimam de ſe teſtandi opportunitatem nactus, confert ſe cum *Chriſto*, cui ſe longè inferiorem, quanto qui ſolvit corrigiam magiſtro ſuo indignior eſt, apertè profitetur; ſuumque cum *Chriſti* Baptiſmo comparans, ſe tanto à *Chriſto* ſuperari agnoſcit, quanto aquæ Baptiſmo, is qui Spiritûs Sancti infuſione peragitur, antecellit.

Ego quidem baptizo.] In præterito habet *Marcus*, Ego *baptizavi*, quod cum præſenti *Matthæi* & *Lucæ* conjunctum, ad *Janſenii* placitum, denotat vel continuationem, *Ego baptizavi*, & *baptizo*, vel potiùs eum baptizando perrexiſſe, atque accedenti turbæ teſtimonium de Chriſto ut priùs præbuiſſe. Nam primò ad pœnitentiam hortabatur, & mox quos ſemel inſtituerat, ad aquam perducens, in ejus nomine qui poſt eum venturus erat, baptizabat, *Actor.* 19: 4. Adeo ut hâc vel conſimili formâ videtur uſus fuiſſe in tingendi vel reſpergendi actu: *Ego baptizo te aquâ: at major me venit, qui baptizabit Spiritu Sancto atque igne.*

Aquâ.] Præpoſitio Græca ἐν reſpondet *Hebr.* ב, denotatque nunc *locum*, nunc *inſtrumentum:* hîc utrumque. Sicut enim extra dubium eſt, *Joannem* baptizandos in fluvium deduxiſſe, *Matth.* 3: 6, 16. ita vix minùs certum eſt eum ibi conſtitutos aquâ aſperſiſſe; cùm ut *typi*, quales erant ſub Lege reſperſiones plurimæ, adimplerentur, tum etiam circa eas prædictiones propheticæ, *Ezech.* 36: 25. quas de Baptiſmo intelligit *Hieronymus*, *Epiſt.* 83. Ad eundem modum *Eunuchum* illum, *Actor.* 8: 38. primò in aquam deſcendiſſe legimus, deinde à *Philippo* baptizatum.

Aquâ.] Quandoquidem poſt *Chriſti* adventum eò uſque immutata ſit tota Eccleſia, ut ex *Judaica* fieret *Chriſtiana*, ex *Legali Euangelica*; quid mirum ſi etiam in Sa-

Digitized by Google

mentis nonnihil ſit innovatum? Si enim ad exemplum *Moſis*, juxta quod olim prædixerant Prophetarum oracula, ipſis interea *Judæis* fatentibus, *Chriſtus novam* Legem ſancire debuit; erat profectò neceſſarium ut *nova* pariter *Sacramenta* inſtitueret. Eſt nihilominus aliqua demirandi cauſa, cur in Euchariſtia inſtituenda ita ſe ad Paſchatis antiquos ritus conformaverit, ut *inter cœnandum* etiam hoc N. Teſtamenti, ut & illud Veteris Sacramentum celebraretur: in Baptiſmo verò ita Circumciſionis ritus neglexerit, ut nihil ferè commune habeat. Quæ enim, obſecro, ſimilitudo inter præputii amputationem, & corporis ablutionem? Cujus diſcrepantiæ ratio ut luculentiùs innoteſcat, operæ pretium erit, quæ in utroque Sacramento præcipua ſunt, ſigillatim expendere, quò adnotatâ utriuſque varietate, lector faciliùs ſententiam ferat.

Quapropter notandum I. *Circumciſionem* fuiſſe *Abrahamo* obſignationem hujus promiſſi, viz. *Pater eris multarum nationum*: at verò *ſemini* ejus promiſſi de *Canaane* eis concedendâ confirmationem, viz. *Daturus ſum tibi & ſemini tuo terram peregrinationum tuarum, univerſam terram Canaanis, in poſſeſſionem perpetuam. — Tu ergo fœdus meum ſervato, Geneſ.* 17: 8, 9. Haud aliter duplex eſſe poteſt Baptiſmi finis, alter quoad ipſum Chriſtum, alter verò quoad reliquos omnes Chriſtianos. In textu allegato futura *Canaanis* poſſeſſio *Abrahami* poſteris Circumciſione veluti impreſſo ſigillo obſignatur; nec vel extra iſtius terræ terminos propagandus erat ille obſignandi ritus, nec diutiùs quàm ibidem permanſerint, continuandus. Atque hinc factum eſt, ut cùm *Abrahamidæ* primas *Canaanis* oras attigerant, *Joſuæ* confeſtim in mandatis datur, ut ad unum omnes circumcidantur, *Joſ.* 5. nempe quia idem Deus qui terram iſtam promiſerat, *Daturus ſum tibi & ſemini tuo terram*, &c. dixerat etiam, *Servato fœdus meum.* Atque ex hoc principio facilè colligitur,

Imprimis, terram illam omnes iſtas Gentes fuiſſe complexam, quas *Abrahamo* ſatas legimus & circumciſas, viz. *Iſmaëlitas, Midianitas, Edomitas*, alioſque.

II. Eos, qui *Judæos Chriſtianos* olim in *Canaane* regno potituros exiſtimant, Circumciſionem denuo in Eccleſiam *Chriſti* inducere.

III. Hinc etiam liquet, quare non niſi poſt aliquot ſecula hoc Sacramentum inſtituebatur. *Adamus* enim, *Enochus*, *Noachus*, *Heber*, &c. non circumcidebantur: his enim vivis nulla erat fixa Eccleſiæ ſedes, nuſquam certus conſiſtendi locus. Hoc autem ſemel, *Abrahami* nimirum ætate, deſignato, firmatur promiſſum ſigno Circumciſionis.

Canaanem dudum legaverat *Semo Noachus*, quem in tentorio ſuo nudatum dormientemque riſui habuerunt *Chamus* ejuſque filius *Canaan*. Quocirca quum jam ad genuinos *Semi* poſteros transferenda eſſet, ad quos prophetico afflatu impulſus jam olim *Noachus* eam tranſtulerat, placuit Deo in eodem illo corporis membro quod ſuo magno cum malo & poſſeſſionis libertatiſque jacturâ *Chamus* irriſerat, promiſſum obſignatum iri. Hinc mares ſolummodo circumcidebantur, idque eo membro, quia mas tantùm illudque maris membrum deridebatur. Poſſunt & aliæ hujus ritûs adduci rationes, & quare mares ſoli, quare in præputio, (cujuſmodi proferunt *Lombardus*, *Aquinas*, *Biel*, *Lyra*, aliique) quas tamen, cùm de natura atque eſſentia Sacramenti non ſint, prætermitto. Hanc autem quam attulimus eſſe præcipuam, atque ipſius Sacramenti quaſi ſpiritum ac vigorem, quæ ſequuntur duo comprobabunt.

I. Quia Circumciſio non tantùm *Iſraëlis* ſoboli propria erat, quin & ad univerſam *Abrahami* proſapiam attinebat. Qui enim ex concubinis ei naſcebantur filii, in *Arabia* degentes, *Iſmaëlitæ*, *Dedanitæ*, *Medanitæ*, *Midianitæ*, *Shuhitæ*, *Amalekitæ*, reliquique omnes, non minùs quàm *Iſraëlitæ* in *Palæſtina*, circumcidebantur. Incoluerunt olim *Canaanitæ* eas regiones, quas poſt victoriam de quatuor Regibus reportatam, *Geneſ.* 14. *Abrahamus* filiis ſuis occupandas tradidit: quos eò quidem miſit Circumciſione ſigillatos quodammodo, in teſtimonium juris quod in iſtas terras habuerunt, quemadmodum & *Iſaaci* proles eodem pariter jure alias poſtmodum erat occupatura. *Abrahamus* filiis ſuis & familiæ ſuæ poſt ſe præcepit, ut obſervent viam Jehovæ, *Geneſ.* 18: 19. atque etiamſi hæc, quæ *Arabiam* poſſidebat, familiæ pars, in cæteris ejus inſtitutis negligentior erat, nec diu admodum intra officii ſui limites permanſerit, Circumciſionem tamen ritè & ſolenniter obſervabat. Atque hinc obiter alterum lubet adnotare hujus inſtituti finem: nempe, non ut populus *Iſraëliticus* à reliquis omnibus ſecernatur, uti vult *Lyranus*; ſed ut *Abrahami* ſoboles ab omnibus terrarum orbis familiis dignoſcatur.

II. Utcunque *Iſraëlitæ* qui extra *Canaanem* agebant, (ut qui ex *Græca Babylonicaque*

que diſperſione ſupererant) Circumciſione etiam inter Ethnicos, & legitimè quidem, utebantur: ideo tamen utebantur, quia ſe nondum jure ſuo exutos credebant, verùm *Canaanem* quaſi ſuam hæreditatem vindicare ſolebant: eandemque ob cauſam per aliquot annos poſt adventum aſcenſionemque Salvatoris noſtri idem ritus religioſè obſervabatur.

Poſteaquam verò, dirutis *Hieroſolymis*, terram promiſſam ſibi penitus ademptam viderant, ſive quòd ipſum promiſſum haud ulteriùs extendebatur, ſive quòd eorum delicta ſolverint quicquid olim habuerunt juris; tùm quidem nefas judicarunt antiqui juris ſigillo uti: & cùm ab ipſa poſſeſſione abigendi eſſent, ab ipſa quoque cærimonia recedendum erat, & antiquati juris obſignatione. Ex his bene penſitatis, licet porrò obſervare.

I. *Iſraëlitarum* jus ad terram ſanctam ſenſim imminui & vacillare occœpiſſe, ex quo Baptiſmus in Circumciſionis locum primùm ſubrepere incepit. II. *Joannem* propriè quidem *Regnum cœlorum* prædicaſſe, quia nimirum horum quicquid erat terreni regni ad interitum continuò vergebat, ſimul ac *Baptiſmus* Circumciſionem gradatim elevare inceperat.

Quemadmodum ipſe Circumciſionis ritus hæreditatem Canaaniticam ſpectabat; ita etiam tempus quo celebrari ſolet, dies ſcilicet octavus, eò ſimiliter videtur reſpexiſſe. Erant enim terræ iſtius ab *Abrahamidis* capeſſendæ, *ſeptem* nationes incolæ, *Canaanitæ*, *Hittæi*, *Chivæi*, *Perizzæi*, *Girgaſæi*, *Amoræi*, *Jebuſæi*, *Deuter*. 7: 1. *Joſ*. 3: 10. His ſeptem nationibus ſubigendis videtur quodammodo reſpondere, quòd in obſidione *Jerichuntis*, ubi primùm in ea terra bellatum eſt, urbem per ſeptem dies ſemel quotidie circumibant, ſeptimo autem die ſepties. Ac eòdem etiam referri poteſt, quòd per ſeptem primos poſtquam natus eſſet dies, unuſquiſque *Abrahami* filius eſſet quaſi aliquis ex ſeptem iſtis Gentibus exſcindendis: die autem octavo Circumciſionem accepit, juris ſigillum, & pignus quoddam terram poſſidendi, quam ſeptem iſtæ nationes injuriè ſibi arripuerant.

Hæc ergo primaria ratio eſt, hoc illud cui potiſſimùm innititur fundamentum hujus Sacramenti, nempe ut ſinguli *Abrahami* filii promiſſæ hæreditatis ſigillum ſuo ipſius corpore geſtarent, atque eâ notâ à reliquis omnibus dignoſcerentur: atque ut hoc quod viſibile erat ſignum eos ad inviſibilem quam obſignabat gratiam adipiſcendam acriter ſtimularet, moneretque ita vitam ſuam eſſe inſtituendam, quemadmodum decet Gentem Dei peculium. Qui ſcopus atque animus Sacramenti, ut erat peculiaris, limitatæque naturæ, apertè indicat neceſſum fuiſſe ut poſt *Chriſti* adventum in aliud permutaretur. Quum tollendum jam eſſet omne inter *Abrahamidas* aliaſque familias diſcrimen, cùm nulla deinceps futura eſſet terra *his* peculiaris, ſed per univerſam terram omneſque Gentes quicumque Deum timuerit, feceritque juſtitiam, ei acceptus foret; neceſſe erat ut peculiaritatis illa nota, & ſingularis cujuſdam juris ſignum, vel prorſus evaneſceret, vel ſaltem in poſterum eſſet ſupervacaneum.

Cur verò *Baptiſmus* hujus aboliti ritûs vicem ſuppleverit, rationes aliquas proferemus. I. Quia Novi Teſtamenti Sacramenta lenia eſſe debebant moleſtiæque vacua, non uti Legis erant triſtia atque acerba, & doloris plena. II. Quia viſum eſt Deo hac etiam in re communi hominum uſui aliquantulum indulgere, qui recenter natos lavare ſolent, *Ezech*. 16: 4, 9. Hinc faciliùs allici debuerunt communi ritu in ſacrum permutato. III. Verò, & præcipuè, quæque inſtar omnium eſt ratio, propter ſummam quæ eſt inter ipſum Sacramentum & rem ſignatam aptitudinem, atque congruentiam inter elementum & gratiam obſignatam. Quibus adjici poteſt IV. ut typi Baptiſmi, atque de eo prædictiones, quæ cùm ſub Lege *Moſis*, tum ante Legem erant, adimplerentur. Hujuſmodi erant *Diluvium* & *Arca*, 1 *Pet*. 3: 21. populi per *mare rubrum* & *Jordanem* tranſitus, 1 *Cor*. 10: 2. ut & purificationes & reſperſiones in Sanctuario. Cæterum præ aliis & præcipuè olim præfigurabatur quatuor quæ ſequuntur inſtantiis.

Prima eſt *Jacobi Shechemæos*, qui *Simeonis* & *Levi* furorem evaſerant, in familiam ſuam atque communionem admittentis, *Geneſ*. 35: 2. *Edixit Jacob familiæ ſuæ atque omnibus qui erant ſecum, Removete Deos alieni populi qui ſunt inter vos, & mundate vos, ac mutate veſtimenta veſtra.* Quo tria ab eis exigit, communionis quaſi conditiones. I. Ut *idololatriam* deſerant. II. Ut lavent ſive baptizent corpora: ſic enim intelligenda eſt vox הטהרו *Mundate vos*, & ſic eam bene vertit *Aben Ezra*. Cui favet quod III. exigit, ſcil. ut mutent veſtimenta: quæ tria animi, corporis & veſtimentorum purgationem oſtendunt. Atque hinc etiam nonnulla occurrunt obſervanda,

LUCÆ CAP. III. VERS. 16.

vanda, I. Quòd cùm Circumciſio, ut in præcedenti *Capite* docemur, lethi occaſio *Schechemæis* eſſet, *Jacobus* Baptiſmum ejus loco ſubſtituit, ſalubriorem Proſelytas admittendi cæremoniam. II. Quòd Proſelytæ tunc temporis admittendæ, fœminæ erant, trucidatis nimirum ad unum omnibus maribus *Schechemæis*, *Geneſ.* 34: 25. (niſi forſan *Syri* nonnulli mares *idololatræ* etiam turbæ intererant) aut ſaltem parte longè maximâ, quapropter Sacramento utitur, quo fœminæ initiari poterant, Circumciſioni olim non idoneæ.

Secunda inſtantia eſt, admiſſio *Iſraëlitarum* ad *Legem* audiendam per ſanctificationem & lavationem, *Exod.* 19: 10. Atque hinc eſt quòd ipſi *Judæi* Proſelytas per Baptiſmum admittebant, ſatis firmum, uti credebant, hinc nacti praxeos fundamentum.

Tertia eſt, introductio *Iſraëlis* in Eccleſiam viſibilem ad montem *Sinæ*; quæ peracta eſt Baptiſmo, ſive aquæ, non minùs quàm *ſanguinis*, reſperſione, teſte D. Paulo, *Hebr.* 9: 19. fatentibus etiam ipſis *Judæis*. *Docent Rabbini noſtri*, inquit *R. Solomon*, *Patres noſtros intraſſe in fœdus, in baptiſmum, & in aſperſionem ſanguinis: nulla erat enim aſperſio ſanguinis abſque baptiſmo, R. Solom.* in loc. 4. Quum etiam, regnantibus *Davide & Solomone*, ingens Ethnicorum copia *Judæorum* fidem religionemque amplexabantur, in Eccleſiam per Baptiſmum admiſſi erant, non per Circumciſionem. Cujus rei ratio in eo fundabatur, quòd *Iſraël* ex *Ægypto* proficiſcens veſtimenta lavabat; & Sacerdotes ex communis vitæ negotiis ad ſacra reverſi, abluebant corpora. Claudantur omnia in *Talmudis* verbis. *Rabbi Akiba dixit: O Iſraël, benedicti eſtis: cujus in præſentia juſtificati eſtis vel purgati? Vel quis ille eſt qui vos mundat? Eſt Pater veſter cœleſtis, juxta quod dicitur, Effundam ſuper vos aquam puram*, in *Kippurim*.

Magiſtri noſtri dicunt, Quòd nothi & Gibeonitæ omnes olim purgabuntur. Et hæc eſt doctrina Ezechielis, ut ſcribitur, Super vos effundam aquam puram, in *Kiddushin*.

MATTH. CAP. III. VERS. 11.

MATTH. 3: 11. *Ad reſipiſcentiam.*

Magnum *hic eſſe* diſcrimen inter *Joannis* Baptiſmum, eumque qui eſt Eccleſiæ Chriſtianæ, Scholæ exiſtimant. Quia ille quidem ad reſipiſcentiam erat, hic verò ad gratiam & remiſſionem peccatorum. Quam autem nulla ſit hæc diſcrepantia quoad eſſentiam, nos infra oſtendemus.

LUCÆ CAP. III. VERS. 16.

LUC. 3: 16. *Sed venit qui validior me eſt.*

Quanquam hæc *Chriſti* præ Baptiſta eminentia, aptè & verè ad mentem plurimorum Interpretum, de omnipotentia ejus quatenus Deus eſt intelligi poſſit; quum tamen de eo loquatur *Joannes*, quatenus ſe populo mox erat exhibiturus, & comparationem inſtituat quoad prædicandi & baptizandi munera: neceſſe eſt ut reſtrictiùs ſumantur verba, & ad ſingulare aliquod in quo *Joannem* præcellit, referantur, nempe ad modum vivendi inter homines, ad prædicationem atque officium miniſteriale. Et quæ huc reſpiciunt omnia ad quatuor ferè capita reduci poſſunt.

I. Ad poteſtatem miracula edendi, quam *Joannes* non habuit. *Joannes* enim ſignum nullum edidit, *Joann.* 10: 41. Nec æquum eſſet ut ederet, quum jam pro foribus ſtaret is cujus erat iſtud munus, & in quo veluti in centro ſuo reſidebat ea poteſtas brevi patefacienda.

II. Ad maximam quæ erat in Servatoris noſtri, ſupra ac in Joannis erat, prædicatione, efficaciam. Hic quidem multos convertebat; at ille longè plurimos, *Joann.* 3: 26.

III. Ad modum quo uterque doctrinam ſuam confirmavit. *Joannes* quidem morte ſuâ; at *Chriſtus* cùm morte, tum etiam reſurrectione, quicquid docuerat, ſtabilivit.

IV. Ad doctrinæ continuationem atque incrementum, auctumque Diſcipulorum numerum. Quod diſcrimen indicat ipſe *Joannes*, *Joann.* 3: 30. Quibus adjungi poteſt præſtantia Baptiſmi Chriſti, qui Joannis Baptiſmo longè antelbat, ipſo *Joanne* confitente, *Ego baptizo vos aquâ; ille verò vos baptizabit Spiritu Sancto.*

Cujus non ſum dignus qui ſolvam corrigiam ſolearum.] Alienus eſt & diſtortus verborum ſenſus, qui tamen nonnullis perplacet, quaſi in hac ſimilitudine *Joannes* dixiſſet, ſe non poſſe magnum illud Incarnationis myſterium ſolvere: *Matthæus* enim Baptiſtæ mentem aliis verbis effert; & *Marcus* adjecto altero vocabulo abundè monſtrat, periodum juxta literam eſſe interpretandam. Sic enim *Matthæus*: *Cujus non ſum dignus qui ſoleas portem*: Marcus, *Cujus non ſum dignus qui incurvatus ſolvam corrigiam ſolearum.* Uterque ſimul indicat nihil myſticum, nihil figuratum in

LUCÆ CAP. III. VERS. 16.

in loquentis animo fuiſſe verùm; ut aptis verbis exprimat, ſe immane quantum infra eum qui ſecuturus erat collocari, tantò ab ejus dignitate abeſſe, quantò pediſſequus Domino ſuo ſubeſt, cujus ſoleas portare ſolet, & ſolutam nectere corrigiam. Placuit autem hos infimi ſubſellii homines in comparationem inducere, quò luculentiùs oſtenderet quàm ingens penè infinitum eſſet diſcrimen inter ſuam ipſius atque Chriſti dignitatem: id enim ut populus intelligeret aſſiduè curabat.

Ipſe vos baptizabit Spiritu Sancto.] Hinc primùm nata eſt in *Scholis* pervulgata illa opinio de magna diſcrepantia inter *Joannis*, qui erat, & qui nunc eſt in Eccleſia Chriſtiana, Baptiſmum. Alter enim gratiam confert, quod alter non potuit: nec erat *Joannis* Baptiſmus niſi medium quoddam inter Judaicas purificationes & Baptiſmum Chriſtianorum. At hac in re, imprimis Baptiſtæ verba parùm rectè intelliguntur; deinde, nulla revera eſt, quæ dicitur, diſcrepantia.

Nam I. *Joannes* non confert Baptiſmum ſuum cum eo omnium Chriſtianorum, ſed cum eo quem quidem & inſtituit Chriſtus, & etiam ipſe per ſe adminiſtravit. Nam quòd non locutus ſit de communi Chriſtianorum Baptiſmo ab ipſo Salvatore inſtituto, ſed de peculiari iſto quo dum in terris erat ipſe exhibuit, abundè liquet, tam ex eo quòd in hoc Chriſti Baptiſmo nulla fit aquæ mentio, quæ tamen ab ipſo Chriſto de communi Baptiſmo loquente non omittitur, *Joann.* 3: 5. quàm ex eo quòd expreſsè hìc dicatur, *Chriſtum* debere aliquos baptizare; quum interea ille neminem unquam aquâ baptizavit, *Joann.* 4: 2.

II. *Spiritus Sanctus* hoc in textu non indicat gratiam Baptiſmi Sacramentum concomitantem, uti ſupponunt Scholaſtici; verùm extraordinariam Spiritûs & donorum largitionem: quod probatur, ipſo Salvatore interprete, *Actor.* 1: 5. *Nam Joannes quidem baptizavit aquâ; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto iſtis non multis poſt diebus.* Quo in loco *Chriſtus* iiſdem planè uſus verbis, ea ad uberrimam illam Spiritûs Sancti in feſto Pentecoſtes effuſionem tranſtulit, & proinde procul omni dubio ea de iſthoc Baptiſmo eſſe accipienda, clarè, perſpicuè atque indubitatè commonſtravit.

III. Si inter ſe conferantur *Joannis* & *Chriſtianorum* Baptiſmus, tanta nequaquam invenietur diſcrepantia; imò verò ſi verborum formulam ademeris, planè nulla. Nam,

I. Uterque à Chriſto inſtituebatur: idem qui miſit Apoſtolos miſit etiam Baptiſtam, *Joann.* 1: 33.

II. Uterque eodem elemento, aquâ nimirum, celebratur.

III. Idem erat utriuſque finis, *reſipiſcentia.* Quanquam enim *Chriſtianorum* Baptiſmus appelletur *Baptiſmus* ad *remiſſionem peccatorum*, *Actor* 2: 38. &c. atque ob hunc titulum longè ſupra *Joannis* Baptiſmum attollatur; hoc tamen ipſum quantumcunque ſit etiam de *Joannis* Baptiſmo dicitur, *Marc.* 1: 4.

IV. Quum vulgò dicatur *Chriſtum* ideo fuiſſe baptizatum, ut noſtrum ſanctificaret Baptiſmum, id certè fieri neutiquam potuit, ſi ille non noſtrum, ſed alium à *Joanne* accepiſſet.

V. Ipſi Diſcipuli non alio præterquam *Joannis* Baptiſmo tingebantur. Quocirca ſi noſter eo præſtantior fuerit, nos certè meliore fruimur Baptiſmo, quàm ipſi Apoſtoli primi ejus Miniſtri, quos nec ab ipſo Chriſto, nec à quovis alio præter *Joannem* fuiſſe baptizatos legimus.

VI. Atque ultimò, etiamſi citra omnem hæſitationem in Scholis admittatur, à *Joanne* baptizatos rebaptizandos eſſe, hoc tamen ſuo ipſarum placito adverſatur: quandoquidem ſtatuant vel hujus Baptiſmum *legalibus* purgationibus anteponendum eſſe, quas tamen ideo quia imperfectæ erant, repetitas novimus. Quòd ſi & hujus Baptiſmus ſemel peractus opus habeat repetitione, quis præſtantiæ gradus? quæ diſtinctionis ratio eſſe poteſt? Quamvis enim dicantur nonnulli, *Actor.* 19: 5. *Joannis* Baptiſmo initiati, poſteaquam à B. Paulo uberiùs edocti fuiſſent, in nomine *Jeſu* tùm quidem baptizari; illud tamen non tam Baptiſmi, quàm baptizatorum renovationem indigitat; neque eos tùm demum alterâ vice purgatrici aquâ fuiſſe prolutos; verùm quòd nunc tandem intellexerint quid ſibi vellet, quem priùs ſuſceperant Baptiſmus, ſacrumque ritum rectè ſint interpretati. Exemplum non abſimile eſt cujuſvis Ethnici ex ſemine *Abrahami* circumciſi: e. gr. *Jethronis*, qui cùm filius *Abrahami* eſſet, etiamſi nondum *crederet*, utpote *Midianita*, circumciſus nihilominus erat: quum verò poſtea ad fidem eſſet converſus, veræque religioni ſe addixiſſet, non de novo præciſa erat pellicula, id enim impoſſibile; ſed tùm quanti eſſet Circumciſio, & quid inde lucri ſibi accreſceret, intelligere occœpit, & proinde abſque repetito ritu renovatus erat, auctâ nimirum intimiori ritûs ſcientiâ & cogni-

Digitized by Google

LUCÆ CAP. III. VERS. 16.

cognitione. Vel forſan verba iſta, *Qui verò audierunt baptizati ſunt in nomen Domini Jeſu*, ita accipi debent, quaſi non à *Luca*, ſed ipſo *Paulo* prolata eſſent. Vide *Bezam* ad locum.

Baptiſmus Spiritûs Sancti, phraſis eſt quæ oſtendit,

I. Spiritum Sanctum pridem ab *Iſraële* ereptum, & in cœlos relatum, nunc denuo reverſum atque reſtitutum.

II. Uberem Spiritûs largitionem, quæ eſſet veluti aquæ in eos copioſè admodum effuſæ.

III. In quem finem ac ſcopum univerſæ *Legis* purgationes ac lavationes collimarint: nempe ut oſtenderent homines efficaciori Spiritûs Sancti infuſione olim repurgandos eſſe.

Vos.] Hoc eſt, è vobis aliquos, ut & 1 *Sam.* 8: 11. *Filios veſtros accipiet:* id eſt, ex iis aliquot. Vel *vos*, id eſt, populum, ut *Deuter.* 18: 15. Suſcitabit *tibi* Jehova Prophetam: id eſt, populo tuo: *ei auſcultate*, ſcil. poſteri veſtri, futura natio.

Et igne.] Ex *Iſaj.* 4: 3. Lavabit Dominus excrementum filiarum *Sion*, & ſanguinem Jeruſalem abluet è medio ejus, in ſpiritu judicii, & *ſpiritu ardoris*. Haud difficile eſt conjectare, quid hîc ſibi velit *Joannes* per *ignem*, ex eo quòd Salvator ipſe alterum periodi membrum retulerit ad Spiritûs Sancti in feſto Pentecoſtes deſcenſum in diſpertitis linguis inſtar ignis patefacti, *Actor.* 2. *Chriſtus* autem igne baptizare dicitur, I. Ut conveniret inter Spiritûs Sancti donationem & promulgationem Legis, cùm quoad tempus, tum etiam quoad modum donandi. Utraque ſolennitas in die Pentecoſtes & cum igne peragebatur.

II. Ut variæ Spiritûs Sancti operationes & vires apertiùs indicarentur, quæ per ignem aptiſſimè videntur repræſentari. Nam I. Scientiâ illuminat. II. Zelo accendit & inflammat. III. Corruptionem exurit. IV. Naturam expurgat & purificat. V. In ſui ſimilitudinem hominem abripit, ex impuro ſanctum efficit; inſtar ignis, qui quicquid pabuli eſt in flammam abripit & tranſmutat.

III. Porrò dicitur igne baptizare, ad terrorem hominum animis incutiendum, ne fortè Euangelium flocci facerent: quin potiùs ad Spiritum Sanctum venerandum adigerentur, metuentes ne igne abſumerentur pervicaces.

IV. Hinc etiam apertiſſimè oſtenditur, quæ vis arcana, quæ recondita ſignificatio eſſet iſtarum legalium victimarum, quas ignis cœlitùs illapſus deprædabatur: nempe eos quidem homines viva eſſe ſacrificia, Deoque accepta, qui Spiritu Sancto deſuper irruente, ardent & accenduntur.

Hîc igitur contemplari lubet bina illa elementa, quorum alterum mundum ſemel obruit, alterum in ejuſdem excidium hactenus reſervatur, ad hominum beneficium à Deo O. M. converti, & ſalutis adipiſcendæ facta inſtrumenta.

LUCÆ CAP. III. VERS. 17.

VERS. 17. *Cujus ventilabrum in manu ipſius.*

Per *ventilabrum* hîc intelligunt Interpretum plures, poteſtatem judicandi quam Pater *Chriſto* conceſſit: *Nec enim Pater judicat quemquam; ſed omne judicium dedit Filio, Joann.* 5: 22. Atque hinc eſt quòd alii *ſecuros* omnes perſtringi vehementer ſtatuant; alii *Apoſtatas*: quaſi in iis quæ præceſſerant Euangeliſta oſtendiſſet, quid Chriſtus facturus eſſet in primo ejus adventu, in his autem de ſecundo loqueretur. Quod ad me attinet, ad illorum ſententiam propendeo, qui per *ventilabrum in manu ipſius, Euangelium* intelligunt, ejuſque promulgationem per Chriſtum: idque ob ſequentes rationes.

I. Quia niſi ita intelligatur, Baptiſta de hac parte muneris à Chriſto obeundi, nuſpiam teſtatur. Quum verò Euangelii prædicatio res eſſet magni momenti, atque à Prophetis multoties memorata, imò frequentiùs & majori cum apparatu tractata, quàm vel fere aliud quicquam quod ad redemptionem noſtram ſpectabat, multaſque ob cauſas dignior memoratu, quàm munus baptizandi Spiritu Sancto: haud æquum eſt exiſtimare *Joannem* de hac fere præcipua parte *Chriſti* muneris velle tacuiſſe: imò profectò, niſi ea de re teſtimonium ſuum perhibuiſſet, quod præcipuum erat neglexiſſet.

II. Quia Euangelium ſive Verbum Dei quaſi lapis Lydius eſt, quo aurum & ſcoria, verum & falſum, purum & inquinatum internoſcantur. Atque hoc eſt illud inſtrumentum quo quodcunque ei adverſum eſt, diruit & peſſundat, *Iſaj.* 11: 4. 2 *Theſſ.* 2: 8. *Apocal.* 1: 16. & 2: 16.

III. Quia *Joannes* de *Chriſto* loquitur ſtatim comparituro, non autem de eodem ſub finem ſeculorum ad judicium venturo: quod in præcedenti commate apertè ſubinnuitur.

Aream ſuam.] Si ad univerſam Eccleſiam, ubivis locorum, quocunque in tempore fuerit, verba referantur, perutilis

LUCÆ CAP. III. VERS. 17.

lis quidem eſſet & ad rem apposita applicatio: ita ut omnes homines præ metu futuri judicii ſtimulentur ad fructus pœnitentiâ dignos producendos. Adeò ut idem ſit ſcopus, par ſuadendi vis hujus loci atque poſtremæ partis verſiculi noni. At verò per *Aream Chriſti* hoc in loco, non niſi Eccleſia *Iſraëlitica*, ſive Gens *Judaica* eſt intelligenda: quod ſuadent ſubſequentes rationes.

I. Quia apud *Iſajam*, *Cap.* 21: 10. idem planè occurrit titulus de *Iſraële*, ubi vocatur *Area. O tritura mea, & edite in area mea!* Quem locum tametſi nonnulli Interpretes tam *Judei* quàm *Chriſtiani* de *Babele* intelligant, expendere tamen ſedulò, & ad rationis normam quæ dicuntur, exigere, & deinde ſententiam ferre penès lectorem eſto.

II. Quia eadem phraſis iſtius Gentis excidium & ſubverſionem includit, juxta illud *Jerem.* 15: 7. *Ventilabo eos ventilabro in portis hujus terræ.* Baptiſta verò, dum *ventilabrum* dicit & *aream*, ad hoſce vates reſpexiſſe judicetur.

III. Quia verba ita reſtrictè ſumpta ut *Iſraëlem* tantùm amplectantur, aptiùs cum præcedentibus quæ de Gentis interitu agunt, & cum ſubſequentibus quæ ſecurim jam tùm ad radicem arborum poſitam loquuntur, cohærent & connectuntur.

IV. Vox διακαθαρίζω, quæ & *Lucæ* & *Marco* communis eſt, penitiorem quandam purgationem denotat, finalemque tritici à palea ſeparationem, atque improborum irrevocabile excidium. Quæ cùm ad *Judæos* applicetur, Ethnicoſque interſperſos, nihil aptiùs exprimere poteſt, aut indicare, quàm Gentem iſtam penitus exſcindendam eſſe: quam quidem Deus ſæpenumero olim purgaverat: jam verò inſtat hora, cùm *Chriſtus* ventilabro ſuo eam διακαθαριεῖ, (penitus purgabit) ita ventilabit explorabitque, ut ſole clarius intelligatur, quinam de tritico eſſent, quinam verò de palea.

V. Suffragantur huic interpretationi vel ipſi *Judæi*, è quibus vetuſtiores docuerunt, Gentem ſuam *Chriſti* adventu fore extirpandam. Quin & fatetur etiam totum *Sanhedrin*, *Joann.* 11: 48. — *Hic homo multa ſigna edit. Si omittamus eum ita, omnes ei credent, venientque Romani, & delebunt tum locum noſtrum, tum Gentem.* Cui conſonum eſt quod ex *Talmude* ad *Iſaj.* 10. *verſ.* ult. & *Cap.* 11: 1. nuper produximus: ubi caſus ſylvæ & *Lybani*, & ſurculus ex trunco *Jeſſæ* efflorescens, connectuntur. Cum quo quadrat etiam quod habet *Chald.* Paraphraſtes ad *Iſaj.* 66: 7. *Ante dolores ejus redempta eſt, & ante partus angores Meſſias Rex ejus erat manifeſtatus.* Ex quo textu collegit *R. Samuel bar Nachaman in Bereſith Rabba*, Templi excidium & *Meſſiæ* nativitatem prope idem tempus obventurâ.

LUCÆ CAP. III. VERS. 17.

Ultimò, colligitur porrò quod hucuſque contendimus, nempe *verſum* hunc quemadmodum *ad Judæos* primùm proferebatur, ita de iiſdem ſolummodo eſſe interpretandum: colligitur, inquam, ex ipſis titulis ſive compellationibus *tritici* & *paleæ*, quæ duo ex una eademque radice ſuccreſcunt, eodem caule ſuſtentantur; & proinde idoneè ſignificant *Judæos* fideles & infideles, pios & improbos, utrumque genus ex eodem nationali ſtemmate oriundum. Quin & inde etiam nonnihil accedit roboris, quòd quùm Salvator noſter, quo boni atque improbi interſunt, per metaphoram ex tritico & zizaniis deſumptam, oſtendit, illud agebat unicè, ut nimirum indicaret quantum eſſet diſcrimen. Baptiſta verò ex tritico & palea ſuam mutuatur metaphoram, utpote cui animus erat non ſolùm diſcrepantiam monſtrare, quin etiam nationis identitatem, eandemque fuiſſe utriuſque originem.

Congregabit triticum.] Per *triticum* & *paleam* haud ineptè intelligatur doctrina *vera* vel *falſa*, atque eò minùs, quòd alibi in Scripturis ita appellatur: ut *Jerem.* 23: 28. Verbumque Domini veluti ignem utramque probare dicitur, 1 *Cor.* 3: 12, 13, 15. ex *Deuter.* 33: 2. Cui favet porrò magnopere, quòd *Phariſæis Sadducæiſque* hoc dictum erat, notis veræ doctrinæ contortoribus. At verò quod de *congregando* in horreum dicitur, & de igne inextinguibili, ægrè ad doctrinam trahi poteſt, neque de eadem aptè exponi. Quapropter ſatius videtur diverſas iſtas appellationes de diverſa improborum piorumque indole interpretari, ita etiam ut unà includatur doctrinæ veritas ſive depravatio. Juſti verò & ſancti viri tritico multimodè & idoneè comparantur, propter bonitatem, utilitatem, pondus & ſuccum; cum è contrà improbi in omnibus inſtar paleæ ſunt, abjecti, inutiles, leves, ſordes meræ & quiſquiliæ, ad paſcendam flammam comparati.

Congregabit.] Haud admodum alienum eſt quod ex hujus vocis vi (præcipuè ut in *Græc.* eſt) nonnunquàm ſolet obſervari: viz. juſtos inter improbos veluti communi areâ indiſcriminatim ſpargi atque miſceri. Quanquam interea vox *congrego* non neceſſariò id exprimit, quandoquidem de leproſo

Digitized by Google

LUCÆ CAP. III. VERS. 17.

leproſo à morbo liberato dicatur, 2 *Reg.* 5: 3. (יאסף אתו) qui tamen non ex hominum cœtu ſublatus eſt, ſed potiùs in eum cooptatus. Et quidem phraſis ipſa videtur inde potiùs transferri, ubi de primitiis terræ alibi uſurpatur, ut *Exod.* 23: 16. vel de mortuis ad requiem demigrantibus, qui *Geneſ.* 25: 8, 17. dicuntur ad populares ſuos *aggregari*.

In horreum ſuum.] Cùm is ſit totius commatis animus, ut *Hieroſolymæ* excidium, quod ſupra oſtendimus, declararetur, poſtrema hæc verba tenerum in Deo erga pios affectum, & de iis conſervandis ſollicitudinem, aptè indicare poſſunt, quos nempe in ipſo Templo clarâ voce, *Migremus hinc*, monuit, ut *Pellam* ſe reciperent, locum extra periculum collocatum. Docuit autem alibi Servator ipſe per parabolam de tritico & zizaniis, *Matth.* 13. *hæc* etiam de *quiete in cælis* eſſe accipienda.

SECTIO X.

Chriſtus Miniſterio ſuo initiatur per Baptiſmum & Spiritûs Sancti unctionem. Progenies ejus ex *Maria* matre.

MATTHÆI CAP. III.	MARCI CAP. I.	LUCÆ CAP. III.
Vers. XIII. *Tunc advenit Jeſus à Galilæa ad Jordanem ad Joannem, ut baptizaretur ab eo.*	Vers. IX. *Et factum eſt diebus illis, ut Jeſus, cùm veniſſet Nazarethâ urbe Galilææ,* ——	
XIV. *At Joannes obnixè prohibebat eum, dicens, Mihi opus eſt ut à te baptizer, & tu venis ad me?*		
XV. *Reſpondens autem Jeſus, dixit ad eum, Omitte me nunc: ita enim decet nos implere omnem juſtitiam. Tunc omittit eum.*		Vers. XXI. *Factum eſt autem cùm baptizaretur omnis populus, & Jeſus baptizatus eſſet & oraret, ut aperiretur cælum,*
XVI. *Et baptizatus Jeſus, aſcendit ſtatim ex aqua: & ecce aperti ſunt ei cæli, & vidit Spiritum Dei deſcendentem quaſi columbam, & venientem ſuper ipſum.*	—— *baptizatus ſit in Jordane à Joanne.* X. *Et is ſtatim aſcendens ex aqua vidit findi cælos, & Spiritum quaſi columbam deſcendere ſuper eum.*	XXII. *Et deſcenderet Spiritus Sanctus corporeâ ſpecie, tanquam columba, ſupra eum; & vox de cælo exiſteret, dicens, Tu es Filius ille meus dilectus ille, in te acquieſco.*
XVII. *Et ecce vox adfuit à cælis, dicens, Hic eſt Filius ille meus dilectus ille in quo acquieſco.*	XI. *Et vox extitit è cælis, Tu es Filius ille meus dilectus in quo acquieſco.*	

XXIII. *Ipſe autem Jeſus incipiebat eſſe quaſi annorum triginta, filius, ut exiſtimabatur, Joſephi* filii *Heli,*

XXIV. Filii *Matthati*, filii *Levi*, filii *Melchi*, filii *Jannæ*, filii *Joſephi*,

XXV. Filii *Mattathiæ*, filii *Amoſi*, filii *Naumi*, filii *Eſli*, filii *Naggæ*,

Digitized by Google

XXVI. Filii *Maathi*, filii *Mattathiæ*, filii *Semei*, filii *Joſephi*, filii *Judæ*,

XXVII. Filii *Joannæ*, filii *Rheſæ*, filii *Zorobabelis*, filii *Salathielis*, filii *Neri*,

XXVIII. Filii *Melchi*, filii *Addi*, filii *Coſami*, filii *Elmodami*, filii *Eris*,

XXIX. Filii *Joſæ*, filii *Eliezeris*, filii *Jorimi*, filii *Matthati*, filii *Levi*,

XXX. Filii *Simeonis*, filii *Judæ*, filii *Joſephi*, filii *Jonami*, filii *Elijacimi*,

XXXI. Filii *Melæ*, filii *Mainani*, filii *Mattathæ*, filii *Nathanis*, filii *Davidis*,

XXXII. Filii *Jeſſæ*, filii *Obedis*, filii *Booſi*, filii *Salmonis*, filii *Naaſſonis*,

XXXIII. Filii *Aminadabi*, filii *Arami*, filii *Eſromi*, filii *Phareſi*, filii *Judæ*,

XXXIV. Filii *Jacobi*, filii *Iſaaci*, filii *Abrahami*, filii *Tharæ*, filii *Nachoris*,

XXXV. Filii *Saruchi*, filii *Ragavi*, filii *Phaleci*, filii *Heberis*, filii *Salæ*,

XXXVI. Filii *Arphaxadi*, filii *Semi*, filii *Noæ*, filii *Lamechi*,

XXXVII. Filii *Mathuſalæ*, filii *Henochi*, filii *Jaredis*, filii *Mahalaleelis*, filii *Cainani*,

XXXVIII. Filii *Henoſi*, filii *Sethi*, filii *Adami*, *qui fuit Dei.*

Ordinis Ratio.

QUòd hujus Sectionis initium rectè & appoſitè præcedentem Sectionem ſubſequatur, & cum ea conjungi debeat, non opus eſt ut ullâ probatione oſtendamus. Unanimis enim trium Euangeliſtarum in hac re conſenſus omnem litigandi occaſionem prorſus abſtulit. In poſteriori verò parte ſive Chriſti Genealogia, eſt nonnihil difficultatis, atque in partes iri ſolet. Dum hi hanc *Lucæ* cum illa *Matthæi* Genealogia conferentes, eam ad Chriſti nativitatem reducunt; illi verò alteram *Matthæi* ad Baptiſmum Chriſti cum *Luca* referunt, utramque ſimul expendentes. Meâ autem ſententiâ ſeorſim erant in Harmonia collocandæ, quas ipſi Euangeliſtæ ob multas nec non graviſſimas cauſas diviſim in Euangeliis tradiderunt, non exiguâ temporis intercapedine ſejunctas. Cur *Matthæus* prope Chriſti nativitatem progeniem ejus enarravit, diximus ſuo in loco. Cur verò *Lucas* eandem circa Baptiſmum ejus memorat, facilè aſſequamur, modò in promiſſum illud *Geneſ.* 3:15. *Semen mulieris conteret caput ſerpentis*, oculos conjiciamus. In *Judæorum* uſum ſcripſit potiſſimùm S. *Matthæus*: quamobrem neceſſe habuit ex ipſa progenie commonſtrare, *Chriſtum* eſſe quem expectabant *Meſſiam*; erat enim hoc validiſſimum inter eos habitum probationis genus. Hoc igitur in ipſius hiſtoriæ de nativitate limine effecit *Matthæus*, inde uſque ab *Abrahamo* generationes enumerans: erat autem *Abrahamus*, ultima illa analyſis, ultra quem nihil quod ad Meſſiæ progeniem attinet, vel expectabant, vel cupiebant deducendum. At verò *Lucas*, ut erat Doctoris Gentium aſſecla & aſſiduus in peregrinationibus comes, in *Gentium* æquè ac *Judæorum* uſum conſcripſit Euangelium. Et propterea eò diſtulit progeniem narrare, donec baptizaretur, & cœlitùs à Deo agnoſceretur; quod quidem Gentium reſpectu, *naſcendi* quodammodo tempus dici mereatur, tùm ſcil. cùm Euangelium primùm occepit prædicare, ſtupendo more muneri ſuo deſignatus. *Priora* illa promiſſi verba, *Semen mulieris*, lepidè & ornatè ab Euangeliſta per hanc Genealogiam explicantur: oſtendendo utique per 75. generationum decurſum, hunc ipſum eſſe ſemen illud mulieris *Adamo* olim in Paradiſo promiſſum, *Adamo* quidem promiſſum, cujus ex lumbis & *Gentes*, quarum gratiâ ſcripſit autor, non minùs quàm *Judæi*, prognati erant. *Poſteriora* illa, *conteret ſerpentis caput*, jam inde ab ipſo Chriſti Baptiſmo & deinceps cœpta ſunt

MATTH. CAP. III. VERS. 13.

ſunt adimpleri: primò nempe in ipſa tentationis hiſtoria, quam proximè memorat Euangeliſta: deinde in Euangeli prædicatione, cujus vi atque efficaciâ Diaboli impetus coerceri debuit, totumque ejus imperium ſenſim diminutum, funditùs everſum eſſe & extirpatum.

Harmonia & Explicatio.

MATTH. 3: 13. *Tunc advenit Jeſus*, &c.

TAntus erat Tabernaculi in eremo apparatus, ut ſextus ferè excurrebat menſis priuſquam abſolutum eſſet, & ſolenniter erectum. Decimo etenim die menſis *Tiſri*, qui noſtro *Septembri* reſpondet, *Moſes*, poſtquam jam tertiò quadraginta dies jejunaverat, à monte deſcendit de Deo populo ſuo rurſus reconciliato, lætum apportans nuncium, cujus rei fidem fecerunt inſtauratæ Legis Tabulæ: & tùm quidem Tabernaculum erigendum haud invito cœtui præcipiebat. Ex eo die cœperunt munera offerri, & quæ opus erant procurari, & ad ſextum menſem nempe *Abib*, *Exod*. 40. peractum eſt opus & debitè extructum Sanctuarium. Pari temporis intervallo perfectum eſt Euangelii opus: ſex etenim menſes priùs natus eſt *Joannes*, quàm *Chriſtus*, totidemque etiam prædicando baptizandoque, *Chriſto* præivit, Euangelicæ ſtructuræ quaſi prima ponens fundamenta, totumque opus ut feliciter deinde procederet, ſedulò proſpiciens. Quemadmodum enim Salvator noſter muneri ejus, trigeſimo ætatis ſuæ anno inauguratus erat, idque ex Legis præſcripto, uti ſtatim fuſiùs oſtendemus; haud aliter *Baptiſta*, quum trigeſimum attigiſſet annum, prædicare incepit, ſexto nempe qui excurrebat, menſe, citiùs quàm ipſe *Chriſtus*. Quod eò lubentiùs quis concedet, quò diligentiùs cogitaverit quanta hominum turba ab eodem baptizata erat, & quot loca prædicandi gratiâ peragrata. De itineribus ejus teſtatur *Lucas*, *Cap*. 3: 3. *Venit igitur in omnem regionem circumjacentem Jordani, prædicans Baptiſmum reſipiſcentiæ*. De baptizatorum numero *Matthæus*, *Cap*. 3: 5. *Exivit ad eum Hieroſolyma, & tota Judæa, totaque regio circumjacens Jordani: & baptizabantur ab eo*. Tantam verò multitudinem baptizari, tamque diverſa loca percurri (præſertim ſi ſubinde ceſſatum fuerit, datumque quieſcendi ſpatium) non eſt paucorum dierum opus.

MATTH. CAP. III. VERS. 13, 14.

Cur verò *Chriſtus*, ipſa puritate purior, nulliuſque omnino purgationis indigus, baptizari voluit, multæ adduci ſolent rationes.

I. Ut hoc ſymbolo in Chriſtianorum ſocietatem cooptaretur, quemadmodum Circumciſione *Judæis* ſe adjunxerat. Velut Reges, (ſic *Janſenius*) quò ſubditorum animos ſibi aſtrictiores habeant, ſe etiam inſtar inferioris ordinis civium, municipio adſcribi patiuntur.

II. Ut *Joannis* Baptiſmum ſuo etiam teſtimonio muniret, & ab illo viciſſim qualis ipſe eſſet declararetur.

III. Ut ſuo ipſius Baptiſmo aquam in Eccleſiæ uſum ſanctificaret.

IV. Ut ſuo etiam exemplo quod de hac re præceperat confirmaret, & ne quis Sacramentum negligat cautiores nos redderet.

V. Ut de cœlo Filius Dei denunciaretur.

VI. Ut Trinitatem eâ occaſione manifeſtiorem redderet.

VII. Ut Spiritum Sanctum in aquam Baptiſmi deſcendere indicaret.

VIII. Ut omnem, uti ipſe teſtatus eſt, juſtitiam impleret. Quæ quidem præcipua eſt & inſtar omnium ratio: de qua mox plura.

VERS. 14. *At Joannes obnixè prohibebat eum.*

Sic etiam *Petrus Chriſtum*, ne pedes ejus lavaret, prohibuit non protervo aliquo contranitendi ſtudio, ſed piâ humilitate atque ſuæ indignitatis ſenſu debitè affectus. Cùm ergo ſimilis omnino eſſet hoc in caſu *Joannis* animus, probabile eſt eum ad tria potiſſimùm reſpexiſſe pro ratione perſonarum tunc præſentium, Chriſti nempe, populi, atque ſui ipſius.

I. Si *Chriſtus* ſpectetur, non opus habuit Baptiſmo; & propterea eum prohibuit.

II. Si populus, ideo prohibuit, ne forſan cùm *Chriſtum* cerneret, uti alios, Baptiſmo purgatum, malè forſan exiſtimaret illum etiam communi peccati labe inquinatum.

III. Si ipſe Baptiſta ſpectetur, qui multoties & conſtanter plebi dixerat, eum qui poſt ſe venturus erat ſeipſo longè præſtantiorem eſſe, Baptiſmumque ab illo inſtituendum huic quem ipſe celebrabat multò anteire: neceſſe quodammodo erat eum prohibere, ne forſan populus ſecus exiſtimaret atque ipſe dixerat, dum *Chriſtum* à

MATTH. CAP. III. VERS. 14.

Joanne, veluti inferiorem à ſuperiori, baptizatum videret.

IV. Veriſſima verò hujus averſationis cauſa erat, quòd Chriſti dignitatem adeo præ ſua ipſius immenſam intellexerat, hujus majeſtatem puritatemque eò uſque cum ſua ipſius tenuitate atque immunditie contulerat, ut ex animo diceret, *Sibi potiùs opus eſſe ut ab eo baptizaretur*, &c. Non quaſi Chriſto obniti collibitum eſſet, vel miniſtrandi officium declinaret: verùm altè inſidebat animo, quàm ingens eſſet perſonarum inæqualitas, quàm nulla ſua eſſet cum ea Chriſti conferenda dignitas.

Cæterum haud ineptè hîc percunctari queat aliquis, unde demum *Joannes* hunc *Chriſtum* fuiſſe reſciſceret, quandoquidem confitentem habemus — *Ego non noveram eum, ſed qui miſit me ut baptizarem aquâ, ille mihi dixerat, Super quem videris Spiritum deſcendentem, ac manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat Spiritu Sancto*, *Joann.* 1:33. Dixit autem *Joannes*, *Mihi opus eſt ut à te baptizer*, priùs quàm Spiritus Sanctus deſcenderat. Multa hîc reſponderi ſolent: at non multa quæ tollunt ſcrupulum.

I. Nonnulli exiſtimant verba illa, *Ego eum non noveram*, &c. à *Joanne* dicta fuiſſe ad tollendam omnem de teſtimonio ejus ſuſpicionem. Quum *Jeſus* & *Joannes* conſanguinei eſſent, (quippe ex cognatis ſati, *Luc.* 1:36.) ita forſan accipi poſſent elogia illa de *Chriſto*, quaſi conſanguinitatis memor, & cæco animi affectu commotus *Joannes* ea protuliſſet: quamobrem omnes obteſtatur, ſe nihil eo ſtudio dixiſſe, verùm omnia juxta Numinis afflatum. Sic *Chryſoſtomus* & *Theophylactus*. Quæ reſponſio, ſi cuiquam, quod vix credam, ſcrupulum eximat, ſaltem non niſi ad minimam quæſtionis partem extendit, quod ſummum eſt nequaquam attingens.

II. Alii aliter. *Joannes*, ajunt, priùs quidem intellexit illum *Chriſtum* eſſe; at verò eundem eſſe qui Spiritu Sancto atque igne baptizaret, id minimè intelligebat, donec Spiritum viderat ſuper eum deſcendentem. Sic rurſus *Theophylactus*, quam ita amplectitur ſententiam, quaſi maximè propriam quæ omnem dubitationem planè adimere ſufficiat. Hanc autem ægrè quis ex *Joannis* concione expiſcari poſſit. Nuſquam enim ille *Chriſtum* diſtinguit ab eo qui baptizare debuit Spiritu Sancto & igne. Verùm procul omni dubio, & populi expectatio, & verba *Joannis* ita de *Chriſto* erant, quaſi de eadem illa perſona qui Spiritu baptizare debuit, aliter atque ſtatuunt hujus ſolutionis fautores.

MATTH. CAP. III. VERS. 14.

III. Longiùs adhuc abeſt à ratione eorum ſententia, qui *Joannem* ſtatuunt *Chriſtum* revera non noſſe tùm cùm eum baptizare abnuebat, verùm pro alio viro ſancto admodum & eximiæ pietatis habuiſſe, uſque dum deſcenſu Spiritûs Sancti errorem ſuum intellexit. Cui tamen refragatur admodum, quòd *Joannes*, qui cœlitùs in mandatis habuit omnes ad eum accedentes baptizare, ab alio quovis præterquam ſolo *Meſſia* baptizari ipſe exoptaret: quod nemo ſanus ſuſpicari poteſt. Præterea, verba illa, *Opus eſt mihi ut à te baptizer*, abundè indicant, illum tunc intellexiſſe, virum à quo id expetebat eundem eſſe qui Spiritu Sancto baptizaret, uti mox apertiùs oſtendetur.

IV. Nec minùs impropria ac diſtorta eſt *Auguſtini* expoſitio, nempe *Joannem* probè intellexiſſe illum, & *Chriſtum* eſſe, & eum qui Spiritu Sancto baptizaret: verùm dubitaſſe, num ad eum *ſolùm* atque *unicè* pertinebat Spiritu Sancto baptizare; huc uſque ignoraſſe annon forſan Diſcipulos ſuos ejuſdem juris & poteſtatis participes faceret, donec per deſcenſum Spiritûs Sancti meliùs tandem inſtructus eſſet. Hanc autem baptizandi proprietatem in quatuor hiſce actionibus fundarunt Scholæ. I. Quòd ſolus *Chriſtus* Baptiſmum *inſtituit*, etiamſi Miniſtris eundem adminiſtrandi copiam fecerit. II. Quòd ille gratiam impertire poſſit etiam abſque Sacramenti uſu; quod Miniſtris non convenit. III. Quòd morte ſuâ Baptiſmum reddidit efficacem. IV. Quòd hujus nomine Baptiſmus adminiſtratur. Hanc autem expoſitionem violenter expreſſit *Auguſtinus*, ut haberet quod in *Donatiſtas* torqueat, qui Sacramentum ab improbo Miniſtro celebratum inefficax eſſe docuerunt: quæ tamen adeo perquam aliena à textûs ſcopo eſt, ut nemini unquam in mentem venire poſſit, quicquam de *proprietate* Baptiſmi ex deſcenſu Spiritûs *Joanni* ſubolere poſſe.

V. Specioſior eſt eorum ſolutio, qui tradunt *Joannem* quidem *Chriſtum* priùs noſſe quàm Spiritus deſcendebat; verùm minùs perfectè quàm poſteaquam ejus illapſu clariùs monebatur.

VI. Ut autem omnis penitùs eximatur ſcrupulus, tria quæ ſequuntur obſervatu ſunt neceſſaria.

I. Quòd etiamſi *Joannes* certior eſſet factus de *Meſſiæ* incarnatione, de perſonæ ejus excellentia, de inſitis ejus & divinis gratiis,

&

Digitized by Google

MATTH. CAP. III. VERS. 14.

& de adventu tunc temporis inſtante, eum tamen ante illum diem nunquam aſpexerat, nec vultum erat contemplatus, adeo ut ſi obviam daretur, ab altero quovis non potuit eum internoſcere, priuſquam baptizaretur.

II. Quòd etiam tunc temporis eum agnovit præſenti atque novâ revelatione, ut *Samuel Saulum*, 1 *Sam*.9: 15, 17. Nam ſi adhuc utero incluſus, appropinquante Chriſto etiam materno utero incarcerato, exultarit *Joannes* embryo; quantò magis afflante divino Spiritu nunc ut eundem ſentiret atque agnoſceret præſentem, facilè credamus?

III. Quòd nota illa *Meſſiæ*, *In quemcunque videris Spiritum Sanctum deſcendentem*, &c. non erat *Joanni* data quaſi primæ cognitionis occaſio, verùm ad iſtius quam etiam tùm habuit cognitionis confirmationem, & ut de eo jam abundè inſtructus, qualis eſſet populo confidentiùs commonſtraret. Hujuſmodi ſignum erat *Moſi* olim datum, *Exod*.3: 12. non quaſi tùm primùm ei innotuiſſet Deum illum miſiſſe, ſed ut in eo quod priùs crediderat porrò ſtabiliretur; nec tam ſui quàm populi gratiâ ea dicebantur.

Mihi opus eſt ut à te baptizer.] Scil. Baptiſmo Spiritûs Sancti, non illo aquæ Baptiſmo quem ipſe aliis impertivit. Nam,

I. *Chriſtus* nunquam aquâ baptizavit, *Joann*.4: 2. illum verò Baptiſmum (ſive Sacramentum) aliis delegavit.

II. *Chriſti* Baptiſmus erat iſte Spiritûs Sancti, *verſ*. 11. nec dubitandum quin cùm *Joannes* à *Chriſto* baptizari cupiat, eum expetat Baptiſmum qui ei peculiaris erat.

III. Adverſatur rationi, ut *Joannes* conqueratur illud ſibi opus eſſe, cujus abundè ipſe aliis ſuppeditavit. Quanquam ipſe aquâ non eſſet baptizatus, quandoquidem à Deo ſingulari modo ad iſtud opus erat conſtitutus, proculdubio iſtiuſmodi baptiſmo minimè omnium indigere potuit, baptizatorum omnium Magiſter & Coryphæus.

IV. Eſto, quod etiam contendunt nonnulli Interpretes, quòd *Joannes* de aquæ Baptiſmo locutus fuerit: non tamen inde ſequitur verba ejus de abſoluta Baptiſmi neceſſitate eſſe intelligenda, verùm de comparata: Vin tu à me baptizari? Imò verò oportet magis ut ego à te baptizer. Sic enim *opus eſt* non ſemper neceſſitatem, ſed aliquando convenientiam denotat. Sic etiam Rabbinicum צריך promiſcuè uſurpatur, & iſtiuſmodi alia in aliis linguis quamplurima.

MATTH. CAP. III. VERS. 15.

VERS. 15. *Omitte me nunc.*

Emphaſis præcipua hujus clauſulæ in vocula *nunc* ſita intelligitur. Quaſi *Chriſtus* qui revera Dei filius erat, & potenter non longè poſt declarandus, ut *Rom*.1:4. voluit tamen *nunc*, ut gloria ejus humilitate obtegatur, Divinitaſque ſuo in tempore patefacienda impræſentiarum deliteſcat. Hæc interpretatio frequens admodum eſt apud Interpretes, imò nulla frequentior aut majoris habita: attamen quàm ponderoſa ſiet judicet lector. Nam,

I. Hic Chriſti Baptiſmus non erat idonea Divinitatem ejus obvelandi, ſed potiùs manifeſtandi, occaſio: tunc etenim à cœlo pronunciabatur ſupremi Dei filius.

II. Non opus eſt aliâ verborum iſtorum ratione, *Omitte me nunc*, quàm eâ quam ipſe Chriſtus attulit, *quia decet nos implere omnem juſtitiam*. Particula *nunc*, uti in Anglica Verſione eſt, optimè putetur reſpondere, נא vel עתה apud Hebræos uſitatiſſimis obſecrandi vel ſuadendi particulis; cui faveret admodum LXX. tranſlatio, ſiquidem iſtas voculas per ἄρτι vertiſſent, (quæ in hoc textu habetur) quod tamen non fecerunt. Quapropter faciliùs inducimur, ut credamus eam hîc *emphaticè* interſeri, idque hoc forſan reſpectu. *Joannes* ſæpe ſæpius populum certiorem fecerat de ſpirituali Chriſti Baptiſmo, atque eo quidem ſibi opus eſſe recenter dixerat, cui quaſi idem repetenti reſpondet *Chriſtus*, *Omitte me nunc*: q. d. Verum quidem eſt me qui te ſequor ratione temporis, Spiritu Sancto baptizare; & tibi magis opus eſſe meo Baptiſmo, quàm mihi tuo: attamen nondum venit hora Baptiſmi mei; priùs implenda eſt omnis quæ à me exigitur juſtitia; & tùm demum Spiritum Sanctum meo illo Baptiſmo liberaliter aliis impertiam. *Nunc* autem omitte me: ſine à te baptizer, quia nondum tempus eſt ut ſpiritualis meus Baptiſmus exhibeatur.

Ita enim decet nos implere omnem juſtitiam.] Summa hujus clauſulæ difficultas eſt in voce *juſtitia*, quâ ſemel perſpectâ, quæ in cæteris minutiis obſcura videantur, citò & facilè reddentur manifeſta.

I. *Hilarius*, quanquam ſubobſcurè loquatur, videtur *juſtitiam Legis* intellexiſſe. *Ab eo*, inquit, *omnis juſtitia erat implenda, à quo ipſa Lex implenda erat*.

II. *Hieronymus* apertiùs loquitur & rotundiùs, omnem intelligens juſtitiam, cùm Legis, tum naturæ. Quòd

MATTH. CAP. III. VERS. 15. ſi de *Chriſto* ſolo hoc diceretur, ſatis aptè de utrolibet juſtitiæ genere exponi potuiſſet. Cæterum cùm per plurale *nos*, *Joannes* cum *Chriſto* quaſi actionis particeps conjungatur, parùm videtur tutum *juſtitiam* per *Legis* juſtitiam interpretari; quia enim à pietate alienum eſt, ut *Joannes*, æquè ac *Chriſtus*, omnem Legis juſtitiam implevisse exiſtimetur.

III. *Theophylactus* aliique in eandem feruntur ſententiam, etiam aliquid ulteriùs adjicientes: nimirum, *Chriſtum* etiam antequam baptizaretur, omnem juſtitiam Legis implevisse, præterquam quòd non eſſet baptizatus. Hoc autem peracto, nihil ſuperfuiſſe quod ille non perfectè adimpleverat. Verùm plurale *nos* & priori & huic etiam interpretationi adverſatur. Et præterea difficile admodum eſſet probatu, Baptiſmum, ita uti à *Joanne* adminiſtrabatur, fuiſſe partem aliquam Legis à *Chriſto* implendæ.

IV. Alii verba ad literam accipiunt, & per *juſtitiam* intelligunt juſtitiam diſtributivam, cujus partem eſſe ſtatuunt Baptiſmum. *Qui enim Chriſti Baptiſmum ſuſcipit*, inquit *Ludolphus*, *miſeretur animæ ſuæ, placens Deo, ſalutis medelam ſuſcipiens; & humiliter ſubditur creatori ſuo, ejus inſtitutioni obediens; proximumque exemplo ædificat, eum ad bonum inducens. Sic ergo omnem juſtitiam implet, quia Deo, & ſibi, & proximo facit quod debet.* Hem! clarum Baptiſmi elogium, novumque de Lege implenda commentum! quod nemo quiſquam, ut opinor, ante eum vel ſomniando cogitaverit.

V. Ut alia aliorum mittam interpretamenta tam à textu ipſo, quàm à veritate aliena, *Janſenius*, aliique in eundem ſenſum, etiamſi breviùs, hac paraphraſi illuſtrat locum. *Senſus eſt*, inquit ille, *ſecundùm hanc rationem, quâ à te per humilem ſubmiſſionem baptizari volo, decet ut nos, quia à Deo Patre miſſi ſumus, quò ab omni injuſtitia homines avocemus, populumque doceamus, adimpleamus, & opere præſtemus quicquid juſtum eſt, nihil quàmlibet minutum aut leviculum prætereuntes quod divinæ voluntati probari agnoverimus. Proinde non ſignificat, quòd per Baptiſmi ſuſceptionem adimpleat omnem juſtitiam; ſed quòd ſecundùm hunc modum quicquid juſtitiæ ſpeciem habet, non ſit omittendum ab eis: quòd ſcil. ipſis tanquam omnis juſtitiæ Magiſtris & Doctoribus, nihil ſit prætermittendum quod juſtum ſit, etiamſi ad illud non ſint neceſſitate aſtricti, aut res illa ex ſeſe levicula videatur.* Quæ quidem expoſitio utcunque ſana ſit, & quoniam vera eſt, ideo non improbanda. Huic tamen loco non eſt ex omni parte congrua, nec ſatis accommodata. Quum enim ſumma vis, & ut dici ſolet, ſuccus & ſanguis hujus interpretationis in eo potiſſimum ſit, quòd *Joannes* & *Chriſtus*, populi inſtructores cùm eſſent, *exemplis* ſuis non minùs quàm *præceptis* rudiores erudire debuiſſent: judicet lector, num quâ rationis ſpecie inde colligi poſſit, ipſum *Joannem* nunquam fuiſſe baptizatum: & proinde utrùm hujuſmodi expoſitio apta ſit, & debitè attemperata. MATTH. CAP. III. VERS. 15.

VI. Rectiùs collimavit *Chemnitius*, & ſcopum ferè attigit, dum *juſtitiam* ad homines referendam ſtatuit. Hoc modo: Quandoquidem *Chriſtus* ideo venit, ut juſtitiam in homines transferret, eoſque ſanctificaret, noluit propterea quicquam eorum omittere, quod huic fini conſequendo aptum eſſet aut utile: quapropter Baptiſmum ipſe ſui Baptiſmo conſecrare voluit, ut purgandis hominibus atque promovendæ ſanctificationi exinde eſſet efficacior. Hoc eſt itaque implere omnem juſtitiam, nempe ea omnia facere quæ adaugendæ in hominibus juſtitiæ quovis modo inſervire poſſunt. Et in quantum *Joannes* erat Miniſter Baptiſmi, idcirco in plurali loquitur, *nos decet*, quaſi ſibi ſocium *Joannem* adjungens. In hunc ſenſum ille copioſè admodum & quàm alii magis appoſitè; quanquam, nî fallar, vel ipſe à ſcopo aliquantulum aberravit.

I. In eo videtur erraſſe, quòd neceſſitatem quandam aſtruit, ut *Chriſtus* per ſe ea præſtaret, per quæ homines deinceps erant ſanctificandi: quum revera *Chriſti* inſtitutio etiam abſque exemplo abundè ſufficiat: exemplo ſit hoc de quo agitur Baptiſmi Sacramentum. Quòd ſi *Chriſtus*, mediante *Joanne*, ſemel inſtituerit per omne ævum in Eccleſia ſua obſervandum, nullus equidem video, quomodo, ſi *Chriſtus* ipſe à *Joanne* baptizari vellet, aliquid novæ aut majoris efficaciæ inde acceſſerit, præterquam quod in ipſa inſtitutione eſſet: nihil ſanè niſi quòd populus hoc monitus exemplo, majore dignum reverentia in poſterum exiſtimaret.

II. Audacior videtur & temeraria cogitatio, quæ *Chriſtum* ſupponit conſilii ſui & rei gerendæ participem velle quenquam hominum facere in iis quæ ad eorundem juſtificationem pertinent; maximè verò tanto paritatis gradu, quemadmodum voculæ iſtæ, *ita* & *nos*, videntur connotare.

Quocirca per *juſtitiam* hoc in loco intelligi

Digitized by Google

MATTH. CAP. III. VERS. 15.

ligi cenſeo *æquitatem* Legis, quam Chriſtus adimplevit, Legis non quà moralis erat, hanc enim ſententiam priùs rejecimus; ſed quà prophetica, typica, figurativa. Non quaſi *Chriſtus* etiam moralem non impleverit: hoc etenim abundè fecit, utpote ab omnimoda peccati labe in dictis, factis, cogitationibus immunis; imò verò vel hinc conſtat, eum perfectiſſimè illam impleviſſe, quòd etiam minutias atque apices hoſce noluit præterire. Atque huic noſtræ ſententiæ de *juſtitia* pro æquitate (ſive ſubſtantia) Legis cæremonialis atque typicæ ſumptâ, favent non modò res ipſa & loci ſcopus, quin etiam quævis hujuſce clauſulæ vocula eandem firmat ſtatuminatque.

Nam I. ſi Legem Cæremonialem accuratè expendamus, & quorſum data erat cogitemus ſeriò, facilè comperiemus non eum fuiſſe Legiſlatoris animum, ut ſingulæ ejus partes neceſſariò ad literam obſervarentur; ſed potiùs multa quaſi futura bona indicantia, & ad ea expectanda animos hominum dirigentia, præcepta fuiſſe agnoſcemus. Nec tanta inerat ipſis mandatis quoad literam vis, aut tanta in externa obſervatione præſtantia; quanta erat illa quæ in typicis futurarum rerum prædictionibus conſiſtebat, & præſagâ quâdam declaratione. Atque ut ut *Judæi* ritus cæremoniaſque iſtas obſervare tenebantur, ſemper tamen & præcipuè ſpectabant veram illam à *Chriſto* adimpletionem, quæ intima erat & genuina earum æquitas & perfectio.

II. Si Baptiſmum in genere, de quo nunc agitur, reſpiciamus, & ſpeciatim illum *Chriſti*; utrumque legalibus iſtis ritibus dudum fuiſſe præfiguratum infra demonſtravimus.

III. Erat etiam aliqualis neceſſitas, utcunque minor tamen, ut *Chriſtus* vel Cæremonialem Legem impleret. Quemadmodum Lex *Moralis* dici queat Lex *fidei*; ita etiam *Cæremonialis* Lex *ſpei* dici poteſt, ut etiam *Judicialis* Lex *charitatis*. *Moralis* quid præſtandum erat monſtravit; quin & oſtendit unà, quanta eſſet hominum impotentia atque imbecillitas, & quàm impares eſſent ſuſtinendo oneri: cujus rei cum conſcii eſſent, ad *Chriſtum* convolare neceſſe erat, qui illorum vice Legem implevit: atque adeo Lex juxta literam mortis nuncia, juxta ſpiritum mutatur in doctrinam fidei ſalutiferam. Et poſteaquam Lex Moralis *Judæum* hoc modo ad fidem perduxerat, acceſſit Lex Cæremonialis, ſpei introducendæ haud minùs idonea: typicæ etenim illæ obſervationes homines in memoriam revocabant adventûs *Chriſti*, & qualis futurus eſſet fructus, quàm ingens emolumentum inde obveniret, quòd *Chriſtus* Legem Moralem perfectè implere debuit, quotidie prænunciabant. Quemadmodum ergo reſpectu *omnium* abſolutè neceſſarium erat ut *Chriſtus* Legem *Moralem* impleret; ita etiam reſpectu *Judæorum* neceſſe erat ut *Cæremonialem* obſervaret, ut tandem agnoſcerent non irritas fuiſſe & vanas ejus prædicandi methodos. Quum enim is præcipuus eſſet externæ obſervationis finis, ut eorum animi ad *Chriſtum* attollerentur, in quo vigor ejus atque efficacia unicè conſiſtebant; profectò admodum erat neceſſarium, tam hujus populi quàm totius humani generis reſpectu, ne quis ejus apex abſque adimpletione intercideret. Nec tam ex hac Lege, quàm ex Morali, deinceps demonſtrari poteſt, eundem illum eſſe *Chriſtum*, quem expectabant. Saltem ſi minùs neceſſarium, attamen utile erat & idoneum, uti dicit ipſe Chriſtus, *Decet* nos implere omnem juſtitiam Legis Cæremonialis. Cæremonia verò ad quam potiſſimùm reſpexit *Chriſtus*, erat illa lotionis quam obſervabant Sacerdotes cùm primùm ſacra peragere occeperunt, *Exod.* 29: 4. *Levit* 8: 6. cujus æquitas in *Chriſto* comparuit, quòd Miniſterium ſuum ſtatim aggreſſurus baptizari voluit. Qui quidem primarius erat præcipuuſque finis quare *Chriſtus* baptizaretur, nempe ut illo ritu ad Miniſterium ſuum inauguraretur.

LUCÆ CAP. III. VERS. 21.

LUC. 3: 21. *Factum eſt autem quum baptizaretur omnis populus.*

Per *omnem* non hîc intelliguntur omnes à *Joanne* unquam baptizandi; illud adverſatur *Joannis* Capiti 3: 23. ubi eundem etiam poſt excurſum annum uſque baptizantem invenimus. Cæterum omnes iſti quos priùs memoraverat Euangeliſta, omnes ex *Hieroſolymis* & *Judæa* profecti, Phariſæi, Sadducæi, Publicani, Milites, quos omnes hîc quaſi in ſumma totali comprehendit, ut luculentiùs conſtaret quanta hominum multitudo etiam ante *Chriſti* adventum in fidem ejus baptizabantur.

Illud autem forſan interroget aliquis, ecqua fœmina tanta in turba à *Joanne* eſſet baptizata? Et ſanè fere ex æquo ponderant quæ hinc inde dici poſſunt. Negativæ parti favet altum in textu de ea re ſilentium: quanquam affirmativam haud minùs probabiliter ſuadet ratio. Nam

I. Baptiſmus iſtiuſmodi erat ritus cujus fœminæ non minùs quàm mares erant ca-

paces, ſecus ac erat in Circumciſione. Nihil ergo ex parte rei obſtabat.

II. Debuerunt & illæ æquè ac mares pœnitentiam agere, & proinde idoneæ erant ratione conditionis, ad quam præſtandam perinde ac viri erant idoneæ.

III. Litem ulteriorem planè dirimit illud Salvatoris noſtri teſtimonium de baptizatis fœminis, *Matth.* 21: 32. *Venit ad vos Joannes viâ juſtitiæ, & non credidiſtis ei: Publicani verò &* meretrices *crediderunt ei.*

Et Jeſus baptizatus eſſet.] Quod ad tempus, locum, & modum Baptiſmi hujus attinet, adeo altum eſt hoc in loco Euangeliſtarum ſilentium, ut quicquid de iis ſtatui queat, ex aliorum textuum collatione ſiter uendum. Atque inde de tempore quidem certò & accuratè, de loco dubiè, de modo nihil omnino determinari poteſt. Quod ergo ad anni tempeſtatem quâ baptizatus erat attinet, ea unicè, vel ſaltem præcipuè inveſtigari debet ex tempore obitûs ejus, retro inde numerando per illud ſpatium quo prædicandi munus exercebat.

Erat autem illud ſpatium trium integrorum, uti ſupra monuimus, annorum cum dimidio, ſcil. ex quo primùm prædicare incepit uſque ad mortem. Atque hujus forſan reſpectu evenit, ut ea temporis portiuncula paſſim in Sacro Codice, quaſi præ aliis eximia eſſet, crebrò & multifariè memoretur. Nunc quidem totidem verbis, ut *Luc.* 4: 25. *Tres anni & ſex menſes:* nunc aliis verbis effertur, ut *Dan.* 9: 27. *Medium ſeptimanæ* dicitur: alii aliter, ut *tempus, tempora, & dimidium temporis, Dan.* 12: 7. *Apocal.* 12: 14. aliquando, *Dies mille ducenti ſexaginta, Apocal.* 11: 3. & 12: 6. aliquando, *Menſes quadraginta duo, Apocal.* 11: 2.

Ut autem manifeſtiùs oſtendatur hujus prædicationis tempus, adeundus eſt imprimis iſte quem nuper citavimus *Danielis* textus, *Cap.* 9: 27. ubi dicitur, quòd *Meſſias corroboraret fœdus multis unâ ſeptimanâ*, vel *in illa una* ſeptimana quæ erat è ſeptuaginta noviſſima. Nam primò ſeptem ſeorſim numerat ſeptimanas, mox ſexaginta duas, *verſ.* 25. quæ conficiunt ſexaginta novem; & deinde cùm ad ultimam quæ ſeptuageſima erat devenit, *in illa*, inquit, *una ſeptimana Chriſtus* corroborabit fœdus multis; & deinde quantum temporis in eo negotio inſumendum erat enarrans, ait, *In medio ſeptimanæ ipſius abolebit ſacrificium & munus.*

Quòd verò ſeptimanæ ſingulæ annorum ſeptimanæ reſpondeant, nemo uſpiam eſt qui dubitarit, nedum negaverit. Quamobrem omnino fatendum eſt, per dimidium ſeptimanæ dimidium ſeptennii ſive tres annos cum dimidio intelligi debere. Hoc itaque quod hîc loquitur Angelus *Gabriel* temporis ſpatium, *Chriſto* ad corroborandum fœdus & abolenda ſacrificia & cæremonias deſignatum, illud erat quo prædicavit, nempe à Baptiſmo ad mortem.

Deinde ſi non ad probationem, ſaltem ad illuſtrationem ſufficere poteſt & alter ille Euangelii locus, *Luc.* 4: 25. non ita pridem à nobis productus, ubi *Elias Chriſti* typus exhibetur, exitu diſpariter pari, & concordi quadam diſcordiâ ſimilis. Quemadmodum ille cœlum precibus per tres annos & ſex menſes ita occluſit, ut arentem terram pluvia non reficeret: ita *Chriſtus* cœlum in Baptiſmo ſuo aperuit, teſte ipſo quem jam tractamus verſu, & per æquale temporis ſpatium cœleſti ſuâ doctrinâ quaſi ſtillante rore, *Deuter.* 32: 2. mundum irrigavit.

III. Hanc de Baptiſmi tempore ſententiam, non ſolummodo arguit vaticinium, typuſque illuſtrat; verùm etiam ipſa Hiſtoria Euangelica eandem firmat corroboratque. *Joannes* tres emenſus eſt annos intra quatuor Paſchata concluſos. Quorum primi mentionem fecit *Cap.* 2: 13. ſecundi, *Cap.* 5: 1. tertii, *Cap.* 6: 4. quarti, *Cap.* 13: 1. &c. Quod autem reſtat anni dimidium (ante primum Paſcha numerandum, quandoquidem *Chriſtus* ad quartum occubuerit) his fere geſtis videtur fuiſſe occupatum, viz. in profectione in ſolitudinem & jejunio quadraginta dierum, *Matth.* 4: 1. in reverſione ad *Jordanem*, & circa ea loca commoratione, *Joann.* 1: 29, 35, 44. in navigando *Galilæam*, & miraculum *Canæ* edendo, *Joann.* 2: 1. in migratione ad *Capernaum*, & aliquali ibidem morâ, *Cap.* 2: 12. deinde in itinere ejus ad *Hieroſolymas* ad Paſcha quod erat prædictorum quatuor primum, *Joann.* 2: 13. Quocirca cùm jam clarè probatum dedimus, illum per integrum triennium & ſex menſes prædicaſſe, totum nimirum ſpatium à Baptiſmo ejus donec è vivis exceſſit, adnotetur modò illum ad feſtum Paſchatis obiiſſe, ultrò conſequitur eum baptizatum fuiſſe ſexto retro à Paſchate numerando menſe, hoc eſt, menſe *Tiſri*, ſive *Septembri*. Quòd ſi advertatur porrò, eum tunc quidem fuiſſe baptizatum cùm novum iniret ætatis ſuæ annum; ſequetur inſuper, eum eâdem etiam anni tempeſtate natum fuiſſe, uti infra obſervabitur. Quid autem aliud erat, obſecro, omnes

Digitized by Google

LUCÆ CAP. III. VERS. 21.

omnes appello, quod hunc unum menſem ideo celebrem per totum Vet. Teſtamentum reddidit tam ante quàm poſt datam Legem; quid, inquam, aliud quàm quòd hujus nativitatis reliquorumque geſtorum magnorum figuram exhibuit, & olim futura quodammodo prænunciavit?

Utcunque autem certa ſint hæc argumenta pro anni tempeſtate, nihilominus conjecturæ ſolummodo pro menſis ipſius parte adduci poſſunt. Hanc autem eam fuiſſe quâ feſtum Tabernaculorum celebrari ſolet, nempe decimo quinto die menſis, *Levit.* 23: 33. hiſce rationibus haudquaquam temnendis innixi conjectamus.

I. Quia mortem obiit decimo quinto menſis *Abib* ſive *Niſan:* quapropter ut dimidium illud anni, de quo diximus, integrum ſit, ſuiſque numeris completum, inchoandum eſt computum à decimo quinto *Tiſri.*

II. Quia feſtum Tabernaculorum non minus typicum erat, quàm vel Paſcha, vel Pentecoſte. Quum ergo quicquid figuræ vel ſignificationis in poſterioribus iſtis erat perfectè adimpleverit, (mortuus enim eſt ad Paſcha, & ad Pentecoſten miſit Spiritum Sanctum) nihil profectò eſt quod quenquam inducat, ut credat eum Tabernaculorum feſtum penitùs præteriiſſe quaſi typi ac figuræ vacuum. Cujus tamen æquitatem niſi nativitate ſuâ atque Baptiſmo præſtiterit, certè non omnino præſtitit.

III. Hujuſce feſti natura, inſtitutio, atque inſtitutionis ratio eò apertiſſimè reſpexerunt. Quanquam enim *Moſes* unicam unius in feſto conſuetudinis rationem allegat, *Levit.* 23: 42, 43. *In illis tabernaculis manetote ſeptem diebus; quiſquis indigena eſt in Iſraële, maneto in tabernaculis: ut cognoſcant generationes veſtræ, me feciſſe ut in tabernaculis habitarent filii Iſraëlis cùm educerem eos è terra Ægypti.* Erant nihilominus quamplurimæ aliæ rationes primæ ejus originis atque inſtitutionis. Quarum primaria hæc fuit. Quum *Moſes* diuturno jejunio atque precatione Deum propter fabricatum Vitulum iratum placaverat, & quas confregerat ipſe Legis Tabulas denuo inſtauratas acceperat, unà cum authoritate Tabernaculi de novo erigendi propter iſtud peccatum aliquandiu impediti, decimo menſis *Tiſri*, id eſt, ex noſtro computo viceſimo ſecundo vel viceſimo tertio *Septembris*, à monte deſcendens, lætum de pacato Numine & recuperato ejus favore apportat nuncium; qui deinde dies in perpetuam reconciliationis atque expiationis memoriam ſolennis habebatur. Populus autem, cùm jam intelligeret figendum eſſe Tabernaculum, Dei inter eos habitantis ſedem, nec inde, ſcil. à monte *Sina*, abeundum eſſe, donec iſtud opus abſolutum eſſet; caſtra ponere, & tentoriis adverſus adventantem hyemem ſe munire inceperunt, atque opus læti aggrediuntur. Atque hæc erat iſtius ſolennitatis origo. Quòd ſi umbram cum ſubſtantia, & typum cum antitypo conferamus, ea protinus exorietur harmonia quæ lectoris animum recreet ſimul & ad veritatem dirigat. Quum etenim hujus ſolennitatis occaſio eſſet quòd Deus inter populum ſuum habitare in Tabernaculo haud gravaretur, idque ſexto exacto menſe poſtquam eum ex *Ægypto* eduxerat; vide quàm accuratè hæc conveniunt cum iis quæ in *Chriſti* Baptiſmo gerebantur. Si rem ipſam ſpectemus, Deus certè tunc temporis ſe inter homines verſari velle declaravit: ſi tempus, non minor eſt convenientia, quandoquidem hoc patefactum erat, cùm jam per ſex integros menſes *Joannes* à peccati *Satanæque* tyrannide mundum liberatum iri prædicaſſet.

IV. Hoc ipſo in menſe conſecratum eſt *Templum Solomonis*, ſeptimo nimirum menſe, ſive *Ethanim*, id eſt, *Tiſri*, ex quo etiam cœpta ſunt ſacra ibidem celebrari, 1 *Reg.* 8: 2. In quantum autem *Chriſtus* ipſe Templum iſtud ſui corporis figuram fuiſſe aſſerat, *Joann.* 2. ideo tutius erit allegoriam aliquantulum amplificare; adeo ut Templi dedicatio, hujus per Baptiſmum inaugurationi reſpondeat; & quæ ibi primùm peragebantur ſacra, cum hujus Euangelicæ doctrinæ prædicatione conſentire, dicamus. Atque hactenus de tempore.

II. De *loco* inquirendum, de quo tamen nihil certè ex Scripturis affirmari poteſt: quanquam ea ſit quorundam audacia, ut vel fluvii partem erectâ cruce monſtrare, locumque propter purgatos leproſos celebrem prædicare, non vereantur. Cæterùm *Euangeliſtæ* duas ſolummodo loci notas reliquerunt, nempe intra *Judæam* fuiſſe, & in fluvio *Jordane*. Quæ quidem circumſtantiæ ideo notatu digniores ſunt.

I. Quòd poſt baptizatum Chriſtum nuſquam legimus *Joannem* vel in eadem regione unquam baptizaſſe, vel in eodem fluvio. *Bethabara* enim, ubi poſt ſex præterpropter ſeptimanas baptizaſſe dicitur, *Joann.* 1: 28. & trans Jordanem ſita eſt, & aquâ ex alio fonte promanante irrigata, *Judic.* 7: 24.

Digitized by Google

LUCÆ CAP. III. VERS. 21.

Et quòd ad *Ænon* attinet, ubi etiam poſt excurſum annum baptizaſſe memoratur, *Joann.* 3: 23. erat & locus extra *Judææ* fines, & aqua non è *Jordane* derivata, ſed è ſuo fonte ipſo illo in loco ſcaturiebat. Hinc ergo colligere eſt, quorſum *Lucas* in clauſula proximè præcedenti, univerſi populi Baptiſmum narravit priùs quàm illum Salvatoris. Quia enim tùm omnem baptizandorum in *Judæa* meſſem collegerat *Joannes*, poſt baptizatum Chriſtum alio rſum migraturus.

II. Ex eo quòd *Chriſtus* in *Jordane* atque *Judæa* baptizatus erat, tantum non neceſſariò ſequitur, eâ fluvii parte fuiſſe baptizatum, quæ olim exſiccata, *Iſraëlitis Canaanem* intrantibus patefecit aditum. Animadvertendum enim I. excercitum iſtum duplici agmine per alveum inceſſiſſe; quorum alterum dextrum S. Arcæ latus claudebat, alterum ſiniſtrum. II. Utrumque agmen duobus milliaribus ab Arca abfuiſſe, adeo ut inter ipſa agmina quatuor eſſent milliaria. III. Cùm magnum eſſet ex utraque parte agmen, nec inter itinerandum junctis ordinibus denſis & coactis eſſet, ideo neceſſum fuiſſe, ut amplum utrique ſpatium concedatur. Ex his, inquam, perpenſis, ultro ſequitur & indubiè, totum fere *Jordanem* quà *Judæam* alluit in iſthoc tranſitu fuiſſe exſiccatum. Hem autem quàm aptè, quàm ſuaviter hîc conſentiunt figura & ſubſtantia! In *Jordanis* undis ad cœleſtem *Canaanem* per Baptiſmum jam patet introitus, ipſo illo in loco, quo olim, exſiccato fluvio, *Iſraëlitæ* terreſtrem ingrediebantur.

III. Quòd ad *modum* hujus Baptiſmi attinet, nihil fere in eo erat novi, uno tantùm excepto. Deſcendebat enim pro more in aquam, aquâ reſpergebatur, precabatur quemadmodum reliqui: utrùm verò communi baptizandi formulâ nunc, ut aliàs, uſus eſſet *Joannes*, an forſan novâ, an verò planè nullâ, meritò dubitari poteſt. Communi uſum fuiſſe vix credibile eſt: tùm enim in ſuo ipſius nomine illum baptizaſſet, id quod nemo quiſquam ſuſpicari poteſt: nec in ſuo tantummodo, verùm etiam in ejus nomine qui erat venturus: at quid hoc eſſet aliud quàm alterum *Chriſtum* præmonſtraſſe? Quod ad alteras quæſtiones ſpectat, utrùm novâ uſus eſt, an nullâ, ſunt fere quæ ex æquo utrique favent; nec multùm refert in quam partem inclinaverit pondus, eſt enim curioſa magis quàm neceſſaria diſquiſitio. Quid enim impedit quin immutatâ aliquantulum phraſi, *Joannes* eum baptizare poſſit hac forſan vel conſimili formâ, Ego baptizo te aquâ ad prædicationem Euangelii? Vel quidni etiam abſque forma, quandoquidem *Chriſtus* Baptiſmum, non quà Sacramentum erat, ſuſceperit, ſed ut Legi typycæ ſatisfiat? Verùm penès lectorem eſto, ut lubuerit, determinare.

MATTH. CAP. III. VERS. 16.

MATTH. 3: 16. *Aſcendit ſtatim ex aqua.*

Commentum illud de auriculari confeſſione miram hujus loci interpretationem excogitavit. Populus enim, ut volunt nonnulli, ſtabat in aqua neſcio quàm profundè immerſus, donec peccata ſua *Joanni* confeſſus eſſet, nec alia lege inde evadere permittebatur: à *Chriſto* verò peccati omnigeni immunis non exigebatur iſtiuſmodi confeſſio, qui propterea ſtatim ac baptizatus erat, aſcendebat ex aqua. Quæ quidem interpretatio plurima in ſe habet impoſſibilia. Nam ſi omnes ſigillatim peccata ſua confeſſi eſſent, planè impoſſibile foret, ut tanta turba tam exiguo temporis ſpatio baptizari poſſit: imò rurſus impoſſibile ut *Joannes* tam diu, quàm id opus poſtularet, in aqua permaneret; certè vires ejus nequaquam ſufficerent. Si enim populus mento tenus immerſus ſtabat, nequeo quin credam etiam *Joannem* haud parum profundo fluvio ſtetiſſe. Cæterum ſubitaneus *Chriſti* poſt Baptiſmum ejus ex aqua aſcenſus, ideo ab Euangeliſta narratur, ut monſtraret, quàm preſſè & quaſi è veſtigio ſequebatur Baptiſmum cœlorum apertio; ferè eodem temporis momento: ſic enim *Marcus* habet, ***Et is ſtatim aſcendens ex aqua, vidit ſindi cælos***, &c.

LUCÆ CAP. III. VERS. 21.

LUC. 3: 21. *Et oraret.*

Videtur ex more fuiſſe, ut baptizati, ſimul ac ritus peractus eſſet, ex aqua aſcendentes Deo preces funderent; atque hinc liquet confeſſionem illam ſupra memoratam, non *Joanni*, ſed ipſi *Deo* factam fuiſſe. Quum igitur nulla eſſent *Chriſti* peccata quæ confiteretur, alius certè erat hujus precationis ſcopus. Quòd ſi eum enixè precibus contendiſſe exiſtimemus, ut *Dei* gloria adaugeretur, ut ſuo, quod tùm inchoabat, Miniſterio plurimi converterentur, ut electi in tuto eſſent, ut Eccleſia ſanctificaretur, atque id genus alia; certè haud longè aberrabimus, quandoquidem quæ alibi occurrunt *Chriſti* preces in hujuſmodi ſcopum collimaſſe comperian-

Digitized by Google

MATTH. CAP. III. VERS. 16.

periantur. Quanquam quæ nunc memorantur preces, ad illud præcipuè ſpectaſſe videntur, quod ſtatim ſubſequebatur, nempe ad miſſionem Spiritûs Sancti, & teſtimonium ad ejus gloriam de cœlo exhibendum. Hoc enim apertè videtur ſubinnuere apta & congrua rerum in narratione connexio, & continuata dicendi ſeries: Factum eſt, --- *& Jeſus baptizatus eſſet & oraret, ut aperiretur cœlum*, quaſi inde apertum eſſet cœlum, quia Chriſtus precabatur.

II. Similis fere precatio conſimilem effectum ſortita eſt, *Joann.* 12: 28. *Pater, glorifica nomen tuum. Venit ergo vox è cœlo.*

III. Notetur modò, *Chriſtum* jam magnum illud opus redemptionis & Euangelii prædicationis aggredi; & minùs mirum videbitur, ſi ſingularem aliquam ad tantum munus Spiritûs Sancti obſignationem expetiverit, & eximium de ſe, quòd verus eſſet Meſſias, teſtimonium poſtularit.

MATTH. 3: 16. *Ecce aperti ſunt cœli.*

Non magni eſt quòd *Lucas* per ſingulare *cœlum* rem planè eandem narrat quod *Matthæus* per plurale *cœli.* Hic enim Hebræum ſequitur, ille Græcum idioma. *Hebræi* non poſſunt *cœlum* dicere niſi in plurali vel duali, שמים, *Græci* verò per ſingulare efferunt. *Syrus* etiam adeo nihili habendam hanc diſcrepantiam exiſtimavit, ut è contra utriuſque Euangeliſtæ verba verterit, *Lucæ* viz. ſingulare per *plurale*, *Matthæi* autem plurale per ſingulare.

At de modo quo cœli aperiebantur, cùm magis neceſſarius eſt inquirendi locus, tum etiam propter opinionum diverſitatem, nec non eorum quæ ultro citroque dici ſolent probabilitatem, difficilior atque implicatior.

I. Sunt qui negant cœlos omnino apertos, ſtatuentes *Chriſtum*, quemadmodum *Ezechiel* olim, *Ezech.* 1: 2. per viſionem ſpiritualem ſolummodo id edoctum fuiſſe. Quæ tamen ſententia admodum impropria eſt, tam quia *Joannes* unà cum *Chriſto* eos apertos videbat, quàm quòd Spiritus Sanctus in ſpecie corporea, non imaginariâ, deſcendebat, atque vox ipſa articulata erat, auribuſque afficiendis apta, non qualis in extaſi viſa eſt exaudiri.

II. Sunt etiam & alii qui negant ibidem aperiri cœlos, alio autem prætextu & diverſâ difficultatibus occurrendi ratione. Nulla enim erat, inquiunt, in cœlis fiſſura aut partitio, quia nimirum incorruptibiles ſunt: verùm magna lucis copia & eximius quidam ſplendor circa *Chriſtum* fulgebat, quaſi diſruptis celſiſſimis ſphæris inſita illa & recondita lux cum impetu in terram collapſa eſſet. Hanc autem opinionem tollit penitùs vox illa quâ uſus eſt *Marcus* à reliquis diverſa. Nam utcunque phraſis illa, *Aperti ſunt cœli*, poſſit forſan per *metaphoram* exponi, & proinde in hujus ſententiæ partes trahi, *Marcus* interea ita rem narrat, ut hæc interpretatio planè concidat neceſſe ſit: Vidit, inquit ille, cœlum *ſindi*, ſive partes ejus à ſe invicem diſtrahi: id enim ſonat vox in *origine*. (*Syrus* etiam idem hîc habet vocabulum ac *Chaldæus Paraphr.* de ungula ſciſſa & bifidata locutus, *Levit.* 11.) Quocirca oportet omnino locum ad literam interpretari, minimè autem figuratè.

III. *Aquinas* aliud excogitavit effugium, utroque priùs recitato minùs admittendum, & viſionem finxit intellectualem ab ea quam ſupra attigimus diverſam. Intelligi poteſt, inquit ille, de viſione intellectuali: nempe quòd *Chriſtus* poſteaquam Baptiſmum ſanctificaverat, cœlum viderit hominibus jam aperiri. Hoc verò commentum planè deſtruit vox illa *D. Marci* nuper memorata, idque potiori ratione quàm alteram ſententiam oppugnabat.

IV. Quum ergo *Marci* phraſis literalem expoſitionem poſtulet, ita ut *cœlos* revera fiſſos ſive diviſos fuiſſe intelligendum ſit; reſtat porrò inquirendum, quale demum cœlum illud eſſet: num *aëreum*, an *æthereum*: ſic enim dividendi ſunt cœli ex mente vocis Hebraicæ *Shamaim*, quæ dualis cùm ſit, rem duplicem eſſe ſubindicare videtur. Reſpondetur verò, ſolum aëreum fuiſſe: hoc enim & cœlum dicitur, & firmamentum, *Geneſ.* 1: 8, 20. Quod reſponſum his rationibus ſtabilitur.

I. Quia fiſſis ſive laceratis quæ in media aëris regione erant nubibus, non opus erat ulteriori ullâ ſciſſurâ. Hæc enim abundè ſufficeret, cùm ut Spiritus Sanctus & vox de cœlo deſcenderent, tum etiam ut ſpectatores auditoreſque quotcunque aderant, certiores fieri poſſint, ea quæ viderant revera è cœlis proveniſſe.

II. Quia juxta ſacrum idioma, ea quæ non niſi à nubibus deſcenderunt, dicuntur nihilominus in ſacra dialecto è cœlo deſcendiſſe. Sic Jehova, qui Legem dediſſe narratur ex *nubibus*, *Exod.* 19: 16. dicitur ex *cœlis* locutus fuiſſe, *Exod.* 20: 22. Sic rurſus *vox* quæ (huic conſimilis) è nubibus extitit, narrante *Lucâ*, *Cap.* 9: 35. è cœlo delata erat, referente Petro,

2 *Epiſt.*

Digitized by Google

MATTH. CAP. III. VERS. 16.

2 *Epiſt.* 1: 18. Atque *Elias* qui nubes ita occluſit prævalente prece, ut pluvia non deſcenderit, dicitur cœlum clauſiſſe, *Luc.* 4: 25. Cœli itaque fiſſi ſive aperti, erant ſciſſæ & diſruptæ nubes, uti jam lacerantur erumpente fulgure, per quam ſciſſuram Spiritus Sanctus viſibili ſpecie deſcendebat, & vox cœleſtis unà perculit adſtantium aures. Intueamur itaque jam apertos per Euangelium & per *Chriſti* prædicationem reſeratos cœlos, quos Lex diu occluſerat: contemplemur quaſſatos & concuſſos, cùm jam palàm prodiret ille qui erat omnium Gentium deſiderium, uti olim prædixerat *Haggeus*, *Cap.* 2: 6, 7. Eodem planè modo quo *Marcus* à reliquis Euangeliſtis quoad phraſeos varietatem diſſentit, Verſio Septuaginta-viralis ab *Hebræo* codice recedit in *Iſaj.* 64: 1. Hebr. כקרח, *finderes, vel fidiſti:* Græc. Ἐὰν ἀνοίξῃς, *ſi aperueris* cœlos, &c.

Aperti ſunt ei cœli.] *Ei*, cui? *Chriſto*, an *Joanni*? Certè utrique, quanquam diſpari ratione: ambo enim apertos videbant. *Joannes* enim proculdubio fiſſuram videbat, in quantum Spiritum Sanctum è cœlo deſcendentem cernebat, *Joann.* 1: 32. At nihilominus particula *ei* ſingularem quandam emphaſin habet, atque cœlos ita *Chriſto* apertos indicat, ut majus aliquid *ei* obtigiſſe credendum ſit, quàm nudam intuitionem: vetat enim quæ in *Marco* eſt ſyntaxis verborum & ordo grammaticalis, quominus particula *ei* ad quemquam niſi ſolum *Chriſtum* referri poſſit. *Et is*, inquit, *ſtatim aſcendens ex aqua, vidit findi cœlos.* Quæ verborum ſeries, quum cœlos Salvatori noſtro apertos denotet, qui etiam *Joanni* quoad intuitum aperiebantur: neceſſe eſt ſtatuamus eos aliter *Chriſto* atque *Joanni* fuiſſe apertos; hujus nimirum oculis, at illius oculis pariter atque precibus: quemadmodum ipſe Chriſtus alibi deprecatione loquitur, *Pulſate, & aperietur vobis.* Si enim ea mens eſſet Euangeliſtæ, ut oſtenderet ſolummodo *Chriſtum* eodem modo quo videbat *Joannes*, fiſſos cœlos aſpexiſſe, potuiſſet ſanè unà copulà utrumque ejuſdem ſpectaculi participem fuiſſe enarraſſe. Verùm quum de uno *Chriſto* loquatur, idque ſingulari modo, clarè monet apertos fuiſſe cœlos *ei* tanquam aperiendi cauſæ. Unde confirmari poteſt quod de precibus ejus diximus.

Fortaſſè enim hujuſmodi aliquid à Deo rogavit, *Elia* exemplum ſecutus, cujus precibus olim findebantur cœli, & ignis in victimam cœlitùs mittebatur. En, hìc etiam cœlos primo *Adamo* ob peccatum clauſos, propter ſecundi *Adami* juſtitiam & ſibi & omnibus quotquot ejuſdem juſtitiæ participes fiunt, de novo apertos.

MARC. CAP. I. VERS. 10.

MARCI 1: 10. *Vidit findi cœlos.*

Hæc, uti prior, clauſula ad ſolum Chriſtum, atque eodem planè modo referri debet. Quum certo certius ſit, *Joannem* non minùs quàm Chriſtum hoc ſimiliter vidiſſe. De quo tamen nemo Euangeliſtarum clarè & expreſſè mentionem fecit, in quæſtionem venit, an etiam reliqua hominum turba eodem ſpectaculo fruebatur? Fidenter aſſerit *Theophylactus. Omnes*, inquit, *videbant Spiritum in Chriſtum deſcendentem, ne aliter exiſtimarent forſan vocem illam*, Hic eſt Filius meus dilectus, *de* Joanne *fuiſſe prolatam: at ſpectato Spiritu Sancto, hoc de* Chriſto *dictum fuiſſe judicare debuerunt.* Nec eſt quod miremur, multos in eandem ire ſententiam: nihil enim magis obvium. Sin autem ea quæ dicturus ſum æquà trutinà expendantur, facilè inducemur credere, cœleſte hoc ſpectaculum *Chriſto* ſolummodo atque *Joanni* fuiſſe exhibitum, nec ab alio quovis divinam illam vocem fuiſſe exauditam.

I. Quia poſtea quàm hæc peracta eſſent, *Joannes* populum monet tunc temporis præſentem, ſtetiſſe quidem inter ipſos eundem qui poſt illum venturus erat, quem tamen ipſi non noverunt. Vox enim Græca ἔστηκεν, *Joann.* 1: 26. omnino per præteritum perfectum reddenda eſt: hæc enim dicta erant à *Joanne*, poſtquam *Chriſtus* baptizatus eſſet, & è turba ſeceſſiſſet; tunc enim cum Diabolo in tentatione confligebat.

II. Quia Chriſtus ipſe *Judæos* allocutus, ait ipſos nunquam audiviſſe Patris ſui vocem, *Joann.* 5: 37. quorum tamen numero plurimi erant, qui & Doctrinam & Baptiſmum *Joannis* ſuſceperant, *verſ.* 35. imò verò probabile eſt, nonnullos ex iis vel ipſius Chriſti Baptiſmo hoc ipſo in tempore interfuiſſe.

Contrariæ ſententiæ aſſertores hujus difficultatis probè gnari, eam amovere, irrito tamen opere, conati ſunt, medelam adhibentes neſcio an impropriam magis, an periculoſam. Aſtruentes nimirum, quòd tametſi vocem audiverint, non tamen erat illa vox Patris, verùm Angeli alicujus ejus nomine loquentis: quæ ſententia ſtrictiori examini mox ſubjicietur.

III. Si hæc cœleſtis declaratio publica eſſet & pariter omnibus exaudita, ægrè excogitari poteſt quorſum *Chriſtus* pari è

cœlo

MARC. CAP. I. VERS. 10.

cœlo fretus teſtimonio, tribus ſolummodo ſpectantibus Apoſtolis, his tamen ſilentium imponeret, reliquoſque novem quid ei obtigerit, ſtudioſè celari cuperet, *Matth.* 17: 9. quæ, obſecro, tam diſſimilis conſilii in re pari adinveniri poteſt ratio?

IV. Ipſo narrante *Joanne*, *Joann.* 1: 33. hæc revelatio ſui ipſius gratiâ præcipuè ſaltem, ſi non unicè, data erat.

V. Medium quo Deus utebatur ut populum in *Chriſto* certiorem faceret, erat *Joannis* prædicatio, *Joann.* 1: 7, 31. ipſum verò Baptiſtam per revelationem erudire voluit.

VI. Si populus vocem illam audiviſſet ſemel, Spiritumque deſcendentem vidiſſet, certè poſtea non opus fuiſſet ut *Joannes Chriſtum* indigitaret: nec poſt iſtiuſmodi ſpectaculum fieri potuit, ut *Joannes* majoris haberetur quàm ipſe *Chriſtus*, quem, & quis, & quantus eſſet, haud diutiùs populus ignorare potuit.

VII. Quum primùm *Joannes* eum digito monſtraſſet, Diſcipuli ſe ſtatim ei dedunt, & adjunguntur: quod quantò magis citiùſque feciſſent, ſiquidem modo adeo ſtupendo ab ipſis cœlis demonſtratum vidiſſent? Quocirca cùm hoc non fecerint, tutò colligimus, eos nihil hujuſmodi de eo citiùs intellexiſſe.

VIII. His addi poteſt, Deum prædicationem deſignaſſe, partim *Joannis*, partim ipſius *Chriſti*, partim verò *Diſcipulorum* ejus, tanquam medium homines ad veri Meſſiæ cognitionem perducendi. Hujuſmodi autem revelationes ipſis prædicatoribus erant conceſſæ, quò majori cum πληροφορίᾳ populo de veritate teſtes eſſe poſſent, eumque in veritate faciliùs confirmare. Nec propterea prætereundum eſt, quòd quamdiu *Joanni* permiſſum erat libertate uti, tamdiu Chriſtus illius fretus teſtimonio, aliud non quærebat: quo tamen incarcerato, *Chriſtus* propediem novos elegit ſui prædicatores.

Sin autem reperiantur nonnulli qui id planè impoſſibile judicant, ut *Joannes* vocem audiret, & plebs interea, etiamſi adeſſet, nihil eorum quæ peracta erant reſciret: in promptu eſt quod ex aliis adductis exemplis aptè reſponderi poteſt. Quid enim de *Elisha* ſervo, 2 *Reg.* 6: 17. quid de viris *Emmauntem* proficiſcentibus, *Luc.* 24. dicendum? Erat enim mons equis igneiſque curribus undique obſitus, quos tamen, etiamſi *Elisha* videbat clarè, ſervus, donec ſingulari modo aperiebantur oculi, minimè videre potuit.

Nec improbabile eſt eum etiam tùm cùm in via erat, eodem vultu, eademque corporis ſpecie fuiſſe, ac poſtquam domum intraverat; quem tamen propter impeditos oculos Diſcipuli nondum agnoſcebant. Nihilominus, ſi cui magis allubeſcat opinari populum ex diſrupto cœlo ſplendorem vidiſſe, quem fulguris coruſcationem fuiſſe perperam credebat, & emiſſâ voce ſtrepitum audiviſſe, quem tonantis cœli fragorem reputabat, ut *Joann.* 12: 29. nolumus ſententiam oppugnare, cui favere videtur anni tempeſtas fulguri tonitruque producendis ſatis idonea. Ut verò negemus populum vel Spiritum Sanctum deſcendentem vidiſſe, vel vocem diſtinctiùs audiviſſe, quàm *D. Pauli* comites, *Actor.* 9: 7. rationes allatæ, donec proferantur ex adverſo fortiores, vehementer ſuadent.

MATTH. CAP. III. VERS. 16.

MATTH. 3: 16. *Et vidit Spiritum Dei deſcendentem.*

Verbum *vidit* ad Salvatorem noſtrum unicè referri debere, quemadmodum & ea quæ priùs memorabantur, monſtrant cùm ſyntaxis & conſtructio vocum quibus utitur *Marcus* Euangeliſta, tùm etiam rationes à nobis allatæ: viz. ut noſcatur qualis erat precationis ejus efficacia atque affectus. Laxior autem videtur hæc *Matthei* phraſis, adeò ut & ad *Chriſtum* & ad *Joannem* ex æquo referri queat. Nam I. obſervare eſt, diſtinctionem quandam in verſiculo, quaſi quæ jam de Spiritu Sancto dicuntur, ſecerni poſſint, & quodammodo ſegregari ab iis quæ de cœlorum fiſſura memorabantur. Hoc fere modo: *Et baptizatus Jeſus aſcendit ſtatim ex aqua: & ecce aperti ſunt ei cœli.* Atque hinc, quaſi perfectâ jam periodo de novo inciperet, adjicit: *Et vidit Spiritum Dei deſcendentem.* Adeo ut ſaltem indeterminatum ſit ad utrum duorum, *Chriſtum*, an *Joannem*, reſpexerit.

At II. videtur potiùs ad *Joannem* referendum eſſe, quippe qui ipſe dixerat hunc Spiritûs deſcenſum ſibi in ſignum datum fuiſſe, & à ſe viſum fuiſſe: cujus rei tamen, niſi ad hunc modum hæc verba intelligantur, nulla fit mentio inter reliquos Euangeliſtas.

Et dein III. de *Joanne* potiùs accipiendum eſt, quia nimirum dicitur, quòd vidit Spiritum Dei deſcendentem & venientem ἐπ' αὐτὸν, *ſupra ipſum.* Quòd ſi dictum fuiſſet ἐφ' ἑαυτὸν, de Chriſto neceſſariò intelligendum foret, utpote qui Spiritum viderat in ſemetipſum deſcendentem. In quantum verò dicitur *in ipſum*, abſque reciprocationis nota, potiori jure de *Joan-*

MATTH. CAP. III. VERS. 16.

ne intelligatur verbum iſtud *vidit*. Non nego quin αὐτῆς aliquando reciprocè ſignificet: hoc docent Lexica, nec apud *Marcum* hanc ipſam rem narrantem aliter accipi poteſt; quemadmodum & ἑαυτοῦ ſenſu non reciproco uſurpatur, ut apud LXX. *Judic*.7: 24. Quorſum verò à proprio atque uſitatiſſimo ſenſu vox flecteretur, cùm nulla hîc in *Matthæo* urgeat neceſſitas, quamquam de *Marci* textu omnino aliter ſtatuendum ſit?

IV. Et poſtremò, ſi verbum *vidit* hoc in loco ad *Joannem* referatur, perfectior & luculentior totius rei hiſtoria ex tribus Euangeliſtis inter ſe collatis, oritur. *Lucas* enim fiſſos fuiſſe cœlos, & Spiritum deſcendiſſe memorat; *Marcus*, *Chriſtum* hoc vidiſſe; & *Matthæus*, *Joannem*.

Spiritum Dei.] רוח אלהים, *Geneſ.* 1: 2. Quemadmodum in antiqui, ſic etiam in novi mundi primordiis Spiritus Dei movebatur in aquarum ſuperficie. Supervacaneum ſanè foret, quot in locis *Spiritus Sanctus* Spiritus *Dei* appellatur recenſere, ut *Geneſ.* 41: 38. *Exod.* 31: 3. *Numer.* 24: 2. & alibi ſæpiſſimè. At planè neceſſarium notatu judico, quòd quotieſcunque ſic appellatur, textus Hebræus habet, *Spiritus Elohim*, in plurali, & proinde monſtrat eum non ex *una* ſolummodo perſona *proceſſiſſe*, contrà ac ſtatuit Eccleſia *Græca*, cujus ex ſententia Spiritus Sanctus non ex Patre & Filio, ſed ex ſolo Patre procedit.

LUCÆ CAP. III. VERS. 22.

LUC. 3: 22. *Spiritus Sanctus.*

Spiritus appellatur, non tam propter ſuam ipſius naturam, quàm propter modum *procedendi*; ut etiam *Sanctus* dicitur, non *perſonæ*, ſed *officii* reſpectu: ad hunc etenim ſpectat Eccleſiam ſanctificare. (Sunt enim & Pater & Filius, cùm ſpiritus, tùm etiam ſancti) Atque hinc eſt quòd apud *Hebræos* audiat, non רוח קדושה, *Spiritus Sanctus*, ſed etiam רוח הקדש, *Ruah Hakkodesh*, *Spiritus Sanctitatis*. Titulus enim ſive phraſis ex communi *Judæorum* uſu deſumitur, quem ſecutus *Paulus*, cum vocat πνεῦμα ἁγιωσύνης, *Rom.* 1: 4. ut & *Syrus*, *Rubha dekudsha*, hoc ipſo in loco.

Deſcenderet Spiritus Sanctus.] *Deſcendebat* autem, I. *Joannis* gratiâ, cui cùm baptizare & prædicare inciperet, in ſignum ei promiſſum erat, quòd videret Spiritum in *Chriſtum* deſcendentem, *Joann.* 1: 33.

II. Partim etiam ipſius *Chriſti* gratiâ, ut hoc deſcenſu prædicationis officio, quod tùm aggreſſurus erat, ſanctè & ſolenniter inaugurari poſſet. Hoc ille, ut olim *Aaron* ejuſque filii materiali unguento ſolent, ſpiritualiter initiabatur ſuo muneri, juxta quod habet *Iſajas*, *Cap.* 61: 1. *Spiritus Domini Jehovæ eſt ſuper me, eò quòd unxit Jehova me ad euangelizandum.*

LUCÆ CAP. III. VERS. 22.

Et III. partim etiam reſpectu rei ipſius mox gerendæ, ſcil. prædicationis à *Chriſto* ſtatim inchoandæ. Nam,

I. Euangelium eſt ſpirituale illud regnum ſceptrumque *Chriſti* quo omnes in æternum Gentes recturus erat: quamobrem omnino congruum erat hujuſce regni ſpiritualitati, ut in initio ejus Spiritus Sanctus cœlitùs compareret.

Carnales *Moſaici* ritus jam evaneſcere debuerunt, corporeuſque & cæremonialis cultus in ſpiritualem permutari. Nec ampliùs *Hieroſolymis*, vel in monte *Gerizim*, vel uſpiam alibi Deo exhibenda erat adoratio carnali cæremoniarum pompâ impedita; verùm qui adorent eum, in poſterùm oportet ut ſpiritu ac veritate adorent, *Joann.* 4: 21. &c. Quid mirum itaque, ſi jam ſe conſpiciendum præbeat Spiritus Sanctus, ſpirituale ſuum dominium per ſanctificandi virtutem propediem exerciturus?

II. In memoriam revocandum eſt quod ſupra notavimus de Spiritu Sancto *Iſraëlitis* adempto poſt obitum Prophetarum noviſſimorum: quibus cùm jam quaſi de novo reſtituendus eſſet, palàm & apertè ſe exhibet, & in eum deſcendit, ad quem unicè pertinebat virtutes ejus & dona pro arbitrio ſuo aliis impertire. Quod enim de *Chriſto* prædixerat *Joannes*, quòd Spiritu Sancto baptizaret, hoc ipſo deſcenſu, inſpiciente etiam *Joanne* facto, obſignatum erat atque ſtabilitum privilegium.

Deſcenderet.] Deus *deſcendere* dicitur, non quòd de loco in locum migret, (ubique enim eſt, omnia complet loca, nec ullis limitibus continetur) ſed quod in terris aliquando certo quodam loco, ſe viſibili ſpecie, externoque ſigno præſentem eſſe oſtendat. Hoc ſenſu *deſcendiſſe* dicitur cùm *Sodomum* inviſeret, num ſecundùm clamòrem fecerint, exploraturus: quia nimirum *Abrahamo*, *Lotho*, *Sodomeiſque* ſe viſibili formâ & humanâ ſpecie ſpectabilem exhibuit. Similiter in *Sinæ* montem *deſcendiſſe* dicitur, propter claram atque eximiam ibidem factam præſentiæ ſuæ probationem. Sic etiam *Chaldæus* de illo Trinitatis deſcenſu, *Geneſ.* 11: 5. exiſtimavit: reddidit enim, *Dominus ſeipſum revelavit ad vindictam capiendam*, &c. more ſcil. conſpicuo. Eâdem planè ratione Spiritus Sanctus deſcendiſſe

LUCÆ CAP. III. VERS. 22.

diſſe dicitur, cùm in hac hiſtoria, tum in ea quæ habetur *Actor.* 2. ſcil. qui virtute ſuâ & Deitate ubique locorum præſens erat, ſe tùm quidem eximio & ſingulari modo ſenſibus patefecit, atque illo facto præſentiam ſuam teſtabatur.

Corporeâ ſpecie.] I. Plurimùm intererat ut hoc temporis articulo Spiritus Sanctus ſeipſum revelaret. I. Ne quis *Joannem* vexaret ſcrupulus, qui jam ſenſibili ſigno edocendus erat, *Joann.* 1.

II. Ut ipſe ille Spiritus Sanctus, cujus opera jam crebriùs quàm olim & ſolenniùs peragenda erant in Eccleſia, ut, inquam, ſubſtantia perſonalis eſſe demonſtretur, non autem nuda Deitatis vis, aut virtus aliqua qualitativa: qualitates enim, operationes, actiones, aut quidvis aliud quod non eſt ſubſtantia, nequeunt omnino ſpeciem corpoream aſſumere.

III. Ut in prima Euangelii infantia, clara, plenaria, ac ſenſibus ipſis palpanda exhiberetur SS. Trinitatis demonſtratio. Paſſim enim in S. Scripturis obſervare eſt, quòd Spiritus Sanctus datis quibuſdam aptis atque idoneis occaſionibus, ſedulò curet, ut hoc myſterium nobis innoteſcat, quò tres perſonas in uno Deo agnoſcamus; utique etiam ut binas *Chriſti* naturas in una eademque perſona eſſe intelligamus. Hoc in ipſo Sacri Codicis exordio inculcavit *Moſes*, eodem narrationis filo rerum creationem & Tri-uni Opificis myſterium exhibens. *Deus creavit*, nempe Pater; *Deus dixit*, ſcil. Filius; & *Spiritus Dei incubabat*, nimirum Spiritus Sanctus. Quod ſimiliter innuit Propheta, in eodem verſatus argumento, *Iſaj.* 42: 5. *Sic ait Deus ille fortis Jehova creator cælorum, & extendentes eos*, (juxta *Hebr.*) ut diſceremus *ex eo, in eo*, & *per ipſum*, (Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum) *omnia eſſe*, *Rom.* 11: 36. In eundem ſcopum collimat *Moſes* de creatione hominis loquens. Primò enim Trinitatem perſonarum his verbis innuit, *Faciamus hominem:* deinde eſſentiæ unitatem, eò quòd dicit, *ſecundùm ſimilitudinem noſtram*, non ſecundùm *ſimilitudines:* ut unuſquiſque ſimul ac hanc hiſtoriam legerit, in memoriam revocaret *creatores ſuos*. Quod itidem ſubinnuiſſe videtur *Solomon* per vocem בראיך, *Barajaka* ejuſdem myſterii plenam, *Eccleſ.* 12: 1. Cui conſonum eſt quòd etiam in linguarum confuſione, SS. Trinitatis mentio fiat, *Geneſ.* 11: 7. *Deſcendamus* & *confundamus* ſermonem eorum. Uti etiam cùm donarentur linguæ, *Joann.* 15: 26. *Ego* mittam *Paracletum* à *Patre*. Vide *Actor.* 1: 4. Inculcatur ſimiliter in formula illa benedictionis quâ Sacerdos poſt peracta ſacra quotidiana in dimittenda concione utebatur, in nomine Trinitatis, *Numer.* 6: 24, 25, 26. ubi Jehova ter repetitum tres perſonas indicat, *Paulo* interprete, 2 *Cor.* 13: 13. Rurſus cùm *Moſes* Legem coram populo relegere incepit, atque explicare, in ipſo negotii limine eum de Trinitate in Unitate, & de Unitate in Trinitate certiorem reddit, *Deuter.* 6: 4. *Audi Iſraël, Jehova Deus noſter Jehova unus eſt.* Tria nomina tres perſonas exhibent, & quod medium eſt, *Deus noſter*, eam quæ naturam noſtram aſſumpſit aptè indigitat. Quibus etiam adjici poſſunt, quòd Deo ſe *Moſi* primùm revelante, nomen *Jehova* ter repetatur, *Exod.* 34: 6. quòd in *Iſajæ* viſione *Sanctus* ter appelletur, *Iſaj.* 6: 3. Idem etiam myſterium in initio Pſalmi 50. & 136. & alibi ſæpiſſime aſſiduus lector obſervabit. Quàm aptè itaque nunc pariter declarandum erat, in principio utique inſtaurati mundi, novæ Legis, & *Chriſti* Baptiſmi, præſertim verò cùm à *Chriſto* inſtitutus Baptiſmus in trium perſonarum nomine celebrandus erat, *Baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritûs Sancti*, Matth. 28: 19.

Tanquam columba.] *Auguſtini* opinio erat, & pòſt *Aquinatis*, realem hanc fuiſſe & vivam columbam, haud quidem è communium columbarum grege deſumptam, verùm à Deo hunc ipſum in finem immediatè creatam, ita tamen ut cæteris ejuſdem ſpeciei avibus in omnibus par eſſet & ſimilis: cujus ſententiæ rationem en qualem proferunt. *Quià nimirum dici non debet Chriſtum in vero corpore apparuiſſe, at Spiritum Sanctum in phantaſmate, ita ut ſpectatoribus illuderet; verùm utrumque eodem modo vero & reali corpore ſe ſpectandum exhibuiſſe. Quemadmodum enim non decuit Filium intuentes fallere; ita etiam non decuit Spiritum Sanctum fraudem facere. Nec Creatori omnium difficilius erat veram columbam abſque genitricium columbarum ope producere, quàm erat eidem abſque congreſſu hominis verum corpus humanum in utero virgineo efformare.* Sic illi, accuratiùs quàm opus eſt in re nec neceſſaria, nec admodum probabili. Nam,

I. Quis veræ & vivæ columbæ uſus, cùm quæ appareret ſolummodo, utcunque ſimulatâ ſpecie, in omnibus ſufficeret? Is enim erat hujus deſcenſûs ſcopus, ut viſibili & conſpicuo Spiritûs Sancti opere Chriſtus ſuo muneri inauguraretur. Cùm itaque id ſolummodo curabatur, ne viſibile hoc ſignum omitteretur; quid, obſecro,

LUCÆ CAP. III. VERS. 22.

ſecro, refert utrùm fictâ columbæ ſpecie, an verò corpore peractum fuerit?

II. Textus etiam apud ſingulos Euangeliſtarum habet *ὡσεὶ περιστερὰν*, *tanquam columba*. Quod quidem rei ſimilitudinem indicat, rem ipſam nequaquam.

III. Notandum etiam, quòd in ſimilibus inſtantiis, cùm is unicè eſſet *apparendi* ſcopus, ut viſibile aliquid ante ſpectatorum oculos obverſaretur, non vera & genuina corporum quæ videbantur ſubſtantia, verùm hujus umbra quædam & ficta ſpecies exhiberi ſolet. Sic Angeli humanâ ſpecie conſpecti, non verâ carne, ſed aptâ carnis repræſentatione induebantur. Nec verus erat ille ignis qui in rubo in *Sina*, aut in diſpertitis *linguis* olim reſplenduit, ſed qui flammam motu & colore aptè imitabatur. Quocirca ne hæc *columbæ* apparentia cæteris omnibus diſſimilis eſſet, & talis qualis nec poſt nec ante illum diem uſquam fuerat, idem de ea ac de aliis ſtatuendum judico.

IV. Non modò parùm apposita, ſed etiam periculoſa eſt illa comparatio inter *Chriſti* in carne humana, & Spiritûs Sancti in vero columbæ corpore, manifeſtationem: ſi enim eadem utrobique eſſet ratio, tùm ſanè de Spiritu Sancto dici queat, quòd *Spiritus erat columba*; ſic enim de *Chriſto* propriè dicitur quòd *erat homo*. Deinde etiam quòd *Spiritus*, æquè ac *Chriſtus*, *incarnaretur*. Quorum poſterius periculum habet, prius improprietatem. Et,

V. Quod de fallacia ſubinnuitur nihili profectò eſt: quum is eſſet hujus apparentiæ finis, non ut verum id crederetur corpus quod videbatur, ſed ut viſibile agnoſcerent ſignum, & Spiritum intus latentem, non major in hac quàm in alia ulla, quæ unquam fuit, conſimilis apparentiâ, deceptio erat.

Rationes autem ob quas Spiritus Sanctus, columbæ, potiùs quàm alterius cujuſvis creaturæ, formam induerit, in tres fere claſſes diſpertiri ſolent. Nonnullæ enim ipſum *Chriſtum*, aliæ *Spiritum Sanctum*, aliæ denique hominem reſpicere creduntur. E. gr.

I. Ut *Chriſti* monſtrentur innocentia, puritas, ſimplicitas, charitas & amor, qualitates ſcilicet columbæ notiſſimæ.

II. Ut Spiritum Sanctum etiam iiſdem pariter gratiis exornari oſtenderetur. *Aquinas* & *Ludolphus* ſeptem illas Spiritûs Sancti gratias, *Iſaj*. 11: 2, 3. totidem columbæ qualitatibus comparant: uti videre eſt, ſi quem impellat curioſa ſedulitas, apud *Ludolph*. in locum, & *Aquin*. part. 3. quæſt. 39. art. 6.

LUCÆ CAP. III. VERS. 22.

III. Ut innuatur quanta eorum eſſe debet vitæ innocentia qui ad Baptiſmum accedunt.

IV. Ut inter *Noachicam* illam columbam, atque hanc figuram & rem figuratam magis appareret convenientia: illam nimirum decreſcentis diluvii, hanc divinæ, propagato Euangelio, deflagrantis iracundiæ, nunciam. Hæ quidem vulgatiores ſunt & receptiſſimæ inter Interpretes rationes, quibus adjungi poteſt.

V. Quia, cùm *Chriſtus* ſigno de cœlo præmonſtrandus eſſet, conveniebat maximè hoc per cœli volucrem exhiberi. Non per ignem inde illabentem: opus enim non habuit ignis Baptiſmate qui alios igne baptizaturus erat. Nec per nubem inumbrantem: hanc tempus aliud, & res alia exigebat, nempe Transfiguratio.

Quid itaque magis idoneum excogitari potuit, quàm ut per volucrem indigitaretur? Quæ autem volucris aptior eſſe potuit quàm columba, ſola inter omnes *munda* habita, & digna quæ ſacrificaretur? *Levit*. 1: 14.

MATTH. CAP. III. VERS. 16, 17.

MATTH. 3: 16. *Et venientem ſuper ipſum.*

Sic Græc. ad verbum: cui ſi adjungatur quod ipſe *Baptiſta* habet, *Joann*. 1: 32. *Manſit ſuper eum*, idem planè valebit quod reddiderunt *Noſtrates*, *inſidentem* ſuper eum. (Angl. *lighting upon him*) Sunt qui opinantur columbam capiti ejus inſediſſe, nec malè: quod ſi fecerit, optimè reſpondebat inſcriptioni illi in lamina aurea quam in fronte gerebat Pontifex Maximus, quâ palàm prædicabatur *Kodesh Laihovah*, id eſt, *Sanctitas Jehovæ*, *Exod*. 28: 36. Iniquum eſt ſciſcitari quamdiu ei inſederit Spiritus, cùm altiſſimum ſit de hac re in Sacris Literis ſilentium. Quanquam veriſimile ſit, eum tamdiu manſiſſe, quàm *Chriſtus* erat in *Joannis* conſpectu. Atque eò magis, quia in textu dicitur, quòd Spiritus *illico*, ſive *è veſtigio*, eum ſubduxerit in deſertum.

VERS. 17. *Et ecce vox* adfuit *è cœlis*.

Nullus negandi locus eſt, ubi duorum teſtium fides conjungitur: *ſummi* autem hîc adhibentur teſtes, Pater & Spiritus Sanctus, quia maximus erat, Chriſtus ſcil. cui præferrent teſtimonium. Nec fieri potuit ut bini hi teſtes à ſe invicem ſejungerentur.

Digitized by Google

rentur. Columbæ deſcenſus abſque cœleſti voce vix mentem ſigni explicuiſſe potuit, neque vox abſque deſcenſu perſonam, ad quam pertineret, ſatis apertè indicaſſet.

Vox.] Crebrò memoratur cùm apud *Talmudicos*, tùm apud recentiores Rabbinos, *Bath Kol*, *Filia vocis*, ſive vox quædam quaſi è caverna reſonans, noviſſimum atque unicum, ſtante ſecundo Templo, revelationis remedium. Ceſſante enim celebri oraculo *Urim* & *Thummim*, & extinctâ Prophetarum ſerie, ſupererat, uti ferunt, miræ quædam & inſolitæ voces, quibus ſubinde in rebus arduis & ſingularibus ſolenne erat admoneri. Facile foret innumera exempla cumulare, ſiquidem fidem mererentur. Unum autem de *Jonathane* Paraphraſte Chaldæo è Talmude proferam, quod inſtar omnium eſto. *Quando* Jonathan *filius* Uzzielis, ajunt, *Prophetarum Targum confecerat, erat Bath Kol, ſive vox divina exaudita, dicens, Quis revelavit arcana mea filiis hominum? Et quando* Chetubbim *ſive Hagiographorum explicationem aggrediebatur, rurſus erat Bath Kol, ſive vox divina, dicens, Sufficit. Quare verò? Quia in iis revelatur finis Meſſiæ.* In *Megillah*.

Hinc autem binæ exoriuntur quæſtiones. I. Quorſum hanc *Bath Kol* non nudè vocem, ſed *Filiam vocis* appellarunt. II. An hæc de qua nunc agimus vox ejuſdem naturæ ſiet, ac illa *Bath Kol*.

Quòd ad priorem attinet, ſi vocis *Hebr. Bath* ſignificationi preſsè inſiſtendum ſit, quod tamen non eſt ſemper neceſſarium, reſponderi poteſt, nomen hoc inditum fuiſſe cum reſpectu ad vetus illud oraculum, *Urim* & *Thummim*: hoc enim erat vox quædam ex operculo propitiatorio quod intra velum erat, prolata. At conticente jamdudum iſthoc oraculo, & hujuſmodi voce quaſi in locum ejus ſuccenturiatâ, haud impropriè *Bath Kol*, ſive *Filia vocis*, quaſi ex altera illa nata eſſet, dicebatur.

Ad alteram verò, quæ quidem majoris momenti eſt & ad rem noſtram magis appoſita quæſtio, reſponderi poteſt, eam de qua nunc agitur, vocem non fuiſſe ejuſdem naturæ ac *Judæorum Bath Kol*: idque ob duplicem cauſam.

I. Quia hæc vox *è cœlis deſcendebat*; de *Bath Kol* autem neutiquam probari poteſt, vel quòd omnino *deſcenderit*, minimè omnium quòd *è cœlo*. Celebris enim illa exclamatio, *Migremus hinc*, Hieroſolymiticæ ſtragis prænuncia, non deſuper, ſed ex Templo profecta eſt, ut *Iſaj.* 66: 6. Hanc tamen fuiſſe unam ex iis vocibus quæ *Bath Kol* dicuntur, ægrè quiſquam negaverit. Et ſi qua fides habenda ſit Scriptoribus *Judæis*, omnis *Bath Kol* adeo procul abeſt ut deſuper acceſſerit, ut fere eadem ſit cum voce illa quâ *Samuelem* expergefactum legimus; talis nimirum, tamque incerta, ut puerulus crediderit ſe ab *Eli* fuiſſe compellatum.

II. Quia *Judæorum Bath Kol* & noviſſimum habebatur & infimum revelationis medium: vox autem de cœlo & *antiquitate*, ut *Geneſ.* 21: 17. & 22: 11. & *dignitate* præcipuum, ut *Exod.* 20: 22. *Deuter.* 4: 33, 36.

E cœlis.] Quod nonnulli aſſerunt, verba hæc ab Angelo quodam à Deo ad hoc ipſum deſignato, prolata fuiſſe, & incongruum eſt, & periculoſum. Incongruum, quia claro textui adverſatur: periculoſum, quia Angelum creatum ad æqualitatem quandam cum SS. Trinitate promovet, & quaſi coadjutorem efficit. Nam,

I. In quem finem fingitur Angelum ea dixiſſe, niſi quia Deus ipſe impar iſthuic muneri fortè judicetur?

II. *Cui unquam Angelorum dixit*, (teſte D. Paulo) *Filius meus es tu?* Ecquis itaque Angelorum de *Chriſto* auſus eſſet dicere, *Ecce Filius ille meus?*

III. *Petrus* de conſimili voce in transfiguratione Domini locutus, dicit, eam *à magnifica illa gloria* delatam fuiſſe. Quòd majus quid denotat quàm *ab Angelo* fuiſſe pronunciatam, 2 *Pet.* 1: 17.

Hic eſt Filius ille meus dilectus ille, in quo acquieſco.] *Marcus* & *Lucas* habent, *Tu es Filius*, &c. *Matthæus*, *Hic eſt*, &c. quæ perexigua uti eſt diſcrepantia, momentum non habet: nec tam torquet quàm firmat lectoris animum, totamque hiſtoriam luculentiorem reddit. Verba enim allegant duo iſti Euangeliſtæ, quaſi ipſi Chriſto, id quod orabat aſſecuto, dicta fuiſſent: tertius, eadem quaſi de *Chriſto* pronunciata, quò *Joanni* certiùs innoteſceret.

Integra ſententia deſumitur ex 2 *Sam.* 7: 14. *Pſalm.* 89: 26, 27. & *Iſaj.* 42: 1. cui, quippe in transfiguratione Domini repetitæ, adjicitur porrò, *ipſum audite*, *Matth.* 17: 5. *Luc.* 9: 35. voce cœleſti eum, tùm quidem ſummum Eccleſiæ Prophetam, ad quem audiendum tenebantur omnes, *Deuter.* 18: 15. nunc autem eundem, ſummum Eccleſiæ ſuæ Pontificem, deſignante, ſacrum munus propediem auſpicaturum.

Digitized by Google

LUCÆ CAP. III. VERS. 23.

Luc. 3: 23. *Ipſe autem Jeſus incipiebat eſſe quaſi annorum triginta.*

Erant *Chriſto* ætate pares, Sacerdotes ſacrum munus primùm obeuntes, *Numer.* 4: 3. item *Joſephus* ad dignitatem evectus, *Geneſ.* 41: 46. atque etiam *David* cùm regnare cœpit, 2 *Sam.* 5: 4. Quomodo autem interpretanda ſunt hæc verba, non convenit inter doctos. Quidam enim 30. integros annos elapſos intelligunt. Alii eum in tricesimo ætatis anno fuiſſe, eoque propemodum excurſo, adeo ut poſtea quam per triennium & ſex menſes prædicaverat, mortem tandem occubuerit 30. annos cum dimidio natus.

Huic autem interpretationi plurimùm adverſatur cùm Euangeliſtæ phraſis, tùm etiam uſitatiſſima ſacrorum Scriptorum in hominum ætatibus aliiſque temporum periodis dinumerandis methodus.

Nam I. quòd ad *Lucæ* phraſin ſpectat, ἀρχόμενος ὢν ὡσεὶ, vox ἀρχόμενος, ſive *incipiens*, apertè probat eum nondum triceſimum annum adimpleviſſe, & particula ὡσεὶ ſubinnuit quòd nondum eum attigerat. Nam ſi triceſimum expleverat annum, certè perperam diceretur quòd *incipiebat eſſe*, &c. & ſi vel attigiſſet tunc temporis triceſimum, quo ſenſu diceretur fuiſſe *quaſi* 30. annorum, cùm ita *revera* fuiſſet? Intelligimus itaque ex phraſi, eum 29. integros impleviſſe, triceſimumque inchoaſſe; quod quidem ex ipſis verbis manifeſtius eſt, quàm ut confirmatione indigeat. Nam vocula ὡσεὶ abundè monſtrat triceſimum ejus annum tùm in decurſu fuiſſe, nec dum elapſum; uti & vox ἀρχόμενος oſtendit eundem annum recenter inchoatum.

II. Adnotandum porrò, ſacris Scriptoribus uſu venire, ut in ætatibus tam hominum quàm pecudum recenſendis currentem annum utcunque nuperrimè inchoatum totali ſummæ fere ſemper annumerent. Cujus rei exempla proferre ſupervacaneum judico, cùm fere quâlibet paginâ occurrunt à quovis lectore obſervanda.

Si cui itaque jam mundi annos cum Salvatoris noſtri ætate & geſtis coïncidentes obſervare lubet, ex iis quæ diximus hæc ſeries exſurget.

I. In quantum natus erat A. M. 3928. ineunte anno, ſtilo veteri, ſequitur baptizatum fuiſſe A. M. 3957. ineunte itidem anno, eodemque ſtilo.

II. In *Tiſri* natum, in *Tiſri* etiam fuiſſe baptizatum.

III. Annos 27. integros effluxiſſe à nativitate ad publicæ prædicationis initium. Quo temporis intervallo cùm vel *Nazarethæ*, vel *Capernaumi*, hoc patris, uti credebatur, illo matris, oppido, commoratus eſſet; omnis nativitatis ejus in *Bethleema* recordatio è populi animis penitùs exciderat.

LUCÆ CAP. III. VERS. 23.

IV. Tres annos integros ſupereſſe cum dimidio à Baptiſmo ad crucifixionem Euangelicæ prædicationi impendendos. *Rabbi Janna*, dixit, *Tres annos cum dimidio gloria Dei ſtetit in monte Oliveto, & prædicavit, dicens, Requirite Jehovam cùm præſto eſt; invocate eum cùm eſt propinquus. Midr. Tillin.*

V. Eum non ultra triginta duos annos cum dimidio inter vivos fuiſſe, triceſimumque annum publicæ vitæ primum fuiſſe, non privatæ ultimum. Expende quomodo numerantur anni regni Davidis, 1 *Paralip.* 29: 27. *Dies verò quibus regnavit ſuper Iſraëlem fuerunt quadraginta annorum. Chebrone regnaverat ſeptem annis, deinde Jeruſchalamis regnavit triginta tribus.* At apud 2 *Sam.* 5: 5. *Chebrone regnavit ſuper Jehudam ſeptem annis & ſex menſibus.* Atque idcirco regnavit Jeruſchalaimis 32. annis ſex menſibus accuratè.

VI. Si excidium Hieroſolymitanum excurſis poſt *Chriſti* mortem 40. annis integris acciderit, uti docent Hiſtorici cùm Chriſtiani tum Ethnici, tùm coïncidit etiam cum A. M. 4000. Atque inde quemadmodum *Solomonis* Templum exſtructum atque abſolutum erat jam tùm completo A. M. 3000. ita intercedentibus annis 1000. completis A. M. 4000. urbs cum Templo funditùs everſa erat haud ampliùs in ſecula inſtauranda. Ex eo autem temporis articulo quo radicitùs extirpata erant urbs antiqua, regnumque illud terrenum, *Regni cœlorum*, & novæ *Hieroſolymæ* initium rectiſſimè computatur.

Filius (ut exiſtimabatur) Joſephi, filii Heli.] In quovis hujus catenæ genealogicæ annulo ſubintelligi debet nomen *Jeſus*; aliter enim in prima atque poſtrema ſerie improprietas quædam reperietur, atque à cæteris diverſa ratio. *Joſephus* enim propriè non erat *filius*, ſed *gener Heli*, nec magis propriè erat *Adamus* filius Dei, quàm quivis vir ſanctus priùs nominatus. Quò itaque omnia aptè cohæreant, interſerendum eſt nomen *Jeſus*, ad hunc modum: *Jeſus filius (ut exiſtimabatur) Joſephi, Jeſus filius Heli, Jeſus filius Matthati*, &c. *Jeſus filius Sethi, Jeſus filius Adami, Jeſus filius Dei.*

Huic

Digitized by Google

LUCÆ CAP. III. VERS. 23. 27.

Huic conſimilem in Genealogiis recenſendis ſtilum *Moſes* habet, *Geneſ.* 36: 2. — *Abolibamam filiam Hana, filiam Tzibonis:* quæ non accipienda ſunt, quaſi *Hana* filia *Tzibonis* diceretur, quippe qui *mas* erat, non *fœmina*; (quemadmodum hîc etiam *Joſephus*, gener utique, non dicitur filius Heli) verùm repetendum eſt ibi *Abolibama*, uti de *Jeſus* diximus, *Abolibamam filiam Hana, Abolibamam filiam Tzibonis*.

Heli ſive Eli (idem etenim nomen videtur quod occurrit 1 *Sam.* 1: 3. &c.) non erat *Joſephi* genitor, (*Matthæus* enim priùs dixerat *Jacobum* genuiſſe *Joſephum*) verùm *Mariæ* genitor factus eſt *Joſephi* ſocer. *Mariæ* nomen pro more ſacrorum Auctorum omittitur in Genealogia: iis enim ſolenne eſt in *Genealogiis* recenſendis, fœminarum nomina ſupprimere, quæ tùm includi exiſtimantur, quoties conjugum interſeruntur: quod de *Mariæ* nomine intelligendum, cujus Genealogia recenſetur, cùm *Heli*, reſpectu conjugii ſolummodo, *Joſephi* pater appellatur, *Mariæ* reverâ genitor.

Lucas, cui conſilium erat oſtendere *Chriſtum* fuiſſe ſemen mulieris, neceſſe habuit *Mariam* filiam *Heli* nominare: at *Matthæo*, eundem regni *Davidici* heredem probaturo, opus erat *Joſephum*, ad quem unicè jus regni pertinebat, non omittere. Collatis autem inter ſe viris qui hinc inde inter *Joſephi* & *Mariæ* progenitores numerantur à reditu ex captivitate uſque ad Salvatoris noſtri tempora, obſervare eſt *Joſephi Majores Mariæ* Majoribus, ſingulos ſingulis fere duplo diutiùs vitam protraxiſſe; quandoquidem ex parte *Mariæ* 20. numerentur ſucceſſiones, ex *Joſephi* verò, demptâ unâ, dimidio pauciores. Unde corruit planè eorum ſententia, qui eoſdem homines diverſis nominibus utrique Genealogiæ inſeri exiſtimarunt: nec non faciliùs ediſcamus, quomodo inter ſe componi queant diverſa temporis intervalla intra has periodos incluſa; contra vitioſa quorundam computa, quorum hi uſque adeo protrahunt, ut undecim virorum quos memorat *Matthæus* ætates, ea nequaquam complecti valent; illi verò ita contrahunt, ut viginti *Lucæ* generationibus minimè ſufficiant.

VERS. 27. Filii *Salathielis*, filii *Neri*.

Neri pater erat *Salathielis* naturâ, nomenque accepiſſe videtur à lucerna quam Dominus *Davidi* ejuſque filiis ſe daturum promiſerat, 2 *Paralip.* 21: 7.

LUCÆ CAP. III. VERS. 31. 36.

VERS. 31. Filii *Nathanis*.

2 *Sam.* 5: 14. 1 *Paralip.* 3: 5. probabile eſt hunc nomen habuiſſe à *Nathane* Propheta, qui de regno *Davidis* poſteritati promiſſo nuntium retulit, 2 *Sam.* 7. Quanquam verò poſt *Solomonem Davidis* regno excidiſſe videretur, erat tamen penès hujus *Nathanis* poſteros ſumma rerum uſque ad ejus adventum, qui *Davidis* ſolium in æternum occupare debuit. Hîc rurſus à *Davide* ad captivitatem plures numerantur virorum ætates tam in *Mariæ* quàm in *Joſephi* Genealogia, *Matth.* 1.

VERS. 36. Filii *Cainanis*, filii *Arphaxadi*.

Apud *Moſen* eſt, *Arphaxad genuit Schelachum, & Schelach genuit Heberum*, Geneſ. 10: 24. & 11: 12. quod compendioſè repetitur 1 *Paralip.* 1: 24. *Shem, Arphaxad, Selah*, ſuppreſſo *Cainanis* nomine. Nec alibi per totum Vetus Teſtamentum innuitur *Cainanem* fuiſſe *Arphaxadi* filium, uti reverà non erat. Hîc itaque crux lectoribus figitur, ſcrupuluſque injicitur haud levis: unde nimirum *Lucas* hoc nomen induxerit, haud uſpiam alibi in Sacra Pagina repertum: atque utrùm textus mendoſus ſit, an Euangeliſta erroris poſtulandus, quòd inter *Chriſti* Majores numeretur homo, quem nemo mortalium vidit unquam, nec ulla uſpiam alebat terrarum plaga.

Reſp. Facillimè conſtat unde *Lucas* nomen traxerit, ſcil. ex codicibus Græcis ſive LXX. qui *Cainanem* in *Moſis* textibus ſupra citatis inſertum habent: at quod in ſcrupulo eſt vexatiſſimum non tollitur, donec exquiratur, quo jure hoc factum ſit, & quid de hujuſmodi textuum puritate ſtatuendum.

LXX. ad *Geneſ.* 10: 24. ſic legunt, Ἀρφαξὰδ ἐγέννησε τὸν Καϊνᾶν· καὶ Καϊνᾶν ἐγέννησε τὸν Σαλά· Σαλὰ δὲ ἐγέννησε τὸν Ἔβερ. Et ad *Cap.* 11. hæc habent, Καὶ ἔζησεν Ἀρφαξὰδ ἑκατὸν τριακονταπέντε ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Καϊνᾶν. — Καὶ ἔζησε Καϊνᾶν ἑκατὸν καὶ τριάκοντα ἔτη, καὶ ἐγέννησε τὸν Σαλά. -- Καὶ ἔζησε Καϊνᾶν μετὰ τὸ γεννῆσαι αὐτὸν τὸν Σαλά, ἔτη τριακόσια τριάκοντα. Arphaxad *vixerat* 135. *annis cùm genuit* Cainanem. Cainan *vixerat* 130. *annis cùm genuit* Schelachum: *vixitque* Cainan, *poſtquam genuit* Schelachum, 330. *annis*. Et procul omni dubio hinc eſt quòd *Lucas Cainanem* in hunc catalogum tranſtulerit, hominem qui nunquam

Digitized by Google

quam vitâ fruebatur. Plurima verò ſunt quæ ad hujus inſertionis authoritatem ſtaminandam requiruntur. Quæ ſequuntur lector expendat diligenter.

I. Quòd LXX. Senes præ metu atque obluctanti animo Verſionem ſuſceperunt. Erant enim SS. Scripturæ pretioſiſſimus *Judæorum* theſaurus, quo cæteras omnes Gentes facilè ſuperabant. Hunc itaque retegere, & in Gentes, quas oderant, profundere, tam adverſum erat eorum indoli, quàm quod maximè. Et proinde niſi *Ptolomæum* metuiſſent magis quàm ad iſtud opus propendebant, nihil effectum fuiſſet. *Ptolomeus Lagus*, *Philadelphi*, cujus juſſu impellebantur, pater, ad centum millia *Judæorum*, narrante *Ariſteâ*, in *Ægyptum* captiva abduxerat. Hujus itaque familiæ terrore perculſi non auſi ſunt obſtare, quominus Sacri Codices vulgari linguâ vel Gentibus familiares fierent; quòd ſanè aliter ægro admodum animo vix aut ne vix quidem pati potuiſſent.

II. Quum uſque adeo invitis animis Interpretationem aggrederentur, ut, referente *Ariſteâ* qui unà aderat, in *Ægyptum* proficiſci ſenes ægrè adducerentur, (quos ille ideo invitos credidit, quia *Eleazarum* Pontificem Maximum deſerere averſabantur) & *Judæi* omnes ſolenni jejunio iſtud opus quotannis deflerent: his, inquam, notatis, fruſtrà expectaretur major in Verſione fides, quàm quæ ad omnem ab Interpretibus noxam amoliendam ſufficeret.

III. Hinc de induſtria factum, ut veritas quantum tutò fieri potuit ſupprimatur, & Gentes deludantur. Cui fini ſubſerviebat plurimùm Bibliis non punctatis uti, adeo ut facilè torquerentur voces à genuino atque originali ſenſu; eâ tamen lege, ut ſi Verſio examini ſubjiceretur, ſalva viderentur omnia puncto uno aut altero ſubſtituto vel leviter immutato. Quàm familiaris ſit hoc genus fraudulenta aſtutia, nemo eſt qui collato textu *Hebræo* cum τῶν LXX. Verſione non videt.

IV. Quæ occurrunt fere innumera ab originali textu diſcrepantia, per ignorantiam irrepſerunt: Interpretes enim codicibus uſi vocalibus deſtitutis, non potuerunt ſæpenumero inter legendum à vero non aberrare. Quod etiam aliquando de induſtria fecerunt, quoties aberat periculum, de vera lectione parum ſolliciti.

V. Præcipuus Verſionis ſcopus erat ut, quandoquidem coacti tranſtulerint Interpretes, quàm minimum interioris & veri ſenſûs evulgaretur.

Quinetiam in animis eorum erat, ut loca omnia quæ vel ad literam, vel ad mentem auctoris tralata, aut Judæis *periculoſa* eſſe potuerunt, aut Regi Verſionem jubenti *injucunda*, ita attemperata eſſent atque emollita, ut omnis adimeretur periculi atque iracundiæ cauſa.

VI. Paſſim in Judæorum ore, ſcholis, pulpitis jactabatur, *Quòd ſeptuaginta animæ familiæ Jacobi quæ in Ægyptum deſcendebant, æqualis pretii erant ac ſeptuaginta mundi nationes.*

Hoc certè *Judæis* periculoſum foret, (ſiquidem Gentibus ſemel innoteſceret, à quibus ægrè celari potuit) atque eò magis quòd edocerentur præpotentes hoſtes, hoc cum animarum numero, *Geneſ.* 46. & Gentium, *Geneſ.* 10. examuſſim conſentire. Quò verò feliciùs huic malo occurreretur, utriuſque textûs numerum corrumpunt Tralatores, animas 75. nationes 72. ſubſtituentes. Quos ſequitur quoad utrumque numerum *D. Lucas*, quoad priorem, *Actor.* 7. quoad poſteriorem hoc ipſo in loco.

VII. Perſonæ *Geneſ.* 10. recenſitæ erant 70. è quorum ſingulis tanquam à fonte totidem nationes promanarunt. Quem numerum, cùm periculum ineſſe ſuſpicabantur Interpretes, additis duobus ejuſdem nominis (*Caïnanis*) hominibus adauxerunt: hunc quidem *Semi* filium, alterum ejuſdem nepotem *Arphaxadi* filium *Caïnanem* interſerentes: iſtius enim *Capitis verſ.* 22. legitur, Filii *Sem*, *Elam*, & *Aſſur*, & *Arphaxad*, & *Lud*, & *Aram*, & *Caïnan*: & deinde *verſ.* 24. *Et Arphaxad genuit Caïnanem*, & *Caïnan genuit Salam.*

In quibus additamentis duo ſunt potiſſimùm obſervanda.

I. Ordo quem in hac inſertione obſervarunt. Quippe qui utrumque *Caïnanem* ita propinquos *Semo* finxerunt, ut magis eſſe non poſſint; niſi illum binos filios ejuſdem nominis habuiſſe commenti fuiſſent.

II. Nomen ipſum bis interjectum, *Caïnan*, quod eſt, *luctus*, *lamentatio.* Idem quod *Enoſch* filio ſuo indidit, *Geneſ.* 5: 9. ob religionem eâ ætate tam miſerè depravatam. Quod procul omni dubio à Tralatoribus bis uſurpatur, triſte nomen, ad inſitum animi dolorem indicandum: cujus cauſa ex ipſo nomine, unà cum loco & ordine quæ in eo inſerendo obſervantur, optimè colligitur.

Verba illa *Noachi*, quibus *Japheto* benedixit, *Geneſ.* 9: 27. *Alliciet Deus Japhetum ut habitet in tentoriis Schemi*, vetuſtiores

LUCÆ CAP. III. VERS. 36.

res *Judæi* de Græca lingua interpretabantur, ac ſi Deus, ejus uſu tanquam inſtrumento, Gentes ad intimiora Judaicæ religionis myſteria perducere ſtatuiſſet. At de Gentium vocatione, vel audire quicquam, vel cogitare, eorum animos malè urebat. Exempla ſint *Jonas*, *Cap.* 4: 1. *Nazaræi*, *Luc.* 4: 28. *Hieroſolymitanorum* turba, *Actor.* 22: 21, 22. Jamdudum enim ex *Moſe* didicerant, Gentibus admiſſis, ſe protinus abjiciendos eſſe, *Deuter.* 32: 21.

Quocirca, cùm *Judæis* aliis, tum ipſis Interpretibus, magno cordolio erat, ad opus, velint nolint, cogi & urgeri, quo S. Bibliis in Græcam linguam traductis, veluti diruto ſepto, *Japheto* (ſive Gentibus) in *Schemi* tentoria pateret introitus.

Hanc animi ægritudinem Gens tota lugubri jejunio, ipſi Interpretes, uti aliis indiciis, ita etiam *luctuoſo* hoc & *triſti* nomine *(Caïnane)* bis repetito, teſtabantur. Quod *Schemo* inſuper ſubjiciunt, & quantum fieri potuit arctiſſimè annectunt, ut illum etiam ad dolorem quodammodo ſollicitarent, ob tentoria ejus Gentibus mox ingreſſuris reſerata.

VII. Ad interpoſitionis authoritatem facit, quòd Deus hac τῶν LXX. Verſione non tantùm ut clave ad intromittendas Gentes uſus fuerit, aut N. Teſtamenti prodromo: verùm quòd eandem ſacris textibus ex Vet. Teſtamento allegandis inſervire voluerit, factâ quidem quoad literam crebrâ, at ſemper ob ſingularem aliquam rationem, immutatione.

VIII. Notandum porrò *Lucam*, *Pauli* Doctoris Gentium comitem, in Gentium uſum præcipuè Euangelium ſuum exaraſſe. Hinc eſt quòd Matthæus *Judæorum* commodo potiſſimùm conſulens, hanc Genealogiam in *Abrahamo*, primo Circumciſionis parente, terminet; *Lucas* verò ad Gentes reſpiciens, inde uſque ab *Adamo* communi omnium *Judæorum Gentiumque* patre, ſeriem deducat.

Scopus Genealogiæ quis ſit vides. Quare verò Chriſti Baptiſmo in hiſtoriæ filo attexitur, ſequentia indicabunt.

I. Ut pateret, primum promiſſum ſepoſito omni perſonarum reſpectu *Adamo* factum fuiſſe, & proinde ad omnes nationes ex illo oriundas pertinere. Hinc eſt, quòd uſque ad *Adamum* in ſacra Genealogia recurratur.

II. Ut pateret etiam, omnium nationum jus ad *Meſſiam* idem eſſe, & par exinde emolumentum, atque Euangelium inde à *Chriſti* Baptiſmo, dempto omni quod prius erat nationum diſcrimine, pariter omnibus promulgatum iri. Cùm autem hæc ſit hujuſce collocationis vera ratio, quemadmodum ipſe Genealogiæ locus neceſſariò evincit, authoritas certè *Lucæ* non deerat, fortè nec divinus quidam impetus, cùm poſt Septuaginta, *Caïnanem* in Genealogia retinuit.

LUCÆ CAP. III. VERS. 36.

Nam I. par erat ut Ethnicis ſcribens juxta Ethnicorum codicum uſum ſcriberet.

II. Suum erat, in *tranſcribendis*, non in *corrigendis* Genealogiis, operam collocare.

III. Et quod præcipuum eſt, LXX. imitando, errorem non amplectitur, ſed lectores ad ſcopum illorum & conſilium hac in re contemplandum remittit, & qualia fuerint divinè ſubinnuit.

Judas Apoſtolus, diſceptationem illam inter *Michaelem* atque *Diabolum* de *Moſis* corpore producens, fabulam, quam Talmudicam parabolam fuiſſe probè intellexerat, minimè comprobavit, tanquam veram hiſtoriam; ſed *Judæos* ex propriis ipſorum authoribus, argumento ad hominem (ut dicitur) uſus, erudire voluit.

Sic etiam *Lucas*, cùm *Caïnanem Arphaxadi* filium ex τῶν LXX. textu, Gentibus quidem ſacro, in ſuum tranſtulit, non firmavit rei veritatem, aut Græcum Hebræo codici antepoſuit; verùm ex ipſo LXX. odio & iniquo conſilio, Gentibus ſolatium attulit, & de ipſorum vocatione ſapienter admonuit.

Nam I. quum illi ad *Geneſ.* 10. numerum auxerant, additis ad ſeptuaginta duobus, quò ſuam de nationis ſuæ ſingulari præ cæteris præſtantiâ faſtuoſam opinionem tegerent, & ſuaderent *Ptolomæo* (contrà ac credebant) tale diſcrimen apud ſuos non agnoſci: *Lucas* fraude ad veram inſtructionem uſus eſt, & dum è duobus unum retinuit, (alterum enim ætatum ſucceſſio non ferebat) *Gentes* rectiſſimè docuit, nullum revera eſſe in Dei conſpectu iſtiuſmodi nationum diſcrimen, arreptâ ex ipſis LXX. verbis occaſione.

II. Quia ægrè tulerunt LXX. Gentium vocationem, triſte inſeruerunt & luctiſonum nomen: quod *Lucas* itidem ita retinuit, ut ad Gentium vocatorum ſolatium verteretur. Hoc etenim monuit, vel ipſis fatentibus *Judæis* veriſſimum eſſe, quòd Euangelium vulgari linguâ promulgatum, *Japhethum* ad *Schemi* tentoria alliceret: quod jam tùm fieri cœptum erat, ſimul ac *Chriſtus* Baptiſmo, muneri ſacro, quaſi unguento, deſignatus, doctrinam Euangelicam, Gentibus juxta ac Judæis, prædicare

LUCÆ CAP. III. VERS. 36. 38.

dicare inceperat. Quod itaque LXX. per *Cainanis* introductum nomen ſerò eventurum lamentabantur, idem jam propinquum & brevi præſtandum monet *Lucas*, proponitque cum lætitia contemplandum.

Sic olim *Core* ejuſque ſociorum thuribula peſſimo conſilio fabrefacta, Dei ipſius juſſu in Sanctuario recondita, & in ſacros uſus reſervata, legimus.

VERS. 38. Filii *Adami*, *qui fuit Dei*.

Vides, lector, quâ methodo Euangeliſta demonſtravit, *Chriſtum* revera eſſe ſemen illud mulieris *Adamo* olim promiſſum & ex ejus lumbis ſatum: eundem etiam, qui lapſo *Adamo ſemen mulieris* in horto declarabatur, nunc tandem ad *Jordanem* fluvium, inſpectante *Joanne*, ex ipſo cœlo *Dei Filium* pronunciatum. Vides inſuper quàm aptè & perſpicuè demonſtrantur binæ in *Chriſto* naturæ in ipſo Genealogiæ exitu: *Humana*, quod *Adami*; *Divina*, quòd *Dei* filius dicatur. Quæ de duabus naturis in unâ Salvatoris noſtri perſona conjunctis & complicatis, doctrina, paſſim in narrationis ſerie ab omnibus Euangeliſtis tanquam notatu digniſſima traditur; à nobis itidem in hujus operis progreſſu accuratè obſervanda.

LUCÆ CAP. III. VERS. 38.

QUA

Digitized by Google

HARMONIA
QUATUOR
EUANGELISTARUM,
Et inter ſe invicem, & cum
VETERI TESTAMENTO,
collatorum.

PARS SECUNDA.

A Baptiſmate SERVATORIS noſtri ad Paſcha inde primum.

Unà cum explicatione difficultatum præcipuarum ſeu verbo, ſeu ſenſu occurrentium.

Digitized by Google

SECUNDA PARS QUATUOR EUANGELISTARUM HARMONIÆ.

SECTIO XI.

Adamus ſecundus ſimiliter ac primus tentatus eſt, ſed vincit tamen in iiſdem tentationibus, quibus primus victus ſuccubuit.

MATTHÆI CAP. IV.

Vers I. *Tunc Jeſus* (a) *ſubductus fuit in deſertum* (b) *à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo.*

II. *Et quum jejunaſſet dies quadraginta, & noctes quadraginta, poſtea eſuriit.*

MARCI CAP. I.

Vers. XII. *Statimque Spiritus eum* (a) *expellit in deſertum.*

XIII. *Et fuit* (d) *illic in deſerto dies quadraginta, tentante eum* (e) *Satanâ, eratque cum feris.*

LUCÆ CAP. IV.

Vers. I. *Jeſus autem plenus Spiritu Sancto revertit à Jordane, &* (a) *actus eſt ab eodem Spiritu in deſertum,*

II. (e) *Dies quadraginta tentante eum Diabolo: nec edit quicquàm per illos dies; ſed iis finitis, poſtea eſuriit.*

(aaa) Euangeliſta quiſque peculiare ſibi habet idioma, idioma autem quodque ſenſum ſibi proprium, etiamſi Interpretes inveniantur nonnulli, qui eorum differentias non tam curant, ut videre eſt in *Syro*, qui verbum idem & in *Mattheo* & *Luca*; & in *Arabe* etiam, qui idem & in *Mattheo* & *Marco* uſurpat; niſi quod utrumque ab utroque activè hîc, paſſivè illic ſumatur. I. *Lucas* dicit ἤγετο; *Beza*, & *Lat. Vulgata*, *Actus eſt*, & *agebatur*; quod internum Spiritûs motum deſignat, ut obſervare eſt, *Rom.* 8: 14. & *Gal.* 5: 18. II. *Marcus* dicit ἐκβάλλει, *educit*, *ejicit*, *expellit* eum *Spiritus*: etenim omnes hoſce ſenſus capit vocabulum, *Matth.* 12: 35. *Luc.* 9: 40. *Joann.* 10: 4. *Gal.* 4: 30. &c. denotat autem primò, Spiritum ſejunxiſſe illum à ſociis apud *Jordanem*. Secundò, emiſiſſe illum ideo ut poſſit officio ſuo fungi: ſic enim ſonat verbum, *Matth.* 9: 38. Tertiò, indigitare videtur vehementiam aliquam viſibilem; quâ Spiritus eum ſociis eripuit, modo eodem, quo *Philippus* ab Eunucho ereptus fuit, *Actor.* 8: 39. III. *Matthæus*, ἀνήχθη, *ſubductus fuit* à locis *circum Jordanem* depreſſioribus uſque ad altiores deſerti montes. Sunt equidem qui ſentiunt, eum in aërem ſublatum per eundem fuiſſe in deſertum uſque provectum; ſin ita ſe res habuit, hanc Spiritûs Sancti actionem imitatus eſt Diabolus, cùm *Chriſtum* ad pinnam Templi eveheret.

(b) *Syrus* in *Matthæo* addit, *à Spiritu Sancto*; *Lucas* dicit, ἐν πνεύματι, ubi ἐν cauſativè, prout ב Hebraica ſæpiſſimè, ſignificat, *Pſalm.* 33: 6. *Hoſ.* 1: 7. &c. Sic etiam ἐν, *Matth.* 12: 28. *Ezechiel* Propheta per viſionem quidem fuit in campum oſſibus ſiccis plenum delatus, ut videre licet, *Ezech.* 37: 1. ubi de ſe ipſe dicit, Ἐξήγαγέ με ἐν πνεύματι Κύριος, ut reddunt LXX. Hæc verò *Chriſti* tentatio fuit rea-

lis, reale ipſius corpus in deſertum ſubducebatur; ideoque neceſſe eſt ὑπὸ πνεύματος in *Matth.* & ἐν πνεύματι in *Luc.* huc uſque conſentiant, ut actionem nempe realem, non merè apparentem, denotent; etiamſi *D. Lucæ* ἤγετο ἐν πνεύματι poſſit ſpecialiùs motionem internam exprimere, *Matthæi* verò ὑπὸ πνεύματος impulſionem externam.

(c) *Lat. Vulgat.* ſic legit, *Quadraginta diebus, & tentabatur à Diabolo*, adjungens *diebus quadraginta*, verſui proximè antecedenti, tanquam ſi fuiſſet in deſerto diebus quadraginta ante ullam omnino cœptam tentationem. *Agebatur*, dicit ille, *in Spiritu in deſerto, diebus quadraginta, & tentabatur.* Ad eundem autem ſenſum videtur phraſin eandem *D. Marci* cogere; ſic enim transfert, *Erat in deſerto quadraginta diebus*, (imò addit, *& quadraginta noctibus) & tentabatur.* Textus verò utriuſque Euangeliſtæ clarus eſt, faciliſque. Indicat autem *Chriſtum* currentibus iſtis quadraginta diebus tentationes quaſdam pertuliſſe, præter tres iſtas de quibus poſtea fit verbum.

(d) *Beza* ſentit verba iſta, *in deſerto*, meliùs fuiſſe prætermiſſa, utpote quòd cùm immediatè ante dictum fuiſſet, *Spiritum eum in deſertum egiſſe*, ſat fuiſſet appoſuiſſe, eum *illic* fuiſſe quadraginta diebus, omiſſa penitùs ulteriori *deſerti* mentione. *Arabs* itidem, & *Vulg. Lat.* vocabulum *illic* omittentes legunt, *& erat in deſerto.* *Syrus* verò vocabulum utrumque optimè retinuit: perſpexit nempe (quod ſupra citatos latuit) duplicationem hanc, vel מלות שנורת (ut vocant Judæi hujuſmodi phraſes) Hebraiſmum eſſe communem, uſitatumque, ut *Geneſ.* 39: 20. Tradiditque Joſeph in carcerem, & fuit ibi in carcere, &c.

(e) Suppetant hîc loci tria Dæmonis nomina, Σατανᾶς, Διάβολος, & ὁ Πειράζων, Adverſarius, Accuſator, & Tentator, quæ quidem commodè admodum, nec minùs plenè ſtratagemata illius, affectuſque, quibus homines ſemper, nunc autem ipſum Deum laceſſit, deſignant.

MATTHÆI CAP. IV.

III. *Et accedens Tentator, dixit ei, Si Filius Dei es,* (f) *dic ut* (g) *lapides iſti panes fiant.*

IV. *Qui reſpondens dixit: Scriptum eſt, Non in ſolo pane vivit homo, ſed in* (h) *omni verbo quod procedit de ore Dei.*

LUCÆ CAP. IV.

III. *Dixit autem illi Diabolus, Si Filius Dei es, dic* (g) *lapidi huic ut panis fiat.*

IV. *Et reſpondit ad illum Jeſus: Scriptum eſt, Quia non in ſolo pane vivit homo, ſed in* (h) *omni verbo Dei.*

(f) Græcè legitur, *dic*, vel *loquere* ad iſtos lapides, ut *Numer.* 20: 8. ſic autem reddunt *Syrus* & *Lat. Vulg.* Etenim Deus hujuſcemodi in rebus loquendo, jubet; jubendo efficit: ſic, Dixit Deus, & facta ſunt univerſa, *Geneſ.* 1. Quod Pſalmiſta ſic exprimit, *Ipſe mandavit*, *Pſalm.* 148: 5. Diabolus autem conſultò appoſitèque hâc utitur phraſi, quippe qui jam jam dixiſſet, *Si Filius Dei es*; quod ſi dicat Deus; fiat, neceſſum eſt.

(g) Quòd verò ex Euangeliſtis alter ſingulari, alter plurali numero utitur, haud mirandum eſt, propterea quòd id in S. Scriptura familiariter occurrit, ut *Geneſ.* 28: 11. *Tulit de lapidibus qui jacebant*; quod *verſ.* 18. exponitur ſic, *Tulit lapidem.* Et *Lucas* oſtendit *Matthæum* pluraliter loquentem ſic intelligendum eſſe, ac ſi dixiſſet, Dic ut *unus ex lapidibus*, &c. ut *Judic.* 12: 7. *Jiphtha ſepultus eſt in civitatibus Gilhaditarum*, id eſt, in una ex civitatibus; & 1 *Sam.* 18: 20. *In duabus rebus eris gener meus hodie*, id eſt, in altera ex duabus, &c. *Reuben* autem reſpondendo, *Geneſ.* 42: 37. *Duos filios meos interfice*, videtur idem velle intellectum, ac ſi dixiſſet, Duos ex filiis meis interfice: erant enim ei tunc temporis filii bis duo, *Geneſ.* 46: 9.

(h) In textu *Hebraico Deuter.* 8: 3. unde hæc verba petuntur, ſic legitur, על כל מוצא פי, *in omni quod egreditur de ore*, *verbo* nullo determinatè nominato. Sed *Chaldæus* & LXX. reddiderunt, in *omni verbo* quod egreditur: *Matthæus* verò ipſa LXX. verba citat. *Lucas* ſenſum potiùs verborum מוצא פי, quàm exactam eorum conſtructionem exhibet, מוצא שפתי, *eſt Dei promiſſum*, *Pſalm.* 89: 34.

MAT-

Digitized by Google

MATTHÆI CAP. IV.

V. *Tunc aſſumpſit eum Diabolus in* (i) *ſanctam civitatem, & ſtatuit eum ſuper* (k) *pinnaculum Templi.*

VI. *Et dixit ei, Si Filius Dei es, mitte te deorſum: ſcriptum eſt enim, Quia Angelis ſuis mandavit de te, & in manibus tollent te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.*

VII. *Ait illi Jeſus, Rurſum ſcriptum eſt, Non tentabis Dominum Deum tuum.*

LUCÆ CAP. IV.

V. *Et duxit illum Diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terræ in momento temporis.*

VI. *Et ait illi, Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam & gloriam illorum, quia mihi tradita ſunt, & cui volo do illa.*

VII. *Tu ergo ſi adoraveris coram me, erunt tua omnia.*

VIII. *Et reſpondens Jeſus dixit illi, Abſcede à me Satana: ſcriptum eſt enim, Adorabis Dominum Deum tuum, & eum ſolum coles.*

(i) *Sanctæ Civitati* fuit nomen commune ac ſolenne *Hieroſolyma*, ut *Iſaj.* 48: 2. & 52: 1. *Dan.* 9: 16. *Nehem.* 11: 1. *Matth.* 27: 53. &c. imò vel tùm, cùm fœdâ omne genus abominatione obruta jaceret; imò vel tùm, cùm narratur hiſtoria de *Chriſto* ab ea crucifixo, ſicuti teſtatur locus noviſſimè laudatus. Nihilominus tamen reſpectu ad Dei præſentiam, nec non ad cultum ab ipſo ibidem collocatum habito, ſic uſque appellatur: cujus rei conſideratio tam apta eſt ſchiſmaticis, quàm quæ aptiſſima. Siclus *Iſraëlis* ex altero latere inſcriptionem obtinuit hoc ipſo titulo, etſi non iiſdem verbis, ornato, ירושלם קדושה, *Hieroſolyma Sancta.* Turcæ locum eodem nomine ac titulo hodie diſtinguunt. Papicolæ autem eandem notionem ac naturam loci agnoſcunt. Poſtquam verò præſentia divina, cultus verus, & tota religio quam Deus ibidem conſtituerat, ſpreta evanuit, *Hieroſolyma* non ampliùs præ cæteris locis ſancta remanſit; fuit exinde civitas tum ob cæteras impietates execrabilis, tum præcipuè propterea quòd crucifixiſſent ibidem Dominum vitæ. Vaſtatâ autem penitùs veteri, ſanctam alteram civitatem ſibi extruxit Deus, novam *Hieroſolymam*, ſpiritualem nempe ædificationem, civitatem non manufactam, Eccleſiam Euangelicam, in locum Moſaïcæ veteris ſuis ipſius inquinamentis convulſæ ſuccedentem, *Apocal.* 21: 2. &c.

(k) Πτερύγιον ἱεροῦ. Hæc phraſis diversè quidem intelligitur; videtur tamen denotare murum tecti Templum circumcirca cingentem, ut *Deuter.* 22: 8. ubi vocatur מעקה, *ſeptum*, ut reddit *R. Solom. Chaldæus* exprimit per vocabulum Græcum, Θήκη, תיקא. LXX. *Interpr.* Στεφάνην appellant. *Lat. Vulg.* & *Eraſmus pinnaculum* habent: cujus ſenſum ſecuta tranſlatio Angl. pyramidem aliquam intelligit è domate ſurſum elevatam. *Camerarius* indifferenter ſumit pro faſtigio, vel ſummitate Templi, ſeu ſit pinnaculum, ſeu murus tecti, ſeu pyramis, vel quidlibet aliud. Sacerdotibus ſolenne erat Templi faſtigium conſcendere, *Talm.* in *Taanith*, *R. Solom.* in *Iſaj.* 22: 1.

MATTHÆI CAP. IV.

VIII. *Iterum aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum.*

IX. *Et dixit ei,* (l) *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraveris* (o) *me.*

X. *Tunc dicit ei Jeſus, Vade, Satana: ſcriptum eſt enim,* (p) *Domi-*

LUCÆ CAP. IV.

IX. *Et duxit illum in Jeruſalem, & ſtatuit eum ſuper pinnam Templi, & dixit illi, Si Filius Dei es, mitte te hinc deorſum:*

X. *Scriptum eſt enim,* (m) *quòd Angelis ſuis mandavit de te, ut conſervent te,*

XI. *Et quia in manibus tollent te, ne fortè* (n) *offendas ad lapidem pedem tuum.*

num

num Deum tuum adorabis , & illi ſoli ſervies.

XI. *Tunc reliquit eum Diabolus: & ecce Angeli acceſſerunt , & miniſtrabant ei.*

XII. *Et reſpondens Jeſus, ait illi, Dictum eſt , Non tentabis Dominum Deum tuum.*

XIII. *Et conſummatâ omni tentatione, Diabolus receſſit ab illo uſque ad tempus.*

MARCI CAP. I.
VERS. XIII. *Et Angeli miniſtrabant illi.*

(l) Phraſis hæc illi *Lucæ* facem præfert, ἐξουσίαν ταύτην ἅπασαν. Oſtendit nempe intelligendam eſſe de ipſis potiùs regnis illi à *Satana* exhibitis, quàm de dominatu illorum & imperio. *Lucas* dicit quidem, τὴν ἐξουσίαν ταύτην ἅπασαν, καὶ τὴν δόξαν αὐτῶν· *Matthæus* verò eandem rem narraturus, ſic exprimit, πάσας τὰς βασιλείας τοῦ κόσμου, *omnia regna mundi, & gloriam illorum*, de quibus locutus *Satanas*, dicit, *Omnia hæc dabo tibi.*

(m) *Paraphraſtes Chaldæus* in *Pſalm*. 91. de quo hæc deprompta eſt citatio , promiſſa ibi facta ad *Solomonem* , ſed *Aben Eſra* ad *Meſſiam* , refert.

(n) Phraſis hæc videtur *Bilhami* iter facientis infortunium reſpicere, *Numer*. 22: 25. Nunc verò Diabolus in hac *Pſalmi* citatione Servatoris noſtri deceptionem manifeſtò & apertè conatur , idque duobus modis. Primò, in ipſa citatione hanc ſciens prætermittit clauſulam , ſcil. *ut conſervent te in omnibus viis tuis:* quippe qui prævidit facinus iſtud ad quod Servatorem noſtrum tunc ſolicitabat, nempe ut Deum tentaret, nullam fuiſſe ex ipſius viis. Secundò autem, verba illa parvo intervallo ſequentia, *ſcil. ſuper ferocem leonem & aſpidem incedes*, &c. omiſit etiam : ut quibus *Satanæ* ipſius ruinam & conculcationem prædicentibus, prorſus adverſabatur.

(o) Jam verò quandoquidem *Matthæus* dicit, *ſi adoraveris me*; *Lucas* autem, *ſi adoraveris coram me :* hæ duæ phraſes ſic prolatæ neceſſariam hanc obſervationem quàm facillimè ſuggerunt , nempe quòd ſi adorare coram Diabolo nihil aliud ſit quàm adorare ipſum Diabolum, tùm adorare coram imagine idem planè eſt ac adorare ipſam imaginem. Quicquid contra detortum obtrudent Pontificii, hoc nobis ſtabit perſuaſum , uſque dum reale phraſium diſcrimen probarint.

(p) In textu *Hebr*. *Deuter*. 6: 13. & 10: 20. unde hæc citatio colligitur , legitur primò , *Timebis Dominum* ; quod ab Euangeliſta redditur , *adorabis*. Secundò, vocabulum *ſoli* , in ſecunda clauſula, non extat in textu *Hebr*. Primò verò , Salvator noſter ſacrum textum ad occaſionem jam aſtantem ſtrictiùs applicat : Diabolus enim ſui ipſius adorationem ei , quantum poſſet, ſuaſiſſet ; is autem Scripturam ita , quò poſſit tentationi iſti magis directè obſiſtere , retorquet. Et cùm *timor Domini* totum noſtrum erga Deum officium , ſeu quod in affectione, ſeu quod in actione, ſeu quod in adoratione , ſeu quod in ſancta converſatione poſitum eſt , continet , includitque ; Salvator noſter id omne , quicquid ſit , ad particulare illud reducit, quod rei præſenti magis erat accommodum & appoſitum. Quod ſi ſupervacaneum minùs eſſet indigitare, affatim locorum ſunt , ubi laudans laudati verba univerſa ad amuſſim non retinet , quin aliquoties pro occaſione variata , varietur & phraſis , ut verbum quod apud *Iſaj*. 11: 1. ſurculum ſonat , in *Matth*. 2: 23. legitur *vir Nazaræus :* & quod apud *Iſaj*. 53: 4. *dolores* ſonat , in *Matth*. 8: 17. *invaletudines* legitur, quoniam illîc diſſerit de morbis à *Chriſto* depulſis. Alia non pauca hujuſmodi exempla obſervatu facilia legenti occurrunt , adeò ut nihil ſic cur illis ulteriùs inſiſteremus. Secundò , etſi vocabulum *ſoli* in textu *Hebr*. non reperiatur, reperitur tamen in illo LXX. loco primùm citato : illam autem interpretationem Euangeliſtæ ut plurimum laudant. Porrò , *Septuaginta* optimo jure addiderunt ; quandoquidem, ut acutè notavit *Beza*, tantumdem & in emphatica particula *illo* includitur, & ex aliis paſſim locis invicem collatis intelligitur.

Ratio

Digitized by Google

Ordinis Ratio.

NArratio Baptiſmi ſimul & tentationis Chriſti in ſingulis Euangeliſtis tam clara eſt ac connexa, ut & operam & oleum perderet, quicunque ejus probationem conaretur; præſertim verò, cùm *D. Marcus* & Baptiſmum & tentationem verbo *ſtatim* interpoſito arctiùs conjunxit, quàm ut poſſit quiſpiam ſejungere. At *Matthæus* & *Lucas* tamen uſque adeo diſcrepant uterque in narratione ſua de *Chriſti* tentatione factâ, ut majores pepererint expoſitoribus moleſtias, quàm quæ poſſint ſingulæ puncto temporis diſpelli. Ex iis autem non minima videtur, quæ ad ordinem ſpectat. Nam quum *Matthæus* tentationem illam ſuper pinnaculum Templi factam, ſecundam ſtatuerit; iſtam autem ſuper montem editum, ultimam: *Lucas* contra, iſti ſuper montem, ſecundum; alteri ſuper pinnaculum Templi, tertium locum deſignavit. Ego verò in diſquiſitione mea utriuſque Euangeliſtæ textûs ordinem, quo primùm donabatur, conſervavi.

Nunc autem, quo concilientur differentiæ, & ſatisfiat difficultati, hæ ineantur conſiderationes.

I. Perpendendum venit, ordinem illum, quo *Matthæus* in hiſtoria ſua uſus eſt, eundem planè eſſe in quo perpetratæ erant tentationes. Hoc autem liquidò conſtat ex iſtis particulis, quibus uſus eſt *Matthæus* ad tempus deſignandum; quod *Lucas* omiſit penitus, ſicut *verſ.* 5. *Tunc* aſſumit eum Diabolus, & *verſ.* 8. *Rurſum* aſſumit eum Diabolus: quæ duæ particulæ tentationum ordinem clariſſimè oſtendunt.

II. Conſiderandum eſt, *Lucam*, quandoquidem vidit *Matthæum* ordinem anteà obſervaſſe, eum non adeo curaſſe, quin ob rationes quaſdam ſpeciales immutaret, inverteretque.

III. Rationem mutationis hujuſce hanc eſſe poſſe concipimus: *D. Lucas* in *Cap.* proximè antecedenti Genealogiam *Servatoris* noſtri ab anno ipſius baptizati exorſus, eam ad *Adamum* uſque provexerat; & hoc ideo fecit, quò poſſit commodiùs explicare illam partem promiſſi *Adamo* dati, *ſemen mulieris:* in hâc tentationum victoriæque *Chriſti* de *Satana* conſequutæ hiſtoriâ, alteram promiſſi partem illuſtrat, *conteret caput ſerpentis*. Jam verò ut poſteriorem partem de ſerpentis capite à *Chriſto* conterendo clariorem reddat, indicat non modò Chriſtum Diaboli tentationes deviciſſe, perinde ac primi noſtri parentes erant ab iis devicti; ſed etiam ex hac narrationis inverſione inſinuatur nobis obſervandum, haſce tentationes illis conſonas fuiſſe, à quibus nos ſuperati decidimus; *Adamum* autem hunc ſecundum Diabolum ſuperaſſe in tentationibus earum conſimilibus, à quibus *Adamus* primus ſuperatus erat.

Matrem noſtram omnium *Evam* tentabat ſerpens tripliciter, ſcil. *cupiditate carnis, libidine oculorum*, & *faſtu vitæ*, ut 1 *Joann.* 2: 16. Cupiditate carnis, *videbatur enim mulieri bonum eſſe fructum arboris illius in cibum*; libidine oculorum, *videbatur enim gratiſſimam eſſe illam oculis*; & faſtu vitæ, putavit enim *deſiderabilem eſſe arboris fructum ad habendum intelligentiam*, & accepit de fructu ejus, & comedit, *Geneſ.* 3: 6.

Tentator idem eodem planè modo Servatorem noſtrum aggreſſus eſt. Primò enim ad cupiditatem carnis ſollicitat, quum fame laborantem ſentiens, jubet dicere lapidibus, ut panis fiant. Secundò, ad libidinem oculorum, quum univerſa mundi regna ei repræſentans, omnem omnium gloriam, pompam, ſplendoremque obtulit. Tertiò, ad faſtum vitæ, quum ne per viam communem, tutamque de Templi faſtigio deſcenderet hortatus, contendit ſummopere, ut promiſſo Dei confiſus, vellet ſeipſe præcipitem dare.

Ordo à *Luca* obſervatus, tam in omnibus correſpondet iſtarum primarum tentationum ordini, ut in proclivi ſit judicare, rationem hujuſce ordinis eſſe, ut faciliùs poſſit lector illas invicem conferre, ac promptiùs diſtinctiùſque conſiderare.

IV. Nunc verò dictu perquam difficile eſt, quamobrem Diabolus *Servatorem* noſtrum in eodem ordine, ac eâdem methodo non tentavit, in quibus primos noſtros parentes antea tentaverat: at facilè tamen eſt obſervare, tentaſſe primùm ad opera potentiam magnam indicantia, ſcil. *ut faceret lapides fieri panem*, *ut aërem volando permetiretur*. Cùm autem in hiſce tentationibus prævalendo neutiquam eſſet, tùm ad peccatum infirmitatis tentabat, ſcil. *ut adoraret Diabolum*; ea eſt Diaboli impudentia, ut ſibi ipſi in tentationum tenore adverſabitur: quòd ſi in hac eventum optatum cònſequi nequeat, alteram illi prorſus contrariam molietur potiùs, quàm à facinore nondum confecto deſiſtat penitùs, & acquieſcat.

Digitized by Google

LUCÆ CAP. IV. VERS. 1.

Harmonia & Explicatio.

SAlvatore noſtro in ſuam Miniſterii functionem per Baptiſmum, & Spiritûs Sancti unctionem inaugurato, quemadmodum *Sacerdotes* olim ſub Lege in munus ſuum per ablutionem & unctionem initiabantur, *Levit.* 8: 6, 12. jam nunc incipit non ampliùs ſicut privatus quiſpiam agere, ſed ſicut *Pontifex Maximus*, *Redemptor*, *Meſſias*, & ſalutis noſtræ *Princeps*. Ipſe autem talis omnino in hac narratione depingitur, talis quoque in hanc militiam à *Spiritu Sancto* inducitur: I. Ut opus redemptionis primum lapſui eſſet conſimile: etenim cùm redemptio, tum lapſus tentationibus premebatur. II. Ut *Chriſtus* vel ab ipſo primo in functionem ſuam ingreſſu promiſſi ſubjectum poſſit æſtimari, *Geneſ.* 3: 15. *Semen illud mulieris quod* in fine *ſerpentis caput confringeret*, quum ſerpens illum in principio ita obtriverat. III. Ut hæc Miniſterii *Chriſti* inchoatio totam ejuſdem ſeriem vindicare poſſit, & glorificari, cùm *veniſſet hujus mundi Princeps*, *& nihil in eo inveniſſet*. Et IV. ut *Adamo* præ innocentia major hîc poſſit agnoſci: ille enim tentationibus ſuperatus erat; hic verò tentationes ſuperavit. Diverſæ ſunt aliæ tentationum *Chriſti* rationes, quæ ad hominem ſpectant. Ut primùm ad demonſtrandum homines ſanctiſſimos expectare non debere immunes ſe prorſus fore à tentationibus. Deinde, ut edoceret nos *Chriſtus* modum quo reſiſtendum eſt *Satanæ* tentationibus, ſcil. jejunio, precatione & Dei verbo. Tum, ad oſtendendum nos auxilio ejus ſuperare debere, qui tentationes, quemadmodum & mortem ipſam, noſtrâ gratiâ ſuperavit. Poſtremò, ad nos opis & auxilii in tentationibus noſtris certiores faciendos; quandoquidem Salvatore gaudemus in omnibus ſimiliter tentato, ut *Hebr.* 4: 15. Vide *Aquin.* part. 3. quæſt. 41. art. 1.

LUCÆ 4: 1. *Jeſus autem plenus Spiritu Sancto.*

Quò meliùs intelligantur hæc verba, res duæ ingentis momenti ſe nobis offerunt conſiderandæ: quarum prima eſt, unde opus ſit, ut *Chriſtus Spiritu Sancto* nunc eſſet plenus, cùm *tota Deitatis plenitudo* in eo hactenùs inhabitaſſet: ſecunda autem, qua in re plenitudo illa Spiritûs Sancti quæ Chriſto inerat, & dona illa quæ ei inerant, ab illa plenitudine, & ab illis donis, quæ in aliis hominibus erant, diſcrepabant.

LUCÆ CAP. IV. VERS. 1.

Quantum ad rem primam, obſervandum venit primò, quòd per terminum *Spiritûs Sanctus*, intelligere debemus dona prophetica, quibus *Chriſtus* repletus fuit ad prædicationem & promulgationem Euangelii, nempe apocalypſin voluntatis Dei, & operationem virtutum. Phraſis hæc רוח הקודש vel *Spiritus Sanctus*, eſt mos loquendi, quo Judæi in ſcriptis ſuis communiter & frequenter admodum utuntur: ab iis mutuatur, in eorum ſenſu plerumque & conſtanter quidem in *Novo Teſtamento* uſurpatur: ab iis itaque petenda eſt ejuſdem explicatio. Authores autem Judaici dona Spiritûs extraordinaria per eum volunt nunquam non intellecta, quæ ipſe Prophetis & hominibus propheticis donavit, ut poſſint munere ad quod deſtinabantur, paratiùs fungi.

Quòd ſi exempla ad hanc rem ſpectantia ex iis coacervare placuiſſet, in promptu ſunt infinita.

Dicunt Judæi, *Spiritum Sanctum alteram fuiſſe ex rebus quinque quæ in Templo ſecundo defecerunt*, Maſſecheth Joma, cap. 1. citat. per *R. Solom.* & *Kimchi* in *Hag.* 1: 8.

Oſtendiſti Spiritum Sanctum ſuper te non habitare, ad cognoſcendum me ebrium non eſſe, Raſi in 1 *Sam.* 1: 13.

Spiritus Sanctus ab Eli diſceſſerat, ideoque prophetia ad Samuelem acceſſit, D. Kimchi in 1 *Sam.* 3: 2.

Spiritus Sanctus genitus fuit in eo à die illo, & deinceps; is autem Pſalmos & Cantica ope Spiritûs Sancti in eo geniti cecinit: etenim ſub generali hoc termino, Spiritus Domini, Spiritus Sanctus, & Spiritus potentiæ, vel roboris, *intelligitur*, Idem in 1 *Sam.* 16: 13. *Spiritus Sanctus manſit ſuper Pſeudo-Prophetam*, Idem in 1 *Reg.* 13: 20.

Sapientes noſtri dicunt, ante Eliam ablatum in Iſraële fuiſſe Spiritum Sanctum: ablato verò eo, receſſit & Spiritus Sanctus, R. Sam. Laniade in 2 *Reg.* 2.

In omnibus hiſce ſermonibus, atque in aliis quæ proferri poſſent quamplurimis, liquidò conſtat Judæos per hanc phraſim, *Spiritus Sanctus*, munera illa prophetica prorſus omnino deſignare, quibus imbuti erant tum viri, tum mulieres, vel ad negotium quodvis publicum, ad quod vocati erant obeundum; vel ad aptos reddendos occaſioni cuivis ſpeciali, officiove quod eis unquam obveniret, ſingulari. In hoc autem ſenſu phraſis hæc, ubicunque

in

Digitized by Google

in N. Teſtamento occurret, ſumenda eſt, niſi cùm de ipſa tertia *Trinitatis* perſona loquitur, ut *Luc.* 1: 15,41,67. *Joann.* 7: 39. *Actor.* 2: 4. & 8: 18. & 10: 44. & 13: 52. & 19: 2. & in locis aliis non paucis. Ita etiam hîc intelligenda eſt, nempe quòd *Chriſtus* publicum Euangelii miniſterium jam ſuſcepturus, & tanquam magnus ſuæ ipſius Eccleſiæ Propheta acturus, in Baptiſmate ſuo unctus eſt, & donis Spiritûs Sancti tantæ provinciæ tanti Prophetæ accommodis in æternum deinceps impletus.

Nunc II. advertendum eſt, dona illa Prophetica, quæ particularibus quibuſdam perſonis contulit *Spiritus Sanctus*, revera quidem & quàm longiſſimè differre à gratia ſanctificationis, ab ipſo ſanctis ſuis univerſis collatâ. Fuerunt profectò in una eademque perſona aliquoties, imò verò ſæpe ſæpius junctim reperta; ſin inde dicatur utraque fuiſſe unam eandemque rem, nihil minùs.

Primò enim, dona Prophetica fuerunt aliquando in hominibus cùm impiis, tum prophanis; uti in *Bilhamo*, Pſeudo-Propheta in *Bethele*, in *Juda* etiam, &c.

Secundò, dona hæc alieni beneficii causâ potiùs, quàm accipientis, collata fuerunt; at verò ſanctificationis gratia ejus potiſſimùm utilitatis cauſâ datur, cui datur ipſa gratia.

Tertiò, dona hæc homines nullatenus reddiderunt coram Deo ſanctiores, ſed inſtructiores ſolummodo ad munera quædam humana, & paratiores.

Adeo ut ex hac locutione, *Jeſus plenus Spiritu Sancto*, nullum omnino intenditur gratiæ, vel ſanctitatis, quam antea non habuit, incrementum, ſed facultatum propheticarum, quibus huc uſque caruerat, facta tunc temporis donatio, cùm deſcenderet ſuper eum Spiritus Sanctus. Quanquam enim natura humana cum Deitate conjuncta, perfectiones glorioſiſſimas ſimul & excellentiſſimas ex illa conjunctione ortas, participabat; hæc tamen dona, vel perfectiones, de quibus impræſentiarum loquimur, illa neutiquam participabat, quippe quæ dona cùm eſſent, ex illa conjunctione proprium ſuum ortum minimè duxerunt: nec erant res quæ Dei in opere redemptionis placationi, ſed quæ hominibus convincendis in ſua Miniſterii functione, inſerviebant: perſonam *Chriſti* ita inſtruere, ut poſſit totum vitæ curriculum ſine omni omnino peccato agere, ut poſſit Legem exactè implere, divinæ juſtitiæ ſatisfacere, & ipſam denique mortem ſuperare. Hi proprii fuerunt iſtius conjunctionis fructus, nam hi peculiares fuerunt fines, & ſingulares rationes, qui illam exigebant: ſed virtutes operari, difficultates enodare, morbis mederi, Euangelium prædicare, res futuras prædicere, & hujuſcemodi alia, non tam propriè ex iſthac conjunctione emanarunt. Etenim hæc eadem univerſa meri homines præſtiterunt; neque hæc profectò ad finem Incarnationis maximè proprium, nempe ad divinæ juſtitiæ ſatisfactionem, tam directè ſpectabant, quàm ad humani generis inſtitutionem & convictionem, utilitatem & emolumentum. Ideoque licet humana Chriſti natura per ſuam cum Numine conjunctionem, omni abundaret ſanctitate, omni ſapientiâ, & omnibus etiam divinis gratiis, cujuſmodi ſunt Dei rerumque optimarum cognitio, viſionis Dei fruitio, & grata cum eo communitas; porrò, potentiam licet & ab omni perpetrando peccato abſtinendi exhiberet, & obedientiam Legi, nullâ admiſſâ corruptelâ, abſolutam, exactam & integram præſtandi; quæ quidem omnia ad Dei juſtitiæ ſatisfactionem, & humani generis redemptionem conduxere: attamen ut quàm commodiſſimè Euangelii miniſterium exequatur, ut corpora, animos & affectus hominum docendo, prædicando, & virtutes operando, afficiat, immediatis Spiritûs donis imbutus eſt, (quod ſolenne erat Deo Prophetas & homines propheticos emittenti) quæ ex utriuſque naturæ conjunctione non tam propriè, quàm ex Spiritûs unctione ſunt profecta. Hæc enim conjunctio efficit magis propriè, ut Chriſtus redemptionem noſtram ſuſcepturus, Deo ſit gratus; unctio verò, ut opus Miniſterii faciliùs inter homines excipiatur. Et cùm negandum non ſit, Chriſtum ſignorum vi, & ſapientiâ propheticâ priùs imbutum fuiſſe, quàm ſuper eum baptizatum deſcenderet Spiritus Sanctus, prout ſignatiſſimè apparet ex diſputationibus illis, quas annos duodecim natus cum Doctoribus palàm eſt ingreſſus, hoc effectum dedit ope plenitudinis Spiritûs S. quam ab utero etiam matris ſuæ in ſe ipſe ſenſit, eodem quidem modo, ſed gradu longè tamen uberiori, quàm quo gaviſus eſt Joannes Baptiſta, *Lucæ* 1: 15. Differentia autem plenitudinis illius in utero datæ, ab hac ſtatim à Baptiſmo infusâ, hac in re ſita eſt, ſcil. quòd primùm in eo inerat, tanquam in homine in Miniſterium olim inducendo, nunc verò tanquam in homine jam jam inducto.

Digitized by Google

LUCÆ CAP. IV. VERS. 1.

Nunc verò differentia plenitudinis Spiritûs S. in Chriſto hoſpitantis, ab illâ quâ impletos fuiſſe alios homines dictum eſt, ut *Luc.* 1:67. *Actor.* 6:3. ex hiſce particularibus diſcerni poteſt.

I. Ex menſura, quæ poſſit æſtimari ex facta priùs conſideratione differentiæ perſonarum ſingularum, & rerum à ſingulis gerendarum. *Chriſtus* enim fuit Spiritûs S. plenitudinis infinitis gradibus capacior, quàm aut fuerunt, aut eſſe potuerunt meri homines. Quandoquidem autem opus ab eo efficiendum tam longè exceſſit illud ab hominibus navandum, neceſſe quoque eſt ut menſura plenitudinis Spiritûs Sancti in eo eſſet tanto major, quàm in hominibus, quanto majus fuit opus.

II. Ex modo & vigore agendi. Potentia Prophetarum in ſignis edendis fuit quidem perquam magna, nec minùs admirabilis; in eo autem quòd perſpectam dederunt exploratamque Dei voluntatem, ac res futuras prædixerunt, fuerunt itidem admirandi & ſuſpiciendi; nec potuerunt tamen omnia vel agere, vel prædicere, utraque in re limites ſuos invenerunt; Spiritûs autem à ſe diſceſſum nonnunquam perpeſſi ſunt. Similiter *Iſaacus* prævidendo eſt, quid de *Jacobo* atque *Eſavo* fiet, poſtquam elapſi fuerint mille anni proximè futuri; nequit tamen, cùm in amplexu habet *Jacobum*, determinare *Jacobus* ſit, an *Eſavus*: probè autem novit *Jacobus*, quid omnibus ſuis filiis futuris in ſeculis eveniret, neſcivit nihilominus per tredecim ſui ſeculi annos, quid de filio ſuo optimo Joſepho fieret.

Pariter *Moſes* potentiam ſuper *Ægyptum* exercet, nequit tamen balbutiei temperare. Porrò Propheta in *Bethele* mandando poteſt efficere ut diffindatur altare; verùm neutiquam poteſt mandando perinde impedire ne ipſe à leone dilaceretur.

Sic herclè magno huic prophetiæ dono, perinde ac Oceano, ſuum *ne plus ultra* affixit Deus: Poſſint homines ſuper hac & illa re Prophetas veros agere; aſt huc uſque tantùm, nihil ultrà: quin eum *Chriſto* ita minimè. Potuit ille quæcunque viſum eſt miracula operari: quando, quomodo, & in quem voluit cunque potuit ille omnes veritates detegere, omnes dubitationes tollere, omnes difficultates illuſtrare, & omnia cogitata intelligere: inſuper vigor & operatio Spiritûs in illo alios terminos præter ſuam ipſius voluntatem nullos novit.

Actus eſt à Spiritu in deſertum.] In deſertum nimirum *Judææ*. Primò enim de illo in hiſtoria proximè antecedenti fit mentio, *Matth.* 3:2, 3. inſuper deſerto hîc loci nominato ſine ulla diſtinctionis notâ, nullum eſt quod tam propriè intelligi poteſt, quàm iſtud *Judææ*, quippe quod noviſſimè expreſsè deſignabatur. Secundò, dicit *Lucas*, quòd *Jeſus revertit à Jordane*: innuens per verbum *revertit*, rediiſſe illum (cùm tentationem ſubiturus erat) ex eodem *Jordanis* latere, juxta quod baptizatus fuerat: & quòd deſertum *Judææ* ex iſto latere ſitum erat, evidentiùs eſt, quàm ut egeat demonſtratione. Suppoſuit ſanè *Chemnitius*, deſertum hoc ubi tentabatur Salvator noſter, magnum iſtud fuiſſe *Horebi*, vel *Sinai* deſertum: ſuggerit autem haſce tres rationes.

Primò, quoniam deſerta alia ſuos habent diſtinctionis titulos, ut deſertum *Ziphi*, 1 Sam. 23:14. *Shuris*, Exod. 15:22. *Engedi*, 1 Sam. 24:2. &c. cæterùm deſertum hoc *Horebi* abſque ullo alio additamento per emphaſin ſpecialem *deſertum* appellatur, & ſic appellatur *deſertum* hoc in loco expreſſum. Verùm hoc facile capit reſponſum: caret nempe hic ſuo diſtinctionis titulo, quippe quo, parvulo intercedente intervallo, antea donabatur, & *deſertum Judææ* appellabatur.

Secundò, quoniam dicit *Marcus*, *Chriſtum* in hoc deſerto *fuiſſe cum feris*. Nunc in aliis deſertis vel reperta fuerunt hinc illinc hominum domicilia, vel ſaltem ibidem errantes ab omni omnino cum hominibus ſocietate non prorſus erant remoti: ſed in amplo *Horebi* deſerto fuerunt ſolùm feræ, quemadmodum hîc fuiſſe dicitur.

Reſpondemus verò, *Marcum* dicendo, *Chriſtum* cum feris fuiſſe, non idcirco dicere deſertum iſtud & hominibus & hominum domiciliis vacuum fuiſſe. Sed I. *Chriſtum* & hos, & illa tunc temporis evitaſſe, & in locos maximè agreſtes, ac ab hominibus quàm longiſſimè remotos ſeipſum ſubduxiſſe. Et II. Euangeliſta videtur ipſius *Chriſti*, potiùs quàm loci, ſtatum reſpexiſſe: indicaſſe autem Chriſtum ſecundum *Adamum* fuiſſe, uti in tentatione præſenti, ita in ſua inter feras incolumitate, quâ ipſe nunc, ut *Adamus* olim in ſtatu innocentiæ, perfruebatur. Fuerunt quidem in deſerto *Judææ* loca alia civitatibus, villis, & domiciliis extructis ornata; fuerunt & alia, quæ omnibus hiſce deſtituta, occupabant feræ, 1 *Sam.* 17:28, 34. 2 *Sam.* 23:20. *Jerem.* 49:19.

Tertiò dicit, ex hoc ſuppoſito, viz. deſertum ubi tentabatur *Chriſtus*, magnum iſtud fuiſſe *Horebi* deſertum, obvia fit ſtatim

tim

LUCÆ CAP. IV. VERS. 1.

tim nobis congruitas apta inter hiſtoriam hanc, & illam de *Iſraële* in eodem loco, & inter hoc *Chriſti* jejunium, & illud *Moſis* & *Eliæ* in eodem utrumque deſerto. Reſpondemus verum eſſe, inde oriri iſtam congruitatem; ſed rem ita ſe habuiſſe, ex iſta congruitate inferri non poteſt: quin contrà congruitas iſta inferri debet ex re, poſtquam probatum erit ita fuiſſe. Quod ſi obtendat hoc ab eo ſtare, qui deſertum *Horebi* vult intellectum, nos quoque eodem planè nomine deſertum *Judææ* intellectum eſſe dicere poſſumus: harmonia enim hiſtoriæ *Iſraëlis* in illo agentis, cum altera Chriſti in hoc agentis, major non eſt harmoniâ Chriſti ac Davidis, qui graviſſimis miſeriis, nec non haud ferendis inimicorum perſecutionibus in hoc Judææ deſerto laborabat. Vide 1 *Sam.* 17: 34. & 23: 14, 19, 24. & 24: 1. *Pſalm.* 61. in titulo, &c.

MARC. CAP. I. VERS. 13.

MARC. I: 13. *Et fuit illic in deſerto dies quadraginta, tentante eum Satanâ.*

Quadraginta hoſce dies modo inviſibili tentavit eum *Satanas:* nondum autem ſpeciem viſibilem, ac conſpicuam ſibi aſſumpſit; aſſumpſit verò poſt finitos quadraginta dies: & ita intelligendus eſt *Matthæus* ubi dicit, *Venit ad eum Tentator*, hoc eſt, in viſibili & conſpicua ſpecie.

Nunc verò ſi tempus, locum, & præſentem Chriſti ſtatum ſpectemus, videre poſſumus materiam & occaſiones eas, quibus ſibi arreptis inviſibiles ſuas tentationes uſque adhuc promoviſſet Diabolus.

Primò, quantum ad anni tempeſtatem attinet, occœpit ad medium circiter menſem *Tiſri* per ſex deinceps hebdomadas provecta: hoc eſt, juxta computum noſtrum, initium duxit ab initio *Octobris*, & finem à die *Novembris* plus minùs decimo: tunc autem intenſius extitit frigus, longiores noctes, & ingruebat celeriter hyems; ita ut commoratio in expoſita deſerti planitie tædio fuit & triſtitiæ valdè magnæ.

Secundò, quantum ad locum hujuſce Salvatoris noſtri commorationis, ubicunque fuit in deſerto *Judææ*, ſeu *Quarantaniæ*, ut dicunt nonnulli, quæ duo milliaria abeſt à *Jerichunte*, ſeu propiùs Meridiem juxta ripas *Maris Mortui*, utpote qui fuit locus patentior; ſeu aliàs, fuit utcunque ferarum comes, earumque ferociæ obnoxius, nec præſto erat quiſquam unus, qui ei poſſit ſuccurrere; nec domum invenit, quæ ipſum contra injurias aëris defenderet.

MARC. CAP. I. VERS. 13.

Tertiò, quantum ad ſtatum ejus in hoc loco & tempore, non ſolùm jejunium ſubivit, ſed etiam impoſſibilitatem victûs quærendi niſi miraculo priùs edito: hominum ſocietate deſtitutus, vitam egit ſolitariam; ea, quæ vitæ ſuſtentandæ opus ſunt, deſideravit; & tota ejus conditio ea fuit, quæ vitam reddit triſtiſſimam, ſimul & luctuoſiſſimam.

Externas haſce occaſiones ſibi oblatas aptas, ut ei videbatur, opportunitates amplectitur *Satanas*, ut poſſit ſuas Chriſto ſuggerere tentationes, atque eum, modò non fuerat impoſſibile, vel ab opere illo jam jam ſuſcipiendo penitùs coërcuiſſe, vel perſuaſiſſe ſaltem ad rem aliquam quæ fieri non debuit efficiendam.

Hiſce autem in rebus jejunium hoc *Salvatoris* noſtri, per quadraginta dies noctesque continuatum, multò ſuperat illa *Moſis*, atque *Eliæ*, quæ erant utraque per idem temporis ſpatium continuata. Ille enim non tantùm ab omni omnino cibo abſtinuit, verùm etiam perpetuò cum *Satana* luctatus, continuas egit excubias, atque nec corporis, nec animi requie fruebatur, quâ quidem & *Moſes* & *Elias* ab hujuſmodi perturbationibus immunes perfruebantur in ſuis ipſorum jejuniis.

Confer bellum iſtud, 1 *Sam.* 17: 16.

LUCÆ CAP. IV. VERS. 2.

LUC. 4: 2. *Nec edit quicquam per illos dies.*

Matthæus de Chriſti jejunio locutus, noctium pariter ac dierum mentionem facit, ut diſtinguatur id ab ordinariis aliorum hominum jejuniis, qui licet per totum diem jejunarunt, appropinquante tamen veſperâ comederunt, 1 *Sam.* 14: 25. 2 *Sam.* 1: 12. &c. Jejunium verò *Suſis* celebratum tribus diebus noctu & interdiu durabat, *Eſth.* 4: 16. Diuturnum hoc & mirandum *Chriſti* jejunium non magis ad imitationem, quàm conſimilia illa *Eliæ* ac *Moſis*, inſtitutum erat; quin ſicut illa illorum, ita & hoc Chriſti ad alium finem deſtinabatur.

Nam ſicut *Moſes* legem laturus, & religionem ſanciturus, ter quadraginta dies, totidemque noctes jejunabat, ideo ut illius authoritas, & hujus honor auctior fieret; & ſicut *Elias* labantem Prophetiam inſtauraturus, & ἐπανόρθωσιν inchoaturus, quadraginta dies, totidemque noctes jejunabat, ut cùm illa, tum hæc populo eſſet gratior & acceptior: hæc illa ipſa fuit conſideratio, quâ inducti adjutique harum rerum agentes, vitam illi Angelorum tam ſimi-

Digitized by Google

LUCÆ CAP. IV. VERS. 2.

ſimilem, tam mirandam, per tantum temporis ſpatium egerunt, ut quæ eſſet quaſi præfatio & introductio rerum à ſe poſtea gerendarum.

Ita hæc quoque Salvatoris noſtri actio ad majorem honorem, & ampliorem illius quod prædicaturus erat Euangelii authoritatem conduxit; propterea quòd ille qui prædicabat, vel ipſorum Angelorum vitam ſine omni cibo potuque degerat, & Diabolum qui circumſtantiis ſibi maximè accommodis ſtipatus erat, ſuperaverat, & inter ſpeluncas ferarum illæſus habitarat. Confer *Iſaj.* 11: 6.

Sic *Joannes Baptiſta* prædicationem ſuam cum magna, *Chriſtus* verò cum miranda planè abſtinentia inchoavit; atque inde non tantùm Euangelium quod prædicabant honore cumulabant utrique, ſed etiam eos ad quos prædicabant, edocebant, I. Quòd *regnum cœli non eſt eſca & potus.* II. Quòd *homo non vivit ſolo pane, ſed verbo Dei.* Et III. quòd libertas Euangelii non eſt enormitas, ſed alterius naturæ libertas.

Sed iis finitis, poſtea eſuriit.] Hoc non dicitur vel de *Moſe*, vel de *Elia*, etiamſi de utroque ſimiliter verè poſſit dici, ſed ſic de *Chriſto* dicitur, I. ad humanitatem ejus evincendam. Præſertim autem II. ad hiſtoriam ſequentem claram reddendam: viz. ad oſtendendum *Satanam* ex Chriſti eſurie primæ tentationis (ſcil. ut lapides fierent panes) occaſionem ſibi arripuiſſe. Et III. ut hæc, & prima iſta tentatio, quâ *Satanas Evam* aggreſſus eſt, fieri poſſint parallelæ; aggreſſus enim eſt cùm eſuriret illa, & appeteret comedendi tempus.

MATTH. CAP. IV. VERS. 3.

MATTH. 4: 3. *Et quum veniſſet ad eum Tentator.*

Semen mulieris, & ſerpentis in conſpectum jam invicem veniunt; inimicitia autem, quæ inter utrumque à primo *Adami* die ponebatur, jam nunc in apertum erumpit certamen. Et Euangeliſta in epitheto iſto *Tentator*, manifeſtò nos monet, ut primam iſtam tentationem, quæ in cauſa erat inimicitiæ iſtius affixæ, obſervemus. Prout olim *Evæ*, perinde nunc *Chriſto* in viſibili ſpecie ſeipſum ſiſtit conſpiciendum Diabolus: ſed quantum ad determinatum ſpeciei iſtius genus, ſilet textus. Maximè quidem probabile eſt, ſimilem fuiſſe Angelo lucis: & ſicuti *Eva*, bonum fuiſſe Angelum in corpore ſerpentis latitantem putans, ab illo ſeducta fuit; ita nunc ipſum profectò *Chriſtum* per Angeli glorioſi ſpeciem ſeducere conatur. Etenim, ex eo quòd à Chriſto, ut ipſum adoret, efflagitat, & fidem dat univerſa illi ſe daturum mundi regna, haud veriſimile eſt, illum ſimplicem nudi hominis, vel beſtiæ cujuſvis imaginem induiſſe, quoniam nuda utraque harum ſpecies tentationibus illius periclitandis fuit perquam inepta: at veriſimile tamen eſt, comparuiſſe illum in humana ſpecie, ſed eâ gloriâ, eâ majeſtate, eoque ſplendore indutâ, quibus induti comparuiſſe dicuntur Angeli, *Judic.* 13: 6. nam quòd poteſt Diabolus ſeipſum in talem ſpeciem transfigurare, dicit Apoſtolus.

MATTH. CAP. IV. VERS. 3.

Dixit, Si Filius es Dei.] Tentat Chriſtum ſub notione utriuſque naturæ, bis qua Deus erat, nempe *ut lapides in panem converteret, & ut aërem pervolaret*, quæ erant divinæ poteſtatis opera; ſemel autem quà homo, nempe ut ſe ipſe proſterneret utilitatis mundanæ gratiâ, quæ quidem actio peccatum, & infirmitatem humanam involvebat. Cùm Diabolus bis hâc utitur locutione, *Si Filius es Dei*, id non oſtendit, uti opinantur nonnulli, neſcire eum qui fuit *Chriſtus*; (etenim miraculum nativitatis ejus, adoratio ei à Magis præſtita, illa quâ pollebat ſapientia annos duodecim natus, vox cœlitùs demiſſa, & tranquilla inter feras tunc temporis incolumitas, id reddunt planè impoſſibile) quin contrà cùm probè novit *Chriſtum* eſſe Dei Filium, exinde argumentum deſumit, quo ei perſuadere nititur miracula edere, &, quà Filius Dei, opera divina exerere. Vocabulum autem *ſi* in iſta locutione, non tam dubitationem, quàm fiduciam notat, quemadmodum vocabulum idem iſtis *Lamechi* verbis præfixum. *Si ſeptuplo vindicandus ſit Cain.* Suggerit autem tanquam ſi eſſet rei indubitatæ conſequentia. *Cùm tu Filius Dei es, quemadmodum vox cœlitùs data edixit, tibi quàm maximè convenit, ut potentiam tuam divinam demonſtrares, & juberes ut lapides hi in panem, quo fami tua ſatisfiat, convertantur.* Ita eodem modo procedit altera tentatio: *Cùm tu Filius Dei es, nihil magis congruum, quàm ut juxta ageres, quod ſit non per gradus hoſce, ſicuti homines, deſcendendo, ſed teipſum hinc præcipitem dando*, ad potentiam divinam indicandum. In utriſque hiſce tentationibus laborat potiſſimùm, & conatur *Satanas*, ut inducat *Chriſtum* agere ſecundùm dictamen ſuum atque inſtitutum; quantumvis in iiſdem incluſivè perſuadeat divinæ providentiæ in deſerto diffidere, à ſecundis cauſis nimiùm dependere, & promiſſo aliàs

Digitized by Google

MATTH. CAP. IV. VERS. 3.

liàs ſpectanti temerariè confidere. Atque perinde *ac Eve* perſuaſiſſet argumentis de mandato Dei depromptis ſibi conſulenti auſcultare: ſic & argumentis ab opere illo, & mandato Miniſterii, noſtræque hominum redemptionis gratiâ à Deo ei delegato deſumptis vellet Chriſto perſuadere efficere res eò neutiquam ſpectantes, ſed arrogantiæ potiùs & ſuperbiæ arguentes; quod ſi *Servator* noſter impulſu Diaboli quidpiam effeciſſet, tentationibus ejus ſatisfeciſſet.

Ignatius Martyr, *Hilarius*, aliique Patres antiqui, & *Beza*, *Chemnitius*, aliique neoterici autumant quidem myſterium Incarnationis ignotum fuiſſe *Satanæ* æquè ac Diſcipulis ante reſurrectionem: ipſum autem hoc propoſuiſſe, *Si Filius Dei es*, ut qui veritatis ſuper hac re neſcius, quæſivit ſedulò. Dicunt præterea, per hanc phraſin, *Filius Dei*, intelligendum eſſe virum valde pium, atque extraordinariis naturæ dotibus ornatum; & quum Centurio vocat Chriſtum *Filium Dei*, *Matth.* 27: 54. *Lucas* vocat *hominem juſtum*, Lucæ 23: 47.

Reſp. I. Veriſſimum quidem eſſe, myſterium Incarnationis myſterium eſſe maximè clauſum, maximèque reconditum. Id autem quod intellectus creati nequeunt comprehendere, cujus Diſcipuli erant prorſus ignari, uſque dum revelatum perceperunt: attamen Angeli tum boni, tum mali veritatem rei aſſequi poſſint, etiamſi myſterium aperire non poſſint, poſſint etiam Diſcipuli aliquatenus ſcire ante reſurrectionem, tametſi poſt pleniùs intellexerunt: vide *Matth.* 16: 16. Probè novit Diabolus, Angelos edixiſſe eum *Chriſtum Dominum*, ſeu *Jehovam*, *Luc.* 1: 16, 17. & 2: 11. Angelum & Deum pronunciaſſe eum, *Filium Dei*, *Luc.* 1: 35. & 3: 22. Prophetam vocaſſe eum, *Jehovam*, Jerem. 23: 6. & *Deum fortem*, & *Patrem æternitatis*, Iſaj. 9: 6. novit & centum hujuſcemodi appellationes, quæ quidem non potuerunt non univerſum penitùs ſcrupulum de eo, quicum rem habebat, eximere.

II. Verum eſt profectò, Eccleſiam ſimul & populum Dei, *filios ejus* vocari, quin difficillimum tamen erit hoc particulari cuivis perſonæ, vel uni ulli homini per totam S. Scripturam attributum invenire. In promptu eſt ſcire, de Chriſto dictum eſſe id in 2 *Sam.* 7: 14. *Pſalm.* 89: 28, 29. id autem in *Luc.* 3: 38. explanatum jam antea dedimus.

III. Verum eſt quoque, quòd quum Centurio in *Matth.* dicit, *Hic fuit Filius Dei*; *Lucas* tamen dicit, *Hic fuit homo juſtus*: anne verò inde neceſſariò ſequitur, non crediſiſſe eum fuiſſe *Filium Dei*, ſed quòd ſic vocavit tantummodo, quoniam homo erat pius? In quamplurimis Euangeliſtarum phraſibus variis non ſemper intelligendum eſt alteram alterius interpretem: ſed ut ſenſus plenus percipiatur, in ſenſu ſibi proprio ſumendæ ſunt utræque; quod ut in locis paſſim variis obſervari debet, ita & hic: Centurio & qui ei aderant comites, conſpectis quæ Servatoris noſtri mortem comitabantur miraculis, non modò judicant eum virum quàm maximè pium, ſed & dicunt nonnulli, *Certò, hic fuit Filius Dei.* Locos compara, comparatos examina.

MATTH. CAP. IV. VERS. 3.

Nunc verò audax iſta Diaboli impudentia, quæ eminuit abundè in eo quòd ſic aggreſſus eſt eum quem Dei Filium cognovit, nec adeo mira erit, nec adeo incredibilis, ſi modò (unà cum ſuperbia ejus, horrendâ impietate & malitiâ) conſideretur iſta, quam ſe nactum putavit, occaſio facinoris hujus contra eum, quem ex animo novit *Dei Filium.* Iſtam autem ſibi arripuit occaſionem ex iis Dei verbis quæ locutus eſt ad eum in horto, ubi, ut dixiſſet Deus, *ſemen mulieris caput tibi conteret*, pergit ſimul dicendo, *& tu conteres huic calcaneum.* Hinc ortum eſt id impudentiæ, quâ auſus eſt omnia quæcunque hoc tempore molitus fuit. Hujus autem rei conſideratio lucem fœneratur effuſiſſimam huic tentationis hiſtoriæ. Etenim, quum duplex moveri poſſit ſuper hac tentatione ſcrupulus, præter hunc de quo impreſentiarum diſquiritur, unde nimirum contigit, quòd nunc, non verò antè, facta eſt tentatio; & quamobrem dixit *D. Lucas*, Finitis hiſce tentationibus, *ad tempus ab eo abſceſſiſſe Diabolum*: hujus rei animadverſio utrique ſcrupulo abundè ſatisfacit. Nam primò, eſt quidem ut demiraremur, quòd cùm *Chriſtum* per triginta annorum ſpatium ne ſemel quidem inceſſiſſet Diabolus, eum nunc primùm aggrederetur, cùm cœlitùs teſtatum accepiſſet, *eum* eſſe *Dei Filium*, & cùm Spiritu plus ſolito impletus erat; quæ quidem, quàm priùs, munitiorem eum contra *Satanæ* conſilia reddiderunt. Sed hac in re fundatur ratio, viz. quòd ad confligendum cum Diabolo de *capite*, *& calcaneo invicem frangendo conterendoque*, modo quidem conſpicuo nunc, nunquam verò ante, oblatus fuiſſet *Chriſtus*: Diabolus autem, cùm probè novit ſe calcaneum ei aliquando contriturum, impudentiâ ſua allectus hoc audet certaminis. Secundò autem, poſtquam

Digitized by Google

MATTH. CAP. IV. VERS. 4.

quam expertus fuiſſet ſe non poſſe eum hoc modo (tentatione nempe) conterere, ad tempus ab eo abſcedit, uſque dum invenitur opportunitas alio id pacto (actuali nempe perſecutione) efficiendi.

Dic ut lapides iſti panes fiant.] Creaturæ formam mutare maximum eſt miraculum, ut quod ad creationem proximè accedit: ideoque poſtquam data fuit miraculorum virtus, primum quod edebatur hujuſmodi erat, *Exod.*4:3. cujuſmodi fuit & id quod primum edidit Salvator noſter, *Joann.*2: 9. Diabolus igitur opere miraculoſo *Chriſtum* tentaturus, hoc ipſo eum tentat: quandoquidem autem in aliam creaturam, formam ejuſdem mutando, potentiam ſuam exerere hac in tentatione perſuadere nequit; in proximè ſubſequenti excitare conatur ad potentiam in ſuum ipſius corpus oſtendendam, qualitates ejuſdem permutando, & volatûs facultatem addendo.

Nunc verò cujuſmodi erant peccata iſta ad quæ perpetranda perſuaſum eum velit Diabolus in hac tentatione, ſcil. *in convertendo lapides in panes*, ſeu ad ingluviem, ſeu ad divinæ providentiæ diffidentiam, ſeu ad quidpiam aliud, non tam ad rem eſſet anquirere, quàm conſiderare cur eum primò hujuſcemodi tentatione aggreſſus eſt. Huic autem diſquiſitioni quàm facillimè ſatisfiet: viz. I. Quòd opportunitatem ex præſenti ejus eſurie captavit. Et II. quoniam adeo ad votum ſucceſſiſſet iſta ſuper edendis fructibus, quâ primum *Adamum* inceſſiſſet tentatio, veterem iſtum tentandi modum cum ſecundo renovat.

VERS. 4. *Scriptum eſt.*

Hic primus eſt ſermo qui à Salvatore noſtro factus poſt ingreſſum ſuum in Miniſterii functionem, literis mandatur; qui etſi ſit quàm breviſſimus, haſce tamen momenti haud minimi obſervationes nobis exhibet.

I. Prima verba quæ locutus eſt *Chriſtus* in ſacerdotali ſua functione, S. Scripturæ authoritatem aſſeruiſſe.

II. Illum oppoſuiſſe verba Dei verbis Diaboli, ut munimentum maximè proprium.

III. Allegaſſe S. Scripturam, ut rem vel ab ipſo Diabolo nec negandam, nec redarguendam.

IV. S. Scripturam regulam ſibi ſtatuiſſe, quamvis eodem tempore ſpiritu erat abundè impletus.

Non ſolo pane vivit homo, ſed &c.] Aptiſſimè hunc locum *Moſis*, & divinitùs profert, *Deuter.* 8:3. eſt enim doctrina quam Deus *Iſraelitis* tunc temporis prælegerat, cùm in tentationem incidiſſent iſti, quâ *Satanas* molitur *Chriſtum* ſuperare, non multò abſimilem. Nunc ſuper textûs laudati ſenſu moventur aliquatenus controverſiæ. Volunt nonnulli ab eo ſignificari, homini curæ eſſe non vitam ſolummodo animalem, quam panis ſuſtentat, ſed etiam & potiſſimùm, vitam ſpiritualem, quæ à verbo Dei ſuſtinetur. Alii vero *per verbum Dei* verbum *doctrinæ* intelligunt. Alii, *verbum potentiæ Dei, providentiæ & decreti*; quippe qui exiſtimant hominis vitam à ſolo pane neutiquam pendere, ſed poſſe Deum eam aliis quæ ipſi videbuntur mediis provehere & tueri. Quorum omnis & ſingulus ſenſus peculiarem aliquam, & magnopere penſitandam præfert veritatem. Sed facillima horum verborum interpretatio, & illa quæ maximè congruit *Moſaico* cui inſeruntur contextui, hæc eſt: viz. *per omne verbum quod ex ore Dei procedit*, *Dei mandata* intelligere; quæ ſi obſervaverint homines, vivent vitam felicem, & proſperi erunt: etenim juxta hunc ſenſum loquitur primum illius Deuteronomii *Capitis* comma, *Unumquodque præceptum quod ego præcipio tibi hodie, obſervantes facitote, ut vivatis, & augeamini*, &c. Nunc Salvator noſter id hoc in ſenſu retorquet contra tentationem Diaboli, qui ipſum ſollicitabat ad lapides in panem convertendos. I. Ut oſtenderet eſcam ſuam eſſe & potum, voluntatem ejus exequi, qui miſit eum, & conſummare opus ejus, *Joann.*4:34. Et II. obedientiam Dei mandatis præſtitam meliorem patefacere vitæ viam, quàm creaturarum uſum.

MATTH. CAP. IV. VERS. 4, 5.

VERS. 5. *Tunc aſſumit eum Diabolus.*

Fit hîc loci controverſia, utrùm hoc ex re quidem ipſa, an ex apparentia ſolummodo factum fuit. Sunt autem qui poſteriore modo factum aſſerunt, putantes *Chriſtum* ad Templi pinnaculum, vel montis ſummitatem eodem modo adductum fuiſſe, quo *Jeremias* ad Euphratem abiit ad cingulum abſcondendum, *Jerem.* 13. aut quo *Ezechiel* dextro ſiniſtroque lateri ſuccumbens dormivit, &c. *Ezech.* 4. aut quo res quarum fit in S. Scriptura mentio, & hujuſmodi aliæ, quas tamen ex apparentia duntaxat factas fuiſſe, quàm ut negari poſſit, certius eſt. Vid. *Janſen.* in locum.

Quinimo Servatorem noſtrum nunc huc, mox illuc revera quidem, nec non in reali ipſius

Digitized by Google

MATTH. CAP. IV. VERS. 5.

ipſius corpore, tranſvectum fuiſſe, ſequentes hæ fortiter evincunt conſiderationes.

I. Aliter tentationes nequaquam fuiſſent, quas tamen fuiſſe manifeſtò declarat Euangeliſta. Etenim ſi *Chriſtus* mille hujuſcemodi res in phantaſia vidiſſet, & vidiſſet ſolummodo, præterea nihil ab iis paſſus, quid hoc ei eſſe potuit tentationis? quid mali?

II. Locus ille in quo *Chriſtus* immediatè poſt finitas tentationes fuiſſe dicitur, ſitus erat trans *Jordanem*, ut in Sectione inſequente oſtendetur: quomodo verò fit, ut finitis tentationibus, ab *ulterioribus Jordanis partibus* inveniretur, determinare perquam erit difficile; niſi quòd concedatur illic tranſvectum fuiſſe in iſta quæ huic, de quâ nunc agitur, proximè ſuccedit tentatione. In priori enim fuit in deſerto *Judeæ*, in hâc verò in ſummitate Templi *Hieroſolymæ*, in ſequente autem in montis excelſi faſtigio, & cùm de eo rurſus iteratur mentio, trans *Jordanem* audimus.

Aſſumpſit eum Diabolus corporaliter, localiter, & realiter: in aërem autem elevans, ad ſummitates uſque Templi per eundem tranſportavit, atque inde in proxima tentatione ad montem excelſum. Suggerit autem lectori hic locus res quinque meditationi ejus tum aptiſſimas, tum utiliſſimas: ut I. horrendam Tentatoris impudentiam, qui non potuit non exiſtimare eum *Dei Filium*, & audet tamen tanquam hominem viliſſimum aggredi.

II. Admirabilem Redemptoris humiliationem, quem, licèt jam ante *Filius Dei* cœlitùs fuit declaratus, nunc tamen per aërem rapit Diabolus.

III. Potentiam Dæmonum in corpora hominum, ſi modò iis permittatur, & detur venia ſuam in ea exercendi potentiam.

IV. Conſtantem & continuam Dei providentiam in præſervatione noſtra oſtenſam; in eo autem præcipuè, quòd ſingulis momentis ne quidem corporaliter ablati ſumus à *Satana*, qui ſic inceſſit Servatorem noſtrum, *Dei Filium*.

V. Meditari eſt, ne verbulum quidem unum in tota S. Scriptura occurrere de homine quovis à Diabolo per aërem tranſvecto, niſi in ejus corpus priùs fuerat ingreſſus: etenim de miſello iſto inter Gadarenos agente dictum legimus, *quòd à Dæmone*, in corpus ejus priùs ingreſſo, *in deſertum agitabatur*. Perinde autem alibi obſervatum dedimus, probabile eſſe, Diabolum in aërem aſſumpſiſſe *Judam*, indeque ad terram uſque, cùm ſuffocaſſet, dejeciſſe, ac inteſtinorum eruptionem effeciſſe; antea enim in corpus ejus introierat: ſed quod is qui Dæmoniacus minimè fuit, ad varios adeo locos à Dæmonibus agitaretur, id ipſum eſt cui ſimile quid in Sacra Scriptura nuſpiam occurrit. Jam verò probabile ſit, necne, Diabolum in Servatoris noſtri corpus ingredi velle, modò ut potuiſſet, & violentum iſtum ejus raptum in aërem tùm ſuſcepiſſe, cùm ingredi ſe non poſſe expertus fuiſſet, lectori penſitandum relinquimus.

In ſanctam urbem, & ſtatuit eum in pinnas Templi.] Duo ſunt quæ de hiſce verbis moventur dubia haud parva, duæ etiam quæſtiones non minimæ. I. Quamobrem Diabolus in hac tentatione hunc ad locum *Chriſtum* adducit. Et II. utrùm conſpicuus fuit, nec ne, dum per aërem volaret, & in pinnas Templi conſtaret.

Quod ad primam, dubitari nequit, quin aliquid aliud præter nudam præcipitationem, vel volatum per aërem, deſignabat Diabolus, cùm Servatorem noſtrum huc aſſumpſit: etenim ſi nihil aliud ſtatuiſſet, extiterunt promontoria centum, totidem ſaxa, & præcipitia nihilo pauciora, unde æquè commodè, ac hinc, dediſſe potuit præcipitem. At verò habuit procul dubio *Satanas* cogitati aliquid de loco ipſo, pariter ac de re. Cogitatum autem iſtud (ſi perceptu poſſibile ſit) perceptum utrique quæſtioni lucem fœnerabitur; ſuper eo facere tantum poſſumus conjecturam, certò ſcire neſcimus: præſtat autem de *Satanæ* conſiliis conjecturam facere hac in re, quàm eorum participem eſſe. Quod ſi hujuſmodi in re à veritate aberret conjectura, conjecturæ veniam faciliùs inveniemus, quàm rei veritatem.

I. Concipere itaque proclive eſt, Diabolum, ut aſſolet ſemper, in hac etiam tentatione ſummo dolo, ſummis fraudibus uſum fuiſſe: deſtinaſſe autem non tantùm Servatori noſtro, quocum rem ſuam negotiabatur, malum intuliſſe, ſed & præſtigias *Hieroſolymæ* habitantibus, inter quos eum adduxit. Cur enim in mediam urbem è ſolitudine evexit, niſi quòd aliud quid deſtinaſſet, quàm quod in ſolitudine effeciſſe potuit? Vel cur ſupra pinnas Templi collocaret, ſi omne id quod ſtatuiſſet, ſupra quodvis deſerti præcipitium perpetraſſe potuit?

II. Videtur igitur, & valde probabile eſt, Servatorem noſtrum, & dum per aërem volabat, & dum ſupra pinnas Templi collocabatur, conſpicuum fuiſſe, & viſi-

 bilem

Digitized by Google

MATTH. CAP. IV. VERS. 5.

bilem aſtantium oculis; Satanam autem hanc agendi methodum inſtituiſſe, ut ſpectatorum coronæ imponeret, falſas quaſdam de eo cogitationes ſuggerendo. Ego autem profectò non poſſum non conjectare, ſperaſſe iſtum aliquod ſuper *Elia* opinionis commentum in eorum animos injeciſſe, utpote quem in propria perſona, tanquam *Meſſiæ* præcurſorem, adventurum ſæpè ſæpiùs autumarunt, expectarunt. Illo enim in aërem ſublato, atque adeo in cœlum, quum Jehova illum à terra aſſumpſit, quod fertur in hiſtoria de ſublatione ejus, 2 *Reg.* 2. in promptu erat populus cogitationes ſuas ei affigere, cùm poſtea aſpicerent indutum togâ hominem per aërem volantem, & in pinnas Templi conſidentem, nec non inde protenùs abeuntem. In hoc autem eò potiùs decipi poſſint, quòd ſenſum alienum cæci appoſuerunt iis Prophetæ verbis, *Malach.* 3: 1. *de Angelo fœderis in Templum veniente*, quæ illi de Elia dicta intelligunt. Vide *D. Kimchi* in loc. Sed interrogabitur, quid emolumenti ex hac fraude percipiet *Satanas?* Hoc nempe, ut in falſa ſua opinione confirmarentur iſti, qui autumarunt, quòd *Elias* in ſua perſona ad extremum veniret, & cum ipſis verſaretur, atque inde prædicatio Baptiſtæ, & adventus *Chriſti* poſt eum minorem ſortiretur reſpectum.

III. Nunc mos iſte, quo Diabolus proceſſit in reſpectu *Chriſti*, haſce nobis exhibet conſiderationes.

I. Quòd cùm in priori tentatione diffidentiam & deſperationem in *Chriſto* excitare conatus fuerat, nunc contrariè agendo, præſumptionem excitaret; tunc ſuggerere molitus fuerat Deum & ejus immemorem, & fidem nullam divinæ providentiæ habendam eſſe, quoniam ad hoc deventum erat, ut vel ipſe lapides in panem vertat, vel careat: at impræſentiarum verò vult ut omne quicquid ſit, in providentiæ manus, factaque promiſſa fidenter rejiciat, neque ullis utens mediis, nec quamvis reſpiciens regulam.

II. Quòd Diabolus in hac tentatione ſimiliter, ac in prima protoplaſtorum, aliquatenus egit: nam iſta fuit in horto felicitatis, hæc ſupra Templum, ſanctitatis locum; iſta in oblectationis, hæc in religionis paradiſo.

III. Quòd etſi Diabolus in faſtigium Templi *Chriſtum* collocare potuit, non potuit tamen illinc proſternere. In tentationem inducere ipſum ſivit Salvator noſter, ſed dum in ea fuit, nullam omnino ſivit uſurpare in ſe poteſtatem, nec perſuadere ut vel minutiſſimum peccatum admitteret, vel in leviſſimum periculum deturbaretur.

MATTH. CAP. IV. VERS. 5, 8.

IV. Quòd cùm *Chriſtus* Sacram Scripturam contra eum priùs attulerat, is nunc contra *Chriſtum*, adeoque ſuis armis illum impugnare ſatagit.

V. Quòd quò poſſit faciliùs, præſidio Angelorum arroganter inniti, perſuadere, nunc ad locum adduxit, quo infra cœlos nullus videtur aptior Angelorum hoſpitio: ubinam enim eſſe citiùs auguraretur quiſpiam, quàm circa Templum?

In quam Templi partem hoc tempore collocabatur *Chriſtus*, vanus erit qui determinare contendet; ſeu in turrim aliquam, ut putant nonnulli; ſeu in ſummitates murorum, ut alii; ſeu in acuta verucula ad aves abigendas eidem infixa, ut alii; ſeu in aliquod ex volventibus ventilogiis, ut alii: legatur tantummodo *Joſephi* teſtimonium de miranda alicujus Templi partis celſitudine datum, & tùm perſiſtandum relinquimus. Ille de latere Templi meridiano locutus, ac de *porticu regia*, loquendo ſic pergit. *Opus erat, ſi ullum aliud ſub ſole, memorabile. Nam quum vallis in immenſum dehiſceret, ita ut caligarent deſpicientium oculi, deſuper extructa erat præalta porticus, cujus tecto conſcenſo, ſi quis utramque altitudinem conjunctam contemplaretur, abſque vertigine id non poterat, viſu deficiente ob nimiam profunditatem, priuſquam ad imum pertingeret*, *Antiquit.* lib. 15. cap. 14.

VERS. 8. *Rurſum aſſumit eum Diabolus in montem ſublimem valde.*

Quænam fuit hæc montis pars, æquè fugit determinationem, ac illa Templi in quam eum collocabat Satanas, eſt & æquè abſque momento: ſitum tamen fuiſſe hunc montem *trans Jordanem* Orientem verſùs, multâ nititur probabilitate; quoniam primus poſt hoc tempus *Chriſti* inter homines adventus *Bethabaræ* fuit *ſecus Jordanem*, *Joann.* 1: 28. Nunc verò ſeu *Piſga* fuit, ſeu *Nebo*, ſeu *Horebus*, ſeu alius quiſpiam mons, operæ pretium minùs erit inveſtigare, quippe quòd pro comperto habemus, ſcire nos non poſſe. Hoc tantummodo attentionem noſtram meritò vendicat, ſcil. *Moſen* in monte cum *Deo* verſantem, & *Chriſtum* in monte cum *Satana*, junctim contemplari; ut & Deum *Moſi*, in vertice montis reſidenti, omnia regna *Canaan* oſtendentem, & dicentem, *Omnia hæc Iſraëlitis dabo*; & Diabolum repræſentantem *Chriſto* omnia regna terræ, & dicentem, *Omnia hæc dabo*, &c.

Et oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam

MATTH. CAP. IV. VERS. 8.

MATTH. CAP. IV. VERS. 8.

riam eorum.] Duæ hîc ſunt res magnopere conſideranda: I. objectum oculis *Chriſti* exhibitum: & II. modus quo *Satanas* illud exhibuit. Primùm dicitur à textu, eſſe *omnia regna mundi & gloriam eorum:* quam locutionem ſi expendamus, expendentes ſimul ſtatum & conditionem mundi tunc temporis, inveniemus objectum, quod Diabolus in hac ſcena *Chriſto* exhibuit, *Romam* fuiſſe, Romanum Imperium, & Romanam gloriam. Nam I. illud Imperium ſortitur nomen *totius terrarum orbis*, *Luc.* 2: 1. vocabulum autem idem, per quod *D. Lucas* eò loci exprimit, dicens, Ἀπογράφεσθαι πᾶσαν τὴν οἰκουμένην, uſurpatur & hîc, ubi legimus πάσας τὰς βασιλείας τῆς οἰκουμένης.

II. Ubinam gentium pompa erat ulla, ulla gloria ſecularis invenienda, niſi quæ in *Romano Imperio* floruit? Uſpiamne porrò ulla fere regio, ullumve regnum, præterquam quod Romano Imperio ſtetit cinctum? Vel eratne poteſtas ullibi, aut dominium, (ut *D. Lucas* dicit πᾶσαν ἐξουσίαν ταύτην) vel poteſtati, vel dominio Romano comparandum? Aut ubinam denique loci vel poteſtas, vel dominium præter *Romanum?* Hiſtoriæ *Romanæ*, quæ *Romæ* ſtatum tunc temporis florentem depingunt, abundè divitiarum enumerant, tantam pompam & poteſtatem, tantos reditus, fines, limiteſque gloriantur, ut præ ſingulorum magnitudine legentes ſuſpiciunt, ſuſpicientes ſtupent. Adeo autem frequens eſt, ac familiare iis *Romanum* Imperium, *Imperium totius terrarum orbis* vocare, ut fere nihil frequentius, aut familiarius. Unica pro cæteris ſufficiat inſtantia, & totum in parvo habeatur, in ea nempe oratione, quam *Paterculus*, qui in illis ipſis temporibus floruit, in calce libri ſui fudit pro *Tiberio*, Romani orbis tunc temporis Imperatore. *Voto finiendum volumen ſit. Jupiter Capitoline, —Gradive Mars, —Veſta, —& quicquid Numinum hanc Romani Imperii molem in ampliſſimum terrarum orbis faſtigium extulit; — deſtinate ſucceſſores quam ſeriſſimos, ſed eos quorum cervices tam fortiter ſuſtinendo terrarum orbis Imperio ſufficiant, quàm hujus ſuffeciſſe ſenſimus.*

III. Si *Satanas* habuit jus & titulum in ullum locum, ſtatum pompamve infra cœlos, habuit in Romam & Romani nominis res: & ſi iſta ejus verba quæ addidit *D. Lucas*, de ullo loco, de hoc quidem, vera erant, *Tibi dabo poteſtatem hanc univerſam, & gloriam illorum; nam mihi tradita eſt, & cuicumque voluero do eam.* Primò enim obſervemus notas & deſcriptiones *Romæ* à S. Scriptura habitas, & videamus geſtat, nec ne, ſuper ſe ipſam *Draconis* imaginem ac inſcriptionem. In *Numer.* 24: 24. loco primo in quo depingitur, deſtructioni æternæ deſtinatur: nam & Judæi, & nonnulli etiam ex Romanis Pontificiis per terram *Citthæorum* in eo loco *Romam* intelligunt. In *Iſaj.* 11: 4. vocatur *Improbus*, ut Paraphraſtes Chaldæus illìc interpretatur: & *D. Paulus* in 2 *Theſſal.* 2: 8. exponit: in *Dan.* 9: 27. appellatur *Legiones deteſtationum deſolantes:* in *Matth.* 24: 15. *Abominatio vaſtatrix:* in *Apocal.* 17: 5. *Mater illa ſcortationum & abominationum terræ*, &c. Secundò obſervare eſt, quòd in ea omnis crudelitas, immanitas & perſecutio concurrebant, quæ in quatuor inveniebantur beſtiarum Monarchiis, quæ inimicæ erant Eccleſiæ ante primum *Chriſti* adventum. Conferatur *Dan.* 7. cum *Apocal.* 13. Et tertiò obſervare eſt, hanc fuiſſe ſedêm *Satanæ*, *Apocal.* 13: 2. ipſum autem ſuam detuliſſe poteſtatem, & ſedem, & authoritatem hujus urbis beſtiæ. Porrò hanc fuiſſe quaſi ſpecialem ejus hæreditatem, & hæredem ejus quaſi ſanguinis, *ſingulare Serpentis ſemen*, *Antichriſtum* nempe hîc fuiſſe oriturum. Poſtremò autem advertendum eſt, regnum *Chriſti*, & oppoſitum *Antichriſti* regnum, utraque nunc inceptura, & ſerpentis caput periclitari nunc incepiſſe, juxta veterem prophetiam, *Geneſ.* 3: 15.

Nunc autem poſt omnes haſce conſiderationes hujuſmodi indicia obſervare poſſit lector, & meditando promovere ac adaugere, prout cogitationibus ſuis apta, & meditatione digna inveniet.

I. Quàm probabile ſit, *Satanam* hoc promiſſum Servatori noſtro facientem in animo deſignaſſe ipſam hanc civitatem Antichriſtianam, & gloriam ejus.

II. Quanto propiùs ſolito ad veritatem accedit hîc, ubi dicit, univerſam iſtam poteſtatem ſibi fuiſſe traditam, & dare ſe poſſe cuicumque voluerit.

III. Quomodo *Chriſtum* in ipſo *Antichriſti* ſolio collocare pollicetur, & perſuaderet ſingulari mulieris ſemini, ſingulare ut fiat ſerpentis ſemen, & hæres ſuus in ſua ab ipſo ſede collocatus.

IV. Quomodo execrabili hâc munificentiâ Euangelium in ipſo principio impediret, præcluderetque ei progreſſum, magnum ejuſdem Prædicatorem omni poteſtate, ſplendoreque *Romani* Imperii cumulando.

V. Quomodo, ut ne à regno *Chriſti*

Aaa 2 caput

MATTH. CAP. IV. VERS. 8.

caput confringatur ſuum, petit vel ipſum *Chriſti* caput, tentans cum gloriâ regni *Antichriſti*, ad id ad quod paratiſſimum novit *Antichriſtum* perſuadere conatus; ut procumberet nempe, & adoraret Draconem.

VI. Quomodo in via Euangelii *Romam* pro offendiculo poſuit Diabolus, ut primum *Chriſtus* prædicandi munus obiturus eluxit.

VII. Quomodo, cùm in Euangelii ortu univerſâ *Romæ* pompâ *Chriſto* perſuadere nequit *Satanas*, ut cum *Antichriſto* in actionibus ſuis conſentiret, *Romæ* præficit *Antichriſtum*, ut qui Euangelio in æternum adverſaretur.

VIII. Comparetur ea, quam *Chriſtus* hîc fecit, detrectatio, cum iſta à Judæis poſt facta, *Joann.* 19: 13. Hìc ei offertur *Cæſaris* titulus, ac *Gentis Romanæ* Imperium, quæ tamen ipſe rejicit; illîc ei rejecto anteponitur *Cæſar*.

Jam verò, ſecunda ut enodetur *quæſtio*, quo ſcil. pacto *Satanas* ei hoc repræſentabat objectum; hæc veniunt conſideranda.

I. Impoſſibile omnino eſſe, vera ut eſſet & realis harum rerum repræſentatio, quoniam res non paucæ ei contradicunt. Primò enim unus vix eminet mons per totam terrarum faciem, unde regnum quodvis totum perluſtrari queat: quod ſi emineret, haud datur infra cœlos oculus ei perluſtrando par. Porrò autem quum Diabolus, *Chriſto* hunc proſpectum exhibiturus, in montem valde excelſum aſſumpſit, fecit potiùs ut impoſturam celaret, quàm ut proſpectum realem exhiberet: nam quicquid ei iſto in monte repræſentabat, & ut repræſentabat, id omne eâdem prorſus facilitate in plano quovis, aut valle repræſentare poterat.

Nam ſecundò, dicit *Matthæus*, Diabolum oſtendiſſe ei non omnia duntaxat mundi regna, ſed & gloriam quoque eorum; quod manifeſtò arguit, Satanam aliquid ei exhibuiſſe præter id quod potuit in communi proſpectu intueri. Etſi enim poſſibile fuiſſet alicui oculo cuncta terræ regna, id eſt, omnes eorum ordine ſuo regiones aſpexiſſe; iſte tamen proſpectus cunctam eorundem pompam, gloriamque ei nequaquam oſtenderet. Ille qui in *villa celſa* prope à *Londino* collocatus circumſpicit, *Londinum* quidem videt; neceſſe verò eſt ut vel in ipſam *urbem* ingrediatur is qui gloriam ejus videre velit.

Tertiò autem *Lucas* addendo dicit, oſtendiſſe ei omnia hæc in *momento temporis*: in qua locutione ſignificare videtur, nonnihil hîc fuiſſe à communi proſpiciendi modo prorſus alienum. Etenim qui in objectum aliquod eximium in edito loco conſtituti aſpiciunt, varias ejus partes *ſucceſſivè*, & alternatim, ſemetipſos contorquentes intuentur; quod ſi longiùs proſpicere avent, alium ad montem progrediendum eſt, ubi antè terminabatur viſus: hîc verò ampliſſimum hoc omnium regnorum totius terrarum orbis objectum ſimul & ſemel in puncto temporis proſpiciendum exhibetur.

II. Fecit igitur Diabolus hac in re quid impoſturæ: eſt autem credendum potiùs, fictitium aliquod exhibuiſſe objectum, quàm Chriſtum omnia hæc regna oculis ſuis revera aſpexiſſe. Sic autem hac de re judicare aptius eſt, quam vel hæc regna ſpiritualia fuiſſe peccatorum regna autumare, ut nonnulli ſtultè: vel putare Diabolum regna hæc terreſtria, eorundemque gloriam oſtendentem, hujus illiuſve regionis regnive ſitum deſignaſſe tantùm, & narraſſe ſimul cujuſque divitias, pompam, & gloriam, ut alii. Neque enim Servatori noſtro ullatenus derogat, qui exiſtimat Diabolum ei hac in re imponere ſtuduiſſe; quandoquidem in cæteris tentationibus idem factitaſſe certum eſt. Nam

I. Quantumvis hoc in caſu *deceptionem viſûs* paſſus eſſet, & objectum hoc, quod fictitium revera fuit, & imaginarium, oculis tamen Servatoris noſtri viſum fuerat verum ac reale; res iſta nec peccati, nec imperfectionis argueret, quin monſtraret ſolùm naturæ ejus humanæ veritatem. Primò enim, in errore ſenſûs ſimpliciter conſiderato nihil ineſt peccati. Secundò autem, tale quid *Adamo* in innocentia ſua contigiſſe poterat, quandoquidem *deceptio viſûs*, ſeu error alius cujuſvis ſenſûs *conſequens eſt naturæ* potiùs, quàm *fructus peccati*.

II. Enimverò Dæmonis præſtigias, & naturæ effectus adeo plenè internovit Servator noſter, ut eum fallere nequirent umbræ, quin de proſpectu hoc verum tulit judicium; quanquam autem Diabolus pro reali exhibuit, ille tamen aëreum, fallacem ac imaginarium exiſtimavit.

III. Nunc verò in præſtigiis hiſce faciundis ſic egit *Diabolus*: ob oculos *Chriſti* aëreum poſuit *horizontem*, tam glorioſâ & ſplendidâ regnorum, & ordinum, & divitiarum facie veſtitum, ac ſi vel ipſa regna ſimul cum tota eorum gloria revera proſpexiſſet. Nam hic idem aëris Princeps, cùm præſtigias ſuas ſenſibus externis accommodat,

Digitized by Google

modat, elementum aëreum uſitatiſſimè vocat in ſuppetias. Conſideratione autem digna eſt illa Apoſtoli locutio, utpote quæ ad hanc rem ſpectat, *Princeps poteſtatis aëris*, ad *Epheſ.* 2: 2. Κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου, κατὰ τὸν ἄρχοντα τῆς ἐξουσίας τοῦ ἀέρος. *Olim ambulaſtis ut eſt vita mundi hujus* [*ſecundùm ſeculum mundi hujus*, ut reddit *Lat. Vulg.* & *Eraſmus*, cum reſpectu forſan ad iſtam mundi ætatem quâ maximè floruit Gentiliſmus] *ſecundùm Principem* [quod *Syrus* ſic explicat, *ſecundùm voluntatem Principis*] *poteſtatis aëris:* & *Beza* ſic, *ſecundùm Principem cui poteſtas eſt aëris.* At verò phraſis hæc, *poteſtas äëris*, variam & dubiam capit conjecturam: nondum enim convenit, utrùm intelligi debet ſignificare *tenebras*, vel poteſtatem illam quam Diabolus in elementum illud exercet, vel (quod mihi veriſimilius videtur) *principatum aëris*, id eſt, Diabolos. Etenim eo in ſenſu toties occurrit vocabulum ἐξουσία in S. Scriptura, ut exempla dare ſupervacaneum eſſet: vide tamen *Luc.* 4: 6. *Rom.* 13: 1, 2. &c. Et ſecundùm hunc ſenſum phraſis illa, *Princeps principatûs aëris*, idem ſonat cum illa *Marc.* 3: 22. *Princeps Dæmoniorum.* Atque ita ſcopus Apoſtoli ad gradationem tenderet, ideo ut ambulaſſe eos non ſolùm ſecundùm ſeculum mundi, ſed ſecundùm voluntatem etiam ipſius Diabolorum Principis, dicendo; conceptum de priſtina *Epheſiorum* impietate exaggeraret; & præterea κόσμος οὗτος, ac ἐξουσία ἀέρος, *mundus hic*, & *poteſtas aëris* in *antitheſi* invicem ſtarent pro viſibili hominum mundo, & pro inviſibili Dæmoniorum mundo; & itidem αἰὼν & ἄρχων eandem referrent *antitheſin*, vocabulo illo imperium & ſeculum unius, hoc Imperatorem & Principem alterius, denotante. Sed ſeu hic, ſeu ille verus ſit ſenſus hujus phraſis, oſtendit nihilominus poteſtatem quâ Diabolus in aëre utitur, & imperium quod in eodem exercet, nunc in realibus & conſpicuis quidem effectibus præſtandis, putà in procellis ac tempeſtatibus excitandis, mox in fallacibus & imaginariis phantaſmatibus, ut putà in re de qua impræſentiarum agitur, necnon in ſanguine, raniſque *Ægypti* à veneficis effictis. Cæterùm in exhibendis hujuſcemodi phantaſmatibus triplicem ſimul præſtat actum, ſcil. aërem in objectum conſpicuum cogit, in hanc vel illam figuram redigit, & quocunque lubet colore induit, prout hanc vel illam rem repræſentatam velit. Hoc autem factu difficile admodum non eſt, ſi modò conſideretur naturæ ejus, quà ſpiritus eſt, agilitas, & promptitudo ejus ad iſtam agilitatem, quò poſſit decipere, exerendam. Simili fere modo falſa ſua edidit in *Ægypto* miracula, cùm aquam in ſanguinem verteret, & ranas effingeret; non quod utrum horum reapſe effecit, [nam impoſſibile omnino eſt creaturæ alicui vel creare, vel immutare rerum formas] quin aërem ſuper aquas condenſabat, & in ranarum ſpeciem coëgit. Obſervatu autem dignum eſt, dictum eſſe, ranas iſtas quas *Moſes* in terram produxit, mortuas fuiſſe, & à populo acervatim collectas, fœtidas fieri, *Exod.* 8: 13, 14. nam fuerunt illæ revera ranæ: ſed de iſtis à Magis productis non ampliùs fit mentio, utpote quæ erant aërea & imaginaria phantaſmata.

Si proſtratus adoraveris me.] Hìc ſummam profectò videmus impudentiam, & Diabolum ſemet ipſum ſuis in coloribus depingentem. Neutra priorum tentationum tam conſpicuè & audacter, quàm hæc, *Chriſtum* ad impietatem ſollicitarat. Prima enim tentatio, quâ voluit ut *lapides in panem immutaret*, aliquid emolumenti *Chriſto* præ ſe tulit, ut cui fame jam tandem laboranti panis eſſet gratiſſimus. Secunda autem, quâ *per aërem volare* juſſit, umbram aliquam & prætextum honoris famæque præbere potuit, in eo quod tale miraculum coram populo edidiſſet. Quemadmodum legimus, vanos nonnullos homines æſtimationem aucupaſſe ex re hujuſmodi vana, in quorum numerum cadit *Icarus*, cujus mentionem facit *Suetonius* in vita *Neronis*, cap. 12. Habemus & eandem famam de *Simone Mago*, ab Hiſtoricis omnibus Eccleſiaſticis notatam. Vixerunt autem utrique non ita multò poſt illam ætatem. Idem audit & *Bladudus* (ſi unquam vixit) in Hiſtoriis noſtris. Sed quòd planis & directis terminis invitaretur *Chriſtus* proſternere ſe, & adorare Diabolum, nihil aliud ſonat præter nudam impietatem. Quid enim? Nonne novit Diabolus, qui fuit *Chriſtus?* Noſſe eum antea probavimus. Vel putabat *Chriſtum* neſcire qui fuit is? Id, ſiquidem *Chriſtum* novit, putare nequiret. Quid itaque dicendum eſt ſuper audaciſſima hac propoſitione de adoratione ei à *Chriſto* adhibenda? Hoc utique quod totas vires tentatrices ſimul exerit; & I. *Chriſtum* induceret in caſum majorem eo in quem *Adamum* priùs induxerat. Et II. quantum poteſt, conetur ejus caput confringere, quum nunciatum fuit, calcaneum ſolummodò ejus ab ipſo fore contritum. Hæc autem omnia, qualiacunque ſunt, fecit, ideo quòd into-

Digitized by Google

MATTH. CAP. IV. VERS. 8, 10.

intolerabili cùm eſſet impudentiâ, rem quamvis omni ſenſu, ratione, modeſtiâ carentem obtruderet potiùs, quàm ab auſis excideret; & quandoquidem permiſerat *Chriſtus* ſemetipſum per aërem tranſvehere, nullam cujuſcunque generis tentationem prætermitteret, utpote qui ſpem aliqualem concepit, impoſſibile omnino non eſſe, *Chriſti* innocentiam nunc, quemadmodum olim *Adami*, corrupiſſe; & poteſtatem ſuam de animo ejus exercere, uti vidit ſe aliquatenus de corpore exercuiſſe. Sic autem extremas vires effudit, & Satanam egit maximopere, quò poſſit *Adamum* ſecundum, perinde ac primum, in peccatum induxiſſe: hîc verò ſemen mulieris, quod Deus olim *Adamo* promiſerat, contrivit caput ſerpentis, in cujus votis erat ejus conterere.

VERS. 10. *Abi, Satana.*

Oritur dubii aliquid ex more eo quo *D. Lucas* hoc retulit: is enim dicit, *ὕπαγε ὀπίσω μȣ*, quod Anglicè, *get thee behind me Satan*, redditur, & verba prorſus eadem complectitur, quæ Servator noſter allocutus eſt ad *Petrum*, *Marc.* 8: 33. cùm vellet ei perſuadere, ſe non eſſe *Chriſtum*, prout Diabolus hîc perſuadere vellet eſſe *Antichriſtum*. Hinc quæſtionem moverunt nonnulli, utrùm Diabolum, aliter atque *Petrum*, penitùs abire juſſit *Chriſtus*; vel utrùm juſſit, ut abſcedendo ad tergum ſtaret, vel ut conſilia ſua & dictamina ullâ in re, ſicut hactenus impudenter fecerat, non ampliùs obtruderet. Verſio *Syriaca*, ut & *Lat. Vulg.* verba illa *D. Lucæ*, *ὕπαγε ὀπίσω μȣ*, planè omiſit: *Beza* autem Græca quatuor enumerat exemplaria antiqua, in quibus deeſt etiam: dicit tamen ipſe, *verba hæc in cæteris, ac in Theophylacto inveniri*; inveniuntur itidem in *Arabicis*, & pleriſque authenticis exemplaribus, expoſitionibus, & tranſlationibus. Mens *Chriſti* in hiſce verbis fuit, *Satanam* omnino quidem ablegare, ſicut apparet ex *Matthæi* phraſi, dicentis tantum, *ὕπαγε*, *abi*, & ex ipſo rei eventu: dicit enim *Matthæus*, prolatis hiſce vocabulis, *abſceſſiſſe Diabolum*: *Lucas* verò appoſuit verba *ὀπίσω μȣ*, *ponè me*, quoniam alterius poſt hanc tentationis mentionem fecit: & videretur Diabolum *Chriſti* mandatis non eſſe ſubditum, ſi modò dixiſſet, *abi*, *Satana*, & non abiiſſet tamen. Proinde verum etſi fuit, Diabolum, hiſce verbis prolatis, aufugiſſe, & tentare *Chriſtum* deſiviſſe; tamen quando in *D. Lucæ* methodo non ita videtur, idcirco tali uſus

LUCÆ CAP. IV. VERS. 13.

eſt phraſi, qualis methodo ſuæ ac ordini apta fuit & congrua; qualis porrò & ſenſum ferre poſſet eundem, quem *Matth.* in phraſi ſua deſignavit, & ſervare ſimul ſenſum ipſius *Lucæ* in reſpectu ordinis harum tentationum. Itaque per phraſin, *abſcede a me*, non mandat ut Satanas conſiliorum ſuorum dictaminumque quibus mònuit quid *Chriſto* faciundum erat, deſineret, & à tergo veniret, quemadmodum Diſcipulus à tergo venit Magiſtri, & ſequitur uſque nec diſcedit ab eo; ſed per eandem jubet Diabolum nunquam denuò id genus tentationibus ſemetipſum aggredi; & horrendam reprimit impudentiam, atque audaciam ejus, qui auſus eſt ipſum ſic adoriri, &c. Et in eodem tenore aptè facilèque intelligi poſſint verba eadem Servatoris noſtri, quæ ad *Petrum* locutus eſt, diſcrepante tantùm tentationis intentione.

LUC. 4: 13. *Diabolus abſceſſit ab eo ad tempus.*

Inquirere, utrùm hoc reddi debet, *ad tempus*, ut Angli aliique nonnulli tranſlatores reddunt, an, *uſque ad tempus*, ut *Syrus*, *Arabs*, aliique nonnulli videntur reddere, & ut vocabulum *ἄχρι* facilè capit, non tam intereſt, quàm inquirere, quo tempore rediit Diabolus ad *Chriſtum* tentationibus ſuis denuò aggrediendum: rediiſſe enim hæc Euangeliſtæ phraſis aſſerere videtur. Cæterùm nos hæc omnia ſimul conſiderabimus. Euangeliſta dicit primò, quòd, *finitâ omni tentatione*, *abſceſſit Diabolus*. Hæc autem verba, *finitâ omni tentatione*, intelliguntur à quibuſdam ſignificare, quòd cùm haſce tentationes propoſuiſſet, omnes cujuſcunque generis tentationes propoſuerat; & ita quidem fit, tentaſſet enim eum ad cupiditatem carnis, ad libidinem oculorum, & ad faſtum vitæ, quæ Apoſtolus *Joannes* poſuit pro capitibus generalibus omnium rerum quæ ſunt in mundo, 1 *Joann.* 2: 16. porrò tentaſſet eum & viſibiliter, & inviſibiliter, quibus duobus tantùm modis in propria perſona tentat: ſed poſſunt etiam, idque potiùs, intelligi ſignificare, quòd Diabolus, cùm ſummis viribus adnixus jam fuerat, ut *Chriſtum* in peccatum induceret, nec potuit tamen, abſceſſit, alio poſtea modo ſe aggreſſurum ſtatuens. Dictum erat in horto, quòd Diabolus calcaneum *Chriſti* contereret, ſed hic, ut obſervare eſt in omnibus hiſce tentationibus, ipſum caput petit, ſcil. nititur in peccatum cogere, adeoque & ipſi obeſſe, & Redemptionem

LUCÆ CAP. IV. VERS. 13. tionem impedire: ſed poſtquam vidiſſet ſe totam operam hac in re perdidiſſe, ac *Chriſtum* non tantùm non peccare, ſed & omnem tentationem ſuperare, nec eodem tempore, nec eodem conſilio, modove ampliùs procederet, ſed tentationes ſuas in aliud tempus, finem, modumque alios, differre vellet. Et primum horum ſenſuum intellectum vult Euangeliſta, cùm dicit, *abſceſſit* ab eo ἄχρι καιροῦ, & alii duo ſenſus ſunt quidem incluſi. Verba ἄχρι καιροῦ reddita *uſque ad tempus*, [quæ eſt ſignificatio eorum maximè naturalis] in duplici ſenſu ſumi poſſunt; vel ſic, *uſque ad tempus opportunum*; vel aliter, *uſque ad tempus ſtatutum*. Ego autem judico, poſteriorem eſſe aptiſſimum, & realem verborum iſtorum ſenſum. *Satanas* enim ne optaſſe quidem potuit tempus tentationibus ſuis, quàm jam occurrerat, opportunius: nam habuerat *Chriſtum* ſolum, idque in incommodis temporibus famis, frigoris ac vigiliarum; habuerat etiam eò uſque in poteſtate ſua, ut ad alium & alium transveheret per aërem locum, & tamen omnibus hiſce convenientiis concurrentibus voti de eo compos eſſe nequiret: proindeque nulla ſuperfuit expectatio opportunioris ſeu convenientiæ, ſeu temporis eum ad peccandum, prout voluit, adducendi. Cæterùm tempus reſtabat ſtatutum, in quo *Satanas* calcaneum ejus contereret, quemadmodum in horto dixit Deus, in quo etiam aliquam poteſtatem ejus haberet alia in re, quanquam nullam habere potuit, cùm ad peccandum ſuaderet; ideoque tunc abſceſſit à *Chriſto*, re quam contenderat prorſus infectâ; ſed ſtatuit interea expectare, dum veniret tempus iſtud ſtatutum, quum certus erat, tentationes ſibi ſucceſſuras, eum aliâ viâ aggreſſuro: illud autem tempus fuit, quum mortem ejus moliebatur. Et ad hanc ipſam rem *Chriſtus* referre videtur in verbis ſequentibus, *Joann.* 14: 30. *Venit Princeps mundi hujus, ſed in me non habet quicquam:* cujus loci quodque ferè verbum particulare alicui parti hujus hiſtoriæ, de qua jam agimus, reſpondet. Phraſis illa, *Princeps mundi hujus*, reſpondet illi in qua *Satanas* dicit ſe ei daturum omnia regna mundi: *ſunt enim*, inquit ille, *mihi tradita*. Verbum *venit* reſpondet hiſce verbis, *abſceſſit uſque ad tempus*. Et verba, *non habet quicquam in me*, ſignificat Diabolum non poſſe in ulla ex iſtis tentationibus peccatum *Chriſto* infundere, ideoque nihil in eo habuiſſe. Venit autem iſte Princeps mundi ad mortem ejus moliendam, ut liquet ex illo ipſo verſu, & ut Salvator noſter ipſe fuſiùs explicat, *Luc.* 22: 53. *Hæc eſt poteſtas tenebrarum.* LUCÆ CAP. IV. VERS. 13.

Satanas itaque tunc temporis ab eo abſcedens, cùm omnem tentationem finiviſſet, deſignavit, I. Eum rurſus aggredi ad tempus ſtatutum, quum novit ſe poteſtatem eum lædendi habiturum, etſi tunc non habuit. Deſignavit II. in futuro iſto aggreſſu calcaneum ejus conterere, mortemque moliri, quanquam tunc nec caput ejus confringere, nec ad peccandum inducere potuit. Et III. per nefaria ſua inſtrumenta aggredi eum, cui tunc per ſe obeſſe minùs valuit. Per unum inſtrumentum (non ſuum propriè, ſed ab ipſo in iſtam rem impulſum) ipſe *Chriſtum* ſemel tentavit peccare, antequam aggreſſus eſt eum mortem moliturus, ſcil. per os *Petri*, *Marc.* 8: 32. quem iiſdem verbis propterea reprehenſum legimus, quibus ipſe *Satanas* ob noviſſimam tentationem reprehenſus fuit, *Abſcede à me, Satana.*

MATTH. 4: 11. *Et ecce, Angeli acceſſerunt, & miniſtrabant ei.* MATTH. CAP. IV. VERS. 11.

D. Marcus hiſtoriam tentationis valdè breviter retulit: *Erat ibi in deſerto quadraginta diebus, tentatus à Satana, eratque cum feris, & Angeli miniſtrabant ei.* In qua hiſtoria, ut notam nobis fecit ejus tentationem, quæ eum hominem eſſe oſtendit, ita & res duas præterea, quæ homine majorem indicarunt. Res illæ duæ erant, incolumitas ejus inter feras, & viſibile Angelorum miniſterium. Nunc verò ille mentionem ſolummodo facit tentationis quadraginta dierum, quam *Satanas* inviſibiliter præſtitit, ac ne verbulum unum loquitur de tribus iſtis tentationibus, in quibus *Satanas* eum formâ aggrediebatur corporeâ, & tamen dicit Angelos ei miniſtraſſe. Quod ſi quis ſtrictim vult intelligere, ac in literali verborum ſenſu, concludendum eſt, hoc Angelorum miniſterium priùs fuiſſe, quàm *Satanam* viſibili formâ apparuiſſe; atque inde ſequetur, viſibiliter ei miniſtraſſe Angelos, *Satanam* verò inviſibiliter eodem tempore tentaviſſe. Verùm quando alterius Euangeliſtæ brevitas à pleniori alterius narratione dilucidanda eſt, *Marci* mens intelligenda eſt ex *Matthæo*; & ut *Matthæus* totam enarrat tentationis hiſtoriam, & oſtendit quomodo exponi debet *Marci* de eadem brevitas, ſic & ab illo petendum eſt Angelorum miniſterii tempus, quod fuit poſt conſummatam tentationem, etſi *Marcus* indefinitum reliquit.

Non

Digitized by Google

MATTH. CAP. IV. VERS. 11.

Non ita magni reus eſſet in Theologia ſolœciſmi, qui affirmaret, fieri poſſe, ut Angeli viſibiles eſſent *Chriſti* comites per totum iſtud quadraginta dierum ſpatium, quo Diabolus inviſibiliter eum tentabat. Sed cùm maximè probabile ſit, *Chriſtum* ſeipſum expoſuiſſe *Satanæ* tentationibus more ſimpliciſſimo, apertiſſimoque, ut inde illuſtrior ſibi oriretur de eo victoria; ita valde probabile eſt, ipſum Angelos non acceſſiviſſe, uſque dum conſummatam vidit luctam, & victoriam ſibi in manibus partam. Et tunc (ſeu ante venerunt, ſeu non) *venerunt Angeli, & miniſtrabant ei*, ut *Matthæus*.

Cùm Sacra Scriptura loquitur de Spirituum, vel Angelorum acceſſu, aut receſſu, loquitur utplurimum de viſibili & conſpicuo accedendi & recedendi modo, ut *Geneſ.* 19: 1. & 32: 1, 2. *Jud.* 6: 11. ac in aliis locis non paucis; & ita hìc intelligenda eſt: nempe, quòd poſtquam Angelus malus, vel Princeps Spirituum malorum, qui *Chriſtum* more conſpicuo adortus fuerat, diſceſſit, Angeli boni in forma conſpicua venerunt, & miniſtrabant ei. Quantum ad particularia miniſterii hujus, fuerunt victus, & res fami ejus explendæ neceſſariæ, iſto præſertim in loco, ubi probabile eſt, victum aliunde quæri oppidò non potuiſſe. Sic Filius hominis comedit Angelorum frumentum; & perinde ac *Elias*, ab Angelis Domini in deſerto victum percipit.

Sic autem Chriſtus per vocem Patris Filius eſſe Dei declaratus fuit, & à Spiritu Sancto viſibiliter accepit unctionem magni Regis, Sacerdotis & Prophetæ; ſic etiam ſuam oſtendit in Angelos malos poteſtatem & imperium; nec non & Angeli boni potentiam ejus, atque dominium in ſemetipſos agnoverunt; ſic etiam omnimode confirmatus, prodiit ſtatim inter homines, ut Euangelii Miniſter.

SECTIO XII.
JOANNIS CAPUT I.

VERS. XV. *Joannes* (a) *teſtatus eſt de eo, & clamavit, dicens, Hic* (b) *eſt de quo dicebam, Is qui ponè me* (c) *venit antepoſitus eſt mihi, quia prior me erat.*

XVI. *Et ex plenitudine ipſius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

XVII. *Nam Lex illa per Moſen data eſt: gratia & veritas per Jeſum Chriſtum præſtita eſt.*

XVIII. *Deum nemo vidit unquam: unigenitus ille Filius qui eſt* (d) *in ſinu Patris, ille nobis expoſuit.*

(a) Græcè legitur ſic, *μαρτυρεῖ, καὶ κέκραγε*, *Joannes teſtatur, & clamavit*, priori verbo in præſenti tempore, poſteriori in præterito, poſitis; temporibus vel indifferenter pro ſe invicem poſitis, quemadmodum *Cyrilli* tranſlator illa reddidit, *Teſtatur, & clamat*, vel *novè hoc*, (ut *Eraſmus* dicit) hâc ſcil. temporum varietate utitur Euangeliſta, ad oſtendendum in verbo priori, *μαρτυρεῖ*, *Joannis* teſtimonii continuationem; & in verbo poſteriori, *κέκραγε*, ad indicandum ejuſdem copiam, perſpicuitatem, vigorem ac poteſtatem: ſic *Chemnitius*, *Grotius*, ac *Beza*, &c. Mutatio temporum in S. Scriptura non eſt res inuſitata, ut *Joann.* 4: 28. *ἀπῆλθε, καὶ λέγει*, *abiit, & dicit*, &c. Hæc nihilominus varietas videtur aliquid aliud notare, præter nudam temporis mutationem, præſertim ſi ſenſus ac ſcopus totius commatis ſimul conſideretur & perpendatur, quod factum poſthac videbis in ſequenti ejuſdem explanatione.

(b) *Beza* concipit, quòd *ἦν* hoc in loco pro *ἐστὶ*, *erat*, pro *eſt*, ponitur: ille enim dicit, apprehendere ſe non poſſe rationem præteriti imperfecti temporis hîc uſurpati: ipſe verò contra æquè ignoro, cur *Joannes*, ſi deſignavit modò hìc loci dicere, *Hic eſt*, non diceret, *οὗτος ἐστὶν*, hic perinde, ac dicit in *verſ.* 27. & 30. Ego autem, ſi unam eandemque rem intellexit, difficillimum fore credo determinare, cur in altero loco diceret *οὗτος ἦν*, in altero verò, *οὗτος ἐστὶ*. Verùm hoc quoque poſtea dabitur explanatum.

(c) Vel, *qui venturus eſt ponè me*, ut ſignificat *ὁ ἐρχόμενος*, *Apocal.* 1: 8.

(d) Εἰς ſæpenumero eundem capit ſenſum, ac *ἐν*, ut *Matth.* 2: 23. *Luc.* 1: 20. *Actor.* 7: 4. & 8: 23. perinde etiam *εἰς ἐλευθερίαν τῆς δόξης*, *Rom.* 8: 21. optimè poteſt exponi ita, ut *ἐν ἐλευθερίᾳ*, *quia ipſa etiam creatura liberabitur ex ſervitute corruptionis in libertate gloriæ filiorum Dei.* Præpoſitione *ἐν*, vel *in* denotante tempus, ut *ἐν κλάσει τοῦ ἄρτου*, *in fractione panis*, *Luc.* 24: 35.

Hanc phraſin, *in ſinu*, vide in *Numer.* 11: 12. *Deuter.* 13: 6.

XIX.

XIX. *Hoc etiam eſt teſtimonium Joannis, quando miſerunt Judæi Hieroſolymis Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum* (e) *quiſnam ipſe eſſet.*

XX. *Et profeſſus eſt, neque* (f) *negavit: profeſſus eſt, inquam, ſe non eſſe Chriſtum illum.*

XXI. *Tunc interrogaverunt eum, Quid ergo es? Tu ne es Elias? Ipſe verò dixit,* (g) *Non ſum. Et illi, Es tu Propheta ille? Qui reſpondit, Non.*

XXII. *Dixerunt ergo ei, Quis es tu? ut reſponſum demus iis qui miſerunt nos; quid dicis de teipſo?*

XXIII. *Ait, Ego ſum vox vociferantis in deſerto, complanate viam Domini, prout dixit Eſaias Propheta.*

XXIV. *Qui verò miſſi fuerant, erant ex Phariſæis:*

XXV. *Et interrogaverunt eum, ac dixerunt ei, Cur ergo baptizas, ſi tu non es Chriſtus ille, neque Elias, neque Propheta ille?*

XXVI. *Reſpondit eis Joannes, dicens, Ego baptizo aquâ: ſed in medio veſtrûm* (h) *ſtat quem vos non noſtis;*

XXVII. *Hic ille eſt qui ponè me venit, qui mihi antepoſitus eſt, cujus ſolearum ego non ſum dignus qui ſolvam corrigiam.*

XXVIII. *Hæc* (i) *Bethabaræ facta ſunt ſecus Jordanem, ubi Joannes baptizabat.*

XXIX. *Poſtero die cernit Joannes Jeſum venientem ad ſe, & ait, Ecce Agnus ille Dei qui tollit* (k) *peccatum* (l) *mundi.*

XXX. *Hic eſt de quo dicebam, Ponè me venit vir, qui antepoſitus eſt mihi, quia prior me erat.*

(e) Pluſquam probabile eſt, iſtos qui hanc quæſtionem urgebant, noſſe & proſapiam *Joannis*, & nomen: ideoque iſta quæſtio, *Quis es?* proponitur ei in reſpectu functionis ejus, potiùs quàm perſonæ; quaſi reſcire cuperent, quonam officii genere fungebatur: ita *Ruth* 3: 16. מי את בתי, *Quænam tu filia mea?* id eſt, Quo ſtatu tu? ita 1 *Sam.* 17: 55. בן מי זה, non *filius cujus*, ſed *filius qualis viri hic?* prout illîc notatur.

(f) Affirmatione ſimul, & negatione ad eundem ſenſum exprimendum uti, communis eſt in Sacra Scriptura elegantia: nunc præcedit negatio, ut *Pſalm.* 118: 17. *Non moriar, ſed vivam,* &c. nunc affirmatio, ut *Iſaj.* 38: 1. *Moriturus es, non vives.* Cæterùm negatio inter duas affirmationes interpoſita, *emphaſin* addit locutioni, ut hîc fit.

(g) *Non ſum.*] Ipſe reſpondit iſtorum quæſtioni in ſuo ipſorum ſenſu. Nam etſi *Joannes* idem fuit *Elias* qui venturus erat, juxta prophetiam *Malach.* 4: 5. quemadmodum clarè exponitur à Servatore noſtro, *Matth.* 11: 14. & ab Angelo, *Luc.* 1: 17. nullatenus tamen fuit ille *Elias* quem Judæi expectabant, ut videre eſt poſtea. S. Pagina res aliquoties vocat non ſicut in ſe ſunt realiter, ſed vel prout apprehenduntur, vel prout deſignantur ab hominibus: ut putà cùm Apoſtolus vocat prædicationem, *ſtultitiam*, 1 *Cor.* 1: 21. & cùm Spiritus Sanctus *Abitophelis* conſilium vocat *bonum*, 2 *Sam.* 17: 14. &c. Ita etiam *Joannes* reſponſum hîc dat ſecundùm iſtorum intellectum qui de *Elia* interrogabant.

(h) Verſio *Syr.* & *Angl.* in præſenti tempore hoc verbum legunt, ut & *Beza*, aliique multi; ac ſic quidem verbum Græc. optimè poſſit reddi: ſed quandoquidem dictum eſt, *Poſtero die Joannes vidit Jeſum venientem*, id arguit ipſum impræſentiarum præſentem ibidem non fuiſſe; atque idcirco aptiſſimè legi poſſit in tempore præterito ſic, *ſtetit* in medio veſtrûm.

(i) Verſio *Syr. Arab. Lat. Vulgat. Cyril.* aliæque plurimæ legunt, non *Bethabaræ*, ſed *Bethaniæ*; putantes nimirum hunc locum fuiſſe *Ænonem*, in *Cap.* 3: 23. cum particula *Bêth* præfixa, (quod in lingua Hebr. uſitatiſſimum eſt nominibus locorum) nam עינן & עינים eam habent radicis affinitatem, ac ſoni ſimilitudinem, ut inter ſe invicem confundi poſſint; & probabile eſt hoſce homines confuſionem hanc crediſſe.

Sed exemplaria antiqua authentica legunt *Bethabaræ*: ipſa autem ratio oſtendit nos non debere legere *Bethaniæ*. Primò enim, Scriptura mentionem non facit de ulla *Bethania* prope *Jordanem* ſita: illa enim *Bethania* de qua loquitur, multis diſtat milliaribus à *Jordane*. Secundò autem, *Ænonem* ac *Bethaniam* diverſa fuiſſe loca, alibi oſtenderur.

(k) Græcè legimus *τὴν ἁμαρτίαν*, *peccatum* in ſing. numero: quod in cauſa fuit nonnullis, ut de peccato ſolùm originali intelligerent; parùm memores, ut videtur, moris illius apud S. Scripturam communis, numeros pro ſe invicem uſurpandi; & præcipuè, omnia quæcunque peccata intelligenda eſſe per verbum *peccatum*, ſingulariter uſurpatum.

(l) Hîc nullum omnino exiſtit univerſalis redemptionis fundamentum: verbum enim *mundus*, in hoc loco Judæis opponitur, prout hic ipſe Euangeliſta explicat, 1 *Joann.* 2: 2. *Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris, nec pro noſtris* (Judaicæ Gentis) *ſolùm, ſed etiam pro totius mundi* (atque adeo hominum aliarum nationum) *peccatis.* Sic autem hîc vult intelligi, *Chriſtum* eſſe *agnum Dei*, ſacrificium non pro Judæis ſolùm, ſed pro Gentibus, aliiſque porrò nationibus.

XXXI. *At ego non noveram eum; ſed ut manifeſtus fiat Iſraëli, propterea veni ego baptizans aquâ.*

XXXII. *Tùm, inquam, teſtatus eſt Joannes, dicens, Conſpexi Spiritum deſcendentem quaſi columbam è cœlo, qui etiam manſit ſuper eum.*

XXXIII. *Et ego non noveram eum: ſed qui miſit me ut baptizarem aquâ, ille mihi dixerat, Super quem videris Spiritum deſcendentem, ac manentem ſuper eum, hic eſt qui baptizat Spiritu Sancto.*

XXXIV. *Ego igitur vidi, & teſtor hunc eſſe Filium illum Dei.*

XXXV. *Poſtero die iterum ſtabat Joannes, & ex Diſcipulis ejus duo.*

XXXVI. *Et intuitus Jeſum ambulantem, dixit, Ecce Agnus ille Dei.*

XXXVII. *Audierunt autem eum duo illi Diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Jeſum.*

XXXVIII. *Converſus verò Jeſus, & conſpicatus eos ſequentes ſe, dicit eis, Quid quæritis? Illi verò dixerunt ei,* (m) *Rabbi, (quod dicitur, ſi interpreteris, Magiſter) ubi moraris?*

XXXIX. *Dicit eis, Venite, & videte. Venerunt, videruntque ubi moraretur: & apud eum manſerunt diem illum: hora enim erat quaſi decima.*

XL. *Erat Andreas frater Simonis Petri unus ex duobus qui audierant illa ex Joanne, & ſequuti fuerant eum.*

XLI. *Invenit hic prior fratrem ſuum Simeonem, & dixit ei, Invenimus Meſſiam illum,* (n) *quod eſt, ſi interpreteris, Chriſtus ille.*

(m) *Rabbi.* Hic, aliique Doctorum tituli, ut *Rab*, & *Rabban*, & *Rabbi*, uſum ac famam inter illos nuper acceperunt, ortum ſuum ducentes paulò ante *Chriſtum* natum. Prophetæ atque homines magnæ Synagogæ, atque generationes univerſæ uſque dum floruit *Hillel*, propriis ſuis nominibus contenti vixiſſent, ut *Sadoc*, *Baithus*, *Antigonus*, *Shammai*, *Hillel*, *Shemaja*, *Abtalion*, aliique quorum in Authoribus Judaicis frequens fit mentio: verùm *Simeon* filius *Hillelis*, (is qui Servatorem noſtrum in ulnas ſuas recepit, *Lucæ* 2.) primus erat inter eos *titulo* ornatus, illi autem *Rabban* fuit titulo. Exinde porrò moris erat titulos magni facere, quorum celebratiſſimus erat *Rabbi*, ut conſtat ex Euangelio ſæpe, ſæpiùs ex ſuis ipſorum ſcriptis. Cur autem in iſtis temporibus, neque verò antea, titulorum uſus ac conſuetudo apud eos percrebuit, vel ſequentes ambas, vel alteram ſaltem, reddi poſſe rationes conjicimus. Prima in lite iſta, inter diſceptantes *Shammai*, & *Hillelis* Diſcipulos diu jam tùm provectâ, eſt fundata, utpote qui ſuper omni fere re, ad Scotiſtarum inſtar ac Thomiſtarum, variam tulerunt ſententiam: illi autem ſic ex utraque parte diſſidentes, titulos ſibi, quaſi in ſuppetias vocantes, arrogarunt. Secunda in eo fundata eſt, quòd ſummè cùm eſſent ſuperbi, autumarunt ſe ad apicem atque culmen literarum perveniſſe. Ipſos ſibi aſſumpſiſſe titulos haud mirabitur is, qui quod in *Talmude* de *Hillelis* Scholaribus dictum eſt, leget. Sic autem ſonat. *Hilleli octoginta erant Scholares, ex quibus triginta erant digni, quibus gloria divina, ſicut olim Moſi, inſideret: triginta verò alii digni, quorum juſſu ſol perinde, ac quondam Joſuæ, ſubſiſteret. Viginti* denique *medio erant gradu*, &c. Eodem planè modo ſe habuit res apud Judæos tunc temporis, atque poſtea apud Doctores Chriſtianiſmum profeſſos: nam tùm, cùm pietas, veritas & humilitas inter eos regnarent, ſuis contenti erant nominibus, ut *Auguſtinus*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, &c. verùm cùm ſuperbia atque error poſtmodo ſuperarent, tùm *Divus* hic, *Seraphicus* ille, *Angelicus* tertius audiit.

Tituli hi Judaici *Magiſterium*, *Doctoratum*, aut *Principatum* deſignantes, erant alii aliis digniores. אדול מרב רבי וגדול מרבי רבן. *Aruch in* אבי״: Rabbi quàm Rab, & Rabban quàm Rabbi excellentior fuit. *Rab* erat titulus *Doctorum Babylonicorum*; *Rabbi Judaicorum* proprius; *Rabban* autem ſeptem ſolummodo hominibus affixus.

(n) *Quod eſt, ſi interpreteris, Chriſtus ille.* Hæc ſunt Euangeliſtæ hiſtorici, non verò *Andreæ*, verba: etenim ſupervacaneum omnino eſſet *Meſſiæ* interpretationem *Petro* dicere; juxtà autem Tralator *Syriacus* hanc prætermiſit clauſulam; ut & illam in *verſ.* 42. *Quod eſt, ſi interpreteris, Petra*; & illam *Cap.* 4: 25. *Quod eſt; ſi interpreteris, Chriſtus:* quippe qui probè novit, Hebræum, aut Syrum *Meſſiæ*, vel *Cephæ* interpretationem minùs ignoraſſe.

XLII.

Digitized by Google

XLII. *Et adduxit eum ad Jeſum. Intuitus autem eum Jeſus, dixit, Tu es Simon filius Jona: tu vocaberis Cephas, quod eſt, ſi interpreteris, Petra.*

XLIII. *Poſtero die voluit Jeſus abire in Galilæam: invenit autem Philippum, & dixit ei, Sequere me.*

XLIV. *Erat verò Philippus ex Bethſaida, civitate Andreæ & Petri.*

XLV. *Invenit Philippus* (o) *Nathanaëlem, & dicit ei, Invenimus eum de quo ſcripſit Moſes in Lege, & Prophetæ, nempe Jeſum filium illum Joſephi, illum ex urbe Nazaretha.*

XLVI. *Tum dixit ei Nathanaël, Ex urbe Nazaretha poteſt aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus, Veni, &* (p) *vide.*

XLVII. *Vidit Jeſus Nathanaëlem venientem ad ſe, & dixit de eo, Ecce verè Iſraëlita in quo dolus non eſt.*

XLVIII. *Dixit ei Nathanaël, Unde me noſti? Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Priuſquam Philippus te vocaret, quum eſſes ſubter ficum, videbam te.*

XLIX. *Reſpondit Nathanaël, & dixit ei, Rabbi, tu es ille Filius Dei, tu es ille Rex Iſraël.*

L. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Quia dixi tibi, vidi te ſub ficu, credis: majora iſtis videbis.*

LI. *Propterea dixit ei,* (q) *Amen, amen, dico vobis, ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis.*

(o) Nomen *Nathanaël* in Vet. quoque Teſtamento legimus, ut 1 *Paralip.* 15: 24. *Eſræ* 10: 22. &c. At verò nomina *Philippus*, & *Andreas*, & *Nicodemus*, &c. ſunt recentiora, & in uſum recepta, poſtquam & poteſtas Græcorum cùm *Judæam*, tum cæteras regiones Orientales devicerat, & lingua ipſorum facta fuerat communis. Hic *Nathanaël* erat ex *Cana Galilææ, Joann.* 21: 2. unus ex illis Diſcipulis quos *Jeſus* primò vocabat, & qui ipſi ad extremum uſque adhærebant, ut patet ex illo *Joannis* loco. Quandoquidem autem ſinguli, quorum nomina hoc in *Capite* celebrantur, ut *Petri*, *Andreæ*, & *Philippi*, facti erant Apoſtoli, quid miri ſuggeret is, qui ponet *Nathanaëlem* ad eundem Apoſtolatum non conſcendiſſe.

(p) *Veni, & vide.*] Dictum erat apud Authores Judaicos valdè crebrum: תא חזי in Talmudico dialecto dicitur; & בוא וראה in vulgat. Hebr. Dicto hoc utuntur, rem quampiam demonſtraturi, vel declaraturi: aliquoties verò variantes dicunt, תא שמע, *Veni, & audi*; & בוא ולמוד, *Veni, & diſce:* ut videre eſt *Tanch.* fol. 1. col. 2. & fol. 57. col. 1.

(q) *Amen, amen.*] Græcè Ἀμὴν, ἀμὴν. Hujus phraſis ratio de commatis explicatione petenda eſt. Hîc loci obſervandus tantùm venit peculiaris aliquis vocabuli *Amen* apud Judæos uſus. *Solenne erat Judicibus, hominem ad jusjurandum adigere, dicentibus, Juramento te obſtringimus per Dominum Deum Iſraëlis, vel per eum cui nomen eſt Miſericors, tibi nihil in manibus eſſe, quod ad hunc hominem pertinet. Qui reſpondit, Amen. Vel hoc modo, N. filius N. maledictus eſt coram Domino Deo Iſraëlis, vel coram eo cui nomen eſt Miſericors, ſi hujus hominis bona ſecretò retineat, reſtituere recuſans. Qui reſpondit, Amen. Maimon. Tractat. Shevugnoth. verſ.* 11. Sic etiam de votis refert, *Obſtrictum fuiſſe, quicunque rem ullam ſacram devovebat, vocem Amen pronunciando confirmans,* &c. Vide *Sam. Petit. variarum Lect.* lib. 1. cap. 7. Is hac de re diſſerens ſic concludit, *Cùm dicit Chriſtus,* Ἀμὴν λέγω ὑμῖν, *idem eſt ac ſi diceret, Juratus vobis dico.*

Ratio ordinis.

Ex quatuor Euangeliſtis unus *Joannes* res illas nobis recenſuit, quas *Joannes Baptiſta* ſeu fecit, ſeu docuit à *Chriſto* baptizato uſque ad *Joannem* in carcerem conjectum; imò verò unus omnium eſt ille, qui per totum illud temporis ſpatium vel de ipſo *Chriſto* quicquam (exceptâ tentatione) nobis retulit. Etenim *Matthæus* & *Marcus* haud citiùs dederunt tentationis hiſtoriam, quàm de *Joanne* in vincula conjecto loquuntur, *Matth.* 4: 11, 12. *Marc.* 1: 13, 14. *Lucas* autem, etſi rem iſtam particularem terminis apertis non exprimat, in hiſtoria tamen poſt tentationem proximè ſequenti mentionem facit rerum quæ priùs factæ non erant, quàm illud tempus præteriiſſet, ut videre erit in proprio loco. Tres itaque Euangeliſtæ gene-

Digitized by Google

raliter tacent de omnibus Servatoris noſtri actionibus per ſpatium plus duodecim junctim menſium, nempe à medio circiter *Novembris* noſtri, quum conſummata eſſet tentatio, uſque ad finem circiter *Novembris* currente anno inſequentis, quum *Jeſus*, audito *Joannem* carcere onuſtum, in *Galilæam* ſeceſſit. De tempore magis particulariter agemus, cùm exponendum veniet *Joann.* 4: 35. Quamobrem verò tres Euangeliſtæ tantum temporis ſpatium tranſilirent, & rem tantam adeo unanimiter tacerent, non opus eſt in quæſtione ut eſſet, quandoquidem Spiritus Sanctus curavit, ut id omne quod cæteri tres miſſum fecerant à quarto ſuppleretur. In hac igitur Sectione, ac porrò ad finem uſque quarti Capitis, *Joannes* Euangeliſta hiſtoriam narrat *Joannis* Baptiſtæ, nec non Servatoris noſtri, incipiendo ab eo tempore quo ab ipſo baptizabatur uſque dum in *Galilæam* veniret, poſtquam *Joannes* in carcerem erat conjectus. Præterea, quum cæteri tres mentionem ſolummodo feciſſent actionum *Joannis*, & teſtimonii ipſius de *Chriſto* ante Baptiſmum, quartus in hac Sectione plures *Chriſti* actiones refert, & plura de eo poſt Baptiſmum teſtimonia exhibet. Non eſt ergo cur in dubium iret prudens lector, cùm in hoc *Capite* inter legendum obſervabit, *Petrum* atque *Andream* ante ſequutos fuiſſe *Jeſum*, quàm ipſe vocaverat, idque priùs, quàm Baptiſta carcerem vidiſſet: alibi autem, *Petrum* atque *Andream* priùs fuiſſe vocatos, quàm ſequutos *Jeſum*, Baptiſtâ tunc temporis in carcerem incluſo, *Matth.* 4. & *Luc.* 4. Non eſt, inquam, cur in dubium iret, quoniam hi loci duo duas diverſas hiſtorias, magno temporis intervallo ſejunctas, continent: hic *Joannis* res narrat paulò poſt *Chriſtum* baptizatum geſtas; ille verò *Matthæi*, res alias lapſo poſt anno factas.

Sectio, de qua impræſentiarum agitur, variis conſtat hiſtoriis. Quò autem meliùs indicetur & demonſtretur proprius cujuſque ordo, opus erit oſtenſo, & quomodo ſe invicem ſubſequuntur ſingulæ, & quomodo etiam univerſæ *Chriſti* tentationem, de qua in ſuperiori Sectione diſquiritur, ſubſequuntur. Hoc ut oſtendatur, obſervetur primùm, omnes res hîc memoratas poſt *Chriſtum* baptizatum contigiſſe, ut & ante erat dictum, & patet ex verſiculis 15, 32, 34. Deinde autem optimè patebit ordo, ſi modò vel tota Sectio, vel principium ſaltem ejuſdem, paraphraſi hiſtoricâ donetur.

Quamprimum igitur *Chriſtus* erat baptizatus, & Spiritus viſibiliter ſuper eum deſcendit, *ſtatim*, ut ait *Marcus*, Spiritus idem eum impellit, ſive rapit, viſibiliter à *Jordane* versùs deſertum; ita ut, etiamſi aſtantes neque *Chriſtum* antea obſervaſſent, neque tunc temporis denuò aſpexiſſent, quàm maximè tamen probabile eſt, ipſos & videre potuiſſe abeuntem eum, & animum ei advertere ipſo, quo ſublatum viderunt, articulo. Subitanea autem iſta raptio, ac inviſibilis Spiritûs impulſio, *Joanni* Baptiſtæ occaſionem videntur præbuiſſe tam vehementer exclamandi, *Hic erat de quo dicebam:* illa enim verba indicare videntur, *Chriſtum* jam antè adfuiſſe iis quos alloquebatur *Joannes*, quin, eo loquente, abſuiſſe: aptiùs enim, modò adfuiſſet, dixiſſet, Hic *eſt*, quàm, Hic *erat*. Quod ſi turba *Chriſtum* aſcendentem minùs aſpexiſſet, & cognoviſſet, penès ipſos haud eſſet reſciviſſe quis erat is quem *Joannes, Hic* dicendo, deſignabat. Verùm cùm tota undique corona è ſociis unum aſpexit à Spiritu ſublatum, & clamantem poſtea audivit *Joannem*, *Hic erat de quo dicebam*, cuncti omnium ſtatim animi eſſent in eum infixi, quem *Joannes* intendit; tùm autem reſcirent ipſum fuiſſe *Meſſiam* illum, quantumvis antea ſecum commorantem neque norant, nec curarant. Veram autem rationem (etſi *Bezam* latuit) cur Euangeliſta tempore utitur præterito imperfecto, in eo fundari exiſtimo, quòd de *Chriſto* loquitur, qui unà cum *Joanne* apud *Jordanem* fuerat, tùm verò è conſpectu recèns evaſerat. Adeo ut primus hujus Sectionis verſiculus proprium ſuum vendicare poſſet ordinem in tempore inter *Chriſti* Baptiſmum, & ipſius in deſertum impulſionem interpoſito. Ideoque ritè poſſim locum illi ſortiri primum à primo ſuperioris Sectionis verſiculo, tùm autem hæc eſſet hiſtoriæ ſeries: *Statim autem a Baptiſmo Jeſus, Spiritus eum in deſertum expellit: eo autem expulſo, & è conſpectu recèns erepto, teſtabatur Joannes, & clamarat, dicens, Hic ebat de quo dicebam.* Mihi verò non videbatur primitivam mutare hiſtoriæ ſeriem, atque opportuna ſatis hoc in loco cadit ordinis notitia.

Hiſtoria hujus Sectionis proximè inſequens, quæ erat diſceptatio inter Judæorum nuncios, & *Joannem*, quiſnam ipſe eſſet, & cur baptizabat, interrogantes, in tempore contigit tentationis poſtremæ, ſeu *Chriſto* de monte edito ad *Jordanem* redeunte. Textus enim expreſsè aſſerit, *Joannem*,

JOANN. CAP. I. VERS. 15. *Joannem*, finitâ diſceptatione, poſtero die *Jeſum* ad *Jordanem* conſpicatum, *Joann.* 1: 29. inde autem hiſtoriarum ſequentium connexio adeo luculenter patet, *verſ.* 35. & 43. ut ampliùs demonſtratâ opus non ſit.

Harmonia & Explicatio.

VERS. 15. *Joannes teſtatus eſt de eo, & clamavit*, &c.

EUangeliſta à principio hujus Capitis ad hunc uſque locum, atque in eodem, conſultò ivit oſtenſum declarationes illas ac demonſtrationes, quæ de *Chriſto* cùm ante, tum poſt ipſius incarnationem datæ erant. Quæ ante datæ erant, oſtendimus jam *Caput* ad *verſ.* 14. explicantes. Quæ autem poſt, in hoc & ſequenti *verſibus* oſtenditur. In *verſ.* 14. dicit, *Chriſtum* inter Diſcipulos commorantem, declaraſſe ſe eſſe Unigenitum à Patre, *plenum gratiæ ac veritatis:* & in *verſ.* 15. oſtendit quomodo *Joannes* declaravit publicavitque omnibus Baptiſmum petentibus: in *verſu* porrò 16. quomodo Diſcipuli ex plenitudine ipſius omnes acceperunt, &c.

Porrò verò, quomodo *Joannes* de illo teſtatus eſt, verbis hiſce duobus indicat, *Ille teſtatur & clamavit*, verbis (quod priùs innuimus) tempore differentibus, atque aliquam ſenſûs diverſitatem ab iſta differentia capientibus.

Verbum μαρτυρεῖ temp. præſ. propriè intelligendum eſt deſignare, I. totum *Joannis* miniſterium, functionem ac officium, quemadmodum explicat *verſ.* 7. *Is venit ad dandum teſtimonium.* Quod reſtringendum nequaquam eſt ad hoc vel illud teſtimonium particulare & verbale, neque ad omnia ea quæ *Joannes* de *Chriſto* dedit verbalia; quin extendendum eſt ad totum *Joannis* miniſterium, quo de *Chriſto* teſtatur, eò quòd Deus eum excitavit, *Chriſto* ut eſſet præcurſori. Verbum verò κέκραγε temp. præt. reſtringendum eſt ad teſtimonium id particulare, quod in illo ſuo miniſterio de *Chriſto* dedit *Joannes*: ita ut verbum prius ad *Joannis* perſonam, totamque ipſius functionem referatur; poſterius autem ad partis unius particularis duntaxat ejus functionis exequendæ modum.

II. Verbum μαρτυρεῖ poteſt etiam *Joannis* pro veritate mortem includere, per quam ad hoc uſque tempus *Chriſto* dat teſtimonium, quemadmodum *Abel* mortuus adhuc loquitur, *Hebr.* 11: 4. Ita ego hoc in ſenſu illas ejuſdem Euangeliſtæ voces intelligerem, 1 *Joann.* 5: 6, 8. *Jeſus Chriſtus venit per aquam & ſanguinem; & Spiritus is eſt qui teſtificatur. Et tres ſunt qui teſtificantur in terra, Spiritus, & aqua, & ſanguis*, id eſt, Spiritus Prophetiæ, Baptiſmus, & Martyrium: hi tres unum ſunt de *Chriſto* teſtificantes, *ipſum illum eſſe.* Quandoquidem Prophetæ de eo unanimiter adeo loquuntur, Baptiſma tot ad eum reducens, & Martyres ſanguine ipſorum vitali obſignantes, veracem eſſe illum: multi illi qui de eo prophetarunt, plurimi qui pro eo mortem ſunt paſſi, atque infiniti penè homines in eum baptizati, teſtificantur de eo ſimul in terra, ut in cœlo Pater, & Sermo, & Spiritus Sanctus. JOANN. CAP. I. VERS. 15.

Is qui ponè me venit antepoſitus eſt mihi.] Nullibi legimus *Joannem* unquam ante *Chriſti* Baptiſmum id quod in hiſce verbis continetur teſtimonium perhibuiſſe. Dixerat quidem, *Potentior me venit ponè me, cujus ſolearum ego non ſum dignus qui ſolvam corrigiam*, ut cæteri tres narrant Euangeliſtæ: verùm hæc verba, *antepoſitus eſt mihi, quia prior me erat*, nuſquam antea occurrerunt. Concipiendum nihilominus eſt, *Baptiſtam* ad eundem ſenſum hîc, ac alibi antea, locutum. Ita *verſ.* 27. mentem ejus indicat, tametſi phraſin variavit. Eſt enim familiare admodum apud Sacræ Paginæ Scriptores, ſermones priores repetituros, ſenſum eundem diverſis verbis adornare. Atque eſt tamen alicujus momenti, quòd cùm *Joannes* ſemper ante *Chriſti* Baptiſmum de eo dixiſſet, *Potentior me venit*, poſt Baptiſmum ejus perpetuò diceret ſic, *Is qui ponè me venit antepoſitus eſt mihi*, ut hîc, & *verſ.* 27. & 30.

Hæc autem videtur hujus rei ratio, nim. quoniam *Chriſtus* aliquandiu jam cum populo verſatus, magnum nullum inter eos præſtitiſſet opus; nec quicquam adhuc aut fecerat, aut dixerat, unde anſam ſibi poterant arripere, eum *Joanne* validiorem fuiſſe, aut potentiorem judicandi. Apparitio Spiritûs Sancti illos latuit, atque vox pariter cœlitùs miſſa illos fugit: probabile ſolummodo eſt, *Jeſum* tunc temporis à *Jordane* impulſum conſpicatos. Idcirco autem *Joannes*, quò impediat ne verba ipſius malè interpretentur, ita loquitur, ut per ἰσχυρότερός μου, *validior me*, non deberent ab eo expectare præſentem ullam viſibilem poteſtatis miraculorum demonſtrationem, ſed ut intelligerent, illum de quo verba illa dicebat, ipſum anteire ordine ac dignitate; quamvis enim ponè ipſum

 venit,

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 15, 16.

venit, fuit tamen ante ipſum in tempore, & officio, & naturâ, & facultatibus.

Antepoſitus eſt mihi.] Ἔμπροσθέν μου γέγονεν. Quod *Lat. Vulg.* non ſine periculo habet, *Ante me factus eſt.* Hâc autem Verſione inducti, Arriani olim ex hoc loco militabant contra Filii æternitatem; cùm tamen vocabulum ἔμπροσθεν, ut bene notavit *Beza*, in Novo Teſtamento non tempus, ſed locum ſemper reſpicit, ut *Matth.* 17:2. *Marc.* 1:2. *Luc.* 12:8. & 19:27, 28. lociſque aliis non paucis, ideoque Angli cum indicatione talis rei aptè tranſtulerunt, *prefer'd*, Antepoſitus eſt mihi. Neceſſe enim eſt ut ἔμπροσθεν μου, & πρῶτός μου, in hac Baptiſtæ locutione, diſtinctum & differentem habeant ſenſum; quoniam vocula ὅτι interpoſita indigitat alterum alterius fieri rationem: *Quod ad locum & eminentiam, antepoſitus erat mihi, quia quod ad tempus & durationem prior me erat.* Vocabulum autem γέγονε, quod videtur tempus præteritum reſpicere, (& quod in occaſione fuit, nonnulli ut putarent vocabulum ἔμπροσθεν de prioritate temporis intelligendum) eodem tempore reddendum eſt, quo vocabula ἐγενήθη, *Matth.* 21:42. nec non γενόμενος, *Actor.* 4:11. quæ licet in aliis temporibus ſcribantur, neceſſariò tamen per præſens redduntur, *Eſt factus caput anguli.*

VERS. 16. *Et ex plenitudine ipſius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.*

I. Hæc ſunt Euangeliſtæ, non Baptiſtæ, verba: ita judicant *Cyrillus*, *Chryſoſtomus*, *Chemnitius*, aliique; ſint licet nonnulli, qui putant Baptiſtæ tribuenda; alii autem, qui autumant ad idem redire, ſeu huic, ſeu illi tribuantur.

Conſtat Euangeliſtæ eſſe, I. A concordantia ipſorum ipſius cum verbis in *verſ.* 14. ibi enim loci dicit, *Chriſtum gratiæ & veritatis plenum*; hîc autem, ſe plenitudinis ipſius participes factos. II. A conſenſu *verſûs* ſtatim inſequentis, qui, nullus dubito, ab eodem profectus eſt ore, cum *verſu* quoque decimo quarto. III. A conſenſu *verſ.* 18. qui indubiè ab eodem etiàm ore provenit, cum verbis iiſdem ejuſdem Euangeliſtæ, 1 *Joann.* 4:12. IV. Iſti, quos *Baptiſta* in ſuperiori *verſu* alloquutus eſt, *Chriſti* erant etiamnum penitùs ignari, nec non de adventu ejus parùm inſtructi, ideoque ſolæciſmum feciſſet *Joannes*, modò de iſtis ſimul, atque de ſe dixiſſet, *Nos omnes accepimus*, cùm iſti accepiſſent adhuc ferè nihil. V. Vel ipſe verborum ſenſus demonſtrabit, non *Baptiſtam*, ſed Euangeliſtam locutum fuiſſe, ut manifeſtum erit particulariter perpendentibus.

JOANN. CAP. I. VERS. 16.

II. Verſus conſtat ex clauſulis duabus diverſis ac diſtinctis; nec non verbulum & intermedium, ſit licet particula conjunctiva, cogit tamen in hanc diſtinctionem: quamvis enim diffiteri non poſſimus) & καὶ, ἐξηγητικὸν, *enarrativum* in Scriptura Sacra crebrò occurrere, id eſt, verbulum & ſæpenumero introducere clauſulam poſteriorem, quæ rem eandem, ac prior, narrat, ſed terminis notioribus, & more explicationis; tamen minimè eſt probabile eum eſſe iſtius particulæ uſum in hoc loco, etſi contrà ſentiant quamplurimi: ego autem durum fore credo, aliam particulam & ejuſdem cum hac uſûs per totam Scripturam invenire. Idcirco cùm *verſus* hic conſtet ex clauſulis duabus diſtinctis, hâc vel ſimili ſyntaxi & conſtructione donandus eſt neceſſariò: *Ex plenitudine ipſius accepimus aliquid: & accepimus etiam gratiam pro gratia.* Hoc autem bene jampridem obſervavit *Auguſtinus*. *Non dicit*, inquit ille, *ex plenitudine ipſius accepimus gratiam pro gratia*; ſed, *ex plenitudine ipſius omnes accepimus, & gratiam pro gratia: adeo ut velit nos intelligamus, quòd ex plenitudine ipſius accepimus aliquid, & gratiam inſuper.*

III. Quanquam veriſſimum ſit omnes Sanctos Dei cunctam ſuam gratiam ex plenitudine *Chriſti* accepiſſe, ſic enim *Chryſoſtomus* atque *Cyrillus* vocabulum *nos* intelligunt, ac interpretantur; & quanquam veriſſimum porrò ſit ſanctos Patriarchas, ac Prophetas, *Joanne* priores, univerſa ſua dona ex eadem plenitudine accepiſſe; nonnulli enim vocabulum illud *nos* ſic exponunt, ac ſi *Joannes*, cùm diceret, *Nos omnes accepimus*, illos deſignaſſet, & ſibi conjunxiſſet: videtur nihiloſecius Euangeliſta hoc in loco neutrum horum deſignaſſe, ſed vocabulum *nos* ad ſemetipſum & Condiſcipulos ſuos reſtrixiſſe. Nam I. Ipſe vocabulum in illo ſenſu uſurpaſſet *verſ.* 14. commoratus eſt inter *nos*, & *nos* ſpectavimus gloriam ejus; ubi vocula *nos* repetita Apoſtolos ſolùm, aut Diſcipulos, neceſſariò ſignificat, prout ibidem oſtenſum erat: & quî fieri poteſt, ut eadem vocula, in *verſ.* 16. denuò repetita, tam propriè ſumi poſſit in ſenſu alio, quàm in eo in quo priùs ſumitur. II. Quemadmodum *Chriſtus* cum hominibus verſatus eſt in propria perſona; ita Euangeliſta in hoc loco oſtendit, quomodo

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 16.

modo à Miniſtris ſuis declaratus erat & prædicatus: & ut *Joannes Baptiſta* primus erat conſtitutus, ita, inquit, *nos* Apoſtoli, & Diſcipuli ſecundùm illum conſtituti eramus prædicatores atque præcones ejus, ſicuti ex ſcopo horum verſuum mox indicabimus.

I V. Illis qui legerunt Euangelium, opus non eſt ut probaremus, Apoſtolos à *Chriſti* plenitudine plurimum accepiſſe. Ab ea acceperunt plurimum favoris, ſanctificationis, cognitionis, poteſtatis miraculorum, Spiritûs denique, nec non, præter hæc omnia, *gratiam pro gratia*.

V. Poſterior hæc clauſula fere tot habet interpretationes, quot totus verſiculus complectitur verba: lectori varietatem earum exhibebo, ut delectum habeat.

Auguſtinus in loco nupercitato hanc habet paraphraſin. *Nos accepimus è plenitudine ipſius, primùm gratiam, & dein rurſus gratiam pro gratia. Quænam erat gratia quam primùm accepimus? Fides: ambulantes in fide, ambulamus in gratia. Quid ſibi vult gratia pro gratia? Per fidem * obtinemus Deum, juſtificationem, & vitam æternam.*

* Promeremur, ut ille.

D.Chryſoſtomus in Joann. Homil. 14. ſic explicat. *Gratiam pro gratia, quam pro qua? Pro veteri novam: quemadmodum enim erat duplex juſtitia, duplex fides, duplex adoptio, duplex gloria, duplex lex, duplex ſervitus, duplex teſtamentum, duplex ſanctificatio, duplex baptiſma, duplex ſacrificium, duplex templum, duplex circumciſio; ita & duplex gratia: ſed illa quidem quaſi figura ſunt, hæc quaſi veritas.* Atque eodem fere modo explicat *Cyrillus in Joann.* lib. 2. cap. 21. conferens gratiam Euangelicam à *Chriſto* datam, cum Legali ſub *Moſe*. Idem ſentit & *Beza*.

Toletus in loc. hunc habet commentarium: *Quia in ipſius Chriſti gratia nos ſumus omnes gratiam conſecuti, & per eum grati facti ſumus Deo.* Vel, ut *Camerarius*, eundem ſenſum complexus, exprimit: *Favorem Dei erga nos accepimus, propter favorem Dei Patris erga Filium. Maldonatus* ſic: *Gratia pro gratia*, id eſt, *non omnes eandem, ſed diverſi diverſam. Ludovicus de Dieu* ſic denique: *Unam ob alteram, poſteriorem ob priorem, prima gratia cauſa eſt ſecundæ, ſecunda tertiæ, tertia quartæ*, & ſic deinceps. Alii ſic, *Gratiam ſuper gratiam.* Et alii, *Gratiam in nobis, gratiæ in Chriſto congruam*, quod ad genus, ſimilem; licet quod ad gradum, diverſam. Poſtremò autem, eſt qui putat, *gratiam pro gratia* intelligendum eſſe de gratia gratis data, & ἀντὶ χάριτος nihil aliud eſſe, quàm interpretationem vocis Hebraicæ חנם, gratis.

Quantum ad materiam in illis contentam, veræ profectò ſunt omnes hæ interpretationes; tamen plenæ ſint, nec ne, hujus loci expoſitiones, loci ſcopus & Euangeliſtæ mens monent ut dubitemus. Conſtat enim Euangeliſtam de multiplicibus, variiſque viis ac mediis, quibus *Chriſtus* revelatus declaratuſque fuit, hactenus locutum, & hîc etiam loqui, ut antea obſervavimus: idcirco autem tutiſſimum erit, interpretationem hiſce verbis affigere ſcopo mentique Euangeliſtæ conſentaneam. Atque ego juxtà ſic intellexi & reddidi hæc verba, ut *gratia* primò ſignificaret gratiam Apoſtolatûs; & ut *gratia* ſecundò ſignificaret gratiam in auditorum cordibus; & ut præpoſitio ἀντὶ cauſam finalem denotaret. Hic eſt ſenſus qui facillimus erit intellectu in hac paraphraſi. *Et de plenitudine ejus dona valde plena, nec non excellentia, nos omnes Diſcipuli accepimus: accepimus etiam gratiam Apoſtolatûs in doctrinam liberæ gratiæ Dei, & ob propagationem gratiæ in aliorum cordibus.* Et quemadmodum ſcopus Euangeliſtæ dirigit nos verſum in hoc ſenſu intelligere, ita vis & idioma linguæ confirmat. Primò enim, nomen χάρις eundem nonnunquam habet ſenſum in S. Pagina, quem nos ei affigimus in prima parte clauſulæ, ut *Rom.* 1: 5. Ἐλάβομεν χάριν καὶ Ἀποστολήν, *Accepimus gratiam* (quod eſt verbum hîc uſurpatum) *& Apoſtolatum*, hoc eſt, inquit *Beza*, *gratiam Apoſtolatûs*; & bene quidem: *Beneficium eximiæ planè liberalitatis, quod alibi vocat* χάρισμα, 1 *Tim.* 4: 14. 2 *Tim.* 1: 6. Apoſtolus autem in eodem ſenſu dicens, *Ego ſum minimus Apoſtolorum, qui non ſum dignus vocari Apoſtolus*, ſubdit, χάριτι δὲ Θεοῦ εἰμὶ ὅ εἰμι, καὶ ἡ χάρις αὐτοῦ ἡ εἰς ἐμέ, &c. *Sed gratiâ Dei ſum id quod ſum, & gratia ejus*, quæ in me collata eſt, *non fuit inanis*, &c.

Secundò, præpoſitio ἀντὶ finem & intentionem rei aliquoties denotat, & ad cauſam finalem refertur, idque valde propriè, ut 1 *Cor.* 11: 15. *Coma data eſt ei (mulieri)* ἀντὶ περιβολαίου, *pro velamine*, ſcil. ut ſit pro velamine: Hebr. 12: 2. ἀντὶ χαρᾶς προκειμένης, *pro gaudio ſibi propoſito*: Matth. 20: 28. λύτρον ἀντὶ πολλῶν, *in redemptionis pretium pro multis*, &c. Item & apud Auctores profanos non rarò uſurpatur in ſenſu eodem, in quo uſurpamus *gratia*, ut ἀνθ᾽ ὅτου, *cujus gratiâ*: ἀντὶ μηδενός, *non ullius gratiâ*: ἀντὶ τούτου τοῦ διδάγματος, *hujus doctrinæ gratiâ*,

JOANN. CAP. I. VERS. 17. *tia*, &c. Et ſic aptiſſimè poſſumus hoc in loco interpretari, Accepimus gratiam pro gratia, vel gratiæ ergô; id eſt, ut in cogitationibus aliorum promoveatur, & in cordibus eorum propagetur.

VERS. 17. *Nam Lex illa per Moſen data eſt*, &c.

In verſibus prioribus locutus fuerat de declaratione *Chriſti* & ante & poſt adventum ejus, cùm in Lege, tum ſub Euangelio factâ: nec non in tribus proximè ſuperioribus enarraverat, quomodo erat in Euangelio declaratus poſt adventum. Declaratus autem erat,

I. In ſua ipſius perſona & converſatione, *verſ.* 14. *Sermo ille factus eſt caro, & commoratus eſt inter nos, plenus gratiæ & veritatis; & ſpectavimus gloriam ejus*, &c.

II. In miniſterio *Joannis Baptiſtæ*, verſ. 15. *Joannes teſtatus eſt de eo, & clamavit, dicens*, &c.

III. In miniſterio Apoſtolorum, *verſ.* 16. *De plenitudine ipſius omnes accepimus*, &c.

Progreditur autem Euangeliſta, hoc in verſu Legis & Euangelii tenorem perpendendo, in quorum utriſque *Chriſtus* ſic erat declaratus; & conferendo ſimul utraque, atque perſonas item duas, quæ principes erant in promulgatione illorum miniſtri, *Chriſtum*, & *Moſem*: perſonas duas contulit reſpectu ad miniſterium doctrinæ ſalutis habito; duas verò res habito reſpectu ad tenorem, perſpicuitatem & demonſtrationem illius doctrinæ.

Vocula *nam* in initio verſûs hunc & ſuperiorem illum connectit, & vel ſuperiorem toti huic verſui connectit, ut hic inde ſenſus conficiatur, *Nos accepimus gratiam Apoſtolatûs ad prædicationem Euangelii, ſicut Moſes Legem*; vel potiùs poſtremo verbo *gratia*, ut hic inde ſenſus, *Nos accepimus Apoſtolatum ad propagationem ac publicationem gratiæ; cum Moſes Legem dedit ad opera promovenda:* ſic enim denotat ea quæ hoc in verſu invenitur antitheſis, prout obſervare eſt.

Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum præſtita eſt.] Verba hæc duo *gratia* & *veritas* Legi morali, & cæremoniarum, quæ à *Moſe* data erat, hoc in loco opponuntur. Etſi enim *Chriſtus* Legis, æque ac Euangelii, erat author; & quamvis opus gratiæ Legis erat latio, nec non opus veritatis Legis doctrina, adeo ut in alterutro ſit gratia & veritas: tamen, collato Legis & Euangelii tenore, particularia ſequentia magnum indicabunt inter ea diſcrimen.

JOANN. CAP. I. VERS. 17.

I. Lex tradidit quidem ſalutis & bonorum futurorum doctrinam, ſed tantâ obſcuritate, tantiſque tenebris involutam, tot typis umbriſque impeditam, ut eum palpando quærebant potiùs, quàm videbant homines: iſtæ autem res tenebræ propterea vocantur in *verſ.* 5. hujus Capitis; & Judæi qui ſub illis vixerunt, imò & ſalutem ſunt ab earundem cognitione adepti, dicuntur tamen non eſſe *conſummati abſque nobis*, *Hebr.* 11:40. hoc eſt, imperfecti eſſe dicuntur in cognitione doctrinæ ſalutis, uſque dum Euangelium nos Gentes includebat. At verò Euangelium *Chriſtum* & viam ſalutis tantâ perſpicuitate, atque modo tam evidenti ac manifeſto revelavit, ut omnes iſti typi, umbræ, prædictiones, & repræſentationes æquitatem ſuam, impletionem ac conſummationem ab eo acceperunt, quod finem & intentionem iſtarum rerum oſtendit planè, adeo ut quod Lex in figuris, id Euangelium in veritate nos docuit.

II. Etſi quamvis Lex erat doctrina fidei in ſpiritu & medulla ipſius, tamen in litera, externaque adminiſtratione nuntia erat mortis, 2 *Cor.* 3: 7. obedientiam quam nemo præſtare potuit exquiſitam vendicans; at maledictionem tamen ei qui non præſtitit, denuncians; atque adeo omnes ſub peccatum & maledictionem concludebat. Atqui Euangelium meliora narrat, remiſſionem iis qui reſipiſcunt, promittens, quamvis Legi minimè obtemperaſſent; nec non ſalutis certos faciens credentes, etſi nec opera ulla præſtitiſſent, nec juſtitiam exercuiſſent: ſic autem Euangelium gratiam ac remiſſionem affert, cùm Lex maledictionem ac damnationem impoſuit. Ideoque Euangeliſta divinitùs conſtituit hanc antitheſin inter Legem & Euangelium in hiſce duobus particularibus, juxta partes duas Legis, unam ſcil. quæ *mores* ſpectat, alteram quæ circa *cæremonias* verſatur; item juxta principes duas Euangelii doctrinas, nim. *reſipiſcentiam* & *fidem*.

Lex enim moralis obedientiam requiſivit, damnationem iſtis qui non paruerunt minitata: ſed gratia & condonatio per *Chriſtum* fuit præſtita, atque reſipiſcentibus in Euangelio oblata.

Lex cæremoniarum *Chriſtum* exhibuit ſub repræſentationibus obſcuris, per quas difficillimum quidem erat illum intueri: ſed *veritas* quæ ſub iſtis obſcuritatibus latuit, atque à repræſentationibus iſtis erat depicta, per *Chriſtum* eluxit, nec non illam

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 18.

Iam nobis præfert Euangelium, fidem magnopere exigens in eum qui hæc conſummavit. Hoc autem nomine *gratia* & *veritas* dicitur per *Jeſum Chriſtum* præſtita; hinc præterea dicimus gratiam & veritatem eſſe tenorem Euangelii, quatenus Legi opponitur, non quà *gratia nequitiæ* opponitur, ſed quà *damnationi*; nec quà *veritas falſitati*, ſed quà *umbris*.

VERS. 18. *Deum nemo vidit unquam.*

Hoc alludit ad *Exod.* 33. ubi *Moſes* deſideravit videre Deum. Inter *Moſen* & *Chriſtum* diſcrimen poſuit *verſus* ſuperior, quod quidem præſens proſequitur. Expetebat *Moſes* videre Deum; non potuit tamen, *Exod.* 33: 20. nemo enim hominum vidit Deum, aut poteſt quidem videre, & vivere: verùm *Chriſtus* in ſinu ejus fuit, vidit, & revelavit. *Moſes* orat, ut *viam* Dei cognoſcat; Deus autem ſuam ei pollicetur præſentiam, *verſ.* 13, 14. Orat rurſus ut gloriam ejus ſpectet: reſpondit autem Deus ſuam ei *bonitatem* ſe oſtenſurum, *verſ.* 18, 19. plus verò Dei non vidit, quantum autem vidit ille, vidit alius nemo, præter unigenitum Filium qui eſt in ſinu Patris. Locus hic ad *Moſis* hiſtoriam divinitùs alludit: nam quòd ad *præſentiam Dei* ſpectat, Euangeliſtâ loquente, *commoratus eſt inter nos.* Quòd verò ad gloriam ejus attinet, idem dicit, *nos ſpectavimus.* Quantum autem ad *bonitatem*, aſſerit idem, quòd *plenus erat gratiæ & veritatis*, verſ. 14. Verùm tametſi nemo unquam vidit Deum, *Chriſtus* tamen ejus imago, Diſcipulis ſuis repræſentavit cum gloria, Filio Dei unigenito haud indignâ, ipſe etiam in Euangelii doctrina, quæ eſt *gratiæ & veritatis plena*, palàm narravit.

Ille nobis expoſuit.] Ex hac clauſula patet, Euangeliſtæ conſilium hoc in loco fuiſſe loqui de doctrina ac declaratione Dei, Chriſti & Euangelii, atque de omnium ſimul per mundum præconio. Loquitur enim de hujuſmodi præconio à *Joanne* facto, *verſ.* 15. ac rurſum *verſ.* 19. loquitur etiam de præconio à *Moſe* facto, *verſ.* 17. de alio adhæc à *Chriſto* facto, *verſ.* 18. Idcirco autem neceſſe eſt, ut & à conſilio Euangeliſtæ ſimul, & à ſcopo loci aberret, qui verſum decimum ſextum aliter interpretatur, de gratia ſcil. remiſſionis & ſanctificationis accipiendâ: hinc autem inductus, meam interpretationem appoſui, quippe quòd clariſſimè vidi, Euangeliſtam per totum contextum de teſtibus, de promulgatione ac prædicatione *Chriſti* & *Euangelii* conſultò locutum.

JOANN. CAP. I. VERS. 19.

VERS. 19. *Miſerunt Judæi Sacerdotes & Levitas.*

Baptiſmus & Miniſterium *Joannis* tenorem habuerunt à Legis tenore tam diverſum, ſicuti nuper indicavimus, (nimirum quòd cùm Lex *opera præſtanda*, *Joannes reſipiſcentiam* agendam, doceret; & cùm Baptiſmus id hactenus fuiſſet, quo Ethnici Judaicæ religioni erant initiati, idem tamen nunc eſſet, quo ipſi Judæi in novam religionem ſunt recepti) ut mirandum non ſit, ſi illi ad quos attinebat hujuſmodi de rebus inquirere, ſoliciti admodum erant, nec minùs curioſi in *Joannis* authoritate conſilioque exquirendis. Quin mirandum potiùs eſt, illum illorum moleſtiis atque examine huc uſque caruiſſe. Nunc enim octo dilapſi erant menſes, quod *Joannes* Miniſterium hoc primus iniiſſet: ex iis autem bis tres in *Judæa*, natali Judaici nominis Gente, conſumpſerat, atque nullam tamen quod ſcimus, hactenus moviſſent cum eo contentionem. Quænam verò eſſet pacis hujus adeo diutinæ cauſa, operæ pretium haud erit inquirere: cæterum non poſſumus non fateri, cauſam ejus in eo fundari præcipuam, quòd Deo ita procurante, Miniſterium ejus procederet imperturbatum, uſque dum *Chriſtus* idem munus ſuſcepturus prodiret, quod quidem fecit die ab hac diſceptatione poſtero. Hoc autem pacto fit, ut Euangelio nulla in ortu ſuo obviam irent impedimenta, nec non tacente *Chriſto Joannes* imperturbatus prædicaret; attamen cùm *Joannes* injuriis hominum vexaretur, tunc *Chriſtus* ad munus paratus, præconium capeſſeret.

Prophetam judicare, licitum erat ſoli *Synedrio Hieroſolymæ* conſtituto. Ita aſſerit traditio *Talmudica* in Tractatu *Sanhedr. Perek.* 1. *Nec Tribum, nec Pſeudo-Prophetam, nec Pontificem maximum judicant, niſi in Synedrio ubi LXXI. conveniunt.* Hanc autem legem ſuam & praxin ſpectant verba illa *Chriſti*, *Luc.* 13: 33. *Non contingit ut Propheta pereat extra Hieruſalem*: quoniam de capite Prophetæ licitum non erat judicium alibi ferre.

Legatos hos ad *Joannem* miſit hocce Concilium, ad inquirendum tum de eo, tum de authoritate ejus: ſic autem verbum *Judæi* hoc in verſu intelligendum eſt, nempe pro corpore Judæorum in magno Concilio repræſentativo. Ac miſerunt *Sacerdotes*, *Levitaſque* ad ſciſcitandum ab eo, ut qui ſummam habuerunt Legis cogni-

JOANN. CAP. I. VERS. 20, 21.

tionem & peritiam, proindeque aptiſſimi erant qui ab eo ſciſcitarentur, & diſputando & colloquendo cum eo in animum ejus penetrarent, ſecundùm id *Malach.* 2: 7. *Labia Sacerdotis obſervarent ſcientiam, & Lex quæreretur ex ore ipſius.*

VERS. 20. *Et profeſſus eſt ſe non eſſe Chriſtum illum.*

Nihil patet à textu, quòd de eo unquam quærebant, *Chriſtus eſſet, nec ne.* Illam tamen quæſtionem primùm ſolvit: partim, quoniam univerſa undique natio putavit, in propinquo jam tunc fuiſſe tempus adventûs *Chriſti*, *Luc.* 2: 26, 38. & 19: 11. & 24: 31. *Joann.* 4: 25. &c. partim autem, quia celebre *Joannis* nomen fecerat, inter populum ut eſſet in quæſtione, utrùm *Chriſtus* erat, an non, *Luc.* 3: 15.

VERS. 21. *Tune es Elias.*

Quamprimùm dixiſſet *Meſſiam* illum ſe non eſſe, interrogant ſtatim, anne es *Elias*, *Meſſiæ* præcurſor? Corporeum enim præcurſoris, æquè ac *Chriſti*, adventum expectabant. Opiniones eorum de adventu Eliæ primo, & quem eum tùm fuiſſe putabant; & opiniones quoque de ſecundo ejus adventu, & quid ab eo poſtea ſperant, memorare abs re non erit: ſic autem referunt Authores Judaici.

Nonnulli, inquit Levi Gerſomus, *ex Rabbinis noſtris B. memoriæ aſſeruerunt, quòd unus idemque fuerunt Elias & Phineas; idque propterea quòd analogiæ quidpiam inter illos deprehendebant. En autem eſt in Lege ſcriptum, quòd fœdere ſuo pacis donavit eum Benedictus Deus. Meum autem*, inquit Propheta, *vitæ paciſque fœdus adfuit ei. Atque hinc vero eſt ſimile, quòd admirabili dierum longitudine Phineam adornavit Deus. Porrò verò Sacerdotem illum fuiſſe invenimus in tempore Concubinæ Gibhæ. In tempore autem Davidis ſcriptum ſic legimus, Quum Pinchas filius Elhazaris anteceſſor præeſſet olim eis, cui Jehova adfuerat*, 1 Paralip. 9: 20. *Is etiam Angelus ille fuit, qui Gedeoni & Jephthaco apparuit. Spiritus autem Domini eum tanquam ſi Angelus fuiſſet, geſtavit; quod de Elia ſimiliter legimus. Ideo autem dictum eſt, Lex quæretur ex ore ipſius, quia Angelus eſt Domini: ideo autem dicit olim, cui Jehova adfuerat. Et inſuper Elias Domino alicubi dicens, Accipe nunc Jehova animam meam, non enim ſum melior majoribus meis: quod idem ſonat ac ſi dixiſſet, Vita mihi in terris futura non eſt ſempiterna, ſed pro ſtatu hominum finita, ut qui melior non ſum majoribus meis. Invenimus quoque mortuum non fuiſſe, poſteaquam erat ab* Eliſæo *ſublevatus: advenit enim poſtea ſcriptura Eliæ ad Jehoram, Jehoſchaphati filium, cujus fit mentio in libro Chronicorum.* Sic *Ralbag.* in 1 *Reg.* 17. Sic autem *Eliam* & *Phineam* unum eundemque fuiſſe hominem imaginabantur Judæi.

JOANN. CAP. I. VERS. 21.

Quid autem putabant Rabbini ſuper eximia *Eliæ*, cùm in vivis erat, in re Prophetica excellentia, oſtendit *R. Sam. Lanjado* in 2 *Reg.* 2. Commentarius. *Elias*, inquit ille, *tanto erat vaticinandi dono imbutus, ut ejus ope vaticinati ſint ex filiis Prophetarum haud pauci. Dicunt noſtri B. memoriæ Sapientes, quòd, Eliâ nondum ſubducto, Spiritus Sanctus Iſraëli conſuevit, prout dictum eſt, Filii Prophetarum Bethele agentes Eliſæo dixerunt, Dominum tuum Deus à te hodie aſſumet. Euntes conſtiterunt è regione procul, & per Jordanem tranſiverunt: fortean quoniam erant oppidò pauci, ſenſus aſtruit quòd quinquaginta erant è filiis Prophetarum viri, forſan verò privati. In textu eſt, Dominus tuus: Dominus, non noſter, ſed tuus; indicans nempe Sapientes fuiſſe Eliæ haud abſimiles. Ut aſſumptus erat* (נגנז Hebr.) *Elias, Spiritus Sanctus ab iis poſtea diſceſſit, quemadmodum legimus, Et dixerunt ei, Ecce jam ſunt cum ſervis tuis quinquaginta homines ſtrenui, eant, ut quærant Dominum tuum*, &c.

Quantum autem attinet ad diſceſſum *Eliæ*, atque ejus pòſt ſtatum; Auctor idem paucis interjectis, nationis ſuæ opinionem hujuſmodi verbis exhibet. *Egomet fidem habeo noſtris B. memoriæ Sapientibus, Eliam turbine fuiſſe in cœlum, hoc eſt, in aërem, ſubvectum aſſerentibus, atque adeo in Paradiſum terreſtrem à Spiritu Sancto traductum, ubi manet primævo corpore indutus. Quocirca dicunt Eliam nec mortuum, nec in ætherem aſſumptum fuiſſe: dicunt præterea, nonnullos in Schola* בבית המדרש *eum conſpexiſſe; priùs autem, quàm diem illum Domini magnum & formidabilem, adventurum.*

Quod verò ſpectat ad adventum *Eliæ* ante diem Domini, duplicem imaginantur; hunc, inviſibilem; illum, viſibilem. Inviſibili ejus præſentiâ in ſingula Circumciſione ſe frui arbitrantur, ideoque ſellam adornant, in qua, licet nemo quiſpiam videat, ſedere tamen illum ſomniant; prout ſcribitur, *Ecce Angelus fœderis quem optatis, adeſt*, Malach. 3: 1. *Accedet Deus ad Templum ſuum; hic eſt Rex ille, Meſſias, qui*

pariter

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 21.

pariter eſt & Angelus fœderis; vel Angelum vocat fœderis reſpectu ad Eliam. Sic autem dictum eſt, quòd Elias mirâ tenebatur zelotypiâ pro pacto Circumciſionis, quod regnum Ephraim repudiavit: dicit enim, Zelo zelatus ſum pro Domino Deo exercituum, quia filii Iſraël dereliquerunt pactum Domini. Zelatus quidem, inquit, in Settim fuiſti; (Phinees in *Numer.* 25.) *& anne hic quoque pro Circumciſione zelotypiam præfers? Ut vivis tu, pactum Circumciſionis Iſraël nihil exequetur, uſque dum tuis ipſe videris oculis. Hinc ſedile pro Elia honorificum concordes exſtruxerunt, qui Angelus fœderis audit.* Hæc Kimchius in *Malach.* 3: 1.

Hujus rei, & præſentiæ inſuper *Eliæ* in omni Circumciſione expectatæ eruditus Buxtorfius, plenam delineavit hiſtoriam *cap.* 4. libri qui *Synagoga Judaica* inſcribitur.

Die octavo, inquit ille, *manè ad Circumciſionem maturè ſe præparant, & ante omnia quidem duo ſedilia, vel unicum, ſed quod intergeſtâ diſtinctione duorum ſedilium vicem ſupplere poſſit, pulchris tapetibus, & ſericis pulvillis, pro uniuſcujuſque ſcil. facultatibus, ſternunt & inſtruunt. Alterum ſedilium, vel alteram ſedilis partem occupat initiationis præs & arbiter; alterum verò Eliæ paratur. Exiſtimant enim Prophetam Eliam ſimul cum puero ingredi, & in altera ſella ſedere, ut obſervet, an Circumciſionis fœdus ritè adminiſtretur, prout ſcribitur, Ecce Angelus fœderis quem optatis, adeſt,* Malach. 3: 1. *Quum ſellam illam Eliæ deſtinant & ſternunt, clarâ voce & verbis expreſſis dicere oportet, Hæc eſt ſella Prophetæ Eliæ. Sedile illius, niſi triduo exacto, loco ſuo non movetur. Factum eſt aliquando, ut opulentus quidam Judæus filium Ratiſbonæ vellet circumcidere, & Rabbi Judam, cui Pio cognomen erat, in ſuſceptorem eligeret, qui obſervabat Eliam Circumciſioni non interfuiſſe: ideo autem non interfuit, quia prævidit fore, ut puer iſte à fide Judaica ad Chriſtianam aliquando deficeret. Sunt etiam qui puerulum & ante & poſt Circumciſionem, Eliæ Prophetæ pulvillo aliquantiſper imponant, ut illum Elias tangat, eique benedicat.* Sic ille, & fuſiùs de hac re. In *capite* autem *decimo octavo* libri ejuſdem oſtendit, quomodo expectant Judæi, ut Elias nulli non Paſchate præſens viſibiliter adeſſet; in quibus celebrandis moris eſt, ſequentibus hiſce diris & imprecationibus Gentes omnes quæ Judææ non ſunt, maledicere: *Effunde iram tuam in Gentes quæ te non noverunt, & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt. Effunde ſuper eos iram tuam, & furor iræ tuæ comprehendat eos,* &c. Sic ait paterfamilias ſcyphum vini manu accipiens. Interea currit aliquis, ædiumque fores latiſſimè reſerat, ad teſtandum, quòd ſecuri ſint Deo confiſi, & ſperent Prophetam *Eliam* illicò adventurum, atque *Meſſiæ* adventum annunciaturum. Hinc etiam aliquando fit, ut ſimul ac fores reſerantur, & diræ iſtæ recitantur, præſtò ſit aliquis, qui in candido linteo, vel aliis veſtibus, in cœnaculum clanculùm irrepat, ut pueruli credant *Eliam* adeſſe, qui lumbifragio Chriſtianos ſit multaturus.

Porrò, in *capite decimo ſexto* narrat, Judæos die quoque Sabbati, in nocturnis ſuis cantionibus multam iteratamque *Prophetæ Eliæ* mentionem injicere. Quum ergo Sabbatum præterierit, orant, cùm finitum nunc ſit Sabbatum, ut veniat, & læto euangelio de *Meſſiæ* adventu exhilararet. Sapientiſſimi quoque Rabbini docuerunt, *Prophetam Eliam* ſub arbore vitæ in Paradiſo ſedere, & Judæorum merita, bonaque opera, quibus Sabbatum diligenter obſervarunt, in commentarios referre.

Vereor ne lectoris patientiâ nimiùm abutar næniis hiſce, nugiſque recenſendis, in quibus profectò colligendis multus fui, eò quòd in votis habui, vehementem pariter ac inſulſam Judaïcæ nationis expectationem hac de re monſtrare. Rogandus tamen porrò eſt, ne novum tædium creent iſta quæ ex Authoribus Judaicis decerpta, hîc ſubnecto; ſiquidem unâ operâ velim eorum tum doctrinam, tum opinionem de adventu *Eliæ*, cujus mentionem ſubinde faciunt Euangeliſtæ, ita ventilare, ut futurum nullum nobis faceſſant negotium. Itaque,

Quantum attinet ad ſecundum *Eliæ* adventum ante diem Domini; viſibilem & corporeum fore ſomniant, geſtorum grandium *Eliam* authorem futurum reputantes. Diſcipuli ut probè norunt, ita ſunt & loquuti ſententiam nationis vulgatam; quum, Servatore noſtro de ſua ipſius reſurrectione verba faciente, interrogaverunt eum, dicentes, *Cur igitur Scribæ dicunt, quòd Eliam oporteat priùs venire?* Matth. 17: 10.

Hujuſmodi aſſertionibus ſcatent Authores Rabbinici.

Quatuor fabri in Zacharia ſunt, inquit *Rabbi Simeon, Meſſias ben David, Meſſias ben Joſeph, Elias, & Sacerdos juſtitiæ.* Vide *Kimchium* in *Zachar.* 1.

Tria, inquit *Rabbi Tanch. in Iſraële reſtituet Elias, urnam mannæ* ſcil. *ampullam olei unctionis, & ampullam aquæ, & (ut*

JOANN. CAP. I. VERS. 21.

dicunt nonnulli) Aaronis virgam ſimul cum floribus & amygdalis ejus. Vid. *Tanch.* in *Exod.* 1.

Talmudiſtæ in *Erubbim*, *Perek.* 4. de conſpicuo hoc *Eliæ* adventu differentes, nec non in tempus inquirentes, ſic concludunt: nempe quòd pro certo habet *Iſraël*, *Eliam non niſi in veſperâ Sabbati, aut dierum feſtorum, adventurum; veniente autem illo Magno Synedrio acclamabunt Eliam venire*, fol. 43.

Inſuper in Tractatu de Sabbato inſinuatur, quòd de operibus *Eliæ* hoc modo venturi unum erit, ut perdat. *Unuſquiſque verò*, ajunt, *qui ternas die Sabbati epulas ſtudiosè celebraverit, à ternis liberatur vindictis*, ſcil. *à vaſtatione iſta quam inducet Meſſias, ab inferis, atque a bello Gog & Magog. In hoc Tractatu ſcriptum legitur, Recordamini diei*, ſcil. *Sabbati*; *in Prophetia verò* Malach. *Ecce ego miſſurus ſum vobis Eliam Prophetam, antequam veniat dies Jehovæ*, &c. Perek. 16. fol. 118.

Uſitatum autem eſt, nec minùs inſigne inter eos proverbium, quòd alterum ex operibus *Eliæ* olim venturi, erit, ut dubia ſcrupuloſque ſolvat, ac reſecet doctrinarum nodos.

Tenent etiam, quòd ſpuriis conciliabit puritatem, dignos efficiens qui veniant in congregationem, ארזל כי אליהו יטהר הממזרים וישבם בהקלה. Vid. *Kimchium* in *Zach.* 9.

Somniant denique, unum fore de ſeptem Paſtoribus, nec non & octo Primatibus, quorum fit mentio, *Mich.* 5: 5. *Rabbini noſtri interrogant, quinam fuerunt ſeptem Paſtores? David in medio, Seth, Henoch, & Mathuſala à dextra ejus; & Abraham, & Jacob, & Moſes a ſiniſtra. Quinam item octo ſunt Primates? Jeſſe, Saul, Samuel, Amos, Zephanias, Ezechias, Elias, & Meſſias.* Kimchi in *Mich.* 5.

Porrò, corporeus hic adventus eſt, pro quo *Elias Levita* ex imo animo preces effundit, *in Tisbi, in Rad. Tishbi. Elias floruit in diebus Gabaa: utinam ita Deus faxit, ut in noſtro ævo adveniat Elias, & impleatur verſus illius vaticinium, quo legitur, Ecce ego mitto vobis Eliam. Sic orat Author Elias.*

Hi, aliique complures hujuſmodi ſermones in Auctoribus Hebraicis reperiendi, qui vulgatam oſtendunt Judæorum opinionem de adventu *Eliæ* corporeo, adventum *Chriſti* præcurrente, mirari vetant eos, qui obſervabunt Judæos de *Joanne* dubitaſſe, ipſum interrogantes, *Meſſias* fuit, an *Elias*, nec ne? Hoc enim dubium in eorum animos facilè poterant injicere celebre atque efficax Baptiſtæ miniſterium, ingens Sacramenti mutatio, nec non ſevera adeo vitæ auſteritas. Mirum verò eſt, Judaicam iſtam opinionem de adventu *Eliæ*, *Meſſiæ* adventum præcurrente, ita fuiſſe in Chriſtianorum animos tranſlatam, ſub hâc nempe notione, quòd *Elias* veniet ante ſecundum *Chriſti* adventum, ut Chriſtiani haud pauci, æquè ac cæcutientes Judæi, ad literam intelligant de perſonali atque reali adventu. Mirum, inquam, eſt, idque magis, quoniam Salvator noſter jamdudum expoſuit illa Prophetæ verba, *Ecce mitto Eliam*; per *Eliam*, *Joannem Baptiſtam* interpretandum affirmans.

Recenſere omnes, ſeu Antiquos, ſeu Recentiores, qui ſibi perſuaſum habentes, audacter aſſeruerunt, quòd *Henoch* atque *Elias* in corpore conſpicuo ſunt venturi, ut ſe opponant *Antichriſto*, ut Judæos convertant, & in fide *Chriſti* electos conſervent, longum eſſet. Qui tamen velit eorum nomina, conſulat *Bellarmini de Rom. Pontif.* lib. 3. cap. 6. in quo probat *Romanum Pontificem* non eſſe *Antichriſtum*, hâc ratione, quia *Elias* atque *Henoch* nunquam adhuc venerunt ei ſe opponentes: & *Corn. à Lap.* in *Apocal.* 11. ubi aſtruit duos teſtes fuiſſe *Henoch* atque *Eliam*.

Abs re aliquatenus eſſet, hanc controverſiam impræſentiarum ventilare, à lectoris tamen emolumento ſtare fortean poſſit, unum & alterum hac ſuper re penſitare argumentum, quò refelli poteſt futilis iſta opinio.

Primò autem, conſideratu dignum eſt, *quòd dies magnus & horribilis Domini*, ante quem venturum *Eliam* dicitur, in falſum ſenſum torquetur ab iſtis, qui diem extremi judicii ſignificare volunt: ſignificat enim *diem* tantummodo *excidii Hieroſolymæ*, ſicut ex aliis quamplurimis S. Scripturæ locis, in quibus eadem reperitur phraſis, demonſtrari facilè poſſit. In eundem autem incidunt errorem, qui phraſin, *in noviſſimis diebus*, intelligunt de ultimis mundi diebus; quandoquidem ſignificat ultimos ſolùm *Hieroſolymæ* dies.

Secundò, conſideratu dignum porrò eſt, quod duo illi teſtes in *Apocal.* 11. memorati, de quibus tam varia eſt Auctorum ſententia, non *Henoch*, ſed *Moſen* cum *Elia* depingunt & deſcribunt, prout à textu clarè patet: dicit enim clauſum fuiſſe cœlum, aquam in ſanguinem converſam, & plagas per terram graſſatas; quæ omnia cum *Moſe* atque *Elia*, cum alio verò nemine, conveniunt: nullibi enim fit mentio

vel

JOANN. CAP. I. VERS. 21.

vel earundem, vel ejuſmodi rerum ab *Henoch* geſtarum. Qui itaque illo loco inductus corporeum *Eliæ* adventum ſperat ante conſummationem mundi, eàdem fiduciâ expectare poſſit viſibilem *Moſis* adventum.

Tertiò, attendendum quoque eſt, illud de duobus teſtibus vaticinium deſignaſſe, Eccleſiæ conditionem in extremo mundi tempore adumbrare, *cùm Judæi fuerint vocati, nec non in unam ſimul cum Gentibus Ecleſiam congregati:* oſtendit autem, quòd Deus utrumque populum potenti adornabit Miniſterio, à Spiritu Sancto per *Moſen, primum Judæorum,* ac *Eliam, primum Gentilium Miniſtrum & Prophetam,* depicto. Uterque hic populus, & duplex hoc Miniſterium ſunt ſicut *duæ oleæ, duoque candelabra in conſpectu Dei terræ poſita.* Hoc Miniſterium ab *Antichriſto* erit oppugnatum, & ad nihilum penè redactum. Et perinde ac Antichriſtus univerſam jamjam ſolicitavit apoſtaſiam, religionem extinguens, & veritatis præconium ſupprimens, uſque dum in ſeculo noviſſimè exacto refloruit denuò; ita defectionem quoque ad tempus in Eccleſia Judæorum poſt vocationem eorum procurabit, atque adeo tum religio, tum veritas apud eos tantùm non extinguetur, ut *Antichriſtus* ſuam ſibi adimpleat iniquitatis menſuram. Porrò, quemadmodum *Roma* Ethnica *Hieroſolymam* veterem devaſtavit, novam deinde perſequuta: ſic *Antichriſtiana* pòſt facta, & malitiam evomens, primò *Chriſtianam* Eccleſiam, quæ Ethnicis ſolummodo conſtat, ibit peſſundatum, prout in obſcuris Papiſmi temporibus per totum terrarum orbem antehac fecit; dein Eccleſiæ ex Gentibus ſimul & Judæis conflatæ everſionem molietur. Atqui Deus reſtituet, veraque exinde religio, veritatiſque miniſterium Sancti Spiritûs ope reviviſcent.

Hanc eſſe vaticinii nuper *laudati* mentem, modò opportunum eſſet, multis demonſtrari poſſit argumentis: unde conſequitur, falſo fundamento niti iſtorum expectationem, qui autumant *Henoch* atque *Eliam* viſibiliter venturos ad *Antichriſtum* debellandum. Verùm hìc non datur textûs illius diſcutiendi locus.

Es tu Propheta ille?] In quæſtione eſt, emphaticè legendus ſit articulus, nec ne. Sunt qui emphaſin ei addunt, alii qui non. *Verſio Syriaca,* & *Lat. Vulg.* articulum omnino mittentes, tanquam ſi nullus eſſet, legunt, *Propheta es tu?* Sic & Biblii Anglicani margo. At verò alii cum textu Anglicano ſentientes, verba hæc interpretantur, quaſi loquerentur de peculiari aliquo Propheta, qui nec *Chriſtus* erat, nec *Elias,* ſed alius aliquis à prophetia illa deſignatus, *Deuter.* 18: 15. Vid. *Cyrill.* & *Chryſoſt.* &c.

JOANN. CAP. I. VERS. 21, 25.

Quid per hæc verba velint Judæi, conjecturâ augurari durum eſt: nam ſeu Græcam phraſin textûs præſentis ſpectemus, ſeu expoſitionem iſtam, quam Judæi affigunt vaticinio illi *Deuteronomii,* cernendo haud erimus, fortiores ſint eorum rationes qui de Propheta in genere, an eorum qui de particulari aliquo Propheta intelligunt. Cæterùm mihi generalem videtur eſſe locutionem, ac ὁ Προφήτης εἶ σύ; indefinitè vertendum, *Eſne Propheta?* Etenim tunc longum erat quòd prophetia deſiiſſet, ideoque quum *Baptiſtam,* virum dono prophetiæ imbutum vidiſſent, atque ab ipſo certiores eſſent facti, ſe nec *Chriſtum* fuiſſe, nec *Eliam,* quæſtio, quam ſuggerere poſſent aptiſſima, hæc ſubeſſet, eſne alius aliquis Propheta longo intervallo inter nos ſuſcitatus? Cui reſpondet, Minimè, hoc eſt, Non ſum Propheta Vet. Teſtamenti Miniſterio deſtinatus, ſed alterius generis: vel, Non ſum unus ex Prophetis Vet. Teſtamenti à morte redux, quemadmodum *Matth.* 16: 14. habet, ſed Miniſter ab uno ex iſtis Prophetis prædictus, prout *Iſaj.* 40: 3.

Quare ſtrictè interpretandum nego hanc quæſtionem, Eſne Propheta *ille?* in promtu eſt hæc ratio: partim ſcilicet, quoniam articulus ὁ nequit ſemper in deſignationem tam ſtrictam cogi, ac ſi vel rem, vel perſonam aliquam particularem notaret; habet enim utplurimum ſignificationem magis generalem. Præſertim verò, quia in Judaicis Auctoribus nulla, quod ſciam, facta eſt mentio particularis ullius Prophetæ, cujus adventum, perinde ac *Chriſti* atque *Eliæ,* expectabant: me autem judice, illud *Deuter.* 18: 15. ab iis exponitur, non de particulari ulla perſona, verùm de generali Prophetarum ſucceſſione. In confeſſo eſt, quòd *Aben Ezra* de *Joſua*; *Rabb.* autem *Solom.* in *Jerem.* 1. de *Jeremia* intelligit, idque in ſuis, quibus floruerunt, temporibus: ſed de perſona ulla hujuſmodi ſingulari ab iis in temporibus noviſſimis expectata, nulla mihi occurrit mentio, niſi quòd *Sacerdos Juſtitiæ* ſupra laudatus, aut *Meſſias ben Joſeph* Propheta ille vocaretur.

VERS. 25. *Cur ergo baptizas?*

Obſervatu dignum eſt, quòd Judæi nihil interrogabant quid per ſuum velit Baptiſmum,

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 25.

tiſmum, ſed quid baptizabat. De facto ſciſcitari mittunt, ſuper perſona ejus & authoritate ſolliciti. Durante autem toto miniſterii ejus curſu, ne videntur quidem vel unum de fine ac intentione Baptiſmi ejus moviſſe dubium; tantummodò intuebantur eum, & mirabantur, quid baptizabat interrogantes. Hujus autem rei ratio in eo fundatur, quòd Baptiſmi conſuetudo, rituſque in illa natione per centum annos multoties repetitos antea invaluerat. Sicuti autem frequens ac uſitatiſſimus baptizandi mos inter eos per tot annos celebratus in cauſa fuerit, quòd neque admirati ſunt Baptiſmum à *Joanne* collatum, neque quæſtionem ſuper eo vel unam quidem fecere: ita hujus rei conſideratio ingenti poteſt eſſe adjumento iis, qui controverſiam de infantibus baptizandis dirimendam ſuſcipiunt. Qui contra infantum Baptiſmum militant, dicunt probari non poſſe vel mandato, vel exemplo de Sacris Paginis deprompto, cùm tamen utrumque firmat infantum Circumciſionem. Reſpondemus verò, ſi infantum Baptiſmus æquè fuiſſet inauditus, inviſus, novuſque ante *Joannem* adventantem, ac erat Circumciſio, uſque dum Deo viſum eſt *Abrahamo* injungere; tùm dubii nihil eſt, quin Deus vel exemplo probaſſet, vel mandato injunxiſſet, quemadmodum Circumciſionem injunctam novimus. Atqui quandoquidem inter univerſos Judæorum ritus ne unicus quidem extitit vel magis publicus, vel magis notus, quàm ipſe infantum Baptiſmus, qui æquè erat familiaris ac eorundem Circumciſio, ſeu *Joannis* venientis tempus, ſeu multa retrò ſecula ſpectemus; nullo modo conſequitur, quòd exemplum, vel mandatum de infantibus baptizandis definitum & diſertum tam neceſſarium erat veniente *Joanne*, quàm id de Circumciſione ſeu infantum, ſeu aliorum florente *Abrahamo*, ut quæ antequam inſtituerat Deus, ne quidem audita, viſave, quà terra patet, fuiſſet.

Exoratum velim lectorem, ut mecum digrediendo, ſequentia duo capita ex Authoribus Judaicis & Antiquitatibus ſuis probata atque illuſtrata reputaret: fieri enim poteſt, ut cauſæ præſenti multùm lucis ſint allatura. Brimò ſcil. vetus apud Judæos Baptiſmi exercitium & praxin, priuſquam Joannes Baptiſta Euangelii ſuſcipiebat prædicationem. Secundò, communem in iſtis temporibus infantes baptizandi morem & praxin.

Primùm, de antiquitate Baptiſmi, veterique ejuſdem ſub Lege uſu, peritiſſimus rituum Judaicorum Maimonides hoc nobis perhibet teſtimonium, in iſtoc, quem *Iſſure Biah, Perek.* 13. inſcripſit, Tractatu. JOANN. CAP. I. VERS. 25.

Tria ſunt, inquit, *per quæ fœdus cum Deo inivit Iſraël, Circumciſio, Baptiſmus, & Sacrificium.*

Circumciſione uſi ſunt in Ægypto, uti dicitur, Nemo præputiatus edet ex eo. Moſes, Dominus noſter circumcidit eos: nam omnes Circumciſionis fœdus in Ægypto dereliquiſſent, niſi unica Levi Tribus, de qua dictum, Fœdus tuum exequuntur.

Baptiſmo uſi ſunt in eremo ante datam Legem: Jehova enim edixit Moſi, Sanctifices eos hodie, & cras, & lavent veſtimentum ſuum.

Sacrificio quoque uſi ſunt: prout ſcriptum eſt, Et miſit pueros ex filiis Iſraelis, qui obtulerunt holocauſta pro toto Iſraële.

Ita etiam fit in temporis progreſſu. Circumciſio enim, & Baptiſmus, & munus voluntarium requirebatur ab Ethnico quocunque cui erat in votis fœdus inire, ſub alas Divinæ Majeſtatis ſeipſum obtegere, & Legis jugum ſuſcipere. Quòd ſi fœmina eſſet, requirebantur Baptiſmus & oblatio, quemadmodum legimus, ככם כגר, *Sicut vobiſcum res habet, ita quoque cum peregrino. Quomodo habet vobiſcum? Fœdus ſancitur per Circumciſionem, & Baptiſmum, & Munus voluntarium. Sic & peregrini per iſta tria, &c. ſanciunt. Nunc vero, nullis factis oblationibus, Circumciſio & Baptiſma fiunt neceſſaria: poſtquam autem extructa erit domus Sanctuarii, tùm etiam, ut oblatio ab eo afferatur, oportet. Peregrinus qui circumciſus eſt, & non baptizatus; vel baptizatus & præputiatus, non vocatur proſelytus, donec & circumciſus fuerit, & baptizatus.* Hæc *Maimonides.* Huc etiam collimant quæ in *Talmude* legimus *Jebameth Perek.* 4.

Extraneus qui circumciſus eſt, & non baptizatus, inquit *Rabbi Eliezer*, *fit tamen proſelytus: ſic enim de Patribus noſtris circumciſis quidem, minùs vero baptizatis, colligimus.*

Ecce, proſelytus eſt, inquit Rabbi Jehoſhua, qui baptizatus, non autem circumciſus eſt: ſic enim colligimus à virginibus quæ baptizatæ erant & præputiatæ. Ajunt verò Sapientes, Eſtne baptizatus & præputiatus; vel, Eſtne circumciſus, & non baptizatus? Proſelytus minùs eſt, donec tum circumciſus fuerit, tum baptizatus.

Quinetiam *neceſſe eſt*, inquit *Maimonides*, *ut coram viris tribus ſit baptizatus: neque enim in congregationem venire cuiquam licet, proſelytum ſe factum in hoc vel illo conſiſtorio, nec non ab eodem baptizatum dicenti,*

JOANN. CAP. I. VERS. 25.

ti, niſi quòd præſentes adhibuerit rei geſtæ teſtes. Perinde ut proſelytos, ita ſervos Ethnicos circumcidunt, & baptizant. Paulò autem poſt de loco modoque baptizandi verba facit, ingentem numerum proſelytorum, florentibus *Davide* ac *Solomone*, aſcriptorum & baptizatorum coram privatis perſonis indicans, quia minùs viſum eſt *Synedrio* proſelytos tunc temporis, ſicuti aliàs, ſolenniter aſciſcere; ut quod ſuſpicatum eſt, illos vel formidine poteſtatis, vel ſtudio pompæ *Iſraëlis*, tùm quidem florentiſſimi, ductos, in proſelytorum album aſcribi cooptaſſe; concludit nihilominus, *Unumquemque qui & circumciſus erat & baptizatus, tametſi coram perſonis duntaxat privatis, privatoque conſilio, Gentiliſmum tamen abdicaſſe, & Judæum reapſe factum.* Alia non pauca reſtant è Judaicis proferenda Auctoribus, hominibus Baptiſmo noſtro inimicis, (atque hominis inimici teſtimonium eſt valentiſſimum) hæc verò ſufficiant ad oſtendendum Baptiſmum fuiſſe ſub Lege communem, antiquum, & vulgò notum multò ante *Joannis Baptiſtæ* exortum: fuiſſe præterea ſeorſim nonnunquam, conjunctim verò utplurimum cum Circumciſione uſurpatum: unde palàm eſt, quòd Baptiſmus nec novus erat, nec inſolitus, cùm baptizans veniret *Joannes*; quin tam cuique notus, quàm quod notiſſimum. Propterea autem, quantum ad modum & objectum Baptiſmi, nihil opus erat regulis mandatiſque ita definitis & exactis, quaſi ritus fuiſſet tùm primùm auditus. Quid enim injungeret Euangelium hoſce, illaſve Baptiſmo donandos, quum neceſſe erat, ut omnis qui agnoſcit lucem meridianam à ſole profectam, fateatur etiam longè ante natum Euangelium baptizatos fuiſſe viros, fœminas, parvuloſque? Ex eo igitur quod Servator noſter Baptiſmum inſtituit pro Sacramento Euangelii, bifaria hæc emanat obſervatio.

Primò, *quòd Baptiſmum, quem Judæi pro appendice Circumciſionis in uſu habuerunt, in locum ipſius Circumciſionis invexit.* Ita ſimiliter fecit in altero Euchariſtiæ Sacramento: poſtquam enim agnum Paſchalem comediſſent, paterfamilias pro more nationis ſolenni panem fregit, toti conventui dedit, & vini deinde poculum diſtribuit: quinimo *Servator noſter hunc Paſchatis appendicem pro Sacramento Euangelii ordinavit*.

Secundò, quòd Baptiſmum inſtituit ſecundùm uſum nationis ordinarium & frequentem, ideoque omnia ſive regulas, ſive mandata de modo Baptiſmatis celebrandi, de ætate ſexuve perſonarum baptizandarum in ſolidum prætermiſit, quippe quæ adeo nota cerneret, ut neminem laterent.

Nunc verò, quantum ad rem ſecundo loco propoſitam, infantum nempe Baptiſma, quod in maxima apud Chriſtianos verſatur controverſia; ipſa Judæorum teſtimonia palàm faciunt, crebrum extitiſſe, commune ac ordinarium.

In *Talmude Chetuboth, Perek.* 1. hæc reperiuntur verba. *Rab. Hona* ait, *Parvulum baptizant ex inſtituto Conſiſtorii*, קטן מטבילין איתו על דעת בית דין. Cujus loci *expoſitio Hebraica* ſic ſonat, *Si pater ei non fuerit, velit autem mater ut fiat proſelytus, baptizatur actutùm, quia citra circumciſum præputium, & Baptiſmum collatum, proſelytus nullus fit. Oportet autem ut cùm baptizatur, præſto ſint tres, quippe quòd proſelyti cujuſque Baptiſmus coram tribus celebratur teſtibus; quinetiam hi, quorum miniſterio factus eſt proſelytus, pater ejus audiunt.*

Textus *Talmudicus* hoc modo procedit: מאי קמל דזכות הוא לו תכין לאד שלא בפניו: *Quid hinc ediſcimus? Quòd beneficium ei atque privilegium inde oriatur, quantumvis id totus ignoret.* [Ita enim in gloſſa exponuntur verba לא בפניו, *non in os*, hoc eſt, inquit ille, לא מדעתו, *inſciente eo. Parvulus autem non eſt* בר דיעה, *intelligendi capax.*] תניא זכין לאד שלא בפניו אין חבין לאד שלא בפניו: *Traditione accepimus, collata fuiſſe privilegia hominibus eorum prorſus neſciis.* Quum igitur objiciunt adverſarii, infantes non eſſe baptizandos, quoniam Baptiſmi finem nequicquam intelligunt. Reſpondetur, id nullatenus ſequi, propterea quòd *ei conferri poteſt privilegium, qui dignitatem ejus minùs norit.* Atque iſtoc in loco, de quo verba hæc depromuntur, loquuntur *Talmudici ſuper virgine captiva in libertatem aſſertâ, atque in album proſelytorum accitâ, cùm annos nondum quatuor eſſet nata:* ubi quæſtionem inſtituunt de deſponſationibus & dote.

Porrò *Majemonides* in Tractatu *de ſervis*, ſub finem capitis octavi, hunc ſubjungit ſermonem: ושלאל שתקף בגוי קטן או מצא תינוק גוי והטבילו לשם גר הרי הוא גר: *Si Iſraëlita Ethnicum parvulum, ſeu infantem reperiat, & repertum in nomen proſelyti baptizet, ecce proſelytus continuò evadit.* Dicit etiam in Tractatu *Iſſure Biah*, capite nuper laudato, quòd *ſi mulier, dum gravida fuerit, baptizetur, atque in proſelytorum numerum aſcribatur, nihil opus erit infante, cùm natus fuerit, baptizato*; ſin minùs, baptizato opus erit. Ex hiſce aliiſque

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 28.

que quæ proferri queant teſtimoniis conſtat, non adultorum tantummodo Baptiſmum, ſed & infantum quoque in communi fuiſſe uſu, *Joanne* nondum adventante. Oſtendunt inſuper non ſolùm quorſum rogitabant Judæi, (cujus authoritate baptizabat,) quid *velit* per Baptiſmum ſciſcitari mittentes; verùm etiam, cur tam pauca dicit Novum Teſtamentum de Baptiſmi modo objectoque: ideo nimirum, quoniam cùm ipſe Baptiſmus, tum cætera quæque ad ipſum ſpectantia priùs erant quàm optimè nota.

VERS. 28. *In Bethabara trans Jordanem.*

Operam & oleum perdet, quiſquis congeſtum ibit Interpretes omnes ac expoſitores, huic tranſlationi ſuffragantes, *trans Jordanem*; neque enim quiſpiam (quod ſcimus) extitit ſupra *Bezam*, qui hanc voculam *πέραν* alium in ſenſum ſumpſit. At enim, illo interprete, non *trans*, ſed *ſecus Jordanem* legimus hic, ſimiliter atque *Matth.* 4: 15. & 19: 1. idque probabiliter quidem primâ fronte: nihilominus tamen, qui adverbii *πέραν* ſignificationem, ut & hiſtoriam, & hiſtoricum locorum citatorum ſenſum ſedulò inveſtigabit, refutatam ſentiet ex utraque parte Bezæ interpretationem. Primùm enim, tum in Sacris Scripturis, tum in Auctoribus Ethnicis extant affatim prorſus exemplorum, quæ evincunt verbum *πέραν ultra* vel *trans*, minimè verò *juxta* aut *ſecus*, propriè & genuinè vertendum. Laudare ſingula tædium crearet; propterea duo tantùm, quæ ſunt inſtar omnium, recenſebimus, *Matth.* 8: 18. *Joann.* 6: 1, 17, 25. & 18: 1. *Marc.* 4: 35. & 5: 1. &c. ſunt præterea ſexcenta alia de Septuaginta proferenda. Porrò vel impoſſibile foret, vel difficillimum ſaltem, iſtum locum offendere, ubi *πέραν ſecus* ſignificat. Adhæc addendum reſtat, varias eſſe voces ab hac eadem derivatas, ut putà *περάσιμος*, *περάω*, aliæque, quæ *tranſeundi* obtinent ſignificationem.

Perpendatur deinde *Joannis* inter baptizandum progreſſus. In *Judæa* incepit, perrexit autem cis *Jordanem* infra terram *Canaaniticam*, *Matth.* 3: 1. neque pedem ullibi figebat; atque nunc huc, nunc illuc obambulans, Diſcipulos Baptiſmi ergô iter facientes de locis longè diſſitis colligebat, ut planum eſt ex ſequentibus Euangeliſtarum locutionibus: *Venit igitur in omnem regionem circumjacentem Jordani*, *Luc.* 3: 3. *Tunc exivit ad eum tota regio circumjacens Jordani*, Matth. 3: 5. dicit præterea *Lucas*, *baptizatum fuiſſe omnem populum*, priùs quàm Jeſus baptizatus erat, *Luc.* 3: 21. cujus ſenſus genuinus mihi videtur, quòd *Joannes* totum omnino compleverat miniſterium, cui ſex uſque menſes cis *Jordanem* operam navaſſet; nunc igitur migrat in alteram ejuſdem trajecturus regionem.

Tertiò, neceſſe eſt ut à vero ſenſu aberret, qui aſſerit *Joannem ſecus Jordanem* baptizaſſe, ac ſi in ipſo *Jordane*, cùm in *Bethabara* baptizabat, prout concedit ipſe *Beza*.

Quartò, turba dicit *Joanni*, *Rabbi, qui tecum erat πέραν Ἰορδάνε, baptizat*, Cap. 3: 26. Quòd ſi *ſecus Jordanem* redderetur, ſupervacuum penitùs eſſet, eò quòd *Joannes* per totos ſex menſes, quibus baptizabat, alium locum haud vidiſſet. Veriſimile itidem eſt, id erroris à *Beza* proviſum, in cauſa fuiſſe, quòd in iſto commate (refragante certè Græco idiomate) *ad trajectum Jordanis* transferret. Quantum autem attinet ad duos illos locos, quos ad ſenſum ſuum fulciendum trahit, *Matth.* 4: 15. & 19: 1. ſtyli utrinque conciſi occaſione hunc in ſenſum incidiſſe videtur: eſt enim, ſicut olim videbimus, extra dubium, verſum decimum quintum Capitis quarti ſecundùm *Matthæum*, à primo noni Capitis *Iſaiæ* citatum, ad 2 *Reg.* 15: 29. alludere: jam verò textus noviſſimè citatus indicat manifeſtò, Iſraëlitas in utraque *Jordanis* regione graviſſimis afflictos fuiſſe miſeriis, ad quas alludens *Iſajas*, paucis quidem abſolvit, pro more S. Scripturæ de re ſatis nota loquentis. Porrò quod ad id *Matthæi* 19: 1. ſpectat, ex harmonia Euangeliſtarum contexta palàm erit, Jeſum tùm temporis *Jordanem* revera trajeciſſe, uti videre eſt, *Joann.* 10: 40. & 11: 17. ubi ad hanc hiſtoriam refert Euangeliſta: verùm *Matthæus* ac *Marcus* hiſtoriam breviùs enarravere, quàm ut poſſit dilucidè ab eo concipi, qui reciproco utriuſque ſubſidio nixus, non ulteriùs quærit: nam illi dicunt tantùm ſic, *Seceſſit è Galilæa, atque venit in fines Judææ trans Jordanem*; cùm tamen hic ſit ſenſus, venit in fines *Judææ*, ac deinde trans *Jordanem*: tanta enim eſt verſiculi iſtius hiſtoria, quanta inter verſus decimum ſeptimi, & quadrageſimum decimi *Joannis* continetur; & quum Euangeliſtæ illi breviter loquentes, dixerunt tantùm, *Venit in fines Judææ*, hiſtoria plena eſſet, Venit *Hieroſolymam*, ac illìc commoratus eſt à *feſto Tabernaculorum* in *Septembre* celebrato, *Joann.* 7: 2, 10. ad *Encænia* uſque in *Decembre*

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 28. *bre* celebranda, *Joann.* 10: 22. Poſthac abiit trans *Jordanem*, *verſ.* 40. quemadmodum proprio in loco, Deo aſpirante, invictiſſimè oſtendetur: unde conſtabit, in utroque textu nuper laudato difficultatem peperiſſe particulæ *&* ellipſin, quâ additâ (rei enim natura veritaſque eam vult intellectam) eximitur è veſtigio dubium, atque ſic ſcriptum legimus, *juxta viam maris ultra Jordanem, & Galilæa Gentium: ac venit in fin timos Judææ, & ultra Jordanem.*

Dubium etiamnum eſt, ubinam loci *trans Jordanem* ſita eſſet *Bethabara.* Nuncupatur utplurimum בירת אבורה, *Domus tranſitus.* Sita eſt autem, vel ubi trajeciſſent *Iſraëlitæ*, cùm ſiccato flumine Chananæam ingrederentur; vel ubi eſt Jordanis trajectus, citro ultroque tranſeuntibus communis, nempe à *Judæa Peream* apud *Jerichuntis* trajectus.

Quantum verò ad primum Bethabaræ ſitum, probabilitate ideo caret, quòd ſpatium tranſitûs *Iſraëlitarum* complurium milliarium erat via, uti in *Lucæ* 3: 21. obſervatum dedimus. Quantum autem ad ſecundum, magnâ veſtitur probabilitate, ſi modò demonſtrando fuerimus, *Chriſtum* Diſcipulo ſque ſuos iter iſthinc inſtituentes, potuiſſe feſtum *Canæ Galilææ* tertio die celebrare. Hiſce tenebris lucem fœnerat Capitis Sancti *Joannis* decimi verſus quadrageſimus: illic legimus, abiiſſe rurſus *Jeſum trans Jordanem* in locum ubi *Joannes primum baptizabat*: ex quibus textibus hæc ſuppetunt obſervanda.

I. Quòd *Jeſus* in hac narratione *ultra* (non tantùm *ſecus*) *Jordanem* abiiſſe fertur: Diſcipulis enim ſuis ait, *Joann.* 11: 7. *Eamus in Judæam rurſus*, quum tamen in *Judæa* jam tunc fuiſſet, niſi quòd *Jordanem* anteà trajeciſſet.

II. Quòd migravit ad locum, *ubi Joannes primùm baptizabat*, hoc eſt, ubi primùm baptizabat *trans Jordanem*; & hic locus dicitur *Bethabara.*

III. Quòd apud *Jerichuntis* trajectus *Jordanem* tranſiit: perrexit enim in via communi, quæ, *Heroſolymis* orta, *Peream* ducit; vel pro certo ſaltem habemus, per iſtum trajectum ipſum rediiſſe: comparetur *Luc.* 18: 31. cum 35.

IV. Quòd *Bethabara* non erat ad iſtum *Jordanis* trajectum ſita, verùm ad locum alium remotiorem: etenim qui cæteros conſulet Euangeliſtas de hac itineris ejus trans *Jordanem* hiſtoria, deprehendet ſtatim, ipſum nonnulla ultra fluvium feciſſe itinera, quemadmodum *Marc.* 10: 17. dicitur, *Et quum exiret in viam, accurrit quidam* dum erat trans *Jordanem.* JOANN. CAP. I. VERS. 28.

Falſa itaque non poteſt non eſſe *Hieronymi* ſententia, eò quòd aſſerit *Bethabaram* fuiſſe ædificia ad *Jerichuntis* trajectum extructa, quæ in utroque *Jordanis* tractu ſibi è regione invicem reſpondentia, ripam hinc, illinc utramque exornant. Etenim vera ſi eſſet, qui fieri poterat ut *Chriſtus*, poſtquam *Jordanem* ibidem loci tranſmiſiſſet, iter de novo inſtitueret *Bethabaram* ſolummodò petiturus? Cæterùm, me judice, idem hic locus ex adverſo *Galilææ* erat ſitus, haud paulò propiùs ad aquilonares *Jordanis* partes: *Chriſtus* autem trajectum *Jerichuntis* tranſmittens, atque ſiniſtroſum deflectens, oram multorum miliarium legebat antequàm *Bethabaram* contigit. Egomet inſuper exiſtimo, iſtum locum *Bethabaram*, vel *Domum trajectus* fuiſſe vocatum, non quia tranſitus erat *Jordanis*, ex adverſo *Jerichuntis* ſitus; ſed quia tranſitus erat in extrema ripa lacûs *Geneſaritici*, è regione *Galilææ* collocati.

Ratio hujus ſententiæ meæ trifaria prodit.

I. Quoniam *Joannes* tempus bene longum in *Judæa* conſumpſerat, in locis *Jordani* finitimis, atque proſelytos quos potuit cunque omnes confecerat, adeo ut minùs videatur operæ pretium, novos quærendi gratia flumen trajicere in locum alteri tam propinquum; neque enim fluvii latitudo viginti trigintave ulnas exceſſit: atqui ſi concedamus, quadraginta fuiſſe, aut (quod contendit *Baal Baleurim in Numer.* 10.) quinquaginta ulnas latum, tamen nihil putandum eſt ſuperfuiſſe ex altera ejuſdem parte eos, quos in proſelytorum numerum collegiſſe poterat, quandoquidem totam æſtatem in *Judæa* conſumpſerat, ubi, trajecto tantùm flumine, ſi vellent modò, inveniſſe ipſum in promptu erat, in æſtivo præſertim tempore, cùm trajectu facillimæ paterent *Jordanis* aquæ.

II. Quoniam *Chriſtus* à *Bethabara* iter inſtituens, triduo longè citiùs *Cana* advenit. Primâ nocte *Capernaum* attigit habitationis ſuæ civitatem, *verſ.* 39. ut ibi oſtendetur. Confectum autem fuit iſtius diei iter ſole ab occaſu duabus horis adhuc diſtante; quod quidem impoſſibile omninò fuiſſet, ſi iter ſuum à *Jerichuntis* trajectu inſtituiſſet: niſi quod miraculi ope ſubvectus, viam fefelliſſet; quod quidem ſcimus neutiquam feciſſe.

III. Quòd *Joannes* hoc tempore prope *Galilæam* baptizabat, magnopere ſuadet

JOANN. CAP. I. VERS. 29.

det id quod *Petrus* & *Andreas*, ambo *Galilæi*, ſocii ejus eſſent.

VERS. 29. *Ecce Agnus ille Dei.*

Nunc primùm *Joannes Chriſtum* perſonaliter deſignat, aut populo demonſtrat quòd *Hic eſt ille*. Hactenus quidem fuerat de eo locutus, teſtatuſque perpetuò, coram omnibus ut baptizarentur ab eo venientibus, ſeu ante, ſeu poſt *Chriſti* Baptiſmum; nunquam verò antea potuit indicare, quis eſſet de quo tot tamque honorifica prædicabat. Quando *Chriſtus* ut baptizaretur venit, haud citiùs deſcenderat ſuper ipſum Spiritus Sanctus, quàm in deſertum abreptus erat: honorificum autem hoc teſtimonium de eo tunc temporis emittit *Joannes*, *Hic eſt ille de quo dixi*, &c. Tum verò populus, quis eſſet, obſervando non erat, abierat enim è conſpectu; ex quo uſque nunc, quum ſe denuò primùm oſtendit hominibus, cum feris in eremo verſatus fuerat: nunc itaque commodum eſt ac neceſſarium, ut illum demonſtret *Joannes*.

Titulus, quo eum adornat *Joannes*, *Agnum Dei* vocans, ad ſacrificii quotidiani agnum planiſſimè reſpicit: ſic autem vocatur, ex ſtylo ac phraſi, quibus res Deo dicatas exprimere amabant, communibus; ſicut, *Panis Dei*, Levit. 21: 21. *Nox Jehovæ*, Exod. 12:42. *Nazaræus Dei*, Judic. 13: 5. *Lucerna Dei*, 1 Sam. 3: 3. Præterea agnus ille adeo familiaris, adeo frequens ac conſpicua erat *Chriſti* prælectio ac figura, (& prima ſanè erat, quam novit quiſpiam à jacto mundi fundamento, *Apoc.* 13: 8.) ut vix & ne vix quidem inveniſſe potuerit *Joannes* epitheton ad illum deſignandum aptius eo, quod de agno matutino, veſpertinoque *Hieroſolymis* oblato deſumebat. Nam præterea I. *Joannes* rem nuper habuiſſet cum *Sacerdotibus* ac *Levitis*, qui verſabantur præcipuè in agno illo præparando. Porrò autem II. hæc loquutus eſt *Joannes* die ſecundo inter horas tertiam & quartam pomeridianas, inſtante jam ſacrificii faciendi tempore, *verſ.* 39. Adhæc III. innocentiam & puritatem *Chriſti* eo exhibuit agnus, quòd labe nullâ depravatus extabat; atque ſuâ, mortem quoque *Chriſti* depinxit. *Σημαίνει τὸ πάθος διὰ τοῦ ἀμνοῦ προσφορίας*, *Ignat. Mart. Epiſt. ad Tarſenſes.* IV. Epitheton hoc *Chriſto*, in publicum jam nunc prodeunti, affigere, ad præconium, doctrinamque *Joannis* priorem, erat quàm maximè appoſitum: etenim de *peccatorum remiſſione* verba jugiter feciſſet, *remiſſionem* uſque prædicans omnibus Baptiſmi deſiderio ad ipſum adductis, *Marc.* 1: 4. Hæc autem erat doctrina iis, qui ſuâ ipſorum juſtitiâ, legalique obedientiâ nixi fuerant, nihil conſona: ideoque *Chriſtus* quum primùm apparuit, depromptâ de agno quotidiano, in cujus caput confitentium peccata fuerant impoſita, alluſione, unde vera ſit peccatorum remiſſio demonſtrat; nempe per ſacrificium *Chriſti*, *Agni illius Dei*, qui *mundi peccata* reverà ſuſtineret, tolleretque, prout alter ille *Judæorum peccata* figuratè tollebat.

JOANN. CAP. I. VERS. 31, 39.

VERS. 31. *At ego non noveram eum.*

Explicatam hanc clauſulam vide ſis in Notis meis in *Matth.* 3: 14.

Sed ut manifeſtus fiat Iſraëli, propterea veni ego baptizans.] Baptiſmus *Joannis* ad *Chriſti* patefactionem duobus præſertim modis ſpectabat. Primò, quoniam tum Miniſterii ejus, tum Baptiſmi novitas univerſum populum coëgit in utriuſque indagationem. Quamvis enim Baptiſmus ejus, quantum ad modum ejuſdem, Baptiſmo Judæis tam probè cognito congruus erat, quemadmodum ſuperiùs inſinuavi; nihilominus tamen doctrina, & finis ejuſdem adeo nova extitit, ut tota ſtuduerit natio, quænam ſit ejus ſignificatio, inveſtigare. Secundò autem, *Joannes* tunc temporis edixit *Chriſtum* (quaſi venturum) omnibus, qui ut baptizarentur adventabant.

VERS. 39. *Venerunt, videruntque ubi moraretur.*

Dubium eſt, utrùm verbum *μένει* hóc in loco diverſorium ejus, an domicilium deſignat; quin mihi videtur domicilium potiùs notare, & fuiſſe quoque *Capernaumi* ſitum, ubi & habitabat *Chriſtus*, & civis erat. Quantumvis enim *Nazaræus* erat, quatenus à matre ortum reſpicimus, non parùm tamen eſt probabile de *Capernaumo* fuiſſe, ſi lineam *paternam* expendamus. Nam obſervare eſt,

I. Quòd *Capernaum ſua urbs* appellatur, ut patet ex *Matth.* 9: 1. cum *Marc.* 2: 1. collato.

II. Quòd illîc tributum ſolvit, ut qui eſſet locus, ubi jure exactum novit, *Matth.* 17: 24.

III. Quòd expulſo eo ex *Nazarethâ*, urbe matris, profectus deſcendit *Capernaum*, patris urbem, *Luc.* 4: 31.

IV. Quòd *Capernaum* valdè frequentabat, ibique diu manebat, *Joann.* 2: 11.

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 39, 40.

11. *Luc.* 4: 31. *Joann.* 6: 17. & *Luc.* 10: 15.

V. Quòd & pater ejus, & mater quàm optimè illîc erant noti, *Joann.* 6: 42.

VI. Quòd *Capernaum* in *cœlum* dicitur *exaltata*, propter *Chriſti* in ea frequentiam, atque jus quod ad eum, quà incola erat & civis, habebant.

Quandoquidem verò *Capernaum* adripas *Jordanis* poſita fuit, atque ad extremam lacûs *Gennezareth* partem, *Chriſtus* & qui viæ conſortes erant Diſcipuli, aquam priùs tranſierant, quàm ad iſtum locum obtigerunt, ubi ſemet hunc in lacum effundere incipit *Jordanis* fluvius, nam erant jam trans *Jordanem* ubi baptizabat *Joannes.*

VERS. 40. *Erat Andreas, frater Simonis Petri, unus ex duobus.*

Quis eſſet alter, nec certum eſt, nec determinatur; *Joannes* fortean fuit Euangeliſta, neque tamen de eo, neque de alio quoquam particulari homine ſtatuemus: verùm unum hoc obvium ſe noſtræ dat obſervationi, quòd ſcilicet non *Petrus*, ſed frater *Andreas*, aliuſque *Chriſto* ſe ipſe primus adjunxit Diſcipulus. Atque, quòd primus minimè fuit *Petrus*, optimè profectò eſt, quia *Pontificiorum* jactantiæ bona pars hinc poſſit obtundi.

Invenimus Meſſiam.] Hiſce verbis reſpicit *Andreas*, I. ad expectationem Nationis, quæ *Chriſti* circa hoc tempus adventum tam vehementer expectabat. II. Ad opinionem Nationis, quòd quum venerit *Chriſtus*, nemo cogniturus eſt unde ſit, *Joann.* 7: 27. III. Autem ad ordinarium ac perpetuum *Joannis* teſtimonium, qui in *Chriſto* poſt ſe venturo tam multus erat.

Nomen *Meſſias* ſolùm, ac peculiariter quidem, *Chriſtum* deſignat; quemadmodum hîc, ut & *Cap.* 4: 25. interpretatur Euangeliſta quàm maximè appoſitè. Quantumvis enim vox Hebræa משיח in S. Pagnis *unctum quemcunque* denotet, Græca tamen, Μεσσίας, *Chriſtum* nunquam non ſignificat. Neque enim vocabulum Hebræum משיח ab Auctoribus Hebraïcis, niſi eodem in ſenſu, in hoc autem ſæpiſſimè, uſurpatum legimus; aliquando ſeorſim ſine ullo adjecto, ſæpe ſæpiùs autem ſic מלך המשיח, quod, ſi interpretemur, eſt *Rex Meſſias*, prout abunde ſtatim ſentiet, qui Scriptores Judaïcos primis duntaxat labiis deguſtaverit. In hâc proprietate legitur vocabulum, *Dan.* 9: 25, 26. ſicuti in confeſſo erat apud antiquos Judæos, hodierni licèt eludere conentur. Qui ætate Thalmudicâ floruerunt Judæi, dicunt, *finis Meſſiæ mentionem in libro Cetubbim fuiſſe factam*, hunc locum ſpectantes: quomodo verò ætates poſteræ hunc ſenſum evitant, vide in *R. Saadia*, & *Rab. Solom. in loc.* &c.

JOANN. CAP. I. VERS. 42.

VERS. 42. *Tu es Simon.*

Nomen ei primâ fronte imponit *Chriſtus:* inde autem demonſtrat ſe reverà fuiſſe *Meſſiam*, eò quòd cùm *Simonem*, tum patrem ejus ſic potuit nominatim appellare, etſi cum illis nullam antea habuiſſet conſuetudinem.

Simon, vel, ut *Syrus* reddit, *Simeon*, (nam idem valet utraque, *Actor.* 15: 14.) nomen erat apud Judæos hoc tempore frequentiſſimum, ut *Matth.* 27: 32. *Marc.* 3: 18. *Luc.* 2: 25. *Actor.* 8: 9. & 13: 1. *&c.* in Scholis autem uſitatiſſimum erat, cùm caſus occurrerent ponendi, ut putà, *Reuben à Simeone hoc vel illud mutuò accepit*, &c.

Videntur ipſi Judæi nomen Hebræum *Simeon*, in Græcum *Simon* vertiſſe; nam *Rabbi Simon* apud Auctores Judaicos occurrit.

Filius Jona.] *Syriacè Bar Jona*, *Matth.* 16: 17. *Græcè* verò *Simon Jona* legitur, *Joann.* 21: 15, 16, 17.

Sunt qui nomen hoc mutilum putant; ſcribere enim inquiunt oportere *Joanna.* Huic ſententiæ ſuffragatur *Hieronymus*, *Lat. Vulg.* & *Eraſmus*, *Joann.* 21: 15. illîc ſic ſcribitur in Græco Eraſmi Exemplari, hîc autem ab aliis. At verò quâ ratione facilis hæc, maximèque generalis vox *Jona* (ita enim *Syrus*, *Arabs*, plurima optimaque exemplaria *Græca*, ut & maxima Verſionum pars ſcribunt) rejicitur, aliaque tam altè petita, tam peregrina, quàm eſt *Joanna*, ſubſtituitur, totus adhuc neſcio.

Nullus dubito, quin *Jona* ſit caſus Genitivus τοῦ *Jonas* in LXX. *Jon.* 4: 8. & in Novo Teſtamento, *Matth.* 12: 39. Credo autem difficillimum fore oſtendere, quamobrem pater Petri *Joannas* potiùs, quàm *Jonas*, vocaretur. Apud Doctores Judaïcos in mentione eſt *Rabbi Jona*; unde palàm eſt, nomen illud aliis, atque Prophetæ ſeni fuiſſe inditum. Cur autem homine privato æque ac Doctore donari nequiret, nihil video. Sat ſcio ipſum verbum *Jona Petro* ſic impoſitum ſubmonuiſſe, ut eum cum Propheta ſene comparemus: erant enim utrique Gentium

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 42.

tium præcones, illud itidem muneris *Joppa* utrique abdicârunt. Comparetur *Jon.* 1. cum *Actor.* 10.

Tu vocaberis Cephas.] Nomina in S. Scriptura crebrò mutantur, & in melius ferè, uti *Abram*, illatâ mutatione, *Abraham* vocatur; *Jacobus Iſraël*; *Hoshea Jeƒhua*; & *Solomon Jedidiah*: nonnunquam licèt in deterius, putà *Jerubaal Jeruboſheth*, 2 *Sam.* 11: 22. & *Sychem Sychar*, *Joann.* 4: 5. &c. appellatur.

II. Chriſtus mutavit nomina trium duntaxat Diſcipulorum, *Petri*, *Jacobi*, & *Joannis*, *Marc.* 3: 16, 17. perinde ac Deus in Veteri Teſtamento nomina mutaverat trium ſolummodo virorum, *Abrahami*, *Jacobi*, & *Solomonis*.

III. Nunc verò quantum ad nomen *Cephas* attinet, quo deinceps ornatur *Simon*, 1 *Cor.* 1: 12. & 15: 5. *Gal.* 2: 9. *Syriacum* eſt, adjectivum factum, idque *Græcum* literâ *s* in fine additâ.

Ceph nonnunquam uſurpatur quidem in Textu *Hebræo*, ut *Jerem.* 4: 29. *Job.* 30: 6. verùm *Cepha Chaldaïci* idiomatis habet ſonum, ac ſæpenumerò uſurpatur à Commentatoribus, idque utplurimum ad vocem Hebr. סלע exprimendam, ut in *Michol* notat *D. Kimchi*, ut & obſervare eſt in *Numer.* 20: 8, 10, 11. *Judic.* 20: 45, 47. & 21: 13. 1 *Sam.* 23: 28. aliiſque locis non paucis: deſignatur etiam interdum ad vocem לשון exprimendam, cùm nempè *promontorium* ſignificat, ut *Joſ.* 15: 2. הלשון הפנה נגבה. Verſio *Chaldaïca* habet, כיפא דמתפנו לדרומא: ſignificans, inquit *Kimchi* in loc. *extremitatem rupis* in Auſtrum vergentis. Atqui facilè conſtat, vocabula *Ceph* & *Cepha* rupem denotare, in ſignificatione maximè propria & ordinaria: ſed in hoc ponitur dubium, utrùm ſcilicet *Cephas* & *Cepha* in eadem prorſus ſignificatione conſentiunt, atque adeo utrùm litera *s* in fine addita, ſonum tantummodo, non autem ſenſum, mutet.

Nomen *Cephas* mihi videtur adjectivè ſignificare, adeoque non *petra*, ſed *petroſus*, vertendum cenſeo. Hæc autem ſententia mea ſequentibus nititur rationibus, argumentiſque.

Primò, quoniam non *Cepha*, ſed *Cephas*, ſcribitur: quamvis enim in Novo Teſtamento ordinarium ſit, literam *s* fini dictionum apponere, ut Græcæ illis donetur pronunciationis ſonus, cujuſmodi ſunt *Ezechias*, *Manaſſes*, *Meſſias*, *Barnabas*, &c. etiamſi autem id hîc factum duco, tamen nullus exiſtimo id hîc factum eâ ſolùm causâ, quinetiam & graviori alio propoſito, ac intentione: ut

Primò, ad imponendam voci proprii nominis notam, & ad impediendum quominus aliter accipiatur: ſic eâdem ratione hanc notam obtinent *Barnabas*, *Barſabas*, ac *Elymas*.

Secundò, tam ad ſenſum ejus, quàm ad naturam mutandum, atque ad variandum tam à ſignificatione ſubſtantiva ad adjectivam, quàm à nomine appellativo ad proprium. Quemadmodum enim Euangeliſta luculentum facit diſcrimen inter πέτρος, & πέτρα, *Matth.* 16: 18. ut orthodoxi omnes in locum concedunt Expoſitores: ita certè idem nobis faciendum eſt inter *Cephas* & *Cepha*; etenim Salvator noſter *Syriacis* hiſce uſus eſt verbis, cùm ſermonem illum haberet.

Hoc autem nomine advertere oportet vocem πέτρος per totam Scripturam non deſignari ad *rupem*, vel *petram* exprimendam: ad iſtum quidem ſenſum eâ utuntur Scriptores *Ethnici*, Septuaginta verò & Novum Teſtamentum haud unquam. Nunc igitur, ſi conſilium modò fuit Euangeliſtæ, indicare nobis quòd *Cephas* * *petram* denotat, mirandum eſt, ipſum vocabulo πέτρος fuiſſe uſum, cùm nè ſemel quidem iſto in ſenſu per univerſam Scripturam occurrat, vocabulo *petra* rejecto, quod tamen in S. Scriptura bis centies ita ſignificat. Præterea ajunt ex vocabulariis noſtris nonnulla, quòd πέτρα κοινῶς, πέτρος Ἀττικῶς, ſcil. πέτρα communiter rupem ſignificat, vel in Ethnico ſermone Græco; verùm πέτρος ita ex Atticâ tantùm dialecto. Ideoque ego non poſſum non mirari, cùm videam quòd *Petrus* hoc in loco per *Petra* transfertur, ſicut *Beza Latinè*, & *Brucioli Italicè* reddidit; perinde autem in Verſione * Anglicana legitur.

* *Anglicè* a rock.

* *Cephas, which is by interpretation*, a ſtone.

Itaque quò ſenſum atque ſignificationem, quò rationem atque etiam occaſionem collati hujus nominis *Simoni* deprehendamus, particularia hæc reſtant conſideranda.

Primò, quòd *Cephas*, non autem *Cepha*, totidem literis appellavit eum *Chriſtus*, & quòd Diſcipuli eum frequenter ſic vocarunt, *s* finalem ſemper pronunciantes. Opinionem quidem communem à parte contraria ſtare haud ignoro: *Beza* enim dicit in *Matth.* 16: 18. quòd *Dominus Syriacè loquens*, *nullâ uſus eſt agnominatione*, *ſed utrobique dixit Cepha*: & hoc modo Verſio *Syriaca* ubique exprimit.

Notetur verò primùm, quòd quemadmodum

admodum Judæorum Gens nominibus reverà Græcis abundavit, cujuſmodi erat *Andreas*, *Nicodemus*, *Alexander*, &c. ita nomina multa, verè Judaica, in Græcam pronunciationem redegerunt, atque inter ſe invicem ſic pronunciarunt; hujuſmodi ſunt *Theudas*, *Baithus*, aliaque in *Thalmude* reperienda; & *Heraudes* item pro *Herodes* in Verſione *Syriaca*, &c. Nullam autem rationem ſolidam adhuc inveni, neque profectò ullus occurrit Auctor, qui rationem reddit ullam, cur nomen *Cephas* non eſſet ſic uſurpatum inter illa, aliaque nomina *Syriaca* in Novo Teſtamento Græcè ſonantia.

Notetur porrò deinde, quòd quandoquidem nomina appellativa ſermone *Syriaco* in *a* utplurimum terminantur, ut *Aceldama*, *Abba*, *Gabbatha*, *Talitha*, *Actor.* 1: 19. *Gal.* 4: 6. *Joann.* 19: 13. *Marc.* 5: 41. quando in propria hominum ſunt vertenda, id fit *s* fini adjiciendo, ut *Barabbas*, *Elymas*, *Barnabas*, &c nec non ejuſdem generis eſt *Cephas* hoc in loco. Quandoquidem igitur inter Judæos ab appellativis ad propria hæc facta eſt nominum mutatio; cur reſervata non eſſet apud eos litera, ex qua pendebat iſta mutatio? Num Græci ſolummodo nomen *Cephas Simoni* attribuerunt, non etiam Judæi? Præterea, num cæteri *Barnabas*, & *Barabbas* à Græcis fuerunt vocati, ſed à Judæis *Barnaba*, & *Barabba?*

Notetur inſuper tertiò, Græcam LXX. Verſionem Judæis fuiſſe hoc tempore familiariſſimam, nec non Græca quamplurima verba in vulgarem eorum Linguam incidiſſe, ſicut conſtat ex Tranſlatore *Syro*, *Expoſitoribus Chaldaicis*, *Thalmude*, aliiſque antiquiſſimis Judæorum Scriptoribus; unde promptum eſt exiſtimare illos qui totum Vetus Teſtamentum *Græce* legebant, & partim *Græcè*, partim *Syriacè* continuò loquebantur, haud recuſaturos unam ſoni *Græci* literam pronunciare, cùm litera iſta ſolùm & propriè addita erat ad nomen proprium denotandum.

Dicetur verò Novum Teſtamentum ſcribere hæc verba *Ezechias*, *Joſias*, *Jonas*, & ſimilia, cum *s* fini appoſitâ, prout hic ſcribuntur; & nemo tamen homo eſt, qui judicare poteſt, Judæos illa verba ſic pronunciaſſe; quin ſimiliter ac in Veteri ſcripta leguntur Teſtamento, *Ezechiah*, *Joſiah*, *Jonah*. In confeſſo habemus, quòd veriſimile eſt, illos ſic feciſſe; ſed diſcrimen inter illa, & hæc verba, de quibus impræſentiarum agitur, adeo maniſeſtum eſt, ut oſtenſo vix opus erit: nomina illa ex origine erant propria, hæc contrà appellativa in propria mutata: illa literam *s* fini adjunctam habebant, non ut propriorum nominum indicem, ſed ad præſtandum vicem Hebraicæ *H* vel ה, quam, finalis cùm fuerit, Lingua *Græca* effari neſcit; hæc verò *s* finalem conſultò & cogitatò adjectam obtinent, nempe & ad propria nomina conſtituenda, & ad indicandum propria eſſe.

Notetur autem quartò, quî fieri poſſit, ut Diſcipuli verba illa Salvatoris noſtri, *Tu es Petrus*, *& ſuper hanc petram*, *Matth.* 16: 18. in alium ſenſum ſumerent, quàm quo *Petrus* vocari intelligitur petra, ſi *Chriſtus* utroque in loco *Cepha* uſus fuerit: Tu es *Cepha*, & ſuper hanc *Cepham* ædificabo Eccleſiam meam: judicet quiſpiam, cujuſmodi hujus ſententiæ interpretationem eruere poterant ex ejus conſtructione, atque interpretatione, juxta proprietatem & ſeriem verborum. Eſt igitur plus quàm probabile, quòd *Chriſtus* eum vocabat *Cephas*, literam *s* in fine pronuncians; atque quòd literam iſtam non Euangeliſta, ſed ipſe *Chriſtus* addebat; & quòd in ſermone dicto, nomina ipſe ſic diſcriminavit, Tu es *Cephas*, & ſuper hanc *Cepham* ædificabo Eccleſiam meam.

Secundò, ille à Salvatóre noſtro *Cephas*, aut *Petroſus* vocatur, non tam quia ſuper petram ædificatus erat, (ſuper hanc enim cæteri omnes Apoſtoli, præter *Judam*, erant extructi) quàm quia ſpeciale ei navandum incubuit opus, circa id ædificii, quod *Chriſtus* erat ſuper petram fundaturus. Illa enim verba, *ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, Gentilium Eccleſiam, quæ nunc fundari incepit, deſignant; in illo autem ædificio ſpeciale hoc atque ſingulare opus, privilegiumque obtinuit *Petrus*, quòd ipſe Gentilibus Euangelium primus prædicavit, *Actor.* 10. & 15: 7.

Quod eſt, ſi interpreteris, Petrus.] Sic enim exponendum eſt verbum, aliter prorſus atque in Verſione * *Anglicana*. Eadem hæc eſt phraſis illi verſûs prioris haud abſimilis, *Meſſias, quod eſt, ſi exponas, Chriſtus:* item & illi *Actor.* 9: 39. *Thabitha, quod, ſi interpreteris, eſt Dorcas:* ubi Tranſlatores noſtri valdè propriè obſervarunt, ac ſequuti ſunt Euangeliſtarum conſilium, quod quidem eſt, nomina hæc propria in alienas Linguas transferre, non verò contrà propria hæc cum appellativis permutare. Hîc autem illis ita faciendum erat, uti ſanè fecere in margine, etiamſi in Textu aliter *Arabs*, & *Latina Vulgata*, aliique

* *A ſtone.*

 quam-

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 43. 44. quamplurimi juxta ſenſum noſtrum verbo *Petri* verterunt; at verò Syrus hanc clauſulam non omnino transfert.

VERS. 43. *Poſtero die.*

Hunc diem fuiſſe proximum poſt illum, quo *Andreas* atque alter ille Diſcipulus *Jeſum* domum ſunt ſequuti, ponere nequaquam audet *Janſenius*, ſed putat diem fuiſſe proximum ab illo, quo *Chriſtus Simoni* impoſuit nomen *Cephas*. In iſto autem ſcrupulo hæret, propterea quòd die jam in veſperam prono, quum *Jeſus*, atque *Andreas*, atque alter ille Diſcipulus ad locum ubi *Jeſus* habitaret, attingerent, *verſ.* 39. concipere nequit, quomodo *Petrus* & inventus eſſet, & ad Jeſum adductus ante proximum diem; & concedit tamen in contraria ſententia fuiſſe *Epiphanium*. Quandoquidem verò obſervatur *Petrum* fuiſſe *Andreæ* fratrem, & apud *Andream* egiſſe, *Marc* 1: 29. atque cum eo etiam rete jacuiſſe, *Matth.* 4: 18. &c. arduum minùs erit deprehendere, quomodo *Andreas* ſubitò poſſit *Petrum* invenire, atque ad *Jeſum* adducere, licèt ſerâ, eâdem tamen nocte, quâ *Capernaum* pervenerunt: hoc autem nomine dubitandum nihil eſt, quin verba, *poſtero die*, de die proximè ſequenti intelligantur.

VERS. 44. *Bethſaïda.*

Bethſaïda erat vicus juxta lacum *Genneſareth* extructus, quem *Philippus Tetrarcha* in ſpeciem urbis evexit, indito *Juliæ*, *Cæſaris* filiæ, nomine: ita teſtatur *Joſephus*, *Antiquitatum* lib. 18. cap. 3. Κώμην δὲ Βηθσαϊδὰν, πρὸς λίμνῃ δὲ τῇ Γεννησαρίτιδι, πόλεως παρασχὼν ἀξίωμα, πλήθει τε οἰκητόρων, καὶ τῇ ἄλλῃ δυνάμει, Ἰουλίᾳ θυγατρὶ τῇ Καίσαρος ὁμώνυμον ἐκάλεσεν. *Vico etiam Bethſaïda in ripa lacûs Genneſareth urbis ſpeciem addidit, frequentato incolis, & aucto opibus, quem Juliæ, Cæſaris filiæ, cognominem eſſe voluit.*

Bethſaïda domum, vel locum venationis deſignat: videtur autem ita appellari, quippe quòd ibi ſita erat, ubi magna cervarum copia extitit. Atque hunc in ſenſum illa *Jacobi* locutio exponenda eſt, *Geneſ.* 49: 21. *Naphtali* eſt *Cerva emiſſa*, hoc eſt, *Naphtali* abundabit ferinâ, veluti *Aſher* pane atque oleo, *verſ.* 20. & *Juda* vino, *verſ.* 11. vide ſis loca in Originali. *Bethſaïda* inſuper erat vel in Tribu *Napthali* ſita, vel prope ſaltem ab ea, ſicut abibi oſtendetur.

JOANN. CAP. I. VERS. 44. *Civitate Andreæ & Petri.*] *Andreas* ac *Petrus* poſtea demigrantes, *Capernaumi* habitabant, *Marc.* 1: 21, 29. quippe qui *Chriſti*, inibi agentis, eſſent vicini, uti ſuperiùs notatur. Illic autem cenſum pro ſe ſolvit *Petrus*, quemadmodum in proprio loco, *Matth.* 17: 27.

Invenimus illum de quo ſcripſit Moſes in Lege, & Prophetæ, &c.] Quandoquidem *Philippi* ac *Nathanaëlis* in Lege & Prophetis ſtudium jam jam venit inſiſtendum, quod aſſerunt nonnulli hâc locutione ducti; hæc maximè occurrunt in hiſce verbis obſervanda.

I. Quòd totam Veteris Teſtamenti Scripturam complectantur capita hæc duo, *Lex*, & *Prophetæ*. Ita etiam *Matth.* 11: 13. *Luc.* 16: 29. Quantumvis enim Legem duntaxat & Prophetas quolibet die Sabbathi in Synagogis legebant, ut *Actor.* 13: 15. tertia nihilominus Veteris Teſtamenti pars, quæ *Cetubbim*, vel *Hagiographa* vocatur, dedit de *Chriſto* vaticinium, perinde ac cæteræ duæ partes, ideoque hîc includitur. Quis enim ex omnibus Scripturæ libris plures continet de *Chriſto* prophetias, quàm hic *Pſalmorum*? Quis luculentiores, quàm ille *Danielis*? Nihilo tamen ſecius neque hic neque ille in numerum librorum Prophetarum refertur, ſi vulgarem ſpectemus Judæorum in Bibliis ſuis computum, & ordinariam in Synagogis lectionem; ſed tertiam in partem cadunt, quæ nominatim *Cetubbim* ſonat. Idcirco autem quemadmodum nomen *Legis* hoc in loco libros *Moſis* univerſos complectitur, ita *Prophetarum* nomen reliquos omnes Veteris Teſtamenti libros comprehendit. Atque adeo quod in *Pſalmo* dicitur, dictum idà *Propheta* reputatur, *Matth.* 13: 35. Propheta etiam appellatur *Daniel*, *Matth.* 24: 13. ſimiliter & Authores ſingulos librorum qui inſcribuntur *Jobi*, *Eſtheræ*, *Chronicorum*, &c. eodem nomine donare meritò poſſumus. Hinc autem, ſi aliunde nihil, ſatis naſcitur argumenti ad aſſerendam *Solomonis* ſalutem.

II. Quòd *Chriſtus* generale ſit ac præcipuum Legis & Prophetarum argumentum. Atque hîc profectò in campum diſquirendi ingentem deſcendimus, ſi velimus modò oſtenſum dare, quomodo Lex & Prophetæ typis & vaticiniis *Chriſtum* antè prædixerunt: verùm hæc conſideratio, & quæ ad eam ſpectant particularia, in diſcurſûs noſtri ſerie ſubinde occurrent.

III. Quòd cùm dicit *Nathanaël*, *Invenimus illum de quo ſcripſit Moſes in Lege, & Prophetæ, nempe Jeſum ex urbe Nazaretha,*

JOANN. CAP. I. VERS. 46, 47.

retha, minùs innuit, quòd vel *Moſes*, vel *Propheta* cum tam articulatè nominatimque prædixiſſent, quin contingeret, *Jeſum Nazarenum* eundem fuiſſe, de quo tot tantaque ſcripſiſſent, dixiſſent.

Vers. 46. *Ex Nazareth poteſt aliquid boni eſſe?*

Hanc quæſtionem moviſſe videtur *Nathanaël*, ut qui non ad pauperiem tantùm, obſcuritatemque urbis *Nazarethæ* reſpexit, (neque enim ſuggerunt *Prophetæ*, quid boni inde jamdudum proveniſſe, neque probabile dicunt, quid unquam proventurum, quippe quem locum exiſtimant infimum & contemptibilem) quinetiam ad impietatem potiùs, ac nequitiam ejus, quæ tanta erat, ut nihil boni inde ſperandum relinqueret. Urbis autem hujus apparet nequitia, *Luc.* 4: 29. ubi tam impia, tam nequam traditur, ut *Chriſtum*, quamprimùm veniret, occidere ſatagat.

Vers. 47. componatur cum *Jerem.* 9: 4, 5, 6. *Ecce verè Iſraëlita*, &c.

Etſi veri cujuſque hic ſit *Chriſtiani* character, ut *Iſaj.* 65: 8. & perinde ſentiant plerique fere Expoſitores Salvatorem noſtrum talem hîc duntaxat deſignaſſe; innuiſſe nempe, hunc eum eſſe, qui Deo ſincerè obſequitur, qui cordis integritate ipſum colit, atque hunc talem eſſe, qualem requirit Deus verè futurum omnem qui Religionem profitetur. Non ſum tamen deprehendendo, unicum hunc eſſe ac proprium verborum ſenſum, mentemque: cur enim de *Petro*, *Andreâ*, & *Philippo* eadem non eſſent dicta? Erant certè ſinceri atque integri erga Deum; erant certè verè *Iſraëlitæ*, æquè ac *Nathanaël*, abſque dolo, ſine hyprocriſi in re religioſa. Quòd alii invicem alios ad *Chriſtum* perduxerunt, quòd ipſum ſunt ambabus ulnis tam promptè amplexi, hinc conſtat manifeſtò: durus autem eſt, qui putat *Chriſtum* eam *Nathanaëli* attribuiſſe *laudem*, tanquam peculiarem & propriam ejus, quâ quemlibet ex Diſcipulis generaliter potuit ornâſſe. Quando Simoni nomen impoſuit *Petro*, id fecit favoris alicujus ſingularis ſtimulo; ita etiam, quando *Jacobum* & *Joannem Boanerges* vocavit: & nullus dubito, quin *Nathanaëlem* hoc affecerit titulo, propter reſpectum aliquem, ac rationem, quibus ab aliis diſtinguebatur.

Sic igitur *Nathanaëlem* deſcripſiſſe mihi videtur Salvator noſter, ob integritatem

JOANN. CAP. I. VERS. 47, 48.

ejus & juſtitiam in homines magis, quàm in Deum, utraque licèt fuerit in Deum conſpicua. Videtur etiam hunc titulum fuiſſe vulgarem, Nathanaëli à vicinis affinibuſque inditum, propter vitam adeo honeſtam, integram & ſpectabilem, propter commercium cum omnibus adeo exactè juſtum, ut honorificam illam ſibi comparaverit *innocentis Iſraëlitæ* compellationem, ſimiliter ac quidam olim Romanus præcellenti fidelitate *Veriſſimi* cognomen adeptus eſt. Quantum autem judicare poſſum, admodum veriſimile eſt, ingentem illam cognominum varietatem, quâ in Sacris Codicibus homines ornatos cenſemus, (hic enim cognomen obtinet unum, vel duo, ille verò tria, plurave) hinc non rarò fuiſſe profectam, quòd vicini, aut familiares inſignem aliquam in hoc conſpicientes virtutem, præclarum autem quoddam facinus ab illo geſtum reſciſcentes, congruum aliquod impoſuére cognomen: hinc *Gedeon* appellatur *Jerubbaal*, *Judic.* 6: 32. & *Jeruboſheth*, 2 *Sam.* 11: 21. hinc *Shemaja* Pſeudopropheta vocatur *Nehelamaus*, *Jerem.* 29: 31. hinc complures alii alia ſortiuntur cognomina, de quibus & in *S. Scriptura*, & in *Joſephi* Antiquitatibus fit mentio, ſicut in proprio loco obſervabitur. Quandoquidem verò omnibus vicinis ac familiaribus ordinarium eſſet *Nathanaëlem* vocare *Iſraëlitam in quo non erat dolus*, Salvator noſter illum ad ſe accedentem intuitus, ſic itidem compellat; itaque dixit ei *Nathanaël*, Unde me nôſti?

Vers. 48. *Quum eſſes ſubter ficum, videbam te.*

Phraſis hæc videtur reſpicere non ſolùm ad eum quatenus ſubter ficum eſſet, ſed ad rem aliquam privatam, ſecretamque, quam & illîc geſſit, & ad gerendum illîc profectus eſt. Quemadmodum autem Salvator noſter mulieri *Samaritica* perſuadet, ſe eſſe *Meſſiam*, malas ejus actiones, quas ſecretò & in tenebris patrâſſet commemorando; ita & *Nathanaëli*, res quaſdam pias ſuggerendo, quas ſubter ficum ſecretò egit, priuſquam *Philippus* eum vocaret, ut putà orationes forſan, vota, aut aliquid aliud, cujus ipſe ſolus erat conſcius. Hoc autem eò magis videtur id, quod *Chriſtus* deſtinavit, & *Nathanaëlem* convicit, quòd poſſibile erat, ut *Chriſtus*, perinde atque *Philippus*, prope ficum adeſſet, & videret *Nathanaëlem*, tametſi eum *Nathanaël* non pariter conſpiceret; atque ita fortaſſis imaginabatur *Nathanaël*: quando verò

rò

Digitized by Google

JOANN. CAP. I. VERS. 49, 51.

rò ſecretum aliquod, ſubter ficum peractum, in mentem ejus revocaret nominatim, cujus neminem hominum, præter ſeipſum, conſcium eſſe potuiſſe certo certius novit, tum dixit, *Tu es filius Dei,* &c.

VERS. 49. *Tu es ille Filius Dei, Tu es ille Rex Iſraël.*

Hic alludit ad 2 *Sam.* 7: 14. *Pſalm.* 2: 6, 7. & *Pſalm.* 89: 26, 27. ubi Deus dicitur Filium ſuum unigenitum præfeciſſe *Zioni* monti ſanctitatis ſuæ, & throno *Davidis*, ut regnaret in *domo Jacobi in æternum*, Luc. 1: 33.

VERS. 51. *Amen, Amen, dico vobis.*

Græcè legitur ἀμὴν, ἀμὴν. Enimverò quia hic loquendi mos in ſermonibus Salvatoris noſtri per totum Euangelium frequentiſſimus eſt, verbo *amen* ſeorſim aliquoties poſito, uti in cæteris Euangeliſtis, repetito vero ſemper in *Joanne*, *amen, amen* dicente; & quia ſecundum Harmoniam noſtram, ordinem & methodum hic primus eſt locus quo verbum occurrit, abs re non erit hoc in loco plenè in ejus ſenſum inquirere, atque duo hæc particularia de eo conſiderare. I. Quid Salvator noſter per hoc verbum *amen*, quod toties uſurpat, propriè intelligit & deſignat. Et II. cur, cùm cæteri tres ſeorſum ſemper utuntur, *Joannes* tamen *Euangeliſta* jugiter repetit.

I. Quod ad primum attinet, obſervandum eſt, (quod neminem tamen quemquam latet) vocem *amen* Hebræam eſſe, in Veteri Teſtamento ſæpiſſimè uſurpatam: ſed & hoc quoque advertendum eſt, (quod forſan multi minùs expendunt) in Vet. Teſtamento nunquam (excepto tantùm *Iſaj.* 65: 16. de quo poſtea) niſi more voti, vel orationis uſurpatam eſſe, ut cùm ſeorſim invenitur, putà *Deuter.* 27. ubi duodecies legitur, & à Septuaginta Interpretibus γένοιτο transfertur, 1 *Reg.* 1: 36. Septuaginta vertunt γένοιτο οὕτως, *Nehem.* 5: 13. *Jerem.* 28: 6. *Pſalm.* 106: 48. &c. vel cùm repetitur, ut *Numer.* 5: 22. *Pſalm.* 41: 13. & 72: 19. & 89: 52. ubi Septuaginta reddunt γένοιτο, γένοιτο, *fiat, fiat.* In omnibus hiſce locis vel orationis, vel imprecationis more uſurpatur, juxta rem ſubſtratam, cui attribuitur; prout *David Kimchi* in *Michol* exprimit, in radice אמן. *Dictum eſt*, inquit, על דרך תפלה או רוא על דרך קבלה שקבלו על עצמם קללה אם יעברו: *vel per viam orationis, vel per viam incepti, utpote qui maledictionem ſibi accerſunt, ſi peccant.*

JOANN. CAP. I. VERS. 51.

Sed in hiſce Salvatoris noſtri loquutionibus ſenſus ejus à precatorio in aſſertorium mutatur: nam quod unus Euangeliſta exprimit ſic, *Amen, dico vobis, vidua hæc pauper*, &c. *Marc.* 12: 43. alter ſic, Ἀληθῶς λέγω, *Verè dico vobis*, &c. *Luc.* 21: 2. *Matthæus* dicit, *Amen, dico vobis, ſunt quidam ex iis qui hîc aſtant*, &c. *Lucas* verò ſic, Λέγω ἀληθῶς, *Verè dico vobis*, *Luc.* 9: 27. Ita Ἀμὴν in *Matth.* 23: 36. redditur Ναὶ, *Verè*, in *Luc.* 11: 51. &c. Vox enim *Amen* propriè quidem *veritatem* ſignificat, ut conſtat de conſtructione verſûs ſuprà laudati, *Iſaj* 65: 16. Qui ſibi benedicturus eſt in terra, benedicat ſibi באלהי אמן, *per Deum veritatis*; & juraturus in terra, jurabit באלהי אמן, *per Deum veritatis*, ſicut bene transferunt non ſolùm *Verſio* noſtra *Anglicana*, ſed & *R. Solom.* & *David Kimchi.* *Gloſſa* autem *Kimch.* eſt citatu digna. *Dicit in terra*, inquit, *quoniam per totum mundum erit una veritas: illa autem erit veritas* אלהי אמן *Dei veritatis.*

Chriſtus vocatur *Amen*, Apocal. 13: 14. ut qui non tantùm *fidelis* ſit & *verus teſtis*, ſed & *ipſe* porrò in *quo promiſſiones Dei, quotquot ſunt*, ſunt *Etiam* & *Amen*, 2 *Cor.* 1: 20. & vel *ipſa veritas*.

Quum igitur venit Euangelium publicaturus, quod una illa veritas eſt, quæ per totum terrarum orbem eſſet diſſeminata, (nam *Iſaja* Propheta illîc manifeſtò de temporibus Euangelii loquitur) loquitur de ſuo, (quod dicitur de Diabolo cùm mendacium loquitur, *Joann.* 8: 44.) atque ſtylo utitur à Prophetarum ſtylo prorſus diverſo, (qui veritatibus ſuis, *Sic ait Dominus*, præfari ſolebant) & loquitur αὐθεντικῶς, ſuâ ipſius auctoritate nixus, quippe qui eſſet *Deus veritatis*: *Amen, dico vobis.* In hac voce itaque res duæ continentur, *veritas* nimirum *prolata*, & *veritas veritatem proferens.* Hæc autem dictio non ſignificat ſolummodo rerum prolatarum certitudinem, verùm etiam in mentem lectoris revocat, illum qui protulit eſſe אלהי אמן, *Amen, Deum veritatis*, & *veritatem ipſam.* Atque hæc conſideratio aliquid fœnerabitur lucis particulari ſecundo, nempe, cur, cùm cæteri tres verbo *Amen* ſigillatim ſemper utuntur, *Joannes* tamen *Euangeliſta* nunquam non repetit.

Quam nonnulli ſubjiciunt hujus rei rationem amplecti prorſus nequeo: nempe, quòd Joannes hanc vocem ſemper repetit, quoniam

JOANN. CAP. I. VERS. 51.

quoniam res ab illo ſcriptæ magis ſunt cœleſtes, magiſque divinæ, quàm quæ à cæteris Euangeliſtis ſcribuntur; & proinde major hujus, quàm illorum, ſcriptis adhibenda eſt attentio propter verbi repetiti emphaſin: neque enim ipſe percipere poſſum, neque auſim imaginari ex Euangeliſtarum ſcriptis alia aliis ſuperiora.

Neque quidem exiſtimo, *Chriſtum* hâc vocis repetitione uſum fuiſſe: (nam permirum mihi videtur, ipſum ita feciſſe in his ſermonibus, quorum mentionem facit *Joannes*; atque in illis, quos cæteri referunt, non ita feciſſe, cùm probabile ſit, eundem aliquando utrobique fuiſſe ſermonem) verùm ego ſuſpicor, vocem ideo reïteraſſe Euangeliſtam, ut duplicem ſenſum exprimere poſſit, quem vox unica à Salvatore noſtro, aliiſque Euangeliſtis ſigillatim prolata, in ſe comprehendit. Atque adeò *Chriſti* nihil quicquam ſermoni addit, ſed ſermonem ejus, quantum fieri poteſt, explicat. In aliis Euangeliſtis verbum *Amen* ſigillatim exprimit, ſed ſenſum geminum denotat, ſic, *Hoc eſt veritas, atque ipſe etiam qui dico veritas ſum.* Jam verò *Joannes*, ut ſenſum hunc duplicem enodaret, verbum reiterat *Amen, Amen* dicendo; quorum unum ad rem dictam refertur, alterum verò ad perſonam dicentem. Atqui quæſtioni dudum propoſitæ nondum ſatis fit, nempe cur *Joannes* ſic faceret, magis quàm ex aliis quiſpiam. At eadem reſponſio, quæ narrat, qua de cauſa tot referret *Joannes*, quæ alii omnes penitùs tacent, præſentem etiam quæſtionem perſolvet: quòd nimirum fuerit Dei beneplacitum, quaterni ut eſſent Euangelii Scriptores, & ut alii hoc, alii illud; alii uno more, alii autem altero ſcribentes, Hiſtoria in plenam perfectionem divinitùs accreſceret. *Joannes* poſtremus ſcripſit, atque ipſe authoritatem, opportunitatemque enarrandi, quæ cæteri priores miſerunt, obtinuit: & quod ad rem præſentem ſpectat, vidit cæteros, ſicut *Chriſtum* ſemper antè, hanc vocem ſigillatim tantùm protuliſſe; vidit porrò ex illis nonnullos in uno aut altero loco per Ἀληθῶς & Ναὶ expoſuiſſe, ut oſtenderent in ſermonibus hiſce ſumendam eſſe in ſenſu, à precatorio illo, quo in Veteri Teſtamento ſemper ſumebatur, diverſo: ſed vidit inſuper nonnihil præterea in ea incluſum, ideoque Spiritûs Sancti ductu eandem eâdem repetitâ pleniſſimè explicat. Et ſic conſilia Dei æterna, à Prophetis olim revelata, in prædicatione Euangelii à Salvatore noſtro præſtitâ, facta ſunt אמונה אמן, *Veritas, Veritas*, Iſaj. 25:1.

Ab hoc tempore videbitis cœlum apertum.] Obſervetur mos reſponſi à Servatore noſtro redditi. Textus ait ſic, dixit *illi*; ſed verba ejus omnibus illis deſignabantur, *Amen, Amen, dico vobis, Vos* videbitis, &c. Sermonem ſuum omnibus in genere accommodat, quamvis, ut dicit Textus, magis ſingulariter *Nathanaëlem* alloquutus eſt, colloquia cum eo priùs habita reſpiciens. JOANN. CAP. I. VERS. 51.

Maxima hujus ſermonis difficultas in hoc ſita eſt, ut exquiramus quo in ſenſu intelligenda eſt *cœlorum apertio*; atque ut inveniamus etiam locum, & modum ubi, & quomodo Diſcipuli viderunt *Angelos aſcendentes* & *deſcendentes ſuper Chriſtum.* Verba duplicem ferunt conſtructionem, atque alius hanc, alius illam illis donat. Hi ad literam intelligunt, judicantes Diſcipulos aliquoties vidiſſe cœlos verè apertos, quemadmodum *Joannes Baptiſta* antè viderat, *Luc.* 3. & Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper *Chriſtum* verè quidem, etſi ne unus quidem Euangeliſtarum de hac re verbum facit. Ac hujus opinionis probabilia proferunt argumenta, quibus recenſendis jam non inſiſtam.

Alii verò ſuſpicantur verba hæc non ad literam, ſed in ſenſu metaphorico eſſe exponenda. Atque ex iis qui in hujuſmodi ſenſum ſumunt, hi uno modo, illi altero interpretantur.

In confeſſis pono, me hoc in loco, *tanquam in bivio*, perdiu hæſiſſe, animi pendens quâ viâ inſiſterem, quoniam utraque interpretatio, literalis una, metaphorica altera, ſpecioſum ſaltem præ ſe fert veritatis colorem. Nequeo tamen quin ſenſui metaphorico tandem aſtipuler, ut qui exiſtimo, quòd per *apertionem cœlorum*, & *aſcenſum deſcenſumque Angelorum Chriſtus* non innuit hiſtoricè quòd illa ipſa res eſſet facienda, ſed quòd myſticè deſignat aliud quid, quòd phraſibus hiſce metaphoricis expreſſum voluit. Et quòd apud me ad hanc ſententiam valet, (præter univerſum Euangeliſtarum ſilentium, qui de tali re verè facta nihil ſuggerunt) eſt vis & ſignificatio verbi *ἀπ' ἄρτι.* Verſio *Anglicana*, & *Eraſmus* per *poſthàc* reddunt; atque adeò tempus reliquerunt valdè amplum, necnon incertum. Verùm *Syrus* Interpres & *Latina Vulgata* transferunt ſic, *ab hoc tempore*, vel *deinceps*; atque ita quidem maximè propriè & naturaliter ſignificat: ſignificat enim non tantùm Epocham temporis, & unam aliquam actionem poſt illam Epocham tempore incerto factam, ſed continuationem etiam iſtiuſ-

JOANN. CAP. I. VERS. 51.

modi actionum, vel rerum ab illa Epocha deinceps agendarum.

Salvator igitur noſter hâc locutione denotat, ſe ab hoc ipſo tempore in Miniſterio ſuo gloriæ & potentiæ ſuæ manifeſtationem facturum; Diſcipuli autem tot, tantaſque glorioſas ejus deinceps perciperent demonſtrationes, ut inde reſcirent ipſum eſſe *Chriſtum*.

Quum dicit, *Videbitis cœlos apertos, & Angelos aſcendentes & deſcendentes*, alludit ad viſionem *Ezechielis* ad *fluvium Cebaris*, Ezech. 1: 1. & *Jacobi Bethele*, Geneſ. 28. quæ erant duæ *Chriſti* revelationes haud minùs glorioſæ, quàm ulla quæcunque viſio in Veteri Teſtamento commemorata.

Mens ejus in paraphraſi poteſt illuſtrari, ſic: Num tu *Nathanaël* uſque adeò miraris, quòd ego viderem te ſub ficu tam occultè, tam privatim, & tam ſecretò agentem? Tu videbis hislongè majora: dico enim vobis omnibus, Ab hoc tempore ordiendum eſt mihi Euangelium prædicare: ſentietis autem me tantâ rerum cognitione præditum, quaſi ipſum cœlum mihi eſſet apertum; ſentietis tot à me editas virtutes, tantaque miracula, tanquam ſi vel ipſi Angeli mihi perpetuò miniſtrarent, voluntatem meam exequentes. Juxtà autem refert Euangeliſta, quòd die proximè ſequenti miraculum edidit in *Cana Galilææ*, & *gloriam ſuam manifeſtavit*: atque verſus finem ejuſdem Capitis de miraculis loquitur *Hieroſolymæ* editis, & de ſua univerſorum hominum peritiâ.

Ita ut ab hoc tempore incipiat *Chriſti* Miniſterium in prædicandis & edendis miraculis. Locus, *in quo*, erat Cana; tempus, *quando*, erat poſt duos à Baptiſmo ſuo annos, vel circiter, quantum judicare poſſumus ex Euangeliſtarum ſcriptis.

Filius hominis.] Idem hic *Chriſti* titulus, qui tam frequens apud Euangeliſtas occurrit, (& qui tamen, niſi in ſuis ſolius verbis, nuſpiam invenitur) non tantùm *hominem* exprimere deſignatur, juxta *Syriacam* tunc temporis uſurpatam dialectum בר נשא, *Bar nosho*; neque *Chriſti* ſolùm humanitatem denotare, vel, quòd homo eſſet verè, in omnibus (excepto tantùm peccato) noſtrûm ſimilis; neque humilitatem ejus ſolummodò denotare, quandoquidem ſibi ipſe non dedignatur humile hoc nomen toties imponere, etiamſi omnia hæc poſſit aliquatenus reſpicere: at verò videtur Salvator noſter hunc ſibi toties tribuiſſe titulum, quaſi voluit indicare *Adamum* ſeipſum fuiſſe *ſecundum*, & ad promiſſum reſpicere immediatè à lapſu Adamo factum, nempe *quòd ſemen mulieris contereret ſerpentis caput*. Atque vel in hunc ipſum finem, uti ſuperiùs dedimus notatum, in hiſtoria Baptiſmi ejus, cùm in Miniſterium ſuum eſſet initiandus, ac glorioſum illud de cœlo obtinuerat teſtimonium, genealogiam ejus vel ab *Adamo* primo derivat *Lucas*, ut omnium oculos ad principem illam convertat promiſſionem, ut omnes agnoſcant illum eſſe ſemen illud de quo promiſſio fuit data, & in eum finem cujus in promiſſione fit mentio, nempe ut perdat *Satanæ* opera. Et quemadmodum Euangeliſta ille id indicii facit, jam jam in principio Miniſterii cum Satana congreſſurus; ita ipſe quoque *Chriſtus*, dum Miniſterium ſuum exequitur, idem indicium eodem conſilio frequenter & ordinariò per hanc phraſin facit. *Filium Dei* appellarât eum *Nathanaël*; *Filium hominis* ſe ipſe ſtatim appellat, non ſolùm ad humanitatem ſuam oſtendendam, (nam de ea certum fecerunt *Philippi* verba, cùm vocaverit eum *Jeſum ex Nazareth filium Joſeph*) ſed etiam ad cogitationes eorum, qui primum promiſſum audiverant, determinandas, & ad excitandos eos, ut reſtitutionem ejus per ſecundum hunc *Adamum* expectarent, quod per primum erat perditum. Illi poſt lapſum clauſum erat cœlum, & priſtinam perdidit Angelorum conſuetudinem & miniſterium. Sed *videbitis cœlum apertum, & Angelos aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis*, ut ſciatis *ſecundum* hìc aſtare *Adamum*.

Veriſſimum eſt quidem, quòd *Ezechiel* vocatur *filius hominis*, Ezech. 2: 1. &c. ut & *Daniel*, Dan. 8: 17. & quòd omnes in genere vocamur *filii hominis*, בני אדם, *Pſalm.* 62: 9. hoc eſt *nomen naturæ*: ſic autem haud imus inficias, hunc titulum *Chriſti* humanitatem denotare, atque adeo indicare poſſe ad quantum honorem noſtram in eo naturam evexit Deus. Attamen cùm *Filium hominis* tam ſæpe & tam emphaticè ſeipſum vocat, hoc noſtras omnium cogitationes in altiorem hac de re meditationem provehit.

SECTIO

SECTIO XIII.

JOANNIS CAP. II.

Primum Chriſti miraculum erat formarum mutatio. Primum ejus Paſcha.

VERS. I. *Die autem* (a) *tertio nuptiæ factæ ſunt in* (b) *Cana oppido Galilææ: eratque mater Jeſu illic.*

II. *Vocatus eſt autem etiam Jeſus, ac Diſcipuli ejus ad* (c) *nuptias illas.*

III. *Et quum* (d) *defeciſſet vinum, mater Jeſu dixit ei, Vinum non habent.*

IV. *Dixit ei Jeſus, Quid mihi tecum rei eſt mulier? nondum venit hora illa mea.*

V. *Dicit ejus mater miniſtris, Quodcumque dixerit vobis, facite.*

VI. *Erant autem ibi lapideæ* (e) *hy-*

(a) *Die tertio.* Parum convenit, unde ſumendus eſt hujus diei numerus; ſeu à noviſſimo *Joannis* de *Chriſto* teſtimonio, ſeu à *Chriſti* in *Galilæam* adventu, ſeu à mutuo quod habuit cum *Nathanaële* colloquio. Hoc autem diſcrimen eò magis videtur naſci, quòd hoc Caput eſt novum: nam ſi verſus hic præſens in Capite ſuperiori locum fuiſſet ſortitus, contigiſſet certè, ut qui diem hunc *tertium* vocant à Chriſti in *Galilæam* adventu, vocaſſent potiùs à *Joannis* teſtimonio. Et in novo licet fuerit Capite, nihil tamen video, cur id eam in Capite priori temporis catenam turbaret. Siquidem ibi dicitur, quòd ſtabat *Joannes*, & ex Diſcipulis ejus duo, & teſtatus eſt de *Jeſu*, ac ſequuti ſunt eum. *Poſtero die vòluit Jeſus abire in Galilæam*, ac invenit *Philippum & Nathanaëlem: tertio* autem *die nuptiæ factæ ſunt*. Quid dubii oriri poteſt de tribus illis diebus ſic conjunctis, præſertim ſi conſideremus Spiritum Sanctum hìc fixiſſe tempus illud, quo Chriſtus ſuum Euangelii Miniſterium primus exercuit, & oſtendit quoto à primo Miniſterii die miracula edidit?

(b) Ad verbum *Syriacè* habetur, *in Catna Galilææ.* Sic item *Cap.* 4: 6. & 21: 2. Ita & Tabula quoque Coſmographica terræ *Canaanitica*, *Hebraicè* ſcripta legit קטנא בגליל, *Catna in Galilæa:* in hoc enim nomen progreſſu temporis mutabatur. *Syrus* ita, ut in ſuis temporibus habuit, appellat. Hic autem mos *Chaldaico Paraphraſtæ*, cum illo erat communis, ſicut oſtendunt nomina locorum in Veteri Teſtamento, putà *Kadesh-barnea* vocat ſemper *Rebam*; vocat etiam *Argob*, *Trachona*, vel *Trachonitis*, *Deuter.* 3: 4. Exempla multa alia reſtant proferenda.

(c) *Syriacè* legitur, משתותא, id eſt, *convivium nuptiale:* nuptiali enim die convivium perpetuò celebrabant. Vide *Geneſ.* 29: 22. & *Judic.* 14: 10.

(d) Ὑστερήσαντος οἴνου. Nonnulli *tempus* conſiderantes colligere volunt, vinum nondum fuiſſe omnino exhauſtum, ſed jam nunc deficere incepiſſe. Hoc autem nomine verba illa, *nondum venit hora mea*, in hunc ſenſum exponunt, quòd *Chriſtus* nollet miraculum edere, uſque dum vinum eſſet penitùs exhauſtum. Atqui neque tam ſtrictè ſignificat *tempus*, neque talis eſt verborum ſenſus, ut (quantum ad tempus) oſtendi poſſit, & (quoad verborum ſenſum) ſtatim indicabitur: quod ad tempus, vide exempla illa, *Matth.* 26: 26. εὐλογήσας ἔκλασε. *verſ.* 27. εὐχαριστήσας ἔδωκε. *verſ.* 30. ὑμνήσαντες ἐξῆλθον, quæ, ut ne plura proferam, actum præteritum manifeſtò indicant; quemadmodum Chriſtus nec panem fregit, nec vinum porrexit inter benedicendum, ſed poſtea, &c.

(e) *Hydriæ.* Verbo eodem idem utitur Euangeliſta, *Cap.* 4: 28. atque vel ipſa verbi hoc in loco notatio & ad miraculum magnificandum conducit, & ad veritatem firmandam. Hæc enim *vaſa* erant *hydriæ*, ſcil. *vaſa aquaria*, uſui aquæ tantùm continendæ deſtinata, ideoque ſuſpicari nemo potuit in iis ſuperfuiſſe fæces, unde in vini colorem, ſaporemve induere ſe poſſit aqua. Vaſa item, quibus utebantur mulieres, circa aquam à puteo geſtandam, *Hydriæ* nominabantur, uti conſtat ex loco nuper citato, *Joann.* 4: 28. Vaſa hæc *Hebraicè* vocabantur כדים, *Geneſ.* 24: 14. &c. quæ triplex *Targum* verbis tribus diverſis exprimit, מורבא לגינא קולתא. Vaſa verò iſta vel fictilia extiterunt, vel lignea, vel coriacea, vel alia aliqua ejuſmodi levia, portatuque facilia. Verùm hæc, de quibus jam agitur, lapidea erant, utpote quæ minùs eſſent hinc illinc circumferenda, ſed in eorum ferè tricliniis, aut in proximo, ſemper collocanda, ut aquam lavandis diſcubituris ſuppeditarent.

driæ ſex poſitæ ſecundùm purificationem Judæorum, capientes ſingulæ (f) *amphoras binas, aut ternas.*

VII. *Dicit eis Jeſus, Implete has hydrias aquâ. Impleverunt eas igitur uſque ad ſummum.*

VIII. *Tunc dicit eis, Haurite nunc, & offerte* (g) *Architriclino. Obtulerunt igitur.*

IX. *Ut autem guſtavit Architriclinus aquam illam, quæ facta fuerat vinum, (neſciebat autem unde eſſet: ſed miniſtri ſciebant, qui hauſerant aquam) vocat ſponſum Architriclinus.*

X. *Et dicit ei, Omnes primo loco bonum vinum apponunt; & poſtquam convivæ affatim biberunt, tùm id quod minùs bonum eſt: tu verò ſervaſti bonum vinum uſque adhuc.*

XI. *Hoc initium ſignorum fecit Jeſus in Cana oppido Galilææ, & manifeſtam fecit gloriam ſuam; & crediderunt in eum Diſcipuli ejus.*

XII. *Poſtea deſcendit* (h) *Capernaum ipſe, & mater, & fratres, & Diſcipuli ejus, manſeruntque illîc non multos dies.*

Primum Chriſti poſt Baptiſmum ejus Paſcha.

XIII. *Nam propè erat Paſcha Judæorum: aſcendit igitur Jeſus Hieroſolymam.*

XIV. *Et invenit in Templo venditores boum, & ovium, & columbarum, & numularios ſedentes.*

XV. *Factoque flagello è funiculis, omnes ejecit è Templo, & oves, & boves, & argentariorum numulos effudit, menſaſque ſubvertit.*

XVI. *Et columbarum venditoribus dixit, Tollite hinc iſta: ne facite domum Patris mei, domum mercatûs.*

XVII. *Recordati ſunt autem ejus Diſcipuli, ſcriptum eſſe, Zelus domûs tuæ exedit me.*

XVIII. *Reſponderunt ergo Judæi, & dixerunt ei, Quod ſignum oſtendis nobis, quod iſta facis?*

XIX. *Reſpondit Jeſus, & dixit eis, Deſtruite templum hoc, & intra triduum excitabo illud.*

(f) Μετρητάς. Voces tres Hebræas per hanc reddunt Septuaginta. I. סאה, 1 *Reg.* 18: 32. ubi dicitur, *Eliam* paraviſſe aquæ ductum capientem סאתים, quaſi duo Sata ſementis: *Græcè* legitur, δύο μετρητάς. II. בת, 2 *Paralip.* 4: 5. æreus lacus *Solomonis* ter mille Bathos continebat, בתים, LXX. legunt ſic, μετρητὰς τρισχιλίους. III. פורה, *Hagg.* 2: 17. ἐξαντλῆσαι πεντήκοντα μετρητάς. Ubi vel ſumunt פורה pro menſura, quod quidem verbum *torcular*e ſignificat; vel exprimunt menſuram, quæ *Hebraicè* intelligitur. Quanta erat hujus μετρητοῦ capacitas inquiretur, cùm verſus fuerit explicatus.

(g) Ἀρχιτρίκλινος. Unum hoc verbum tria complectitur. Singula autem referunt ad mores ternos iſtorum temporum diverſos, I. Κλίνος, à κλίνη, *lectus*, quia moris fuit antiqui, ut lectis accumberent cœnaturi, *Eſther.* 7: 8. *Rex rediens ex horto Palatii in domum ubi biberat vinum, Hamane procidente ſuper lectum, cui accumbebat Eſther.* Ἀνεπαύετο ἐν κλίνῃ ἐν ᾗ περ ἐδείπνει τῇ ἐμῇ ἐχομένῃ. *Plat.* in Sympos. *Requievit in lecto, in quem, meo vicinum, cœnaverat.* II. Τρίκλινος, quaſi *tres lecti*, nam tot habebant in *tricliniis* ſuis, & à numero lectorum locus convivandi nomen hoc, *triclinium*, *Latinè* fuit ſortitum. Sed de his fusè loquuntur, qui Judaicas, Romanaſque tractant Antiquitates, ad quas remittitur lector. Et III. quòd ad Ἀρχι-*triclinum*, vel *convivio præfectum*, ſpectat, quis eſſet, infrà patebit.

(h) Hoc oppidum à *Joſepho* dicitur *Cepharnoma.* In ſua enim vita per ipſum conſcripta, prolapſum ſe ait unà cum equo ex quo pugnabat, in locum cœnoſum: quo caſu contuſis manus articulis deportatus erat in vicum *Cepharnoma*: ἐκομίσθην εἰς κώμην Κεφαρνώμην λεγομένην.

Nomen hoc proprium attexitur ex duobus verbis, *Cephar* uno, *Naum* altero. Quòd *Cephar vicum* ſignificat, extra dubium ponitur, nam in illo ſenſu multoties legitur verbum in Veteri Teſtamento, 1 *Sam.* 6: 18. 1 *Paralip.* 27: 28. *Nehem.* 6: 2. &c. Sed utrùm verbum poſterius, *Naum*, ſcriptum fuit נעים, vel נחום, necne, incertum eſt. Tabula Coſmographica Hebraïca ſic ſcribit, כפר נחום, *vicus Naum*, vel *vicus Conſolationis*: quod quidem nomen ei erat aptiſſimum, Chriſto in ea habitante. Communiter verò exiſtimatur vocari *oppidum Pulchritudinis*, propter jucundum ad ripas Geneſariticas ſitum, & propter pulcherrimam ipſius oppidi ſtructuram.

XX. *Dixe-*

Digitized by Google

JOANN. CAP. II. VERS. 1.

XX. *Dixerunt ergo Judæi, Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt* (i) *Templum iſtud, & intra triduum illud excitabis?*

XXI. *At ille loquebatur de templo corporis ſui.*

XXII. *Poſtquam ergo ſuſcitatus fuit ex mortuis, recordati ſunt ejus Diſcipuli, quòd hoc ſibi dixiſſet; & crediderunt Scripturæ, & ſermoni quem Jeſus dixerat.*

XXIII. *Quum autem eſſet Hieroſolymis in Paſchatis feſto, multi crediderunt in nomen ejus, ſpectantes ſigna quæ edebat.*

XXIV. *Ipſe autem Jeſus non credebat eis ſemetipſum, eò quòd noſſet omnes.*

XXV. *Nec opus eſſet ut quiſquam ei teſtaretur de homine: ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.*

(i) Ὠκοδομήθη. Hoc verbum bifariam poteſt conſtrui: vel ut denotet tot annos fuiſſe conſumptos in *Templo ædificando*; vel tot præteritos fuiſſe, ex quo *ædificatum fuerat*. Dubium autem eſt, quâ conſtructione ſumendum ſit, quoniam quæſtio eſt, utrùm Judæi hîc loquuntur de Templo illo à *Zorobabele* extructo, poſt reditum Judæorum à Captivitate; vel de illo quod ædificavit *Herodes* Magnus. Quando verſum explanatum dabimus, apparebit quatenus in hac, quatenus autem in illa intelligi poteſt conſtructione, & quàm aptè in diverſis hiſce duabus conſtructionibus ad diverſa illa Templa, quorum nuper facta eſt mentio, accommodari poteſt: & illîc, quantum poſſumus, proprium ejus ſenſum ſtatuemus, & Judæorum quoque mentem ac ſcopum his verbis conceptum.

Ordinis Ratio.

AD confirmandum ordinem, ac connexionem hujus Capitis cum priori, & ad conjunctionem narrationum in hoc Capite contentarum invicem conciliandam, nullis omnino verbis opus eſt, nec multâ ſanè operâ. Illa enim verba, *tertio die*, vel in principe Capitis loco poſita, tam manifeſtò cum ſuperiori conjungunt, ut hac in re nihil reſtet dicendum. Tranſitio porrò Hiſtoriæ à *Cana* ad *Capernaum*, & à *Capernaum* ad *Paſcha Hieroſolymis* celebratum, ita exiſtit dilucida, ut qui lecturus fuerit connexionem percurrat, relicto prorſus nullo dubitandi loco. Tantùm cùm dicitur, *verſ.* 12. *poſtea deſcendit Capernaum*, intelligendum eſt moram aliquam in *Galilæa* antè feciſſe, prout in verſûs illius explicatione oſtenſum dabimus.

Harmonia & Explicatio.

VERS. I.

UT ne nimiùm ſim curioſus in rationibus inveſtigandis, quibus inductus Chriſtus primum ſuum edidit ad nuptias miraculum, & præterea cur primum fuerit aquæ in vinum converſio, in quibus rebus Expoſitores nonnulli fruſtrà ſudarunt; hæc mittens, accedo ad particularia ſequentia, quæ tam directè ex re ipſa emergunt, ut nequeam quin obſervem, I. Quòd ſicut prima Dei inſtitutio erat nuptiarum; ita inter nuptias celebrandas Salvator noſter primum ſuum edidit miraculum. II. Quòd perinde ac in extraordinario nuper Jejunio miraculoſum ſe ipſe præſtitit; ita nunc etiam in extraordinario convivii apparatu. III. Quòd etiamſi nollet lapides in panem convertere, ut famem ſuam depelleret, quia id fuiſſet *Satanæ* tentationi ſuccubuiſſe; tamen aquam in vinum mutare nihil recuſat, ut inde naſceretur plena convivii nuptialis feſtivitas, quoniam id gloriam ſuam propalam illuſtraret. IV. Quòd quemadmodum primum, quod ab homine ullo editum erat, miraculum, fuit ex una in alteram facta formarum converſio, *Exod.* 7: 9, 20. ita eſt primum ſimiliter quod edidit Filius hominis, qui ne unum quidem id genus poſtea edidit. V. Quòd veluti, quum primùm de Joanne Baptiſta, publico ſuo fungente Miniſterio, auditis, auditis etiam de ſevera ejus abſtinentia, ſcil. quòd *venit nec edens, nec bibens*: ita quum primùm de Chriſto, publico ſuo Miniſterio fungente, auditis, auditis etiam convivio nuptiali adfuiſſe, atque aquam in vinum convertiſſe. VI. Si quis ex eo quòd *Chriſtus* convivio huic nuptiali adfuerit, obſervare velit, ipſum matrimonium honore proſequutum fuiſſe, & convivia ſobria temperataque approbaſſe. Vel VII. ſi illa ejus præſentia, & converſio aquæ in vinum ab eo facta, ſuggerat cuipiam Chriſti cum

JOANN. CAP. II. VERS. 1.

Eccleſia ſua nuptias, ac res ſub Euangelio in melius mutatas, nec non elementa Sacramentorum Euangelii, aquam & vinum; eſto, ſi quid modò emolumenti ex iſtis obſervationibus exoriatur. At quomodo *Chriſti* in hiſce nuptiis præſentia matrimonium iſtis liberaret incommodis, quibus divortia, necnon poſt impetrata divortia conjugium denuò initum, atque uxorum inſuper pluralitas ut laboraret feciſſent, atque adeo hominum Chriſtianorum matrimonium in Sacramentum promoveret ſecundùm *Rhemiſtarum* ad hunc locum Annotata, à conceptu rationis uſque eò eſt alienum, ut aſſereret haud quiſpiam, præter *Papiſtas*, qui fidei implicitæ virtute quidlibet de quolibet facilè credunt. Et ſi *Rhemiſtas* rogaret forſan quis, an *Chriſti* in his, aliiſque conviviis præſentia convivia etiam uſitatis exueret incommodis, ſcil. ebrietate, luxuriâ, & vanitate, atque convivia quoque Chriſtianorum in Sacramentorum numerum proveheret, necne: nullus dubito, quin eruditè diſtinguendo differentiam aliquam venditarent.

In Cana oppido Galilææ.] Expoſitores fere omnes hìc loquuntur de *Cana* una *majori*, alterâ *minori*; illam *Sidoni* vicinam locant, aſt hæc ubi terrarum fuerit locanda nondum convenit: una, Authore *Maldonato*, *Sidoniorum* appellatur, altera *Galilææ*. Author eſt Hieronymus, à quo uſurpatam hanc invenio diſtinctionem, antiquiſſimus; is autem uſurpat in *locis Hebraicis*: at cur tam generaliter obtineret prorſus neſcio, niſi rationes ejus ſtabiliendæ magis probabiles, quàm quas ego reperii, reddidiſſet. Veriſſimum eſt quidem, in Sacris Paginis fieri de *Cana* in Tribu *Aſer* ſitâ mentionem, *Joſ.* 19: 28. necnon de *Cana* in ſorte *Ephraim* locatâ, *Joſ.* 16: 8. & 17: 9. *Cana* illa Tribui *Aſer* aſſignata cum magna *Sidone* eſt ſimul in mentione, non quòd inde poſſis inferre prope admodum *Sidonem* fuiſſe ſitam, ſed quòd lineæ termini *Aſer* verſus *Sidonem* proceſſere: ſic enim intelligendus eſt ille locus, non contra quòd *Cana* propter *Sidonem* fuit ſita. Verùm dubitandum nihil eſt, quin eadem hæc *Cana* in *Galilæa* fuerit: [nam *Aſer* fuit in *Galilæa*] futurum autem credo penitùs impoſſibile, alteram *Canam* in *Galilæa* invenire. Non queo igitur quin concludam eandem hanc eſſe. Vocatur autem *Cana Galilææ*, ideo ut ab altera *Cana* in Tribu Ephraim diſtinguatur, quæ fuit *Cana Samariæ*. Quòd ſi ſupponamus *Canam* hanc, de qua impræſentiarum fit diſquiſitio noſtra, in Tribu *Aſer* fuiſſe ſitam, quemadmodum oſtendit Scriptura; illa *Jacobi* verba ad rem præſentem aptiſſimè quidem poſſunt applicari, nempe quòd nunc cùm de aqua vinum facit *Chriſtus*, *delicias regias præbet Aſer*, Geneſ. 49: 20.

JOANN. CAP. II. VERS. 1.

Joſephus ſemel in hoc oppido morabatur, ut in vita ſua teſtatur ipſe. Διέτριβον δὲ κατὰ τὸν καιρὸν ἐκεῖνον ἐν κώμῃ τῆς Γαλιλαίας, ἣ προσαγορεύεται Κανά. *Morabar tunc temporis in oppido Galilææ, quod vocatur Cana.* Narrat autem quòd, inſtante negotio, diſceſſit illinc, atque totius noctis itinere *Tiberiadem* multo mane pervenit.

Eratque mater Jeſu illic.] Veriſimile eſt, mortuum jam fuiſſe patrem ejus *Joſephum*; nulla enim ejus in Euangelio poſthàc fit mentio. Et quum è vita abiit *Chriſtus*, viduam fuiſſe *Mariam* conſtat: nam Diſcipulo ſuo *Joanni* commendavit, qui domum ſuam recepit illam, *Joann.* 19: 26, &c.

In hoc vico *Cana* conſanguineos habuit *Maria*, nempe *Mariam Alphei* vel *Cleopæ* uxorem, unà cum familia cuncta ex illa proſapia oriunda. Nam I. *Maria* uxor *Cleopæ* ſoror ejus appellatur, *Joann.* 19: 25. eadem autem *Maria Jacobi* & *Joſe* audit mater, *Matth.* 27: 56. qui proculdubio filii erant *Alphei*, Marc. 3: 18. adeo ut unus idemque fuerit *Alpheus* ac *Cleopas*, & *Maria* uxor ejus *Mariæ virginis* erat alto gradu conſanguinea. II. *Alpheus* cum familia ſua in *Cana* egit ætatem, ſicut hinc colligi poteſt, quòd de filiis ejus unus nomine *Simon Cananeus* audit, ideo ut poſſint illo & *Simon Petrus* internoſci, *Marc.* 3: 18. & 6: 3. *Cananeus* autem audit, ut de *Cana* eſſet incola.

Haſce igitur nuptias apud *Alpheum* fuiſſe celebratas his de cauſis augurari poſſumus. Primò, quia *Maria*, & *Jeſus*, conſanguinei ejus, invitantur, atque omnes etiam Diſcipuli in *Jeſu* gratiam. Secundò, quia *Maria* mater *Jeſu* de vino adeò eſt ſolicita, ne convivium turbaretur verita, & ne quid cederet in ſponſi dedecus. Et tertiò, quia Euangeliſta ſtatim ab hiſtoria hujus convivii de *fratribus Jeſu* loquitur, i. e. de cognatis ejus, qui comitati ſunt eum uſque dum *Capernaum* pervenit, *verſ.* 12. cùm tamen ante hoc convivium cognatos nullos habuerit viæ ſocios. Erant denique dicti cognati, vel fratres, *Jacobus*, *Judas*, *Simon*, & *Joſes*, Marc. 6: 3.

VERS.

JOANN. CAP. II. VERS. 3.

Vers. 3. *Mater Jeſu dixit ei, Vinum non habent.*

Ut vel ex ipſo horum verborum tenore palàm eſt, Virginem miraculum ſperaſſe; ita mirandum quodammodo eſt, quâ ratione nixa ſperavit. Nunquid ab eo priùs editum vidiſſet miraculum? Vidiſſe cenſent nonnulli, putantes eum *Joſepho* rebus neceſſariis deſtituto ope miraculi aliquoties ſuccurriſſe, cùm illic degeret tanquam privatus. At verò hujuſmodi opinio neque talem in ſe complectitur certitudinem, neque in S. Scriptura fundamentum, quin dubitare meritò poſſimus, id fuerit in cauſa, necne, cur mater ejus jam nunc petiit miraculum. Verùm dubii nihil eſt, quin cognoverit *Meſſiam* fuiſſe, ac *Dei Filium*; quippe quòd tot invictis firmatum ſtetit argumentis, ut nullus in ea ſupereſſet dubitandi locus. Hoc autem forſan id fuit, quod ad petendum excitavit, ut edito miraculo vini defectum ſuppleret. Ad hoc procul omni dubio reſpexit, necnon ad poteſtatem illam, quâ, quatenus *Dei Filius*, ornatus extitit; non enim neſcivit poſſe illum, ſi vellet modò, id efficere: at quâ fiduciâ poteſtatem illam illum exerere rogavit, ſiquidem, quantum judicare nos poſſumus, nullum anteà ab eo editum ſcivit miraculum? Imò verò ubi, undeve indicium obtinuit miraculi poſteà edendi? Ita, talis rei mox agendæ nacta eſt indicium ex illis *Chriſti* verbis pridie factis, *Ab hoc tempore videbitis cœlum apertum, & Angelos Dei aſcendentes & deſcendentes ſuper Filium hominis.* Hinc miraculum à Filio petiit. In his enim verbis Diſcipulis ſuis tùm præſentibus indicat, [valde autem probabile eſt illam ſimul fuiſſe præſentem] illis fore ἀπ' ἄρτι, ſive, *ab illo tempore* divinitùs oſtenſum quòd etſi *Filius hominis* ipſe erat, erat tamen *Filius Dei:* & quòd nunc ſe ipſe manifeſtare inciperet, miraculorum virtutem exequendo, talem, quali perfruatur oportet is, cui ſub imperio ſunt cum cœli, tum Angeli: hinc, inquam, miraculum hoc tempore petiit, & verba illius erant fidei verba, *nam credidit in id quod locutus fuerat Chriſtus, & proinde locuta eſt ipſa:* & quamvis *Chriſtus* eam reſponſo ſuo aliquatenus corripuit, propterea quòd *locum, tempuſque* miraculorum ejus determinare ſatagebat; tamen quod faciendum illi propoſuit, ex fide fuit, ac novit *Chriſtus* fidem ejus, neque rejecit.

JOANN. CAP. II. VERS 4.

Vers. 4. *Quid mihi tecum rei eſt, mulier?*

Hæc verba ita extenuare, ut nihil in illis contineatur reprehenſionis, magnopere contendunt *Pontificii:* neque enim patiuntur, ſi quis judicat, caſtigatione opus unquam habuiſſe Virginem *Mariam*. Ut ingenti copiæ, varietatique interpretationum alienarum tantùm non fruſtrà excuſarum parcatur, *Rhemiſtarum* Gloſſa ad hæc verba ſufficiet, ad induſtriam eorum hac in re oſtendendam. *Hæc* igitur, inquiunt, *eſſe poteſt Chriſti mens hoc in loco. Quòd vinum deficit, quid tibi mecum, mulier, utpote hoſpitibus? quemadmodum nonnulli interpretantur.* Vel, [*juxta uſum iſtius locutionis in S. Codicibus magis proprium*] *Quid tibi mecum? quaſi dicat, Quid mihi tecum in hac re eſt negotii? In rebus ad Miniſterium meum pertinentibus, in auctoritate mihi à Patre meo delatâ de verbo prædicando, de miraculis patrandis, cæteriſque gratiis, carnis, ſanguiniſque affectibus non eſt indulgendum. Nulla extitit igitur B. Virginis reprehenſio, nullum indicium quòd Salvator noſter nollet eam audire in rebus vel ad gloriam Dei, vel ad utilitatem hominis conducentibus: ex eventu enim elucet contrarium. Atqui monitum erat cæteris auditoribus, præſertim Diſcipulis ſuis deſtinatum, ut ne cognationis reſpectus de ratione declinent efficeret; ut ne hoc, quin contrà, Dei gloria princeps ſit officii præſtandi incitamentum.* Et paulò infrà. *Novit B. Virgo deſignatam nullam ſibi fuiſſe reprehenſionem*, quin aliis doctrinam. Sed quorſum hoc? Cur hi, omneſque in genere ejuſdem ſcholæ Interpretes, in caſtigatione improbandâ tam graviter laborant? Cur, quia nullo pacto fieri poteſt, ut corripiatur *B. Virgo:* verùm ſi alia quævis mulier fuiſſet, aliuſve quivis, præter *Petrum*, homo, dubium eſt, an tantum ſudorem hiſce verbis omni reprehenſione eximendis impenderent, necne.

Ex communi hujus phraſios in S. Scriptura uſu dilucidiùs liquet, hæc verba more reprehendentis eſſe prolata, quàm ut diffiteri queant, *Judic.* 11: 12. 2 *Sam.* 16: 10. *Ezr.* 4: 3. *Matth.* 8: 29. Sunt autem ex Patribus antiquiſſimis haud pauci, qui hunc in ſenſum intellexêre, putà *Irenæus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, Athanaſius*, in Annotatis ad locum à *Beza* laudati. Hujus itaque reprehenſionis cauſam ſcrutari, ad propoſitum noſtrum magis, magiſque ad rem pertinet, quàm ad eam occul-

JOANN. CAP. II. VERS. 4.

JOANN. CAP. II. VERS. 4.

occultandam ſophiſmata & technas annectere.

Sunt qui autumant Salvatorem noſtrum, qui noſtra omnium corda optimè novit, aliquid ſuperbiæ, nonnihil etiam inanis gloriæ in his verbis latitans deprehendiſſe, tanquam ſi fuiſſet mater ejus gloriam aucupata, atque exiſtimationis ſtudium perſequuta, quorum utrumque ex hiſce Filii miraculis reportaturam ſe credidit. At verò, quâ ratione nititur hæc eorum gloſſa à charitate tam aliena, prorſus latet. Etiamſi nos, perinde ac Pontificii, Virginem *Mariam* peccati expertem neutiquam judicamus, [apparet enim ex *Marc.* 3: 31. graviſſimum crimen ipſam admiſiſſe] nihil tamen cerno, quòd ſuperbiæ quispiam inſimularet, nunc præſertim, cùm cura ſtudiumque exiſtimationis cognati ſui, apud quem agit, ad hoc filio ſuo proponendum incitat magis, quàm ullus ad ſe habitus reſpectus. Verùm alii aliquando mitius ſunt interpretati, quaſi ideo reprehendit *Chriſtus*, quòd reprehenſioni mandatoque matris illum eſſe voluit adhuc obnoxium, quum quidem erat tam provectâ ætate, ut ſui juris eſſe debuerit: atque juxta hanc ſententiam membrum poſterius interrogativè legunt, ſic, *Quid? nondum venit hora mea*, ut mei ſim, non materni, juris. Sed ut miſſam faciamus comptam interrogativæ hujus lectionis elegantiam, cujus veſtigia in ullo exemplari haud inveniuntur; promptum eſt exiſtimare, Salvatorem noſtrum non tantùm ſuo ipſius privilegio, ac materni imperii immunitati proſpexiſſe, ſed aliquid etiam præterea ſtatuiſſe: alioqui ſicut matrem ſuperbiæ poſtulavit interpretamentum prius, ita poſterius hoc Filium quoque eodem de crimine accuſat. Quid igitur velit *Chriſtus* per hæc verba intellectum, ex ſequentibus optimè poteſt colligi, (*Nondum venit hora illa mea*) ut qui ſemet ipſe rectiſſimè exponit, ſi nos modò hæc poſſumus rectè explicare.

Nondum venit hora illa mea.] Ut ne mihi, ſimul & lectori, id faceſſam negotii, quo palàm fit, quòd nomen ὥρα, ſive *hora*, in S. Scriptura non ſemper ſumitur in ſenſu illo reſtricto, in quo propriè apud nos accipitur, ſed quòd plerumque & frequenter *tempus* generaliter & indefinitè ſignificat; hæc *Chriſti* verba videntur hunc ſenſum ac ſcopum ferre. Ipſe pridie declaraſſet, quòd ἀπ' ἄρτι, i. e. *poſthac viderent cœlum apertum*, &c. quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, Nunc prodeo revelatione manifeſtandus, & memet ipſum deinceps oſtendam in publico Miniſterio meo, & in poteſtate. Itaque ab ejus verbis miraculi petendi occaſionem arripit *Maria*, ſicut nuper attigi. Verùm *Chriſtus* petitioni ejus renunciat, quia miracula ad doctrinam ſuam firmandam deſtinaſſet; & proinde congruum erat, ut priùs prædicaret, & miraculum primum ad Concionem potiùs, quàm in convivio, patraret. Et quòd hæc eſt mens hujus membri, inde poteſt inferri, quia concedit, ac *B. Virginis* matris ſuæ deſiderium vel tùm exequitur, cùm repellere videtur. Clementer eam primò reprehendit, quoniam ſe Miniſterio ejus immiſceret, tempus & occaſionem miraculis illis præfiniens, quæ ſe aliquando editurum promiſit. Sic facit in his verbis, *Quid mihi tecum, mulier?* tunc corrigit ſententiam ejus de miraculis edendis: nempe innuit quòd levi omni cauſâ movente non eſſent edenda, ſed ad doctrinam ejus ſtabiliendam inter iſtos incredulos, qui niſi ſignum viderent, credere nollent. Hoc factum reddit in hac clauſula, *Nondum venit hora illa mea.* Deinde autem miraculum, quod petierat, edit; quia novit ſine ac propoſito hîc minùs cariturum, ſcil. ſpectatorum fide. Neque caruit ſanè; credebant enim in eum, quos in ſuperiori Capite delegerat, Diſcipuli: *verſ.* 11. porrò de cognatis ſuis novi erant aſcripti. Adeo ut tametſi *Chriſtus* in priori hujus verſûs membro matrem ſuam directè reprimit, tamen in poſteriori deſiderium ejus non abſolutè rejicit, ſed exponit ſenſum verborum antecedentium maximè proprium. Si rogaverit quis, quando venit illa de qua loquitur hora; reſpondent nonnulli tùm veniſſe, cùm *Joannes Baptiſta* erat in carcerem detruſus, quippe quòd tùm dictum fuit, *Jeſus incepit prædicare*, &c. Atqui luculenter conſtat, & ſæpenumero prædicaſſe *Jeſum*, & ſigna quamplurima ante id tempus edidiſſe: ideoque verba illa, *Ab illo tempore cœpit Jeſus prædicare*, in alium ſenſum ſunt ſumenda, nec quaſi eſſent rerum anteactarum *antitheſis*, ut in loco apparebit. *Hora* autem, de qua hîc, intelligenda eſt de primo illo tempore, quùm publico ſuo Miniſterio fungeretur, & de miraculis poſtea editis; idque ad ſummum contigit *Hieroſolymis* in Paſchate, ut oſtendit *verſ.* 23. Nam *Hieroſolyma* extitit Metropolis, idemque locus, ubi *Meſſiam* præcipuè expectabant, proindeque Euangeliſta illuc nos propriè refert, ſigna poſthac edenda expectantes: & ad *horam ejus* obſervandam illuc adveniamus.

Quòd

JOANN. CAP. II. VERS. 5.

Quòd *Chriſtus* videretur huic miraculo refragari, ac efficeret tamen, adeò mirum eſt, ut nonnullos in hunc difficultatis enodandæ modum deduxerit, quòd nimirum dum aliquid vini ſuperfuerit, edere nollet, ne forſan miraculum non eſſet tam conſpicuum, quin ſuſpicarentur ſaltem aliqui, reliquum vinum fuiſſe commixtum. Cæterùm, omni prorſus epoto, patravit miraculum, ut tùm eſſet ſine controverſia ratum. Atque hujus ſententiæ cauſâ, quandoquidem Græcè legitur ὑστερήσαντος οἴνου, ſic interpretantur, ac ſi vinum non omnino deficeret, ſed deficere tantùm inciperet. Atqui nec à Græco verbo firmatur iſta interpretatio; nec ſi firmaretur, cavillationem eandem, ſi cavillari libuerit, impediret. Increduli enim iſti, qui antea dicerent vinum reliquum fuiſſe aquâ mixtum, pari jam poſſent ratione dicere, vinum aliud ſecretum fuiſſe aquâ miſtum.

Vers. 5. *Dicit mater ejus miniſtris, Quodcunque dixerit vobis, facite.*

Hìc movetur ſcrupulus, quoniam *Maria*, non obſtante quæ verſu priori paſſa fuerat repulſâ, tantam de re peragenda ſervat fiduciam, quantam monſtrat in præſenti. Diverſimodè à diverſis reſpondetur: nempe primò, quòd ipſa nihil dubitabat, quin Chriſtus ejus gratiâ miracula, quàm conſtituerat, citiùs ederet. Secundò, quòd ipſa certò ſcivit poteſtatem ejus, & erga omnes benignitatem. Tertiò, quòd ex illa quâ cum eo fruebatur familiaritate, communique cognito loquendi more, optimè novit fuiſſe minimè repulſam. Quartò, quòd major extitit *Mariæ* fides, quàm ut dubitare ſineret. Quintò, quòd poſt reprehenſionem inſtruendi gratiâ inflictam, ſpem forſan aliquam fecit miraculi edendi, vel verbo, vel geſtu, ab *Euangeliſtâ* reticendis. Sextò, quòd illìc ſubit *negatio probationis*, in Scriptura aliquoties uſurpata, uti *Geneſ.* 19: 2. Angeli dixerunt *Loto*, *Non*, *nam in platea ipſa ſumus pernoctaturi:* & *Matth.* 15: 26. *Non eſt bonum accipere panem liberorum, & objicere catellis.* Non quòd ab Angelis certò ſtatutum erat in platea pernoctare; ſed quia inſiſtendo experirentur quâ eſſet *Lotus* importunitate: nec quòd *Chriſtus* in animo habuit mulieri *Canaanitica* non omnino ſuccurrere; ſed quòd fidem ejus tentare voluit & exercere. Ita nos poſſumus repulſam hoc in loco intelligere; atque ita *Maria* intellexit: non quòd *Chriſtus* deſiderio ejus ac propoſito in ſolidum ſit adverſatus; [ex ſequela relucet contrarium] ſed quòd eam erudiret, intellectum ejus inſtrueret, ac fidem ejus probaret, intenderetque, ut inde videret firma eſſet, necne: ac erat quidem firmiſſima, atque ut ipſa fide rogavit, ita fide quoque perrexit, & juxta fidem ſuam effectum tulit.

JOANN. CAP. II. VERS. 6.

Vers. 6. *Erant autem ibi lapideæ hydriæ ſex, poſitæ ſecundùm purificationem Judæorum.*

Purificatio hoc in loco non deſignat aſperſiones illas & ablutiones, quas præcepit Lex ad immundorum purgationem: [immunditia enim iſta uſque ad veſperam adhæſit; ablutiones autem iſtæ quid habent cum convivio?] at deſignat verò lavationes iſtas manuum traditionales & Phariſaicas, quarum fit mentio *Matth.* 15: 2. quibus uſi ſunt Judæi ante panem comedendum; lotiones item poculorum, menſarum, & æramentorum, de quibus *Marc.* 7. Particularis occurrit in *Thalmude* Tractatus de hac manuum lotione, qui ידים inſcribitur, & rei præſenti aliquid lucis poteſt afferre. Diſſeritur ibi primò, de *quantitate* aquæ unius hominis manibus neceſſariæ, vel de *minimo quod ſic*, ut dicitur: quod ſi defecerit, invalida eſt lotio. Eorum hac de re regula ſic habet: מי הכיעורת נותבין לידי לא א ף לב מחציה לוג לנאו לד מלוג לחמשה ולעשרה ולמאה: hoc eſt, *Quartam partem Sextarii aquæ præbent manibus unius hominis, imò duorum; dimidium Sextarium manibus trium, vel quatuor; & totum Sextarium manibus quinque decem, vel centum hominum.* De hac menſura, quæ *Sextarius* vocatur, & in mentione eſt *Levit.* 14: 12. inſtituetur mox diſquiſitio.

Diſſerunt deinde de vaſe, in quo in hunc finem reponenda eſt aqua. Sic autem definiunt: בכל חכלים נתנין לידים אפילו בכלי נללים בכלי אבנים בכלי ארמה: hoc eſt, *Aqua manibus lavandis deſtinata in vaſe quocunque reponi poteſt, imò vel in vaſe de fimo bubulo confiĉto*, (nam ſic Gloſſa Hebraica ad locum interpretatur, נללים ſcil. צואת בקר) vel in *vaſe lapideo*; (talia erant vaſa hìc nominata) vel in vaſe fictili. Poſteà loquuntur de modo lavandi, fieri dicentes aquâ ex vaſe manibus aſperſâ. Diſputatur etiam apud eos ſuper genere hujus aquæ, quod aptius

tiùs conſiderabitur, cùm de *Matth.* 15. Deo volente, tractabimus: ubi proferri poſſit oratio, quam lavaturi concipere amabant.

Sed quantum ad præſens noſtrum attinet propoſitum, conſtat ex regula de manibus lavandis exhibita, vaſa hîc ab Euangeliſta nuncupata, non fuiſſe eadem ex quibus lavantes aquam ſuper manus profundebant; erant enim illa magis ponderoſa, quàm ut huic uſui inſervirent: atqui hoc in loco aquâ ſtabant repleta, ut inde pro data occaſione vel deprompta m in vaſa infunderent ea, ex quibus ſuper manus lavandas profundebant; vel ut aquâ inde exhauſtâ lavare poſſint pocula, menſaſve. Hydriæ *ſex* poſitæ fuerunt, non quòd ille vaſum numerus in iſtis occaſionibus ſit fixus ac perpetuus, nec quòd myſterii quid in eo contineatur; ſed iſte vaſum numerus fuit hoſpitum numero, multiſque futuris lotionibus accommodatus: memoratur inſuper eorum numerus ad miraculum magis illuſtrandum, cùm conſiderabitur non modò tantam aquæ menſuram fuiſſe in vinum extemplò converſam, ſed etiam in diverſis tot vaſis poſitam.

Capientes ſingulæ amphoras binas, aut ternas.] In horum vaſorum exquirenda magnitudine, abs re haud erit verba *Camerarii* de iis uſurpata præfari. *De menſuris, atque nummis cùm non potuerint à diverſorum populorum, & temporum hominibus, niſi diverſa tradi, conſequens eſt eſſe incerta de his rebus nobis omnia.*

Hodierna tum nominum menſurarum, tum menſurarum ipſarum in noſtro terrarum orbe differentia, ſat eſt evidentiæ, ſat argumenti pro unius ex hiſce differentia, neque opus eſt aliunde petitâ, ſeu evidentiâ, ſeu argumento. Et nos idcirco non auſi fuimus abſolutè definire qualis menſura eſſet dicta *Metreta*: exhibebimus tantùm collectas quaſdam hac de re conjecturas opinioneſque; & lectorum ſit judicium.

Syrus exponit nomen Μετρητὴς per רבעין, *quartas partes:* at cujus, dubium eſt: niſi alludat ad menſuram ex *Thalmude* nuper citatam, & intelligat *Quadrantem Sextarii*, minimæ menſuræ in manibus lavandis uſurpatæ. *Arabs* ipſum Græcum verbum tantùm non reſervavit, ideoque lucem nullam addit explicationi.

Obſervatum priùs dedimus, quòd *Septuaginta* hoc nomine utantur ad בת & סאה exprimendum. Quòd ſi eadem eſſet utriuſque harum menſurarum quantitas, eademque capacitas, hinc eſſemus conjectando de *Metretæ* ſignificatu: at eadem non erat. Quòd *Bathus*, & *Epha* una & eadem fuerint menſura, certo conſtat: *Epha* aridorum, Bathus verò liquidorum. *Epha, & Bath ſummæ unius eſto, ut capiat decimam Chomeris Bath; & decimam Chomeris Epha capito*, Ezech. 45: 11. At *Sea* continebat tertiam tantùm *Bathi*: atque adeò in *Erubhim*, inquit *Thalm.* quòd *Bathus* continet שלש סאין, tria Sata. Ita etiam *Paraphraſtes Chald.* in illo loco *Ezechielis*, מקוס חד יהו לכון כרום תלת סאין, *Epha & Bath ſumma unius eſto*, ut contineant *tria Sata*. Idem autem affirmat *Rabbi Solomon* in illo loco, dicens *Chomerem continere triginta Sata*; quippe ſic *Bathus* & *Epha* tria continent, ut ſint decima Cori. Et in hunc ſenſum loquuntur *Chaldaica Verſ.* & LXX. cùm reddunt *Epha* per תלת סאין, & τρία μέτρα, *Exod.* 16: 36. & *Iſaj.* 5: 10. Hoc autem nonnihil lucis affert locutioni illi, *Geneſ.* 16: 6. *Feſtina tria Sata, farinam ſimilagineam depſe:* שלש סאים, *tria Sata*, i.e. *Epham* para: & *Matth.* 13: 33. *Fermentum mulier indidit in farina Sata tria*, εἰς σάτα τρία, i.e. in *Epham*. Ex hac differentia menſurarum, ſcil. *Ephæ*, & *Sati*, & ex eo quòd uno eodemque verbo utuntur *Septuaginta* ad utramque menſuram exprimendam, uſos fuiſſe conſtat voce Μετρητὴ in ſenſu generali, vel ad hanc, vel ad illam menſuram exprimendam: ideoque uſui ferè nulli ſunt certam & fixam *Metretæ* capacitatem definientibus.

Memoriæ traditum accepimus, in uſu fuiſſe hanc menſuram cùm apud Græcos, tum apud Romanos: at cujuſmodi fuit inter illos exquirendi moleſtiam lectori non faceſſam. Nam ſicut hiſtoria, de qua nunc agitur, Judaica audit; ita non modò lectoris operæ proſpiciemus, ſed etiam maximè probabilem & contractam veritatis inveniendæ rationem ingrediemur, ſi hanc menſuram inter iſtas tantùm Judæorum menſuras, quæ liquidorum erant, inveſtigemus, nam ea fuit menſura, de qua præſens inſtituitur diſquiſitio.

Quò meliùs intelligatur res jamjam quæſita, præter rem non erit (nec certè lectori inutile) huic methodo inſiſtere. Primò nempe, recenſere univerſas, & præſertim liquidorum, menſuras à Judæis tunc temporis uſurpatas. Secundò, ſeligere & ſegregare, quoad ejus facere poterimus, ex omnibus unam illam,

JOANN. CAP. II. VERS. 6.

lam, quæ hîc ab Euangeliſta Μετρητὴς nuncupatur.

Primò igitur recenſebimus menſuras à Judæis tunc temporis uſurpatas.

חומר. I. Omnium maxima erat *Homer*, cujus fit mentio *Levit.* 27: 16. *Numer.* 11: 37. *Iſaj.* 5: 10. *Hoſ.* 3: 2. *Ezech.* 45: 11. derivatum vel ab *Hamor*, quod ſignificat *aſinum*, utpote *aſini* ſarcina eſt: vel potiùs denotans *acervum*; ita enim ſignificat verbum, *Exod.* 8: 14. *Hebr.* 3: 15. ut quod tantum continuit, quantum in magno acervo continetur.

כור. Eadem hæc menſura *Corus* etiam appellatur, 2 *Paralip.* 2: 10. *Ezr.* 7: 22. 1 *Reg.* 5: 11. Nam *Homerem* & *Corum* eandem fuiſſe conſtat non tantùm ex LXX. ubi *Homer* transfertur Κόρος, *Levit.* 27: 16. *Numer.* 11: 32. &c. ex *Paraphraſte Chaldaico*, qui ſimiliter reddit per verbum Κόρος, *Ezech.* 45: 11. atque ex Judæorum conſenſu; ſed etiam ex diſerto Scripturæ textu, *Ezech.* 45: 14. *Offeretis decimam Bathi è Coro, vel Chomere decem Bathorum*, &c.

לתך. II. Secunda eorum menſura erat *Lethech*, cujus fit mentio *Hoſ.* 3: 2. nec alibi. Hæc menſura erat *Semihomer*, vel *Semicorus*, ſicut Græci & Hebræi dicti loci Interpretes generaliter exponunt, & ipſe loci ſenſus interpretari cogit. Nam Propheta in illo loco planiſſimè deſcribit æſtimationem omnium ætatum univerſorum marium *Iſraëlis*, prout æſtimabantur, *Levit.* 27. Hic autem verſus expoſitus & conſtructus ſecundùm illud Caput, ipſe dicit, quòd *Lethech hordei* erat *Semichomer*, uti habet Verſio noſtra *Anglicana*.

בת איפה. III. Tertia illorum menſura erat *Bath*, & *Epha*, illa liquidorum, hæc aridorum, ut antè dictum eſt. Erat autem utraque decima *Homeris* ſive *Cori*, *Ezech.* 45: 11. Judæi in 1 *Reg.* 7: 26. *Bathum* in uno genere ad arida metienda applicant: quandoquidem enim ibi dicitur, quòd lacus fuſus continebat bis mille *Bathos*, & 2 *Paralip.* 4: 5. ter mille *Bathos*; duos illos locos in genere ſic conciliant: ajunt nempe, quòd bis mille liquidorum, at ter mille aridorum capiebat, quoniam hæc poterant ſupra labia ejus coacervari, ita ut mille *Bathi* adderentur. Vide *Paraphraſ. Chaldaic. R. Solom. R. Lev.* & *Kimchi*.

סאה הין. IV. Quarta illorum menſura *Satum* vocabatur, quod erat tertia pars *Epha*, de qua ſuperiùs. Quinta autem, liquidorum menſura, *Hin* appellabatur, cujus fit mentio *Exod.* 29: 40. & 30: 24. *Numer.* 5: 4, 5, &c. *Aben Ezra* in *Exod.* 29. hanc Ægyptiacam fuiſſe menſuram exiſtimat. Concludunt autem cæteri Judæi, *duodecim Sextarios* cepiſſe. Ita *Kimchi in Michol*, ac ad eundem ſenſum *R. Solom.* ad *Exod.* 29. ubi exponit *quartam Hinis*, שלשה לוגין, *tres Sextarios*. Proportio illa quam inter legendum invenimus inter ſimilam, & res liquidas in oblationibus eorum, parum prodeſt in quantitate hujus menſuræ exquirenda, quum *Hin* ad *Epham* ſit proportionatus, *Ezech.* 45: 24. & *dimidium Hinis* ad *ternas decimas*, quæ non erant plena tertia *Ephæ*, Numer. 28: 12, 14.

V. Quinta illorum menſura erat *Sextarius*, jam nuper nominatus, & in mentione *Levit.* 14: 12. nec alibi. Ibi autem à *Septnaginta* transfertur Κοτύλη, *Cotyla*. לג.

VI. In mentione porrò erat *Homer*, *Exod.* 16: 36. Et ille עמר, *Homer*, erat decima *Ephæ*, quemadmodum *Epha* erat decima *Homeris* חמר. Ille igitur vocatur עשרון, *decima*, prout Verſio * Anglicana habet, *Numer.* 15: 6. & 28: 13, 14. quia decima fuit *Ephæ*. עמר.

* *A tenth deale.*

VII. *Cabi* inſuper facta eſt mentio, 2 *Reg.* 6: 25. in triſtiſſima illa mirabilique famis *Samaritica* hiſtoria, cùm *quarta pars Cabi fimi columbarum eſſet quinum ſiclorum argenti*. קב.

VIII. Ξέστης denique legitur, *Marc.* 7: 4. ſive *Sextarius*, ut benè tranſtulit *Beza*, cujus verſioni aſtipulatur *Galenus*; & eidem ſenſui, ut apparet, ſuffragatur *Syrus*, eandem Græcam vocem uſque retinens. At quandoquidem Romana hæc erat menſura, prætermittendam cenſemus. Ξέστης.

Quod ſi ſecundò ſeligamus, ſegregemuſque, quoad ejus facere poterimus, ex omnibus menſuris unam illam, quæ hîc ab Euangeliſta Μετρητὴς nuncupatur, quantum ipſe ſum judicando, ſeligendus eſt *Bathus*, idque hac de cauſa: quia ex omnibus liquidorum menſuris vulgatiſſima fuerit *Bathus*, prout *Epha* aridorum. *Homerem* & *Corum* metiri ſolebant per *Bathum* & *Epham*, quemadmodum Noſtrates (quod vocant) *Quartarium* per *Modium* metiuntur, *Ezech.* 45: 14. ac inferiores omnes menſuras in proportionibus ſuis diverſis ad *Bathum* & *Epham* accommodant, *Ezech.* 45: 10, 11. Et proinde, quandoquidem Euangeliſta *Metreta* facit mentionem, vel, prout ipſa vox emphaticè quidem ſignificat,

JOANN. CAP. II. VERS. 6.

Menſura: neſcio ad quod menſuræ genus tam propriè poſſit applicari, quàm ad illud *Bathi* notiſſimum. Verum eſt quidem *Hinem*, ſimul cum Epha, menſuram fuiſſe vulgatiſſimam, ad quam, perinde ac ad *Bathum*, cæteras exigebant, *Levit*. 19: 36. At menſura fuit rerum ſolummodo ſacrarum, putà olei, vinive offerendi; aliarumque prophanarum, quod ſcio, nunquam.

Sed vulgatiſſima rerum communium & prophanarum menſura, quantum ad liquida, erat *Bathus*, qui illic, aliiſque nonnullis in locis, ſub voce *Ephæ*, cui æqualis erat, concluditur. Ideoque ſicut apud Noſtrates, ubi *Modius* eſt vulgatiſſima aridorum menſura, ad quam cæteras accommodant, [& quâ, octies repetita, *Quartarium* metiuntur, necnon ad quam dimidium *Modii*, at Quadrans *Modii* ſuas tenent proportiones] per vocem, *menſura*, Modium communiter intelligimus: atque ſi quærat quis, quanti vendunt frumenti *menſuram*; *Modium* actutùm ſentiunt intellectum. Eodem modo vocabulum Μετρητοῦ, & in Græcia ubi vernaculum erat, & aliis in locis ubi vernaculum non erat, uſurpabatur; & intelligebatur illis in locis de illa menſura, quæ fuit vulgatiſſima, necnon aliarum quidem menſurarum menſura, quemadmodum *Bathus* erat omnium liquidorum inter Judæos menſura. Nequeo igitur quin per nomen Μετρητοῦ hoc in loco *Bathum* intelligam.

Jam verò narrare quanta fuit tum hujus, tum aliarum menſurarum ſupra dictarum capacitas, difficile eſſet. Nos igitur ea in re nimiùm curioſi eſſe nolumus, quin ſicut nec tempori præſenti, nec loco convenit, ita paucis expediemus, lectorem ad illos Authores referentes, qui hac de re conſultò ſcripſerunt: tantùm particularia hæc pauca impræſentiarum expendat.

Primò, ipſi Judæi ſingulis ſuis menſuris, quarum fit mentio, hanc ſtatuunt capacitatem.

I. רביעית, *Quadrans:* cujus nonnunquam faciunt mentionem ne verbo plus addito, verùm ſignificat quadrantem *Sextarii*, continet ביצה ומחצה, unum ovum cum dimidio: ita Commentarius Hebr. in *Mishna Jadajim, Perek*. 1. Hæc menſura aquæ duorum lavandis manibus ſufficeret, ſi major non extiterit copia.

II. לוג, *Sextarius* continet quatuor Quadrantes, והוא שיעור ששה ביצים, & ſex Ova, ait *Kimchi* in *Michol*.

III. קב, *Cabus* capit 4. *Sextarios*, id eſt, 24. *Ova*, *Alpheſ. de Paſchate*, Cap. 5.

IV. הין, *Hin* capit 12. *Sextarios*, ſive tres *Cabos*, id eſt, 72. Ova. *Idem*.

V. סאה, *Sea*, ſive *Satam*, continet 2. *Hin*, 6. *Cabos*, 24. *Sextarios*, 144. *Ova*. *Idem* & *Kimch*. ubi ſupra.

VI. איפה & בת, *Epha*, & *Bathus*, 3. *Sata*, 6. *Hin*, 18. *Cabos*, 72. *Sextarios*, & 432. *Ova*. *Idem*.

Secundò, juxta ſupputationes haſce pro veris inter Judæos in genere habitis, longè minor erit harum hydriarum capacitas, quàm ſtatuerunt ei, qui ſingulas *Metretas* centum vini libras continuiſſe putaverunt, & qui *Chriſtum* hoc miraculo duas vinib, *tonnas*, exceptis ducentis libris, præbuiſſe autumarunt. *Bathus* Judaicus multo fuit minor, ut inde appareret, ſi aliunde nullum emergeret argumentum, quòd *Epha*, eadem cum *Batho* menſura, tantam capiebat frumenti copiam, quanta in panem ſubacta decem hominibus ſufficeret unum diem, at haud plus. Hoc palàm eſt, *Exod*. 16. ubi menſuram *Hameris*, quæ eſt decima *Ephæ*, in ſingula capita ſingulis diebus collegerunt. Palàm etiam facit *Paraphraſtes Chaldæus*, ex eo quod ſupponit ſuper *Ruth*. 3: 15. ubi juxta ejus tranſlationem, quæ admodum videtur accommoda, duas *Ephas*, vel ſex hordei *Seas*, in ala ſua geſtat *Ruth*. Septuaginta autem non putabant certè, *Bathum* centum libras aquæ continuiſſe, ſiquidem vertebant κεράμιον ἓν, *una amphora*, Iſaj. 5: 10. ubi verba hæc ſequentia, *Decem jugera vinearum reddent Bathum unicum*, & *ſementis Cori reddet Epham*, ſic transferunt, *Ubi decem paria boum operantur*, *reddet amphoram unam*, & *qui ſex Artabarum ſementem facit*, *tres menſuras*, q. d. *tria Sata metet*. Ubi pariter atque aliis in locis quin obſervem non queo, Satum, quod menſura erat vulgatiſſima, *μέτρον*, *menſuram*, vocatum fuiſſe: credo porrò *Bathum* & Epham, quæ ejuſdem menſura ſtata extiterunt, Μετρητὰς appellari. Exactam earum capacitatem definire mitto, ut quod diſcurſum requirit ſtatutum, ac conſultum: ſed ex antè dictis hac de re conjecturam faciat lector.

JOANN. CAP. II. VERS. 6.

Digitized by Google

JOANN. CAP. II. VERS. 8.

Vers. 8. *Architriclino.*

Facta eſt apud Authores Ethnicos *Sympoſiarchi* mentio, de quo fuſè *Plutarchus* in *Sympoſ. lib.* 1. *Quaſt.* 4. ex cujus ſcriptis ejus ideo colligere deſcriptionem abs re haud erit, ut commodiùs poſſimus deprehendere, idem fuerit noſter hîc *Architriclinus*, ac eorum illîc *Sympoſiarchus*, necne.

Is erat ex convivis aliquis, τῶν συμπαρόντων συμποτικώτατος, μήτε τῷ μεθύειν εὐάλωτος, μήτε πρὸς τὸ πίνειν ἀπρόθυμος, qui omnium feſtiviſſimus, genio quidem, ſed ebrietati minimè indulgeret. Ejus erat officium convivas univerſos excipere; confuſione autem eos, turbiſque, non hilaritate prohibere; diverſum cujuſque temperamentum obſervare; quantum vini huic, quantum illi ſufficeret notare; atque adeò pro vario illorum ſtomacho, cerebroque, variam porrigere vini menſuram, ad æqualitatem & conſonantiam inter omnes conſervandam. Idem hoc ut efficeret, ſolenne erat primò, bibendi libertatem cuique edicere. Ἐμαυτὸν αἱροῦμαι Συμποσίαρχον ὑμῶν, καὶ κελεύω τοὺς μὲν ἄλλους ὡς βούλονται πίνειν ἐν τῷ παρόντι. *Ego ſum*, inquit, *Sympoſiarchus*, *& impero, ut pro ſuo cuique arbitrio concedatur bibendi copia.* Secundò autem, obſervare quantum quiſque potare potuit, atque vinum ejus, qui profuſè nequiret bibere, aquâ diluere, ut is, æquè ac fortiores alii, ſobrius evaderet. Atque adeò duplex erat hujus *Sympoſiarchi* officium. Primò curandum erat, ne quis ad pocula cogeretur; deinde ne quis ultrò eſſet ebrius. Simili huic munere fungi videri poteſt hoc in loco *Architriclinus*, videatur nempe convivio eſſe, vinoque præfectus. Hoc autem eo magis, quòd noſter jubet Servator, ut natum ex miraculo vinum afferant miniſtri, ab eo primùm deguſtandum. Ego tamen ſentio *Architriclinum* hunc fuiſſe non *Sympoſiarchum* à *Plutarcho* depictum, ſed principem convivam. In quæſtione enim, nec immeritò, eſt, in uſu fuerit apud Judæos *Sympoſiarchus*, necne. Nam [non quòd hoc in loco accubitûs in conviviis rationem depingemus, (aliàs id factum erit commodiùs) quanquam ad conjecturam hanc probandam nonnihil inde colligere poteramus] perpendatur tantum, illum, cujus ſit mentio, *Architriclinum* nihil non de vino ignoraſſe. Si *Plutarchi Sympoſiarchus* hîc adfuiſſet modò, is certè perſentiret, quanta fuerat vini copia, quot ejuſdem domi apud ſe genera. Cerneret inſuper reliquum jam nullum, necnon extremo ſe defectu laborare; tunc enim ipſi pro munere incubuit, præter omnia reliqua, vini cura. Verùm *Architriclinus* cuncta hæc neſciebat, exiſtimans ſponſum fraude honeſtâ utentem vinum optimum etiamnum reſervaſſe, quum aliis contrà peſſimum reſervare moris erat. Loquitur porrò convivæ, non convivii rectoris, ritu; atque noſter omnium Servator ad eum mittit vinum, tanquam ad virum ſummum, qui optimè cerneret vini ſaporem, eundemque pariter, ac miraculum cæteris omnibus convivis publicaret.

JOANN. CAP. II. VERS 12, 13.

Vers. 12. *Poſtea deſcendit Capernaum, & manſit illic non multos dies.*

Capernaum ſua ipſius erat civitas, ut antè dictum eſt, & eò ſemper rediit, quemadmodum *Samuel* poſt circuitum peractum *Ramam* uſque, utpote urbem ſuam, revertebatur, 1 *Sam.* 7: 16. Vide ſis *Matth.* 4: 13. & 8: 5. *Matth.* 9: 1. cum *Marci* 2: 1. collatum, *Matth.* 17: 24. *Joann.* 6: 17. &c. manſit illîc pauliſper quidem, quòd in cauſa erat Paſcha *Hieroſolymam* ut aſcenderet. Sic autem, veniente Paſchate, ex quo baptizatus erat præterierat ſemiannus, cujus dies quadraginta in eremo egit in ſuo ante Tentatoris adventum jejunio, præter id temporis, quod in triplici tentatione, quod in itinere ad deſertum, quod in reditu etiam abſumpſit. Dies tres ad *Jordanem* trivit ac in via ad *Galilæam*, *Joann.* 1: 29, 35, 43. die autem conſequente in *Cana* adfuit convivio: dies hic erat quartus poſt reditum ejus à deſerto, attamen tertius, quòd Diſcipulos primus collegit. Ita ut ex omni illo tempore inter Chriſti Baptiſmum ac primum ejus Paſcha interpoſito, ſex tantùm, vel circiter, memorentur hebdomadæ. Reliquum tempus reticetur, cujus haud parum in *Galilæa* peragranda, necnon in Euangelio inibi prædicando conſumpſit: ad hanc rem accingit ſe, *Joann.* 1: 43.

Vers. 13. *Nam propè erat Paſcha Judæorum: aſcendit igitur Jeſus Hieroſolymam.*

Ex reliquis Euangeliſtis nullus, aliud poſt *Chriſti* Baptiſmum Paſcha, memoriæ mandavit, præter unum id paſſione ejus notiſſimum. Cæterùm *Joannes* non id unicè, quinetiam alia tria antè celebrata com-

Digitized by Google

JOANN. CAP. II. VERS. 13.

commemorat. Sic autem à quatuor uſque Euangeliſtis integra memoratur Hiſtoria. Tria ejus Paſchata diſertis verbis, & nominatim quidem memoravit *Joannes*, videlicet unum hîc, aliud Capitis ſexti verſu quarto, & noviſſimum Capitis duodevicefimi commate triceſimo nono. Quartum non tam dilucidè nominavit, at deſignavit tamen Capitis quinti primo, prout ſuo in loco, ſi Deo placuerit, oſtenſum dabitur. Nunc autem à Baptiſmo *Chriſti* lapſus fuit ſemiannus, atque ad mortem ejus tres uſque reſtant anni: unde apparet, triennium cum ſemeſtri ſimul ſpatio fuiſſe interjectum inter unctionem ei pro opere Euangelii à Spiritu collatam, & ſuam ipſius in cruce oblationem. Vide Annotata ad *Luc.* 3: 21.

Quandoquidem verò Euangeliſta *Judæorum* nuncupat *Paſcha*, ideo ſic nuncupaſſe cenſet *Janſenius*, ut diſtingueret à *Paſchate Chriſtianorum*, quod tùm, inquit, cùm Euangelium ſuum ſcripſerit *Joannes*, per cunctam Aſiam celebrabant. *Baronius* autem ulterius procedit, idemque voluit hinc probare, quòd *Joannes* Sabbatum Chriſtianum *Diem* vocat *Dominicam*, Apocal. 1. *Annal.* ad *annum* 159. Operæ pretium minùs erit, ſaltem hîc, cùm antiquitatem, tum originem *Paſchatis* Chriſtiani primitivis in temporibus ruſpari. Orta inter Eccleſias, Orientalem hanc, Occidentalem illam, de die lis, in Hiſtoriis Eccleſiaſticis eſt notiſſima. Cæterùm hanc non eſſe Euangeliſtæ hoc in loco mentem, ſatis probant alibi ſua eâdem de re verba, ubi nimirum appellat *Paſcha*, *Judæorum Feſtum*, Cap. 6: 4. adeoque demonſtrat, quòd cùm *Paſcha* dixerit *Judæorum*, à feſto quovis Chriſtiano diſtinguere non tam deſtinavit, quàm quid eſſet apud Judæos indicare, atque hoc ab aliis eorum feſtis diſcriminare.

Aſcendit igitur Jeſus Hieroſolymam.] I. Aſcendit ideo, legi ut pareret, *In Dei conſpectum ſiſtant ſe maſculi*, Exod. 23: 17. Hâc lege tenebantur univerſi, exceptis duntaxat infirmitate aliquâ laborantibus. *Ut ſiſtant ſe neceſſe eſt omnes, niſi quòd excipiantur ſurdi, ſtulti, infantes, is cui contuſa ſunt genitalia, Hermaphroditi, mulieres, ſervi nondum rude donati, membris, oculis capti, morbo, ſeniove correpti.* Hæc Traditio Thalmudica, *Hagigah*, *Perek.* 1.

Dubii nihil eſt, quin ſingulis antè annis ad Paſcha venerit *Chriſtus*, adhuc privatus, unicum licet ejus iter in mentione ponatur *Lucæ* 2. Nunc verò propter aliam venit rationem, ac diverſam ob cauſam. Venit tunc hac ſola de cauſa, ut Paſcha celebraret, inſtitutoque illi obedientiam exhiberet: hac ſimiliter de cauſa nunc venit; verùm non hac ſolâ. Quinimo II. nunc venit etiam, ut in majore populi confluxu ſuam publicaret doctrinam, ſuaque ederet miracula. Hoc primum erat poſt Baptiſmum ejus feſtum: (neque enim Encænia in ſolennitatum magnarum tabulam referimus) hoc autem ex tribus illis maximum extitit feſtum: nunc etiam maximus erat quem illîc poterant expectare populi concurſus: ergo tempus hoc fuit ſummè opportunum, quo ſe *Chriſtus* inciperet oſtendere, quandoquidem ſummam optavit populi frequentiam. Atque ſi nec feſti religio obligatum eum tenuiſſet, nec obligatum ſe agnoviſſet, ad iter tamen illud ſuſcipiendum idem hoc ſat fuiſſet argumenti.

JOANN. CAP. II. VERS. 13, 14.

Lex Judæorum Cæremonialis obligatos eos tenebat, vel quatenus privati erant particulareſque homines, vel quatenus congregationis, populique *Iſraëlitici* membra. Paſcha, aliaque eorum feſta generis erant poſterioris: in iis enim univerſi ſimul erant *Iſraëlis* maſculi, quaſi in unam ſocietatem adjuncti, atque ad hoc eos docendum hic inſtitutus erat conventus. Quanquam autem Servator noſter exactè non obſervavit iſtius Legis Cæremonialis partes, quæ ad homines pertinebant privatos, particulareſque; nullibi enim legimus ſacrificium illum feciſſe, purificationis aquâ fuiſſe reſperſum, vel quemvis id genus ritum coluiſſe. obſervavit tamen illos ſemper ritus, qui ad homines ſpectabant, quatenus Eccleſiæ *Iſraëliticæ* fuere membra, Circumciſionis præſertim, & Paſchatis Sacramenta, quæ ſummi erant Communionis illius ritus. In rei hujus meditatione ſedulò verſentur Schiſmatici.

VERS. 14. *Et invenit in Templo.*

Totus *Mons Domûs* (uti vocant ferè Judæi) *Templum* appellabatur, hoc eſt, totum id ſpatium, quod muro cinctum, מחול à profana, communive terra diſtinguebatur, *Ezech.* 42: 20. Area hæc ſic cincta quingentos erat cubitos longa, & totidem item lata. In ſuis quas exhibet dimenſionibus *Ezechiel*, hunc quingentorum numerum utrobique retinet, quamvis non de cubito loquitur, ſed de arundine ſex cubitos, ac palmum latâ, *Ezech.* 42: 20. deſumptæ erant ex hoc ſpatio diverſæ hæ menſuræ. Primò, fœminarum Atrium, quod 135. cubitos erat longum, totidem ſimiliter latum. Deinde, Atrium *Iſraëlis*, Atrium Sacerdotum

Digitized by Google

JOANN. CAP. II. VERS. 14.

dotum, ac locus Templi, quorum omnium longitudo ab Oriente ad Occidentem per 187. cubitos extendebatur, latitudo autem à Septentrione ad Meridiem per 135. cubitos. Longitudo ſic erat diſtributa, דריכת ישראל א עשרה, Iſraëlis veſtigium undecim erat cubitorum; totidem erat & Sacerdotum. Altaris ambitus erat cubitorum 32. Interſtitium inter Altare, ac Porticum 12. Templi ipſius longitudo 100. erat cubitorum; atque ultra Oraculum verſùs Occidentem cubiti 11. extendebantur. Sic metitur *Thalm.* in *Maſſecheth Middoth, Perek.* 2. & 4. 1. Ita ut ab introitu Atrii mulierum ad parietem uſque inter terram ſanctam, & profanam, interjectum ad partem Templi occiduam, trecenteni viginti duo eſſent cubiti; atque omnium Atriorum latitudo erat eadem, ſcil. 135. cubitorum. Porrò verò ſecundùm hanc ſupputationem, ſpatium extra hæc Atria poſitum, at intra magnum tamen parietem, qui inter terram ſanctam, & profanam extructus erat, ad partem Orientalem, ſive ante Atrium mulierum latitudinem 178. cubitorum aſſumpſit, ac ſecundùm latera omnium Atriorum ab Oriente in Occidentem tendentium per 365. cubitorum latitudinem producebatur; præter id ſpatium, quod occupabant ædificia in diverſorum Atriorum angulis extructa, quæ quadraginta circumquaque cubitos in externo hoc ambitu aſſumpſerunt. Externus hic ambitus à Chriſtianis Scriptoribus *Atrium Gentium* utplurimum vocatur, quoniam in hoc adoraturis Gentibus, atque munera oblaturis ingredi licet: at Scriptores Judaici הר הבית, *Montem Domûs* aliquando nuncupant, quum nempe vellent ab Atrio, Temploque diſtinguere. Hoc vocatur *Atrium extra Templum,* Apocal. 11:2. attamen ferè etiam in Scriptura Templum appellatur; perinde Templum, ſive ſancta ejuſdem terra in antitheſi ad Civitatem ponitur. Extimum hoc Atrium, ſive ſpatium reliqua plus minùs Atria undique cingebat. Ad hoc autem referri videtur in *Thalmude*, ubi dicitur, *Montem Domûs* חמש מאות אמה על חמש מאות אמה, *quingentos fuiſſe cubitos ſuper quingentos, aut per quingentos cubitos quadratum: maximum autem ejuſdem ſpatium ad Meridiem jacebat, ad Orientem pars ſecunda, ad Septentrionem tertia, minimaque ad Occidentem; ac ubi ſpatium erat maximum, maximus ibi & cultus.* Huic *Gentium Atrio* quinæ fuerunt portæ, ad Meridiem binæ, quas שערי חולדה, *portas Huldah* vocabant. *Hæ tum introeuntibus, tum exeuntibus erant accommodæ. Una ad Occidentem, cui nomen erat* קיפונוס, *Cephuno: hæc ſimiliter duplici illi uſui deſerviebat. Una porrò ad Septentrionem, cujus uſus erat ne quidem ullus, & vocabatur* טדי, *Tadi. Una inſuper ad Orientem, quæ Regiæ Shuſhanis imagine ornabatur,* Middoth, Perek. 1. Nam *quum ipſi*, inquit Gloſſa Hebr. *ex Babele aſcenderint, juſſit Rex Perſicus, Shuſhanis Regiam in portis Domûs ideo depingerent, ut regnum illud ipſis eſſet timori.*

Atrii hujus introitus per portam Orientalem factus nullus fuit, nam per illam ſolummodò Pontifici patebat aditus, ad bovem rubram concremandam feſtinanti, atque illis præterea qui ei eſſent adjumento; ſed introitus adoratorum omnium ad Meridiem erat, ubi duæ portæ, quarum una introeuntibus, exeuntibus altera inſerviit. In externum hoc Atrium ſunt Ethnici Proſelyti non tantùm ingreſſi, ſed etiam Ploratores, Leproſi, Excommunicati.

Lavare interdictum erat Ploratori, dum veſte pullatâ eſſet indutus, אבל אסור לרחוץ, *Beracoth, Perek.* 2. licitum tamen erat illi hunc in locum adorandi cauſâ venire. Oſtendit autem ſe fuiſſe Ploratorem, eò quòd portis inſuetis & introivit & exivit. *Interrogantibus autem cur ita fecit; reſpondit, Plorator ſum. Ad hæc reponebatur, Solatium tibi afferat, qui hac in Domo inhabitat.* Vel *reſpondit, Excommunicatus ſum,* שאני מנודה, *& reponebatur, Is cui hac in Domo extat habitatio, illis in animum inducat, ut te hunc in locum revocent: vel, Is cui hac in Domo extat habitatio, in tuam ipſius mentem inſpiret, ut ſociorum tuorum ſermonibus obtemperes, & comites tibi ſe ipſi rurſus adjungant.*

Atrium hoc à fœminarum Atrio crate lignêa in altitudinem tredecim palmorum erectâ diſcernebatur. In cujus Atrii fœminarum angulo Septentrionali verſùs Boream ſito, nempe in ipſo Atrii Sacerdotum angulo, ædificium erat, quod vocabatur לשכת מצורעים, *Camera leproſorum*, qui illuc adventantes, in iis erant tanquam in hoſpitio, dum explorabant eos Sacerdotes. Sic Ethnici, Ploratores, leprâ laborantes, Excommunicati, cultui publico in Templo præſtito interfuerunt, atque in externum hoc Atrium ad libitum ſunt ingreſſi. Jam verò boves, oveſque in eo erant: idem enim hic erat locus, quo Chriſtus ſimul cum numulariis hoc tempore invenit.

Venditores boum, & ovium, & columbarum.] Veneunt hæc pro ſacrificiis: pro Paſchate agni, & pro feſto conſequente boves;

JOANN. CAP. II. VERS. 14.

ves; columbæ autem pro oblationibus mulierum iſtarum, ac leproſorum purgatorum, *quibus tantæ non ſuppeterent facultates, quantæ agno emendo ſufficerent, *Levit.* 12: 18. 14: 21. Et videtur quidem paſſerculos ad lproſum purgandum in hoc forum fuiſſe inductos: atque huc forſan alludit Salvator noſter, *Matth.* 10: 29. *Nonne duo paſſerculi aſſario veneunt, & quinque aſſariis duobus?* Luc. 12: 6. Invaluit apud Judæos traditio, *Quòd in feſtis diebus holocauſta* מן החולין, *ex vulgaribus ovibus*, vel *bobus*; *verùm ſacrificia illorum Euchariſtica ex decimis conſtabant*, Chagigah, Perek. 1. Hæc porrò traditio, rei convenientiæ addita, fecit ut forum pecorum ac volucrium ad hunc finem *Hieroſolymis* tunc temporis erigerent, cùm ſacrificia non pauca ſcirent brevi futura, ne ad agnum Paſchalem, aut bovem; vel ad agnum ſacrificii, aut bovem ſecum ferendum cogerentur ii, qui ad Paſcha, aliave feſta celebraturi ex longinquo venerint, perinde atque Salvator noſter, aliique itineris ejus ſocii hoc tempore veniebant; quoniam *Hieroſolymis* cùm attigerint, quibuſcunque uſus erat, ea Græcâ fide oppidò poſſint mercari. Nunc autem nimius commodi amor in Atrium uſque Templi forum iſtud induxerat.

Et numularios ſedentes.] Hiſtoria hujus ſimilis ſub noviſſimum *Chriſti* Paſcha, quando aſinæ inſidens *Hieroſolymam* magnificè intravit, enarratur, *Matth.* 21: 12. *Marc.* 11: 15. *Luc.* 19: 45. ubi cùm ementes, tum vendentes è Templo exturbavit, ſicut hîc exturbaſſe dicitur. Veriſimile autem eſt, ipſum verberaſſe eos, id licèt non exprimatur, & verbis quoque gravioribus inceſſiſſe: hìc enim, niſi *mercatores*, non vocat; (prima hæc erat admonitio) ſed illìc *latrones* planiſſimè appellat.

Euangeliſtæ *Matthæus* & *Marcus* voce κολλυβιστὰς, *numularios* locis ſuprà dictis deſignant: hoc autem in loco Euangeliſta *Joannes* dictiones utraſque κολλυβιστὰς & κερματιστὰς uſurpavit. Unicum ubique verbum, מערפנא, retinet *Syrus*; idem facit & *Arabs*. At verò quales erant *argentariorum iſtorum* & *numulariorum* partes, (ambobus enim nominibus hiſce vocant Interpretes Latini) citra difficultatis aliquid non inveſtigabitur. Hujuſmodi homines apud Romanos in crebra ſunt mentione, atque unum pro multis proferemus *Suetonii* de *Auguſto* exemplum, cui exprobrarunt nonnulli proſapiæ ejus obſcuritatem, ut qui erat *nepos numularii*. Irriſio hæc in epiſtola *Caſſii Parmenſis* ſic ſonat. *Materna tibi farina; ſiquidem ex crudiſſimo Ariciæ piſtrino hanc finxit manibus collybo decoloratus Nerulonenſis menſarius*, Sueton. in *Aug.* cap. 4. Fertur enim fuiſſe *Auguſtum* molitoris nepotem. Hic facta eſt *collybi* mentio, unde derivatur vox κολλυβιστὰς in textu præſenti reperta: & *Collybiſta Menſarius* etiam audit, quippe quòd officio ei fuit nummos ſuper menſam annumerare: ſicut exemplum aliud celebre memoriæ idem tradidit *Suetonius* in Vita *Galbæ*, cap. 9. *Numulario non ex fide verſanti pecunias manus amputavit, menſæque ejus affixit.* Qui hoc munere fungebatur, שולחני, *Shulchani*, hoc eſt, *Menſarius* apud Judæos vocabatur: nam in Tractatu eo qui *Kiddushin*, ſive *de Sponſalibus* inſcribitur, *Perek.* 3. hîc determinatur caſus. *Dicit vir mulieri, Oſtendam tibi* 200. *Zuzim*, (hæc ſumma erat pecuniarum communis, quas factis ſponſalibus ipſe promiſit ſponſus) *ſi ſponſa mea fueris. Quòd ſi oſtendat ei, facta ſunt ſponſalia: verùm ſi ſuper menſam oſtenderit, facta non ſunt.* Gloſſa autem in locum hanc reddit rationem: הירה שולחני ומחליף מעות של אחרים, *Hic eſt fortaſſean menſarius, & pecuniam alienam*, non ſuam, oſtendit. Unde conſtat, dictionem שולחן, *menſa*, non eſſe de menſa paſſim vulgari intelligendam, quin de menſa hujus muneris propriâ, quæ ab Euangeliſtis τράπεζα κολλυβιστῶν, *numulariorum menſa*, vocatur.

Quodnam fuerit muneris hujuſce myſterium, dictu quidem eſt difficile: fuerit nempe permutatio, an verſura. Generalis eſt ſententia, illîc ſediſſe *numularios*, ut nummos magnos minoribus permutarent, aliquid ſibi lucri inde conſequentes. Ita etiam vocabula κολλυβιστὴς & κέρμα magis quidem propriè ſignificant: ajunt enim Etymologiæ Græcæ periti, κόλλυβον eſſe ἀργυρίου ἀλλαγὴν, *pecuniæ permutationem*; & κολλυβιστὴν ἀργυραμοιβὸν, eſſe *menſarium*; & κέρμα denique λεπτότατόν τι, nummulum minutum propriè ſignificare.

JOANN. CAP. II. VERS. 14.

Camerarius ab anonymo Authore Græco hanc rei hujus petit rationem. Ἡ λίτρα ἔχει οὐγκίας ιβʹ, &c. *Libra habet* 12. *uncias. Enimverò Hebræi unciam dividentes, nominibus aliis donarunt: nam ſemiunciam, ſtaterem appellant, quoniam ſemiunciâ in altera libræ lance poſitâ, in æquilibrio pendebant utraque. Stater, vel ſemiuncia duos ſiclos continebat; & ſiclus, qui eſt & dimidia ſtateris, & quarta unciæ, viginti lepta, quæ à nonnullis oboli vocantur, capiebat. Dabant ergo emptores obolos duos, atque panem inde, vel aliud quid eſculentum accipiebant. Hinc ſedebant Hieroſo-*

JOANN. CAP. II. VERS. 15.

Hieroſolymitano in Templo numularii, qui Collybyſtæ etiam nuncupantur, & nummum argenteum, Imperatoris imagine veſtitum, nummis longè inferioribus mutabant: quandoquidem enim nummus ille (vocabatur argenteus) centenis denariis valebat, ac major erat quàm qui panibus, herbis, atque hujuſmodi rebus emendis inſerviret, nummis minoribus ad ſe delatum menſarii, ut putà denariis, obolis, ac ejuſmodi cæteris permutabant.

Vers. 15. *Factoque flagello è funiculis,* &c.

Idem hoc Servatoris noſtri facinus, ut primùm in ſuo ſe ſtitit Templo geſtum, illud implevit *Malachiæ* vaticinium, *Cap.* 3: 1, 2, 3. *Repentè veniet in Templum ſuum Dominus, quem vos quæritis, & Angelus fœderis, quo delectamini*, &c. *Quis autem ſuſtineat diem adventûs ejus? aut quis conſiſtat, quum apparuerit? nam ipſe quaſi ignis conflatoris, & ut ſmegma fullonum eſt. Ut ſedet conflans & purgans argentum, ita purgabit filios Levi*, &c.

Miniſter erat, cui ſolenne fuit hoc Atrium cæteraque perambulare ut perſpiceret ſuo quiſque fungeretur officio, necne. Is vocabatur איש הר בית, *Vir montis Domûs. Hic ab una ad alteram profectus Tribum inſpexit, lucernas accenſas habens ad manum præſto. Ubicunque autem quemquam vidit muneris ſui immemorem, dixit ei, Pace utere. Quòd ſi tunc contigerit, ut ſomno ſe daret, virgâ cædit eum, & pro ea, quâ erat authoritate, potuit ignes tunicæ ejus injicere. Et dixerunt ei, Cujuſmodi ſtrepitum in Atrio audimus? Cujuſmodi? Eſt profectò filii Levi ſtrepitus, qui vapulat, & crematas patitur veſtes, quia cùm in ſtatione eſſet, dormivit*, Maſſecheth Middoth, *Perek.* 1.

Illo viro, imò vel ipſo Templo major jamjam venit. Hæc autem loquutio non tantùm oſtendit zelum *Chriſti* ſummè divinum ac ardentem, ſed etiam ipſum authoritate Prophetæ munitum egiſſe, & quaſi eſſet à Deo miſſus. Putant autem Judæi eum ſic agere deſignaſſe, cùm Propheta eſſet, necne experturi, ut ſignum ederet, ac miraculum patraret, rogarent. Veriſimile eſt iſtos, ex quibus flagellum contexuit, funiculos, hinc illinc per aream Templi diſperſos collegiſſe, ac eoſdem fuiſſe, quibus ſacrificia anteà, vel alia aliqua venalia fuiſſent colligata, nunc tamen poſt iſtum eorum uſum eum in locum fuerant projecta. Flagello inſuper potiùs, quàm baculo, utebatur, quoniam bacula in Templum nulla ſecum ferebant. *Non licet homini in montem Domûs venire, niſi & baculo ſuo, & calceis, & crumenâ, pedumque ſuorum pulvere priùs ſepoſitis*, Maſſecheth Berachoth, *Perek.* 9.

JOANN. CAP. II. VERS 15, 16, 18.

Ad hoc alluſiſſe videtur Salvator noſter, cùm Diſcipulis ſuis præconio ſe accincturis juſſerit, ut nec *baculum ſibi compararent, nec calceos, nec aurum, nec argentum, nec æs in crumenis ſuis; & ut pulverem pedum excuterent*, Matth. 10: 9, 10. *nec æs in zonis*, כפונדות. Gloſſ. אזור חלול, שמשימים בו המעת עוברי דרכים, *Zona erat cava, in qua viatores pecuniam ſuam reponebant.* Facinus hoc Servatoris noſtri zelo fervidum comparetur cum *Nehem.* 13: 25.

Vers. 16. *Domum Patris mei.*

Phraſi eâdem eodem uſus eſt in loco, nimirum in Templo, cùm annos duodecim natus, inter Doctores ibidem erat repertus. *Quid eſt, quòd quærebatis me? Nunquid ignorabatis ubi terrarum eſſem? Nunquid neſciebatis oportere me in iis eſſe, quæ Patris mei ſunt?* Luc. 2: 49.

Res autem ei apud Judæos tam benè ſucceſſit, ut Deum, Patrem ſuum apertè & planiſſimè vocet. I. Ut aſſereret ſeipſum fuiſſe *Meſſiam*, atque ut ſeipſum etiam ab aliis diſtingueret Prophetis, qui Deum ad ſummum, niſi *Deum meum*, vocare non poterant. *Nulla eſt pax, inquit Deus meus, improbis*, Iſaj. 57: 25. Sed ipſe & poteſt *Patrem* vocare, & reverà vocat, vel ab initio legationis ſuæ publicè geſtæ, quò ſeipſum plenè patefaceret, & pervicaces excuſatione deſtitutos relinqueret. II. Videtur reſpicere ad illum præcipuè *Samuëlis* locum, 2 *Sam.* 7: 12, 13. ubi cùm *Davidi* promiſit Deus, ſe *Chriſtum* miſſurum, qui in ſolio ejus æternùm ſederet, atque *Salomonem* etiam, qui in eodem pauliſper ſederet, dicit pariter, *Ipſe ædificabit domum Nomini meo, & ſtabiliam ſolium regni ejus uſque in ſeculum. Ego ero illi Pater.*

Vers. 18. *Quod ſignum oſtendis?*

Exertam miraculorum poteſtatem in terra ne ſemel quidem vidiſſent, ex quo Captivitate ſoluti, facti ſunt reduces; imò, neque ſanè vaticinii ſpiritum, ex

Digitized by Google

JOANN. CAP. II. VERS. 18.

quò *Zacharias* ac *Malachias* è vita exceſſerunt, ſicuti apud Authores eorum eſt in confeſſo: erat ideoque ſignorum ac prophetiæ inſtauratio, tanquam *cœlorum apertio*, ac *Angelorum aſcenſus, deſcenſuſque*. Iis in *Babylonem* jam propè diſceſſuris, oravit *Habbakuk*, ut vel in *iſtis* captivitatis *Babylonicæ annis* miraculorum poteſtatem conſervaret Deus, quî ne faciant ejus jacturam in terram peregrinam impulſi. Ibidem autem inter illos conſervavit in manibus trium (uti vocant) liberorum, præſertim verò *Danielis* repoſitam. Quòd leonibus ora obſtruxit *Daniel*, hoc noviſſimum extitit ab homine patratum miraculum, uſque dum in *Cana Galilea* aquæ in vinum facta eſt converſio. Illi reduces facti ſocios viæ habebant quidem Prophetas; hi autem viſiones videbant, necnon mirabilia à Deo facta ipſi ſunt experti: atqui nemo ſanè ex quo redierunt uſque nunc miraculum quodvis aut ſignum divinâ ope ipſe patravit. Exactâ autem primâ poſt reditum ætate, defecerunt prorſus Prophetæ, nec novos alios habuerunt. בחגי זכריה ומלאכי פסקה נבואה, *Aggæo*, *Zachariâ* & *Malachiâ* vitâ defunctis, deſiit Prophetia, *D. Kimch. ad Zach.* 5. Et proinde præter perpetuam Judæorum incredulitatem, qui ſignum uſque poſtularent, mirandum non eſt, quòd ſignum ab eo requirebant, qui ſub notione Prophetæ prodiit, ac perinde quidem ſe geſſit, idque quum & ſigna, & Prophetæ apud eos jam diu defeciſſent. Erat præterea aliud quid in cauſa hujus quæſtionis: etenim credibilis eſt conjectura, quòd quum Deum, *Patrem ſuum* vocare audierint, ſuadebat id, ut ab eo nonnihil, tanquam à viro aliquo ſingulari, peterent; quod quidem congruum eſſet ei, quatenus ſe Dei Filium appellavit. In commate quinti *Joannis* duodeviceſimo, vim ei tantùm non intuliſſe legimus, quia Deum, *Patrem ſuum* nuncupavit; id enim *ſcandalum* erat *acceptum* quidem, licet minimè *datum*. Succenſebant ei, quoniam Sabbatum (ut ipſi dictitabant) violaſſet. Unicuique porrò verbo ejus quaſi inſidiabantur, nam malè de eo ex præjudicio conceperant. Verumenimverò geſſiſſet hactenus nihil, quod efficere poſſit apud eos ut eſſet in offenſa, quòd nundinationem è Templo ejecit, hoc majori nixum eſt ratione, integriore etiam pietate, quàm ut verbulum quodvis contra queant proferre; & quòd Deum *Patrem* appellavit, nihil ſecum fert ſcandali, ſi tum actum ipſe ſuum, tum verbum valeat comprobare, aliquid utroque dignum efficiendo.

JOANN. CAP. II VERS 19.

VERS. 19. *Deſtruite templum hoc.*

I. *Chriſtus* nihil illis exhibet ſigni, aliter ac magnum illud prædicendo, quod olim erat editurus, & quod *ipſum*, *Dei Filium abundè declararet*. Hoc autem fuit corporis ſui à morte reſuſcitatio. Hoc idem deſignavit, cùm ſignum *Jonæ* poſteà dedit, tametſi aliquid prætereà includebatur, *Matth.* 12: 39. Multa patravit actutum *Hieroſolymis* miracula, ſicuti conſtat ex verſu viceſimo tertio. Ne unicum tamen edere voluit hujuſce Judæorum curioſitatis indulgendæ gratiâ; partim propterea quòd doctrinæ ſuæ nonnihil illis priùs inſtillaret; partim etiam, quia ad miracula edenda incitaret ipſum ſua, non eorum, voluntas, ſuum item tempus. In toto paſſim Euangelio patratum nullum à Chriſto invenimus miraculum, quod ſibi aliquid minùs habuit neceſſitatis adjunctum.

II. In his verbis, *Deſtruite templum hoc*, nihil jubet ut deſtruant, ſed prædicit olim deſtructuros. Hujuſmodi exempla vide ſis *Iſaj.* 8: 9, 10. *Joann.* 13: 27. &c. *Conſociamini, ô populi, & conterimini; inite conſilium, & irritum fiet:* &, *Quod facis, mox facito.*

III. Reſponſio ejus occaſioni præſenti apprimè congrua eſt. Sicut enim ipſe Templum ab iſtis inquinatum repurgarat, propter quod in jus ejus vocant authoritatem; ita etiam ait, Agite porrò, templum hoc deſtruite, & in tribus diebus illud excitabo.

IV. *At ille loquebatur de templo corporis ſui*, verſ. 21. Nullum videtur geſtum, actumve uſurpaſſe, unde colligere poſſint Judæi, illum iſto in ſenſu loquutum: verùm duplex admittunt de verborum ſenſu erratum, inſcienter hoc, voluntariò illud; inſcienter nempe, cùm putarent eum materiali de Templo verba feciſſe; voluntariò autem, quòd cùm ſolùm dixerit, *Deſtruite*, aſſeverabant tamen, ſe deſtructurum dixiſſe, *Matth.* 26: 61.

V. Nunc verò tum ad eos, cùm ad rem præſentem ita preſsè loquitur, partim ob illam, quæ inter rem ſignificantem, & ſignificatam intercedit relationem, ut *Matth.* 26: 26. atque partim etiam, quoniam in parabolis vellet, ac typis cum iis loqui, *Matth.* 13: 34, 35.

Templum hoc.] Templum corporis ſui deſignat,

Digitized by Google

JOANN. CAP. II. VERS. 16, 20.

deſignat, quemadmodum explicat ipſe Euangeliſta. Illud autem deſignari poteſt, vel quia corpus ejus erat Divinitatis Templum, ut *Coloſſ.* 2: 9. vel quia per Templum materiale, in quo Deus per præſentiam ſuam habitavit, adumbrabatur, eodem modo ac Divinitas in *Chriſto* corporaliter. Templum glorioſa erat *Chriſti* figura, eò quòd illîc Deus apud homines habitavit, eò quòd illîc ſua diſpenſavit oracula, eò quòd divinus illîc cultus oblatus erat, &c. Hinc autem factum eſt, ut ubicunque terrarum forent, facies eorum verſùs Templum eſſet convertenda, 1 *Reg.* 8: 38, 42, 44, 48. *Dan.* 6: 10. Quocirca cùm Judæi corpus Chriſti peremerint, à ſummo uſque ad imum in principe ejus parte fiſſum erat Templum.

VERS. 20. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum illud.*

Quamvis totum illud temporis ſpatium Judæorumque conditio, quod inter reditum à Babylone, & Hieroſolymæ excidium erat conſumptum, generaliter quidem & propriè dicatur ſub Templo ſecundo contigiſſe; tamen ſi exactè, ſtrictèque loquamur, in iſto ſpatio duo reverà erant Templa, unum nempe à *Zorobabele*, alterum ab *Herode* extructum. Primi hiſtoriam concinnavit *Ezra*, Cap. 3. & 6. Secundi *Joſephus*, *Antiquit.* lib. 15. cap. 14. Hujus loci Expoſitores de hoc Templorum numero verba nulla faciunt, utpote qui exiſtimant Templum non extruxiſſe *Herodem*, ſed inſtauraſſe tantùm. Plerique autem intelligunt quadraginta & ſex hos annos de tempore & ſpatio in Templo extruendo, florente *Zorobabele*, vel ſtatim poſt reditum à captivitate *Babylonica* conſumptis. Cujus temporis partes quiſque ferè Interpres diverſis calculis ſupputat. Si omnes annumerarem, infinitus eſſem; multò magis, ſi perpenderem. Labori iſti parcam, quandoquidem ſententiam meam de *Perſicorum* Regum iſtorum temporum regnis alibi oſtendi: cujus ſententiæ veritatem etiamnum aſſero, quia meam cum Scripturarum ſupputatione conſentire totus credo: ſcil. quòd *Cyrus* tres annos regnabat, & poſt eum *Artaxerxes Ahashuerosh* quatuordecim, & *Artaxerxes Darius* triginta & duos regnaſſet, quum *Nehemia* ad eum rediit, poſteaquam tum plateam, tum murum *Hieroſolymæ* confecerat. Totus numerus annos quadraginta & novem complectitur, vel ſeptem hebdomadas ſecundùm *Dan.* 9: 25. Ex hiſce quadraginta & novem annis, ſi excludantur *Cyri* primus & ſecundus, (in ſecundo enim ejus inchoatum erat Templum) & triceſimus ſecundus *Darii*, quoniam fuerunt currentes tantùm anni, reſtant integri quadraginta & ſex anni, ab eo tempore, quo poſitum erat Templi *Zorobabelis* fundamentum, uſque ad id, quo conſummata erat Urbs & Templi ſtructura, ſimul cum deſignatione loci cultûs divini inibi præſtandi.

JOANN. CAP. II. VERS. 20, 22, 23.

Quòd ſi juxta hujuſmodi procedamus ſupputationem, (ejicientes nempe currentes duntaxat annos) lapſi fuerant quadraginta & ſex exactè integri, quòd *Herodes* Templi ſtructuram inchoavit, uſque dum hæc contigit *Chriſti* ac Judæorum collocutio: duo enim de viceſimo ſui ipſius regni anno apud illud aggreſſus eſt *Herodes*, perinde atque loco nuper laudato commemorat *Joſephus*. Regnavit autem annos triginta & ſeptem, uſque dum *Chriſtus* annos duos natus erat, ſicut probatum dedimus in prima Harmoniæ Parte, Sectione ſeptimâ, vel *Matth.* 2. *Chriſtus* autem, contingente hoc colloquio, annum ætatis ſuæ egit triceſimum, ad medium ejuſdem exactè provectus. Quòd ſi lectori placuerit ſingulas haſce ſummas colligere, atque eodem, quo nos antè, modo ſupputare, compertum ſtatim habebit, quàm aptè (ſi ita acceperit) verba hæc ad *Herodis* Templum poſſint referri, *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt Templum illud.*

VERS. 22. *Crediderunt Scripturæ*, &c.

Quæ de morte cunque *Chriſti* ac reſurrectione loquuta fuerat Scriptura, iis poſt reſurrectionem hoc in loco crediſſe dicuntur Diſcipuli. Verùm nonne crediderunt antè? Certiſſimè, generali fide hiſtoricâ; cæterùm poſt reſurrectionem textus illos verbaque magis particulariter atque peculiariter experti applicant.

VERS. 23. *Quum autem eſſet Hieroſolymis in Paſchate*, &c.

Moris erat Genti Judaicæ *Hieroſolymam* aſcendere paulò ante feſtum, ut ſe ipſi repurgarent, dum veniret feſtum. *Chri-*

Digitized by Google

JOANN. CAP. II. VERS. 23. *ſtus* autem in hoc ſpatio purgavit Templum, ementes ac vendentes ejiciendo, & pecudes exigendo; & quum miraculum ab eo peterent, nullum ederet: cæterum quum adeſſet feſtum, abundè miraculorum patravit, necnon crediderunt ei haud pauci. Nunc jam incepit ſe palàm oſtendere in Urbe principe, in univerſo cunctæ Nationis concurſu, atque in maximo totius anni feſto.

JOANN. CAP. II. VERS. 24.

VERS. 24. *Ipſe autem Jeſus non credebat eis ſeipſum.*

Intelligunt hoc quidam, quaſi nollet eis totam Euangelii doctrinam impertire. At ipſe Textus indicat, quòd ſibi ab illis de perſona ſua cavit, quam nollet illis in manum dare, quoniam cor eorum novit, & vidit ſibi inſidias ab eorum aliquibus factas.

PARTIS SECUNDÆ FINIS.

HAR-

Digitized by Google

HARMONIA
QUATUOR
EUANGELISTARUM
inter ſe, & cum
VETERI TESTAMENTO.
PARS TERTIA.

A primo Paſchate poſt SALVATORIS noſtri Baptiſmum ad ſecundum:

Cum explicatione præcipuarum difficultatum tum dictione, tum ſenſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆFATIO.

IN *Præfatione ad primam Euangelicæ Harmoniæ partem, promiſi me, cùm Tertiam in lucem ederem, Regionis Canaaniticæ, locorumque adjacentium (qui Euangelia legentibus obverſantur, quoſque inſpicere utile eſt, ne dicam neceſſarium) Chorographiam ipſi præfixurum. Quam provinciam ritè ſuſcepi, cùm huic Tertiæ, quæ nunc publici juris fit, manum admovi, multumque temporis & laboris in ea inſumpſi, quantumvis acciderit in publicum non prodire ipſam cum hac Parte, uti fidem dederam. Inſtitutum ſcilicet noſtrum fuit, (& in hoc aliquatenus progreſſus ſum) Terram Sanctam modo novo, & nunquam anteà tentato delineare, (quod quidem ideo difficilius erat) quia in ea fui ſententia, id multum ad pleniorem ſitûs & Hiſtoriæ illius Regionis intellectum conducere. Inter legendum utrumque Thalmudem, alioſque ſummæ antiquitatis Auctores Judaïcos, non ſine maxima voluptate obſervaveram, quantum ſpectat ad rem, quam ſub manibus habeo, nempe delineationem Terræ Canaaniticæ, hæc ex eorum ſcriptis bona cum fruge colligi poſſe.*

I. *In plurimis cùm locorum Terræ illius in SS. Scripturis memoratorum mentionem faciunt, aut eos deſcribunt, aut ſitum & diſtantiam ab aliis, aut hæc omnia ſimul oſtendunt; quod multum confert ad eos comparandos cum delineationibus ſituum, diſtantiarumque, quas in Chriſtianis Scriptoribus de his ipſis locis habemus.*

II. *Dant nobis permulta civitatum, montium, aliorumque locorum in ea Regione nomina, quæ nec in SS. Scriptura, nec apud Joſephum, nec in Chriſtianorum aut Ethnicorum monumentis, quæ de ejus locis tractant, facilè inveniri poſſunt; quæ tametſi apud hos Judaïcos Auctores ſolos habentur, tantam tamen probabilitatem atque evidentiam præ ſe ferunt, iſta loca reverà extitiſſe, ut ea inveſtigare cuivis plenam Canaanis Hiſtoriam deſignanti è re eſſe cenſeam.*

III. *Narrant etiam multa ſingularia, ac ſummâ digna obſervatione, quæ in his vel illis locis evenere, quæ nullis præterquam ipſorum monumentis continentur, quæque cùm ſitum, tùm Hiſtoriam illius Terræ & Nationis, præſertim verò Scholaſticam Doctorum inter eos virorum admodum illuſtrant. Parcam exemplis, quæ infinita ferè produci queant. Quicunque duos Tractatus de Templo Templique cultu legerit tantum obiter inveniet, quantum ad reliqua prælibanda ſuffecerit, atque etiam ad conjectandum, quàm utilis hujuſmodi Antiquitatum ritè perpenſarum in Geographica & hiſtorica Terræ Sanctæ deſcriptione notitia eſſe poſſit.*

Id ego curavi per multos annos, uti mihi oblata eſt hos Thalmudicos Scriptores legendi occaſio, ut hujuſcemodi locos, quoties mihi occurrebant, obſervarem; & harum raritatum copiam colligerem, quæ ad opus Chorographicum perficiendum aptæ eſſent, ſi quando idem inciperem.

Cùm igitur cogitationes meas, obſervationes & notiones ad compingendam hanc tertiam Harmoniæ Euangelicæ Partem contrahere cœpi, idem etiam feci ad contexendum ſimul cum ea opus illud chorographicum, ut unà excreſcerent, quæ in lucem unà editum iri promiſeram. Diu in illo opere multa cum alacritate voluptateque perrexi, quoniam in ea ſemper fui opinione, Thalmudicam Terræ Sanctæ Chorographiam & Hiſtoriam, (non omiſſis Collectionibus ex Scriptura aliiſque Auctoribus) ut novam rem & raram, ita apprime utilem & gratam fore omnibus, qui talibus delectari ſolent. Verùm enim poſteà audivi, alterum Artificem me longè peritiorem Terræ Iſraëliticæ Deſcriptionem non tantùm ſub manu, ſed etiam ſub Prælo habere; & in hoc curſu me tantum prætergreſſum eſſe, ut ad itineris finem fermè perveniſſet, cùm ego id primùm inirem. Hîc meâ interfuit, quid mihi agendum eſſet perpendere.

Doluit mihi fruſtra occœpiſſe, ſi hîc ſtatim deſinerem. Et tamen prudentis eſſe non putavi, ulteriùs progrediendo plus operæ perdere; cùm alter me multò præſtantior in eodem curſu me tam multis gradibus anteiiſſet. Et quanquam arbitratus ſum, & ab eodem Auctore (Amico meo ſingulari ac præcipuè obſervando) certus factus fui, quòd non alter alterum truderemus, neque ulli impedimento nobiſmet mutuò eſſemus in via, quamvis eandem unà Terram peragraremus; quia in tramite Rabbinico ille alter, quo ego, non inceſſerat: tamen mecum ipſe perpendens, quàm indecorum eſſet rem à viro tam diligenti atque in omnibus expertiſſimo actam agere videri, & quàm horridulus & inconcinnus videretur poſt tam elegantem calamum Thalmudicus penicillus; ſtatui mecum non ulteriùs progredi, niſi meliorem, quam impræſentiarum habui, ſpem mihi tempus faceret. Atque ita irritum redditum eſt promiſſum non noſtrâ incuriâ, vel oblivione, ſed felici alterius manûs, per quam opus futurum eſt longè perfectius, interventione. Nolens tamen fidem prorſus fallere, quamvis

hâc

hâc pulchrâ excuſatione promiſſo liberatus videar, vehementer deſideravi, partem ejus aliqualem, quantumvis non in eadem moneta, nec eadem ſummâ, quam deſignaveram, ſolvere. Hinc ad deſcribendum Templum ad eundem modum ex iiſdem Auctoribus, quo totam terram Iſraeliticam delineare ſuſceperam, memet accinxi. Quod tamen non eo conſilio ſolùm feci, ut promiſſi mei quâdam parte levarer, ſed etiam ut in opere minori experirer, quomodo reliquum, quod prolixius futurum eſſet, & majorem requireret induſtriam, allubeſceret, ſi id fortè reſumerem.

Cæterùm non poſſum non cujuſdam rei mentionem obiter facere, & credo me nunquam probæ meritaque reprehenſionis obliturum eſſe, quam (interveniente ſpeciali quâdam occaſione) animus meus mihi ſuggeſſit, dum meditabar, Spartâ priore depoſitâ, hanc alteram ſuſcipere; quo ſcilicet pacto ego auderem utramvis ſuſcipere. Nempe illo ipſo die, quo, abjecto Chorographiæ propoſito, ad moliendam Templi deſcriptionem calamum in manum ſumpſeram, ſub veſperam evocatus ſum ad viſendum agrum quendam, de quo mihi legitimo poſſeſſori lis quædam oritura erat. Hic à conſtantis habitationis noſtræ loco unum tantùm milliare diſtabat, & per multos annos in noſtro proprio fuerat dominio, cùm tamen nunquam uſque ad id temporis meis oculis uſurpaveram, nec noſſem ubi locorum ſitus erat. Non erat credibile me ſine duce eum inventurum, utpote ejus ſitûs omninò inſcium: quia tamen ſeorſùm ambulandi cupidus eram, ut meditando Spartam, quam in me ſuſceperam, meliùs vacarem, inquiſivi quoad potui, quà eundum mihi eſſet; & periculum facerem, annon agrum illum ego ſolus invenirem. Non longè proceſſeram, cùm planè ignarus eſſem, utrùm rectà, an contrà adhuc proceſſiſſem; ſiquidem rectà, ulteriùs progredi; ſin verò contrà, incertus fui, quomodo in viam redirem: atque ita agrum inventurus meipſum amiſi. Hic neceſſariò me arguit animus meus reſpicientem in ſtudia, quibus tunc & nuperrimè intentus eram, neque potuit non me ſtultum appellare; quin & videbatur mihi tunc veriùs loqui, quàm anteà unquam, niſi cùm me peccatorem eſſe diceret. Stultum reverà! qui tam curioſus rerum, quæ tam remotæ eſſent, quæque tam parum meâ referrent, indagator fueram, tamque intereà ejus negligens, quod tam propè ad me cùm loco, tum emolumento attingebat. Stultum etiam! qui aliis loca & ædificia, quæ tot centena milliaria diſtabant, quot Anglia à Canaane, quæque ſub tot annorum ruinis jacent obruta, deſcribere aggrederer; dum intereà temporis viam ad proprium agrum ducentem, quique tam vicinus ædibus meis eſſet, invenire non poſſem. Non erat quin agnoſcerem hanc reprehenſionem & tempeſtivam eſſe, ac à ratione & veritate non alienam; atque adeò mecum valuit ut inceptum illius diei Aurorâ opus veſpere omitterem, atque etiam ſtatuerem in libris evolvendis prudentiorem me futurum eſſe, quàm ut per nimis intentam ipſorum inſpectionem, cui aſſuetus fueram, rem domeſticam tantùm negligerem, atque imminuerem. Attamen paulò pòſt neſcio quo pacto in eundem ſtudendi ardorem atque intentam eorundem ſtudiorum proſecutionem incidi, & abjectam provinciam ex improviſo reſumpſi, mecumque ſtatui in illo opere ultrà pergere; quandoquidem notas quaſdam & ſpicilegia in promptu haberem, quæ deſignato Operi materiam ſatis amplam ſuppeditarent. Tùm verò demùm, cùm hoc ad umbilicum perduxiſſem, ſectaturus illud conſilium rem privatam diligentiùs ſatagendi. Ita tandem ipſius Templi, & unà cum ea Templi cultûs deſcriptionem σὺν Θεῷ abſolvi, partim ex Scripturis, partim ex Thalmudicis Judaicarum Traditionum monumentis, atque Antiquitatum; quarum utramvis ſi lector loco illius reputaverit, quod de Chorographia totius Canaanis promiſſum fuerat, ex charitate ſua, uti ſpero, judicabit, me non ſponte meâ promiſſum neglexiſſe, ne dum violaſſe; quanquam in aliqua illius parte præſtanda defecerim. Tractatus quidem de Templi cultu aliquamdiu in lucem eſt editus. Quod autem ſpectat ad alterum de ipſo Templo, animus aliquando erat eum tantiſper ſuppreſſiſſe, dum Tabulam Templi Topographicam inſculpi procurarem, quam ſcilicet ſimul cum illo exaravi, ut unà in publicum prodirent. Verùm ne id obtinere poſſe etiamnum deſpero: adactus nihilominus ſum librum ſine Tabula illa protinùs emittere, partim ex quorundam Amicorum importunitate, partim ex prædicti promiſſi conſcientia, de Additamento ſcilicet ad tertiam hanc Harmoniæ Euangelicæ Partem jam Typis mandatam. Prolixior fortè videor, quàm neceſſe erat in re tam levis momenti, aut ſequentis Tractatûs contextui congruum. Fugiendum mihi certè eſt ad legentium humanitatem, ut me cùm totum promiſſi non implentem, tum nimis multa de hoc defectu dicentem æquo animo ferant. Nil amplius addam de Tractatu Harmoniæ Euangelicæ, qui ſequitur, nec de fraterno Deſcriptionis Templi Tractatu: ſed utrumque referam cordatorum lectorum candori, illos pariter Omnipotentis Dei clementiæ & bonitati commendatos habiturus.

Londini Januarii 30. 16$\frac{49}{50}$.

J. L.

TERTIA

Digitized by Google

TERTIA PARS QUATUOR EUANGELISTARUM HARMONIÆ.

SECTIO XIV.

JOANNIS CAP. III.

Vers. I. *Erat autem quidam ex Phariſæis, cui nomen erat Nicodemo, ex primoribus Judæorum.*

II. *Hic venit ad Jeſum nocte, & dixit ei, Rabbi, ſcimus te à Deo veniſſe Magiſtrum; nemo enim poteſt hæc ſigna edere, quæ tu edis, niſi Deus ſit cum eo.*

III. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Amen, amen, dico tibi, niſi quis genitus ſit* (a) *iterum, non poteſt videre* (b) *regnum Dei.*

(a) *Genitus iterum.*] Verbum Græcum ἄνωθεν variè à Tralatoribus atque Expoſitoribus vertitur.

Syri legunt מִין דרויש: quâ verſione transferunt πάλιν, ἄνωθεν, *Galat.* 4: 9. quæ verba *Tremellius* reddidit *ab integro*, & in margine, *ab eo quod eſt caput. Beza* id æquiparat Gallico *derechef*, & exponit per *recapitatio* aut *reinitiatio:* hoc eſt, ut inquit ille, *cujuſque reditus ad ſuum caput & principium, quia per Chriſtum reſtituitur, reditque ad perditam imaginem, ad quam primùm creatus eſt. In quem ſenſum fortaſſe collimat verbum ἀνακεφαλαιώσασθαι, Epheſ.* 1: 10.

S. Chryſoſtomus loquitur de nonnullis, qui interpretati ſunt ἄνωθεν per ἐξ ἀρχῆς, *à principio*, cui *Arab.* conſentire videtur: ſed quis eſſet illius ſenſus, dictu difficile eſt, niſi ſit idem cum eo, cujus mentio anteà facta eſt.

Vulgaris Latina, & omnes qui eam ſequuntur, ſcilicet *Pontificii*, id exponunt per *denuò*; *Reformati* plerumque per *iterum*; & ſic apud eos ἄνωθεν γεννηθῆναι in hoc Capite, & ἀναγεννηθῆναι, 1 *Petr.* 1: 3. atque iterum *verſ.* 23. idem ſunt, atque unum eundemque ſenſum præ ſe ferunt, nempe *naſci iterum*, ut *Verſio Anglicana* in utrobique locis reddidit. Atque hoc eſt ſecundùm mentem *S. Chryſoſtomi* atque aliorum Patrum antiquorum. *Eraſmus* & *Brucioli* verterunt, ille *è ſuperne*, hic *di ſopra*, quod idem eſt cum illo *Eraſmi*, ut eſt in margine Bibliorum Anglicorum, quem ego ipſe ſecutus ſum duabus his rationibus adductus. I. Quia verbum ἄνωθεν ſæpius tam in Scriptura quàm in prophanis Auctoribus, *è ſupernè* ſignificat, uti in *verſ.* 31. Ὁ ἄνωθεν ἐρχόμενος, *Qui ſupernè venit*; Cap. 19: 11. *Non haberes adverſum me poteſtatem ullam, niſi hoc tibi datum ſit ἄνωθεν.* Jac. 1: 17. *Unumquodque donum perfectum eſt ἄνωθεν.* Jac. 3: 17. Ἡ σοφία ἄνωθεν, *Sapientia ſupernè.* Videatur etiam quod in verbum *Luc.* 1: 3. notatum eſt.

Atque hic ſenſus in prophanis Auctoribus tam frequens eſt, ut *Camerarius*, cùm quædam exempla huic conſona protuliſſet, cogatur ſe his verbis extricare, *Ut verum fatear*, quod invitè concedit, quaſi hîc ſignificaret & verteretur *denuò*. II. Jam verò quòd ad rem ipſam ſpectat, non multùm refert, utrùm in hoc loco vertatur *ſupernè*, aut *denuò*. Utro enim id fiat modo, ſenſus utrobique idem eſt. Nam *gigni ſupernè* eſt *gigni iterum*, & *gigni iterum* eſt *gigni ſupernè.* Verùm hâc poſteriori interpretatione ſenſus facilior, apertior, atque magis proprius videtur, ut in verſuum expoſitione patefiet. Atque hæc eſt ſecunda ratio, cur eum potiſſimùm amplexus ſim.

Jam cùm reſponſum *Nicodemi*, *Num poteſt homo in uterum matris ſuæ ſecundò introire & naſci?* pro irrefragabili argumento à quibuſdam uſurpetur ad probandum, Salvatorem noſtrum *Syriaco* verbo uſum fuiſſe, quod extra omnem dubitationem at-

Digitized by Google

que ambiguitatem ſignificat *denuò*; non video quin Nicodemus eodem modo reſponderet, licèt Chriſtus verbo, quod tam apertè ſignificat *ſupernè*, uſus eſſet. Facilè enim dixiſſet, (cùm hoc myſterium non meliùs intellexerit) Quid loqueris de naſcendo ſupernè? Quomodo hoc fieri poteſt? Nunquid homini à matre ſecundò ad hunc finem naſcendum eſt? Nam ſi Chriſtus verbo, quod propriè & apertè ſignificat *ſupernè*, uſus eſt, & *Nicodemus* planè intellexit eum locutum eſſe de naſcendo ſupernè; tamen non magis credibile eſt eum hoc intellexiſſe de naſcendo à cœlo localiter, quàm cùm dixit Chriſtum à Deo miſſum fuiſſe, eum hoc de locali miſſione intellexiſſe: quod quidem neminem dicturum arbitror. Quòd ſi non intellexit nativitatem à ſupernè localiter, tùm ejus reſponſum (quamvis quidem per ſe improprium) æquè congruum erit phraſi de naſcendo ſupernè, atque alteri de naſcendo denuò.

(b) *Videre regnum Dei* eſt in illud ingredi, *verſ.* 5. aut ejus particeps fieri; quemadmodum *videre corruptionem*, Pſalm. 16: 10. eſt videre mortem, *Luc.* 2: 26. & *Joann.* 8: 51. *Videre malum*, Pſalm. 90: 15. *Videre triſtitiam*, Apocal. 18: 7. *Videre bonum*, Eccleſ. 6: 6. &c. eſt eſſe hoc vel illo ſtatu, aut ipſorum participare. Conſulatur verſ. 36. *videre vitam* eſt habere vitam.

IV. *Dicit ei Nicodemus, Quomodo poteſt quiſpiam naſci (c) qui ſit ſenex? Num poteſt in uterum matris ſuæ ſecundò introire & naſci?*

V. *Reſpondit Jeſus, Amen, amen, dico tibi, Niſi (d) quis fuerit genitus ex aqua & ſpiritu, non poteſt introire in regnum Dei.*

VI. *Quod genitum eſt ex carne, caro eſt; & quod genitum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.*

VII. *Ne mireris me dixiſſe tibi, (d) Oportet vos iterùm gigni.*

VIII. *Ventus (e) quò vult ſpirat,*

(c) *Qui ſit ſenex.*] Sic Græca verbatim. Et ſic verſa rem minùs dubiam relinquunt, quàm ſi redderetur, *cùm ſit ſenex.* Videretur enim id novam nativitatem uſque ad illud tempus reſtringere, in quo quis ſenex evaderet. Syriaca proximè attingit datum ſenſum: *Num ſenex poteſt naſci?* דנתיליד גברא סבא.

(d) *Niſi quis genitus.* Hic explicatur, quod alibi dicitur, *Oportet vos iterùm gigni.* Atque ita non ſolùm præ ſe fert mandatum didacticâ prælectione incluſum, verùm etiam verba *nos* & *vos* aliquando indefinitè accipienda eſſe, licèt de certa aliqua perſona efferri videantur. Atque ita in *verſ.* 2. *Nos ſcimus te eſſe Magiſtrum*, verbum *nos* ita accipiendum eſt. Comparetur *Matth.* 5: 3, 4, 5, &c. ubi dicitur *Beati ſunt*, cum *Luc.* 6: 20, 21. ubi eſt, *Vos eſtis beati.*

(e) Verbum πνεῦμα hìc loci pro Spiritu Sancto à quibuſdam intellectum eſt; quod quidem pro eo in SS. Scriptura ſæpiſſimè ponitur. Et nonnulli hujuſce opinionis hoc ſe argumento defenderunt, quòd actio voluntaria ei adſcribatur, *quò vult ſpirat*; quod vento, uti inquiunt, non adſcribendum eſt.

Verbum quidem in Græca Lingua varias habet ſignificationes, uti verbum Hebraicum רוח, & ut plerumque & ſatis commodè ſignificat æternum & ſanctum Spiritum, ſpiritus creatos, Angelos, hominum animas; ita etiam ſpiritus ſenſibiles, oris ſpiracula, & cœlorum ventos. In hoc poſtremo ſenſu, quem jam præ manibus habemus, à Septuaginta Interpretibus uſurpatur, *Geneſ.* 8: 1. *Καὶ ἐπήγαγε ὁ Θεὸς πνεῦμα ἐπὶ τὴν γῆν. Dominus tranſmiſit ventum ſuper terram:* & 1 *Reg.* 19: 11. *Πνεῦμα μέγα, κραταιὸν,* &c. *οὐκ ἐν τῷ πνεύματι Κύριος. Ecce ventus magnus & vehemens,* &c. *& in concuſſione non erat Dominus.*

Et hoc fatetur Ariſtoteles, Ἄνεμος καὶ πνεῦμα λέγεται, lib. *de Mundo.* Et in hoc ſenſu *Cyrillus, Chryſoſtomus, Theophylactus* illius Eccho, aliique Patrum id accipiunt. Nam I. aliter nulla eſſet comparatio, quam verbum οὕτως præ ſe fert. Et ſi verbum Πνεῦμα in commatis principio pro Sancto Spiritu acciperetur, æquè ac verbum Πνεύματος in illius fine; dura atque abſona eſſet conſtructio. II. Valdè eſt improprium dictu, *Nicodemum* Spiritus Sancti vocem aut ſonitum audiviſſe, adhuc rerum, quæ ad ſalutem pertinent, planè inſcium. III. Quamvis dicatur ventum ſpirare quò vult, quaſi actio voluntaria ei attribueretur; perinde tamen eſt ac ſi dicatur, ſolem occaſum ſuum cognoſcere, *Pſalm.* 104: 19. Non major autem eſt ſoli cognitio, quàm motus voluntarius in vento; (niſi cum Judæis crediderimus ſolem, lunam & ſtellas eſſe creaturas intelligibiles) & tamen tale quid de eo dicitur ſermonis elegantiæ & perfectionis gratiâ.

&

Digitized by Google

& (f) ſonum ejus audis, ſed neſcis unde veniat & quò vadat: ita eſt quiſquis genitus eſt ex Spiritu.

IX. *Reſpondit Nicodemus, & dixit ei, Quomodo hæc poſſunt fieri?*

X. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Tu es Magiſter Iſraelis, & hæc non noſti?*

XI. *Amen, amen, dico tibi, quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur; ſed teſtimonium noſtrum non recipitis.*

XII. *Si terrena dixi vobis, & non creditis; quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia, credetis?*

XIII. *Nullus enim aſcendit in cælum, niſi qui deſcendit è cælo, nempe Filius hominis qui eſt in cælo.*

XIV. *Prout autem Moſes extulit ſerpentem in deſerto, ita extolli oportet Filium hominis.*

XV. *Ut quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

XVI. *Ita enim Deus dilexit mundum, ut Filium ſuum illum unigenitum dederit, ut quiſquis credit in eum non pereat, ſed habeat vitam æternam.*

XVII. *Non enim miſit Deus Filium ſuum in mundum, ut damnet mundum, ſed ut ſervetur mundus per eum.*

XVIII. *Qui credit in eum non condemnatur. Qui verò non credit, jam condemnatus eſt, quia non credidit in nomen unigeniti Filii Dei.*

XIX. *Hæc eſt autem condemnatio, quòd lux venit in mundum, ſed dilexerunt homines potiùs tenebras quàm lucem, quia ſunt eorum opera mala.*

XX. *Quiſquis enim quæ* (g) *mala ſunt agit, odit lucem, nec venit in lucem, ne redarguantur opera ipſius.*

XXI. *Qui verò dat* (h) *operam veritati, venit ad lucem, ut manifeſta fiant opera ipſius, quòd ſecundùm Deum facta fuerint.*

XXII. *Poſteà venit Jeſus & Diſcipuli ejus in Judæa* (i) *territorium: & illîc educabatur cum eis, & baptizabat.*

XXIII. *Baptizabat autem etiam Joannes in* (k) *Ænon prope Salim, quoniam aquæ multæ erant illic; & veniebant, & baptizabantur.*

(f) Φωνὴν αὐτοῦ.] *Vocem ejus.* Nam etiam ἄψυχα φωνὴν διδόντα, *anima experti a vocem edunt*, 1 Corinth. 14: 7. uti *ſanguis*, Geneſ. 4: 10. *aquæ*, Pſalm. 93: 3. *miracula*, Exod. 4: 8. *tonitru*, Apocal. 19: 6. &c. Et cùm Hebræa vox קול tam vocem articulatam, quàm inarticulatam, ſignificet, Græca vox Φωνὴ plerumque in Scripturis non minùs variis invenitur ſignificationibus.

(g) Hoc Hebræam phraſin toties in Vetere Fœdere uſurpatam exprimit עשה הרע, & quæ de omnibus Iſraëlis, ac nimis frequenter de Judæ Regibus effertur, *Malum fecit in conſpectu Jehovæ.*

(h) עשה אמת, *Geneſ.* 24: 49. עשים חסד ואמת, *Joſ.* 2: 14. ועשינו עמך חסד ואמת, &c.

(i) Εἰς τὴν Ἰουδαίαν γῆν.] Hoc eſt, *In Judaicæ terræ partem*, quæ à ſuburbicaria regione diſtinguitur. Nam hiſtoria immediatè antecedens (de colloquio cum Nicodemo) contigit & acta fuit Hieroſolymis, ubi Paſcha obſervaverat Chriſtus, multaque fecerat miracula, atque ibidem paulìſper manſerat; & poſt hæc antea memorata (inquit Euangeliſta) Jeſus civitatem relinquit, & in rus abit. Etenim Euangeliſtæ verba ad hunc ſcopum collimare videntur, ſi latiſſimo ſumantur ſenſu. Atque ideo non prorſus video, cur *Beza* hunc locum ad ſuburbicariam regionem reſtringeret, eum Judææ territorium transferens, & ad hunc ſenſum exponens. Neque video tanti eſſe momenti, quanti inuſitatæ phraſeologiæ (Ἰουδαίαν γῆν) rationem reddere autumat.

(k) Ænon.] *Syrus* & *Arabs* duabus vocibus diſcretum legunt עין יון, quod *Fons Græcorum* nonnulli interpretantur: quaſi temporibus Monarchiæ *Græcæ* vel *Syro-Græcæ*, Græci quidam homines effoſſo alveo æquas has deduxiſſent. Locum preſſiùs examinabimus in ipſa verſus expoſitione.

XXIV. *Nondum enim conjectus fuerat Joannes in carcerem.*

XXV. *Orta eſt igitur quæſtio quibuſdam ex Diſcipulis Joannis cum Judæis de purificatione.*

XXVI. *Veneruntque ad Joannem, & dixerunt ei, Rabbi, is qui tecum erat apud trajectum Jordanis, cui tu teſtimonium dediſti, ecce baptizat, & omnes veniunt ad eum.*

XXVII. *Reſpondit Joannes, & dixit, Homo non poteſt recipere quicquam, niſi fuerit ei datum de cælo.*

XXVIII. *Vos ipſi mihi teſtes eſtis, me dixiſſe, Non ſum ego Chriſtus, ſed miſſus ſum qui apparerem coram eo.*

XXIX. *Qui habet ſponſam, ſponſus eſt: amicus autem ſponſi, qui ſtat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem ſponſi: hoc ergo gaudium meum impletum eſt.*

XXX. *Illum oportet creſcere, me verò minui.*

XXXI. *Qui supernè venit, ſupra omnes eſt. Qui è terra eſt, terrenus eſt, & terrena loquitur: qui è cælo venit, ſupra omnes eſt.*

XXXII. *Et quod vidit & audivit, hoc teſtatur: ſed teſtimonium ejus nemo recipit.*

XXXIII. *Qui recipit ejus teſtimonium, is obſignavit Deum veracem eſſe.*

XXXIV. *Nam is demum quem miſit Deus verba Dei loquitur: non enim huic Deus admetitur Spiritum.*

XXXV. *Pater diligit Filium, & omnia dedit ei in manum.*

XXXVI. *Qui credit in Filium, habet vitam æternam: qui verò non aſſentitur Filio, non videbit vitam, ſed ira Dei manet ſuper eum.*

Ratio Ordinis.

HUjus Hiſtoriæ de *Nicodemo* ſequela & conjunctio cum ea quæ ſub finem ſecundi Capitis narratur, (ſcilicet de miraculis à *Chriſto Hieroſolymæ* in feſto Paſchatis editis) ſatis apparet ex ipſius Nicodemi verbis *verſu* ſecundo, & Euangeliſtæ narratione *verſu* viceſimo ſecundo, ut nulla ulteriori probatione atque evidentiâ indigeat, quàm ut ad hos verſus hujuſce rei elucidandæ gratiâ reſpiciamus. Verumtamen ut hujus Capitis connexionem cum priore, & tempora & juncturas cum ſeipſo obſervemus, id latè perluſtremus, & proſpectum à ſecundi Capitis verſu viceſimo tertio capiamus. *Quum autem eſſet Hieroſolymis in Paſchate, in feſto, multi crediderunt in nomen ejus, ſpectantes ſigna quæ edebat.* Hic feſtus dies Paſcha erat, primus dies feſtivæ hebdomadis, ſeu dies, qui Paſchæ comeſtionem immediatè ſequebatur; ſiquidem illo die populus in Templi Atrio ſecundùm Legis tenorem ſe ſiſtere debuerint; illis nempe ter quotannis coram Jehova comparendum erat. *Nam illa præſentia ſub Lege præcepta* (inquit *Rambam*) *ita intelligenda erat, ut quiſque in Atrio primo die feſto feſtivi illius temporis coram adeſſet cum oblatione*, in *Hag. Perek.* 1. Illo igitur die cùm populi concurſus frequentiſſimus erat, ſupponendum eſt, Chriſtum incepiſſe miraculis ſeipſum reddere notabilem, uti antea prophetico ſuo zelo, die uno aut altero elapſo, mercatum è Templo abigendo.

Non memoratur, qualia miracula ediderat. Rationi tamen & poſterioribus ejus operationibus congruit ſupponere, ea ad morborum medelas & Dæmoniorum ejectiones reducenda eſſe. Sed an hujuſmodi fuerint, necne, certiſſimum eſt, tantam potentiam in iis exhibitam fuiſſe, ut ipſe *Nicodemus* fateri, aliique agnoſcere cogerentur, neminem, præter Doctorem qui à Deo miſſus eſt, talia facere potuiſſe; etiam ea in cauſa fuiſſe, ut *Galilæi*, qui ſpectatores erant, eum reciperent, cùm poſteà inter eos verſaretur, *Joann.* 4: 45. Quotieſcunque olim coram Deo comparuerant, tam ſtupenda opera in conſpectu ipſorum non erant patrata. Atque ita benigniſſimus Deus illis hæc duo patefecit, nempe non fruſtra fore, ſi quis ſacris ab eo inſtitutis ritè intereſſet; & magnum Prophetam ad eos veniſſe. Quæ quanquam ita ſe habebant, tamen illo ipſo die poſt

Digitized by Google

poſt tres annos non minùs crudeliter quàm injuſtè beatiſſimum Jeſum cruci affixerunt.

Nicodemus proculdubio omnium, quæ facta erant, & ſpectator & teſtis fuit. Atque hoc *Syriacus Tralator* videtur concluſiſſe, cùm hujus Capitis principium hoc modo exprimit: *Jam ibi erat quidam ex Phariſæis, Nicodemus nomine:* atque ejus verba non ex aliorum fama, ſed ex ſuorum oculorum teſtimonio procedentia idem innuere videntur: *Cognoſcimus te Magiſtrum à Deo miſſum eſſe, & neminem talia ſigna edere poſſe*, &c. Cùm hæc miraculoſa opera die illo conſpexerat, ad *Jeſum* illâ ipſâ nocte venit, ut probabile eſt ob verbum νυκτὸς, quod haud abſurdè definitam admittit conſtructionem. Etenim non dubitandum eſt, quin quàm citiſſimè poſſet, veniret, quia multùm illis miraculis permotus eſt, & communicationem aliquam cum *Chriſto* habere avebat; & quia ignarus erat, quàm citò ex urbe abiret. Verumtamen ſi illâ ipſâ nocte non venerit, quàm minimùm cunctatus eſt; & ſi venerit antequam *Chriſtus Hieroſolymam* reliquit, (quod extra controverſiam eſt) ſufficit ad probandam atque elucidandam connexionem quam ſtatuimus inter hanc Hiſtoriam de *Nicodemo*, & alteram, quæ in præcedente Capite continetur, de *Chriſto* in feſto Paſchæ miracula operante.

Cæterùm quamdiu Salvator noſter manſerit *Hieroſolymis*, priuſquam in ruralem Judææ partem abiit, quod proximè narratur, & de quo verſus 22. loquitur, dubium videtur. Id quod habemus de certo tempore in Hiſtoria ſequente, innuitur *Capite* 4. *verſ.* 35. ubi cùm *Chriſtus* ex Judæa ſalutis ſuæ cauſâ fugiturus eſt, quòd Joannem jam in carcerem conjectum fuiſſe audiverat, & quòd Phariſæis nuntiatum erat, illum plures Diſcipulos feciſſe quàm Joannem, ipſe inquit, quadrimeſtre ſpatium ſupereſſe, & tùm fore meſſem, id eſt, Paſcham; quia tunc tempora meſſem auſpicabantur, uti oſtendemus, cùm ad illum verſum perveniemus. Jam locus ille nobis proderit ad meliùs computandum hujus Capitis tempora, quamvis indubitatè Salvatoris noſtri actiones & manſionem in hoc vel illo loco certis temporibus aſcribere nequeamus. Quatuor menſes ante meſſem numerantur ad finem *Septembris*, & uſque ad illud tempus *Hieroſolymis* & in *Judæa* manſerat *Jeſus*, nunc *in hoc, nunc in illo loco à Paſcha noviſſima*, per ſpatium octimeſtre. Quantum temporis inſumpſit in utrovis loco, vix dignoſci poteſt, nec multùm referret, ſi ejus cognitionem aſſequeremur. Certum eſt, feſtum Paſchatis & Scenopegiæ interveniſſe; & probabile eſt, eum fuiſſe *Hieroſolymis* in illis feſtis ſecundùm Legis præſcriptum, quamvis rure cùm antè, tum pòſt fuiſſet.

Sed jam ut tempora & progreſſum Miniſterii Baptiſtæ reſpiciamus, de cujus prædicatione ac libertate in hoc Capite poſtremò auditur, commoratio ejus ac baptizatio ad tres potiſſimùm locos reſtringantur oportet; *Judæa regionem*, Luc. 3: 3. *Bethabaram trans Jordanem*, Joann. 1: 28. & *Ænon prope Salim*, Joann. 3: 23. In primo loco dimidium anni inſumpſit, nempe ab illo tempore, cùm primùm baptizare cœpit, quod circa Paſcha fuit, donec *Chriſtum* baptizavit circa feſtum Expiationis, aut Tabernaculorum. Quippe Joannes *Chriſto* ſemeſtre ſpatium ſenior, *Luc.* 1: 26. ſupponendus eſt, Miniſterium prædicandi atque baptizandi *tali ſpatio* per ſemeſtre etiam priùs aggreſſum fuiſſe, quàm *Chriſtus* publicum Miniſterium in ſe ſuſcepit, quod erat poſt Baptiſma, menſe *Septembri*, ut probavimus. Tam diu igitur *Joannes* in *Judæa* regione juxta oras *Jordanis* commorabatur, huc & illuc diſcurſans, ut occaſionem ſuo negotio inſervientem nactus eſſet. Cùm *Chriſtus* ab illo baptizatus eſt, proximè narratur, eum eſſe *Bethabare:* ſed unde ſe illuc proripuit, aut quamdiu ſtationem ſuam ibi habuit, illud quidem eſt incertum. Cùm *Chriſtus* è deſerto rediit poſt Tentationem, eum ibi reperit, ſex hebdomadis jam elapſis poſtquam baptizatus erat; & probabile eſt, illum eò ſe contuliſſe immediatè poſt *Chriſti* Baptiſmum. Videtur enim ex *Luc.* 3: 21. quòd omnis populus, qui congregandus erat in *Jordanis* ripa, quæ verſus Judæam erat, ad eum veniſſet, antequam *Chriſtus* ſeipſum obtuliſſet baptizandum. Quamdiu autem ibi manſit? Jam reſtabat ſemiannus ad proximam Paſcham, aut circiter; & fortaſſe hoc ſpatium inſumpſit cis *Jordanem*, ut prius inſumpſerat trans *Jordanem*. Deinde per aliud ſemianni ſpatium, aut aliquanto plus, libertatem eundi redeundique, ut ſibi placuit, habuit, & fortaſſe in *Ænon* tamdiu commoratus eſt, dividens tempus publici ſui Miniſterii ac libertatis in tres partes propè æquales in his tribus locis. Sed non neceſſe eſt, ut in certa tempora harum rerum inquirendo tam curioſi ſimus. Sufficit, ſi totalis temporis ſumma ritè computetur, & ſi ejus diſ-

JOANN. CAP. III. VERS. 1.

ceſſus in recta propriæ ſuæ narrationis ſerie ponantur.

Harmonia & Explicatio.

Vers. 1. *Erat quidam ex Phariſæis, cui nomen erat Nicodemus.*

Celebris eſt mentio cujuſdam נקדימון, *Nicodemi*, in *Thalmude*, de quo hoc mirum narrant, quòd cùm omnis *Iſraël Hieroſolymam* ad unum ex tribus præcipuis feſtis advenerat, & nulla aqua bibenbo ſuppetebat, hic *Nicodemus* tantum aquæ à Magnate quodam, quantum in duodecim puteis aut ſtagnis contineri potuit, mutuò accepit, hâc conditione, ut tantumdem aquæ certo quodam die, aut duodecim argenti talenta rependeret. Ante præfixum diem nulla pluvia deſcenderat; adeò ut non eſſet veriſimile, eum aquam pro aqua reſtituere poſſe. Jam dies advenerat definitus, & Magnas ille aquam aut nummum huic æqualem poſcit. Igitur hic *Nicodemus Ben Gorion* (ſic enim eum vocant) in Scholam ſuam Theologicam ingreſſus eſt, & velatâ facie precatus, ilicò cœlum nubibus obtectum eſt, & pluvia tam copioſè deſcendit, ut duodecim putei implerentur uſque ad reſtagnationem. Tum Magnas ille cavillis uſus eſt, allegans ſolem occidiſſe, diemque ſolutionis præteriiſſe. *Nicodemus* iterum Scholam intravit, & velatâ facie precatus eſt; & repentè venti flabant, nubes diſpergebantur, & ſol emicabat. Hinc (ut ajunt) nominatus eſt *Nicodemus*, מפני שנקדה לו חמה בעבורו, quia Sol pro eo tam inſigniter apparuit. Et grandia de ejus filia loquuntur: illam nempe lectum duodecies mille aureis denariis conſtantem habuiſſe, *Thalm. Bab. Cetuboth*, fol. 66. & *Taanith*, fol. 19. *Avoth Rabbi Nathan*, *Perek*. 6.

Non tanti eſt definire aut harum narrationum veritatem, aut utrùm *Nicodemus* in *Thalmude*, & hic in Euangelio unus idemque fuerint. Certiſſimum eſt eorum tempora coincidere: & ut nullum eſt periculum, ſi teneas fuiſſe unum eundemque, ita nulla eſt ratio tam valida, ut quempiam alterius eſſe ſententiæ cogeret, niſi quòd *Thalmudiſtæ* tam honorabilem de eo mentionem faciant. Author *Juchaſin* hunc eodem tempore eâdemque ſocietate cum *Rabban Jochanane Ben Zacchai* ponit, qui in *Chriſti* temporibus, & deinceps, uſque ad *Hieroſolymorum* excidium floruit; & de utroque narrat, quòd *Nicodemus Ben Gorion* ad Circumciſionis feſtum unà cum *Rabban Jochanane Ben Zacchai* invitatus eſt: & poſt feſtum *Rabban Jochanan* cum ſuis Diſcipulis in ὑπερῷον Legis exponendæ gratiâ aſcendit, atque illico domus quaquaversùm conflagrare cœpit, ſicut olim mons *Sinai*. Comparetur *Actorum* Caput 2. *Juchaſin*, fol. 23. & 53.

JOANN. CAP. III. VERS. 1, 2.

Si noſter *Nicodemus*, de quo nunc agimus, idem cum eo eſt, qui in *Thalmude* memoratur, ſi quid veri illa narratio habet, jure dicamus eum fuiſſe Sacerdotem, & officium adminiſtraſſe ממונה על המים, *Aquarum inſpectoris* in uſum populi feſtivis temporibus. Nam hujuſmodi officium Sacerdotum unus ſemper geſſit, *Maimonides* in *Keli Mikdash*, *Perek*. 7.

Utrùm verò idem aut ejuſdem officii eſſet, necne, Euangeliſta duplicem hunc characterem ei impreſſit; cum ex *Phariſæis* fuiſſe, atque inde principia Euangelicæ doctrinæ contraria imbibiſſe; & *Judæorum Rectorem*, aut unum ex Synedrio, *Joann*. 7. ac proinde poteſtatem ipſi opponendi, ejuſque progreſſum impediendi habuiſſe. Idcircò cùm Nicodemus converteretur, majus fuit, quàm cùm alii peccatores convertebantur; magis mirandum erat, cùm is eique ſimiles ad Euangelii obedientiam adigebantur, qui non tantùm ſub naturalis corruptionis poteſtate atque Originalis peccati dominio, verùm etiam opinionum Euangelio toto cœlo oppoſitarum præjudiciis laborabant. Atque adeò in *Nicodemi* converſione, qui vir potens fuit, atque alienatus animo ob dogmata falſa unà cum lacte materno derivata, primo *Chriſti* adventu ad *Hieroſolymam*, potentia Euangelii operiſque gratiæ demonſtratur, & Patronus Euangelio jam tùm primùm orienti comparatur.

Vers. 2. *Hic venit ad Jeſum nocte.*

Hic adventus per noctem iterum ab eodem Euangeliſta memoratur *Cap*. 7: 5. & *Cap*. 19: 39. & plerumque de ejus fidei imbecillitate intelligitur, quaſi non auderet *Chriſtum* in Judæorum conſpectu agnoſcere. Quod quamvis non omninò negaverimus; tamen aliæ rationes de hoc, præter meticuloſitatem atque fidei infirmitatem, dari poſſunt. Ut I. ſi *Chriſtum* nocte advenit, ut ab eo pleniùs de *Chriſti* regno per colloquium informaretur, & an *Meſſias* eſſet, necne, ut facilè ſupponi poteſt, non erat ei copia *Chriſto* pri-

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 2.

privatim fruendi, niſi nocte, cùm toto die populus ad *Chriſtum* confertim confluxerant, poſtquam ejus miracula vidiſſent. II. Si nocte immediatè feſtum quo miracula ediderat ſequente advenit, tùm ſuum affectum erga Euangelium æquè oſtendit, quod tam citò ad *Chriſtum*; atque imbecillitatem, quòd nocte advenit. III. Traditiones Judæorum nocturnum Legis atque Theologiæ ſtudium multùm commendabant. *Quanquam*, inquiunt, *mandatum eſt diſcere noctu atque interdiu, tamen quivis plus ſapientiæ per noctem diſcat. Quisquis igitur Coronam Legis obtineret; ſtudeat unaquaque nocte, nec ullam præterlabi ſinat. Sapientes dicunt, cantum Legis non niſi in nocte eſſe, ut dictum eſt, Surge, cane in nocte. Et ei qui ſtudet in Lege noctu, filum miſericordiarum interdiu producitur. Omnem domum, in qua verba Legis non audiuntur nocte, ignis devorat.* Maimonides, *Thalmud Torah, Perek.* 3.

Rabbi, ſcimus te à Deo veniſſe Magiſtrum.] *Rabbi* fuit titulus diſtinctivus cujuſque Ordinati, quo cohoneſtabatur cùm ordinatus eſt Magiſter, aut Judex. *Quomodo fit Ordinatio?* inquit Maimonides, *Non quòd ſemper manus Senioris ordinandi capiti imponant, ſed quòd eum vocent Rabbi, eique dicant, Ecce ordinatus es, & poteſtatem judicandi habes*, Sanhedr. Perek. 4. Sed hoc verbum latioris ſenſûs inter eos fuit, & cuivis doctrinæ, cujuſvis gradûs, aut religionis causâ celebri eorum compellationibus attribuebatur. Jam verò an *Nicodemus Chriſtum* alloquatur ſtricto aut latiore vocis uſu, non multùm refert inquirere. Probabilius eſt prius, quòd eum agnoſcit *Magiſtrum, qui à Deo venerat*, ut *Joannes* dicitur *Vir à Deo miſſus*, Joann. 1: 6. & vocatur *Rabbi*, Joann. 3: 26. Porrò hæ loquendi formulæ, *veniens à Deo*, & *miſſus à Deo*, Doctoribus ab hominibus venientibus & ab hominibus miſſis apponuntur. Qui modus emiſſionis Doctorum & Prædicatorum per Ordinationem, licèt inſtitutis conſonus eſſet, tamen quia immediatè ab hominum manibus peractus eſt, multùm ab eo diverſus erat, qui immediatè à Deo per revelationem, inſpirationem, aut ejuſmodi divinam auctoritatem Spiritûs Prophetici originem habuit. Cùm igitur *Nicodemus* appellat *Chriſtum, Magiſtrum à Deo miſſum*, intelligit potiùs ſpecialem à Deo miſſionem, quàm communem & mediatam per Ordinationem, ut olim Prophetæ per verbum Dei miſſi ſunt, poteſtatem miraculorum in manu ſua gerentes; ſi modò iſthoc titulo eum pluſquam Prophetam non agnoſcat, de quo plura alibi.

Cæterùm, ecquem ſecum in hac agnitione conjungit *Nicodemus*, cùm dicit in plurali numero, *ſcimus?* Numquis cum eo erat Diſcipulorum ſuorum, cùm hæc verba protulit? Aut mens ejus fuit, ſe & ſocios *Synedrii* convictos fuiſſe, *Chriſtum* verum eſſe Prophetam? Certè niſi pro comperto haberem, quòd phraſeologia aliter accipiatur, quàm ut ſenſus ſemper definiretur, aut certo numero applicaretur, id ita intelligerem, & certis perſonis attribuerem. Cogitemus enim, annon poſtquam per multa ſecula ceſſaverant miracula, tanta à Chriſto edita conſpiciens *Synedrium*, de hac re ſeriam inire vellet conſultationem, quum officium ejus eſſet in eam inquirere. Extra omnem dubitandi anſam ponere licet, illos rem inter ſe quàm citiſſimè diſceptaturos, an Chriſtus verus eſſet Propheta, necne; nec multùm dubitari poteſt, quin cùm in rem plene inquiſiviſſent, & miraculoſa opera in conſpectu ſuo edita pro dignitate ſua conſideraſſent, ſecum protinùs reputarent, eum eſſe *Magiſtrum à Deo miſſum, utpote quòd nemo potuerit talia facere miracula, niſi Deus cum eo eſſet.* Quod quidem externis actibus geſtibuſque, ac per totam cum eo converſationem ſtrenuè negarunt, dum eum faſtidio habuerunt, imò oppoſuerunt, & perſecuti ſunt, atque in omnibus peſſimè tractarunt, ut in tota ejus Hiſtoria ſatis manifeſtum eſt. Huic tamen conſcientiâ ſuâ contradicere non potuerunt; atque ita peccatum, dum eo modo agerent, majus fuit & atrocius. Si quis igitur verbum *ſcimus* ſtricto ſenſu ſumeret, quaſi *Nicodemus*, cùm in *Synhedrio* toto die fuiſſet, in diſquiſitione de *Chriſto*, & non habens quod ſolidè divinæ illius miſſioni propter miracula opponeret, nocte adveniret, *Chriſtoque* declararet, ſe & ſocios ſuos in *Synedrio* convictos, quòd is à Deo miſſus eſſet Magiſter; neque in rectam rationem, nec naturalem verborum ſenſum peccaret. At loquendi modus *nos* ſæpenumerò ſignificat, tale quid certò & ſæpiùs agnoſci, & ſine reſpectu ad certas & definitas perſonas, quaſi iis notum eſſet; ſed ſolummodò cum reſpectu ad rem ipſam, quòd bene nota ſit, & apud omnes in confeſſo. Atque ita in hoc loco aptiùs intelligendum putamus. Videatur phraſis, *Joann.* 4: 22. & 9: 31. 1 *Joann.* 5: 18. &c.

VERS.

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 3.

VERS. 3. *Niſi quis genitus ſit.*

Expoſitores hæc verba Salvatoris noſtri prædictis *Nicodemi* conglutinare diverſis tentant modis, ut ſibi mutuò eſſent conformia. Sic *Chryſoſtomus: Me Prophetam ſolummodò reputas. Multùm à ſcopo aberras; nec adhuc in extimam rectæ cognitionis porticum devenisti. Amen dico tibi, niſi per lavacrum regenerationis Spiritûs particeps fias, non potes de me rectè judicare.* Et iiſdem veſtigiis inſiſtit *Theophylactus.* Ita *Cyrillus: Nicodemus ſatis putavit, ſe Chriſtum adinveniſſe, eumque confeſſum. Sed hoc non ſufficit, inquit Chriſtus, ſed oportet te iterum naſci.* Et ad eundem modum loquitur *Toletus. Auguſtinus* hoc modo: *Nicodeme adveniſti ad me tanquam Magiſtrum à Deo miſſum: ſed dico tibi, nec me, nec Euangelium tibi concredendum eſſe, niſi denuò naſcaris. Beza* ſuſpicatur, *Chriſtum* percepiſſe, quòd *Nicodemus* cùm de regenerationis doctrina percontaturus eſſet, & quæſtionem hîc prævenire. *Janſenius*, quòd *Nicodemus* viam ad ſalutem exquiſiverit; de qua ne quidem ullam mentionem fecit Euangeliſta. Alii denique modi produci poſſunt, quibus alii atque alii Expoſitores utuntur, ad oſtendendam connexionem inter verba Salvatoris & *Nicodemi.* Verùm ego à pluribus producendis abſtinebo, & memet accingam ad inquirendum, quid per *Regnum Dei* intelligendum ſit: quo intellecto, connexio quæ tam difficilis apparet, fiet manifeſtior.

Regnum Dei.] Hæc phraſeologia, & *Regnum cœlorum*, unum idemque ſenſu ſunt, quanquam verbo diſſonant, ut facilè & perſpicuè patebit hos locos comparando.

Matth. 4: 17. *Reſipiſcite: appropinquavit enim Regnum cœlorum.*	Marc. 1: 15. *Appropinquavit Regnum Dei. Reſipiſcite.*
Matth. 5: 3. *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt Regnum cœlorum.*	Luc. 6: 20. *Beati eſtis, pauperes, quoniam veſtrum eſt Regnum Dei.*
Matth. 19. 14. *Omittite iſtos puerulos, talium enim eſt Regnum cœlorum.*	Marc. 10: 14. *Sinite puerulos venire ad me: talium enim eſt Regnum Dei.*
Matth. 19: 23. *Dives difficulter introibit in Regnum cœlorum.*	Luc. 18: 24. *Quàm difficulter qui pecunias habent introibunt in Regnum Dei.*
Matth. 11: 11, 12. *Minor in Regno cœlorum eſt major eo.*	Luc. 7: 28. *Minor in Regno Dei eſt major eo.*
Matth. 13: 11. *Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni cœlorum.*	Luc. 8: 10. *Vobis datum eſt noſſe myſteria Regni Dei.*
Verſ. 31. *Simile eſt Regnum cœlorum grano ſinapis.*	Luc. 13: 18. *Regnum Dei eſt ſimile grano ſinapis.*
Verſ. 33. *Regnum cœlorum eſt ſimile fermento.*	Verſ. 20, 21. *Regnum Dei eſt ſimile fermento.*

Et multi alii loci paralleli in Euangeliis produci poſſunt, quibus ex indifferenti harum phraſium uſu abundè conſtat, *Regnum cœlorum, Regnumque Dei* unum idemque ſignificare.

Jam ratio hujus indifferentis uſûs eſt, quòd Judæi plerumque Deum vocant *Cœlum*, uti in *Dan.* 4: 25. *Matth.* 21: 25. *Luc.* 15: 21. *Joann.* 3: 27. & apud eorum Autores infinitè in talibus phraſeologiis: מורא דבו כמורא שמים, *Homo debet timere Præceptorem æquè ac Cœlum.* פורק יראת שמים, *Hic timorem Cœli abjicit.* פולחנא דשמיא, *Servitium Cœlorum.* מותה ביד שמים, *Mors per manum Cœlorum.* יהא ירא שמים בכתר, *Homo ſemper timeat Cœlos in ſecreto.* נתחלל שם שמים *nomen Cœlorum blaſphematur. Et vocant Deum Cœlum*, inquit *Elias Levita* in *Thisbi, quia cœlum eſt locus habitationis ſuæ.*

Thalmudici Scriptores aliquando utuntur phraſi *Regnum cœlorum*, ſenſu miro ſibique proprio, nempe pro ſummo rigore ac maximâ pompâ cæremonialis ſuæ religionis, ac præſertim in negotio Phylacteriorum ἀκρίβεια. *Rabbi Joſua Ben Korcha* hoc modo loquitur: מיקבל עלין מלכות שמים תאלה ואח״כ יקבל עליו עול מצוה. *Quis in ſe ſuſcipiet Regnum cœlorum, & poſteà jugum mandati?* Sic *Mishne Hieroſolymitani Thalmudis* legit in *Beracoth, Perek.* 2. Et ſic etiam *R. Alpheſ.* Ita verò ſe habet *Babylonicum Mishneh. Suſcipiat priùs jugum Regni cœlorum. Quo dicto hoc intelligitur, Quivis induat ſua Phylacteria, ac deinde ad preces ſe conferat.* Atque eodem modo *Gemara* loco allegato exponit. *R. Jehoſuа* dixit: *Qui in ſe jugum cœli ſuſcipere velit, manus lavet, induat Phylacteria, eorum ſententias repetat, preces dicat; & hoc eſt perfectum jugum Regni cœlorum.* In quæ verba ſic *Alpheſ.* commentatur. *Quoniam legitur*, Etiam alligabis ea in ſignum manui tuæ, & erunt pro fron-

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 3.

frontalibus inter oculos ſuos. Si non induat Phylacteria, deprehenditur falſum teſtimonium contra ſeipſum detuliſſe, quia falſum eſt quod dicit. Et quamvis mandatum (precandi) conſque obſervet, ut officium repetendi ſententias Phylacteriis inſcriptas peragat, ex altera tamen parte peccat, quia falſum teſtimonium contra ſeipſum dat. Et *Rabbi Jochanan* ita vult intelligi, *mandatum fore imperfectum, ſi in ſe Regnum cœlorum non ſuſceperit: & ſimilis eſt ei, qui ſacrificium Euchariſticum ſine munere offert; quoniam ſententias illas recitat, & tamen Regnum Dei in ſe non ſuſcipit.*

In eodem loco præterea occurrit, quòd eodem ſenſu intelligendum eſt, de *Rabban Gamaliele*, qui ipſâ nocte poſt contractum matrimonium Phylacteria recitabat. *Diſcipuli ejus allocuti ſunt illum, dicentes, O Domine, nonne docuiſti nos ſponſum non teneri ad recitandum Phylacteria? Quibus reſpondit, Non conſque vobis auſcultabo, ut jugum Regni vel unius horæ ſpatio deponerem.* Atque idem de eo intelligendum eſt, quod Autor *Juchaſin* refert de *Rabbi Achiba.* שנפטר בקבלת על שמים, quòd *mortuus eſt in ipſo actu ſuſcipiendi jugum Regni Dei*, fol. 66. Adeò ut in horum Judæorum ſenſu phraſis *Regnum Dei* præcipuè extremum devotionis ſuæ zelum cum accuratiſſima cæremoniarum, ac præſertim injunctionum de Phylacteriis obſervatione conjunctum ſignificaret. *Zohar* erit nobis Epilogus. *Quid eſt*, inquit ille, *jugum Regni cœlorum, quàm ut jugum bovi ad beneficium mundi imponitur; ſi non libenter jugum in ſe ſuſcipit, eſt prorſus inutilis: ſic etiam oportet quemvis jugum primò in ſe ſuſcipere, ac deinceps in omni re neceſſaria ſub eo ſervire; & ſi jugum in ſe hoc modo non ſuſcipit, ſit inutilis; ut dicitur*, Servite Jehovæ cum timore. *Quid ſibi vult*, cum timore? *Quid ſcriptum invenimus?* Timor Jehovæ eſt principium ſapientiæ, *Zohar* in *Levit.* fol. 53.

Verùm in ſermone Judæorum ſub Euangelio, & in quibuſdam ſcriptis alibi etiam *Regnum Dei* ſignificat celebrata illa *Meſſiæ* tempora, ac feliciſſimam quam ſub eo expectarunt conditionem, cùm Domus *Davidica* ad priſtinam gloriam reſtitueretur, Templum rurſus erigeretur, ac diſperſi Iſraëlitæ reducerentur, ipſique ſceleratorum hominum dominio prorsùs liberati, in altiſſima pace omnique rerum abundantiâ Legis atque Præceptorum ſtudio vacarent, *Maimonides* in *Melachim*, *Perek.* 11. & in *Theshubah*, *Perek.* 9.

Conſulantur loci hanc phraſin, *Dies Meſſiæ*, explicantes in conſtructione *Judæorum*, & *Chriſti*, & Euangelii.

JOANN. CAP. III. VERS. 3.

Joannes Baptiſta prædicavit dicens, *Appropinquavit Regnum cœlorum*, Matth. 3: 2. Hoc fecit *Chriſtus*, Matth. 4: 17. Atque idem facere in mandatis dedit Diſcipulis, *Matth.* 10: 17. in quo nihil aliud intellectum eſt, quàm quod tempus jam inſtaret, cùm Filius hominis revelandus eſſet. Sic enim Salvator ipſe id interpretatur, *Matth.* 16: 23.

Luc. 16: 16. *Lex & Prophetæ uſque ad Joannem: ab eo tempore Regnum Dei euangelizatur:* quod ipſe *Joannes* ſic exponit, *Ut* Chriſtus *manifeſtus fieret Iſraeli, propterea veni ego baptizans aquâ*, Joann. 1: 31.

Luc. 17: 20, 21. *Interrogatus à Phariſæis, quando venturus eſſet Regnum Dei; reſpondit* Jeſus, *Regnum Dei intùs habetis*; quod in ſequenti verſu effertur per *dies Filii hominis.*

Luc. 9: 27. *Sunt quidam ex iis qui hîc adſtant, qui nequaquam guſtabunt mortem, uſque dum viderint Regnum Dei.* Quod *Matthæus* exprimit, *uſque dum viderint Filium hominis venientem in Regnum ſuum.*

Matth. 21: 31. *Publicani & Meretrices præeunt vos in Regnum Dei.* Et proximum comma hujus rationem dat, quia *Joanni* non crediderunt, qui primus *Regnum Dei* prædicare cœpit, & *Meſſiam* indigitavit.

Matth. 21: 43. *Tolletur à vobis Regnum Dei:* cujus ratio in præcedente commate redditur, quia Lapidem caput Anguli reprobarunt, cùm inter eos fuerat. Cui conſonat Gloſſa, quam *Rabbi Solomon* facit in *Jeremiæ* 13: 17. *In latebris flebit anima mea propter ſuperbiam* veſtram, id eſt, מפני צאוותה של מש', *quia gloria Regni Dei dabitur idolis, ſive Gentibus idololatricis.*

Et de adventu dierum *Meſſiæ*, quem tota Judæorum Natio tùm avidè expectarunt, ii loci intelligendi ſunt, *Luc.* 23: 51. *Joſephus ortus Arimathæâ civitate expectabat Regnum Dei.* Luc. 19: 11. *Putabant fore, ut illico Regnum Dei appareret.* Quibùs congruenter exponit illa verba *Chaldaicus Paraphraſtes. Dicite civitatibus Judææ, Ecce Deus veſter.* Iſaj. 40: 9. *Dicite civitatibus Judææ, Regnum Dei veſtri revelatur.* Atque *Iſaj.* 53: 11. *Meſſiæ ſui Regnum videbunt.*

Jam verò, quanquam Salvator noſter atque Euangeliſtæ phraſi *Regnum Dei*, pro diebus *Meſſiæ*, rebuſque ſub eo gerendis,

Digitized by Google

æquè utuntur, atque Judæi; tamen in ejus expoſitione quàm maximè diſſident.

I. Judæi in diebus *Meſſiæ* res incomparabilis terrenæ pompæ, maximique ſplendoris, etiam regii, ſibi vanè promiſerunt; ideoque illum rerum ſtatum *Regnum Dei* nominarunt, quia nempè, ut dictum eſt, antiquam *Davidici* Throni gloriam reſtitutum iri ſomniarunt, *Actor.* 1: 6. *Luc.* 24: 21. *Matth.* 20: 20. *Regnum cælorum* itidem vocarunt, quia Gentem ſuam cujuſcunque extranei dominii ſervitute exemptum iri imaginati ſunt. Nam eorum Sapientes crediderunt, nullam fore differentiam inter hunc mundum & dies *Meſſiæ*, præterquam afflictionem Regnorum, *Thalm.* in *Sanhedr. Perek.* 10. *Maimonides* in *Teshubah, Perek.* 9.

Verùm Chriſtus profitetur, ſe non venturum, ut obſervari poſſit, *Luc.* 17: 20. Regnum ſuum non eſſe hujus mundi, *Joann.* 18: 36. Regnum Dei eſſe pauperum, *Luc.* 6: 20. & recipiendum tanquam parvuli, *Marc.* 10: 15. &c.

II. Adblandiebantur ſibi cæremonialem formalemque religionis ſuæ partem in meliùs mutatum iri, pompam ejus majorem fore atque auguſtiorem, dies feſtos, ſacrificia, aſperſiones, alioſque carnales ritus in majori fore æſtimatione & pretio, quàm unquam anteà; omnes diligentiùs Legis ſtudio invigilaturos, & ſecundùm eam mores accuratiùs compoſituros; omnes denique inſtitutiones de cibo & potu, convictu & cultu, ad amuſſim obſervatum iri.

Sed Euangelium dicit contrà, illos *Regnum cælorum* non ingreſſuros, niſi eorum juſtitia hanc Phariſaicam ſuperaret, *Matth.* 5: 20. cultum Dei fore ſpiritualem, *Joann.* 4: 23, 24. Regnumque Dei non eſſe eſcam & potum, ſed juſtitiam, pacem & gaudium per Spiritum Sanctum.

III. Falsò ſibi perſuadebant, felicitatem dierum *Meſſiæ* ſuæ Nationis propriam fore, neque illius partem aut portionem Gentibus communicatum iri.

Euangelium verò contra, venturos ab Oriente & Occidente, Septentrione & Auſtro, qui in Regno Dei diſcumberent, *Luc.* 13: 29. Regnumque ipſis auferendum, qui ſe Regni Filios reputabant, dandumque alteri Nationi, *Matth.* 21: 43. & 8: 11, 12.

Senſus igitur hujus phraſis, *Regnum Dei* aut *cælorum*, in Novo Teſtamento tam frequens, ſi ſecundùm mentem Euangelii accipiatur, eſt hujuſmodi.

I. Significat exhibitionem aut manifeſtationem *Chriſti*, ut patet locis ſuprà citatis, nec tam ejus primam manifeſtationem in humana carne, nimirum cùm natus eſt, quàm adventum ejus cum ſummæ potentiæ indiciis, quibus oſtendit ſe eſſe Dei Filium. Et reſpectu ad hoc *Regnum cælorum* aut *Dei*, ab his duobus diebus computatur; nunc ab ejus reſurrectione, per quam declaratus eſt Filius Dei, *Rom.* 1: 4. *Luc.* 22: 18. *Non bibiturus ſum ex fructu vitis, uſque quò Regnum Dei venerit*, hoc eſt, poſt ejus reſurrectionem: nam tunc cum ipſis comedit & bibit, *Actor.* 1: 4. *Luc.* 24: 43, 44. Nunc ab *Hieroſolymorum* excidio, *Luc.* 21: 31, 32. *Matth.* 16: 28. quoniam tunc de iis inſigniter triumphavit, qui ejus dominationem deſpexerant, ſuumque Regnum in aliam Nationem tranſtulit, *Matth.* 21: 40, 41, 43.

II. Significat ſtatum illum rerum quæ ad ſalutem pertinent, in quo cæremonialis & carnalis cultus, qui priùs inſtitutus eſt, in ſpiritualem atque verum mutandus eſſet; non quaſi carnalis ſpiritualem penitùs excluſerit, cujus contrarium facilè detegi poſſet; ſed quòd mutatio eſſet tanta tamque conſpicua, ut nemini dubium videretur, quin iſti cæremoniarum cortices rejiciendi in poſterum eſſent, ipſaque ſubſtantia religionis primariò reſpicienda curandaque. In hoc ſenſu *Regnum Dei* computatur ab initio Miniſterii *Joannis Baptiſtæ*, cùm hæc mutatio primùm incepit, *Luc.* 16: 16. & illud tempus vocatur *Euangelii initium*, Marc. 1: 1. & mutatio nominatur *Regeneratio*, Matth. 19: 28. & *Novum Cælum Terraque Nova*, Iſaj. 65: 17.

III. Significat Euangelii & ſpiritualis Regni Dei fundationem inter Gentes, *Matth.* 8: 11, 12.

IV. Significat effectum Euangelii gratiam in corde operantis, ſeu virtutem & vigorem hujus ſpiritualis Regni, *Matth.* 6: 33. & 13: 46. & 15: 3. &c.

V. Aliquando ſignificat futuræ gloriæ ſtatum, *Luc.* 18: 18, 24, 25.

Jam verò ut ad eam diſquiſitionem, in qua occupati ſumus, redeamus, quæ fuit de connexione inter verba Salvatoris noſtri & *Nicodemi*, ac de ipſorum verborum ſenſu, hæc tria ſolummodo obſervabimus.

I. Quòd *Nicodemus* in verbis ſuis, quæ ſunt in verſu præcedente, apparentiam quandam ſeu lucem debilem *Regni Dei* aut adventûs *Meſſiæ* in miraculis à *Chriſto* editis agnoſcere videtur. Non multùm diſputabimus, utrùm, cùm dicit *Chriſtum* fuiſſe *Magiſtrum à Deo miſſum*, ſentiat eum fuiſſe *Meſſiam*, aut *Eliam* ejus Præcurſorem, aut Prophetam quendam, qui quaſi Phoſphorus fuit dierum *Meſſiæ*. Certè ex argumento illius à *Chriſti* miraculis deducto patet,

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 3.

tet, quòd ſecum ipſe portaret, dies illos jam inſtare, & *Regnum Dei* illicò venturum. Alibi invenimus talem argumentationem aptam eſſe ad talem concluſionem producendam. Quo obſervato, rectiùs de hac judicare poſſumus. *Nathanaël* concludit *Chriſtum* eſſe Regem *Iſraëlis*, quia rem quandam ab illo ſecretò actam ſub ficu proferre potuit uſque ad admirationem, *Joann.* 1: 49. Et mulier *Samaritana*, quoniam ſecretum illius crimen declarabat, colligit eum *fuiſſe Meſſiam*, Joann. 4: 29. Ita cùm populum quinque panibus ac duobus piſcibus ſaturaverat, hanc concluſionem indubitatam inde deducunt, *Hic eſt verè Propheta*, & facturi erant eum Regem, *Joann.* 6: 14, 15. Atque ipſe Salvator hoc pro invincibili argumento ponit, *Ego Spiritu Dei ejicio Dæmonia: ergò haud dubiè Regnum Dei pervenit ad vos*, Luc. 11: 20. Talia enim miracula nonniſi in diebus *Meſſiæ* expectanda erant. Sunt etiam ejuſmodi argumenta, *Joann.* 7: 31. & 9: 16. & 11: 47, 48. & 15: 24. Blaſphemi Judæi illorum temporum cùm viderunt, hanc concluſionem ex tam claris & perſpicuis argumentis neceſſariò inferendam, & cum ſeipſis determinaverant eorum evidentiam non agnoſcere, hâc execrabili eluſióne uti cogebantur, *Chriſtum* ope Diaboli illa miracula feciſſe; quod tam rationis expers fuit, quàm impium & prophanum. Et ſuccedentium temporum Judæi æquè blaſphemi eorum vim evadere conati ſunt, aſſerendo, quòd cùm veniret *Meſſias*, nulla ederet miracula, *Thalmud* in *Sanhedr. Perek.* 10. *Maimon. in Melachim*, *Perek.* 11. 12.

II. Et quòd ſpectat ad *Nicodemi* argumentationem hac in re, ea fuit ejuſmodi: nempe quòd miracula à Chriſto facta, fuerint tot ſigna indubitata, dies *Meſſiæ* aut *Regnum Dei* jam adveniſſe. Et ſenſum ejus facilè percipit Salvator; atque eundem allegata argumenta tam liquidò oſtendunt, ut quivis doctorum inter eos virorum, eorumque qui rerum obſervationi dediti ſunt, illicò ejus verba ita interpretaretur, quamvis tantùm in tot ſyllabis minimè involveretur. Idcirco non eſt quòd dicamus, *Chriſtum* cognoviſſe, quòd de *Regno Dei* percunctaturus eſſet: ex ipſis verbis ſatis manifeſtum eſt, eum in miraculis *Chriſti Regnum Dei* & vidiſſe, & agnoviſſe. Quæ ratiocinatio ob duas circumſtantias validior cenſenda eſt: nempe quòd miracula in lucem ederentur, cùm tam diu deſiiſſent; deinde quòd cùm *Chriſtus* ſua patraverat, nulla iis æqualia aut ſimilia conſpicienda eſſent.

III. Quapropter non multùm nobis inſudandum eſt, ad oſtendendum connexionem inter verba Salvatoris verbaque *Nicodemi*. Id facile eſt & perſpicuum. Quippe ut *Nicodemus* neceſſum habuit concludere, tempora *Meſſiæ* jam pro certo adveniſſe; ita ex Judaicis & Phariſaicis, quas à primis imbiberat incunabulis, opinionibus, ſecum ipſe reputabat, exoptatiſſima illa tempora, Genti ſuæ, prout jam ſe habuerunt, ſuperventura eſſe; eoſque ſine omni animorum atque affectuum mutatione in tantæ terrenæ felicitatis atque pompæ ſtatum, quantam deſiderare potuerunt, aut imaginari, ſubitò tranſlatum iri. Minimè verò, inquit *Chriſtus*: plus enim ab eo, qui feliciſſimos illos dies videre, eorumque beatitudinis participem fieri cupit, requiritur, nempè ut mutationem in ſeipſo ſuiſque dogmatibus ſubeat, & novum mentis habitum induat, fiatque quaſi denuò natus eſſet. Atque ita connexio inter ſermonem *Chriſti*, illumque *Nicodemi*, ſatis, ut putamus, explanatur. Jam reſtat ut ipſius dictionis ſenſum examinemus.

Non multùm refert, ſi ad ſenſum rei ſpectamus, ſive legamus, *niſi quis denuò natus ſit*, ſive *niſi quis natus ſit supernè*. Uterque dicendi modus Salvatoris noſtri ſenſum benè feret. Verùm ſi in poſteriore ſignificatione ſumitur, *niſi quis natus ſit supernè*, rei ſcopus, ad quem collimari credibile eſt, meliùs attingitur. Judæi quàm maximè gloriari, ſibique gratulari ſolebant, quòd ex *Abrahami* ſemine orti ſint, & ab hoc privilegio adeò dependebant, ut perpetuum Dei favorem ſibi promitterent, quaſi ab eo nunquam excidere poſſent. Infinitum eſſet ex Judaicis Auctoribus oſtendere, quàm magna crepent beneficia, in ſe derivanda, בזכות אברהם, quòd *Abrahami* progenies eſſent. Imò aſſerere non dubitant, כל ישראל יש להם חלק לע'הב', *Omnem Iſraëlem in mundo futuro portionem habiturum eſſe*, Sanhedr. ubi ſuprà. Videatur *Matth.* 3: 9. *Joann.* 8: 39. *Actor.* 13: 26. Jam verò *Chriſtus* hoc ſermone hanc vanam fiduciam culpat & labefactare conatur, & cum hoc Phariſæo eâdem argumentandi methodo utitur, quâ *Joannes* eos allocutus eſt, qui ad illum venerunt, *Matth.* 3: 9. ne infirmo illo baculo niteretur: nempe, ut cùm magnis illis & nunquam ſatis mirandis *Chriſti* actionibus quandam *Regni Dei* coruſcationem vidiſſet, non vanâ ſpe ſeipſum lactaret, quaſi ſe in illud inſinuare ipſi facile eſſet, quia *Iſraëlita* & ex *Abrahami* ſemine ortus eſt; nec ampliùs ab eo requireretur, ut largiſſimâ felicitatis per *Meſſiam*, qui jam venerat, obtinendâ portione frueretur. Quippe quòd

Lll 2 hoc

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 3, 4.

hoc privilegium, cùm terreſtre ſit, non eouſque ipſi prodeſſet, & *supernè* ei naſcendum eſſet, modo novo quidem & ſupernaturali. Atque aliter *Regnum Dei* videre non poſſet. Quòd autem *Chriſtus* eorum originem ab *Abrahamo*, à qua adeò dependebant, reſpicit, non ſolùm hunc dicendi modum cum illo *Joannis* comparando, ſed & ex eo quòd in ſexto verſu dicitur, confirmari poteſt, quod ita ſe habet, *Quod natum eſt ex carne eſt caro.*

Fatendum quidem eſt, *Nicodemum* alias opiniones habuiſſe, quæ tam refellendæ erant, quàm hæc: nempe juſtitiæ ſuæ propriæ, Legique Cæremoniali conformitati acquieſcere, & multa alia valde σαρκικὰ de *Regno Dei* concipere. Hæc verò primùm occurrebat, & in hanc alia erant fundata; ideoque imprimis removenda erat. Quâ demùm à *Chriſto* in ſermonis ſui principio pertractatâ & infirmatâ, in commatis ſequentibus ad examinandas alias ſe accingit.

Jam quamvis verba *Chriſti* ita conſtruendo, atque fiduciæ & dependentiæ, quam ex eo conceperant, quòd *Abrahamo* prognati ſunt, applicando, *Judæis* ſolis illa reſtringere videamur, facilè tamen eſt percipere, ſi res ritè comparare volumus, ea ad omnes vitali aurâ veſcentes tum mares, tum fœminas, ſi modò in hoc *Regnum* introire cupiant, pertinere. Nam ſi Judæi, qui ob ſtemma ſuum aliis nationibus quodammodò nobiliores erant, jus ad illud, non magis quàm illæ haberent, niſi denuò itidemque supernè gignerentur; multò magis ab aliis, qui nullo per proſapiam beneficio peculiari gaudent, & radice oleaſtri ſati ſunt, haud dubiè idem requiritur.

VERS. 4. *Quomodo quis naſci poteſt ſenex?*

Inter Gentem *Judaicam* hoc traditum eſt, & communiter receptum: גוי שנתגייר ועבר שנשחרר הרי הוא כקטון שנולד. *Quòd Gentilis factus Proſelytus, & ſervus manumiſſus, ecce eſt ut puer modò natus:* nam pro cognatis conſanguineos, quos habuit dum erat Ethnicus aut ſervus, reputare non debet, *Maimon.* in *Iſſure Biah.* Comparetur ad 2 *Corinth.* 5: 16. Hic eſt aliquo modo nova nativitas; quam fortaſſè *Nicodemus* benè novit, ſed humilis, terrena, carnalis, & quæ ad affinitatem corporalem refertur. Verùm audire quòd ipſi neceſſum eſſet, *supernè gigni*, id adeò novum atque ipſius auribus inuſitatum, ut etiam puer tam aptè ad id reſponderet, quàm inſignis hic *Iſraëlis Magiſter.* Nimirum Genti Judaicæ adeò complacuit, quòd originem ſuam ab Abrahamo deducere poſſent, ut in aliam inquirere prorſus negligerent, & in externis ritibus obſervandis adeò toti erant, ut quævis alia doctrina paradoxum illis videretur.

JOANN. CAP. III. VERS. 5.

VERS. 5. *Niſi quis fuerit genitus ex aqua & Spiritu.*

Primò hìc occurrit quæſtio, utrùm *aqua* & *Spiritus* in his verbis pro diverſis rebus accipienda ſint, an per illa res una eademque ſignificetur. Sunt qui hîc ἓν διὰ δυοῖν eſſe, unum nempe duobus verbis exprimi, ideoque conjunctionem & planè exegeticam cenſent; atque ita clauſulam interpretantur, *Niſi quis genitus fuerit ex aqua*, id eſt, *Spiritu, qui aqua comparatur.* Alii verò inter virorum doctorum primos numerandi, qui non ſine ratione inter *aquam* & *Spiritum* perſpicuè diſtinxerunt, per *aquam Baptiſmum* intelligentes. *Chemnitius* pro hoc ſenſu vehementiſſimè pleniſſimèque diſputat, & tandem concludit, *Totam Antiquitatem ſimpliciſſimè hæc verba Chriſti de Baptiſmo intellexiſſe.* Teſtes duos aut tres ex Antiquis proferam, cùm innumeros, ſi liberet, facilè producere poſſem. *Chryſoſtomus, Hom.* 24. *in Joannem* ita rem περιφράζει, Ἔπλασα σε ἀπὸ γῆς καὶ ὕδατος, &c. *Creavi hominem*, inquit Deus, (quem ſic loquentem inducit) *ex aqua & terra, & creatura facta eſt inutilis, & vas corruptum. Non ampliùs creabo ex aqua & terra, ſed ex aqua & ſpiritu.* *Cyrillus Alexandrinus* etiam hoc modo verba exponit, & ad rem ita alludit. *Ut homo ex duabus partibus, animâ nimirum & corpore, conſiſtit;* διπλῆς αὐτῷ πρὸς ἀναγέννησιν ἐνδεήσει θεραπείας, *ita etiam duplici remedio indigebit ut regeneretur; ſpiritus ejus Spiritu ſanctificatur, & corpus aquâ ſanctificatur.* Quod itidem hâc comparatione proſequitur. *Ut aqua in lebete igni appoſita, ignis vim recipit; ita aqua Baptiſmi à Spiritu virtute divinâ & ineffabili imbuitur.* *Auguſtinus* etiam *aquâ* Baptiſmum ſubintelligit, & hunc Commentarium addit. *Quod ut matris viſcera ad naturalem pueri nativitatem ſimul conducunt, ita Eccleſiæ viſcera ad ſpiritualem cujuſcunque ſemel baptizandi nativitatem valent*, &c. Infinitus eſſe poſſem in allegandis nominibus & Gloſſis in hunc locum; omnibus Baptiſmum hìc intelligentibus; quibuſdam in nova generatione matri *aquam*, patri *Spiritum* comparantibus; aliis inter nativitatem *noſtram* ex aqua virtute Spiritûs, & *Chriſti* nativitatem energiâ Spiritûs Sancti ſimilitudinem inſtituentibus; nonnullis in rem uno modo, aliis alio alluden-

ludentibus; omnibuſque denique concludentibus, Baptiſmum jure meritò hîc intelligendum eſſe. Quippe

I. *Chriſtus* in hoc reſponſo *Nicodemo* aperit, quod aliis verbis prolatum obſcurum fuit. Si verò unum idemque per *aquam* & *Spiritum* intellexerit, adhuc etiam obſcurè elocutus eſt, unamque difficultatem per aliam enodare aggreſſus eſt.

II. In ſimili locutione, *Baptizabit Spiritu Sancto & igne*, Matth. 3: 11. quamvis ἓν διὰ δυοῖν ibi in confeſſo ſit, ac idcirco tantumdem ſonet ac *Baptizabit Spiritu igneo*; *ignis* tamen ibi res viſibilis fuit. Cur etiam *aqua* hîc non reputaretur res viſibilis?

III. *Joannes Baptiſta* in ſui Miniſterii progreſſu priùs prædicavit, quàm baptizavit. Et quomodo rectè de *Chriſti* Miniſterio concipere poſſumus, niſi eum eandem methodum proſecutum eſſe cenſeamus? Infrà in hoc *Capite* dictum invenimus, *Chriſtum* baptizaſſe, *verſ.* 22. Annon Baptiſmi doctrinam priùs prædicavit, quàm baptizavit? Non dubitandum eſt, quin ita fuerit; ſi verò hîc loci non exprimitur, ne minima quidem ejus mentio per totum hoc Caput fit.

IV. Non ſine cauſa multi autumant, Apoſtolum Baptiſmum vocare *lavacrum regenerationis*, Tit. 3: 5. moti nimirum verbis hîc loci à Salvatore prolatis.

V. Fatendum quidem, in diverſis Scripturæ locis Spiritûs operationem per aquam ſignificari, ſed refrigerantem, purgantem & reficientem. *Ex aqua naſci* eſt loquendi modus, qui adeò ab altero differt, ut nimis durum eſſet Spiritum per aquam in iis locis intelligere, in quibus de refrigeratione, purgatione & refectione non agitur, præſertim cùm Spiritus etiam cum aqua memoretur.

VI. Inter *Salvatorem* noſtrum & *Nicodemum* de modo diſputatum eſt quo ille in *Regnum Dei* introduceretur, & quo beneficio in *Meſſiæ* diebus, quos jam adveniſſe certò ipſi conſtabat, obtinenda participaret.

Calvinus quæſtionem in hoc loco & malè intelligere & proponere cenſendus eſt. Unde fuit, quòd contra communem Expoſitorum ſenſum tam ſtrenuè negaverit, Baptiſmum per aquam intelligendum eſſe. *Nullo modo adducor*, inquit, *ut Chriſtum de Baptiſmo verba facere credam: hoc enim eſſet intempeſtivum.* Cur verò intempeſtivum? Nempe quia *Chriſtus* ad vitæ novitatem exhortatur. Id verò hîc non præcipuè nec propriè agitur. Tractatur de modo, quo ille in felicitatis ſub *Meſſia* fruendæ ſtatum perveniret, (in quo tota *Judæorum* Natio tam magna ſibi promittebant) hoc eſt, (ut ille ſecum cogitabat) quomodo ſub religionis novæ plenèque ab ea, quam cum tota ſua Gente profiteri ſolebat, inſtitutione eſſet. Huic opponit Salvator, illum nempè egregiè falli, ſi putaret, ſe in hoc Regno partem protinus & ſine omni præparatione habiturum eſſe; quia *Meſſiæ* dies jam advenere, eorum felicitas in os proculdubio deſtillabit. Minimè verò. Priuſquam hæc illi contingere poſſit, non ampliùs ei proſapiæ privilegio, aut legali juſtitia, aut cæremoniali & carnali cultui fidendum eſt; novæ opiniones ei ſuſcipiendæ ſunt, & quaſi novâ generatione in novam conditionem totus homo redigendus eſt. Jam verò ii ipſi, qui Baptiſmum hîc loci intelligendum negant, fateri coguntur, *Chriſtum* inſtituiſſe homines per Baptiſmum in hanc novam profeſſionem introducendos eſſe. Et ſi de introductionis modo reverà quæſtio fuerit, tùm non rectè negare poſſunt, Baptiſmum hîc intelligi tractarique.

Si *Nicodemus* aquarum Inſpector fuit, (quod ſuprà attigimus) tùm *Chriſtus* ex proprio ejus elemento diſputat, cùm de *naſcendo ex aqua* ſermocinatur. Et ſi *Chriſtus* in hac Paſcha ad aquam *Betheſda* ulla miracula fecerit, uti in Paſcha proximè ſequente, credibile eſt illum in hoc ſermone de naſcendo denuò ex aqua, ad aquarum illarum, in quas qui primus, poſtquam ab Angelo agitatæ fuerant, deſcendit, in novam valetudinis conditionem reſtitutus eſt, & quaſi natus, effectum alluſiſſe.

Chriſtus autem *Spiritûs* mentionem *aquæ* aut Baptiſmi mentioni ſuperaddit, ut diſcrimen inter *Baptiſmum*, & *Phariſaicas lotiones*, omneſque legales purificationes oſtendat. Has fuiſſe ritus carnales, quorum efficaciam in *opere operato* poſuerunt: ſed Baptiſmum eſſe magis ſpiritualis naturæ, cujus virtus non tam in externa ablutione, quàm internâ Spiritûs efficaciâ conſiſtit, 1 *Petr.* 3: 21.

Phraſeologia illa, *Regnum Dei*, primo receptiſſimoque inter *Judæos* ſenſu temporum ſtatum ſub *Meſſia*, priorum temporum conditioni oppoſitum, primo intuitu ſignificabat, ut demonſtratum eſt: & in hoc ſenſu Regnum Dei *Nicodemus* expectabat; ac proinde *Chriſtus* ſermonem ſuum illi in hoc ſenſu primò applicat. Hoc verò non impedit, quominus *Chriſtum* phraſeologiam illam in altiore & magis ſpirituali ſignificatione, quàm unquam Judæi cogitarunt, nempè pro gratiæ & ſanctificationis cujuſque perſonæ ſub hac nova Euangelii Oeconomia, ſtatu accepiſſe credamus. Nam ut ver-

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 5, 6.

verbum *Eccleſia* non ſolùm totam *viſibilem* Eccleſiam, ſed & *inviſibilem* (vel eos qui ſanctificati ſunt, qui propriè ſunt Eccleſia) denotet; ita *Regnum cœlorum* non ſolum *viſibile Meſſiæ* Regnum, & mutatum in diebus ejus rerum ſtatum, quamvis hic ſenſus ſit primus receptiſſimuſque; ſed & *inviſibile Chriſti* Regnum in Sanctorum cordibus, in quibus per gratiam ſuam regnat, quod quidem ſingulari modo ejus regnum habendum eſt, ſignificat. Salvator igitur in his verbis prædictam phraſeologiam, *Regnum Dei*, uti etiam Baptiſmi doctrinam, in ampliſſimo pleniſſimoque ſenſu ſumit. Et ut loquitur de regno illo latiſſimâ ſignificatione, nempe de externa ſalutis ſub *Meſſia* diſpenſatione, & internâ Dei in ea procuranda operatione; ita etiam eodem modo loquitur de gemino *gignendi ſupernè* modo, qui ad utramque pertinet; nempe de novâ eâque Eccleſiaſticâ in œconomiam rerum mutatarum admiſſione, quâ quis naſcitur ſupernè, quæque per Baptiſmum fit, & novâ eâque ſpirituali in beatum gratiæ & ſanctificationis ſtatum admittendi ratione, quâ itidem quis naſcitur ſupernè, quæque efficaci Spiritûs operatione perficitur. Primò *Nicodemum* de externo modo docere voluit, quo aliquis in Regnum cœlorum, ut illud mutatam ſub Euangelio rerum adminiſtrationem ſignificat, admitti poſſit, qui eſt *ex aqua naſci*: deinde etiam oſtendere, plus in Regno cœlorum, quàm externam Oeconomiarum mutationem, expectandum eſſe, & plus in Baptiſmo requiri, quàm externam lotionem; unde dicit, non ſolùm *ex aqua*, ſed & *Spiritu*. Qui in *Regnum Dei*, hoc eſt, in Euangelii ſtatum, introire cupit, ei naſcendum eſt *ex aqua*. Qui verò in *Regnum Dei*, hoc eſt, in gratiæ ſtatum, ingredi deſiderat, ei naſcendum eſt *ex Spiritu*: Baptiſmus ad priorem effectum producendum à Deo ordinatur; atque igitur *ratione præcepti*, cui obtemperare tenemur, neceſſarius eſt. Per Spiritum ad poſteriorem finem Deus operatur; qui igitur *ratione medii* neceſſarius eſt, & ut eum obtineamus, methodo à Deo præſcriptæ nobis diligenter attendendum eſt.

VERS. 6. *Quod genitum eſt ex carne, caro eſt.*

In prædictis verbis novæ nativitatis modum *Chriſtus* declaraverat: hîc de ejus dignitate diſſerit, eam cum privilegio originis ab *Abrahamo* comparans. Nimirum oſtendit hanc, quantumvis aliquo modo honorabilem, cùm tamen carnalis ſit, non multum conducere, ut quis in *Regnum Dei*, quod eſt prorſus ſpirituale, ingrederetur. Quod verò genitum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt. Ita *Nicodemum* à craſſis ejus & carnalibus cogitatibus de *Regno Dei* in diebus *Meſſiæ* divertere, & mentem ejus ad cœleſtia attollere, operam ſuam continuò navat benigniſſimus *Jeſus*.

JOANN. CAP. III. VERS. 8, 10.

VERS. 8. *Ventus quò vult ſpirat.*

Ad elucidandam præſentem Salvatoris noſtri argumentationem, quæ ſubobſcura eſt, hæc obſervemus neceſſe eſt. I. Quòd hâc comparatione, & novæ nativitatis doctrinam quam tradiderat confirmare, & modum quo fiat, illuſtrare inſtituit.

II. Comparatio non inter ventum & novam nativitatem, ſed inter ventum & eum, qui denuò natus eſt, videtur inſtituta. In hunc finem obſervetur applicatio; ſic eſt, (non nativitas Spiritûs) *Quiſquis genitus eſt ex Spiritu.* Verumtamen applicatio ad illud opus minimè eſt excludenda. Comparatio igitur hoc modo inſtituitur. Vento liberè flante, ſonitum ejus audis, atque ita ejus rei motum ſentis; verùm neſcis, quomodo ſpiret, & quid de eo fiat: ita quidem eſt quiſque genitus ex Deo: Spiritus in quocunque, quando ipſi collibuerit, novam nativitatem producit; atque ille, in quo res peragitur, mutatione in ſe peractâ, & illius effectis, rem revera factam percipit, verùm neſcit quomodo facta ſit, & quouſque progreſſa fuerit. Ita tandem carnali & craſſo *Nicodemi* intellectui rerum veritatem, de quibus diſſeruit, quàm perſpicuè fieri poſſet, explicat. I. Novæ nativitatis veritatem & certitudinem aſſerit; oſtendens eam rem eſſe æquè perceptibilem ex illius conſequentibus, atque ventum ſonitu. II. Spiritum hanc tam liberè ac indeterminatè efficere, quàm ventum ſpirare. III. Opus eſſe humanæ rationi tam inſcrutabile, quàm viam venti & in initio & in fine.

VERS. 10. *Tu es Magiſter Iſraëlis?*

Thalmud Torah, aut *inſtruere alios in Lege*, tantam inter eos æſtimationem obtinuerat, ut nihil pluris, ne dum æquali prétio haberent. Nec id immeritò, ſi rectâ erudiendi viâ inceſſiſſent. Sed ut ad rem redeam, ex tribus Coronis, quas Deus populo *Iſraëlitico* dederat, *Regni Corona*, *Legis*, & *Sacerdotis*, ſecundam pretioſiſſimam æſtimarunt. Cùm eam cum quocunque Præceptorum divinorum, imò cum omnibus Præceptis librarent, in eorum opinione

JOANN. CAP. III. VERS. 10.

nione præponderabat. Hoc enim inter illos communiter receptum eſt: אין לך מצוה בכל המצוות כולן שהיא שקולה כנגד תלמוד תורה אלא תלמוד תורה כנגד כל מצוות כולן. *Inter omnia mandata ne unum quidem eſt æquale diſciplinæ Legis; ea verò omnibus mandatis ſimul ſumptis æquiparanda eſt*, Maimon. in *Thalm. Torah, Perek.* 3.

Cæterùm inter eos fuerunt quatuor Doctorum docendique Legem genera. I. In unaquaque civitate & oppido Schola fuit, ubi eorum liberi Legem legere ſunt edocti. Quod ſi in oppido non eſſet Schola, viri ibi habitantes ipſo facto manſerunt excommunicati, uſque dum eam erexiſſent. II. Fuerunt publici Prædicatores & Doctores Legis ſuæ in Synagogis, *Actor.* 15: 21. qui plerumque conſtituti ſunt fixi certæ cuidam Eccleſiæ, quique *Eccleſiæ Angeli* ſunt appellati; aliquando viri docti, qui eam pro re nata ingreſſi ſunt, *Actor.* 13: 14. III. Fuerunt, qui *Midrashoth*, ſeu *Scholas Theologicas* habuerunt, in quibus Legem Diſcipulis ſuis & Scholaribus expoſuerunt, quarum apud Scriptores Judaïcos frequens eſt mentio, præſertim Scholarum *Hillelis* & *Shammai*. Talis Theologiæ Profeſſor *Gamaliel* fuit, *Actor.* 22: 3. IV. Et poſtremò, totum *Synedrium* in ſeſſionibus ſuis æquè fuit magna Gentis Schola, atque magnum *Judicatorium*: quippe quòd ſenſum Legis determinaverit, præſertim in rebus ad praxin pertinentibus, & *Moſem* eâ auctoritate explicaverit, ut illius gloſſemata & determinationes ſemper & ubique non minùs valerent, quàm quod *Pythagoras* Diſcipulis ſuis exponere ſolebat. Nemini enim *Judæorum* illa in dubium vocare aut contradicere fas erat.

Ex magnis hujuſce ſocietatis Profeſſoribus Doctoribuſque unus erat *Nicodemus*; & veriſimile eſt eum Scholam Theologicam habuiſſe, ut alii ex præcipuis Doctoribus, atque ita duabus de cauſis fuiſſe *Magiſtrum Iſraëlis*. Quamvis autem talis fuerit, conſtat eum prima religionis elementa haud benè noſſe. Sed an Scholam Theologicam habuerit, necne, certum eſt eum *Synedrii* membrum inter præcipuos Gentis Judaicæ Doctores numerandum eſſe. Hæc igitur Salvatoris noſtri replicatio ei ſimilis eſt cenſenda, quâ utitur Apoſtolus, *Rom.* 2: 21. *Tu qui doces alios, non teipſum doces?*

Hæc non noſti?] Theologia, quam *Judæi* in Scholis ſuis audiverunt, tantum eſt extra viam doctrinæ illius, quam hîc docet Servator, quantum eſt inter *Angliam* & *Judæam*. Nam licèt eorum nonnulli profiteri non hæſitârint Legem ſeptuaginta

JOANN. CAP. III. VERS. 10.

& duabus diverſis rationibus exponi poſſe, in nullis tamen expoſitionibus doctrina *regenerationis* & *gratiæ* eſt cogitata, ne dum conſiderata. Ut omittamus expoſitionis modum per *Rashe & Sopher Teboth*, *Gematria*, *Notericon*, *Atbash*, *Kabbala*, atque id genus erraticarum Commentationum, quæ apud eos multum obtinuerunt, optima pars eorum Theologiæ erat, novitios in ritibus carnalibus erudire, eoſque ad Cæremonialis Legis obſervationem animare. Loquerentur quidem aliquando & docerent reſipiſcentiam & mortificationem, atque id genus alia; verùm id præcipuè ſpectabant, ut legalem ſuam juſtitiam in talibus rebus magis promoverent. Theologia ſua plerumque fuit hujuſmodi, multa ſibi promittere, quòd originem ſuam ab *Abrahamo* ducerent, uti apparet ex *Matth.* 3: 9. *acquieſcere in Lege*, *Rom.* 2: 17. fiduciam ponere in propriis operibus, *Matth.* 19: 20. *Luc.* 18: 11. *Galat.* 4: 21. & 5: 4. nullæ fidei præterquam hiſtoricæ ſtudere, *Jacob.* 2: 19. repetere preces tanquam efficaces ex opere operato, *Maimon. in Tephillah*; reputare diem Expiationis, in qua animas affligere ſolebant, ipſamque ſuam mortem verè expiatoriam eſſe, *Idem in Teshubah*; expectare *Meſſiam*, & indubitatam felicitatem ab ejus adventu, &c. Quomodo ſupponi poteſt doctrinam regenerationis ab iis, qui ſalutem his conditionibus expectarunt, vel in ſomniis cogitatam fuiſſe? Et idcircò ſcrupulus quorundam animis non immeritò hîc ſuboritur, cur *Chriſtus Nicodemi* ignorantiam hac in re tam inſigniter notaret; cùm ea toti Nationi communis fuerit, nec unquam in mentem ullorum Doctorum venerit. Multa de traditionibus, carnalibus ritibus, curioſis & ſubtilibus Legis expoſitionibus, futilibus notionibus & Cabbaliſmis ad exercendum ſua atque aliorum cerebella, dicere poſſent, & ad vitam ſeveram ſecundùm cæremonias, & ad adornandam juſtitiam ex ſeipſis adhortarentur: verùm magnalia fidei, renovationis, ſpiritualitatis, atque id genus Theologia ab eorum Scholis exulaverat, vix unquam audita fuit, nedum conſiderata. Servator igitur, dum tam diu in ſermone cum *Nicodemo* de craſſa ejus ignorantia inſiſtit, I. Oſtendit ſtultitiam & inſcitiam ejus Theologiæ, quæ illis erat in delitiis, quamque docere ſuſceperant, quæ tanquam *mentha*, *anethum*, aut *cuminum* erat, ſi ad magna Legis conferatur; ſcoria & quiſquiliæ, imò nihil, ſi ad ſolidiſſimas ſaluberrimaſque Euangelii doctrinas compararetur.

II. Reprehendit eum, quòd docere & dirigere

Digitized by Google

dirigere alios in rebus ad animæ ſalutem & æternum ſtatum pertinentibus auderet, cùm ipſe primas & præcipuas doctrinas, quæ ad hanc vel illum reſpiciebant, ignoraret.

III. Hæ ipſæ res, de quibus cum eo jam diſſerit *Chriſtus*, tam copioſè & plenè in Teſtamento Veteri docentur, ut quiſque illius ſtudioſus, præſertim verò Expoſitor, qualem ſeipſum reputabat *Nicodemus*, jure meritò culpandus eſſet, quòd tam ignarus earum eſſet, quàm ipſo facto comprobatum eſt. Quomodo de regeneratione doceatur in *Ezech.* 11: 19. & *Pſalm.* 51. & ejuſmodi textibus, & quomodo de novo naſcendi modo per Baptiſmum & Spiritum informetur in *Ezech.* 36: 25, 26. ille & cæteri Gentis ſuæ diſcere potuiſſent: verùm oculos habuerunt, nec tamen vidêre. Non fuit defectus in traditarum doctrinarum claritate, ſed in Doctorum intellectu: inde eſt, quòd tam parum eas concipere poſſent.

IV. Si *Nicodemus* tantùm quæreret de modo, cùm dicit, *Quomodo hæc fieri poſſunt?* tùm illud reſponſum, quod huic objectioni dant nonnulli, aliquod momenti in ſe haberet; nempe quòd ille, cùm Doctor eſſet, hoc eſſe poſſibile (quamvis mirabile) à miris operationibus in Lege perlectis collegerat. Cæterùm apparet ex verbis *Chriſti* in proximo commate, *Vos non recipitis noſtrum teſtimonium*, illum quæſtionem de ipſius rei veritate & certitudine moviſſe.

VERS. 11. *Quod ſcimus loquimur.*

Hîc primùm planè opponuntur Judaïcorum Doctorum ignorantia, & cæca illius quod ipſi neſcivere, inſtitutio objecta & reprehenſa in prædicto verſu, *Tune es Magiſter, & neſcis hæc?* & memorata 1 *Timoth.* 1: 7. & celebris *Chriſti* aliorumque tum Chriſti Miniſtrorum diſciplina, qui nihil, quod non ſibi benè exploratum erat, docuerunt. Inſuper inſinuatio quædam eſt contrarii planè moris, qui quidem aut nudè & ſeparatim, aut prout alteri oppoſitus, conſideratu novus erat ac mirus; nempe quòd Judæorum Doctores, qui pro vera Theologia venditarunt quod neſcierunt, fidem tantam apud alios obtinerent, cùm tam parum *Chriſto* ipſi ejuſque Apoſtolis, qui nihil niſi quod ipſis plenè notum docuerunt, credebatur. Cæterùm cùm hoc à *Chriſto* in plurali numero proferatur, *Nos quod ſcimus loquimur*, diſceptatum eſt inter Expoſitores, quomodo intelligendum ſit, id eſt, quem in hoc verbo *Nos* ſibi conjungit.

Quidam concipiunt, illum ſeipſum cum Prophetis intelligere; alii, ſeipſum & *Joannem Baptiſtam*; alii verò, illum ſeipſum ſolummodò deſignare, quamvis in plurali numero tanquam de aliis loquatur; alii denique cenſent, illum ſeipſum cum Sancto Spiritu intelligere. Ad determinandam certam quandam verborum acceptationem, (quamvis omnibus his modis propriè conſtrui poſſint) obſervandum eſt, quòd verba *Nos* & *Vos* in verſu prædicto opponantur, *Nos docemus*, *Vos non creditis*, & mutuò ſibi adjumento erunt, ut utraque commodè explicentur. Cùm *Chriſtus* dicit, *Vos non creditis*, aut *non recipitis noſtrum teſtimonium*, non tam arguit, ullos alios præter *Nicodemum* veniſſe, eoſque cum *Chriſto* colloqui, (ut cenſet *Cajetanus*) quàm conſtruendum eſt, *Chriſtum* intelligere totam *Phariſæorum* aliorumque Judæorum ſocietatem, qui vanis & ſtultis opinionibus, traditionibuſque in rebus ad religionem pertinentibus, doctrinæ Euangelii oppoſitis, dediti erant. Et ut *niſi iterum gignamini*, verſ. 7. idem ſenſu eſt atque *niſi quis iterum gignatur*, verſ. 3. ita *nos* & *vos* in hoc verſu eodem modo interpretandum eſt: nempe, quòd Euangelium inter vos prædicatur, ac in eo res certè notæ & plenè intellectæ docentur; ſed populus inter vos veſtrâ Theologiâ, quæ agit de rebus quas non ſatis perſpectas habetis, adeò afficiuntur, ut hæc doctrina (quia à veſtra diverſa) non credatur, ac teſtimonium ejus non recipiatur. Atque ita *nos* & *vos* non tam indigitant ſpeciales quaſdam perſonas horum actuum contrariorum, quàm illas ipſas actiones ſibi invicem contrarias.

Verùm ſi *vos* ſpeciali cuidam perſonæ aut perſonis reſtringendum eſt, facilè crederem id reſpicere *Chriſtum* de ſeipſo in plurali numero loquentem, (quod itidem facit, *Marc.* 4: 30. cùm loquitur de ſua Euangelii prædicatione, quia omnes prædicatum miſſi ejus verba ſola prædicabant) ac proinde *nos* idem eſt atque *ego & quiſquis hæc prædicabit*; ſpeciatim verò vocatos Diſcipulos, qui cum illo erant, in his verbis conjungere fas eſt. I. Quia futuri erant præcipui Euangelii prædicatores. II. Quia ſupponi poteſt, illos jam prædicare incepiſſe. Quanquam enim eorum deputatio ad hoc munus poſtea magis viſibilis atque exactior erat, non poſſum tamen concipere, illos hac in re prorſus mutos ac ſilentes fuiſſe, præſertim cùm ſequens narratio indicet, *Chriſtum* eos miſiſſe ad baptizandum, *verſ.* 22. collato cum *verſ.* 2. *Capitis* 4. Fuerant jam cum *Chriſto* prope ſemeſtre ſpatium, miracula

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 11, 12.

ejus viderant, doctrinam audiverant continuatim, ac proinde non eſt imaginandum, quin plurima de *Chriſto* atque Euangelio didiciſſent; nec ſupponendum eſt, quin palàm hæc eloquerentur & declararent. Et proinde totus verſus facilè in hunc ſenſum concipi poteſt: Ego & mei Diſcipuli, qui prædicamus, & quicunque in poſterum prædicabit hæc de Regno Dei, loquimur res cognitas & plenè exploratas, non ut Doctores veſtri, qui de rebus quas ignorant agunt, & tamen tu & cæteri ſententiæ ejuſdem non recipietis noſtram doctrinam, nec ei fidem debitam habebitis.

Chriſtus ac Diſcipuli ejus cognoverant atque viderant (ille omniſcientiâ, illi ſuâ experientiâ) regenerationis veritatem ac certitudinem, atque diverſa alia Regni Dei myſteria: verùm quomodo aliorum incredulitas ob hanc rationem legitimè taxabitur, cùm tam ignari eſſent, quòd hæc pro certo cognita haberent, quùm rerum ipſarum inſcii.

Reſpondeo I. Loquitur hoc ſecundùm illam oppoſitionem, quæ prædicta à nobis fuit: Fides habetur vobis, quamvis illud quod neſcitis doceatis; & tamen nobis non creditis, qui cognovimus vidimuſque quicquid docemus.

II. Videtur ad id alludere, quod coram omni tribunali pro teſtimonio ſatis valido acceptari ſolebat: (nam verba habet ad eum, qui ſedit Judex in ſuprema Curia) hoc verò fuit ejuſmodi, quòd teſtis *factum cognoverat videratque*, Levit. 5: 1. *Teſtis eſt, ſi factum vidiſſet cognoviſſetve*; ſi loquitur ex certâ ſcientiâ, aut ipſo conſpectu, teſtimonium ejus recipitur: ſed *nos quod ſcimus loquimur, & quod vidimus teſtamur*.

III. *Nicodemus* confeſſus erat *Chriſti* miracula eſſe maxima, ac planè divina; atque igitur *Chriſtus* rectè colligit, verba ſua apud eum momenti nonnihil habitura, atque veritatem ejus rei, de quâ jam loquitur, facilè ab eo cognitum iri, quamvis ex ſua propria ſcientia atque experientia rem non habuiſſet perſpectam.

VERS. 12. *Si terrena dixi vobis, & non creditis*, &c.

Per *terrena* diverſi diverſa intelligunt. Quidam concipiunt *Chriſtum* in hoc reſpicere ad colloquium cum populo *Hieroſolymitano* in Paſcha, de Templo ædificando triduò habitum, illiuſque verba hunc ſibi ſenſum præferre: Non mirum eſt te non

JOANN. CAP. III. VERS. 12, 13.

credere huic abſtruſæ regenerationis doctrinæ, cùm Judæi faciliorem atque planiorem *Meſſiæ* reſurrectionis tertio die peragendæ indicationem non caperent. Alii tenaces ejuſdem opinionis, *cœleſtia & terrena* innuere differentiam inter faciliores atque ſublimiores doctrinas, hoc ita exponunt: Si non creditis his planis primiſque Euangelii elementis, nempe de regeneratione, quomodo credetis profundis & ſublimibus myſteriis de æterna Filii generatione, Sancti Spiritûs proceſſione, &c? Receptiſſima verò horum verborum conſtructio eſt ejuſmodi: Si non creditis, cùm vos alloquor facili humilique ſtilo, reſque explico per ſimilitudines à rebus terreſtribus deductas, ut *Gal.* 3: 15. quomodo credetis, ſi docerem ſalutis æternæ magnalia ſuis abſtractis & ſimplicibus notionibus: *linguâ Angelorum*, ut *Grotius* id exprimit. (Tritum eſt apud *Rabbinos* dictum, דברה תורה בלשון בני אדם שיבינו השומעין. *Jehovam loqui in Scripturis ſtylo ad auditorum captum accommodato, ut intelligant*; quippe quòd ſimplices & abſtractæ Theologiæ doctrinæ vulgi ingeniis nimis difficiles ſint, ac parùm intelligibiles) *Chriſtus* cum ſermocinatur cum *Nicodemo* de natura *Regni cœlorum*, aut ſtatu Euangelico, primò illum docet, parvi pendere privilegium ortûs ſui ab *Abrahamo*, & Baptiſmi doctrinam magni æſtimare, per quem in ſtatum illum Euangelicum intromittendus erat.

Et jam, inquit *Chriſtus*, cùm dico vobis res terrenas atque inferiores Regni cœlorum, id eſt, res maximè viſibiles & apparentes; quomodo credetis, ſi differerem de rebus Regni illius ſublimibus, de Incarnatione, fidei juſtitiâ, pace & gaudio in Spiritu Sancto.

VERS. 13. *Et nemo aſcendit in cœlum.*

In elucidanda conjunctione horum verborum cum præcedentibus eſt quiddam difficultatis; unde variæ conjecturæ de hac re ortæ ſunt. Quidam conjungunt non cum poſtremis verbis, ſed nonnullis longè diſtantibus, nempè primis illis *Nicodemi* verbis ad Salvatorem noſtrum, *verſ.* 2. quibus oſtendit ſe reputare *Chriſtum* Prophetam verum. Idcircò hæc verba hujus commatis muniunt illum (inquiunt illi) contra jejunam iſtam opinionem, cùm *Chriſtus* dicit, ſe non eſſe ſimilem Prophetis antiquis, qui quidem à Deo miſſi ſunt, nunquam verò ſupra terram hanc evecti, ſed continuò vitam in ea egere; ſe verò à cœlo deſcendiſſe. Alii, qui

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 13.

qui hæc verbis poſtremis conjungunt, ita ea exponunt: Quomodo credetis, ſi loquor vobis de rebus ſpiritualibus. Et tamen ſi loquerer de rebus ejuſmodi, fidem meritiſſimè mihi vindicarem, quia de cœlo deſcendi; & quamvis nemo ante me talia prædicaverit, neque ego teſtes in verba mea producere queam, mihi tamen credendum eſt; quia nempe nemo adhuc in cœlo fuerit, cùm ego ibi fui, & illinc deſcendi, &c. Alii ſentiunt illa cum poſtremis verbis coincidere, quòd cùm in priori commate de rebus cœleſtibus diſſeruiſſet, pergit de ſimilibus diſſerere, nempe de natura ſua duplici hoc verſu, & de ſalute per paſſionem ſuam obtinendâ, & de fide in ſeipſum verſu ſequenti. Aliæ conjecturæ ſuper hac re facilè produci poſſunt. Verùm illis recitandis ſuperſedebimus, & ad verba ipſa conſideranda nos conferemus, eorumque ſenſum & connexionem indagabimus, hæc tria obſervando.

I. Quòd in omnibus *Chriſti* verbis ſequentibus ad finem verſûs 22. primarius ei ſcopus eſt, ſeipſum proponere pro fidei objecto, eumque cui fides adhibenda eſt, cuique credendo vita æterna obtineri poſſit: quod liquidò apparet à verſibus 14, 15, 16, 18.

II. Quòd cùm dicit, *Nemo aſcendit*, intelligendum eſt, ac ſi dixiſſet neminem in cœlum aſcendere poſſe: ut cùm dicitur *Nemo vidit Deum unquam*, Joann. 1: 18. intelligitur, neminem eum vidiſſe, nec videre poſſe, 1 *Timoth.* 6: 16. *Quis novit mentem Domini*, Rom. 11: 34. id eſt, vias ejus imperveſtigabiles & judicia inſcrutabilia, *verſ.* 33. quis ea cognoſcere poſſet?

III. Quòd *aſcenſus in cœlum* dicitur ad idem propoſitum ac ſenſum, atque illud quod legitur *Deuter.* 30: 12. Quis aſcendet in cœlum ad petendam illinc verbi ſcientiam, aut Euangelii doctrinam, verbum fidei? *Rom.* 10: 6, 7, 8.

Atque igitur his tribus obſervatis, connexio verſûs quem præ manibus habemus cum priore, & ſenſus ejus per ſe conſideratus, facilè & perſpicuè erit hujuſmodi: Non creditis, cùm loquor de rebus Regni Dei tritiſſimis & maximè viſibilibus; quomodo igitur credetis, ſi de rebus maximè ſublimibus & verè cœleſtibus, quæ ad id pertinent, verba facerem. Et tamen hæc à me ſolo diſcere atque intelligere poteſtis, quippe quòd nemo in cœlum aſcendere poteſt ad petendam illinc eorum cognitionem; verùm ego de cœlo deſcendi, ut Dei voluntatem revelarem, & myſteria ſalutis æternæ declararem. Quapropter niſi credideritis quod vobis loquor, nunquam ad intimam rerum ad Regnum Dei pertinentium notitiam pertingetis. Idcircò *Chriſtus*, *Nicodemum* & Judæos duplicis incredulitatis incuſare videtur. I. Reſpectu ſui, ut Doctor fuit, cui minimè crediderunt, quamvis is ipſe fuerit, qui facultate revelandi atque explicandi magna Regni Dei myſteria eximiâ præditus erat, & ad hoc faciendum venerat. II. Reſpectu ad res revelatas, quibus fidem neutiquam habere vellent, quamvis maximè viſibiles, facillimæ, pleniſſimæque eſſent. Et ſimul hæc duo docet. I. Quòd ipſi his rebus cœleſtibus fidem habere debeant, quia de cœlo deſcendit. II. Quòd ſi his fidem denegarent, nunquam expectandum eſſe, ſe plenam earum cognitionem aſſecuturos. Nemo in cœlum aſcendere poteſt ad deducendam illinc earum ſcientiam; quod idem ſenſus eſt, atque illud quod legitur *Cap.* 1: 18.

JOANN. CAP. III. VERS. 13.

Niſi qui de cœlo deſcendit.] Hîc loquitur Chriſtus unum *ἐπουράνια* in verſu præcedenti memoratum, doctrinam *Regni Dei* verè cœleſtem; illud autem eſt de ſua ipſius incarnatione: & diſtinctionem duarum in una perſona naturarum; humanam naturam ſub titulo *Filii hominis*; divinam naturam, in eo quòd dicitur *de cœlo deſcendiſſe*; & unionem duarum naturarum, cùm dicit *Filium hominis eſſe in cœlo.*

Cæterùm *Chriſtus* dicitur de cœlo deſcendiſſe, ut *Joann.* 6: 51. I. Ad innuendum divinam naturam, & oſtendendum, quòd plus fuit homine. Atque ita interpretatur & explicat phraſeologiam illam, 1 *Corinth.* 15: 47. *Primus homo eſt è terra terrenus, ſecundus homo eſt Dominus à cœlo.* Eodem modo cùm dicitur de *Chriſto*, illum eſſe *Manna*, quod *Iſraëlitæ* in deſerto comederunt, quod diffuſum eſt è cœlo, *Nehem.* 9: 15. Sed cœlum hîc & eò loci diverſa ſignificant. II. Tritiſſima eſt SS. Scripturæ phraſeologia, cùm refert ullius perſonæ in Sacra Triade apparentiam viſibili ſpecie, dicere, Deum deſcendiſſe, *Exod.* 3: 8. & 19: 18. Spiritum Sanctum deſcendiſſe, *Luc.* 3: 22, &c. Et ita uſurpari poteſt de *Chriſti* humana carne exiſtente, cùm Filius Dei tam viſibiliter hominibus apparuit, & cum iis in propria eorum natura verſatus eſt, admodum ſignificanter de eo dici poteſt, illum de cœlo deſcendiſſe, non quòd Deitas, quæ implet omnia, locum mutare poteſt, nec

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 13. nec quòd *Chriſtus* localiter humanam naturam de cœlo deduxit, nec tantùm quòd à Spiritu Sancto conceptus eſt, uti nonnullis videtur; ſed quòd cùm Deus ſit inviſibilis, viſibilem tamen ſe humana ſua natura filiis hominum præbuit.

Filius hominis qui eſt in cœlo.] Hîc veritas tam humanitatis quàm Deitatis aſſeritur; humanitatis, quòd dicitur *Filius hominis*; Deitatis, quòd dicitur *eſſe in cœlo.* Ac proinde hoc non ſolùm eorum hæreſes, qui negarunt vel *Chriſtum* veram humanam naturam habuiſſe, aut veram humanam animam, aut in duabus diſtinctis naturis exiſtere, aut eſſe duas diſtinctas perſonas, reſutat, verùm etiam planam differentiam inter apparentiam Angelorum ſub humana ſpecie, & apparentiam *Chriſti* ſub humana carne ponit. Illi quidem erant in forma hominum, ſed non erant Filii hominum; Chriſtus verò erat *Filius hominis.* Illi, cùm apparebant in terra ſub hujuſmodi ſpecie, non erant in cœlo, ſicuti ille.

Cæterum quomodo *Filius hominis* dici queat eſſe in cœlo, dum cum *Nicodemo* colloquium habet in terra, ſolvi poteſt duplici reſponſo. I. Quia converſatio ejus dum in terris eſſet, omninò erat in cœlis: nam ita ſe habere converſationem Sanctorum dicitur, *Philipp.* 3: 20. *Et quanto magis Chriſti*, inquit *Grotius*, *qui ſemper inſpexerit Patris intima?* Joann. 1: 18. Quod ita explicat *Cajetanus*: *Chriſti humana anima viſione Dei beatificâ ſemper fruebatur. Unde jure meritò dici poteſt, illum eſſe in cœlo, etiam dum in terra eſſet.*

II. Propriè intelligi poteſt per communicationem idiomatum, uti loquuntur Theologi, id eſt, in ſenſu Scripturæ, cùm diverſas proprietates duarum diſtinctarum naturarum in *Chriſto* indiſcriminatim toti perſonæ applicat. Quod ut intelligatur, aliique etiam loci hujuſmodi, hæc ſunt conſideranda.

I. Quòd ut in Sacra Triade perſonarum eſt diſtinctio, ſic in beatiſſimo noſtro Servatore diſtinctio eſt naturarum, non verò perſonarum. Humana natura eſt res una, divina alia, perſona autem una; ut in noſtri conſtitutione anima eſt res una, corpus alia, unum tamen hominem conſtituunt.

II. Quòd hæ duæ diſtinctæ naturæ in Servatore diverſas habuerunt proprietates, quæ ſibi mutuò non ſunt communicandæ eſſentialiter; ut humanitas non ad infinitatem protenditur inſtar Deitatis, nec ad eas proprietates quæ infinitati ſunt eſſentiales; neque Deitas ad infirmitatem humanitatis, nec ad proprietates humanitati eſſentiales deprimitur. JOANN. CAP. III. VERS. 13, 14.

III. Quòd quamvis in *Chriſto* hæ naturæ verè diſtinctæ eſſent, & proprietates naturarum verè diſtinctæ, ob unionem tamen earum in ſua perſona, Scriptura non raro loquitur de his proprietatibus indiſcriminatim, & ſine reſtrictione ad hanc vel illam naturam.

IV. Quòd cùm ita loquitur de iis, non loquitur abſtractè, attribuens Deitatis proprietates humanitati, aut proprietates humanitatis Deitati, verùm in ſenſu concreto, & reſpectu ad perſonam totam; non aſcribens proprietatem unam alteri, ſed illi, qui tulit alteram naturam, & ſub titulo, qui ad illam naturam pertinebat. Ut nunquam dicitur, beatam Deitatem crucifixam fuiſſe; id enim penè blaſphemum eſſet, attribueret divinæ naturæ proprietatem, cujus omninò incapax eſt, hoc eſt infirmitatem naturæ humanæ propriam: ſed dicitur *Dominum gloriæ crucifixum fuiſſe*, aſcribendo humanitatis proprietatem non Deitati, ſed perſonæ quæ eſt Deus, & ſub nomine illius, quod ad Deitatem refertur; nempe innuendo *illum, qui Dominus gloriæ fuit, crucifixum.* Sic mera eſſet blaſphemia dicere, Deitatem ſuo ſanguine Eccleſiam ſibi redemiſſe; ſed dicitur, *Deum proprio ſanguine Eccleſiam ſibi redemiſſe*, *Actor.* 20: 28. Profudiſſe aut profundere ſanguinem proprium erat humanitatis, non Deitatis, ac proinde non aſcribitur Deitati in abſtracto, ſed perſonaliter & *in concreto* illi qui erat Deus. Et ad hunc ſenſum locus, quem præ manibus habemus, intelligendus eſt, *Filius hominis qui eſt in cœlo.* Non dicit, *humanitas quæ eſt in cœlo*; ea enim non erat ibi, donec *Chriſtus* corporaliter aſcendit: ſed ſenſus eſt, illum, qui homo erat aut *Filius hominis*, fuiſſe etiam in cœlo, dum in terra cum *Nicodemo* colloquium haberet.

VERS. 14. *Prout autem Moſes extulit ſerpentem in deſerto.*

In priore commate oſtendit *Chriſtus* ſibi credendum eſſe, quia nemo præter ſeipſum cœleſtem doctrinam de *Regno cœlorum* cœlo deducere poſſet. In hoc verſu & ſequentibus oſtendit, non ſolùm ſibi credendum, fidemque illius cognitionis fundamentum eſſe, verùm etiam per fidem ſolùm ſalutem æternam obtinendam eſſe. Quam doctrinam illuſtrat typo ænei ſerpentis in deſerto erecti, in quem ſi quis percuſſus venenatâ vivi ſerpentis linguâ oculos conjecit, protinus priſti-

 nam

JOANN. CAP. III. VERS. 14.

nam ſanitatem recuperavit; imò, ut Rabbinis de hac Hiſtoria agentibus placet, quiſquis ab aliquâ alia venenoſa beſtia vulneratus, ſanus evaſit, ſimul atque eum inſpexerit. Hiſtoria eſt in *Numer.* 21. reſque peracta eſt anno peregrinationis Iſraëlitarum in deſerto ultimo; & morſus ignei ſerpentis fuit ultima plaga, quâ divina vindicta uſa eſt ad exſcindendas perverſas iſtius generationis reliquias, de qua juraverat Deus in indignatione ſua, eam minimè in requiem ſuam ingreſſuram. Nihil enim aliud de ea memoratur donec tranſivit amnem *Zared*, quàm quòd profecti ſunt *Obothem* ad cumulos montium *Habarimorum*, & ita tandem trans amnem illum, *Numer.* 21: 10, 11, 12. Et tunc omnes apti ad bellum variis mortis generibus abſumpti ſunt, prout Jehova juraverat, *Deuter.* 2: 14. Inſuper hoc miraculum ænei ſerpentis erat poſtremum à *Moſe* dum viveret editum. Ac proinde videre eſt quòd primum ejus & poſtremum miraculum in ſerpentibus verſabatur. Comparetur *Exod.* 4: 3.

Cæterùm quòd *Chriſtus*, cùm hîc innuit ſe elatum iri, intelligit modum quo in cruce elatus eſt, apparet non ſolùm ex *Joann.* 8: 28. & *Joann.* 12: 32, 33. ubi idem manifeſtò exprimitur, verùm inſuper ab hac ſimilitudine ænei ſerpentis. Nam dicit ſe exaltatum iri, uti ille exaltatus eſt: על הנס, quod *Rabbi Solomo* interpretatur על הכלונס, *ſuper porticum*, aut poſtem; atque eo modo *Chriſtus* ſuper crucem exaltatus.

Super hac Hiſtoria Judæi paſſim hoc obſervant, טעשו מעשה נחש שהציאו לשון רע, *Se ſerpentium plagâ percuſſos, quia veterem ſerpentem imitati ſunt, blaſphemando Deum, Moſen, & Mannah*, Rabbi Tanch. & Baal Turim. *Veniat ſerpens, inquit Deus, qui maledictus erat ob malam linguam, & vindictam ſumat ab iis ob malam linguam*, inquit *Rabbi Solomo*. Sed utrùm hoc peccatum eorum, & vetus peccatum ſerpentis rectè comparari poſſit, necne, certiſſimum eſt ſuaviſſimam eſſe Harmoniam inter ſanandi modum, & fructum *Chriſti* crucifixi. Æneus ſerpens exaltatus eſt; ita etiam *Chriſtus*. Is erat ſimilitudo execrabilis creaturæ; ita *Chriſtus* in typo creaturæ execrabilis factus eſt execratio pro nobis, ut per fidem in ipſum à vulneribus ſpiritualibus à ſerpente veteri inflictis ſanaremur, uti illi venenoſis corporeorum ſerpentium morſibus per nudam in eorum figuram inſpectionem ſanitatem recepere. Quæ doctrina fidei in ea Hiſtoria aliquomodo eſt exhibita. *Thalmud* in *Roſh Haſhannah* ita eam applicat. *Quid? Nunquid ſerpens ille potuit occidere, & reſtituere? Sed quo tempore Iſraël ſuſpexit cælum, & corde miſit coram Patre qui eſt in cælis, ſanatus eſt; ſin aliter, depreſſus & ipſe*, Perek. 3.

JOANN. CAP. III. VERS. 15, 16.

VERS. 15. *Ut quiſquis credit in eum*, &c.

Novum eſt & prorsùs inuſitatum *Nicodemo* audire, ſalutem æternam per fidem in alium obtinendam eſſe, cùm per totam vitam edoctus fuiſſet, eam ex operibus Legis conformibus expectare. Cæterùm contrarium docet *Chriſtus* tam perſpicuâ & clarâ demonſtratione in Hiſtoria de æneo ſerpente, & ſanitate per eum recuperatâ ab ægrotis, qui in ejus figuram inſpexerunt, ut non haberet quod opponere poſſet. Præthereà alia doctrina *Chriſti Nicodemo* ignota fuit, nempe quòd quiſquis crederet ſalutem æternam obtineret; & Deus mundum adeò dilexerit, ut Filium ſuum unigenitum daret: quippe quòd cum totâ ſua Gente ſomniaverat, ſalutem hanc ſolis Judæis impertiendam; eorum gratiâ *Meſſiam* adventurum; omnes alios populos non magis curæ eſſe *Deo*, quàm canes & porcos.

VERS. 16. *Nam Deus ita dilexit mundum.*

Quidam Expoſitorum cenſent hæc eſſe verba Euangeliſtæ, non ſermonis *Chriſti* continuationem. Non multùm refert cujus verba habeantur. Sed mihi videtur, *Chriſtum* in iis ſermonem ſuum continuare, quia connexio inter ea & quod præceſſit tam arctè cohæret, & ſenſus utriuſque coincidit, & ſe mutuò illuſtrat. Et verſus requirit potiùs ſeriam de ſe meditationem, quàm verbalem explicationem. Nam ut nulla difficultas eſt in verbis, ſenſu eorum facilè apprehenſo; ſic multùm eſt ſuavitatis in eorum conceptu, quæ cogitationes maximè ſobrias vividaſque meretur. Si quis nodum in ſcirpo quæreret, & putaret univerſalem redemptionem reperiri poſſe in hoc verbo *mundus*, quo utrobique utitur Salvator; idem Euangeliſta dat reſponſum, 1 *Joann.* 2: 2. ubi liquet τὸ *mundus* non intelligendum eſſe de omnibus & ſingulis cujuſcunque nationis, ſed de omnibus nationibus; ſcilicet Gentes æquè capaces fore propitiationis pro peccato à *Chriſto* factæ, ac Judæos. Et illo verbo potiſſimùm forſan utitur Servator, ut

JOANN. CAP. III. VERS. 18.

ut pleniſſima ejus ſignificatione variis *Nicodemi* aliorumque Judæorum præjudiciis atque erroribus occurreret, quæ de rebus, quæ modò præ manibus erant, habuere. Arbitrati ſunt Jehovam nullam aliam Gentem præter Judaicam dilexiſſe, ac proinde *Meſſiam* ejus ſolius gratiâ adventurum, imò alias nationes depreſſum atque exciſum iri, ut ea extolleretur, omniaque ex animi ſententia haberet. Aliud docet hìc miſericors Servator, Deum mundum dilexiſſe, tam Gentes quàm Judæos, Filiumque ſuum unigenitum æquè illis atque his dediſſe; neque miſiſſe *Meſſiam* in mundum ad deſtruendas & damnandas has, ſed ut non minùs ſalvarentur, quàm Judæi.

VERS. 18. *Qui non credit jam damnatur.*

Non quòd quiſquis audit Euangelium, & jam non credit, irreparabiliter damnetur: (nam qui jam non credit, in poſterum credere & ſervari poteſt) ſed I. qui non credit in *Chriſtum* in ſtatu damnabili eſt; qui extra *Chriſtum*, eſt etiam extra viam ſalutis. Et II. nunc *judicatur* (nam verbum in origine eſt Græcum) ut reus damnationis, eamque pro certo ſubiturum, ſi maneat incredulus, non ſolùm à Deo, ſed etiam ex re ipſâ. Nam qui non credit in unigenitum Dei Filium, quique tenebras potiùs quàm lucem eligit, ex re ipſa jam judicatur, convincitur, damnatur tanquam non ſolùm extra viam ſalutis poſitus, ſed & reus damnationis, & proinde damnabitur, ſi in hoc ſtatu permanſerit. Hæ ſunt in hoc ſermone Salvatoris duæ res emphaticæ, quæ hominum incredulitatem aggravant, & infidelium damnationem omni injuriæ notâ eximunt. I. Quia non credunt in Filium Dei. II. Quia lux venit in mundum, & homines tenebras potiùs quàm lucem dilexerunt. Si ſermonem temporibus, in quibus *Chriſtus* vixit, applicamus, in hoc erat Judæorum damnatio, quòd *Moſi* & Prophetis libenter crederent, non verò ei, à quo miſſi ſunt; imò ſciolis Doctoribus eorumque traditionibus crederent, vel etiam cuicunque, qui in ſuo nomine venit, nomini autem Filii Dei nequaquam. Degebant in duplici caligine, nempe non ſolùm ſine luce Spiritûs Prophetici & fidelium Doctorum, ſed & cæcos Duces & ſtultiſſimos Magiſtros ſequebantur; & tamen cum ipſa lux inter eos exorta eſt, iſtas tenebras amplexi ſunt, & hanc lucem averſati. Et ferè eodem modo res omnium ſæculorum infidelibus applicari poteſt.

JOANN. CAP. III. VERS. 21. 22.

VERS. 21. *Qui verò facit veritatem*, &c.

Ut *lux* & *tenebræ* hìc opponuntur, id eſt, veritas & error, doctrina vera & doctrina falſa; (ita enim verba intelligenda eſſe manifeſtum eſt) ita etiam *facere malum* & *facere veritatem* ſibi mutuò ſunt oppoſita, & unum per alterum dignoſci poteſt. *Φαῦλα πράσσειν*, phraſis hìc loci uſurpata, & *ἁμαρτίαν ποιεῖν*, quod legimus apud hunc Euangeliſtam, 1 *Joann.* 3: 8. non ſolùm ſignificat peccare, nam & ipſi Sancti hoc modo peccant, *Jac.* 3: 2. 1 *Reg.* 8: 46. nec aliter poſſunt facere, *Rom.* 7: 15, 17, 18. & tamen idem beatus *Joannes* dicit quòd quiſquis natus eſt ex Deo, *ἁμαρτίαν οὐ ποιεῖ*, 1 *Joann.* 3: 9. Idcirco cenſendum eſt, has phraſes *facere malum* & *committere peccatum*, ſignificare *dare operam peccato*, ut *Beza* transfert: ſic è contra *facere veritatem* eſt *dare operam veritati*, ut itidem reddit prædictus Auctor, cùm quis totus diſponitur ad benè juſtèque agendum, licèt aliquando ex carnis infirmitate peccet; cùm velle adeſt, uti *Rom.* 7: 18. & cùm mente ſervitur Legi Dei, ut ibidem, *verſ.* 25. Quicumque ita ſe habet, lucem non fugit, ſed ad eam, ut veritatis indicium, ſumma cum voluptate appropinquat, ut opera ſua fiant manifeſta.

Quòd ſecundùm Deum facta ſunt.] Id eſt, potentiâ Dei. Nam hoc particula *ἐν* denotat, quæ plerumque modum aut cauſam actionis denotat, cujus plurima exempla producere in promptu eſt: *in Deo* idem eſt atque *in via* aut *timore Dei*, ut *nubere in Domino*, 1 *Cor.* 7: 39. eſt nubere in ejus via, aut ſecundùm ejus voluntatem; & *mori in Domino*, Apocal. 14: 13. eſt mori in ejus timore, aut in ejus gratia.

Ita tandem *Chriſtus* inſignes regenerationis Baptiſmi, gratiæ, fidei, obedientiæ, atque amoris veritatis doctrinas *Nicodemo* explicavit, eumque Diſcipulum reddidit, uti apparet, *Joann.* 19: 39. qui tamen locum & dignitatem in Synedrio retinuit, & quantum potuit, *Chriſto* ejuſque cauſæ inſervivit, & pro virili promovit, *Joann.* 7: 50.

VERS. 22. *Poſtea venit Jeſus & Diſcipuli ejus in Judææ territorium*, &c.

Haud facilè determinari poteſt, aut in qua parte *Judææ* manſionem habuit, & num

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 22.

num in certo loco manſerit, aut an rure huc & illuc ſit vagatus. Apparet ex Hiſtoria in ſequente Capite, quòd cùm in *Galilæam* (rebus ſic urgentibus) abeundum ſibi eſſet, in ea *Judææ* parte eſſet, ut ſi illuc viâ proximâ tranſire vellet, neceſſe foret per vel propè civitatem *Samariæ* ire. Unde videtur eum in illa *Judææ* parte fuiſſe, quæ ad Septentrionem *Hieroſolymorum* erat: & *Gibeon* ad illud ipſum cœli punctum propemodum reſpexit, cujus aquæ Baptiſmi locum ei ſuppeditabant. Videatur 2 *Sam.* 2: 13.

Et illic educabatur cum Diſcipulis, & baptizabat.] Attamen *ipſe Chriſtus neutiquam baptizabat, ſed ejus Diſcipuli*, Capite 4: 2. Plerumque id dicitur tam in Sacræ Scripturæ idiomate, quàm in aliarum Linguarum phraſeologia, à quopiam factum, quod ille aliis fieri mandavit, aut inſtituit, uti *Actor.* 7: 21. *Pharaonis* filia *Moſem* nutriviſſe dicitur; 2 *Reg.* 6. & 7. dicitur *Solomonem* Templum domumque ſuam ſtruxiſſe. Ita etiam, 1 *Sam.* 26: 11, 12, 14. *David abſtulit haſtam & ampullam*, quia præcepit *Abishao* ut auferret; 2 *Reg.* 22: 16. *Liber quem Rex Judæ legit* eſt *quem coram eo legerunt*, 2 Paralip. 34: 24.

Jeſus ipſe non baptizat, I. Quia non miſſus eſt æquè ad baptizandum atque ad prædicandum; quod de ſeipſo effert *Paulus*, 1 *Corinth.* 1: 17. II. Quia ſi *Chriſtus* in ſuum nomen baptizaſſet, id aliquomodo improprium fuiſſet. III. Baptiſmus qui maximè *Chriſtum* decuit, non aquæ fuit, ſed Spiritûs Sancti, *Actor.* 1: 5. IV. Quia in animo erat omnes diſputationes & acerbas altercationes de Baptiſmo prævenire, quæ in hominum animis oriri poſſent, ſi alii à *Chriſto* baptizarentur, alii verò à Diſcipulis.

Non dubitandum eſt, quin illi Diſcipuli, qui alios baptizarunt, baptizati ſint & ipſi. Cæterùm quis eos baptizavit? Non ipſe *Chriſtus*, ſed *Joannes Baptiſta*. Et quoſdam ab eo baptizatos apparet ex *Joann.* 1: 35, 37, 40. Quod docet nos idem de aliis judicare. Hinc manifeſtum eſt, *Joannis* Baptiſmum eundem fuiſſe atque Apoſtolorum Baptiſmum, quicquid è contra dicant Scholaſtici; niſi Diſcipuli alios potiori Baptiſmo baptizarent, quàm quo ipſi baptizati ſunt. Hîc obſervandum eſt, ipſius *Chriſti* opus eſſe reverà, quicquid à Miniſtris ſecundùm ejus inſtituta fit, ſcilicet quia Diſcipulorum Baptiſmus vocatur ipſius *Chriſti* Baptiſmus.

JOANN. CAP. III. VERS. 23.

VERS. 23. *Et baptizabat Joannes.*

Jam tempore *Joannis* Miniſterii penè elapſo, Euangeliſta hîc loci narrationem earum rerum dat, quæ ab eo noviſſimè geſtæ ſunt, dum ire redireque quaquaverſùm pro arbitrio ſuo poſſet. Si in carcerem conjectus eſt paulò ante diſceſſum *Chriſti* in *Galilæam* memoratum in proximo Capite, uti probabile eſt, continuò circa viginti menſes prædicavit baptizavitque.

In Ænon propè Salim.] I. Non poſſum mihi perſuadere, hanc *Salim* eſſe civitatem propè *Sichemum*, uti vulgò creditur ex *Geneſ.* 33: 18. ubi *Septuaginta* multique alii verſionem dant ſecundùm noſtram *Anglicanam*, *Jacob venit Salem civitatem Sichemiticam.* Nam I. *Salem* eſt, non *Salim*. II. Non minùs propriè verti poteſt, *Jacob venit ſalvus ad civitatem Sichemi.* Nam uſque ad illud tempus nihil mali in ſua familia accidit. III. Scriptura in tota Chorographia *Ephraimi* nullam mentionem de *Salim* facit. IV. Ager quem emit *Jacob*, Geneſ. 33: 19. fuit ante *Sichemum*, non ante *Salim*, Joann. 4: 5, 6. V. Si *Salim* & *Ænon* erant propè *Sichemum*, erant in *Samaria*. Et quid *Joanni* cum *Samaritanis*? Videatur *Matth.* 10: 5. & 15: 24.

II. Apparet à verſu 26. *Salim* & *Ænon* ſitas eſſe cis *Jordanem* ad Occaſum. *Venerunt ad Joannem, & dixerunt ei, Is qui tecum erat citra Jordanem, cui tu teſtimonium dediſti, ecce baptizat*, &c. Cæterùm I. Euangeliſta nullius loci præterquam *Bethabaræ* mentionem fecerat anteà; & loquitur ad ſuam narrationem, atque ita eum vocat locum ubi primùm fuit *Joannes* cùm baptizavit, *Joann.* 10: 40. jam etiam loquens ſecundùm Hiſtoriæ à ſeipſo contextæ filum, nam is erat primus locus ubi baptizaverat. II. *Bethabaræ Joannes Chriſtum* indigitaverat, eique teſtimonium tulerat, adeò ut Diſcipuli eum ſequi inciperent. Unde manifeſtum eſt ex eorum qui ad *Joannem* venerunt ſermone, *verſ.* 26. *Bethabaram* & *Ænon* in utraque *Jordanis* ripa fuiſſe; *Bethabara* ex illa parte, *Ænon* verò ex hac.

III. Propendet mihi animus non minùs quærere *Salim* & *Ænon* in *Galilæa*, quàm in ullo alio loco, àb iis, qui hanc Sectionem expoſuerunt, memorato. Nam I. cùm *Chriſtus* ſe in *Galilæa* exhibere deberit, cur non & ejus Præcurſor ibi potiùs compareret? Quanto magis cenſendum

dum eſt, quod ut *Joannes* in *Judæa* ut alios, ſic etiam *Chriſtum* baptizavit, & in *Peræa*, & ultra *Jordanem*, uti etiam *Chriſtum* digito monſtravit; in *Galilæa* etiam baptizaret, atque eò loci *Chriſtus* ei ſuccederet, ex omnibus locis *Galilæam*, ubi *Chriſtus* ſeipſum primò ibuit, minimè præteriret? Quomodo *Herodes*, qui in *Galilæa* habitavit, & *Joannes* tantam inire familiaritatem potuerunt, quantam Euangelium innuiſſe videtur, *Marc*. 6: 2. niſi *Joannes* manſionem in *Galilæa* haberet, æquè ac *Herodes*? III. *Septuaginta* mentionem faciunt de *Salim* in *Galilæa* in Tribu *Iſſacharis*, Joſ. 19: 22. diſcrepante quidem à Textu Hebraico, ſed expreſſè (ut rectè ſupponi poteſt) pro more illius temporis; uti etiam *Chaldæus Paraphraſtes*. *Shaalim*, 1 Sam. 9: 4. in quibuſdam Septuaginta Interpretum editionibus ſcribitur *Shaalim*; quod utrùm ſit idem atque eorum *Shaalim*, Joſ. 19: 22. & an Euangeliſta non ad hoc verbum locumque reſpiciat, aliis diſcutiendum relinquo, inſuper an *Ænon* in Septuaginta Interpretibus, *Joſ*. 15: 61. noſtro propoſito inſervire poſſit.

IV. Fateor aliquid facere contra noſtram opinionem, quòd *Ænon* & *Salim* ſint in *Galilæa*: & illud eſt quod apud *Joſephum* legitur, Ὁ μὲν ὑποψίᾳ τῇ Ἡρώδου δέσμιος εἰς τὸν Μαχαιροῦντα πεμφθείς. *Joannes Baptiſta vinctus miſſus eſt ad Macharum*, Antiquit. lib. 18. cap. 7. Cæterùm *Macheri* caſtellum erat in *Peræa*, aut citra *Jordanem* in Euro-Septentrionali parte illius regionis, & *Arabiæ* contermina, (quæ plurimùm à *Galilæa* diſtabat) uti idem Auctor teſtatur, *de Bello*, lib. 3. cap. 4. Cui ſcrupulo ſatisfieri poteſt ex eodem Auctore. Quippe ex eo apparet, *Herodiadem* fuiſſe veram cauſam, cur *Joannes* in carcerem conjiceretur; licèt *Joannes* facto ſuo obtenderet, ſe non immeritò timere, ne populus res novas tentarent, cùm *Joannem* in tanta haberent veneratione. Inſuper, *Macharum* fuiſſe limitaneum propugnaculum inter *Herodis* territorium, (licèt remotum à *Galilæa*, quam quo titulo poſſedit, non eſt hujus loci diſquirere) & ſoceri ejus *Aretæ* Regis *Arabiæ*, cujus filiam abdicaverat, cùm *Herodiadem* duxit; cujus rei cauſâ longum & atrox bellum inter *Aretam* & eum eſt exortum. Idcirco ut *Joannem* ſatis procul à populo, apud quem tantam obtinuerat æſtimationem, tam ſecurè detineret, ut nulla ſpes liberandi eum ſupereſſet, & populares tumultus evitaret, in tam munitum & tam remotum propugnaculum eum amandari curavit. Et an ſtationem ibi cum exercitu haberet, cùm *Joannes* decollatus, inquirendi anſa dabitur, cùm Dei gratiâ ad eam Hiſtoriam nobis perventum fuerit.

JOANN. CAP. III. VERS. 23.

V. Citiùs crederem *Ænon* eſſe nomen ampliſſimi atque ſpatioſiſſimi campi vivarum aquarum ſcaturiginibus abundante, quàm ullam particularem civitatem, oppidum, aut amnem. Uti *Sharon* latiſſimus fuit campus, à שרה, *demittere*, quia pecora ad paſtum demittebantur; & *Lebanon* montana regio ingentis ſpatii erat à לבן, *albeſcere*, quia nives eam plerumque tegebant: ita videtur *Ænon* eſſe campum fontium, à עין, *fonte*. Atque igitur verba illa, *ibi multæ aquæ fuerunt*, intelligi poſſunt etymologiam verbi *Ænon* dare. *Joannes* baptizabat in *Ænon*, loco ita vocato, *quia ibi fuerunt multæ aquæ*. Invenimus mentionem *Abel Majim*, ſive *Planities aquarum* partis *Galilææ*, 2 *Paral*. 16: 4. Cui ſimile eſt illud, 2 *Paralip*. 20: 26. *Congregaverunt ſe in valle benedictionis, nam ibi benedixerunt Jehovæ*. Vallis hoc nomen ſortita eſt ob benedictionem in ea peractam.

Sed quoniam hic Textus plerumque affertur ad probandam immerſionis in Baptiſmo neceſſitatem, & verba illa, *quia multæ aquæ fuerunt ibi*, ſupponuntur dare potiùs rationem, cur eò loci baptizaret, quàm etymologiam nominis; quaſi *Joannes* baptizare nequiret, ubi non erat multa aquæ copia, nimirum quia populum ad ſe venientem alibi ſubmergere non poſſet: non erit intempeſtivum verba cum reſpectu ad hanc conſtructionem conſiderare, & inquirere I. quis mos baptizandi apud Judæos fuerit, antequam *Joannes Baptiſta* venerat. II. Quouſque eorum morem hac in re imitatus ſit.

De primo obſervavimus in primum Caput hujuſce Euangelii *Joannis*, verſ. 25. Baptiſmi ritum multò priùs in uſu apud Judæos fuiſſe, & in eum finem, quia nobis indicatur, nempe ad admittendos in Eccleſiam homines, quàm Euangelium prædicatum eſt, aut *Joannes Baptiſta* venit ad prædicandum. Quod ex ipſis Judæorum ſcriptis ac teſtimoniis ſatis patet, quamvis noſtro Baptiſmati minimè faveant. Et jam non alienum eſt à ſubjecta materia, ritûs illius adminiſtrationem quodammodo explicare, aut quomodo baptizare ſolebant.

In hunc finem obſervanda eſt traditionalis illa regula, de quâ meminit *Maimonides* in *Iſſure Biah*, Perek. 13. במקוה הכשר טבילת נדה שם מטבלים את הגרים.

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 23.

הגרים. *In aquarum congregatione, quæ ſat eſt lavando mulierem ab ejus ſeparatione, baptizant Proſelytos.* Et aquas ad talem lotionem aptas hoc modo deſcribunt. *Vir qui gonorrhæâ affectus eſt non niſi in fonte purificabatur: ſed mulier quæ affecta eſt profluvio, & omnes aliæ impuræ perſonæ aut res, in aquarum congregatione abluebantur. Quippe ita erat lex, illas poſſe lavari ubicunque eſt aquarum congregatio; uti dictum eſt,* Congregatio *aquarum in quocunque loco. Sed in ea debet eſſe tantum aquæ, quantum ſufficit lavando totum hominem ſingulis emerſionibus. Sapientes dicunt, hanc proportionem continere cubitum longitudine & latitudine, & tres cubitos altitudine, id eſt, quadraginta Seas aquæ.* Idem in *Mikvaoth*, Perek. 1. & 4. & *Thalmud* in *Mikvaoth*, Perek. 2. & 3. &c.

Quod ſpectat ad modum lavandi, is ita ſe habuit. כל טובל צריך שיטבול כל גופו כשהוא ערום בבת אחת. *Quiſque qui lavatur, aut baptizatur, ſubmergat totum corpus pariter, uti nudus erat. Et ubicunque in Lege mentio lavandi carnem aut veſtes ſit, intelligendum eſt de lotione totius corporis. Nam ſi quis totum corpus, exceptâ ſolùm digiti extremitate, lavat, manet adhuc in ſua impuritate. Et ſi vir ſit comatus, oportet eum totam capitis cæſariem immergere, quia eſt ſicut corpus. Et quamvis indutus ſit veſtibus, vera tamen erat ablutio, quia aqua eas penetraverat, eique viam non præcluſerant*, Maimon. ubi ſupra.

Cùm verò Proſelytus aut Proſelyta veniſſet, ut in Judæorum Eccleſiam & religionem admitteretur, de iis ſciſcitatum eſt, eam religionem ſpe divitiarum aut honoris, aut ob timorem amplecterentur; & particulatim à viro inquirebant, an non virginem Iſraëliticam arderet; de fœmina verò, an non juvenem Iſraëliticum deperiret. Quòd ſi nihil tale compertum eſt, tùm jugum Legis, & laborem in eo perficiendo notum iis faciunt. Si vident eos ex pura & ſincera Legis dilectione veniſſe, recipiunt eos; uti dictum eſt, Videns illam fortiter inſtare ut pergeret ſecum, deſtitit ſic alloqui, *Ruth.* 1: 18.

Cùm juſtitiæ Proſelytum recipiunt, & eum interrogavêre, & nullas cauſas ſupra dictas invenêre, dicunt ei, Quid vidiſti ut fieres Proſelytus? Annon ſcis Iſraëlem hoc tempore deprimi, multiſque calamitatibus affligi? Si reſpondet, Hoc ſcio; ego ipſe etiam ſum unus è malè meritis; recipiunt eum actutùm, docent præcipuas Legis partes, Divinæ Naturæ unitatem, prohibitionem idololatriæ, & in hac materia prolixi ſunt. Deinde quædam è minoribus Legis præceptis, nonnulla etiam è majoribus breviter repetunt. Tum culpam ei notam faciunt, ſi quis reciperet quod reliquerat, Deuter. 24: 19. *& ſi quis angulos agri meteret,* Levit. 23: 22. *& ſecundam decimationem.*

JOANN. CAP. III. VERS. 23.

Inſuper certiorem eum pœnarum Legis reddunt, dicentes, Noveris tu quòd antequam hanc Legem amplexatus es, ſi pinguedinem comediſti, non eras exſcindendus, & ſi Sabbatum violaſti, lapidationis pœnas non dediſti: verùm ſi poſt Proſelytiſmum pinguedinem comedes, exſcinderis; ac ſi Sabbatum prophanas, lapidibus obrueris. Nec aliud ampliùs addunt, quia nimis ſeverè cum eo non agunt, ne à via bona ad malam penitùs declinaret. Quippe illis ſolenne fuit omnes blandis verbis ad ſuam religionem primò adducere, uti dictum eſt, Funibus hominis attraham eos. *Idcircò ut ei Legis pœnas, ita etiam præmia exponunt, & declarant per ſolam ejus obſervantiam vitam futuri ſæculi obtinendam eſſe, neminemque verè & perfectè juſtum, qui ejus mandata neſcit, aut ad ejus normam vivere nihil penſi habet.*

Inſuper addunt, Noveris tu, futurum ſæculum juſtis ſolummodò tuique ſimilibus reſervari. Quapropter quanquam vides Iſraëlem in hoc mundo afflictum atque oppreſſum, felicitas tamen ei apud Jehovam reconditur. Et multum in hoc mundo non recipiunt, ne eorum cor efferatur, & ſuperbi facti vias Domini transgrediantur, & præmium in futuro perderent, uti dictum eſt, Jeshurun ſaginatus recalcitravit. *Nec Beatiſſimus Deus eos vindictâ extremâ proſequitur, ne perirent omninò. Omnes nationes peribunt; illi verò manebunt in æternum. Et de hac re plura dicunt, ut Legis amorem ejus animo altiùs ingenerent. Si eum propoſiti ſui pœnitet, Legemque toto corde amplecti reſpuit, per eos quò libet abire licet. Si verò perſiſtit, tùm ſtatim eum penitùs circumcidunt. Si verò anteà circumciſus ſit* (uti *Iſmaëlitæ, Midianitæ*, aliique *Abrahami* filii) *ei guttam ſanguinis extrahunt, & expectant donec perfectè ſanus evaſit, & tùm demum eum baptizant. Et triumviri juxta eum ſtant, & quædam minora atque majora Legis mandata ei in aqua ſtanti repetunt. Si mulier ſit, eam mulieres collo tenus ſubmergunt; & Judices procul ſtantes quædam minorum atque majorum Legis præceptorum pronuntiant, dum ſtat in aqua; quo facto ſe penitùs ſubmergit. Tunc illi avertunt faciem, abeuntque, ne eam aquâ egredientem viderent.* Ita *Babylonicum Thalmud* in *Jevamoth*, Perek. 4. & *Maimonides* in *Iſſure Biah.*

Hic fuit mos baptizandi apud Judæos ante Euangelium. Cui ſi Baptiſmum *Joannis*

JOANN. CAP. III. VERS. 23.

nus comparemus, inveniemus utrumque conſentire in his infrà ſequentibus.

I. Judæi eos ſolùm baptizabant, qui ab Ethniciſmo diſceſſerant, & facti erant Proſelyti. Non baptizabant eos, qui ex Judæis nati ſunt, & in Judaica religione nutriti, ſed eos tantùm, qui eam modò amplexi ſunt, olim ejus ignari. Et in hoc Baptiſmus *Joannis* & Apoſtolorum in Novo Teſtamento eorum Baptiſmo conveniebat. Quippe illi quos baptizabant, aut in Judaiſmo, aut Ethniciſmo ſunt enutriti, & in novam religionem per Baptiſmum introducti. Et quanquam Judaiſmus ab Euangelii tenore non prorſùs alienus erat, tanta tamen inter ea differentia ob ceremonias, legales juſtitias & traditiones, quas in ſummo pretio habebant Judæi, facilè deprehendi poterat, ut Judaiſmus & Euangelium videantur duæ diverſæ religioſæ profeſſiones.

II. Judæi adultos, qui baptizandi erant, ante Baptiſmum religionis ſuæ principia & rei dignitatem, quæ agebatur, docebant. Et hunc morem *Joannes* & Apoſtoli obſervabant. Nam primùm docebant, deinde baptizabant, utpote rem cum iis habentes qui ad maturam ætatem atque intelligentiam pervenerant, quique in diverſa religione fuerant educati. Verùm Judæi pueros etiam & infantes qui ad capiendam eruditionem erant inepti, ſcilicet Proſelyti parvulos, non minùs quàm ipſum, baptizabant. Atque igitur quæ ratio dari poteſt, cur *Joannes* & Apoſtoli non idem facerent, præſertim cum diſertè exprimatur, hos & illos totamque eorum domum baptizatam fuiſſe? Certus ſum, Hebræos parvulos intra domeſticos numeraſſe. Et cur idem à nobis faciendum ſit commodè explicari non poteſt.

III. Baptiſmus apud Judæos nonniſi viris auctoritatis, ad Sacros Ordines admiſſis, & ad hoc opus præcisè deſignatis peragi ſolebat. *Beth Din* ſive Conſiſtorium ſive *Triumviratus* debuit eum adminiſtrare, non quivis, qui id ſibi aſſumeret: ita etiam ſub Novo Fœdere hic ritus ab illis ſolis celebratus eſt, qui ad eum ſolemniter inſtituti ſunt. Ut homines mechanici, aut ulli alii privati baptizarent, tum Scripturæ, tum Antiquitatis auctoritate & exemplo deſtituitur.

IV. Baptiſmus Judæorum per immerſionem fieri ſolebat, uti ex teſtimoniis apparet allegatis. Cæterùm quæſtio eſt, quouſque mos baptizandi in Novo Teſtamento eorum praxi ſit conformis. Sunt in eo quidam loci, in quibus videtur magnam fuiſſe inter hunc & illam congruentiam, *Matth.* 3: 6. *Baptizabantur ab eo in Jordane.* Matth. 3: 16. *Jeſus baptizatus aſcendit ſtatim ex aqua.* Actor. 8: 38. *Eunuchus deſcendit in aquam:* & verba quæ ſub manibus habemus, *Joannes baptizabat in Ænon, quoniam ibi fuerunt multa aquæ.* Atque etiam ſunt loci nonnulli & circumſtantiæ, ex quibus colligi poteſt, hunc morem baptizandi Eccleſiam per omnes retrò ſucceſſiones neutiquam obligare, nec multùm referre, utrùm aſpergendo, aut immergendo fiat; ac proinde non requiri abſolutam utrobique Judæorum & Chriſtianorum in re Baptiſmatis conformitatem. Exempli cauſâ, I. ſi *Paulus* intra domum baptizaretur, uti videtur ex *Actor.* 9: 17, 18. aut ſi ulli alii ſub tecto aut in Synagogis baptizarentur, in quem finem videatur *Actor.* 10: 47, 48. ſecundùm Judæorum morem baptizari non potuerunt, quia diſertis & expreſſis verbis illis prohibitum eſt vaſe quenquam immergere, niſi quòd Sacerdotibus ſe in æneo mari lavare permitteretur. *Sed nunquid illius fuit vas?* (dicunt *Gemariſtæ* in *Hieroſolymitano Thalmude*) *Imò.* Sed *Rabbi Joshua* filius *Levi* dicit, *Per canalem aquam ex fonte Ætam in id transfuſam eſſe.* Qua in re aquæ ſcaturigini ſimile fuit, quia nova aqua in illud continuò transfundebatur, in *Joma*, Perek. 3. *Aruch* in מכנה, *Maimonides* in *Biath Mikdash.*

II. Immerſio fuit nationalis apud Judæos conſuetudo, cui ſi in baptizando tenebant Apoſtoli & Diſcipuli inde fuit, quòd inter Judæos facti ſunt Judæi, (quod *Paulus* de ſeipſo dicit) ut Judæos lucrifacerent. Sed immerſio purificandi gratiâ Gentibus ignota eſt, & in uſu apud nullos, præterquam Sacerdotes; & præterea diſputabile eſt, an in baptizando Apoſtoli eam talibus præciperent, præſertim cùm Baptiſmus ad purificandam carnem minimè inſtitueretur, 1 *Petr.* 3: 21. at Judæi de immerſionibus purificationibuſque per aquam ſomniabantur.

III. Quanquam adulti inter Judæos per immerſionem baptizabantur, uti Scripta eorum authentica teſtantur; invenire tamen difficile eſt, eorum infantes immerſos fuiſſe, & tamen apertè agnoſcunt eos baptizatos.

IV. Si nobis eſſet propoſitum hanc quæſtionem ventilare, (at non eſt, quia ſparta noſtra eſt aliûs generis) facilè oſtendere poſſemus, plures res, quæ ſolennes & in pretio apud Judæos fuere, atque igitur in uſu apud eos, qui in *Judæa* converſi

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 25, 27.

verſi ſunt, eſſe meruerunt, aut omninò rejectas, aut aliquomodo mutatas fuiſſe. Et facile etiam eſſet monſtrare, aſperſionem, aut infuſionem aquæ ſuper quempiam, non minùs vocari Baptiſmum, quàm tinctionem aut immerſionem; ac proinde tam parvæ circumſtantiæ mutationem nullam eſſe originalis conſtitutionis variationem, multò minùs violationem.

VERS. 25. *Orta eſt igitur quæſtio.*

I. Subjectum quæſtionis fuit περὶ Καθαρισμοῦ, *de Purificatione:* verbo ejuſdem ſignificationis טהרה in Hebraicis Auctoribus omnia lotionum religioſarum atque purgationum genera comprehendente. Cæterum quatuor purificationum genera apud Judæos obtinuerant. I. Lotiones & aſperſiones à *Moſe* inſtitutæ. II. Lotiones Phariſaicæ Traditione vim ſuam habentes. III. Baptiſmus *Joannis*. IV. Baptiſmus *Chriſti*. Inter hos diſcrimen pono; quia licèt per ſe non eſſent diverſi, populus tamen eos inter ſe differre facilè arbitrati ſunt.

II. Textus modò allegatus de diſputatoribus ſubbrevior eſt & ſubdifficilis. Etenim ita ſe habet. Ἐκ τῶν μαθητῶν Ἰωάννου μετὰ Ἰουδαίων. *Ex*, aut *per Diſcipulos Joannis cum Judæis.* Ex quo videtur diviſam fuiſſe controverſiam. Nam præpoſitio ἐκ dubium inter *Joannis* Diſcipulos innuit, (quod *Vulgaris Gallica & Italica* Verſiones præ ſe ferunt) quaſi illi diſputationem ſint exorſi, Præpoſitio verò μετὰ videtur innuere inter eos oppoſitionem, & in hac quæſtione cum Judæis conjunctionem.

III. Controverſum eſt inter eos partim de lotionum Judaicarum & Baptiſmi Euangelici dignitate; in qua Judæi ipſis contradixerunt: partim de Baptiſmi *Joannis & Chriſti* dignitate; & ob hanc conteſtationem utroſque ſibilarent Judæi.

IV. Hæc quæſtio ex occaſionibus modò memoratis ortum habuit. *Chriſtus* baptizare cœperat; *Joannes* etiam baptizabat, atque igitur *orta eſt quæſtio. Joannis* Diſcipuli mirati ſunt, quòd præter Magiſtrum alius baptizaret, & plures haberet ſectatores, uti *verſ.* 26. Et Judæi illis vehementer indignabantur, quaſi rerum novarum inventores & fautores eſſent. *Videtis quid feceritis, lotiones antiquas ſtatas, Moſiſque ritus deſerendo. Alius novum inſtituit Baptiſmum; atque ita tandem novæ conſuetudines indies augebuntur, creſcentque in infinitum.*

VERS. 27. *Homo non poteſt recipere quicquam*, &c.

Joannes reſpondet Diſcipulis, qui ægrè tulerunt *Chriſtum* tot habuiſſe ſectatores, (quod in Magiſtri ſui ignominiam ceſſurum cenſuere) ad mulcendum ex omni parte eorum animos. Num adeò ſequuntur illum? Cur non? Datur ei à cœlo. *Minuor ego?* Quid mirum? Nemo poteſt aliquid recipere, quod non datur illinc.

JOANN. CAP. III. VERS. 29.

VERS. 29. *Qui habet ſponſam ſponſus eſt.*

Baptiſta hoc mutuatitio dicendi genere I. aſſerit *Chriſtum* eſſe illum *Deum Exercituum* qui eſt ſponſus Eccleſiæ *Iſaj.* 54: 5. *Jerem.* 3: 14. *Hoſ.* 2: 19, 20. ſeipſum verò eſſe Miniſterio ſuo comitem ſponſi ſponſæque, utpote ſponſi amicum.

Verba φίλος τοῦ νυμφίου vertuntur Hebraicâ Linguâ שושבין, *Shoshebin*, quod eſt verbum à Judaicis Authoribus frequenter uſurpatum. Plerumque ſingularem & ſpecialem amicum quemcunque ſignificat; adeò ut cùm dictum ſit 2 *Sam.* 13: 3. *Ammoni fuiſſe amicum*, Chaldæa vertit, לאמנן שושבינא. Verùm magis propriè & genuinè ſingularem amicum & ſodalem ſponſi in ipſis nuptiis. נוהגים אנחנו לקרא לריעי החתן שושבינין *Solemus*, inquit Elias Levita, *vocare amicos ſponſi*, ut dictum eſt in *Judic.* 14: 20. *Samſonis uxor data eſt ſodali, quem ſibi in ſodalem aſciverat.* Chaldaica reddit, דהוה שושבניה, *ſodali, qui fuit ejus Shoshebina*, id eſt, Paranymphus & ſingularis amicus Hymenæorum tempore.

Cum ſponſo ſponſaque fuerunt etiam in nuptiarum tempore שושבנין & בני חופה, *Amici ſponſi*, aut *Paranymphi Filii thalami*, *Nuptiales Hoſpites*, uti eſt *Matth.* 9: 15. Quorum mentio etiam fit in illa traditione: חתן וכלה שושבנין ובני חופה פטורים מן הסוכה: *Sponſus & Sponſa, Paranymphi & Filii thalami non tenentur feſtum Tabernaculorum obſervare*, Maimonides in *Succah*, *Perek.* 6.

Hi שושבנין, *Shoshebenim* plerumque erant duo, unus cognatorum ſponſi, alter cognatorum ſponſæ. מעמידין שני שושבנין אחד משל בית חתן ואחד משל בית כלה: *Toſaph.* ad *Cetuboth*, *Perek,* 1. *Inſtituerunt duos Paranymphos, hunc cognatum ſponſi, illum ſponſæ.* Hi duo ſunt iidem cum illis, qui inter nos *ſponſi Satellites* aut *Armigeri* vocantur.

Ergo hâc comparatione & loquendi modo *Joannes* oſtendit ſe minimè eâ zelotypiâ & indignatione affectum, quâ Diſcipuli ſui urebantur, quamque in ejus animo excitare ex eo conabantur, quòd ex omnibus

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 30, 31.

bus hominum ordinibus erant qui *Jeſum* ſectabantur, eumque magno proſequebantur honore. Non is ego ſum, inquit *Joannes*, qui hanc obſervantiam & honorem ei invideo: verùm ut intimus & cordatiſſimus ſponſi amicus nullâ invidiâ tangitur, ſed potiùs ſponſi honore & felicitate gaudet, quia nimirum omnes eum obſervant, omniaque officia ei exhibent in ejus Hymenæis; & ut ille ſummopere ſponſi voce delectatur, ita etiam mihi cauſam lætandi præbet, audire *Chriſtum* honore & dignitate magis magiſque ſplendeſcere. *Nam ille eſt ſponſus*, &c.

VERS. 30. *Illum oportet creſcere, me vero minui.*

Facile eſt percipere quid ſibi velit *Baptiſta* in his verbis, ſe nimirum loqui de ſui Miniſterii gloria cum illa *Chriſti* comparata, nempe ejus ſplendorem fore ſimilem ei, qui eſt ſyderum lunæque, cùm ſol aſcenderit horizontem, deliquium paſſurum ac omninò obſcuratum iri majoris lucis magnitudine. Et ſi in poſteriore verſûs parte ſupponatur a *Joannem* ſuam incarcerationem mortemque prædicere, videbimus in proxima Sectione utramque abſolutam. Qui verò in expoſitione horum verborum dierum incrementa à Nativitatis *Chriſti* feſto, & eorum decrementa ad medium æſtatis, cùm natus eſt *Joannes*, colligunt, videntur in Calendarium potiùs quàm in Scripturam inſpexiſſe.

VERS. 31. *Quiſquis ſupernè venit eſt ſupra omnes.*

Hîc eſt aliud argumentum, quo *Joannes* zelotypiam eam ex Diſcipulorum ſuorum animis eximere conatur, quam conceperant, quòd *Chriſtus* baptizaret, & tam multi ad eum venirent; quæ quidem res *Joannis* honorem minorem in dies redditura erat. Cur non? inquit *Joannes*, *venit ſupernè*, & idcircò mihi omnibuſque aliis anteferendus eſt. *Baptiſta* Divinitatem *Chriſti* hoc dicto oſtendit, eumque majorem eſſe, quàm ſui Diſcipuli; ex formâ ejus externa conjectari facilè poſſent.

Qui è terra eſt, terrenus eſt.] In *Græco* Codice ita eſt, *Qui è terra eſt, è terra loquitur*. Quod *Vulgaris Latina* & *Syriaca* verbatim reddiderunt. Sed *Arabica*, *Eraſmus*, *Beza*, *Italica*, &c. eodem modo legunt, quo *Anglicana*, *Qui à terra eſt, terrenus eſt*. *Gallica* hâc paraphraſi utitur, *Qui procedit è terra, eſt e terra, & loquitur ut qui è terra procedit*. In his verbis *Baptiſtæ* ſcopus eſt, characterem ſibi omnibuſque aliis imprimere, uti *Chriſto* in verbis præcedentibus, & in verbis in ſequente Sectione. Tria potiſſimùm de *Chriſto* loquitur; & tria etiam de ſeipſo aliiſque. I. *Chriſtum veniſſe de cælo*; ſe verò alioſque omnes terrenos eſſe. II. *Chriſtum* ſuper omnes homines, imò omnia; (nam ita verbum Græcum propriè reddi poteſt) ſe verò alioſque omnes terreſtres eſſe, ideoque minoris gloriæ atque inferioris æſtimationis. III. *Chriſtum* dixiſſe verba Dei, res quas apud Deum viderat audiveratque; ſe autem cæteroſque omnes è terra locutos, nec potuiſſe ad divina pertingere. Unde cogitandum eſt, primam clauſulam, Ὁ ὢν ἐκ τῆς γῆς, ἐκ τῆς γῆς ἐστι, *Qui è terra eſt, è terra eſt*, ita intelligendam eſſe, *Qui terrenæ eſt originis, terreni etiam eſt ingenii, terrenæque gloriæ*, uti eſt in verſu ſexto, *Qui ex carne gignitur, caro eſt*. Et poſterior clauſula duobus modis accipi poteſt, & meliùs intelligi eam opponendo declarationi, quàm de ſeipſo fecit *Chriſtus*.

JOANN. CAP. III. VERS. 31.

I. *Chriſtus* loquitur verba Dei; nec aliter facere potuit ob naturæ ſuæ puritatem, cui naturale erat omnia divina, nihil vanum, inutile, aut terrenum expromere. Sed qui eſt terrenus non cœleſtia, ſed terreſtria omnia profert, 1 *Corinth*. 2: 14. 2 *Corinth*. 3: 5. Proinde vis antitheſis inter verba *Chriſti* aliorumque, qui puri puti ſunt mortales, in hoc conſiſtit, & hic reverà eſt plenus *Baptiſtæ* ſenſus. Nam ut præ ſe fert clarum hoc inter *Chriſti* aliorumque originem diſcrimen, quòd naturaliter *Chriſtus* non potuit non verba Dei loqui; illi verò è contra naturaliter talia fari non potuerunt, ſed terrena ſolùm. II. Si hi, de quibus ſermo eſt, ſunt Prophetici ordinis & gradûs, (uti ipſe *Joannes Baptiſta*) tunc ita ſe habet oppoſitio, quòd rerum divinarum declaratio obſcura & caliginoſa fuerit, ſi ad illam *Chriſti* comparetur, quippe quòd ille teſtatur quod vidit & audivit, neque illi Deus admetitur Spiritum. Quod igitur alii de rebus divinis diſſerunt, eſt humile, tenue, ac terreno loquendi modo exprimitur, ſi ad ſublimia illa & cœleſtia, quæ *Chriſtus* docuit, cœleſtemque docendi modum conferatur. Verùm ego priorem interpretationem magis genuinam arbitror.

Digitized by Google

JOANN. CAP. III. VERS. 33.

VERS. 33. *Is obſignavit Deum veracem eſſe.*

Nihil teſtatus eſt *Chriſtus*, quod non vidit & audivit apud Patrem, ut Cap. 1: 18. & 5: 20. (uti *Moſes* vidit & audivit apud Deum, quod populo tradidit *Iſraëlitico*) *& nemo recipit ejus teſtimonium*, id eſt, admodum pauci, (uti, *Omnes quærunt ſua, non quæ ſunt Chriſti*) cùm nec Judæi, neque ipſi *Joannis* Diſcipuli id reciperent. Cæterùm ii pauci qui id receperunt, aut recipiunt, *obſignant Deum veracem eſſe*. Nam quiſquis verbo Dei credit, quaſi ſubſcribit & ſigillum apponit verbo Dei illud eſſe verum, Deumque verum qui dixit. Atque adeò, qui *Chriſti* teſtimonium receperunt, ſigillo ſuo ſignarunt veritatem ejus verborum, omniumque etiam promiſſorum, quæ de *Chriſto* Deus fecerat. Videatur *Joann.* 5: 10. Ac proinde mutua eſt inter Deum & hominem in Gratiæ Fœdere ſigillatio: Deus ſigillat veritatem ejus Sacramentis, & homines ſigillant credendo.

JOANN. CAP. III. VERS. 34.

VERS. 34. *Nam Deus non admetitur huic Spiritum.*

Verſiones quæ addunt hoc verbum, & ſunt diverſæ, videntur ſenſum *Chriſto* applicare, nempe quòd Deus Spiritum ſuum ultra modum & menſuram in eum infuderit. Sed verbum τῷ *huic* in Originali non eſt; & proinde quidam id intelligunt de omnibus Prophetis, quos Deus unquam miſit, quòd illi ſinguli verba Dei loquerentur pro abundantia Spiritûs quam habuit Deus ad infundendum. Quamvis infiniti fuerint, non metitus eſt unicuique eandem Spiritûs portionem, ſed diverſam pro beneplacito ſuo. Et ut hoc *Joannis* ſcopo propiùs quadrare faciant, ita explicant: Ne honorem *Chriſti* ægro & iniquo animo feratis, qui vobis diſplicet, quaſi meum minuturus. Quanquam multum Spiritûs habeo, cur non ille plus haberet? Nam Deus non admetitur Spiritum. Veruntamen ego cenſeo *Baptiſtam* hoc de *Chriſto* ſolo dicere.

SECTIO XV.

LUCÆ CAPUT III.

VERS. XVIII. *Multa igitur etiam alia exhortans Euangelizabat populo.*
XIX. *Herodes autem Tetrarcha, quum argueretur ab eo de Herodiade uxore Philippi fratris ejus, deque omnibus ſceleribus quæ ipſe patrarat.*
XX. *Adjecit & hoc ſupra omnia, quòd incluſit Joannem in carcere.*

Ordinis Ratio.

QUandoquidem *Joannes* non ampliùs in publicum proditurus eſt, jam ab *Herode* arctæ cuſtodiæ amandatus, uti narratur in hac Sectione, reſpiciendo vel ad priorem Sectionem, quæ cum ſolemni *Joannis* oratione concluditur, & proſpiciendo nullum alium ſermonem ejus in hoc Euangeliſta inveniendum, videtur hanc Sectionem priori rectè conjungi poſſe, præſertim ſi huic obſervationi addatur id quod omnes Euangeliſtæ unanimi conſenſu narrant: ſcilicet Servatorem noſtrum iter ſuum in *Galilæam* non priùs ſuſcepiſſe, (cujus quidem rei mentionem proximo loco faciunt) quàm *Joannes* in carcere concluſus erat. *Joannes* id ſatis perſpicuè, licèt obſcuriùs quàm cæteri Euangeliſtæ, narrat, ut in proxima Sectione obſervabitur. Si igitur ſcrupulus aut mirum alicujus animo ſuboriatur, cur *Lucas* priùs memoraret *Joannem* in carcerem conjectum fuiſſe, quàm *Jeſum* ab eo baptizatum; huic dubio ſatisfieri poteſt *S. Lucæ* methodum obſervando. Ex quo apparebit, Euangeliſtam in una narratione totum *Joannis* Miniſterium comprehendere, nihilque relinquere in aliis Euangelii ſui partibus dicendum. Scilicet narrat, quid *Joannes* ad ſuum Baptiſmum venientibus prædicaret, quid ſpeciatim Phariſæis, quid Publicanis, quid denique Militibus. *Et diverſa alia*, inquit ille, præter ſupra dicta, *exhortans prædicabat populo.* Nec obſcuriùs aut mitiùs cum ipſo *Herode* egit, qui libertate boni viri adeò offenſus erat, ut eum in vincula conjiceret. Ita quidem totum Miniſterii *Joannis* tenorem & ſucceſſum apud populum ſummatim narrat; & tunc ſe confert ad narrandum præcisè, quomodo *Chriſtum* baptizaverit. Si

Digitized by Google

Si autem iterùm quæratur, cur non eandem narrationem in hac Sectione, quæ in *Matth.* 14: 3, 4, 5. & *Marc.* 6: 17, 18, 19, 20. legitur, includam, ut ii fere omnes qui Harmonias in Euangeliſtas conſcripſere; id ego propterea facio, quia de ea ut de re præterita ſatis propriè & methodicè in loco quo inveniri poſſit agetur: & cùm in hac Sectione narratio plena & omnibus numeris abſoluta ſit, ſi Textus *Matthei* & *Marci* hîc inſereremus, ſanè nimis ingens chaſma vel hiatum in illorum Hiſtoriis efficeremus; quòd cùm ad eas deventum eſſet, Textus prædicti deſiderarentur, niſi eos repeteremus, quod inconcinnum & durum auditu eſſet.

Vers. 18. *Et multa alia exhortans prædicabat*, &c.

Quicunque poſteriorem Sectionis prioris partem, & hunc verſum pro continuata narratione leget, videbit ille quàm aptè & concinnè & illa & hic coincidant. Atque hoc pro Epilogo totius narrationis Miniſterii *Joannis* reputare debet, quòd præter conciones illas, quæ ab Euangeliſtis memorantur, multa alia populo prædicaret, dum libertatem eundi redeundique, ut ſibi optimè viſum eſt, haberet, quâ non diu gaviſus eſt poſt rem in prædicta Sectione memoratam.

Vers. 19. *Verùm Herodes Tetrarcha, cùm argueretur de Herodiade*, &c.

Quoniam incidimus in mentionem novarum & illegitimarum nuptiarum in *Herodis Magni* familia, patienter ferat lector, ſi priuſquam hoc ſpeciale *Herodis* Tetrarchæ facinus ducendi fratris ſui uxorem, totam *Herodis* antiqui familiam ac diverſas novas in ea nuptias, (ut ex multis Hiſtoriæ à *Joſepho* conſcriptæ locis colligi poſſunt) perluſtret, atque univerſam hujus Regis proſapiam in paucis ſciat, ut verſum ſuprà nominatum, alioſque Novi Teſtamenti locos, qui ad res hujus familiæ pertinere videntur, meliùs intelligat.

Incipiemus ab *Antipatro Herodis* patre, qui primus è familia illa evaſit illuſtris.

Hic *Antipater*, qui fuit *Idumeus*, ex uxore *Cypri* muliere *Arabicâ* hos quatuor filios, *Phaſaelum*, *Herodem*, *Joſephum*, *Pheroram*, & unam filiam, *Salomen* nomine, ſuſcepit, teſte *Joſepho*, *Antiquit.* lib. 14. cap. 12.

Herodes ſecundus filius *Antipatri*, plerumque cognominatus *Herodes Magnus*, Rex Judæorum, *Luc.* 1: 15. *Synedrii Hieroſolymitani* interfector, teſte *Joſepho*, *Antiquit.* lib. 14. cap. 17. *Juchaſ.* fol. 19. puerorum etiam *Bethlehemiticorum* occiſor, *Matth.* 2. etiam ſuorum liberorum, uti infrà videbimus, novem habuit uxores, & ex ſeptem earum liberos procreavit, *Joſeph. de Bello*, lib. 1. cap. 18.

I. Duxit *Doridem* fæminam *Hieroſolymitanam*, priuſquam fuerat Rex; & ex ea filium *Antipatrum* genuit; quam, poſtquam ad regiam evectus eſt dignitatem, repudiavit, ut aliam duceret, *Ibid.* cap. 17. Et hunc *Antipatrum* maximum natu interfici mandavit die ante ſuam mortem quinto, *Idem*, *Antiquit.* lib. 17. cap. 10.

II. Ejus ſecunda uxor fuit *Mariamne* illa formoſiſſima, filia *Alexandri* filii *Ariſtobuli*, & *Alexandræ* filiæ *Hyrcani*, *Antiquit.* lib. 15. cap. 2. Ex ea tres filios, *Alexandrum* & *Ariſtobulum*, Antiquit. lib. 16. cap. 8. & *Herodem*, de Bello, lib. 1. cap. 18. qui *Herodes* mortuus eſt Romæ admodùm adoleſcens, quò miſſus eſt educandus.

Etiam ex ea duas filias, *Salampſionem* & *Cypram*, habuit: uxorem *Mariamnen* à ſorore *Salome* accuſatam, & à ſe ſuſpectam, è vivis tolli præcepit.

Duos ejus filios ſuperſtites ita in conjugio diſpoſuit: *Ariſtobulum Bernicæ* filiæ *Salomes* ſororis ſuæ, quæ ei peperit tres filios, *Herodem*, *Agrippam*, (qui vocatur *Herodes*, Actor. 12.) & *Ariſtobulum*; & duas filias, *Herodiadem* & *Mariamnen*. Hæc illa eſt *Herodias*, de qua impræſentiarùm agimus. *Alexandrum Glaphyræ*, filiæ *Archelai* Regis extranei, connubio junxit, ex qua duos habuit filios, *Tigranem* & *Alexandrum*, de Bello, lib. 1. cap. 18.

Hos duos filios *Mariamnes Ariſtobulum* & *Alexandrum*, pater ſuus interfici juſſit poſt matris necem, *Antiquit.* lib. 16. cap. 17. Sed duas filias dedit in matrimonio ſuis proximis conſanguineis; *Salampſionem* nepoti ſuo, & *Cypram Antipatro* conſobrino ſuo, filio *Salomes* ſororis *Herodis*, Antiquit. lib. 18. cap. 7.

III. Tertiam uxorem habuit nomine *Malthacen Samaritanam*, quæ ei peperit duos filios, *Antipam* & *Archelaum*, & unam filiam nomine *Olympiadem*, de Bello, lib. 1. cap. 18. *Archelaus* is eſt cujus mentio fit *Matth.* 2. *Antipas* eſt *Herodes* ille de quo jam loquimur. *Archelaus* duxit *Glaphyram* fratris ſui *Alexandri* viduam, *Antiquit.* lib. 17. cap. 15. *Olympias*

Digitized by Google

LUCÆ CAP. III. VERS. 19.

nupſit patris ſui nepoti, *Joſeph. de Bello*, lib. 1. cap. 18.

IV. Quarta ejus uxor *Cleopatra Hieroſolymis* oriunda peperit ei *Herodem* & *Philippum*, Ibid. & *Antiqnit.* lib. 17. cap. 1. Hic *Philippus* fuit *Herodiadis* conjux, donec *Herodes* frater eam abſtulit: non hic *Herodes* ex eadem matre natus, ſed *Antipas Malthaces* filius, qui etiam nominatus *Herodes*, uti dictum eſt ſuprà.

V. Aliam habuit uxorem nomine *Pallida*, ex qua filiam ſuſcepit, cui nomen erat *Phaſaelus*, Ibid. Et hic *Phaſaelus* genuit filium ſui nominis, cui nupta eſt *Salampſio* anteà memorata.

VI. Sexta uxor *Phædra* peperit ei filiam *Roxanem*, Ibid.

VII. Septima, quæ vocabatur *Helpis*, peperit ei filiam nomine *Salomen*.

Etiam duas alias habuit uxores, ex quibus nullos ſuſcepit liberos, quorum nomina *Joſephus* non exprimit; ſed de his nuptiis notavit, unam ex iis uxorem fuiſſe ἀνέψιον, & alteram ἀδελφιδῆν, ambas ejus neptes aut conſanguineas proximas.

Et ut hanc ſtirpem ulteriùs revolvamus, *Salampſio* ejus filia procreavit *Phaſaelo* tres filios, & duas filias, *Antipatrum*, *Herodem*, *Alexandrum*, *Alexandram* & *Cypram*. *Alexandra* data eſt in matrimonio *Cypriotæ*, & mortua eſt ſine prole. *Cypra* nupta eſt *Agrippæ* filio *Ariſtobuli* filii *Mariamnes*. Hic eſt *Herodes* ille, *Actor.* 12. per quem habuit duos filios, *Agrippam* & *Druſum*, & tres filias, *Bernicen*, *Mariamnen* & *Druſillam*, Actor. 18. Tales nuptiæ in familia antiqui *Herodis*, patris *Herodis*, de quo jam loquimur, fuerunt. Jam inſpiciamus nuptias de quibus nobis agendum eſt, inter *Herodem* & *Herodiadem*.

I. *Herodias* fuit neptis tum *Philippi*, tum *Herodis*, tum prioris mariti, tum poſterioris; quia filia fuit *Ariſtobuli* eorum fratris, quem pater interfecerat, uti anteà dictum eſt. *Joſephus* hìc ab Euangeliſta noſtro corrigendus eſt. Nam dicit *Herodiadem* fuiſſe uxorem *Herodis*, *Herodis* Tetrarchæ fratris, verùm non ὁμομήτριον, *Antiquit.* lib. 18. cap. 7. Erat quidem *Herodes* frater *Philippi* ex eadem matre nomine *Cleopatrâ*: verùm hic *Herodes* Tetrarcha (vocatus etiam *Antipas*) filius fuit *Malthaces*.

II. Non illi fas erat ducere fratris ſui uxorem, (quamvis frater mortuus eſſet) quandoquidem ex ea prolem ſuſceperat. Quippe paſſim creditur, *Herodiadis* filiam, cujus ſaltatio *Joannis* necis cauſa fuit, *Philippi* filiam fuiſſe. *Si habitantibus fratribus pariter moriatur primus ex iis cui filius non eſt, tùm levir cum ea congredatur*, Deuter. 25: 5. בן או בת או בן הבן או בת הבן או בת הבת: *Si verò maritus ejus filium aut filiam reliquiſſet, aut filii filium, aut filii filiam, aut filiæ filiam*, (ut *Rabbi Solomo* explicat) tunc fratris uxorem in matrimonium ſibi ſumere illicitum erat. *Levit.* 18: 16. *Nuditatem fratris tuæ ne retegito, eſt fratris nuditas.* Levit. 20: 2. *Quiſquis acceperit uxorem fratris ſui, res exterminanda eſt: nuditatem fratris ſui retexit, ſine liberis ſunto.* In quod *Aben Eſra* hoc notat, *Nullas illegitimas nuptias memoratas vocari* נדה, *aut rem exterminabilem, præterquam fratris cum fratris uxore.* Et hunc unum inter triginta ſex peccatores, qui ſunt exterminandi, annumerant Judæi, הבא על אשת אחיו. *Qui ad fratris ſui uxorem ingreditur*, Beresh. Perek. 1.

LUCÆ CAP. III. VERS. 19.

III. Multo etiam nequius fuit eam ducere, ſuperſtite adhuc fratre ſuo *Philippo*, qui non ante annum viceſimum *Tiberii Cæſaris* mortuus eſt, cùm tamen *Joannes* in vincula conjectus eſt anno decimo ſexto, aut ſub id tempus, *Joſeph. Antiquit.* lib. 18. cap. 6.

IV. Quod verò itidem deterius fuit; uxorem ſuam legitimam filiam *Aretæ* Regis *Arabiæ* abdicavit, quò *Herodiadem* in uxorem ſibi cooptaret, & hoſpitii leges nefariè violavit. Dum enim apud *Philippum* fratrem uti hoſpes & amicus diverſaretur, ab eo uxorem allexit, atque corrupit. *Joſephus* ita rem enarrat. Ἡρώδης ὁ Τετράρχης γαμεῖ τὴν Ἀρέτα θυγατέρα, &c. *Herodes Tetrarcha in uxorem duxit filiam Aretæ, & diu cum ea cohabitavit. Verùm accerſitus Romam in domo fratris ſui Herodis hoſpitabatur.* (Hìc verò *Joſephus* per errorem *Herodem* pro *Philippo* ponit.) *Et amore Herodiadis uxoris ejus*, (quæ fuit filia fratris ſui *Ariſtobuli*, & ſoror *Herodis Agrippæ Majoris*, Actor. 12: 1.) *correptus ei ſpem conjugii fecit, quam avidè amplexa eſt, adeò ut inter ſe mutuò pactum ſit, eam domi reportaturum cùm Romà redierat; & per pacti articulos conventum ſit, ſe filiam Aretæ abdicaturum.* Cui promiſſo ſtetit; unde ortum eſt bellum inter illum & *Aretam*, Ibid. cap. 7.

Quæ alia malè facta erant ab *Herode* diſtinctè dicere non poſſumus, quia vix aliquid de iis in Hiſtoriis traditur. Verùm ex his teterrimis factis, impio ſcilicet conjugio, & cruenta *Joannis Baptiſtæ* nece, conjecturam de ingenio & moribus Tyranni facere licet, cumque non minùs ſcelere

Digitized by Google

LUCÆ CAP. III. VERS. 20.

ſcelere quàm potentiâ ſtrenuum dicere. Huic tamen vir bonus non pepercit, ſed eum pro officio ſuo reprehendit, & acerbioribus perſtrinxit verbis, prout ſcelera ejus poſtulare videbantur. Hunc igitur ſecundum *Eliam, Herodem* & *Herodiadem* redarguentem, cum primo *Elia* idem *Achabo* & *Jezebeli* faciente jure meritò comparamus.

Vers. 20. *Joannem in carcere concluſit.*

Quantumvis audax in ſcelere fuerit, *Joannem* obſervavit, uti narratur ab Euangeliſta, & libenter eum audivit, & audito eo multa fecit, *Marc.* 6: 20. Cùm verò *Joannes* cum eo tam apertè de abominando conjugio egerit, tunc *Herodias* altera *Jezebel* callidè conſequitur, ut *Joannes* non ampliùs de eo, aut de ulla alia re loqui poſſit: ſcilicet efficit, ut caput boni viri amputetur. Quippe imminebat ei, *Marc.* 6: 9. quòd ejus doctrina eò tendebat, ut divortium pateretur: verumtamen hoc crudele par *Joannem* in carcerem conjicere vix audebat, quod in ejus abominandum conjugium invectus ſit; ſed (ut eſt apud *Joſephum*) obtendit *Joannis* popularitatem ſibi & publicæ tranquillitati obſuturam eſſe. Ita res ab eo narratur. *Herodes occidit Joannem nominatum Baptiſtam, qui vir pius fuit, quique Judæos hortatus eſt virtutem colere, & juſtitiâ erga ſe mutuò, & pietate erga Deum uti, & ſibi invicem conjungi per Baptiſmum*, &c. *Cùm igitur multi ad eum converterentur, (quòd verba illius audire ipſis gratiſſimum eſſet) Herodes metuens, ne perſuadendi facultas quam habuit Joannes, motus civiles excitaret, (populus enim quicquid ille conſuleret, ſectaturus erat) è re ſua fore exiſtimabat manus ei injicere, occidereque, prinſquam ſibi inſurgeretur, nec ſeram agere pœnitentiam, cùm ad ſeditionem ipſo facto perventum eſſet. Ita tandem Joannes ob hanc ſuſpicionem arctæ cuſtodiæ in Machæri caſtello mandatus eſt; ubi paulò poſt interfectus*, Antiquit. lib. 18. cap. 7. Ubi etiam narratum invenimus, quòd cùm *Aretas* (pater ejus quam *Herodes* abdicaverat, quò *Herodiadem* in matrimonium ſibi ſumeret) *& Herodes propter hoc aliaque prælium inter ſe commiſiſſent, totus Herodis exercitus ad internecionem deletus eſſet.* Τισὶ δὲ τῶν Ἰουδαίων ἐδόκει ὀλωλέναι τὸν Ἡρώδου στρατὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, καὶ μάλιστα δικαίως τινυμένου κατὰ ποινὴν Ἰωάννου τοῦ ἐπικαλουμένου Βαπτιστοῦ. *Judæorum nonnulli putarunt Herodis aciem à Deo exciſam juſteque punitam fuiſſe ob Joannis Baptiſtæ cædem.*

Itaque hæc Lucerna lucens & ardens lucem dedit, donec Sol Juſtitiæ apparuit, eumque clariori luce obruere cœpit. Prædicaverat & baptizaverat circiter viginti menſes à *Paſcha*, quaſi ad *Novembrem* plus minus anni ſequentis. Tempus etiam incarcerationis erat annus & aliquot menſes ſuprà, nempe à *Novembri*, aut circiter, ad Paſcham inſtar anni elapſi, uti in ſequente narrationis parte fiet manifeſtum.

SECTIO XVI.

JOANNIS CAPUT IV.

I. *Uti ergo cognovit* (a) *Dominus Phariſæos audiſſe ipſum plures Diſcipulos* (b) *facere, & baptizare,*

II. *(Quanquam Jeſus ipſe non baptizabat, ſed Diſcipuli ejus.)*

III. *Reliquit Judæam, & abiit* (c) *rurſùm in Galilæam.*

IV. *Oportebat autem eum tranſire per* (d) *Samariam.*

V. *Venit ergo in urbem Samaritanorum,*

(a) *Dominus.*] Hoc verbo non utitur *Syriaca*, nec *Vulgaris Latina:* ſed verbum *Jeſus* retinent. *Arabica* אלרבאן. Hic titulus *Chriſto* rurſus attribuitur in Hiſtorica narratione, *Cap.* 6: 23. & 11: 2. &c.

(b) Gr. *Facit & baptizat.* Quippe quòd Euangeliſta refert rem nunciatam *Phariſæis* in ipſis nuntiantium verbis. Nempe aliquis venit, & ita dixit, *Jeſum* facere & baptizare plures Diſcipulos quàm *Joannem*.

(c) Comparetur *Caput* 1: 43. & 11: 1.

(d) Ita vocabatur principalis civitas & regio, dum decem Tribus ibi habitaverint. Jam verò nulla omninò erat civitas hujus nominis. Nam *Sichem* erat *Samaritanorum* Metropolis, *Joſeph. Antiquit.* lib. 11. cap. 8. teſtatur. Hîc igitur regio intelligenda eſt.

norum,

Digitized by Google

norum, quæ dicitur (e) *Sichar, juxta prædium quod dedit Jacobus Joſepho filio ſuo.*

VI. *Erat autem ibi fons Jacobi. Jeſus ergo fatigatus ex itinere, ſedit* (f) *ad fontem: hora enim erat quaſi ſexta.*

VII. *Venit mulier Samaritana, ut hauriret aquam. Dicit ei Jeſus, Da mihi potum.*

VIII. *Nam Diſcipuli ejus abierant in urbem, ut cibos emerent.*

IX. *Dicit igitur ei mulier Samaritana, Quomodo tu Judæus cùm ſis, potum à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? (Non enim utuntur Judæi Samaritanis)*

X. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Si noſſes donum illud Dei, & quis ſit ille qui dicit tibi, Da mihi potum, tu petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.*

XI. *Dicit ei mulier, Domine, neque* (g) *quo haurias habes, & puteus profundus eſt: unde ergo habes* (h) *aquam illam vivam?*

XII. *Num tu major es Patre noſtro Jacobo, qui dedit nobis hunc puteum, ex quo ipſe bibit, & filii ejus & ejus pecora?*

XIII. *Reſpondit Jeſus, & dixit ei, Quiſquis bibit ex aqua iſta ſitiet rurſus.*

XIV. *Quiſquis autem biberit ex aqua illa quam ego ei dabo, non ſitiet in æternum: ſed aqua illa quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.*

(e) *Sichar.*] Legitur in quibuſdam Exemplaribus & à quibuſdam Expoſitoribus cum *y* in prima ſyllaba, uti in Textu *Chryſoſtomi*, *Montani*, *Arabicæ*, *Italicæ τῦ Brucioli*, *Chemnitii*, *Grotii*, &c. & quibuſdam cum *i*, uti in *Vulgari Latina*, *Bezæ*, *Deodati*, *Italicæ*, *Hiſpanicæ*, *Gallicæ*, *Germanicæ*, & *Græcorum* aliquot Codicibus, quos hæ ſecutæ ſunt. Utro modo legatur *Sychar*, aut *Sichar*, (ut tales mutationes non novæ ſunt) locus aut urbs eadem fuit cum *Sichemo* tam celebri in Veteri Teſtamento. Quod ex eo manifeſtum eſt, quòd dicitur ibi eſſe *prædium quod Jacobus filio ſuo Joſepho dedit*, quod erat *Sichem*, Geneſ. 33: 18, 19. & 48: 22.

(f) *Ita ſedit*, fatigati geſtu, ſeu eodem modo, quo feſſi ſedere ſolent. *De Dieu* in particula *ita* elegantiam quandam Græci ſermonis, quæ omitti potuit, invenit: *Syriaca* eam penitùs omiſit. Sed videtur eſſe emphatica aliis in locis, 1 *Samuel*. 9: 13. *Samuel venerat ad civitatem hodie; nam convivium fuit populo in excelſo. Simul ac ingreſſi eritis civitatem* כן תמצאון, *invenietis eum* ita *modo civitatem ingreſſum, & ad ſacrificium euntem*, 1 Reg. 2: 7. *Erga filios Barzillai Gileaditæ exerceto benignitatem, nam* ita *ad me venerunt*, id eſt, cum benignitate. *Act.* 7: 8. *Dedit eis Fœdus Circumciſionis, &* ita *Abrahamus genuit Iſaacum*, id eſt, genuit eum in Circumciſione.

(g) Ἄντλημα.] *Camerarius* id vertit per *Plauti ſitulam*, *Beza* per *Auguſtini hauritorium*; דלי Hebraicè, *Iſaj*. 40: 15. *Numer*. 24: 7. כלי ששאבין בו, inquit *Kimchi* in *Michol*, *Vas quo aquam hauriunt*. *Septuaginta* Interpretes in prædicto loco id reddunt per *Cadus*, & in poſteriore ſenſum dant metaphoricum. Solebant ſecum adferre tam ſitulas ad hauriendum, quàm vaſa hauſtæ aquæ capacia, niſi eadem vaſa & hauriendo & capiendo aquam apta eſſent, cùm demitterentur in puteum per funem.

(h) Aqua jugiter effluens vocari ſolebat ab Hebræis *aqua viva*, Geneſ. 26: 19. *Effodientes Iſaaci ſervi in valle, invenerunt ibi puteum viventis aquæ.* In *Chaldaica* Verſione eſt מין נבעין, *Aqua ebulliens.* Nam fontis ebullitio ſimilis eſt vivo cordis pulſui. Et hinc fuit, quòd hæc mulier mentem *Chriſti* non benè caperet.

Locutus eſt de vivis gratiæ aquis quæ in eo qui illarum fit particeps ebulliunt ad vitam æternam. Sed illa pro more patrii ſermonis ſuppoſuit eum de aquis fontalibus locutum. Ita *Nicodemus* ſimilem locutionem haud rectè interpretatus eſt in priore Capite. מים חיים, aut *aquæ vivæ* in oppoſitione ad מקוה מים, *aquas collectas*, ut *Rambam* teſtatur, cùm dicit, כל המימות כשרים לקידוש בין מיים חיים בין מי מקוה: *Qualeſcunque aquæ*, inquit ille, *purificando Sacerdotis manus & pedes, an vivæ ſint, id eſt, jugiter ebullientes, aut collectæ*, in *Beth Hammikdash*, *Perek*. 5. Per *aquas collectas* intelligit ſtagna aut ciſternas aquæ pluviæ, aut cujuſcunque aquæ non profluentis. Latini etiam aquam ebullientem eodem modo quo Hebræi exprimunt, ut videre eſt in Poëta, *Donec me flumine vivo Abluero.* Virg. Æneid. 2.

XV. *Di-*

XV. *Dicit ei mulier, Domine, da mihi aquam iſtam, ut non ſitiam, neque veniam huc ad hauriendum.*

XVI. *Dicit ei Jeſus, Vade, voca virum tuum, & veni huc.*

XVII. *Reſpondit mulier, & dixit, Non habeo virum. Dicit ei Jeſus, Benè dixiſti, non habeo virum.*

XVIII. *Quinque enim viros habuiſti; & nunc quem habes non eſt tuus vir: hoc verè dixiſti.*

XIX. *Dicit ei mulier, Domine, video te Prophetam eſſe.*

XX. *Patres noſtri in hoc monte adorarunt, & vos dicitis Hieroſolymis eſſe locum illum ubi oportet adorare.*

XXI. *Dicit ei Jeſus, Mulier, crede mihi, venit tempus, quando neque in monte hoc, neque Hieroſolymis adorabitis Patrem.*

XXII. *Vos adoratis quod neſcitis: nos adoramus quod ſcimus, quia ſalus ex Judæis eſt.*

XXIII. *Sed venit tempus, & nunc eſt, quum veri adoratores adorabunt Patrem ſpiritu & veritate. Etenim Pater tales quærit qui ipſum adorent.*

XXIV. *Deus eſt Spiritus, & qui adorant eum, oportet ut ſpiritu & veritate adorent.*

XXV. *Dicit ei mulier, Scio Meſſiam venturum,* (i) *qui dicitur Chriſtus: quum venerit ille, nobis annunciabit omnia.*

XXVI. *Dicit ei Jeſus, Ego is ſum qui loquor tibi.*

XXVII. *Intereà verò venerunt ejus Diſcipuli, & mirati ſunt, quid* (k) *cum muliere loqueretur: nemo tamen dixit, Quid quæris? aut Quid loqueris cum ea?*

(i) Hæc ſunt verba Euangeliſtæ verbum *Meſſias* lectori interpretantis, non autem verba mulieris ejus ſenſum *Chriſto* aperientis. *Syriacus* Tralator hæc verba tanquam non neceſſaria *Syriacè* legenti omiſit.

(k) Μετὰ γυναικὸς.] Diverſæ conſtructiones verbi prædicti & cum articulo, & ſine eo, cauſam diverſarum conjecturarum dedêre de verbis, *Mirati ſunt quòd cum muliere loqueretur*. Quidam ſine articulo legentes, ita interpretantur: Mirati ſunt quòd loqueretur cum muliere, tanquam inepta & inhabili ad concipiendum ſerium illius & divinum ſermonem. Alii verò eorum admirationem ex eo proceſſiſſe autumant, quòd ſermonem cum muliere ignotâ, eâque ſolâ & ſine arbitris, haberet. Et qui hujuſce ſunt ſententiæ in ea confirmantur, quia non magis mirandum fuit quòd cum muliere *Samaritana* loqueretur, quàm quòd in urbem *Samaritanam* ad emendum cibum ingrederetur. Cur enim ille non minùs cum muliere colloquium iniret, quàm illi cum mulieribus & viris, à quibus cibum empturi erant, ſi in hoc rei cardo verteretur, quòd mulier eſſet *Samaritana?* Verùm non ita fuit. Licuit enim Judæis ab iis cibum emere, aut iis cibum vendere; quibus familiariter uti religio erat. אין נשאין ונותנין עם המוחרם ואין מתעסקין עמו אלא מעט עסק כדי פרנסתו. Quippe *nefas erat, ſi commercium aut converſationem cum excommunicato* (qualis *Samaritanus* habendus erat à *Judæo*) *uterentur, præterquam ad parandum cibum,* Maimonides in *Talmud Thorah*, Perek. 7. Atque igitur quamvis articulus in Græcis Codicibus non exprimatur, intelligendus tamen eſt; quia nimirum ideò Diſcipuli mirati ſunt quòd ſermonem cum muliere *Samaritana* haberet, quod & ipſi fœminæ mirum fuit, *verſ.* 9.

XXVIII. *Reliquit ergo mulier hydriam ſuam, & abiit in urbem, dixitque ejus hominibus,*

XXIX. *Venite, videte hominem qui dixit mihi quæcunque feci. Num iſte eſt Chriſtus ille?*

XXX. *Exierunt ergo ex urbe, & venerunt ad eum.*

XXXI. *Interim autem rogabant Diſcipuli, dicentes, Rabbi ede.*

XXXII. *Ille autem dixit is, Ego cibum habeo quendam, quem vos non noſtis.*

XXXIII. *Dicebant ergo Diſcipuli alii ad alios, Num quis attulit ei quod ederet?*

XXXIV. *Dicit eis Jeſus, Eſca mea eſt exequi voluntatem ejus qui miſit me, & conſummare ipſius opus.*

XXXV. *Nonne vos dicitis, Adhuc quadrimeſtre* ſpatium *ſupereſt, & meſſis erit? Ego dico vobis, attollite oculos veſtros, & ſpectate regiones, nam albæ jam ſunt ad meſſem.*

XXXVI. *Qui autem metit, mercedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: ut & qui ſeminat ſimul gaudeat, & qui metit.*

XXXVII. *Nam in hoc dictum illud verum, Alius eſt qui ſeminat, & alius qui metit.*

XXXVIII. *Ego miſi vos ad* id *metendum in quo vos non laboraſtis: alii laboraverunt, & vos in labores eorum introiſtis.*

XXXIX. *Ex urbe autem illa multi Samaritanorum crediderunt in eum propter ſermonem mulieris illius teſtantis,* ac dicentis, *Certè dixit mihi omnia quæ feci.*

XL. *Cùm ergo veniſſent ad eum Samaritani, rogarunt eum ut apud ipſos maneret: & manſit ibi duos dies.*

XLI. *Ac multo plures crediderunt propter ſermonem ipſius.*

XLII. *Et illi mulieri dicebant, Non amplius propter ſermones tuos credimus: ipſi enim audivimus, & ſcimus hunc eſſe vere Servatorem illum mundi, Chriſtum.*

XLIII. *Duobus autem poſt diebus exiit inde, & abiit in Galilæam.*

XLIV. *Ipſe enim Jeſus teſtatus fuerat, Prophetam in ſua patria honorem non habere.*

XLV. *Quum ergo veniſſet in Galilæam, exceperunt eum Galilæi, quum omnia vidiſſent quæ fecerat Hieroſolymis in feſto: nam & ipſi venerant ad feſtum.*

XLVI. *Venit igitur Jeſus rurſum Cana* oppidum *Galilææ, ubi fecerat ex aqua vinum. Erat autem in* urbe *Capernaumo Regius quidam, cujus filius infirmus erat.*

XLVII. *Is quum audiſſet Jeſum veniſſe ex Judæa in Galilæam, abiit ad eum, & eum rogavit ut deſcenderet ac ſanaret ſuum filium: erat enim moribundus.*

XLVIII. *Dixit ergo Jeſus ei, Niſi ſigna & prodigia videritis, non credetis.*

XLIX. *Dicit ei Regius ille, Domine, deſcende priuſquam moriatur puerulus meus.*

L. *Dicit ei Jeſus, Vade, filius tuus vivit. Credidit homo ſermoni quem dixerat ei Jeſus; & profectus eſt.*

LI. *Jam autem eo deſcendente, ſervi occurrerunt ei, & annunciaverunt, dicentes, Filius tuus vivit.*

LII. *Percontatus eſt ergo ab iis horam quâ meliùs habuerat: & dixerunt ei, Heri* circiter *horam ſeptimam dimiſit eum febris.*

LIII. *Agnovit ergo pater* id factum eſſe *illâ ipſâ horâ quâ dixerat ei Jeſus, Filius tuus vivit: & credidit ipſe, ac domus ejus tota.*

Ordinis Ratio.

QUod ad certum attinet narrationis hujus de *Chriſto* & muliere *Samaritide* tempus, locum atque ordinem, nonnihil certè difficultatis latet, nec minor opinionum diverſitas. Nam licèt in dubium nemo hoc vocet, utrùm naturaliter & ſatis aptè tertii Capitis narrationi ſuccedat, nonnulli tamen ſunt, qui utrùm hic Salvatoris noſtri in *Galilæam* tranſitus, *Joannis* incarcerationem præcedat, necne, in ambiguo id eſſe ſtatuunt. Hi nempe narrationem hanc præceſſiſſe potiùs opinantur, nec eundem hunc tranſitum cum illo putant, *Math.* 4: 12. *Marc.*

Digitized by Google

Marc. 1: 14. (ubi dicitur quòd *quum audiſſet Jeſus Joannem traditum eſſe in cuſtodiam, rediit in Galilæam*) ſed quòd & eo ſimul & *Joannis* incarceratione ſit prior. *Ammonius* inter Veteres hujus opinionis fuiſſe videtur, ut &, nè plures recolam, inter Modernos *Grotius*. Verùm *Auguſtinus*, *Janſenius*, *à Lapide*, *Chemnitius*, aliique non pauci & hanc narrationem & hunc tranſitum poſt *Joannis* incarcerationem locant, idque immediatè, (uno apud Veteres *Tatiano* excepto, qui longo poſt tempore illum ſtatuit) atque proinde hunc in *Galilæam* tranſitum, atque illum *Matth.* 4: 12. unum eundemque ſine ullâ hæſitatione pronunciant. Et profectò ſi quis ad hanc narrationem, illiuſque tempus diligentiùs paulò attendat, non tantùm liquidò conſtabit, quòd hic in *Galilæam* tranſitus ſit unus idemque cum illo à *Matthæo* & *Marco* in locis prædictis memorato, verùm etiam indè non parva orietur illius Hiſtoriæ illuſtratio, & occaſio pariter ac progreſſus iſtius tranſitûs manifeſtiùs patebit.

Nam I. quum hi duo Euangeliſtæ hunc *Chriſti* in *Galilæam* tranſitum *Joannis* incarcerationi ὁμόχρονον, contemporaneum, immediatè poſt tentationis ejus recitationem ponant, *Joannes* cujuſdam itineris inter illius tentationem & *Joannis* incarcerationem facti in illas partes meminit, & quòd inibi *Chriſtus* certo fuerit tempore commoratus. Jam ſi alium ab hoc tranſitum in *Galilæam* fingamus, eumque anni ſpatio poſt priorem, idque etiam priuſquam *Joannes* in cuſtodiam ſit traditus, tantis difficultatibus locus ille *Matthæi Marcique* conſtringatur neceſſe eſt, ut non ſine multo labore extricari, ſi ullo unquam poterit. II. Si hic apud *Joannem* tranſitus, atque is apud illos non ſit idem, uterque verò poſt *Joannis* vincula ponatur; quodnam tempus, aut quem locum poſſibile erit huic duorum Euangeliſtarum narrationi aſſignare? Supponatur ex nonnullorum placitis, *Joannem* adhuc liberum nec ſub cuſtodia fuiſſe, cùm *Jeſus* hoc iter in *Galilæam* ſuſceperit. Eſto: jam hoc Caput illum in *Galilæam* perducit, & uſque ad *Jeruſalem* proximum reducit: quod cùm res ita ſe habeant, quando, ubi & quomodo *Joannis* incarcerationem poſt hæc inſeremus? Verum eſt, illos eſſe, qui locum, in quem eam intrudant, invenerunt: ſed in hac diſputatione nos haud ampliùs immorabimur; hæc tantùm præſens Sectio, & quæ uſque ad Paſcha proximum ſubſequitur, diligenter perpendatur, & nullus dubito, quin ex ipſo contextu hunc, quem aſſignamus, rerum ordinem luculenter ſatis demonſtrabunt.

II. *Joannis* quidem verba, quæ cauſam adventûs *Chriſti* in *Galilæam* referunt, ſi comparentur ad illa *Matthæi* & *Marci*, idem uno ore prædicant, licèt in terminis & phraſiologia nonnihil differant. Illi duo Euangeliſtæ dicunt, unus quidem, quòd *poſtquam Joannes traditus fuit in cuſtodiam*; alter, quòd *quum audiſſet Jeſus Joannem traditum eſſe in cuſtodiam, venit in Galilæam.* Et quid quæſo hæc *Joannis* verba, *Ut ergo cognovit Dominus Phariſæos audiſſe, &c. abiit in Galilæam*, præ ſe ferant, niſi eandem occaſionem? Nam quid illud rei, licèt *Phariſæi* de multitudine Diſcipulorum *Chriſti* quantumvis inaudirent? Proculdubio hoc erat, quoniam audivit, *Joannem* ob Diſcipulorum ſuorum multitudinem multa perpeſſum & in cuſtodiam traditum; ac proinde ſibi etiam periculum imminere, ſi in *Judæa* permaneat, ne Phariſæi ob idem negotium contra illum anſam arripiant. Perpendatur inſuper & hoc, quam ob cauſam *Joannes* & Diſcipulorum ejus multitudo hìc loci memorentur, niſi quòd affinitatem quandam cum hâc narratione habeant & ad eam quodammodo ſpectent.

His itaque diligenter & ſimul conſideratis, narrationis ordo & textura, ſicut de iis determinavimus, naturaliter genuina apparent.

Unicus tantùm de iis ſcrupulus reſtat & objectio, nempe, cur *Chriſtus* in *Galilæam* iret, in ipſas *Herodis* fauces, nam ibi plerumque commorabatur. Si *Herodes Joannem* nuper in carcerem injecerat, hoc eſſet *Charybdin* vitandi ſtudio in *Scyllam* incidere, imò incerto periculo, *Phariſæis*, qui nunquam *Joanni* erant injurii, præferre certum periculum, *Herodem* ſcilicet, qui nuper illum cuſtodiæ tradiderat. Sed hoc modo reponimus: *Herodis* cum *Baptiſta* controverſia, non ob doctrinam ejus tantum fuit, quantum privata quædam contentio circa *Herodiada*, & ſicut anteà memoravimus, ob rerum innovandarum metum. Dicitur enim *Herodem* libenter *Joannem* audiſſe, & ex ejus doctrina multa feciſſe, *Marc.* 6: 20. Undè conſtat nullum fuiſſe periculum, Euangelium etiam coram *Herode* prædicare, niſi res *Herodiadis* immiſceatur, & multiplicentur Diſcipuli. Et quid in his

JOANN. CAP. IV. Salvator noſter faceret, divina ejus prudentia tutore non indiguit ut informaretur. Et quòd ad id ſpectat, nè rerum innovandarum ſuſpectus haberetur, ſicut *Joannes*, ob Diſcipulorum multitudinem, eò quòd locum ſubinde mutaret, ac Diſcipulos variè diſpergeret; eorum numerus minùs erat notabilis, quum *Joannis* perpetua in uno loco mora omnes ejus Diſcipulos ad eum traheret, ac proinde eorum multitudo ſpectabilior erat. Sed quum Salvatori noſtro viſum fuerit, congregat & ille Diſcipulos ſuos, & numeroſo ſtipatur ſatellitio, fruſtrà licèt *Herodes* vulpecula ringat & fremat, machinetur & laboret.

Harmonia & Explicatio.

HIſtoriæ in prima parte hujus Sectionis materia eſt prima omnium converſio in eos facta, qui ab Eccleſia *Iſraëlis* erant alieni, ex *Chriſti* prædicatione ad Euangelium. Et in hac narratiuncula illud Prophetæ *Hoſeæ* videtur etiam literaliter adimpletum fuiſſe, *Cap.* 2: 15. *Dabo ei vallem Achor ad aperiendam ſpem.* Nam utcunque Tabulæ Geographicæ *Canaanitidis* vallem *Achor* & *Sichem* à ſe invicem longè utplurimùm diſtare faciunt, ſi tamen obſervetur in *Joſue* 7. & 8. quàm non procul à montibus Benedictionis & Maledictionis (quorum unus erat *Gerizim*, qui contra *Sichem* jacebat) *Achanis* fuerit lapidatio, ut ex Textûs conſequentia patet, & quomodò *Joſephus* loquitur de magna propè *Samariam* valle, *Antiquit.* lib. 20. cap. 5. non improbabile videbitur vallem *Achor* intercurrere inter *Gerizim* & *Ebal* juxta urbem *Sichem*. Et cùm Salvator noſter primùm incipit alienigenis prædicare & eos convertere, fit illud in hac ipſa valle, ac proindè facit illam *januam ſpei* converſionis Gentium; cùm fuiſſet janua deſperationis & offendiculi *Iſraëli* in eorum primo in terram ingreſſu.

Stylus hujus Sectionis & tenor, quatenus *Chriſti* inter *Samaritanos* moram refert, tantoperè cum tenore Prophetiæ *Hoſeæ* concordat, quaſi ad eam ſolummodò reſpiceret: & Salvator noſter hîc loci mulieri adulteræ multa aperit, quæ parabolicus ille mulieris adulteræ maritus ibi fuerat locutus. Inter alios conferantur hi loci.

Hozea	*Joannes.*
Cap. 1: 2. / *Cap.* 3: 1.	*Cap.* 4: 18.
Cap. 2: 21, 22, 23.	*Verſ.* 35, 36, 37.
Cap. 3: 4.	*Verſ.* 21.
Cap. 3: 5.	*Verſ.* 10.
Cap. 13. 15.	*Verſ.* 14.

JOANN. CAP. IV. VERS. 4.

Hic ipſe locus *Sichem* fuit is locus, ubi primi ingreſſi ſunt Proſelyti qui unquam Eccleſiam *Iſraëlis* intrarunt, *Geneſ.* 34: 29. & 35: 2. Et in hac narratione primus eſt locus, ubi facti ſunt Proſelyti ſub Euangelio.

VERS. 4. *Oportebat autem eum tranſire per Samariam.*

Ἔθος ἦν τοῖς Γαλιλαίοις, (inquit *Joſephus*,) ἐν ταῖς ἑορταῖς εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν παραγινομένοις ὁδεύειν διὰ τῆς Σαμαρέων χώρας. *Mos erat Galileis in feſtis ad urbem ſanctam adventantibus tranſire per Samaritanorum regionem*, Antiquit. lib. 20. cap. 5. *Et qui expeditiùs velit illuc ire, illac eat neceſſe eſt; & iter eſt trium dierum hâc viâ à Galilæa ad Jeruſalem*, Idem in Vita ſua. *Joſephus* hîc manum nobis commodat ad intelligendum verbum *Samaria* in hac narratione, nempe pro Σαμαρέων χώρᾳ, *Samaritanorum regione*, non autem pro urbe iſtius nominis, nam illo tempore urbs *Samaria* dicta extabat nulla; tunc enim *Samaritanorum* Metropolis erat *Sichem*, uti idem *Joſephus* teſtatur *Antiquit.* lib. 11. cap. 8. Hæc *Samaritanorum* regio inter *Judæam* & *Galilæam* jacebat, & qui ab hac ad illam tranſire vellet, oportebat eum tranſire per eam, (Vide *Luc.* 9: 51, 52.) licèt tantum fuerit inter *Judæos* & *Samaritanos* odium, uti mox videbimus. Hæc via valdè periculoſa, & penitùs impertranſibilis tandem evaſit, vel ob odium illud antè dictum, vel ob furum & latronum multitudinem, quâ univerſa *Canaanis* terra juxta tempus excidii *Hieroſolymæ* ſcatebat, [infeſtabatur] vel ob metum *Romanorum* militum, qui per vias graſſabantur. Nam ita *Maimonides* in *Kidduſh Hodeſh* teſtatur, ubi dum loquitur de nuntiis per terram emitti ſolitis, ut palàm facerent ordinationes Neomeniarum, declarat quo ſpatio ad tales locos percurrant, niſi foret חירום בדרך, *bellum & rapina in via*, כדרך שהיה בין יהודה לגליל בימי חכמי משנה, ſicut fuerat, *in via inter Judæam & Galilæam in diebus Sapientum*, Mishne, Perek. 5.

VERS.

Digitized by Google

JOANN. CAP. IV. VERS. 5.

Vers. 5. *Urbem Samariæ quæ dicitur Sichar, juxta prædium, &c.*

Hiſtoria de prædio, quod dedit *Jacob Joſepho* filio ſuo, extat *Geneſ.* 33: 19. & 48: 22. ſed nonnulla occurrit differentia inter hoc nomen hîc loci uſurpatum, & illud ibi memoratum; & ibi differentia quædam eſt inter unum locum & alterum. Ibi locus dicitur *Sichem*, hîc *Sichar*: ibi in uno loco dicitur, quòd *Jacob* illum emerat; in altero, quòd illum acquiſierat in gladio & arcu ſuo. *Sichem* eſt dictio ejuſdem ferè conſtructionis cum *Netſer* in *Iſaj.* 11: 1. & *Matth.* 2: 23. Nam ſicut illud ſignificat tam virgam *Chriſtum*, quàm oppidum *Nazareth*, ubi egrederetur; ſic & hoc tum prædium ipſum, tum etiam locum, vel ſitum ejus ſignificat. *Do tibi*, inquit *Jacob* ad *Joſephum*, שכם אחד, *Shechem echad*, id eſt *partem unam*, (extra fratres tuos) ſicut *Paraphraſtes Chaldæus*, aliique Judæi interpretantur: & illam partem, locum, aut portionem, *Sechem* LXX. reddunt. Hujus urbis fit mentio *Geneſ.* 34. & multis aliis Scripturæ locis. Et utrùm nomen ſortita fuerit à *Sichemo* filio *Hamoris*, qui *Dinam* rapuit, necne, nec multùm intereſt, nec prodeſt indagare. Hoc certò conſtat, illud ſibi nomen per totam Scripturam, unico hoc loco excepto, firmiter retinere. Nam quòd *Sichar* in hoc verſu ſit idem locus cum *Sichem*, illa circumſtantia, quòd fuerit *juxta prædium quod dedit Jacob Joſepho filio ſuo*, indubitatum reddit. Omnium ferè hæc eſt generalis cenſura, tam Interpretum, qui de hoc capite tractant, quàm eorum qui vel in tranſitu & aliud agendo de verbo illo mentionem faciunt, quòd malè & corruptè ſcribatur, cùm ſcribendum & legendum eſſet *Sichem*. Sed I. eò quòd hoc ab illis aſſeritur, abundè patet, generaliter omnia Exemplaria *Sichar* retinere; & an omnia, quæſo, corrupta ſunt habenda? II. Conjectu facile non eſt, quomodo ſcriba aliquis aut tam malè ſcribat aut legat, ut χὰρ in locum τῦ χὲμ inſerat, quùm tamen nulla apud Græcos ſit inter has literas affinitas. Imò III. quivis ſcriba, qui ſcripturæ non prorſus fuerit ignarus, non tam proclivis eſſet ad errandum, cùm tam frequens in Bibliis ſit mentio τῦ *Sichem*, τῦ verò *Sichar* nè γρῦ quidem. Quarè mihi extra omnem dubitandi aleam poſitum eſt, hoc verbum in noſtris Exemplaribus accuratè & ad literam ſcriptum ac lectum, ſicut ab ipſo Euangeliſta ſcriptum erat. Et facilè concipi poteſt illum eo modo tùm ſcripſiſſe, quo apud *Judæos* aliquando (forſitan vulgariter) prolatum fuerit. Odium ſanè inter *Judæos* ac *Samaritanos* graviſſimum intercedebat, uti infrà patebit; ac proindè mirum non eſt ſi Judæi hoc impropriè uterentur in *Samaritanorum* Metropolim, eam *Sichar* pro *Sichem* nominando. Populus regni *Samariæ* vocantur *Ebrii Ephraim*, Iſaj. 28: 1. *Væ coronæ ſuperbiæ, Ebriis Ephraim*, &c. Jamque hoc verbum *Sichar* ebrietatem innuit & ſignificat. Et certè non difficulter hinc concipi poteſt, quòd cùm tantoperè *Judæi Samaritanos* abominarentur, verbum hoc *Sichem* in ebrioſum illud τῦ *Sichar* fingerent, & *Samaritanorum* Metropolim contemptim ita nominarent, ex æmulatione & inſito erga illos odio concepto. Hoc modo *Beelzebub* vocabant *Beelzebul*, hoc eſt, *Deum ſterquilinii*, in majorem idoli ignominiam. Atque ita Spiritus Sanctus *Achan* vocat *Achar*, 1 *Paral.* 2: 7. ut ei exprobret quòd *Iſraëlem turbaſſet*, Joſ. 7. Comparetur mutatio τῦ *Sichem* in *Sichar* cum mutatione τῦ *Achan* in *Achar*, & probabile videbitur hoc etiam ex propoſito factum fuiſſe, & ſine tranſcribentium errore, ſicut & illud.

Nunc quòd ad differentiam ſpectat inter duo *Moſis* Textus de hoc prædio loquentes, quòd *Jacobi* fuerit; uno eorum referente, quòd *emptum erat ab Hivita centum* nummis vel *agnis*; altero quòd *ablatum erat de manu Amorrhæi in gladio & arcu*: hæc quidem diſcrepantia optimè ſanatur, ſi duos hos locos literaliter & in ſenſu, quem præ ſe ferunt, ſumpſeris, utrumque verò de diverſis temporibus intellexeris. Cùm primò *Jacob* ex *Padan-Aram* in *Sichem* veniebat, hoc prædium de Hivita emit; ſive *pecuniâ*, ſive *agnis*, non eſt hujus loci diſputare. Sed poſt *Sichemitarum* internecionem, diu longèque diſtabat ab eo loco, nec ullum ejus fructum habuit, cùm neque tutum illi eſſet ampliùs ibidem permanere, eò quòd filii ejus odioſum illum fecerant incolis terræ, & Deus prætereà illum in alias partes avocaſſet. Jam quò ceſſit prædium ejus & urbs etiam *Sichem* incolis ſuis deſolata, durante hâc *Jacobi* abſentiâ? Proculdubio magis genuinum erit & probabile opinari, nonnullos ex terræ incolis uſurpaſſe, & ſibi illos locos vendicaſſe, adeò ut *Jacob* cogeretur illos iterum

JOANN. CAP. IV. VERS. 5.

Digitized by Google

JOANN. CAP. IV. VERS. 6, 9.

rum armis ſibi aſſeruiſſe, quàm in animum inducere, *Jacobum Sichemitarum* occiſionem à filiis factam pro ſuo facinore agnoviſſe; vel hoc prædium & *Jacobi* gladium & arcum allegoricè cum nonnullis interpretari. Vide *Targ. Onkel.* & *Hieroſolymitanum.*

Vers. 6. *Erat autem ibi fons Jacob*, &c.

Fontis hujus ſit mentio *Geneſ.* 49: 22. ubi *Jacob* prædicit *Joſephum* valde accreturum juxta hunc fontem, vel hunc locum *Sichem:* ſicut etiam evenit *Joſ.* 24: 1. 1 *Reg.* 12: 1. &c. *Joſephus eſt ramus accreſcens*, ſive filius fœcunditatis, *juxta fontem.* Quæ verba non ſolùm figuratè ſunt accipienda, quatenus *Joſephum* ob fœcunditatem arbori juxta fontem plantatæ aſſimilent, ſed etiam verè & literaliter ſunt intelligenda pro ipſo loco ubi hic fons erat, & Tribus *Joſephi* ſedem ſuam habuit, & vel ad culmen regiæ dignitatis accrevit. Non modò *Samaritanorum* traditio fuit, hunc fontem *Jacobi* tempore extitiſſe, deque illo familiam ejus potaſſe; verùm pro certo fuit habendum, ſicut ab Euangeliſta aſſeritur, & uterque Textûs authoritate idem affirmat. Conferatur hæc narratio de *Chriſto* unà cum muliere *Samaritide* apud fontem *Sichar*, cum illa de *Abrahami* ſervo apud puteum *Haran*, *Geneſ.* 24. de *Jacobo* apud eundem, *Geneſ.* 29. & de *Moſe* apud puteum in *Midianitide*, Exod. 2.

Vers. 9. *Non enim utuntur Judæi Samaritanis.*

Hæc ſunt verba Euangeliſtæ, non verò mulieris *Samaritidis*; ſupervacuum enim eſſet illa Salvatori noſtro notum facere quàm malè conveniret inter *Judæos* & *Samaritanos*, quum hoc utrique Genti ſatis conſtaret: ſed neceſſe omnino erat, ut id nobis Euangeliſta referret, ut meliùs intelligatur hæc mulieris quæſtio, *Quomodò tu, Judæus quum ſis, potum à me poſcis, quæ ſum Samaritana?* tum etiam ut ingens illud opus à Salvatore noſtro in tot *Samaritanorum* converſione factum tantò magnificentiùs exhiberetur, quantò pertinaciùs inter utramque Gentem flagrabat odium. Et hæc quidem inter eos ſuſcepta rixa & diſcordia à variis cauſis ortum & incrementum habuit.

I. Perpetua quædam inter incolas *Judææ* & *Samariæ* animoſitas arſerat, etiam tùm cùm utrique ex *Iſraëlis* erant ſemine oriundi, à tempore ſeceſſionis decem Tribuum ſub *Jeroboamo*, uſque ad eorum Captivitatem ſub *Shalmanezer*, ſicut pleniùs memoratur in libris *Regum* & *Chronicorum.*

JOANN. CAP. IV. VERS. 9.

II. Quum decem Tribus ex terra ſua captivæ ducerentur, Rex *Aſſyriæ* in *Samariam* miſit coloniam ex variis Gentibus, quæ diverſos cultus agnoſcerent, 2 *Reg.* 17: 24. &c. & ad eos nonnullos de Sacerdotibus decem Tribuum ad inſtruendum eos in cultu ejus loci miſit, 2 *Reg.* 17: 28. *Joſeph. Antiquit.* lib. 9. cap. 14. ac proinde lapſa eſt illa regio in confuſam quandam religionis farraginem, in aliquibus *Judaicam* referentem, ſed in plurimis valdè nimis Ethnicam. Et populus iſtius terræ nunc amicitiam cum *Judæis* colebant, nunc inimicitias exercebant; nonnunquam affinitatem cum iis vendicantes, cùm res eorum proſperas viderent, ſe à *Joſepho* ortos ſimulantes; aliquando verò cùm adverſis oppreſſos cernerent, aut calamitate quâvis implicatos, odio illos & contemptu proſequentes, *Joſeph. Antiquit.* lib. 9. cap. 14. & lib. 12. cap. 7.

III. Cùm Tribus *Judæ* & *Benjamin* ad ultimum redactæ fuerunt fortunæ refluxum, & ex terra ſua in *Babel* abductæ, tunc hi *Samaritani* radices egerunt altas, & inſolentiam contra illos ceperunt, cùm in terram ſuam denuò ex poſtliminio redirent. Hi ſunt qui præcipuè Templi extructioni ſe opponebant, *Eſra* 4. dicti *Adverſarii Judæ & Benjamin*, verſ. 1. & *Populi terræ*, verſ. 4. qui tamen Deum inquirere præ ſe ferebant, & æquè ac Judæi ſacrificaſſe, *verſ.* 2. &c.

Hìc ergo ſimultas & odium mutuò recrudeſcere cœpit; & ſicut *Samaritani* in *Judæos* acerbè ſe gerebant, ita *Judæi* quantum in illis fuit, *Samaritanis* haudquaquam mitiores extiterunt. Nam ſi propriis ipſorum Authoribus fidem habeamus, ,, *Ezra*, *Zorobabel*, & *Joſua* ,, convocarunt omnem Congregationem ,, in Templum, & introduxerunt tercen- ,, tum Sacerdotes, & tercentum Legis li- ,, bros, & tercentum infantes, & tubas ,, inflarunt, & Levitæ cantabant, & ana- ,, thematizabant & execrabantur & ſepa- ,, rabant *Samaritanos* per ſecretum Dei ,, nomen & per glorioſam Tabularum ,, ſcriptionem, & per execrationem ſupe- ,, rioris ac inferioris Domûs Judicii, ut ,, nemo Iſraëlita de re ulla, quæ ad *Sa-* ,, *maritanum* pertineret, ederet; nam qui ,, id fecerit, perinde facit, ac ſi carnem ,, ſuillam ederet. Nec ut ullus *Samarita-*

,, *nus*

JOANN. CAP. IV. VERS. 6.

„ *mu* ad Iſraëlem Proſelytus fiat, nec „ partem ullam habeat in Reſurrectio- „ ne, ſicut dictum eſt, Quid veſtrâ „ refert nobiſcum ædificare Domum „ Domini Dei noſtri? Nec habetis ul- „ lam partem, aut jus, aut memoriale in „ Jeruſalem. Et deſcribebant execratio- „ nem hanc, & mittebant toti *Iſraëli* „ apud Babel exiſtente; & addebant in- „ ſuper execrationem aliam ſuper aliam, „ & Rex fixit in eos execrationem ſempi- „ ternam, ſicut dictum eſt, Et Deus, „ qui fecit nomen ſuum ibi habitare, de- „ ſtruat omnes Reges ac populos qui ma- „ nus apponent ad illud alterandum. Hæc *R. Tanchuma*, fol. 17.

IV. Hactenùs *Samaritani* poſt decem Tribuum Captivitatem Ethnici fuerunt, nec ulli inter eos *Judæi*, niſi unus aut alter Sacerdos, qui doceat illos Legem juxta morem decem Tribubus uſitatum; & uti videtur ex *Aben Ezra* in *Eſthera* 1. habebant inter ſe librum Legis Moſaïcæ, ſed illam tam barbarâ tranſlatione, ut primus ejus verſus ita legeretur: *In principio Aſhima creavit cœlum ac terram*, (quid ſibi velit *Aſhima* videtis 2. *Reg*. 17: 30.) Sed à temporibus *Eſræ* ac *Nehemiæ* cœperunt cum iis quamplurimi *Judæorum* commiſceri & *Samaritani* fieri. Cujus rei fuit hæc præcipua occaſio. Unus ex filiis *Jehojadæ* filii *Eliaſhib* Summi Sacerdotis duxit filiam *Sanballati* Horonitæ, viri inter *Samaritanos* præcipui: quam ob cauſam pellebatur à Sacerdotio per *Nehemiam, Nehem*. 13: 28. *Joſephus* & virum & fœminam nominatim indigitat, & in hunc modum plenam enarrat Hiſtoriam. „ Manaſſes, *inquit*, frater *Jadduæ* Sum- „ mi Pontificis duxerat *Nicaſſo Sanballa-* „ *ti* filiam. Quod ægrè ferentes *Judæo-* „ *rum* Seniores, utpote legum eorum „ violationem, & nuptiarum cum Allo- „ phytis introductionem, poſtulabant ut „ vel ille divortium ab uxore pateretur, „ vel ab ipſo Sacerdotio. Imò ipſe *Jad-* „ *duas* frater pellebat eum ab altari, ut „ ne ſacrificaret. Quamobrem *Manaſſes* „ ſocero *Sanballato* ſe applicans, ait, ve- „ rum quidem eſſe, ſe ardentiſſimè fi- „ liam ipſius amare, ſed illius gratiâ offi- „ cio ſuo privari nolle, nempe ſibi ſuc- „ ceſſione hæreditario & apud populares „ ſuos valdè honorifico. Ad hæc *San-* „ *ballatus*, ſe quidem illam ei viam ex- „ quirere, quâ non ſolùm Sacerdotium „ etiamnum ſibi retineret, verùm etiam „ Supremum Sacerdotii Ordinem aſcen- „ deret, fieretque Primas & Metropoli- „ tanus totius Gentis, modò adhuc filiam „ ejus ſecum haberet, nec nuntium ei „ mitteret: ſe enim in monte *Gerizim* „ ſuper *Sichem* Templum velle ædificare, „ Templo *Hieroſolymitano* non diſſimile, „ idque ex *Darii* conſenſu, qui nunc re- „ rum apud *Perſas* potiebatur. *Manaſ-* „ *ſes* hac ſpe & his promiſſis retentus, „ cum ſocero manebat, expectans à Re- „ ge Summum Sacerdotium. Et quum „ plurimi ex Sacerdotibus & Laïcis *Hiero-* „ *ſolymorum* ſimilibus nuptiis fuerint ir- „ retiti, deficiebant ad *Manaſſem*, & *San-* „ *ballatus* illis fundum, domos & ſub- „ ſtantias providebat. Sed devicto ab *A-* „ *lexandro Magno Dario*, *Sanballatus* ad „ *Alexandrum* deficiebat, & homagium „ fecit, ſe ſuaque omnia ejus manibus „ committens. Jamque opportunitatem „ nactus, petebat ab eo, quod etiam ob- „ tinuit, ut Templum hoc extruere li- „ ceret. Quod verò facilem huic peti- „ tioni viam parabat, erat hoc, nempe „ *Jadduam* nuper *Alexandro* valdè di- „ ſplicuiſſe, quòd in obſidione *Tyri* o- „ pem illi ferre negaſſet. *Sanballatus* ita- „ que dixit, ſe generum habere *Manaſ-* „ *ſem* fratrem *Jadduæ* cui multi *Judæo-* „ *rum* optimè erant affecti, & partes ejus „ ſequebantur: quòd ſi venia ei con- „ cedatur, Templum in monte *Geri-* „ *zim* extruendi, magna hæc eſſet *Jad-* „ *duæ* debilitatio; iſtâ enim occaſione „ pateret populo magna invitatio ab eo „ deficiendi. *Alexander* haud ita dif- „ ficulter huic petitioni annuit; atque ita „ Templi ædificationem pro viribus ag- „ greſſus eſt. Cùm illud jam perfectum „ erat, cauſa fuit magnæ apud *Hieruſa-* „ *lem* Apoſtaſiæ. Plurimi enim eorum „ qui in jus vocabantur ob carnium pro- „ hibitarum eſum, ob Sabbati viola- „ tionem aut alia crimina, avolarunt ab „ *Hieruſalem* confeſtim ad *Sichem* & „ montem *Gerizim*; & ibi commune ſibi „ ſtatuebant Aſylum, quicunque legum „ terrori ſubjacebant. Hæc *Joſephus*. Cui non ex re futurum exiſtimo, ſi *R. Abrah. Zaccuth* de hac re narrationem adjecero. „ *Alexandro Magno*, inquit, „ ab *Hieruſalem* proficiſcente, *Sanballatus* „ *Horonita* exivit ad eum, unà cum non- „ nullis Iſraëlis, & aliquibus ex filiis *Jo-* „ *ſuæ* Summi Sacerdotis, qui cum *Sama-* „ *ritanis* nuptias inierant, quoſque *Eſras* „ & *Nehemias* à Domo Domini abege- „ rant) & ille ab *Alexandro* flagitabat, „ ut ejus generi Sacerdotes Templum „ extruerent in monte *Gerizim*. Et Rex „ ita

Digitized by Google

JOANN. CAP. IV. VERS. 9.

,, ita fieri in mandatis dedit; atque ita
,, Templum extruebant. Hoc modo di-
,, viſus erat Iſraël, dimidio populi *Si-*
,, *meoni Juſto* adhærente, & *Antigono*
,, ejuſdem Diſcipulo, eorumque ſocieta-
,, ti, qui omnes amplectebantur quæ ex
,, ore *Eſdra* & Prophetarum acceperant;
,, & dimidio *Sanballatum* generoſque e-
,, jus ſequente, atque holocautomata &
,, ſacrificia extra Domum Domini offe-
,, rente, ſtatutaque ut quid cuique vi-
,, ſum fuerat ordinante. Et *Manaſſes*,
,, *Sanballati* gener, & filius *Joſua* filii
,, *Jozedecæ* Summi Sacerdotis, erat in hoc
,, Templo Sacerdos. Et tum *Sadocus* &
,, *Baithus* famoſi extiterunt inter *Anti-*
,, *goni* Diſcipulos. Et hæc erat hæreſeωs
,, origo. Illi enim tempore *Antigoni* tu-
,, toris ſui ad Templum montis *Gerizim*
,, deficiebant, & ibi præcipui evaſerunt.
,, Et illud quidem Templum ultra du-
,, centos annos durabat; & extructum
,, erat quadraginta annis poſt extructio-
,, nem Templi ſecundi, *Juchaſin*, fol. 14.
col. 2.

Atque hoc modo Templum Templo opponebatur, Sacerdos Sacerdoti, cultus cultui, jamque hæ duæ Gentes multò magis ſe invicem odio proſequuntur, quàm ante hàc unquam. Multique *Judæorum Samaritani* evaſerunt, Genti ſuæ, ſanguini, religioni hoſtes acerrimi. Atque hæc vulgaris erat inter eos & quæſtio & contentionis cauſa, uter eſſet verior cultus, & utrum verius Templum, illud *Hieroſolymis*, an illud in monte *Gerizim*, uti mulier in hoc *Capite* quærit, *verſ.* 20. & *Joſephus* ait, *Judæos* & *Samaritanos* ſuper hac quæſtione in *Ægypto* diſceptaſſe, *Antiquit.* lib. 12. cap. 1. & lib. 13. cap. 6. Atque hæc diſcrepantia & ſimulatio nationum religionis causâ plus ſemel erupit in apertam hoſtilitatem & actus violentiæ, uti idem *Joſephus* inſtantias profert, *Antiquit. lib.* 12. *cap.* 3. & *lib.* 18. *cap.* 3. & *lib.* 20. *cap.* 5. &c.

Judæi in ſcriptis ſuis *Samaritanos* frequenter כותים, i. e. *Cuthæos* vocant, nempe à *Cuthâ* provinciâ & fluvio *Perſidis*, 2 *Reg.* 17: 24. *Joſeph.* lib. 11. cap. 4. & lib. 9. cap. 14. ſed ex quo *Chriſtianitas* ad tantum honoris gradum aſcendit, cùm æquale ſit iis odium nunc erga *Chriſtianos*, ac quod olim contra *Samaritanos* geſſerint, adeò frequenter *Chriſtianos* eodem nomine indigitant, ut multis in locis facile non ſit diſcernere, quando de *Samaritanis*, & quando de *Chriſtianis* loquantur. *Tria*, inquit *Thalmud*, *faciunt hominem transgredi contra mentem ſuam & contra mentem Creatoris; & hæc ſunt Malus Genius, Cuthæi, & Regula Paupertatis*, Erubhin, cap. 4. Atque iterum, *Cuthæo gratias agenti Amen non dicunt*, Beracoth, cap. 8. &c. Ab his *Samaritanis Elias Levita* putat vagabundam illam *Babyloniorum* Gentem originem habuiſſe. Vid. *Tiſhbi* in voce כות.

JOANN. CAP. IV. VERS. 10.

VERS. 10. *Si ſcires donum illud Dei.*

Τὴν δωρεάν. *Articulus*, inquit *Beza*, *indicat Chriſtum loqui de eximio aliquo dono, nimirum de ſeipſo, quem Pater nunc mulieri offerebat.* Et profectò clauſula poſterior in hunc ſenſum explicat priorem, atque indicat per hoc *donum Dei Chriſtum* intelligi debere, non tantùm ut mundo oblatum, *Joann.* 3: 16. (nam hoc *Samaritana* mulier probè ſciebat, *Meſſiam* Redemptorem venturum, *verſ.* 25.) ſed ut nunc illi venientem & ſeipſum offerentem. Et in hoc ſenſu Salvator noſter ſe vocat *donum Dei*, in quo Diſcipulus ſuis dicit *Matth.* 13: 11. *Vobis datum eſt: illis autem non eſt datum.* Quanquam enim *Chriſtus* erat omni populo ſuo *Bonitas Dei*, Hoſ. 3: 5. hoc tamen erat peculiare Dei donum particularibus quibuſdam perſonis, videre corâm ac audire *Chriſtum* miracula edentem & in eorum converſionem prædicantem, *Luc.* 10: 23, 24.

Tu petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi aquam vivam.] *Vulgaris Latina* apponit *forſitan*, dicens, *forſitan petiiſſes*, quaſi in dubio relinquens, utrùm mulier gratiam à *Chriſto* petiiſſet, an non, ſi illum ſciret *Meſſiam* fuiſſe: quum *Chriſtus* tamen ſat ſciret quid illa factura fuiſſet, & nemo, qui *Chriſtum* ſciat, non poteſt hanc aquam ab eo petere. Niſi obſervarem Authorem *Vulgaris* in aliis locis particulam ἂν per *forſitan* proferre, ut in *Cap.* 5: 46. & 8: 19. putarem illum hîc loci *forſitan* poſuiſſe propter carnalitatem groſſi iſtarum nationum ingenii, quam tum *Judæi* tum *Samaritani* exercebant de *Meſſiæ* adventu & regno. Sed nec mihi nec lectori negotium faciam, de ejus cogitationibus inquirendo. Mulieris quidem cogitationes *Chriſtus* novit; & ſi illa hunc ſciviſſet, (utcunque quæſtio poteſt haberi, quomodo major pars iſtius Gentis *Chriſtum*, ſi ſciret, exceptura erat, & quid ab eo petitura, tam ob carnales eorum de ejus regno cogitationes, quàm ob altas de lega-

Digitized by Google

JOANN. CAP. IV. VERS. 10, 14.

legalibus ſuis officiis cogitationes) ille ipſe prævidit gratiam ab eo petituram. *Ego abs te peto ; ſi ſcires, tu petiiſſes à me.* Sicut *Joannes Baptiſta*, qui illum hoc tenore ad illum acceſſit, *Ego neceſſe habeo à te baptizari, & tu venis ad nos. Tu petiiſſes ab eo, & dediſſet tibi*, juxta illud *Matthæi* 7: 7, 8.

Quòd per *aquam vivam* hîc memoratam ſpiritus gratiæ indicetur, conſtat ex *verſ.* 14. & in dubium vocari non poteſt. Atque ideò credere non poſſum *Cyprianum* illam vim eſſe verborum putaviſſe, ſed per alluſionem tantùm locutum fuiſſe, cùm dixit, *Hanc aquam vivam eſſe Baptiſma; & quia Baptiſma ſemel receptum repeti non debet, ideò dictum eſſe, Quiſquis biberit ex aqua illa non ſitiet in æternum*, Lib. 1. Epiſt. 3.

Spiritus in Scripturis comparatur *igni* & *aquæ* ; quæ duo maximè purificant, nec minùs recreant : aqua enim à ſordibus purgat, ignis à ſcoria; aqua contra calorem recreat, contra frigus ignis. Et quàm his ſit congruum ejus gratiæ ſpiritus, ſuperfluum eſt demonſtrando immorari.

VERS. 14. *Quiſquis autem biberit ex aqua illa quam ego ei dabo, non ſitiet in æternum.*

Magnus hîc fit ab Interpretibus ſcrupulus, nec immeritò, quomodo ille qui gratiam acceperit dicatur nunquam ampliùs pro ea ſitire, cùm quò plus bibitur gratiæ, eò plus ſititur; & variè huic dubio reſpondetur, quæ quidem omnia omittam. Mihi ſanè hoc neceſſarium videtur, quòd per ſitim in hoc loco non ſimpliciter intelligatur deſiderium potûs, ſed languor & imbecillitas ex ſiti. Atque ita vocabulum צחא, quo hîc pro *ſititione* utuntur Syri, *Chaldæus Paraphraſtes* uſurpat *Lament.* 2: 19. pro *langueſcentia.* Nam quum Verſio *Hebræa* habet, *Attolle ad eum manus tuas pro anima parvulorum tuorum*, העטופים ברעב, *qui languent fame*; *Chaldæus* vertit, רצחין בכפנא, *qui ſitiunt fame.* Atque ita *Iſaj.* 48:21. *Neque ſitiebant, quum per vaſtitates deduxit eos*, (quod *Chaldæus* vertit, *non ſivit eos ſitire*) ita intelligi debet, de non fame pereundo, aut languendo : nam quòd in eremo ſitiebant & pro aqua murmurabant, plus ſemel occurrit.

In verſu præcedenti *Salvator* noſter ait, *Quiſquis bibit ex aqua iſta*, διψήσει πάλιν, *ſitiet rurſus* ; in hoc autem verſu, vocabulo πάλιν *rurſus* non utitur, (nam qui gratiâ irrigatur iterum ſitit, atque iterum pro eadem gratiæ aqua) *Quiſquis ex hac aqua biberit, quam ego ei dabo*, ait, ὀ μὴ διψήσει εἰς αἰῶνα, *non ſitiet in æternum*, ita ut inde langueat aut pereat, ſed hæc aqua ſervabit eum in vitam æternam. Confer *Iſaj.* 41: 17.

JOANN. CAP. IV. VERS. 15, 17.

VERS. 15. *Dicit ei mulier, Domine, da mihi aquam iſtam*, &c.

Nunc ab inquirendo, ut *verſ.* 11, 12. cadit mulier in apertam ludificationem & deriſionem.; namque hæc nihilo meliori nomine in ea ſunt cenſenda. Scio hæc ejus verba à nonnullis in hoc ſenſu capi, quaſi indicarent eam jamjam inclinantem ad devotionem, & amplexuram doctrinam *Chriſti*, quanquam haud ita probè illam calleret; & præ ſe ferunt, uti illi quidem ajunt, ſimplicitatem quandam credendi, quum tam ſubitò non dubitaret tam excellentem hanc aquam ab eo flagitare. Sed perpendatur imprimis, quòd adhuc dum *Chriſtum* tanquam merum hominem reſpexit, donec ſecreta illi flagitia objecerit, & tùm tandem Prophetam agnoſcit, *verſ.* 19. Secundò, quòd dum merum hominem putat, confabulatur cum eo, more quo credibile eſt *Samaritanam* mulierem cum vulgari *Judæo* uti, inter quos intercedebat etiam in dictis acrimonia. Tertiò, res de qua locutus eſt *Chriſtus*, donatio ſcilicet aquæ, poſt quam receptam nemo ampliùs unquam ſitiret, res erat adeò paradoxa, & cuivis mortalium, qui æquè illum cognoſceret, nedum huic *Samaritidi*, tam ridicula videretur, ut illius verba ad illud reſpondentia, *Domine, da mihi de aqua iſta*, &c. non poſſint non eſſe in deriſionem eorum quæ dixerat. Et quòd hâc compellatione utitur, Κύριε, ſive *Domine*, id hanc conſtructionem nullo modo infirmam facit, cùm iſtud vocabulum fuerit ordinariò uſurpatum ; vel ſi diviniori ſenſu utebatur, id erat in majus illius ludibrium.

VERS. 17. *Non habeo virum.*

Ratio cur illam juberet *Chriſtus* virum ſuum vocare, hæc eſſe ſupponatur, ut partim deriſionem ejus reprimeret, crimina illi propria in mentem revocando; præcipuè verò, ut oſtenderet alium ſe quidem eſſe ab eo quem expectarat, dum talia illi patefecit, quæ ipſa ſciret neminem

Digitized by Google

JOANN. CAP. IV. VERS. 18, 20. minem niſi divinitùs edoctum poſſe illi palàm facere.

Jam quòd negavit ſe virum habere, à nonnullis hoc modeſtiæ illius attribuitur, ut ita adulterium ſuum celaret; ab aliis, huic etiam refert quoniam neſciebat quid rerum *Chriſtus* haberet cum viro ſuo. Sed uſque dum monſtrari poteſt, cur ſcortum *Samaritanum* reverenter aut civiliter tractaret *Judeum* ex plebe, (nam nec alius adhuc ei *Chriſtus* videbatur) illo præcipuè de tam non credendis confabulante, magis genuina eſt & incontrovertibilis interpretatio horum verborum, *Virum non habeo*, accipere illa velut deriſorium & perfunctorium reſponſum ad eam quæſtionem virumque illum, quibus omninò reſpondere vix illi curæ erat.

VERS. 18. *Quem habes non eſt tuus vir.*

Videtur quidem ex numero priorum virorum & eâdem phraſi uſurpatâ tam de iis quàm de hoc, (*quinque habuiſti*, & quem nunc *habes*) quòd divortium ſit paſſa, & nunc adulterino matrimonio uteretur; & cum eo forſan inierat matrimonium, qui priùs eam adulterarat. Sed vel eſto, vel quòd extra matrimonium in adulterio degebat, conſcientia ejus veritatem *Chriſti* dictorum agnoſcit, eumque tandem reperit talia illi dixiſſe, quæ qui planè ignotus eſſet nullo modo dixiſſe potuit abſque Spiritu Prophetiæ; quare & illum Prophetam agnoſcit.

VERS. 20. *Patres noſtri in hoc monte adoraverunt.*

Ut primùm illum Prophetam eſſe ſuſpicatur, ſtatim deſiderio ardet audiendi quid de magna illa controverſia ſtatuat, quæ continuò inter *Judæos* & *Samaritanos* ventilabatur: videl. Uter verior eſſet rectiorque divini cultûs celebrandi locus, *Hieroſolyma*, an mons *Gerizim*.

Jacobum vocabat *Patrem noſtrum Jacob*, verſ. 12. Ita enim *Samaritani* cùm viſum illis fuerit, affinitatem cum *Judæis* vendicabant. Sed Patres illi, de quibus hîc loquitur, æquè diſtabant ab ea religione & cultu quibus *Jacob* utebatur, ac *Jacob* ipſe à religione *Hamoris* & *Sechem*. *Joſephus* unicam narrat hiſtoriam, quæ minimam quidem de Patribus ſuis in hoc monte adorantibus gloriandi anſam huic mulieri præbeat, eaque ita ſe habet. *Quum Antiochus Epiphanes tam graviter Judæos oppreſſit, & religionem eorum perſecutus eſt, hi Samaritani verentes ne & eorum religio Judæorum ſimilis videretur, & Antiochus forſan ſuſpicetur, ne quid commune inter illos & Judæos & utrorumque religionem intercedat, atque ita illi æquè ac Judæi paterentur; apertè Antiocho legatos mittunt, & maturè omnem talem affinitatem renuntiant. Et quum negare non poſſent ſe Templum habere, petebant ab eo ut Jovi Græco illud dicare liceret & ejuſdem nomine inſigniri; atque ita ex Regis præcepto factum eſt*, *Antiquit*. lib. 12. cap. 7. Hic erat famoſa illa adoratio in illo monte, & multum, ſi Diis placet, jactanda: ſed hinc videnda eſt Hæreticorum impudentia, cùm tale Templum *Hieroſolymitano* audeant conferre.

JOANN. CAP. IV. VERS. 20, 21, 23.

Abraham Zaccuth ait, hoc Templum apud *Gerizim* ſolo æquatum fuiſſe à *Jochanane* filio *Simeonis* filii *Mattathiæ*, & Hæreticos gladio abſumptos, *Juchaſ.* fol. 14.

VERS. 21. *Mulier, crede mihi, venit hora*, &c.

Sicut illa Prophetam eum agnoſcit, ita ille tanquam Propheta fidem ab ea poſtulat, & tanquam Propheta prædicit ei quæ jam propè in limine adfutura eſſent; ſcilicet abrogationem cæremoniarum, & quòd cultus divinus haud ampliùs ulli loco aut Genti limitaretur; quòd nullum eſſet *Hieroſolymis* ſacrificium, nulla *Samariæ* imago, nullum *Hieroſolymis* Ephod, nullum *Samariæ* Teraphim, *Hoſ.* 3: 4. ſed quòd iſti loci & iſtiuſmodi cultus deficerent & abolerentur. Ac proindè ejus quæſtioni imprimis reſpondet in hunc modum: quòd ſupervacaneum eſſet, vel illam vel quemvis alium in hac diſputatione inſudare, utrùm *Hieroſolyma* vel *Gerizim* eminentior eſſet locus divini cultûs exhibendi; nam propè jam tempus adfuit in limine, quum neque hic neque ille locus cultum ullum omninò exerceret. Deinde quæſtionem ipſam reverà determinat, quòd *Hieroſolyma* ſemper fuerit & nunc jam eſſet legitimus cultûs locus, ſed *Gerizim* erroris Templum ac uſurpationis. Et quod determinat hac ratione probat, *Nos adoramus quòd ſcimus*.

VERS. 23. *Veri adoratores adorabunt Patrem ſpiritu & veritate.*

In hoc termino *veri adoratores*, reſpicit ad

JOANN. CAP. IV. VERS. 23, 24.

ad mulieris quæſtionem & duarum Gentium controverſiam. Pro hoc illi luctabantur, & ſuper hoc illa rogitat uter populus veram inter ſe adorationem haberet. Quid, inquit *Chriſtus*, haud ita multo ab hinc tempore nullus erit omninò cultus neque inter hos, neque illos. Et jam nunc tempus adeſt, quando qui pro vero adoratore æſtimabitur, neque ceremonioſè, ut *Judæi*, ſed in *ſpiritu* adoraret; neque ut *Samaritani* erroneè, ſed in *veritate*. Hoc modo rectè dividamus duo hæc verba *ſpiritu* & *veritate*, ut his duobus inſerviant, hanc reſponſionem ferre de adoratione alterutrius Gentis; quarum una Deum externis omninò ritibus & cæremoniis adoravit; altera, adoravit, nec quod ſciebat, nec quomodo. Sed generaliter verba hæc *ſpiritu* & *veritate* ab Expoſitoribus ita accipiuntur, quaſi unam eandemque rem indicarent, & opponuntur tantùm carnalibus ritibus & typis illis umbraticis, in quibus omnis ferè illorum cultus conſtitit.

Quòd termino *Patris* pro Deo utatur, non hoc idcircò ad reliquas Trinitatis perſonas adeò referendum, neque quòd illud myſterium mulier intelligeret ita loquutus eſt; ſed quia *Judæi*, ac proindè, uti videtur, *Samaritani*, communiter hoc vocabulo in precibus ſuis & ſermonibus utebantur. *Pater noſter qui es in cœlis, fac nobis ſecundum quod promiſiſti per Prophetam.* Et, *Preces atque orationes totius Domûs Iſraëlis ſint acceptæ coram Patre eorum qui eſt in cœlis*, &c. *Maimon.* in *Tephill.*

VERS. 24. *Deus eſt ſpiritus, & qui adorant eum*, &c.

Hîc òritur quæſtio ex ipſa prima verſûs lectione, (verbis *ſpiritu* & *veritate* eo quo diximus modo interpretatis) quæ hæc eſt, cur Deus tam rigidè injunxit, & tam diu continuavit typicum & ceremonialem cultum, ſi qui illum adorant adorare debent ſpiritu & veritate. Reponimus, ille ipſe cultus in hunc finem conſtitutus eſt, ut diſcerent homines *ſpiritu* & *veritate* adorare: namque omnes hi ritus & typi tantùm documenta quædam erant, quibus viam ſalutis per *Chriſtum* erat ingrediendum uſque ad *Chriſti* adventum; atque ipſe eorum uſus erat in hunc finem, ut ex iis paulatim addiſcant homines ſpiritualem hanc & veram adorationem, Deum nempe in *Chriſto* adorare, & pro ſalute ſua ad illius beneficia reſpicere, quæ iſti ritus doctrinaliter illis protendebant, & quam doctrinam veri adoratores aut fideles aſſecuti ſunt.

JOANN. CAP. IV. VERS. 25, 29, 35.

VERS. 25. *Scio Meſſiam venturum*, &c. *Ille nobis annuntiabit omnia.*

A Judæis didicerant *Samaritani* Meſſiam expectare; & quomodo *Judæi* circa hoc tempus adventum ejus expectabant, ſupra oſtendimus; & fortè hæc mulier loquitur, quaſi indicaret ſe *Meſſiam* jam mox adſuturum expectare: unde orta eſt hæc *Chriſti* reſponſio, *Ego is ſum*; quaſi verba ejus in hoc ſenſu acciperet: Tu dicis *Meſſiam* brevi adventurum & annuntiaturum omnia. Ego verò dico tibi, *Meſſiam* jam nunc adveniſſe, & quod is ipſe ego ſum. Jam quòd illa hunc ſcrupulum ad *Chriſti* adventum referret, oſtendit illam non realiter digeſſiſſe & amplexam fuiſſe *Chriſti* ad ejus quæſtionem reſponſum, quanquam hoc in ſe recepiſſet, pro Propheta illum agnoſcere. Non gratum illi erat, rem ita fore, uti ille determinaverat; ergo neque gratum illi erat, fidem illi adhibere. Quomodo verò *Chriſtus* tanquam Doctor ille exſpectabatur, mox obſervabimus.

VERS. 29. *Hominem, qui dixit mihi quæcunque feci*, &c.

Jam quidem Diſcipuli, quum in prandium quæ vellent emerant, (aderat enim prandii tempus) redeunt fontem verſus ad Magiſtrum ſuum; & ſub eorum reditum *Chriſti* cum muliere confabulatio interpellatur, & avolat illa in urbem & ait, *Venite, videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci.* At non ita *Chriſtus*; hic enim dixerat illi rem tantùm unam vel alteram de maritis ejus. Verumenimverò præterquam quòd verbum hoc *omnia* apud S. Scripturas non ſemper ad extremam ſignificationis limitationem extenditur; tam multa & tam magna ille dixerat, ut rectè judicet hæc, eum qui talia potuerit enarrare, etiam *omnia* potuiſſe indicare. Iſtiuſmodi locutiones in narrationibus vehementiam quandam & πάθος referentibus, neque ex uſu, neque peregrinæ haberi debent.

VERS. 35. *Nonne vos dicitis, Adhuc quadrimeſtre ſpatium ſupereſt*, &c.

Hujus verſûs cum præcedentibus cohærentia & connexio, quæ quidem in illo præ-

Digitized by Google

JOANN. CAP. IV. VERS. 35.

præcipuè ſunt reſpiciendæ, hoc modo ſe habent. Diſcipuli quidem in urbe fuerant, & cibaria emerant, quumque illa parata habuerant, illum ad prandium vocant. Reſpondet ille, ſibi alia eſſe cibaria quibus veſceretur, quæque illi non attenderent, nempe voluntatem illius qui illum miſerat adimplere, & opus perficere. Quodnam verò opus illud erat? Ipſum illud nempe, circa quod modò occupatus erat, Euangelii ſcilicet prædicatio & animæ converſio; quodque opus probè novit ſibi jam increſcere, ex *Samaritanorum* ad eum audiendum accurſu, quos vel jam gregatim accurrentes vidit, aut accurſuros prævidit. His itaque verbis Diſcipulis reſpondet in hunc modum. „ Vos „ me veſci vultis; ego verò aliud agen„ dum habeo, quod mihi cibus eſt, nem„ pe ut Patris opus perficiam in Euan„ gelium prædicando. Nam rectà ibi „ videte: quum vos dicitis, Adhuc qua„ drimeſtre ſpatium ſupereſt ad meſſem; „ en! quàm ſe nobis accelerat *Euangelica* „ meſſis! quanta multitudo populi huc „ ad audiendum me convolat, quaſi ad „ meſſem parata! Quare, nec jam tem„ pus eſt de eſu ciborum pereuntium „ verba facere, ſed in hanc meſſem fal„ cem injicere; nam & hic cibus eſt mi„ hi, illius voluntatem perficere qui me „ miſit.

Judæorum meſſis ad Paſcha incepit; nam ſecundo die *Paſchatis* Lex eis injunxit afferre manipulum frugum, primitias meſſis ſuæ, & agitare illum coram Domino; & deinde numerabant ſeptem ſeptimanas ad Pentecoſten. Vide *Levit.* 23: 10, 15. Quatuor igitur menſes ante Paſcha, (quod erat dies decimus quartus primi menſis) juxta finem noſtri *Novembris* coïncidunt, ut facilè quis calculum ineat. Hoc itaque temporis rationem rectè diſponere nos facit, ſi vel lapſa tempora computemus, vel proximè venturum Paſcha ſtabiliamus. I. Oſtendit nobis, quo tempore *Joannis* contigit incarceratio, quàmque diu prædicaverit, nempe à Paſchate atque ab hinc elapſo ad hunc *Novembris* ſeſquianno, nempe menſe & diebus præthereà nonnullis; nam veriſimile eſt, non ita diu in *Judea* commoratum fuiſſe poſt *Joannis* incarcerationem. II. Oſtendit *Chriſtum* menſes fermè octo à Paſchate ad hoc tempus in *Judæa* impendiſſe, in quo tempore plurimos ad doctrinam ſuam convertit. III. Subſerviet etiam ad manifeſtandum quòd dies feſtus *Judæorum*, de quo proximum *Caput* loquitur, eſt Paſcha proximè venturum, ut obſervabimus, cùm eò devenerimus.

JOANN. CAP. IV. VERS. 35, 36.

In priore verborum parte, *Nonne vos dicitis, Adhuc quadrimeſtre ſpatium ſupereſt, & meſſis aderit*, literaliter de meſſe triticea loquitur: ſed in poſteriori, *regiones albæ jam ſunt ad meſſem*, parabolicòs ſive ſpiritualiter loquitur de multitudine populorum, tam *Judæorum* quàm *Gentilium*, qui jam jam erant demetendi & colligendi per Euangelium; quumque dicit, *attollite oculos veſtros, & ſpectate regiones*, videtur quidem multitudinem indigitare *Samaritanorum* qui jam in conſpectu erant, verſus eum venientes. Locus iſte in Propheta *Hoſea* 2: 20, 21, 22, 23. in talem paulò diviniorem & ſpiritualem ſenſum modumque loquitur. *Exaudiam cœlos, & ipſi exaudient terram, & terra exaudiet frumentum, & muſtum & oleum; & iſta exaudient Jeſreelem*; (Dei ſeminationem) *nam conſeram eam mihi in terra*, &c. Et huic ſimile in *Amoſ.* 9: 13, 14. *Ecce dies venturi ſunt, dicit Jehova, quibus attingat arator meſſorem*, &c.

VERS. 36. *Porrò qui metit*, &c.

Prophetæ & Doctores ſacri ſub Veteri Inſtrumento ſerebant verbum & doctrinam ſalutis, quæ matureſcebant in meſſem Euangelii. Non quin ii ſicut boni operarii meterent fructum laborum ſuorum in cogendo meſſem animarum vi Miniſterii ſui in diebus ſuis; ſed in hoc loco Salvator noſter non tantùm reſpicit ad ſuos Diſcipulos eodem modo quo illi animas convertentes, ſed etiam ad tranſcendentiam quandam in hoc illorum Miniſterio, ultra quod qui eis præceſſerant habuiſſent; quod ex his obſervari poteſt.

I. Prophetæ & Doctores ſub Lege ſub bina denominatione ſunt conſiderandi, vel quatenus in Miniſterio ſuo laborem inſumpſerint non levem, & fructum quem hauſerint exinde in animarum converſione; vel quatenus ſpectat ad illam ſalutis doctrinam, quam poſteris commendarant, ſuo quidem labore & miniſterio in illa Gente ſeminatam. Ad hoc ultimum *Chriſtus* reſpicit, quum dicit, illos *in labores aliorum introituros*; indicans hoc nimirum, quòd quum ſalutis doctrina in illa Gente paulatim adoleſcebat, labore & cultu Sanctorum Prophetarum per ſuas ſingulorum ætates, illi jam prædicare cum hoc ſuo compendio veniebant;

JOANN. CAP. IV. VERS. 36.

niebant; quod omnium ſanctorum horum virorum fundamenta haberent, quibus ædificarent & ad apicem ducerent illius doctrinæ ſinceritatem, in qua quidem conſtruenda illi toto Veteris Teſtamenti tempore inſudarunt. Imò *Joannem* etiam *Baptiſtam*, nec non *Chriſtum* ipſum inter hos ſeminatores meritò annumeremus; qui quidem doctrinæ ſemina multò copioſiùs & apertiùs ſerebant, quàm omnes illi qui præierant; & tamen in horum etiam labores Diſcipulis in Miniſterio ſuo erat introeundum, apparatu nempè tanto, tamque magno per hos duos fundamento jacto, cui illi ſuccederent & opus inchoarent.

II. Prophetæ & Doctores ſub Lege populi quidem animos ad *Meſſiæ* circa hoc ipſum tempus adventûs expectationem excitarant, uti priùs obſervatum, atque ita plenè maturos fecerant ad Apoſtolorum Miniſterium amplectendum, quandocunque illi *Chriſtum* advenisse docerent, & feciſſe, paſſumque fuiſſe quicquid de eo ſcriberetur. Atque hæc ipſa res inter alias ſingularis erat & conſpicua, albicatio hujus *Judææ* Gentis campi ad meſſem, quòd in ſingulos dies expectarent, quando *Meſſias* appareret. Nota inſuper, quàm citò mulieris verba avidè in *Samaria* arripiantur, *Nonne hic eſt Chriſtus*; ita ut non modò ad eum *Samaritani* confluant, ſed ex illius verbis credant, & ex brevi colloquio confiteantur, *Scimus hunc eſſe verè Servatorem illum mundi, Chriſtum*, verſ. 42. Atque hæc, eò quòd expectatio illorum de *Meſſiæ* adventu jamjam adventante penè erat matura.

III. Jam quòd ad *Gentilium* campi maturitatem ſpectat, id non in ulla tali ſalutis doctrina inter eos ſeminata tantùm conſiſtebat, ut neque in tali adventûs *Chriſti* expectatione, (quanquam *Judæi* per totum terrarum orbem nunc temporis diſperſi, potuerunt nonnihil res tales iis ſubindicaſſe, magis quàm ante hæc unquam inter eos publicatæ fuerant) quantùm in maturatione amoris Domini & illius converſionis pro miſericordia ſua erga Gentes, quas tot annis abjecerat & planè deſpexerat. Et ſecundùm hanc amoris illius maturationem, Dominus quidem res quaſdam providenter diſpoſuerat, quæ paulùm promovebant mundi ad hujuſmodi rem maturationem: nempe, quòd Scripturæ jam verſæ eſſent in Græcam linguam, & Ethnicorum etiam manibus terebantur; quodque lingua Græca, in qua Novum Teſtamentum erat conſcribendum, magis omnibus aliis in uſu erat, nec non quòd *Judæi* illarum Tribuum quæ veram retinuerant religionem, quum reliquæ decem deceſſerant, nempe *Judæ* & *Benjamini*, variis modis erant ſati & diſſeminati in omnibus mundi plagis, & cum iis etiam SS. Scripturæ.

JOANN. CAP. IV. VERS. 36, 42.

Salvator itaque noſter ſuper hoc *Samaritanorum* unanimi ad illum confluxu, qui factus eſt per illam mulieris de eo narrationem, (cui ob ipſam eam rem ſe *Meſſiam* eſſe palàm eſt faſſus) anſam arripit diſcurrendi de maturitate mundi ad hanc Euangelii meſſem, & Diſcipulos ſuos ad id variis argumentis impellit, nempe,

I. Quòd mercedem & fructum laborum ſuorum accipient in vitam æternam.

II. Quòd non hunc tantùm fructum accipient, ſed etiam accipient eùm maximè conſpicuo & ſupremo gradu unà cum glorioſis Patriarchis & Prophetis, qui ſerendo laborarunt; illi enim & hi meſſores lætabuntur ſimul.

III. Quòd in aliorum labores introirent, (ſicut *Iſraël* in ingreſſu in terram *Canaan*, in domos quas non ædificarunt, & in vineas quas non plantarunt, &c.) & quòd illud vulgare diverbium, quod ſæpenumerò verum habetur, *Alius eſt qui ſeminat, & alius qui metit*, etiam illis pro vero reputaretur in gaudium illorum & animationem non levem.

VERS. 42. *Hunc eſſe verè Servatorem illum mundi, Chriſtum.*

Hîc eſt confeſſio fidei, altior aliquando communi *Judæorum* Symbolo & fide de *Meſſia*: namque hi reputabant illum pro *Judæorum* tantùm Salvatore, & iſtius populi Redemptore; ſed de reliquo orbe nihil ne cogitabant quidem per ſomnium. Atque hinc videndum eſt, quàm profundo & ſincero hauſtu hi *Samaritani* imbiberant & digeſſerant vitæ aquam, quam *Chriſtus* iis præbuerat, adeò ut proprio illum charactere ſuo agnoſcerent. *Samaritani* quidem *Gentiles* erant, quantumvis *Jacobum* ſibi Patrem vendicarent, ac proindè in horum converſione ſpectare licet initium *Gentilium* converſionis, qui fuerunt ingens ille campus jam in Euangelii meſſem albicans. Quatuor minùs ab hinc annis in hoc campo *Samariæ*, ubi nunc *Chriſtus* tale ſemen ſeminavit, Hoſtis venit & damnoſa

Digitized by Google

JOANN. CAP. IV. VERS. 44, 45.

la zizania per *Simonem Magum* ſeminavit, *Actor*. 8. Miſer ille forſan opportunitatem nactus eſt proferendi & diſpergendi illuſiones ſuas in hoc loco, ex hoc quòd noverat cives pro certo agnoſcentes apud illos *Meſſiam* fuiſſe. Atque hinc inter illos intrudit, vel ut unus ex ejus Diſcipulis, vel in deſpectum *Chriſti*, ut Magiâ patrantis mirabilia, cùm non tamen legamus *Chriſtum* hìc loci miracula feciſſe omninò.

VERS. 44. *Ipſe enim Jeſus teſtatus fuerat, Prophetam in ſua patria honorem non habere.*

Ratio hìc lata videtur primo aſpectu aliquantò durior, nempe *Jeſum* in *Galilæam* patriam ſuam iviſſe, quia teſtatus fuerat Prophetam in ſua patria honorem non habere. Sed per verba *Patriam ſuam*, non univerſaliter *Galilæa* eſt intelligenda, ſed oppidum ejus *Nazareth*, locus ubi educabatur. Atque ita hæc phraſis apertè conſtruitur, *Luc*. 4: 23. iterque illius fuit in alias *Galilææ* partes, quum domum ſuam *Nazareth* vitaret, quia prævidit receptum ſuum neque gratum neque civilem ſatis futurum.

VERS. 45. *Nam & ipſi venerant ad diem feſtum.*

Non prorſus alienum erat *Euangeliſtæ*, hunc ſcrupulum tollere de *Galilæis* ad *Jeruſalem* ad feſta itantibus, quia plurima erant quæ perſuaderent illos non itaſſe. Ut I. loci diſtantia; *Galilæâ* tam procul ab *Hieroſolymis* exiſtente, ut etiam totum *Samariæ* regnum interjaceret: via inſuper valdè periculoſa. II. Differentia illorum in moribus ritibuſque plurimùm diſtabat à *Judæis* in *Judæa* habitantibus; cujus *Thalmudiſtæ* innumeras proferunt inſtantias. *In Judæa operabantur pro feſto Paſchatis; in Galilæa non item*. Peſachin, Perek. 4. *In Judæa explorabant ſponſum & ſponſam tribus ante congreſſum diebus; in Galilæa non item. In Judea duos habuerunt Paranymphos, unum ex ſponſi amicis, alterum ex ſponſæ; in Galilæa nihil tale. In Judæa Paranymphi in eodem dormiebant cubiculo, quo & ſponſus ſponſaque; in Galilæa non hoc erat in uſu*, &c. *Toſaphta* ad *Cetuboth*, Perek. 1. III. Differentia in voce, ſicut *Matth*. 26: 73. *Marc*. 14: 70. Nam בני יהודה דייקי לשנא גליל לא דייקי לשנא, *Filii Jehudæ locuti ſunt pura voce, ſi compares cum Judæis Galilææ*, Erubhin, fol. 53.

JOANN. CAP. IV. VERS. 46.

VERS. 46. *Regius quidam.*

Inter conſtructionum varietatem quæ de vocabulo Græco Βασιλικὸς producuntur, difficile eſt qui ſit hic vir ita dictus explicare. *Vulgaris Latina* cum *Eraſmo* vertunt *Regulus*; *Syriaca* עבר מלכא, *unus Regiorum*; cui aſſentit *Arabica*, ſi ſenſum, non verba, penſites. *Italica* habet, *Signore, Dominus*, illuſtri loco natus vel poſitus. *Nonnus*, βασιλήιος ἀνὴρ, *Regius vir*; quod ipſiſſimum eſt epithetum ab *Arabica* uſitatum. Quin aliæ expoſitiones non paucæ dantur, quibus non immorabor.

Nunc, ut conjecturam faciam quis hic vir fuerit, & quid illius titulus ſibi velit, proferam imprimis aliquid ex *Juchaſin*, fol. 19. quod hoc modo ſe habet. *Hillel & Shammai acceperunt Legem Traditionis ab Shamajah & Abtalione. Primò fuerunt Hillel & Menahem; ſed Menahem abſceſſit ad miniſterium Regis Herodis, cum octoginta viris eleganter veſtitis, uti refertur in Hagigah. Atque hæc res etiam memoratur à Joſepho Ben Gorion; quòd Menahem fuerit clarus ſapientiâ, Prophetæ non abſimilis, quòd varias prædictiones fecerit, prænuntiaveritque Herodem Magnum cùm juvenis eſſet, quòd Rex foret. Herodes etiam ſenem Hillel magno in honore habuit; namque hi homines Regem illum eſſe non ægre ferebant. Senior etiam Shammai Herodem prædixit regnaturum. Nam cùm Herodes in judicium vocatus eſſet coràm Sanhedrin ob homicidium, illi perſonam ejus reſpiciebant. Shammai autem dixit, illum Regem futurum, & illos occiſurum. Nec tamen Herodes manus injecit in Hillel, Shammai, Menahem, aut eorum neceſſarios; ſed honore eos proſecutus eſt.*

Hos quidem *Herodis* amicos & regni ejus fautores, quanquam alienus eſſet & de ſemine *Edom*, illos eſſe ſuſpicor qui *Herodiani* dicuntur in Euangelio, *Marc*. 3: 6. *Matth*. 22: 16. viros nempe doctrinâ ac authoritate nemini illius Gentis poſtremi, niſi quòd Aulæ corruptelâ imbuti aliò tenderent. Ex horum numero non poſſum non ſuſpicari hunc fuiſſe, quem præ manu habemus, qui *adiit Chriſtum* pro ſanatione filii ſui, Βασιλικὸς, ex Regis partibus, qui & fautor erat ſeniori *Herodi*, patri ejus qui nunc *Tetrarcha* fuit, & *Herodianæ* factionis, ad tollendum & confirmandum illum in regno; & qui nunc filio inſerviebat, ſicut antea patri.

patri. Num & nomen ejus conjecturâ nitar aſſequi ? Æquè proclivis eſſem pronuntiare hunc hominem *Chuzam Herodis* Procuratorem, memoratum *Luc.* 8: 3. ac quemvis alium qui adduci poteſt; niſi fortè ſit *Manaen*, vel *Menahem*, *Actor.* 13: 1. qui ſimul educatus erat cùm *Herode* Tetrarcha; illius forſan *Menahem* filius, de quo ſuprà, qui primus in *Herodis* partes abiit. Sed eſto hominis nomen quomodo libet dictum, hoc non obſervare non poſſumus de occaſione quæ hic illum ſpectat, quòd licèt *Herodes* ipſe adeò durus & crudelis fuiſſet erga *Joannem Baptiſtam* paulò antè, ut illum carceri includeret; ita tamen Deus providerat de Euangelii ſub *Chriſti* Miniſterio progreſſu, ut etiam nonnulli ex *Herodis* domeſticis & famulis fuerint, qui auſcultarent & ad id converterentur. Imò neque fructu carebat Miniſterium *Joannis* etiam in *Herodis* Aulâ. Quamvis enim *Herodes* ipſe auditor erat nugatorius, & nonnihil fecerit ſecundùm *Joannis* prædicationem, ut meliùs populo fucum faceret, multò plura tamen omiſit infecta: ſed tamen de illius Aulâ fuerunt qui animitùs & ſincerè Euangelium acceperunt & coluerunt.

SECTIO XVII.

LUCÆ CAP. IV.

VERS. XIV. *Reverſus eſt autem Jeſus cum virtute Spiritûs in Galilæam; & fama de eo exiit in totam circumjacentem regionem.*

MATTH. CAP. IV.

VERS. XII. *Quum audiſſet autem Jeſus, Joannem traditum eſſe in cuſtodiam, rediit in Galilæam.*

MARCI CAP. I.

VERS. XIV. *Poſtquam autem traditus fuit Joannes in cuſtodiam, venit Jeſus in Galilæam prædicans Euangelium Dei.*

LUCÆ CAP. IV.

XV. *Et ipſe docebat in Synagogis eorum, omnibus ipſum* (a) *glorificantibus.*

XVI. *Venit igitur Nazareth, ubi fuerat nutritus, & intravit, ut conſueverat,* (b) *die Sabbati in Synagogam, & ſurrexit ut legeret.*

XVII. *Tunc datus eſt ei Liber Eſajæ Prophetæ: quumque* (c) *explicuiſſet Librum, invenit locum in quo ſcriptum erat:*

XVIII. (d) *Spiritus Domini ſu-*

(a) *Syr.* משתבח, *laudatus ab omnibus.*

(b) Ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν Σαββάτων. *Eraſm. in die Sabbatorum.* Σάββατον nonnunquam in ſingulari numero reperimus, ut *Joann.* 5: 9, 10. & 7: 22, 23. *Marc.* 15: 42. & 16: 1. *Luc.* 23: 56. & apud Septuaginta, *Nehem.* 9: 14. & 13: 15, 17. *Pſalm.* 92. in titulo, *Iſaj.* 66: 23. Et aliquandò etiam Σάββατα in plurali: & hic numerus frequentiùs paulò in Lege uſurpatur, *Exod.* 16: 23, 26. & 20: 8, 10. & 31: 13, 15, 16. & 35: 2, 3. *Levit.* 23: 3, 38. & 26: 2. *Numer.* 15: 32. & 28: 9. *Deuter.* 5: 14. Et Dativus pluralis aliquando eſt Σαββάτοις, ut 2 *Paralip.* 8: 13. ab *Hebraico* שבת, & *Græco* Σάββατον: & aliquando etiam Σάββασιν, ut *Matth.* 12: 1, 5, 10, 11. & *Marc.* 1: 21. à *Chaldaico* שבא, & *Græco* Σάββα, Σάββατος. [Sed nuſquam tale verbum occurrit, per Metaplaſmum potiùs ſolvitur.]

(c] *Græcè* Ἀναπτύξας, id eſt, *cùm explicuiſſet:* illis enim temporibus libri non erant colligati & foliatim aperiendi, ſed volvebantur ſicut rotulus papyri. Atque hinc illorum libri *dicebantur* מגלה. *Ezech.* 2: 9. & גליון, *Iſaj.* 8: 1. i. e. *Volumen.*

(d) Euangeliſta in hac Sectione ab *Iſaja* deſumpta, verſione utitur τῶν LXX. verbatim, niſi in hac clauſa, *Ut confractos emittam in libertatem.*

Differentiæ inter *Hebraicum* & *Græcum* Textum non ſunt ita magnæ: ſunt hæ tantùm. I. In *Hebræa* eſt Spiritus ארני יהוה, *Domini Jehovæ* ſuper me. Quod *Græca* expreſſit per ſingulare vocabulum Κύριος, quia communiter illo utitur vocabulo ad vertendum tum *Adonai*, tum etiam *Jehovah*. II. Quòd cùm *Hebræa* repetat vocabulum *Jehovah* in ſequenti clauſa, *propterea quòd Dominus unxit me*; *Græca* illud omiſit, ſenſu ſatis manifeſto, licèt omittat. III. *Hebraicam* vocem חבש, quod ſignificat *colligare*, illa vertit *ſanare*, verbo ad proprium ſenſum reducto. IV. *Hebraicum* ענוים *humiles*, illa vertit Πτωχοὶ, *Pauperes*, nam *Pauperes in ſpiritu* denotat, quòd idem ſonat cum τῷ *Humiles.*

per

per me, propterea quòd unxit me: ut Euangelizem pauperibus miſit me, ut ſanem contritos corde, ut prædicem captivis dimiſſionem, & cæcis viſûs recuperationem, & confractos emittam in libertatem.

XIX. *Ut prædicem annum Domini acceptum.*

XX. *Et complicatum Librum quum reddidiſſet Miniſtro, ſedit; & omnium in Synagoga oculi erant intenti in eum.*

XXI. *Cœpit autem iis dicere, Hodie impleta eſt hæc Scriptura, audientibus vobis.*

XXII. *Et omnes teſtimonium ei dabant, ac mirabantur ſuper ſermonibus plenis gratiâ qui procedebant ex ore ipſius, dicebantque, Nonne iſte eſt filius Joſeph?*

XXIII. *Et dixit ad eos, Omninò dicetis mihi hoc proverbium,* (e) *Medice, cura teipſum: quæcunque audivimus facta fuiſſe in Capernaum, fac etiam hic in patria tua.*

(e) *Medice, cura teipſum.* Hoc diverbium *Judæi* taliter pronuntiant: אסיא אסי ית חגרתך, *Medice, medicare propriam claudicationem.* *Tanchumah* illud profert ex Legendario quodam, ubi Dialogus extat inter *Adamum* & *Lamechi* uxores. Illæ propter rixam quandam cum marito habitam noluerunt ampliùs cum eo conſociari; *Adamum* verò conſulendum è re ſua duxerunt.

Adamus illas hortatur marito audientes ut ſint. Hæ reſpondent cum hoc proverbio, אסיא אסי ית חגרתך, *Medice, medicare propriam claudicationem. In centum & triginta annos uxorem tuam dereliquiſti; & tu nos ſuades aliter facere? Tanch.* fol. 4. col. 2.

XXIV. *Dixit autem, Amen, dico vobis, Nemo Propheta acceptus eſt in patria ſua.*

XXV. *Sed in veritate dico vobis, multæ viduæ erant diebus Eliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cœlum ad annos tres & ſex menſes,* adeò *ut fuerit fames magna per totam regionem.*

XXVI. *Sed ad nullam illarum miſſus eſt Elias, niſi Sareptam,* urbem *Sidoniæ, ad mulierem viduam.*

XXVII. *Et multi leproſi erant in Iſraël ſub Eliſæo Propheta: ſed nemo eorum purgatus eſt, niſi Naaman Syrus.*

XXVIII. *Tùm repleti ſunt omnes excandeſcentiâ in Synagoga, hæc audientes.*

XXIX. *Et quum ſurrexiſſent, ejecerunt eum extra urbem, & duxerunt eum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem urbs ipſorum erat ædificata, ut præcipitarent eum.*

XXX. *Ipſe verò quum tranſiſſet per medium eorum, profectus eſt.*

Ratio Ordinis.

UT hujus Sectionis ſubſequentiam ad præcedentem lucidiùs explicemus, opus eſt tantùm ſeriò penſitemus Hiſtoriæ progreſſum hucuſque, & obſervemus ejus abhinc progreſſum paulò ulteriùs. Quamvis enim *Lucas* adeò non procul ab Hiſtoria Tentationis locaverit, perindè ac ſi immediatè eam ſequeretur, ac hanc itinerationem in *Galilæam* primò poſt id *Chriſtus* faceret; eadem tam apud *Matth.* 4:12. hiſtoria tam apertè indicatur contigiſſe, poſtquam audierat *Chriſtus Joannem* fuiſſe incarceratum, ut nullum dubitandi locum relinquat de methodo & tempore hujus Hiſtoriæ. *Jeſus* quidem in *Galilæam* abiit ſtatim poſt Tentationem in eremo, cujus narrationem habemus, *Joann.* 1:44. inibique vertebat aquam in vinum apud *Cana*, *Joann.* 2:1. &c. & moratur nonnihil in *Capernaum*, *verſ.* 12. indeque vadit ad *Paſcha* apud *Hieruſalem*, *verſ.* 13. &c. atque ibi

&

Digitized by Google

LUCÆ CAP. IV. VERS. 14.

& in *Judæa* manet uſque ad exitum noſtri *Novembris*, uti priùs obſervatum; & toto hoc tempore *Joannes Baptiſta* liberè prædicabat, *Joann.* 3:23. Sed quum audierat *Jeſus* de incarceratione ejus, & ſuum etiam prævidit periculum, ſi ampliùs in *Judæa* moraretur, *Galilæam* idcircò petit, & tranſit *Samariam*, *Joann.* 4: 1. &c. Ad *Cana* pervadit in *Galilæa*, ubi Reguli filium è longinquo ſanat, *verſ.* 43, 46. Et nunc famoſus eſſe cœpit ob hæc miracula, atque ita in Synagogis eorum prædicare aggreditur. Ita ut initium hujus Sectionis ſupponatur eſſe quaſi *Epiphonema* præcedentis Hiſtoriæ, prima dictione verſâ ab & in *ita*: *Ita Jeſus reverſus eſt cum virtute Spiritûs in Galilæam.* Idem etiam in *Matthæo*, *Ita quum audiſſet Jeſus, Joannem traditum eſſe in cuſtodiam, redit in Galilæam.*

Nec inuſitatum prorſus S. Scripturæ narrationes tam propè diſponere, ut *Lucas* has duas diſpoſuit, quanquam longo inter illas intercedente temporis ſpatio, & plurimæ etiam interveniebant circumſtantiæ, uti in hoc Euangeliſta, *Actor.* 9: 25, 26. comparato cum *Galat.* 1: 17, 18. *Matth.* 19: 1. collato cum *Joann.* 7: 10. ad *Joann.* 10: 40. & alibi.

Et ſicut ordo hujus Sectionis hoc modo explicatur aſſeriturque per Hiſtoriæ curſum hucuſque, ita ampliùs confirmabitur deinceps per ejus continuationem; ſi modò obſervetur, quomodo *Matthæus*, *Marcus*, *Lucas* in proxima Sectione in unam ſimul coïncidant narrationem, quam quidem eodem tenore continuant, veluti funem trilicem, haud diſrumpi facilem: cujus rei lectorum oculi judices fiant.

Harmonia & Explicatio.

VERS. 14. *Reverſus eſt autem Jeſus cum virtute Spiritûs.*

QUatuordecim jam menſes ad minimum elapſi erant, ex quo Spiritus Sanctus ſuper *Chriſtum* in Baptiſatione ejus deſcenderat; & *Lucas* tamen virtutem Spiritûs in eo poſt illud ſpatium manentem ultrò memorat. I. Ut oſtenderet illum habuiſſe Spiritum uberiori copiâ effuſum, quàm alii, qui non ſemper ex hoc Spiritu ſunt actuati, poſt ejus in eos primam effuſionem, 2 *Reg.* 4: 27. *Chriſtus* verò ſemper fuit. II. Euangeliſta in Hiſtoria immediatè præcedente oſtenderat, *Chriſtum* ductum fuiſſe virtute Spiritûs in eremum, & per eam tentationes *Satanæ* eluſiſſe; & nunc oſtendere voluit, illum eâdem virtute venire ut homines aggrederetur & eorum paſſiones vinceret. Sed III. & præcipuè *Lucas* hâc utitur phraſi, quia jam memoraturus erat quomodo *Chriſtus* cœpit miraculis inclareſcere, adeò ut fama ejus exierit in univerſam terram, & Miniſterium ejus ab omnibus honore ampliatum; & nunc temporis opportunum erat memorare virtutem Spiritûs Domini ſuper eum, quum pleniùs & preſſiùs erat Euangelii Miniſterium aggreſſurus.

LUCÆ CAP. IV. VERS. 14, 15.

VERS. 15. *Et docebat in Synagogis eorum.*

Hîc loci ſunt hæc duo attentiùs paulò conſideranda. I. Natura & conſtitutio Synagogarum eorum. Et II. quâ ratione & authoritate *Chriſtus*, qui hactenùs pro idiotâ & laïco habebatur, permiſſus erat in iis docere. Horum prius conſiderationem noſtram meretur, propter frequentem Synagogarum per tota Euangelia, reliquoſque Novi Inſtrumenti libros mentionem: poſterius, ob quæſtionem toties & tam litigioſè ventilatam, de prædicando ſine publica vocatione & ordinatione.

SECTIO I. *Antiquitas & divina Synagogarum inſtitutio.*

Quamvis vox hæc *Synagoga*, aut *Synagogæ*, totidem expreſſa litteris rarò *Anglicanis* in Bibliis reperiatur, ipſa tamen tum ratione, tum loquendi modis æquipollentibus omninò inducimur ut credamus vero quàm ſimillimum eſſe, has *Synagogas*, locaque ad hujuſcemodi Conventus deſtinata *Iſraëlitico* in regno antiquis iis temporibus fuiſſe ſat frequentia.

Primò enim diſertis verbis juxta Verſionem *Anglicanam*, *Pſalm.* 74: 4. dicitur hoſtis ubique combuſſiſſe omnes Dei *Synagogas*. Quam quidem vocem licèt *Chaldaica Paraphraſis* de *Templo* tantùm accipiat, ac *Rabbinus Solomon à Shiloh* de primo ſolùm & ſecundo *Templo*; attamen ex numeri pluralis uſurpatione, ipſoque adeò contextu compulſi eam meritò de pluribus Synodis, atque uno tantùm in loco habitis, intelligimus: quam & *Aquila* conformiter Verſioni *Anglicanæ*,

Digitized by Google

Synagogas reddit, & *Jonathan* Paraphraſtes Prophetarum (quicunque Pſalmorum fuerit) ipſum ſenſum iſtius partis Pſalmi eo modo, quo *Anglicana* Biblia, enunciat, cùm interpretatur hunc locum *Iſaj.* 7: 19. בכל הנהללים, *Apis Aſſyriæ invadet omnes domos laudis.*

II. Quid aliud *loca excelſa* toties à Sacris Codicibus, 1 *Sam.* 9: 19. & 10: 5. 1 *Reg.* 3: 4. &c. nec malo ſenſu commemorata eſſe velimus, quàm *Synagogas*, locaque publico *particularium Congregationum* cultui addicta? Quamvis enim *excelſa* malè ſæpe in Scripturis ſonent, tanquam idololatriæ, falſoque cultui devota, 1 *Reg.* 11: 7. & 12: 31. *Jerem.* 7: 31. & 19: 5. &c. quædam tamen *excelſa* hanc infamiæ notam non ſubiere, utpote quorum honorifica in Scripturis mentio facta ſit. Et licet hæc ipſa quoque frequenti cenſurâ notentur, quòd ſacrificium ibi fieret, cùm *Hierojolymis* tantùm offerendum foret; nuſquam tamen damnantur quòd homines Deum illic adorarent. In 2 *Reg.* 12: 2. & 14: 4. & 15: 4. &c. dicuntur *Joash*, *Amaziah*, & *Uzziah feciſſe quod rectum erat in conſpectu Domini:* ſed mox adjicitur, *Verumtamen loca excelſa non ſunt amota.* Hoc autem non ita accipiendum eſt, quaſi amovenda forent eo nomine, quòd publico cultui devota eſſent: ipſe enim Textus ſat ſemper exprimit quis illìc abuſus admitteretur, quidque amoveri debuiſſet; quia ſcilicet populus ſacrificium & thus iis in locis offerre non debuit, cùm hanc divini cultûs partem in urbe tantùm *Hieroſolymitana* perfici oportuiſſet, מחרבן שילה עד בית המקדש הוהרו הבמות: *A deſtructione Shiloh ad ædificationem Templi legitima erant excelſa:* quod unâ omnes voce aſſerunt *Judæi*, accipiuntque generatim de ipſo etiam ſacrificio iis in locis legitimo. Quòd autem conſtructo jam Templo populus ſacrificia adhuc illìc offerre non deſineret, idcircò ſæpè reprehenditur; ob nullum verò alium in *excelſis* cultum idololatricus foret.

III. Quî, quæſo, fieri poſſet ut injunctum ſibi Sabbatum, *Levit.* 23: 3, 4. *Judæi* ſervarent, niſi quovis tempore *Synagogas*, aut *particulares Congregationes* habuiſſent? quod voces hæ *Synodi*, aut *Congregationes* in plurali numero uſurpatæ indiciis haud obſcuris indicant, *Pſalm.* 26: 12. & 68: 27.

IV. Examinemus quo demùm pacto injunctas ſibi ſolemnitates celebrare potuiſſent *Judæi* præter tria feſta ab ipſis neceſſariò *Hieroſolymis* celebranda, ſi *Synagogis*, aut particularibus Synodis caruiſſent. Quid in deſerto die Sabbati agerent, cùm area Tabernaculi milleſimam eorum partem capere nequiret, cùmque ſolis familiarum officiis propoſitæ ipſis regulæ non ſatisfieret? Ubi jam in regiones perveniſſent *Hieroſolymis* adeò diſſitas, ut eò ſe quovis Sabbato conferre non poſſent? Aut quando familia quævis *Legem* legere, nedùm interpretari non poterat; aut quoties plurimæ familiæ impenſis Sabbati pares non erant, cùm nec conducere quempiam, nec præ ignorantia capacem muneris invenire poſſent, quid tùm temporis abſque *Synagogis* de ipſis factum eſſet? An non Legem, Sabbatum, religionem, omnem Dei, ſuiquemet ipſorum notitiam penitùs amiſiſſent?

V. Quî factum eſt ut populus primùm *Synagogas* inſtitueret, eaſque frequentaret? De iis legimus ſecundo Templo ædificato, præſertim ſub tempora *Chriſti*, ejuſque Apoſtolorum, cùm populus hypocriſi ac Traditionibus ſeductus erat: quis tam ſibi perſuadeat corrupto eo ſeculo Synagogas conſervandæ cognitioni Dei religionique adeò neceſſarias fuiſſe inſtitutas, ac eaſdem purioribus ac ſanctioribus *Davidis*, *Joſuæ*, *Samuelis*, &c. prorſus omiſſas & neglectas? Quis exiſtimet *Phariſæos* tam utiles conſtituiſſe Conventus, [quàm utiles fuerint, ut alia argumenta omittam, ex *Chriſti* ipſius Apoſtolorumque repetito ad eos acceſſu ſat patet] & iiſdem Seniores ac Prophetas, Sanctoſque ſub Veteri Teſtamento caruiſſe? Conſidera rurſus quid *Chaldæus Paraphraſtes* hac ſuper re ſentiat, qui in hæc verba *Deboræ*, *Judic.* 5: 9. *Cor meum ad Gubernatores Iſrael, qui lubenti animo offerunt ſeſe, Laudate Dominum,* hunc ferè in modum excurrit, *Miſſus ſum ad laudandos Scribas Iſraël, qui hac premente afflictione non deſinebant inveſtigare Legem, ipſiſque nunc decori eſt, ipſoſque decet quod propalam ſedeant in Synagogis, doceantque populum verba Legis, & benedicant, laudentque Dominum.*

Quæ cùm ita ſint, patet omninò, ut pluribus hoc argumentum non urgeam, quandoquidem conſervandæ religioni *Synagogæ* neceſſariæ adeò erant, ut abſque his omnis brevi religio interitura foret; patet, inquam, eas non tantùm in uſu fuiſſe apud Iſraëlitas à primo eorum in terram Canaan ingreſſu, ſed & ſacram habuiſſe originem: ſi enim earum inſtitutio

LUCÆ CAP. IV. VERS. 15.

LUCÆ CAP. IV. VERS. 15.

tutio diſtinctè omninò à *Moyſe* aliove quopiam Prophetâ non derivetur, earum tamen erectionem religio adeò requirebat, ut ſin minùs divinæ originis, divinæ certè, ut ita loquar, neceſſitatis dici poſſint, quòd imprimendæ conſervandæque rerum divinarum cognitioni neceſſariæ ſemper fuerint.

SECTIO II. *De Synagògis poſt Judæorum à Captivitate regreſſum.*

Quantacunque fuerit poſterioribus hiſce temporibus divini cultûs in *Synagogis* corruptio, cùm peccatum, error, Traditioneſque omnia implebant, [quid enim quantumvis ſanctum alienos aliquando in uſus hominum iniquitate audaciâque detortum non fuit?] quia tamen Novum Teſtamentum de *Synagogis* loquitur prout tùm meliores pejoreſve erant, ſæpèque earum reſpicit conſuetudines Traditionibus jam humaniſque fictionibus commixtas; inſtituti noſtri ratio exigit ut eaſdem ipſarummet antiquitatibus Traditionibuſque conformiter deſcribamus: ex quibus licèt manifeſtum futurum ſit corruptum eſſe ſtolidis ipſorum ſtultiſque omninò inventis *Synagogæ* cultum; his tamen non minùs ſublata eſt *Synagogarum* neceſſitas, quàm Legis ipſius eorumdem Traditionibus.

Ea igitur loca primùm adibimus, in quibus ex Judaicarum Traditionum præſcripto Synagogæ erigi conſtruique poterant. Ædificari autem non debebant in quavis urbe, oppido, villave regni Iſraëlitici, ſed עירות גדולות. in *civitatibus tantùm magnis:* quænam civitas autem ejuſmodi foret, *Thalmud* his verbis determinat: אי זו היא עיר גדולה כל שיש בה עשרה בטלנים פחות מכאן הריזה כפר: *Quid magnæ civitatis nomine intelligendum? Ea hoc nomine civitas intelligitur, in qua decem homines in otio vivunt: ſi pauciores, pagus reputatur*, *Megill. Perek.* 1. Hoc quoque ſenſu *Maymonides* intelligendus eſt, cùm ait כל מקום שיש בו עשרה מישראל צריך להכון בה בית שיכנסו בו לתפלה: *In quovis loco in quo decem Iſraëlitæ ſunt, neceſſe illic eſt ædificari domum, ad quam quovis precum tempore grandi causâ conveniant. Hic autem locus* Synagoga *dicitur. Viri autem civitatis ſeſe invicem hortari debent ad extruendam* Synagogam, *emendumque Librum Legis, Prophetarum, & Hagiographorum*, Maymon. in Tephill. *Perek.* 11. quod non ita intelligendum, quaſi in quacunque urbe decem *otioſi* homines forent, in ea Synagoga conſtrui mox deberet, ſed alicujus ii notæ ac dignitatis fuerint neceſſe eſt.

Determinatio numeri denarii inde originem duxit, quòd *Congregationem* eam legitimam non ducerent nec Deo gratam, in qua decem non erant. *Neque enim legebant Legem, aut Prophetas in Synagoga, neque manus attollebant*, &c. *niſi decem adeſſent*, Megillah, Perek. 4. Neque enim Deum præſentem ibi exiſtimabant, ubi decem non aderant. *Majeſtas divina non habitat inter pauciores quàm decem.* Quin etiam *R. Jonathan* ait, *Cùm ſanctus benedictus Deus in Synagogam venit, nec decem illic offendit, ſtatim eum iraſci, ut dicitur, Cur illuc veni, ubi nullus erat?*

ומניין לעדה שהיא עשרה. Sed unde trahit originem hæc opinio, quòd Congregatio paucioribus quàm decem conſtare non debeat? Hanc ipſam *Thalmud* quæſtionem proponit in *Sanhedr. Perek.* 1. cui hunc in modum reſpondent. שנא עד מתי לעדה הרעה הזאת יצאו יהושע וכלב, *Quia dicitur, Quamdiu patiar Congregationem hanc malam* (עדה *Numer.* 14: 27.) *Tolle Joſuam & Calebum, & decem tantùm ſupererant reſidui:* ſcilicet ſpeculatores qui murmurandi occaſionem populo præbuerunt; de his enim tantùm hæc verba intelligi volunt.

Huc ſpectare videntur verba *Chriſti*, *Matth.* 18: 17, 20. *Dic Eccleſiæ*, aut עדה *Congregationi:* quæ non innuit decem, aut plures, ut illi tenuerunt, ſed *duos treſve in nomine meo congregatos*, ſi fortè plures haberi non poſſent.

Huic igitur ſignificationi verbi עדה vel *Congregationis*, à Traditione ductæ, quòd ſcilicet decem ea nec paucioribus conſtare debeat, innitentes, erexerunt Synagogas iis in locis, in quibus decem homines erant, qui forent בטלנים, aut ſemper in otio, aliiſque occupationibus liberi, ut Eccleſiam quovis precum tempore adirent, ex quibus demùm Congregatio fieret. Pauperiores & artifices, hominesſque multis diſtracti negotiis eò ſemper per negotia accedere non poterant. Quare ii qui Congregationem ſtatis horis conflare ſemper debent, ſint oportet גדלים בני חורים, ut *Rambam* eos vocat ubi ſuprà, *Perek.* 12. *Homines ordinis, notæ alicujus & dignitatis*, non tam comparatè ad externas poſſeſſiones, opes, honores, quàm ad ſtudium Legis, & religionis, שאין לך בן חורין אלא מי

שעוסק בתלמוד תורה : *Nullus enim eſt Ben horin*, aut vir ordinis, *niſi qui Legis peritus eſt*, Avoth, Perek. 6.

SECTIO III. *De tempore Synagogæ, ſive quibus maximè diebus conveniebant Judæi.*

In quacumque civitate degebant decem viri ordinis ac dignitatis ſenſu præmemorato, in ea conſtruebant Synagogam, conformiterque numero horum hominum locique frequentiæ auxére numerum Synagogarum, adeò ut plurimæ interdum eadem in urbe forent. In Tractatu *Beracoth*, fol. 8. dicuntur *duodecim fuiſſe Synagogæ in Tiberiade : & R. Solomon* numerat octo ſupra quadringentas in urbe *Hieroſolymitana* Synagogas, in *Iſaj*. 1.

Tres autem cujuſvis ſeptimanæ dies præter feſtos publico cultui ſeu publicis precibus conſecrabantur, Sabbatum ſcilicet, & feria ſecunda ſeu dies Lunæ, & feria quinta ſive dies Jovis. Ut Sabbato ad orandum, legendamque Legem convenirent præſcriptum ipſis à *Moſe* erat, *Maymon. Tephill. Perek*. 12. *Sed ut ſecundo quintoque ſeptimanæ die convenirent ab Ezra ſtatutum eſt*, *Thalm.* in *Bava Bathra*, *Perek*. 4. Ibi *Gemariſtæ* & *Gloſſarii* diſputant cur hi duo dies potiùs quàm quivis alii ſeptimanæ præſcripti fuerint; dicuntque aliqui hos præcipuè præſcriptos fuiſſe, ne tres continuè dies abſque auditione Legis forent. Hucque referebant locum illum *Exod*. 15: 22. *Profecti ſunt triduò in deſertum, & aquam non invenerunt.* Alii aſſerunt duos hoſce dies idcirco præſcriptos, quòd *Moſes* die quinto ad renovatas Legis Tabulas recipiendas aſcenderit, deſcenderitque rurſus ſecundo.

Duo hi ſeptimanæ dies dicebantur ימי כניסה, *Dies Congregationis*, Megill. Perek. 1. *Quia ſcilicet hiſce diebus pagorum incolæ ad magnas civitates ſe conferebant, in quibus Synagogæ habebantur ad audiendam Legem*, Gloſſ. *Miſchnajoth*, ibid.

Sedere ſolebant Judices in Tribunali duobus hiſce ſeptimanæ diebus, *Chetuboth*, *Perek*. 5. Hiſque pariter duobus hebdomadæ diebus jejunare ipſis ſolemne erat, *Luc*. 18: 12. *Gloſſ*. in *Bava Bathra* ubi ſuprà.

Gentiles, ut refertur in *Actor*. 13: 22. deſiderarunt ut eadem coram ſe verba proferrentur εἰς τὸ μεταξὺ Σάββατον, *Sabbato intermedio:* quod nî intelligatur de quodam ſeptimanæ die quo Synagoga celebrabatur, Chriſtianum Sabbatum dilucidè probaret.

Eorum Canones à Traditione ducti præſcribebant publicos in Synagogis conventus ob rationes manifeſtas tum à religione, tum à ratione ductas. *Deus non repudiat*, inquit, *preces Congregationis, licet adſint ibi etiam peccatores. Quare neceſſe eſt ut quis ſe Congregationi jungat, neque unquam ſolus oret, quando una cum Congregatione orare poterit. Eat quis ſemper ad matutinas ac veſpertinas in Synagoga preces. Quiſquis autem in Synagoga civitatis ſuæ non in ea cum Congregatione orat, vocatur* שכן רע, *vicinus iniquus*, Maymon. in *Tephillah*, *Perek*. 8. *Beracoth*, fol. 61. *Prohibitum autem erat precum tempore, ne quis per Synagogam iret, niſi onus quoddam dorſo impoſitum gereret, aut niſi plures in urbe Synagogæ forent; tùm enim ſupponi poterat quòd ad propriam ipſe Synagogam iret: aut ni gemina forent Synagogæ oſtia; qui enim tùm quempiam per alterum oſtium tranſeuntem conſpiceret, cogitare poſſet eum per alterum ingreſſurum. Si tamen ſua quis ſuper caput Phylacteria gereret, ei tranſire licebat: his enim teſtimonium edebat, quòd Legis memor eſſet*, Id. ibid. Perek. 6. Hac Phylacteriali ſtudentis notâ, hominiſque Legis periti, incitabantur, nî fallor, Rectores Synagogæ *Antiochenæ* in *Piſidia*, ut invitarent *Paulum* & *Barnabam* ad habendam coram populo concionem: eos ſiquidem omninò non noverant; neque ſatis capio unde potiùs conjicere poſſent eos eſſe ad docendum idoneos, quàm ex *Phylacteriis* ab iiſdem geſtatis, quæ docti tantùm inter *Judæos* geſtare ſolebant, quibus pariter & Apoſtoli inter *Judæos* utebantur: *Judæis* enim facti ſunt *Judæi* ut eos lucrifacerent.

SECTIO IV. *De Synogogæ Præfectis.*

Judæorum Synagogæ à Judæis Scriptoribus in duas dividuntur partes, *Sacrarium*, & *Eccleſiam*. Sacrarium dicebant היכל, *Templum* versùs Occidentem, ut *Sanctum Sanctorum*, in Tabernaculo & Templo ſitum. In hoc ſtatuebant Arcam; quævis enim Synagoga unam habebat, in qua Liber Legis reponebatur. In ipſo Eccleſiæ meditullio Congregatio coïbat, orabatque, ac Legem audiebat. Modus autem ordoque ſedendi ita fere ſe habebant. Seniores prope Sacrarium demiſſo ad Eccleſiam vultu ſedebant, populuſque alter poſt alterum converſo

LUCÆ CAP. IV. VERS. 15.

verſo ad Eccleſiam vultu verſus Sacrarium ac Seniores. Populum inter & Seniores ſibi invicem obverſos ſtabat ſuggeſtum, è quo Lex legebatur concioneſque ad populum habebantur, *Thalm. in Megill. Perek.* 4. *& Maymon.* ubi ſuprà.

Jam *Rabbi Alphes* docens quid ſibi velint *Seniores Synagogæ*, ait זקנים דהיינו חכמים, *fuiſſe Sapientes*, aut ſtudioſos Legis, hoc eſt, decem illos viros religionis, ordinis, ac doctrinæ ſuperiùs commemoratos, qui principes ac præcipui *Congregationis* ſocii erant. Ex his Senioribus quidam munus aliquod in Synagoga gerebant, quidam nullum. Cui diſtinctioni Apoſtolus alludere videtur in Textu illo adeò controverſo, 1 *Tim.* 5: 17. *Seniores qui bene regunt*, &c. ubi *Seniores* qui bene rexerant non tantùm opponuntur iis qui malè rexerant, ſed & iis qui ad nullam regiminis partem admiſſi erant.

Qui regebant, aut aliquod in *Congregatione* officium gerebant, hi duo erant.

I. ראש הכנסת, Ἀρχισυνάγωγος, *Princeps* aut *Præfectus Synagogæ*, Luc. 8: 41, 49. Huic præcipuè rerum illîc cura commiſſa erat, ne quid minùs decenter aut inordinatè fieret, *Luc.* 13: 14. Initium legendi Lectori indicabat, *Maymon.* ubi ſuprà, *Perek.* 12. tempuſque reſpondendi *Amen* populo innuebat, *Aruch in* אמן; reſque ejuſcemodi curabat, quæ ad regimen obſequii divini & Synagogæ conducebant.

II. שליח הצבור, *Angelus Eccleſiæ*, *Miniſter Congregationis*, qui *verbum* Dei & doctrinam exponebat, cùm conſtans eſſet *Synagogæ* Miniſter qui oraret, concionaretur, Librum Legis ſervaret, Lectores ejuſdem conſtitueret, attenderetque rectene legerent. Hinc vocabatur חזן, Ἐπίσκοπος, *Epiſcopus* aut *Superinſpector*, quæ eſt aperta *Baalis Aruch* interpretatio. חזן, inquit ille, שליח הצבור, *Miniſter Congregationis erat: voxque ipſa ſonat Superinſpectorem, ipſius enim erat attendere qui ſuo Lectores officio fungerentur.* Juxtaque Gloſſam in *Maymon.* locis præmemoratis, *Sheliahh hatzibbor*, aut *Angelus Eccleſiæ*, & *Chazan* aut *Epiſcopus*, idem planè ſunt. Atque ita colligere licet, unde hi tituli atque epitheta Novi Teſtamenti deducantur, à communi nempe Synagogæ conſtitutione ac regimine. In Synagoga enim voces hæ, *Angelus Eccleſiæ*, & *Epiſcopus* frequentiſſimè uſurpabantur. Hinc animadvertere poterimus unde Apoſtolus quoſdam loquendi modos deducat, cùm loquitur de *Senioribus adminiſtrantibus*, & *laborantibus in verbo, ac doctrina*, & de quibuſdam non itidem laborantibus; à forma ſcilicet, conſtitutioneque Synagogæ: Moderator enim Synagogæ peculiariter deſtinabatur ad adminiſtranda ejuſdem negotia, qui tamen Theologiæ continuè ſtudebat, & *Miniſter* inſuper *Congregationis* laborans in verbo & lectione Legis, prædicationeque doctrinæ à Paulo commemoratur: hi ſimul interdum ambo *Rectores Synagogæ* dicuntur, *Actor.* 13: 15. *Marc.* 5: 22. ambo Seniores erant qui regebant: ſed titulus hic peculiariter priori attribuitur.

SECTIO V. *De eorum Concionatoribus.*

Cùm tam Judaïcas Synagogas, ut tùm erant, contemplati ſimus, non abs re fuerit nunc examinare quibus maximè de cauſis *Chriſto* licuerit in Judæorum Synagogis docere, cùm privatus tantùm eſſet, atque educatione mechanicus: neque enim filius tantùm fabri reputatus eſt, ſed & faber ipſemet appellatur, *Marc.* 6: 3. An in more poſitum erat apud Judæos, ut mechanici artificeſque concionarentur, ſi in hoc ſe munus intruderent? Minimè ſanè: nulla enim ejuſmodi apud Judæos conſuetudo erat, vi cujus ad ſuggeſtum admittebatur; ſed tantam factis ubique miraculis famam ſibi conciliarat, ut Propheta à populo haberetur: hac populi de ipſo opinione contingebat, ut ei docere & concionari in quacumque Synagoga liceret.

I. Ab ipſa prima Eccleſiæ *Iſraëliticæ* conſtitutione Tribus *Levi* ſelecta erat ad publicum Miniſterium ut altari *Hieroſolymis* inſerviret, populumque ubique doceret, *Deuter.* 33: 10. *Mal.* 2: 7. utque aptiores ad hoc munus fierent, civitates octo ſupra quadraginta ipſis ſunt attributæ, *Joſ.* 21. in quibus ſimul vivebant quaſi totidem in Univerſitatibus ſtudentes Legi, ut tandem ad capeſſendum Concionatorum in Synagoga munus apti evaderent, Scholaſque per ditiones Iſraëliticas docere poſſent.

II. Viri quoque aliarum Tribuum Legi operam navabant, evadebantque docti, & publici Concionatores, æquè ac Sacerdotes ac *Levitæ*. Hoc è numero erant Scribæ è *Zebulon*, *Jud.* 5: 14. viri eruditi ex *Iſſachar*, 1 *Paralip.* 12: 32. magnus *Hillel* ex Tribu *Juda*, ejuſque poſteri, *Rabban Simeon*, *Rabban Gamaliel Pauli* Ma-

Digitized by Google

LUCÆ CAP. IV. VERS. 15. Magiſter, &c. *Paulusque* ipſe ex Tribu *Benjamin*. Quid quòd eorum interdum Doctores, ac publici Legis Interpretes, Theologiæque Profeſſores, aut omninò *Iſraëlitæ* interdum non erant, ſed Proſelyti tantùm, aut Proſelytorum filii? ut *R. Akiba* vir celeberrimus, *filius erat Joſephi Proſelyti juſtitiæ*, *Maymon. Præf. ad Jad hazakah:* aut ſemi tantùm *Iſraëlitæ* erant, ut *Shemajah*, & *Abtalion* dicuntur à *Maymon.* loco citato eſſe *Proſelyti juſtitiæ*, atque ab *Abrahamo Zaccuth*, eſſe è poſteritate *Sennacherib*, quorum tamen mater *Iſraëlita* fuit, *Juchaſin*, fol. 50.

III. Quidam è publicis eorum Doctoribus ac Concionatoribus mechanici fuerant: ut *R. Johanan* dictus *Sandelar*, aut *Sutor*; *R. Judah* dictus *Hajiat*, aut *Ergaſtularius*, &c. quod confirmat *Maymonides*, &c. גדולי חכמי ישראל היו מהן חוטבי עצים. *Quidam è præcipuis regni Iſraëlitici Sapientibus fuere ligni ſectores, aquæ eductores; quidam cæci, qui tamen ſe in Lege die noctèque exercebant, atque ita magni Traditionis Magiſtri evaſere*, in *Thalm. Torah, Perek.* 1.

IV. Nemo jam præmemoratorum ad publicum hoc docendi concionandique munus admittebatur, qui non priùs ordinatus fuiſſet: ipſaque ordinatio quædam erat quaſi ad hunc vitæ ſtatum officiumque vocatio. Ita *Johanan Sutor* aut *Sandelar* præmemoratus, ordinatus eſt à *R. Akibah*, priuſquàm palàm doceret, aut *Rabbi* diceretur, *Juchaſin*, fol. 61. Nullus enim *Rabbi* dicebatur, niſi priùs ordinatus; hac enim ſæpè appellatione ordinabatur quis: *Neque enim ordinando manus ſemper imponebant, ſed vocabant eum* Rabbi, *dicebantque ei, Ecce tu jam ordinatus es*, &c. *Maymon. in Sanhedr.* Perek. 4. *Temporeque ordinationem præcedente Patris appellatione gaudebat, ut* Ben Betirah; *ſed poſt ordinationem vocabatur* Rabbi *Joſhua Ben Betirah*, Juchaſin, fol. 56. Uſque ad *Hillelis* tempora publicus Doctor ordinatus poterat & ſolebat ſuos ordinare Diſcipulos prout eos idoneos exiſtimabat: ſed hic poſtea ritus à *Synedrio* perficiebatur. Solebant autem ordinare homines ad particularia in publica adminiſtratione munera, quibus nullum aliud niſi munus illud ad quod ordinati erant, exercere licebat. כל מי שירצו לדברים יחידים. *Poteſtatem habent*, inquit Maymon. *conſtituendi quem voluerint ad peculiaria munera obeunda: exempli gratiâ, quidam erat magnæ eruditionis vir, qui totam Legem æquè docere poterat, in poteſtate Synedrii, ſeu eorum qui Cœtum hunc conſtabant, erat ut ipſum ordinarent, ita tamen ne judicare poſſet, aut quoſcunque ſervos liberoſque docere: vel poteſtatem ipſi concedere poterant docendi ubique ſervos liberoſque, ſed non judicandi de rebus pecuniariis: aut poteſtatem ei concedebant de his judicandi, ſed non de iis quæ damnum ſpectabant*, &c. *Maymon.* ubi ſuprà. LUCÆ CAP. IV. VERS. 15, 16.

Tanta erat ipſorum cautio circumſpectioque in rebus ad ordinationem ſpectantibus, legitimamque publicorum Doctorum Judicumque deſignationem ad peculiaria in publica adminiſtratione munera, ut ſuis quiſque limitibus circumſcriberetur, ne quis ſibi quamcunque voluiſſet docendi adminiſtrandique provinciam aſſumeret. Nequaquam itaque in more poſitum erat apud Judæos, ut mechanici, aut non vocati, aut non ordinati, Doctoris Concionatoriſve Cathedram conſcenderent, ut pro ſua quiſque libidine doceret, aut concionaretur; ſed ſolemnis erat apud ipſos vocatio dimiſſioque ad ejuſmodi munera, legitimâ ſcilicet ordinatione à viris reipſa ordinatis factâ.

V. At ſi quis Spiritu Prophetico afflatus concionandi ſibi munus aſſumeret, ei concionari licebat: neque tamen hoc nomine unicuique licebat id ſibi officii imponere, in eoque perſeverare; Synedrium enim de Pſeudo-Prophetis judicare debebat. Qui autem Propheta non erat, concionarique tamen Prophetæ ad inſtar vellet, ſuo id periculo faciebat. Hinc itaque liberum erat *Chriſto* concionari, hincque audientiam ſibi quavis in Synagoga conciliabat, quòd non tantùm nomen Prophetæ ſibi aſſumeret, ſed & virtutem poteſtatemque ejuſdem manifeſtam redderet: ea enim miracula prodigiaque patrabat, quæ Propheticam ipſius vocationem indubiam redderent: *Glorificabatur proinde ab omnibus.*

VERS. 16. *Et venit ad Nazareth.*

Hunc locum conſultò prætergreſſus eſt cùm è *Judæa* venit, quòd probè noſſet nullum in patria Prophetæ honorem haberi, *Joann.* 4: 44. mirati enim omninò fuiſſent iſtius oppidi incolæ, quòd is qui artifex inter ipſos tot annos vixerat, jam ceu Propheta concionaretur. Unde pronum erat conjicere, quàm parùm illìc honorificè recipiendus foret. At cùm jam famam ſibi per totam regionem conciliaſſet,

LUCÆ CAP. IV. VERS. 16. ciliaſſet, omnibuſque circùm in Synagogis docuiſſet, ad natale demùm ſolum venit, prolaturus qui ea quam prædicabat doctrina illic reciperetur.

Juxta conſuetudinem ſuam ivit in Synagogam.] Sive ſenſus ſit, juxta conſuetudinem præſentem, aut præteritam, dum privatam vitam degeret, (quod potiùs crediderim) non video quid *Separatiſta*, qui publico noſtris in Congregationibus cultui ſeſe ſubducunt, huic reſpondere exemplo queant. Annon enim publicus Judæorum in Synagogis cultus tam corruptus erat, quàm noſter fingi queat? Nunquid incolæ *Nazareth* tam depravati erant, quàm pleræque hodiernæ Congregationes? Verſus 29. nefandam eorum nequitiam ſat indicat. Quid illic *Chriſtus* adhuc privatus egit? An nunquam ad Synagogam ſeſe contulit, Sabbato, diebus feſtis, & quibus in Synagoga reliqui publicis intererant precibus; an domi otioſus ſedit? Quid, quòd publicus jam Miniſter factus Synagogam *Nazareth* adit, tanquam membrum Congregationis, legitque illic propalàm? Nuſquam in Euangelio reperitur, licèt in qualibet Synagoga concionatus fuerit, quòd in ulla præterquam in hac legerit: neque uſquam apud Thalmudicos, aut Judæos Scriptores reperire eſt, quod alii à ſociis membriſque Congregationis ipſorum in Synagogis aliquando legerint. Extranei quidem, fateor, ſi docti eſſent, eorum in Synagogis concionari poterant; teſtes ſint *Paulus* & *Barnabas*, Actor. 13: 15, 16. &c. nemo tamen niſi membrum Synagogæ in oculis omnium ibi legebat. Nuſquam Scripturæ nobis indicant, aut eos qui reipſà ſancti erant, aut videri volebant, aut *Sanctitatem* etiam *incarnatam*, publico in Congregatione cultui ſe ſubduxiſſe.

Stetitque rectus ut legeret.] *Moſes* & Prophetæ legebantur in Synagogis quolibet Sabbato, *Actor.* 13: 15. & 15: 21. & *Moſes* prætereà quovis Synagogæ die, ac Prophetæ quovis die feſto, nonoque menſis *Ab*, quo jejunabatur, & quàvis inſuper feriâ eſuriali, *Maymon. in Tephillah, Perek.* 12.

Die Sabbati erant ſeptem Lectores Legis, die Expiationis ſex, diebus feſtis quinque, noviluniis ſeptemque diebus ſolemnium feſtorum quatuor, ſecundo quintoque ſeptimanæ die tres.

Porrò Lex à paucioribus quàm tribus legi non poterat; à tribus, inquam, ſibi invicem ſuccedentibus, *Id.* ibid. & *Thalm.* utrumque in *Megill. Perek.* 4. *in Gemara.* Septem Sabbato Lectores hoc ordine legebant: primò Sacerdos, tum Levita, deinde quinque Iſraëlitæ ſibi invicem ſuccedentes. Si nullus illic adeſſet Sacerdos, aut Levita, ſeptem tùm Iſraëlitæ legebant. Si adeſſet illic Sacerdos, nulluſque Levita, tunc bis Sacerdos legebat. Sed ordo hic erat: *primò Sacerdos, tum Levita, dein Iſraëlita, tum quartus, quintus, ſextus, ſeptimus.* Hinc tyrones linguæ Hebraicæ intelligere poterunt, quod in quibuſdam Pentateuchis offendent, ut in Pentateucho Bibliorum *Buxtorfii*, eoque cum triplici *Targo*; intelligere, inquam, poterunt quid ſibi velint hæc verba in margine poſita, כהן & לוי & ישראל & רביעי & חמישי & ששי & שביעי, quæ nihil aliud indicant quàm ordinem legendi Legem: primo enim legebat Sacerdos, tum Levita, deinde quinque ordine ſuo Iſraëlitæ.

שליח צבור, *Angelus Eccleſiæ*, aut *Miniſter Congregationis* evocabat eum qui lecturus erat, conſcendebatque is Cathedram (בימה Βῆμα) in medio Synagogæ poſitam hunc ad uſum, eique Librum Legis tradebat, quem aperiebat, inſpiciebatque quis locus legendus eſſet; ſed non incipiebat donec *Archiſynagogus* incipere ipſum juberet. Quinetiam ſi *Archiſynagogus* ipſe, aut Miniſter Congregationis lecturus erat, non incipiebat donec Congregatio, aut is qui jam præcipuus inter eos erat, legere eum juberet, *Maymon.* ubi antè.

Priuſquàm legeret, inchoabat ab oratione, benedictione, laudationeque Dei, quòd eos in populum ſuum elegiſſet, ſuamque ipſis Legem dediſſet, &c. Tùm incipit, ſtanſque toto tempore legit, ut dicitur in Euangelio, *Surrexit*, ſive *erexit ſeſe*, ſeu *ſtetit rectus ut legeret.* Huncque corporis ſitum Tractatus *Megillah* præſcribit, *Qui Legem legit ſtet oportet, tum ob reverentiam ipſi Legi debitam, tum quia Deus Moyſi dixit*, Sta tu hìc mecum, *Perek.* 4. *in Gemara.*

Ut legebat ſtabat juxta Miniſter Congregationis, quò attenderet, rectène pronunciaret legeretque: hincque dicebatur חזן *Epiſcopus*, aut Superinſpector, ut ſuprà obſervatum eſt. Si autem à recta pronunciatione aberraret, repetere eum voces minùs rectè pronunciatas jubebat.

Stabat quoque juxta eum alius, qui linguâ *Chaldaicâ* exponebat quod è Textu *Hebraico* legebatur. *A diebus enim Ezræ* נהגו שיהא שם תורגמן, *Interpretem ſuis in Synagogis habere ſolebant, qui quod legebatur populo exponebat, ut ſenſum verborum caperent: Lectorque verſiculum legebat, quieſcebatque donec Interpres exponeret: pergebat tùm, aliumque verſum legebat, Interpreſque*

que

LUCÆ CAP. IV. VERS. 16.

que exponebat, unumque tantùm verſum Interpreti legere ei licebat. Eratque hæc perpetua in legenda Lege praxis. Prophetarum tamen tres Lector continue verſiculos legere poterat, &c. *Thalm.* & *Maymon. ubi* ſupra, & *Maſſecheth Sopherim*, *Perek.* 10.

So enim ipſis in more poſitum erat, inquit Alphes, *interpretari in Synagoga, quia linguâ Syriacâ loquebantur, exponebantque ut omnes intelligerent*, *in* Megill. *Perek.* 4. His conformiter loquitur pariter *Rabbi Solomon*, *Targum*, aut interpretatio, *eo tantùm conſilio inſtituebatur, ut mulieres* עם הארץ, *rudeſque populi qui Linguæ Sanctæ ignari erant, intelligerent: quæ legebantur autem vulgari linguâ*, *Babylonicâ exponebantur*, Ibid. Vide 1 *Cor.* 14: 27.

Hanc itaque interpretandi conſuetudinem neceſſitas induxit: Textum enim originalem intelligere non poterant, neque Scripturas publicè legere poterant niſi in Textu originali: tenentque ipſum *Ezram* hujuſce rei exemplum dediſſe; ita enim hunc locum interpretantur, *Nehem.* 8: 8. *Gemaristæ in Hieroſolymitana Thalmudica quæſtione*, *Unde conſuetudine inductus eſt Interpres. R. Zeora nomine R. Hananelis in hunc locum ita excurrit. Legerunt in Libro Legis, hoc lectionem ſonat; legerunt diſtincte, hoc interpretationem; ſenſum dederunt, hoc ſonat expoſitionem; feceruntque ut lectionem intelligerent, hoc ſonat Maſſoreth, aut accentus punctaque*, *In Megill.* ubi ſuprà. Ubi pariter duæ hæ breve hiſtoriæ referuntur. *R. Samuel bar R. Iſaac in Synagogam iverunt, aſpexeruntque quempiam ut interpretaretur, columnæ innitentem. Alter eorum ait ipſi, Id non licet: ut enim Lex data eſt in timore & terrore, ita ad uſum adhiberi debet non ſine timore ac terrore. Idem contulit ſeſe in Synagogam, viditque Angelum Eccleſiæ legentem, neminemque juxta eum.* (nullum Interpretem *exponit Alphes*) *Ait illi, Id non licet: data enim eſt Lex manu Mediatoris, ita manu quoque Mediatoris tradenda eſt. In Synagogam pariter ſe aliam contulit, viditque Scribam legentem è Libro interpretationem ſuam. Ait illi, Id non licet: quod verbo oris, verbo oris; quod è Libro è Libro.*

Lector ipſius *Haptharoth*, aut portionis Prophetarum, erat plerumque eorum è numero qui Legem legerant: evoçabatur ut legeret à Miniſtro Congregationis: conſcendebat ſuggeſtum, Liber Prophetæ ipſi tradebatur, inchoabat preces, aderatque ei Interpres, ſicut & Legem legentibus.

Sub legibus hiſce Synagogæ *Chriſtus* hoc tempore ſubintelligendus eſt legens in Synagoga, velut Synagogæ membrum, evocatus à Miniſtro, ſolemnem juxta morem legente portionem Prophetæ, cùm Lex jam lecta erat, (nec vero abſimile eſt lectam fuiſſe ab eo priùs aliquam Legis partem) dum interim adeſſet Interpres qui *Syriace* Textum redderet, Syriace tum ſuper eo concionari incipit.

LUCÆ CAP. IV. VERS 16, 17.

Jam ſi inquiratur, quo nomine Miniſter Congregationis eum ad legendum evocarit: reſponderi primò poterit, fieri poſſe ut ad idem ſæpè officium *Chriſtum* priùs evocaverit, cum privatus inter eos ageret: quamvis nulli niſi docti, & quidem ordinati, concionari ac docere eorum in Synagogis poſſent; pueri tamen ibi, ſervique, ſi opus foret, illic legebant, ſi recte legere poterant. Quamvis autem *Chriſtus* humiliter tantùm, conformiter ſcilicet conditioni parentum, educatus eſſet, *Joann.* 7: 15. haud dubiè tamen more reliquorum ex in Gente puerorum legere didicerat. II. Quidni dicamus *Chriſtum* in aliis *Galilææ* partibus ſapientiam operaque miranda oſtendiſſe, quibus ipſius fama quaquaverſum propagata haud dubiè ad *Nazareth* natale ipſius ſolum penetrarat: unde contingebat ut libenter experimenti faciendi gratia ipſum in Synagoga audire vellent, ſi præſertim nihil publici priùs muneris adminiſtraſſet, ut probarent num concitatæ de ſe expectationi reſponderet.

VERS. 17. *Et traditus eſt ipſi Liber Iſaja.*

Vigebat hæc Traditio, praxiſque communis erat, שאין קוראין ברובשין, בבתי כנסות, *Ut non legerent in Synagogis in quinque Libris Moſis ſimul colligatis*, ſed ut unumquemque Librum ſeorſim legerent: quod de Prophetis pariter intelligi poterit, majores enim Prophetæ, *Iſajas*, *Jeremias*, & *Ezechiel* ſeorſim ſinguli erant, duodecimque minores Prophetæ ſimul colligati: quod eo potiori jure concluſerimus, quia Traditio pariter apud ipſos erat praxiſque, מפטיר בנביא, *Ut Maphtir aut qui in Prophetis legebat, à loco in locum*, hoc eſt, à Textu in Textum illuſtrationis gratiâ tranſilire poſſet, *ſed ab uno Propheta ad alium tranſire ei non licebat; quod tamen de duodecim Prophetis minoribus non eſt intelligendum.*

Traditio Libri à Miniſtro, cui eum rurſus reddit, ubi ſemel legit, *verſ.* 20. confirmat quod priùs dictum eſt, quod *Chriſtus* ſteterit ut legeret tanquam membrum Synagogæ, juxta communem illic legendi conſuetudinem. Si autem Chriſtus præter, aut

LUCÆ CAP. IV. VERS. 17, 18. aut contra communem loci conſuetudinem legere voluiſſet, credibile non eſt Miniſtrum Librum ei traditurum, ut irregulariter, aut præter conſuetudinem legeret. Huc quoque accedit, quòd ſi *Chriſtus* voluiſſet tantùm recitare hunc *Iſajæ* locum, ut in Textum tantùm cui dicenda à ſe ſuperaſtrueret, eum ſeligeret, id memoriter abſque Libro facere potuerit: ſed hinc patet Lectorem eum fuiſſe ſecundæ lectionis, aut Prophetæ hujus diei, juxta morem quo ſolebat legi ab uno quopiam illius Synagogæ quovis Sabbato.

Invenit locum ubi ſcriptum erat, &c.] Non caſu, ſed deditâ operâ conſultòque: utrùm autem hic locus quem invenit propria necne ipſius diei lectio fuerit, in dubium vocari poteſt. Qui intueri voluerit *Haphtaroth*, aut lectiones Prophetarum quovis Sabbato legendarum, inveniet cur dubitet, utrùm hæc portio Prophetæ à *Chriſto* lecta, ex præſcripto in Synagoga legenda necne foret. Sed ut hujus rei inveſtigationi non immoremur, non æquè accurati erant in legendis Prophetis, atque in legenda Lege, *R. Alphes* ubi ſuprà: nam & minùs quàm præſcriptum erat legere poterant, & præterire, aliudque quàm ſcriptum erat legere. Utrùm itaque *Chriſtus* inceperit in aliqua alia portione Prophetæ, hincque tranſierit ad illuſtrandum quod illìc legerat, licèt hunc tantùm locum Euangeliſta commemorarit, ut ad *Chriſti* diſſertationem maximè facientem; aut utrùm hunc tantùm locum aſſumpſerit, nec aliud quidquam quàm quod à *Luca* commemoratum eſt, legerit, nihil è re fuerit examinare. Ipſius lectio non diſplicuit Synagogæ, veroque ſimillimum eſt eam fuiſſe in Synagoga non inuſitatam. *Qui in Prophetis legebat, non pauciores legere debebat quàm verſus viginti & unum.* ואם השלים הענין בפחות אין צריך. *At ſi ſenſum paucioribus finiſſet, neceſſe non erat ut tot legeret*, Megill. & *Maymon.* ubi antè.

VERS. 18. *Spiritus Domini eſt ſuper me.*

Judæi plerique hunc locum interpretantes ſenſum veritatemque illius fere ſemper ipſi Prophetæ applicant, ut applicaturus erat Eunuchus alium locum ejuſdem Prophetæ, *Actor.* 8: 34. Ita *Chaldæus* reddit, אמר נביא, *Propheta dicit, Spiritus Prophetiæ à Domino ſuper me eſt.* Et *David Kimchi, Hæc ſunt verba Prophetæ de ſeipſo.* Qua in applicatione non multùm aberrabant, dum verborum ſenſum ipſi *Iſajæ* applicarent, modò his eorum veritatem limitibus non circumſcriberent: munus enim Prophetæ optimè verba eloquuntur, cùm ipſius vocatio Miniſteriumque ſcopos ipſos illìc commemoratos agnoſcant. LUCÆ CAP. IV. VERS. 18. Hæc autem verba ad ſolum *Iſajam* ſi reſtrinxeris, plenum, quem præ ſe verba ferunt, ſenſum deſtruxeris, quemque ſibi ſummo in rigore Propheta applicare non poterat: cujuſmodi hæc ſunt, *inunctus*, *prædicans annum Domini acceptabilem*, additâ his vocibus emphaſi; aliaque quædam particularia, ut obſervare licet.

Solemne Prophetis eſt de ſe quædam loqui, quæ interdum ipſiſmet ad litteram ſolis applicari nequeunt, imò quæ quandoque ipſis omninò applicari non poterant, ſed quæ de *Chriſto* tantùm vera erant, ut *Pſalm.* 16: 10. *Actor.* 13: 36. *Pſalm.* 22: 16. *Foderunt manus meas, & pedes meos, Iſaj.* 8: 18. *Hebr.* 2: 13. *Zach.* 11: 12, 13. *Matth.* 27: 9. &c.

Quî Spiritus Domini venerit ſuper *Chriſtum*, aut invaſerit *Chriſtum*, habitaveritque in ipſo plenâ menſurâ, ſuperiùs obſervatum eſt. Animadvertat tantùm lector, quàm Textus hic quadret in *Chriſti* ore verbis Euangeliſtæ ſub initium hujus Sectionis, *Jeſus rediit in poteſtate Spiritûs.*

Quia inunxit me.] Græcæ voces ὗ εἵνεκεν à quibus utrimque Interpretibuſque ita redduntur, ut contrarius ferè omninò iis ſenſus appoſitus ſit. Quidam ita reddunt, Spiritus Domini eſt ſuper me, *idcircò* inunxit me: atque cauſſam inunctionis reddunt, quòd Spiritus Domini fuerit ſuper eum. Ita reddit Textus *Syriacus* hunc in modum: Spiritus Domini eſt ſuper me, מטיל הנא, *& propterea* inunxit me: atque ita *Beza*, *Cujus rei gratiâ* unxit me: Editio *Vulg. Propter quod*: *Brucioli*, *Per cagione del quale*, &c. Sed alii, inter quos *Eraſmus*, noſtrique *Angli* legunt, Spiritus Domini eſt ſuper me, *quia* inunxit me; [quod licèt ad literam Græcam particulam non exprimat, Hebraicam exprimit, à qua Græcæ particulæ vis deſumenda eſt, quam *Chaldaica Paraphraſis* ita reddit] ita ut cauſſam Spiritûs ſuper eum velint eſſe, quia Dominus eum inunxit: qui ſenſus facilior longè eſt, veroque ſimilior.

Object. At nunquid ipſius inunctio contingit ipſo Spiritûs ſuper eum in Baptiſmo adventu? atque ita duo hæc non à ſe invicem oriebantur, ſed idem prorſus erant. Sancti Spiritûs ſuper eum adventus erat

Digitized by Google

LUCÆ CAP. IV. VERS. 18.

ipſius inunctio, ipſiuſque inunctio nihil erat aliud quàm Sancti Spiritùs in eum adventus.

Reſp. Si nomine unctionis intelligimus ipſius exaltationem aſſumptionemque ſeorſim, [ut Judæi verbum exponunt in Textu *Iſajæ*] hujus officii operiſque in Textu commemorati, tùm ejus inunctio prior erat quàm Spiritus Domini ſuper eum veniret; priùs enim ſelectus erat Mediator ac Miniſter Euangelii: atque inunctio in cauſſa erat cur Spiritus ſuper eum veniret, ut ſcilicet ei muneri aptus foret, ad quod ſelectus erat. Si autem inunctionis nomine intelligere placuerit conſpicuam manifeſtamque ad hoc munus ipſi priùs præordinatum admiſſionem, tùm ipſius inunctio, & Spiritus ſuper eum adventus res planè eadem erant: hic enim Spiritus adventus iſta unctio erat. Hoc autem ſenſu ipſius hìc inunctionem intelligere debemus, quo tamen ipſo admittamus oportet inunctionem tanquam cauſſam cur Spiritus ſuper eum venerit, licèt Spiritus ſuper eum adventus modus ipſe unctionis foret. Hoc autem ſecundùm temporis differentiam diſtinctionemque intelligere debemus: ipſo temporis momento quo Spiritus Sanctus ſuper eum venit in Baptiſmo, inunctus eſt, admiſſuſque ad muneris ſui adminiſtrationem.

Clauſulæ igitur emphaſis in verbo poſita eſt, intellecta ac reſtricta ad tempus proprium: Spiritus Sanctus *eſt* nunc ſuper me, & *ſemper manet* ſuper me, quia Dominus me Spiritu Sancto priùs inunxit. Hincque diſcrimen apparet menſuræ modique Spiritûs Sancti ſuper Prophetas exiſtentis, ac ſuper *Chriſtum*: impreſſiones Spiritûs non erant ſemper ſuper eos, neque viſibiliter eo inungebantur, ut ipſe inunctus erat.

Ad prædicandum Euangelium pauperibus, &c.] Sex particularia ſunt in hac portione Scripturæ tanquam partes Miniſterii *Chriſti*, quæ licèt applicari poſſint cuicunque peculiari homini cui Euangelium *Chriſti* magnâ poteſtate efficaciâque prædicatum eſt, huic enim miſero prædicatum eſt Euangelium, contritum ipſius cor ſanatum erat, inaudiit is de liberatione à ſervitute Satanæ, &c. ſingulares tamen diverſoſque ſingula ſcopos habent, atque ita proinde exponenda intelligendaque ſunt ab eo qui plenum verſûs ſenſum capere voluerit.

I. *Chriſtus miſſus eſt ad prædicandum Euangelium pauperibus.* In Textu Hebraico *Iſajæ* eſt ענוים, *mitibus* aut humilibus; atque ita à *Chaldæo Paraphraſte* redditur: unde ſenſus facilior fit, quia nomine *Pauperum* intelligendi ſunt *Pauperes ſpiritu*, Matth. 5: 3. *qui propriam juſtitiam ſpernebant*, Legiſque convictione nihil ſe, pejoreſque nihilo comperiebant. His prædicaturus Euangelium *Chriſtus* miſſus eſt, hique illud receperunt, *Matth.* 9: 12, 13. & 11: 5. *Chriſtus* prædicavit omnibus ad ſe confluentibus; ſed loquitur de prædicatione Euangelii ſecundùm propriam poteſtatem fructumque ejuſdem, ita ut reciperetur. Jam prima hæc eſt diſpoſitio ad recipiendum retinendumque Euangelium, cùm anima poteſtate prædicationis Legis deturbatur omni ſecuritate, aut in peccato, aut propriâ juſtitiâ, pauperque adeò ſpiritu evadit, ut nihil ſe comperiat niſi iniquam & miſeram, pauperem & cæcam, nudamque & omnium egenam. LUCÆ CAP. IV. VERS. 18.

Appellatio hæc *Pauper* tam communis inter Sanctos eſt, in Veteri maximè Teſtamento, quàm alia quæcunque, non tantùm ob dejectam humilemque eorum conditionem, ob perſecutiones impiorum; ſed quia ſunt pauperes, nihilque ſuis in oculis, ſuam quippe ipſi paupertatem norunt, vivuntque mendicatâ ſemper à Deo gratiâ. Vox Hebraica ſcribitur interdum, עניים, *pauper* in Textu, legiturque ענוים, *humilis* in margine, ut *Pſalm.* 9: 13. & aliquando ענוים, in Textu, legiturque עניים, in margine, ut *Pſalm.* eod. *verſ.* 19. ענוים traducitur *pauper* à Septuaginta, *Pſalm.* 10: 12. & 22: 27. æquè ac hîc.

II. *Ad ſanandum cor contritum.* Cor hîc paulò demiſſius eſt quàm in priore locutione, operatioque Euangelii paulò altior. *Quævis anima contrita eſt pariter pauper ſpiritu*, ſed non contrà. Humilis enim pauperque ſpiritu quiſpiam liber eſſe poterit ab his cordis contritionibus quas plurimi patiuntur, ipſeque alio tempore ſentire poterit. Factus enim *pauper ſpiritu*, affectuſque ſenſu iniquitatis ſuæ Legis prædicatione, atque ita Euangelium recipiens, paulatim etiam conteritur ab Euangelio, colliqueſcente corde ſenſu ipſo apprehenſioneque amoris Dei erga peccatores, ſuæque nequitiæ, tardique ad ipſum progreſſus.

III. *Ad prædicandam liberationem captivis.* Hoc omninò Judæorum expectationem ſpectat, qui hodieque *Meſſiam* expectant à ſervitute calamitateque corporis liberatorem. Venit autem *Chriſtus* ad prædicandam liberationem captivis, ſed non hoc

LUCÆ CAP. IV. VERS. 18.

hoc ſenſu, at altiore, quia communibus liberatoribus ſublimior erat.

IV. *Illuminationem cæcorum.* Hoc etiam Gentiles ſpectat, qui denſis ignorantiæ, erroris, atque idololatriæ tenebris involvebantur. Quamvis autem veriſſimum ſit unumquemque naturâ cæcum eſſe quoad res cœleſtes, Euangelium tamen novum recipientibus lumen affundat; cùm interim Ethnici proponantur præcipuè ut in tenebris ſedentes, hæc clauſula tanquam ipſis propria ritè applicari poterit.

Euangeliſta hìc nonnihil diſcrepat ab *Iſaja* Textu; differunt quoque *Septuaginta*, quos ille ſequitur: habet enim *Iſajas*, ולאסורים פקח קוח, *Apertio carcerum iis qui ſunt in vinculis*, ut *Anglica* noſtra Verſio habet. Dubitatur nonnihil à Traductoribus, quî reddi debeant, & quid ſibi velint verba פקח קוח: ſed aliud verbum אסורים ſat clarè diſtinctèque *vinculum* ſonat; Græcus tamen Textus vertit *cæcum*.

1. Verba פקח קוח à multis ſumuntur tanquam verbum unum duplicatum, ut סחרחר אדמדם ירקרק, multaque alia ejuſcemodi: ajuntque duplicatione emphaſim ſignificationis augeri. Quæ opinio inde confirmatur, quòd hujus vocis קוח poſterior pars per ſe nihil ſonet. (cùm iterum in Scriptura ejuſmodi vox non reperiatur) Quæ autem de eâ afferuntur conjecturæ incertæ ſunt ac parum probabiles; ut quòd *carcerem* ſignificare debeat, ut putat *Davidis Kimchii* pater; vel quòd ſignificare debeat *eductionem è carcere*, ut ipſe *Kimchius* vult: uterque interim ut cudat hanc vocem tollit primam ſyllabam in לקוח: quâ porrò authoritate quove exemplo, non oſtendunt.

2. Vox פקח propriè ſpectat ac refertur ad apertionem oculorum: ac vix, nî fallor, reperies ubi ullum aliud apertionis genus ſignificet: quare *Chaldæus Paraphraſtes*, ut proprietatem vocis אסורים quàm proximè exprimeret, vertit אתגלו לנהור, *revelationem ad lumen*.

3. Notandum eſt hanc clauſulam in Propheta altioris eſſe tenoris, quàm quæ immediatè præcedit. Mentio enim facta fuerat captivitatis; ſed hìc incarcerationis in captivitate: durum enim eſt in alieno regno extraneove captivum eſſe; ſed durius adhuc eſt vinculis onerari, aut carcere concludi. Jam Euangeliſta, ut ipſe Prophetam traducit, de altiore ſemper miſeriæ gradu loquitur, hoc eſt, concludi in carcere erutis oculis, ut contigit *Samſoni*, *Judic.* 16: 21. & *Zedekiæ*, 2 *Reg.* 25: 10. ut conſuetudo Orientalium regionum ferebat, hodieque Turcarum. Cùm itaque Euangeliſta eo ſenſu qui maximè conſolaretur reddere vellet, locutione utitur exprimente ſummam miſeriam quam vox אסורים includebat: hoc eſt, cùm homines non cæco tantùm carcere clauduntur, ubi nullum intueri lumen poterant; ſed cùm eruti etiam erant oculi, quò fiebat ut lumen etiamſi adeſſet, videre non poſſent. Ait itaque *Chriſtum* non tantùm liberationem captivis prædicaturum, ſed lumen etiam captivis incarceratis reſtauraturum, quinetiam viſûs recuperationem in gratiam cæcorum captivorum: atque ita ſuaviſſimè deſcribit hominum *Chriſti* ope liberationem à captivitate Satanæ, vinculis corruptionis, & cæcitate ignorantiæ; atque nullam infert vim propheticæ locutioni, ſed ſummâ eam ſuavitate explanat.

V. *Ad captivos libertati reſtituendos.* Hæc clauſula non continetur verbatim in Textu Prophetæ, unde reliqua deducta ſupponuntur: eam tamen hìc omnia fere Exemplaria continent, omneſque Verſiones. Quî huic Textui inſerta fuerit, incertum. Audaciter ajunt quidam, quemdam è margine *Septuaginta* ad Textum traduxiſſe, quod metaphoram comperiſſe ſe exiſtimarint non abſimilem ei, quæ in Textu erat. *Sed quiſquis hunc locum primus annotavit ad marginem*, inquit *Beza*, *res ſanè difficillimas inter ſe comparavit. Poterat autem, quiſquis ille fuit, alium locum prorſus ſimilem conferre ex* Cap. 42: 7.

Ignorantiæ potiùs reum meipſum agnoſcerem, faterérque ingenuè non intelligere me quî illud in Textum irrepſerit; aut meam potiùs ipſe ſimplicitatem quâpiam aliunde ductâ conjecturâ proderem, quàm diſertis verbis aſſererem à marginalibus illud notis tranſlatum ab eo, qui quod annotavit ignoraret. Ad ipſius rei veritatem collimarem, quamvis temeritatis inde judiciique minùs ſolidi notam contraherem; quocunque, inquam, periculo collimarem potiùs, quàm Sacrum Textum contemptui exponerem.

Licebat, inque more poſitum erat, ut ſuprà inſinuavimus, ut in lectione Prophetarum ſaltus interdum fieret ab uno Textu ad alterum. Traditio hæc ita ſe habet. מדלג מענין לעניין אחר ואינו מדלג מנביא לנביא אלא בנביאים של יב' בלבד שלא ידלג מסוף ספר לתחלתו וכל המדלג לא ישהא בדילוג אלא שישלים

LUCÆ CAP. IV. VERS. 18. 19. שישלים המתרגם תרגומו. *Qui Prophetas legit, ab uno Textu ad alium tranſilire poterit; ſed ab uno Propheta ad alium tranſire ei non licet, exceptis duodecim minoribus Prophetis: neque ab ipſo Libri initio ad finem tranſire ei licet. Quiſquis autem ſic tranſit, Textui quem præterit diutiùs immorari non debet, quàm dum interpretatio traditur*, *Maymon.* in *Tephillah*, *Perek.* 12.

Jam crediderim potiùs *Chriſtum*, dum legit in Propheta, ad alium tranſiiſſe Textum ejuſdem Prophetæ, quem huc induxerit, quàm eum ex margine *Septuaginta* neſcio cujus ope operâve irrepſiſſe. Tranſitus autem hic ab uno Textu ad alium dum Prophetæ legerentur, eò tantùm ſpectabat, ut alius adduceretur locus, qui Textum lectum illuſtraret. Cùm itaque *Chriſtum* comperiamus variis aliis in rebus Synagogæ conſuetudini conformem, cur eum hîc quoque eidem conformem fieri voluiſſe negemus, in re præſertim utili? Cùm itaque hanc clauſulam legeret, ולאסורים פקח קוח, *& vinctis apertionem, apertionem*, (verbum enim geminatum eſt, ſignificatque apertionem liberrimam, & omnium maximam) cur non cogitemus adhibuiſſe eum דילוג, *tranſitu* facto ad alium Textum ejuſdem Prophetæ, ut docti lectores ſolebant, quò pleniùs geminati hujus verbi ſenſum exprimeret?

Verba in hunc locum inducta reperiuntur in *Iſaj.* 58: 6. unicâ tantum ſyllabâ à Septuaginta Interpretibus mutatâ. Jam hâc voce τεθραυσμένους, ſive *contritos*, intelligamus oportet *contritos calamitate & miſeriâ*, non *contritos corde*, quæ prior acceptio erat: quod ex ipſo ſenſu hujus loci *Iſajæ*, uſuque verbi in *Deuter.* 28: 33. eluceſcit. *Chriſtus* igitur libertate calamitatibus exterioribus contritos donavit, non tantùm liberato à miſeriis populo, ſed & ſuaviſſimis Euangelii ſolatiis, quibus eorum corda dilatentur, licèt anguſtiis corpora premantur.

VERS. 19. *Ad prædicandum acceptabilem annum Domini.*

Alludit hæc locutio proclamationi anni Jubilæi, miſeris & pauperibus gratiſſimi qui ære alieno ac ſervitute premebantur. Quidam antiquis iis temporibus ab hoc loco intulerunt, *Chriſtum* unicum tantùm annum ab initio Miniſterii ipſius ad mortem prædicaſſe: quod Euangelium luce clarius meridianâ refutat. Si alluſio ad Jubilæum hac in locutione ad peculiarem quempiam *Chriſti* prædicationis annum collimet, annum ipſum mortis ipſius reſpicit, qui non tantùm annus Jubilæi erat ſenſu ſpirituali, (quia tùm redemptio contigit, reſtauratioque è ſervitute, ipſius mortis beneficio ad amiſſum ſtatum) ſed ſenſu quoque literali ac proprio annus Jubilæi erat. LUCÆ CAP. IV. VERS. 19.

Judæi Jubilæos in Scriptis ſuis adeò confuderunt, aut neglexerunt, (fortè conſultò, ut eluderent manifeſtam harmoniam antitypi typique in morte Chriſti anno Jubilæi) ut dubium inſinuare velle videantur, utrùm poſt aliquod tempus Jubilæi quidam necne fuerint. *Simul atque Tribus Reuben, Gad, & Manaſſeh in captivitatem ducta ſunt*, inquiunt, *Jubilæi defecerunt*, Siphri in *Levit.* 15. Rurſus, *Iſraël numeravit ſeptemdecim Jubilæos à ſuo in terram ingreſſu ad egreſſum ex eadem. Annus autem quo exierunt, cùm Templum primum ædificatum eſt, ſeptimi anni quietis finis erit, annuſque trigeſimus ſextus Jubilæi erat. Primum enim Templum quadringentos & decem annos ſtetit, eoque deſtructo hæc calculatio deſiit. Secundum Templum ſtetit viginti annos ſupra quadringentos, ſeptimoque ab eo conſtructo anno Ezra aſcendit, ab eoque anno iterum numerare cœperunt: annuſque trigeſimus ſecundi Templi factus eſt annus quietis, numeraruntque ſeptem quietes, & ſanctificarunt annum quinquageſimum, licèt nullus eſſet ſub ſecundo Templo Jubilæus. Deſtructio ſecundi Templi contigit ſub exitum anni ſeptimi, annuſque decimus quintus erat Jubilæi noni*, Maymon. in *Shemittah*, *Perek.* 10. *Erachin*, *Perek.* 2.

Cùm autem Deus *Chriſti* redemptionem vivis adeò coloribus in hoc typo delineaſſet, Jubilæos ita ordinavit, ut ab incepta prima eorum numeratione, eorum plurimi ſingulari quodam eventu inſignes, præter *liberationes* forent, eorumque poſtremus fuerit ipſe annus mortis Chriſti, ut acutè obſervat doctiſſimus *Broughtonius*, qui confeſſionem quoque hac ſuper re antiqui *Zohar*, ſeu *R. Simeonis Ben Jochai* adducit. בה תהא שכינתא, דרור פדות ושנית לישראל. *Majeſtas Dei erit Iſraëlis in Jubilæo, libertas, redemptio, finitrixque Sabbati.*

Sed neceſſe non eſt ut reſtringamus hunc *acceptabilem annum Domini* ad peculiarem eum annum *Chriſti* mortis, licèt is quoque non minimam ſenſûs iſtius partem ſibi vindicet; ſed intelligi quoque poterit de eo tempore jam incepto apparitionis *Meſſiæ*, publicationiſque Euangelii: quæ Euangelii prædicatio tam clarè plenèque reſpon-

Digitized by Google

LUCÆ CAP. IV. VERS. 20, 21.

reſpondebat proclamationi hujus anni clangore tubi, ut id nemo non videat. *Zohar* hunc ritum ita applicat. *Conſtitutum eſt ut tubâ clangant in Jubilæo. Jam ut ad clangorem tubæ in Jubilæo omnes ſervi liberi evadebant*, הני בפורקנא בתרייתא, *ita cùm poſtrema redemptio advenerit, clangore tubæ omnis Iſraël colligetur à quatuor mundi plagis*, &c. *Zohar in Levit.* 25. fol. 53.

VERS. 20. *Claudenſque Librum dedit Miniſtro.*

Miniſter, aut *ὑπηρέτης* hìc commemoratus erat שליח צבור. *Angelus Eccleſiæ*, de quo ſuprà. *Cùm lectio abſoluta eſſet, Angelus Eccleſiæ reponebat rurſus Librum in loco ſuo*, Maymon. ubi antè. *Chriſtus* recumbens in Cathedra, ubi legiſſet, cùm ad ſuam in Eccleſia ſedem iterum redire debuiſſet, totius Synagogæ oculos ad ſe concitavit, utpote quæ expectaret quid ipſe dicturus eſſet. Conſuetudo ferebat ut Doctor ſederet, *Matth.* 5: 1. *Luc.* 5: 3. atque etiam in Scholis eorum Theologicis חרב יושב בראש, *Doctor ſuperiùs ſedebat, omneſque Diſcipuli circa ipſum in circulo*, ut omnes ipſum viderent, verbaque audirent, &c. Magiſter primùm ſedebat, Diſcipulique ſtabant: ſed ante ſecundum Templum deſtructum uſu venit ut quivis Magiſter Diſcipulos ſuos etiam ſedentes doceret, *Id.* in *Thalm. Torah*, *Perek.* 4. *Quæ conſuetudo invaluit à morte antiqui Gamalielis Pauli Magiſtri, proindeque vulgò dicebatur, A morte Rabb. Gamalielis antiqui gloria Legis evanuit*, Juchaſin, fol. 53.

VERS. 21. *Hodie hæc ſcriptura impletur in auribus veſtris*, &c.

Apertè *Chriſtus* profitetur ſe eum eſſe ipſum, quem Propheta ibi prædixit, pluribuſque lectum à ſe Textum exponens, (quam expoſitionem Euangeliſta non commemorat) adeò manifeſtè quis reipsà foret declarat, ut ejuſdem etiam oppidi incolæ qui natalitia ipſius educationemque norant, non potuerint non agnoſcere quod dicebat, teſtimoniumque ipſius verbis præbuerint: tanta iis gratia inerat. Quare obſtupeſcebant, [præſente ejuſdem poteſtate, divinâque oratione cum humili ejuſdem educatione comparatis] ac ſibi invicem mirabundi dicebant, *Annon hic eſt filius Joſephi?* Marc. 6: 23.

LUCÆ CAP. IV. VERS. 23, 25.

VERS. 23. *Certiſſimè hoc mihi proverbium dicetis*, &c.

Hâc idcirco præoccupatione utitur, quòd mirabundos eos ſeque invicem interrogantes animadverterat. Quaſi pluribus ipſos hunc in modum affatus eſſet: Me tanquam filium Joſephi intuemini, atque inter vos educatum, ac propterea hoc me proverbio urgebitis, *Medice, cura teipſum*; quædam à me in natali hoc ſolo meo miracula expectabitis, ut aliis in locis feci, atque eò potiore jure hoc in oppido quàm in aliis, quod propiùs ad eam ſpectem.

Quæcquid factum audierimus in Capernaum.] *Janſenius* ex hoc loco concludit hanc *Chriſti* Concionem in Synagoga oppidi *Nazareth* non fuiſſe habitam niſi diu poſt ipſius in *Galilæam* adventum, ſed tranſiiſſe eum primùm, prædicaſſeque per *Galilæam*; quia juxta ordinem in quo Hiſtoriam conſtituimus, unum tantùm commemoratur miraculum ab eo factum in *Capernaum*, *Reguli* ſcilicet filii curatio: hoc autem miraculum vel ſolum eum ad hæc dicenda impellere poterant. Sed in *Capernaum Chriſtus* ferè ſemper reſidebat, veroque ſimillimum eſt diverſa ab eo facta illìc miracula, licèt non commemorentur: cùm enim à *Samaria* venit, Textus refert declinaſſe eum proprio à ſuo oppido *Nazareth*, quòd ſciret ſe illìc parùm honorificè ac benevolè recipiendum, contuliſſeque ſe ad alias *Galilææ* partes. Porrò *Galilæi* ad quos acceſſit, eum receperunt, quòd vidiſſent quæcunque *Hieroſolymis* in feſto Paſchæ præſtitiſſet, *Joann.* 4: 45. Jam vero ſimile omninò eſt, ſi in ulla civitate remaneret, futurum ut in *Capernaum* potiùs quàm alibi remaneret.

VERS. 25. *Quando cœlum clauſum eſt tribus annis & ſex menſibus.*

Summa horum annorum obſcura admodum eſt in Textu Libri *Regum*: illìc enim tantùm dicitur *Elias* dixiſſe annis iis nec pluviam, nec rorem fore, &c. 1 *Reg.* 18: 1. Neque mirum videri poſſet, ſi *Chriſtus* Dominus tempus illud, nihil prohibente Textûs difficultate, determinaret: ſed ex ipſius ad *Nazarenos* oratione quis conjiceret hanc ſummam fuiſſe vulgò notam, receptamque ab illis? Atque ita cùm *Jacobus* Apoſtolus eandem ſummam commemorat, *Jacob.* 5: 17. proba-

Digitized by Google

LUCÆ CAP. IV. VERS. 25. probabile eſt eum de ea loqui Judæis; tanquam de re nota, admiſſaque ab iiſdem. Sed quî hanc quis ſummam ex Libro *Regum* eruere poſſit, operoſi opus laboris indicare eſt. Dicere tamen licet I. rivum *Cherith* anno ante ariditatem abſorptum fuiſſe: dicitur enim ſub finem dierum rivus areſactus: jam quòd vox ימים, *dies*, annum ſæpè ſonet, exemplis non paucis oſtendi poſſet. II. Dicere debemus hæc verba, *Tertio anno Deus dixit Eliæ, Vade, oſtende te Achab, & ego mittam pluviam*, non poſſe de tertio poſt ariditatem anno intelligi: hic enim ipſius ad *Achab* acceſſus poſt tertium annum contigit; dixerat enim ipſi nullam fore pluviam השנים האלה, *tribus hiſce annis*, ut periti ſaltem linguæ Hebraicæ facilè ex numero non duali, ſed plurali *verbi*, obſervarint: quare annus tertius referendus ad *Eliæ* commorationem cum vidua *Sareptanâ*. Annum unum fuerat prope *Cherith*, duoſque & plures *Sareptæ*, pluresque poſt dies anni jam tertii oſtendit ſe *Achab*, tùmque pluviæ ceciderunt.

Quî autem plures hi dies ſemiannum ſignificent, dubium adhuc remanet, quî ſcilicet hunc ſemiannum determinemus, aut quàm proximè attingamus; niſi fortè ſupputemus anni tempora quibus ariditas incepit, & quibus deſiit: rationibus autem vero ſimillimis oſtendi poſſet, quòd Autumno inceperit, deſieritque tempore verno: quibus maximè tempeſtatibus pluviæ illìc decidebant, *Joel*. 2. Sed rem veritas ipſa hîc declaravit, ac proinde in controverſiam vocari non debet: ſed hæc tantùm de ea diximus, quòd *Chriſtus* eam Judæis commemoravit tanquam iiſdem notam, & ab iis unanimi conſenſu jam acceptam. Rabbini acutè excurrunt in ultimum verſum, 1 *Reg*. 16. (ubi commemoratur *Hiel Jerichuntem* ædificans, duorum amiſſione filiorum in opere, juxta verbum *Joſuæ*) primumque verſum Capitis 17. ubi ſuſpenſionem pluviæ *Elias* prædicit. *Achab & Elias*, inquiunt, *acceſſerunt ad Hielem, eum mortuis filiis conſolaturi. Achab dixit Eliæ, Fortè factum eſt verbum ſervi; (Joſua) ſed verbum Domini (Moſis) non fiet, qui dicit, Recedetis, & aliis Diis ſervietis, incendeturque ira Domini adverſus vos, claudetque cœlos ne pluant*, &c. *Juravit itaque Elias, & dixit, Ut vivit Dominus in cujus conſpectu ſto, pluvia non erit.*

Numerus temporis *trium annorum ſexque menſium* (qui dimidio temporis, quo fames *Ægyptiaca* duravit reſpondent) celeberrimus in Sacris Codicibus eſt, ut ſuperiùs obſervatum fuit: ſed hoc uno præſertim celeberrimus, quòd terminus foret Miniſterii *Chriſti*, à Baptiſmo ſcilicet ad mortem ejuſdem, dum ille cœlum per tres annos ſexque menſes apertum teneret, è quo Euangelii cœleſtis ros deflueret, ut *Elias* cœlum clauſerat ne plueret.

LUCÆ CAP. IV. VERS. 28. VERS. 28. *Omneſque qui in Synagoga erant, ut hæc audierunt, irâ exarſerunt*, &c.

Eadem in *Nazarenis* affectionis mutatio contingit, dum nunc *Chriſti* verba ſummâ veneratione excipiunt, nunc eum interficere volunt; eadem, inquam, iis mutatio contingit, quæ incolis *Lycaoniæ* contigerat, *Actor*. 14. qui interdum ad *Paulum & Barnabam* Deorum inſtar colendos parati erant, mox ad eos lapidandos ſeſe accingebant. Duplici de cauſſa *Chriſti* verba *Nazarenis* offendiculo fuere. Quia primò dilucidè docuit inſinuavitque vocationem Gentium, Judæorumque rejectionem, duplici allato exemplo, *Eliæ* ſcilicet qui nuſquam in *Iſraël* commoraturus eſſet, ſed Ethnicæ viduæ à Deo commendandus; (Ethnici enim *Sareptani* erant, utpote *Sidonii*) altero, quòd *Naaman* tantùm Ethnicus ex *Syria* leprâ liberandus eſſet, nullus *Iſraëlita*. Hanc de vocatione Gentium doctrinam nunquam æquo animo ferre Judæi poterant: bilem enim eis ſemper movebat, *Deuter*. 32: 21. Hanc ob rem *Jonah* præter mandatum *Tarſum* confugit, dùm *Nineveh* petere debuiſſet: moleſtè enim ferebat quòd inſtrumentum converſionis Gentilium foret, quòd vocatio Gentium rejectio *Iſraëlitarum* futura eſſet, cui potiùs quàm cooperari, à Deo neſcio quò fugere ſtatuit. Mentem ipſius ſat ad rem ſic Judæi exprimunt. תבע כבוד הבן לא תבע כבוד האב. *Sollicitè curabat honorem pueri*, (Iſraël) *ſed non ſollicitus erat de honore* (Dei) *Patris*. Eadem de cauſa commoti ſunt vehementer in *Paulum* Judæi *Hieroſolymitani*, cùm *Paulus* iis dixit ſe iturum ad Gentiles, *Actor*. 22: 21. Aliud ſecundò *Nazarenos* incendebat, quòd *Chriſtus* apud eos miracula patrare non vellet, quæ aliis eum in locis feciſſe probè norant. Huic autem repulſæ addit comparationem eorum cum *Iſraëlitico* regno cùm maximè depravatum eſſet, ut diebus *Elia* & *Eliſha* ſub *Achabo*, perverſaque ipſius generatione. *Chriſtus* autem dum negat ſe miracula facturum

Digitized by Google

LUCÆ CAP. IV. VERS. 28.

rum, illaque verba profert, eodem tantùm modo ſe erga eos gerit, ac geſſit ſe poſtea erga mulierem ex *Syrophenicia*: canem eam vocavit, precibuſque ipſius primùm annuere noluit; ſed poſtea ejuſdem importunitate victus, eidem quod petebat annuit, in gratiamque admiſit. Prima itaque mulieris repulſa non erat decreta ejuſdem rejectio, ſed mera illius probatio. Eodem prorsùs tendebat *Chriſti* hîc oratio; ſed non eodem modo accepta eſt à concivibus ipſius: indignati enim quòd ita eos allocutus eſſet, & quòd comparationem ejuſcemodi inſtituiſſet, abſoluto Synagogæ cultu manus in eum injecerunt, præcipitemque è rupe dediſſent, nî divinâ ipſe virtute ipſorum è manibus ſeſe liberaſſet: atque hunc fere in modum rejectionis ſuæ cauſſa *Nazareth* extitit.

LUCÆ CAP. IV. VERS. 28.

S E C T I O XVIII.

MATTHÆI CAP. IV.

Vers. XIII. *Et relictâ Nazareth, venit & (a) habitavit in Capernaum* urbe *maritima, in finibus Zabulon & (b) Nephthalim.*

XIV. *Ut impleretur quod dictum eſt per Iſajam Prophetam, dicentem:*

XV. *Terra Zabulon, & terra Nephthalim* ad *viam maris ſecundùm Jordanem, Galilæa Gentium.*

XVI. *Populus poſitus in tenebris vidit lucem magnam, & poſitis in regione & umbra mortis lux exorta eſt.*

LUCÆ CAP. IV.

Vers. XXXI. *Et deſcendit Capernaum urbem Galilææ.*

(a) Κατῴκησεν εἰς Καπερναούμ, ut Κατῴκησεν εἰς Ναζαρέθ, *Matth.* 2: 23.

(b) *Græc.* Νεφθαλείμ, ut *Septuaginta* legunt verbum in Textu *Iſajæ*, licèt ferè ſemper aliis in locis aliter reddatur. *Joannes* Euangeliſta legit Νεφθαλείμ, *Rev.* 7: 6. quod eſt plurale abſolutum loco pluralis conſtructi: נפתלים pro נפתלי.

Ratio Ordinis.

Locus præcedentis Sectionis ſpectans malevolentiam inſaniamque incolarum *Nazareth*, ſpectanſque *Chriſti* ab iis periculum, hujus Sectionis ab illa dependentiam adeò manifeſtam facit, ut nulla alia dependentiæ probatio, quàm utriuſque ſimul collocatio requiratur. Licèt enim *Matthæus* cauſam derelictæ *Nazareth* non commemoret, *Lucas* commemoravit, addiditque effugiſſe eum è manibus *Nazarenorum*, & *Capernaum* deſcendiſſe: quocircà non *Matthæi* tantùm ordinem clariorem reddidit, ſed verba quoque ipſius expoſuit, *Et derelictâ Nazareth*: rationemque ita derelictæ *Nazareth* reddit.

Harmonia & Explanatio.

MATTH. CAP. IV. VERS. 13.

Matth. 4: 13. *Et derelictâ Nazareth*, &c.

Infelix *Nazareth* quæ prima rejicis, & omnium prima à *Meſſia* rejiceris! tuæ ipſius gloriæ felicitatiſque & proſcriptrix, & perſecutrix! Hîc *Chriſtus* educatus fuerat, & ſex ſeptemve annos ſupra viginti vixerat à ſuo ex *Ægypto* regreſſu ad tempus Baptiſmi: ab hac urbe dicebatur *Jeſus Nazarenus*; ſed *Nazareth* eum retinere renuit, nullumque ei honorem defert. Non legimus ad hanc *Chriſtum* urbem unquam poſteà acceſſiſſe, aut eam unquam ut natalem agnoviſſe; ſed *Capernaum* deſcendit, ut illic habitaret, ubi priùs conjiciebamus *Joſephum* patrem quidpiam poſſediſſe. Atque ita detruditur *Nazareth* ad inferos, dum *Capernaum* tollitur in cœlum, ſi oblatâ jam ſibi felicitate uti poterit. Dicit *Lucas* deſcendiſſe eum *Capernaum*, vel prout in Scripturis itinera *aſcenſus*, *deſcenſuſque* indiſcriminatim appellantur, vel ut homines dicuntur deſcendere ad mare, vel oram maritimam, *Pſalm.* 107: 23. *Jon.* 1: 3.

MATTH. CAP. IV. VERS. 13, 15.

Vers. 15. *Terra Zabulon & terra Nephtalim*, &c.

Hæc verba deſumuntur ab *Iſaj.* 9: 1. ut ſat notum eſt; ſed eo tamen diſcrimine quod obſervari mereatur. Non abs re fuerit *Iſajæ* Textum verbatim primùm aſſumere, ejuſque ſenſum intueri, & tùm citatum hunc locum cum eo comparare.

Propheta ſub extremum ſeptimi Capitis magnas,

Digitized by Google

MATTH. CAP. IV. VERS. 15.

magnas, ſed debitas calamitates & clades tranſgreſſuris Legem minatus fuerat, quòd anguſtiis, fameque, tenebriſque premendi forent: tùm addit in verſu primo Capitis noni, לא מועף לאשר מוצק לה. *Hæc enim caligo ſeu tenebræ ejuſmodi non erunt, cujuſmodi fuerunt, cùm in vexatione ipſius prior leviter afflixit terram Zabulon, & terram Nephtali, aut cùm poſterior gravius afflixit oram maritimam, regionem ultra Jordanem, & Galilæam Gentilium. Populus ille qui ambulavit in tenebris vidit magnam lucem*, &c.

Eò ſpectat hic Propheta, ut prænunciet malorum calamitatem, tenebraſque, & miſeriam contemptoribus *Emmanuelis*, teſtimoniique ſui, & Euangelii, quàm contigit regionibus populoque hic commemoratis, ſive in priore, ſive in poſteriore Captivitate, ob Legis violationem. Prioris Captivitatis inductor fuit *Benhadad* Rex *Syriæ*, qui percuſſit *Jion*, *Dan*, *Abel-beth-Maachah*, *totumque Cinnereth*, *omnemque terram Nephthali*, 1 *Reg.* 15: 20. Gravis quidem hæc afflictio fuit, ſed levis comparata Captivitati poſteriori, inductæ ab alio Rege *Aſſyrio*, ſcilicet qui cepit *Jion*, *Abel-beth-Maachah*, *Janoah*, *Kedesh*, *Hazor*, & *Gilead*, & *Galilæam*, *omneſque incolas Nephthali*, *abduxitque eos captivos in Aſſyriam*, 2 *Reg.* 15: 29. *Abduxitque Reubenitas*, & *Gaditas*, *mediamque Tribum Manaſſeh*, 1 *Paral.* 5: 26. Calamitas tamen iſtorum locorum populorumque non adæquat calamitates contemptorum *Chriſti* Euangelii: ea enim loca lucem rurſus poſt Captivitatem viderunt; hæc verò in extremas tenebras detrudentur. Hæcque duo præcipuè hac in prophetia ſpectat Propheta. I. Prædicit primam Euangelii apparitionem iis in locis, ubi Captivitas primùm apparuit. II. Graviorem longè plagam omnibus iis locis aliiſque inter Judæos ob Euangelii contemptum, quàm quæ contigit iis ob contemptam Legem, violationemque mandatorum. *Nazareth* autem in priore Sectione eâ manifeſtè plagâ comprehenditur. Jam primùm juxta ſcopum intentionemque Prophetæ appoſitè omninò Euangeliſta noſter in Textu allato iis inſiſtit verbis quæ prædictum ſenſum præ ſe ferunt, aut prædictionem inchoandi illîc Euangelii, *ubi prima Captivitas incepit*. Verba Prophetæ præteritam illorum locorum miſeriam indicantium prætermittit: futuram enim eorum illuminationem beatitudinemque reſpicit: neque illa verba attingit quæ miſeriam venturam Euangelii contemptorum comparant elapſæ eorum locorum miſeriæ; ſibi enim proponit primam Euangelii apparitionem, & non poſtremum ejuſdem contemptum: quare præterit primam versûs partem, definitque cum poſteriore, utpote quæ ſola ad propoſitum ipſi ſcopum faciat. Ejuſcemodi compendium obſervare licet in *Hoſea*, qui cùm de peccatis rejectioneque *Iſraëlis* ac *Judæ* loquitur, eos vocat *Lo-ammi*, & *Lo-ruchamah*, *non populum*, *cujus nemo miſeretur*, *Hoſ.* 1: 8, 9. Cùm autem loquitur de eorum converſione ac revocatione, primam vocem aut ſyllabam omittit, quæ propoſito ipſi ſcopo contrarium ſenſum præferebat, eoſque vocat *Ammi*, & *Ruchamah*, *populum*, & *miſeratione affectum*, *Hoſ.* 2: 1.

Terra Zabulon, &c. Textus Hebraïcus *Iſajæ* vocem hanc *terram* in accuſativo caſu habet, ut ſequentem verbum quod præpoſitum erat. Sed hoc vocabulum Euangeliſta in nominativo caſu poſuit, ut præcedens verbum, quod immediatè ſequitur, hoc ſenſu conſtruendum: *Terra Zabulon*, *& terra Nephthali*, *populus ille vidit magnum lumen*, &c.

Ad viam maris, &c.] Ὁδὸν θαλάσσης in Textu Græco. Κατὰ vel πρὸς ſumitur hic juxta uſitatum Hebræum idioma: in Textu Prophetæ, hæc clauſula, quæque ſequuntur, hunc ſenſum efficiunt: *Poſterior Captivitatis inductor graviter viam maris afflixit*, *eaque loca quæ oræ maritimæ adjacebant*, *graviter afflixit oram ultra Jordanem*, *graviterque afflixit Galilæam Gentilium.* Sed in Euangeliſtæ Textu ſuavior hic ſenſus efficitur: *Terra Zabulon*, *& terra Nephthali*, *quæ ſunt via maris*, *aut ad oram maritimam*, *atque etiam Peræa*, aut regio ultra *Jordanem ſita*, *aut etiam Galilæa Gentilium*, *ſuperiorve Galilæa*, *populique etiam eorum omnium locorum magnum lumen viderunt*, &c. Atque ita ſi clauſulæ Textûs ſeorſim conſiderentur, ut conſiderari debent, (deeſt enim tantùm conjunctio, quo nihil uſitatius in idiomate Hebræo) ſenſus clarus apertuſque eſt. Aliqui interim Interpretes, permixtis invicem hiſce omnibus clauſulis, quaſi de uno tantùm loco loqueretur, ſenſum intricarunt, perplexumque reddiderunt, quare vim linguæ intulerunt, ut aliquam ejus partem conſtruerent, quam conſtructionem vix patitur. Volunt itaque ut πέραν Ἰορδάνου non ſit *trans*, ſed *ſecus Jordanem*, ſitque terra *Zabulon*, & *Nephthali*; *Galilæaque Gentilium* ſit etiam *terra Zabulon & Nephthali.* Non itaque diſtinguunt *Galilæam ſuperiorem* inter aut *Galilæam Gentilium*, & *Galilæam*

MATTH. CAP. IV. VERS. 15.

lilæam inferiorem, aut *terram Zabulon*, *&* *Nephthali*, & *Peræam*, aut regionem duarum Tribuum & mediæ Tribûs, quæ ultra *Jordanem* jacebat: tres haſce diverſas regiones Captivitatis inductor afflixerat, Captivitaſque inceperat. In *Galilæa ſuperiore*, aut *Galilæa Gentilium*, dum caperentur *Jion*, *Dan*, *Abel-beth-Maachah*, &c. in *inferiore Galilæa*, dum caperetur *omnis Nephthali*; in *regione ultra Jordanem*, dum caperetur *Gilead*, abducerenturque *Reubenitæ*, *Gaditæ*, mediaque Tribus *Manaſſeh*, ut Textus ſuperiùs allati docent. Adeòque in tribus hiſce regionibus ſplenduit maximè Euangelium in ipſius *Chriſti* Miniſterio ejuſque illîc præſentia, ut abundè obſervari poteſt in Euangeliſtis. *Chaldæus Paraphraſtes* transfert hunc locum modo hoc omninò peculiari & mirabili. *Nemo enim fatigabitur qui eos afflicturus acceſſerit, ut primùm populi terræ Zabulon, & populi terræ Nephthali in captivitatem ducti erant. Quòd ad reliquos ſpectat, præpotens Rex captivos eos ducet, quia non recordati ſunt ſummam in mare poteſtatem, miracula ad Jordanem, bellumque adverſus civitates nationum. Populi Domûs Iſraël, qui ambularunt in Ægypto, ut in tenebris, exierunt ut magnum lumen viderent*, &c. Quî *Septuaginta* ſenſum verſûs Prophetæ nimiâ ejuſdem diviſione corruperint, ut multi eundem nimiâ ejuſdem quaſi coagulatione ſeu contractione depravarant, nullo lectori exemplo comprobabo, cùm res eruditis manifeſta ſit.

Ultra Jordanem.] Hæc integra per ſe clauſula eſt, neque præcedenti, neque ſequenti jungenda. Quare operam perdit *Beza*, dum probare nititur πέραν hîc ſignificare *ſecus*; quod effici ab eo nunquam potuit: atque ita vult *Zabulon* & *Nephthali* eſſe πέραν Ἰορδάνου, oblitus interim tautologiæ harum vocum, ὁδὸν θαλάσσης, & πέραν Ἰορδάνου, ſi uni loco reique applicarentur; oblitus quoque, aut non animadvertens quid Propheta variis iis locutionibus in Textu uſurpatis velit.

Galilæa Gentilium.] Hîc conjunctio *&* intelligenda eſt: ſolet enim in Lingua Sancta plerumque omitti, quæ tamen, ut ſuperiùs dictum eſt, ſubintelligitur. Jam quòd ad titulum *Galilææ Gentilium* ſpectat, non erat appellatio totius *Galilææ*, ſed partis tantùm illius, quæ ſcilicet *ſuperior* dicebatur. Obſerva *Joſephi* diviſionem harum duarum, hiſce verbis in *Vita ſua*: Τάς τε κατὰ τὴν ἄνω Γαλιλαίαν κώμας ἐτείχησα, ὀχύρωσα δὲ τὰς ἐν τῇ Γαλιλαίᾳ, &c. *Civitates ſuperioris Galilææ muris circumdedi, civitateſque & urbes in Galilæa munivi.* Inferiorem, *Galilæam* tantùm vocat; alteram, *Galilæam ſuperiorem*. *Galilæa* itaque ita diſtinguebatur in *Galilæam*, & *Galilæam Gentium*, hoc eſt, ſuperiorem & inferiorem *Galilæam*.

MATTH. CAP. IV. VERS. 16.

VERS. 16. *Populus qui ſedebat in tenebris*, &c.

Textus Hebræus *Iſajæ* habet, *Populus qui ambulavit in tenebris*; atque ita quoque redditur à *Septuaginta Interpretibus*: ſed Euangeliſta noſter ita rem expreſſit, Populus *qui ſedebat*, juxta ſenſum Prophetæ, licèt non juxta verba.

Sedere, aut *ambulare* in Scriptura, cùm ſenſu alieno aut metaphorico uſurpantur, indiſcriminatim ſignificant *eſſe*, aut *perſeverare*, *Geneſ.* 15: 2. *Ambulo ſine liberis. Lament.* 1: 1. *Civitas ſedet ſolitaria*, &c. eoque ſenſu verba Prophetæ atque Euangeliſtæ ſumenda ſunt, *Populus qui fuit & perſeverat in tenebris*, &c.

Populus hîc commemoratus generatim ſignificare poterit omnem tenebroſam Gentem, locaque mundi omnia in quibus Euangelium prædicandum erat: ſed de populis eorum præſertim locorum immediatè priùs commemoratorum intelligendus eſt: atque ſequens Prophetæ verſus intelligi poterit quaſi reſtrictus ad ea loca populoſque: *Multiplicaſti nationem*, populo ſcilicet iis locis rurſus reſtituto; *ſed ejus lætitiam non multiplicaſti*, quòd in tenebris ignorantiæ & erroris ſemper perſeveret: *erit tamen aliquando cùm coram te exultabunt ſicut in meſſe*, &c. Aut ſi hîc, de quo nunc, verſus de omnibus nationibus lumen Euangelii aſpicientibus conſtruatur, verſus ille ita tùm intelligi poterit: Nationem ſcilicet *Iſraëliticam* multiplicatam fuiſſe cùm Gentes venerunt, *Hoſ.* 1: 11. ſed *lætitia* Judæorum non eſt *aucta* propterea; vocationem enim Gentium ipſi moleſtè ferebant, *Commovente iis bilem Deo ſtultæ nationis ope.* Sed geminata in Hebræo lectio eſt לא non in Textu, & לא *illi* in margine; quæ poſterior lectio à *Chaldæo Paraphraſte* probatur: quam ſi amplectamur, nullam præ ſe difficultatem verba ferunt, intellecta ſcilicet de lætitia quam incrementum Eccleſiæ luminiſque Euangelici cuivis vero *Iſraëlitæ* pariturum foret.

SECTIO XIX.

LUCÆ CAP. V.

VERS. I. *Factum eſt autem quum congregaretur ad eum turba ad audiendum ſermonem Dei, & ipſe ſtabat juxta littus maris Geneſareth.*

II. *Et vidit navigia duo ſtantia juxta ipſum mare, & piſcatores qui deſcenderant ex eis, & lavabant retia ſua.*

III. *Ingreſſus autem in unum iſtorum navigiorum, quod erat Simonis, rogavit eum ut à terra proveheret paululùm; quumque conſediſſet, docebat turbam ex navigio.*

IV. *Et quum ſiluiſſet à ſermone, dixit ad Simonem, Provehito in altum, & projicite retia veſtra ad capturam.*

V. *Reſpondit Simon, ac dixit ei, Magiſter, nocte totâ laboravimus, & nihil cepimus; in ſermone autem tuo dimittam rete.*

VI. *Et quum hoc feciſſent, incluſerunt piſces multos admodùm: & diſrumpebatur rete eorum.*

VII. *Et innuerunt ſociis ſuis qui erant in navigio altero, ut venientes adjuvarent ſe.*

VIII. *Quum* hæc *vidiſſet Simon Petrus, pro-*

MATTH. CAP. IV.

VERS. XVII. *Et tunc cœpit Jeſus prædicare, & dicere, Convertimini, appropinquat enim Regnum cælorum.*

XVIII. *Quumque ambularet juxta littus maris Galilææ, vidit duos fratres, Simeonem qui vocatur Cepha, & Andream fratrem ejus, qui jaciebant retia in mare: (erant enim piſcatores.)*

XIX. *Et dixit illis Jeſus: Sequimini me, & faciam vos piſcatores hominum.*

XX. *Illi autem confeſtim reliquerunt retia ſua, & ſecuti ſunt eum.*

MARCI CAP. I.

VERS. XIV. *Venit Jeſus in Galilæam, & prædicavit Euangelium Regni Dei.*

XV. *Et dicebat, Impletum eſt tempus, & appropinquavit Regnum Dei: convertimini, & credite Euangelio.*

XVI. *Quumque ambularet circum vicina loca maris Galilææ, vidit Simonem, & Andream fratrem ejus, qui jaciebant retia in mare: (erant autem piſcatores.)*

XVII. *Et dixit eis Jeſus, Venite poſt me, & faciam vos piſcatores hominum.*

XVIII. *Et illicò reliquerunt retia ſua, & ſequuti ſunt eum.*

cidit

Digitized by Google

cidit ante pedes Jeſu, & dixit ei, Diſcede à me, quoniam homo peccator ſum, Domine.

IX. *Terror enim apprehenderat eum & omnes qui cum eo erant, propter capturam illam piſcium quos ceperant.*

X. *Similiter autem etiam Jacobum, & Joannem, filios Zebedai, qui erant ſocii Simonis. Dixit autem Jeſus Simoni, Ne timeas: deinceps vivos capies homines.*

XI. *Et ſubduxerunt illa navigia in terram, & relictis omnibus ſequuti ſunt eum.*

XXI. *Et quum progreſſus eſſet inde vidit alios fratres duos, Jacobum filium Zebedai, & Joannem fratrem ejus in navicula cum Zebedæo patre eorum, ſarcientes retia ſua: & vocavit eos Jeſus.*

XXII. *Illi autem protinus reliquerunt naviculam, & patrem ſuum, & ſequuti ſunt eum.*

XIX. *Et quum progreſſus eſſet paululùm, vidit Jacobum filium Zebedai, & Joannem fratrem ejus, ipſos quoque in navigio, qui reficiebant retia.*

XX. *Et vocavit eos, & illicò reliquerunt Zebedæum patrem ſuum in navigio cum mercenariis, & ſequuti ſunt eum.*

Ratio Ordinis.

NOn tam dubia eſt connexio hujus Sectionis, aut alicujus ſaltem illius partis, cum Sectione præcedente, (tranſitio enim in *Matthæo* rem claram reddit) quàm cujuſdam hac ipſa in Sectione contenti. Retulerat *Lucas* minùs benevolam *Chriſti* receptionem, periculumque ab incolis oppidi *Nazareth*, proptereaque eum receſſiſſe, & deſcendiſſe *Capernaum*. Hîc eum *Matthæus* aſſequitur, docetque divinitùs impletam eſſe Prophetiam *Iſajæ*, ipſius jam iis in partibus habitatione: *Terra Zabulon, & terra Nephthali*, &c. tum peculiariter Hiſtorias conjungit, *Ab illo tempore cœpit Jeſus prædicare*, &c. Quî autem unà cum eo *Marcus* hanc Hiſtoriam hîc introducat, licèt quàm pauciſſimis introducat, nullo præter hoc geſtorum ſeu operum ejus in *Galilæa* commemorato; res tamen per ſe adeò manifeſta eſt, ut nihil de ea dici neceſſe ſit. Sed hac in Sectione hæ jam quæſtiones ſolvendæ proponuntur.

Quær. I. utrùm hæc Hiſtoria in *Luca* circa *Petrum & Zebedai* filios, eadem ſit cum Hiſtoria in *Matthæo & Marco?* Particularibus enim quibuſdam circumſtantiis diſcrepare videntur. Dicunt enim *Matthæus & Marcus* ambulaſſe *Jeſum* per mare *Galilææ*, & vidiſſe *Petrum & Andream* jacientes retia ſua in mare, vocaſſeque eos, &c. cùm *Lucas* dicat fuiſſe eum in navicula *Petri*, eique dixiſſe ut projiceret rete in mare, &c. Rurſus *Matthæus & Marcus* dicunt, cùm paulò ulteriùs progreſſus eſſet, vidiſſe eum *Joannem & Jacobum ſarcientes retia ſua*, &c. ſed *Lucas* refert *Jacobum & Joannem* veniſſe ad *Petri* naviculam, ubi *Chriſtus* adjutricem ad educenda è mari gravida piſcibus retia manum præbiturus erat, &c.

Reſp. Quamvis quidem diſcrepantes eæ, atque in ſpeciem contrariæ Euangeliſtarum narrationem comitari circumſtantiæ videantur; Hiſtoria tamen hæc una tantùm eademque eſt, fuſiùs tantùm à *Luca*, quàm ab altero relata. Summa ejus hæc ferè eſt. Ut *Jeſus* ambulavit per oram maritimam *Genezareth*, populuſque confertus confluebat ut verbum audiret, naviculam *Petri* conſcendit, indeque docuit: finitoque jam ſermone, juſſit *Petrum* projicere rete ad capturam, quæ magna fuit. Qua de re *Matthæus & Marcus* intelligendi ſunt, dum ajunt: *Vidit Petrum & Andream projicientes rete in mare:* compendio enim illi narrant quod fuſiùs *Lucas* refert. Quia *Petrus* jam educendo reti piſcibus oppleto impar erat, annuit *Jacobo & Joanni* ut venientes ſe adjuvarent; quod & fecerunt. Eductis piſcibus vocat *Chriſtus Petrum* ut ſit piſcator hominum. Is in continentem deſcendit, eumque ſecutus eſt. *Jacobum* autem

tem & *Joannem* redeuntes ad ſtationem ſuam retiaque ſarcienda vocavit pariter, ut tranſibat; atque illi etiam ſecuti ſunt eum.

Atque hæc ipſa Hiſtoria eſt fuſiùs expoſita, atque ex aliis tribus collecta, quatenus una alteri explicandæ inſervire poteſt, unam interim quæcunque hîc dicuntur, eandemque Hiſtoriam ſpectant.

Quær. II. Si ordo hic *Sancti Lucæ* verus ſit, aut ſi vocatio Diſcipulorum tam propinqua ſit, ut *Matthæus* docet, *Chriſti* in *Capernaum* adventui, quî fit ut *Lucas* duo miracula facta in *Capernaum* ante hanc Hiſtoriam ponat, ejectionem ſcilicet Dæmonis in Synagoga oppidi *Capernaum*, & curationem ſocrûs *Petri? Cap.* 4: 33, 38. quam *Marcus* ſtatuit poſt vocationem *Petri*, aliorumque piſcatorum, atque ita fortè fuerit poſt eorum vocationem, hæcque Hiſtoria à *Luca* relata, poſt ea miracula, aliaque omninò diverſa ab Hiſtoria vocationis ipſorum.

Reſp. Marcus qui reliquis Euangeliſtis conſtantiùs rerum geſtarum tempora obſervat, ordinem hujuſce Hiſtoriæ apertè inſinuavit, docuitque eam præceſſiſſe duo miracula illîc facta: cùm enim vocationem Diſcipulorum retuliſſet, ait, *Et illi*, hoc eſt, *Chriſtus*, iique Diſcipuli jam vocati, *profecti ſunt Capernaum*; verſ. 21. *Matthæus* quoque, cùm curationem ſocrûs *Petri*, quæ unum erat è miraculis commemoratis, multùm poſt Hiſtoriam Diſcipulorum vocatorum ſtatuat, hanc quoque methodum ordinemque confirmat, quòd hæc ſcilicet priùs contigerit.

Duo jam in *S. Luca* quoad hanc methodum obſervatione digna occurrunt. I. Quòd *Chriſtus* in natali ſolo *Nazareth* nulla patrare miracula voluerit, licèt magna quædam *Nazareni* ab eo illîc expectarent, qualia in *Capernaum* feciſſet: non quòd rejeciſſet *Nazareth*, nî *Nazareth* ipſum rejeciſſet, ut ſuperiùs dictum eſt; ſed quòd ejuſmodi ad eos oratione eò collimaret, ut arctiùs eos ſibi jungeret. Cùm itaque urbs illa barbarum adeò in modum eum repudiaſſet, ut præcipitem etiam de rupe actura fuiſſet; Spiritus Sanctus ſtatim proponit quæ in *Capernaum* fecerat, quaſi unâ hiſtoriâ alteram magis illuſtraturus, ut jactura *Nazareth* lucro *Capernaum* innoteſceret. Quia autem in Synagoga *Nazareth* parùm honorificè habebatur, *Lucas* ſtatim oſtendit continuè eum in *Capernaum* docuiſſe, illîcque meliùs exceptum fuiſſe: incolis autem plus inde beneficii acceſſit, iſthîc enim miraculum patravit. II. Euangeliſta ad finem uſque Capitis eo manifeſtè ſpectat, ut *Chriſti* ad *Galilæam* regreſſi prædicationem miniſteriumque in Synagogis oſtendat. Fundamentum dicendorum ſtatuit *verſ.* 14, 15. *Jeſus rediit in poteſtate Spiritûs in Galilæam, docuitque in eorum Synagogis*: tunc pluribus omnia exponit, ut quòd docuerit in Synagoga *Nazareth*, illîcque malè habitus ſit, unde profectus eſt ad Synagogam *Capernaum*, ibique Dæmonem ejecit; tùm pertranſiit per omnes Synagogas *Galilææ*. Cùm itaque deſignatum à ſe ſcopum hunc in modum propoſuiſſet, quòd nempe de publico *Chriſti* in Synagogis Miniſterio dicturus eſſet, tùm ad particulares magis ipſius actiones deſcendit. Agens autem de Synagoga *Capernaum*, duo commemorat miracula illîc facta aliquantò priuſquàm reipſa facta ſunt, quia, cùm de ea urbe nihil tam citò dicturus eſſet, præcipua illîc geſta ſimul colligere voluit.

Harmonia & Explanatio.

UT *Moſes, David, Eliſha*, *Amos* ab humili domeſticoque munere, à paſcendis ſcilicet ovibus aratroque ducendo ad magna ea quibus poſteà claruerunt officia vocati ſunt; ſic illi quatuor præcipui *Chriſti* Diſcipulorum, ſi quam ſancta in hac ſocietate fingere diſparitatem liceat, ab humili arte capiendorum piſcium in mari *Genneſareth*, ad ſublimius longè munus, animas ſcilicet retibus Euangelicis in mari Euangelico irretiendas, vocantur, 1 *Cor.* 1: 27, 28.

Galilæa licèt apud Judæos *Judææ* vilis admodùm habita fuerit, *Joann.* 7: 52. famam tamen variis ibi geſtis, varioque rerum eventu ſibi conciliarat, jamque ob *Chriſti* illîc commorationem Euangeliique ortum omnium locorum celebritatem ſuperarat. Prædixerat *Moyſes*, *Zabulon & Iſſachar Galilæos*, *vocaturos populum ad montem Domûs Domini ad offerenda ſacrificia juſtitiæ Domino*, Deuter. 33: 19. atque ante eum *Jacobus* dixerat, *Nephthali Galilæum daturum verba bona*, Geneſ. 49: 21. quæ duæ ſunt manifeſtæ orituri hoc utroque in loco Euangelii prædictiones. *Zabulon* & *Nephthali* animoſè geſſerant ſeſe in clade *Siſaræ*, *Judic.* 5: 18, atque in bellis *Gedeon*, *Judic.* 6: 35. Vide etiam 1 *Paral.* 12: 33, 34. &c.

MATTH. CAP. IV. VERS. 17.

MATTH. 4: 17. *Ab illo tempore cœpit Jeſus prædicare*, &c.

Duæ conjungendæ ſunt Epochæ, à quibus hæc *Chriſti* prædicatio deſumitur ab Euangeliſta, quam utramque commemorat inſinuatque in verſibus præcedentibus. I. A *Joan-*

Digitized by Google

MARCI CAP. I. VERS. 15.

Joannis incarceratione, *verſ.* 12. cùm enim officio jam ſuo functus eſſet, populoſque quamplurimos potuiſſet ad *Chriſti* adventum præparaſſet, obſignato demùm morte Miniſterio ſibi commiſſo, ab eo tùm tempore cœpit manifeſtum ſe facere *Chriſtus*, Euangeliumque prædicare. II. Cùm primùm venit in eas partes *Galilææ*, ubi primùm Captivitas inchoata eſt, atque ubi prædictum erat, futurum ut redemptio quoque primùm appareret. Jam pridem quidem *Joannes* in carcerem conjectus fuerat; ab eo enim tempore egreſſus eſt *Chriſtus* è *Judæa*, fuerat in *Samaria*, iter fecerat per *Galilæam*, rejectus fuerat à *Nazareth:* at nunc tantùm prædicare incipit *appropinquare Regnum cælorum*, quia experiri priùs voluit quî Euangelium *Regni* reciperetur, quàm appropinquare hoc Regnum declararet.

MARC. 1: 15. *Dicens, Tempus impletum eſt.*

Quær. I. Cur *Chriſtus* anno tantùm à mundo condito ferè quater milleſimo venit, Regnumque cœlorum tam ſerò appropinquavit? Cùm *Chriſtus* ſalvaturus peccatores, Gentileſque vocaturus veniſſet, nunquid expediiſſet citiùs eum venire, propiùſque temporibus *peccati*, Gentiliumque *rejectionis*, quàm permittere ut peccatum adeò multiplicaretur, totque *Gentilium* ante ipſius in mundo apparitionem perirent?

Reſp. *Aquinas* hæc omnia diſputat, *Part.* 3. *Quæſt.* 1. *Art.* 5. huncque ferè in modum reſpondet. I. Non expediebat *Chriſtum* tam citò apparere poſtquam peccatum in mundum introiſſet, quia homo ope Legis ſuum priùs ſtatum miſeriamque docendus erat, ut videret agnoſceretque quàm magno illo Medico indigeret. II. Quia requirebatur ut is qui ſummus Dominus erat Judexque ſuos haberet prodromos, ſeu præcurſores, cujuſmodi Prophetæ erant. Alias rationes addit, ſed præcipui hæ momenti ſunt. Cui III. quidni addamus, ut Euangelii prædicatio ſupremum erat ſummumque Dei in homines beneficium; ita poſtremo tantùm loco conferendum fuiſſe tanquam poſtremum hominum gratitudinis bonæque diſpoſitionis experimentum. Variis priùs experimentis Deus mundum probarat, lumine naturæ, *Chriſti* promiſſione, publico cultu, ſucceſſioneque Prophetarum, &c. (regnum enim *Iſraeliticum* cui hæc omnia tribuebantur, Orbis quaſi Epitome erat) cùm autem his omnibus homines abuſi eſſent, unum tantùm experimentum ſupererat: dixit itaque Dominus, Mittam Filium meum: ei enim haud dubiè reverentiam habebunt, &c.

MARCI CAP. I. VERS. 15.

Quær. II. Cur Chriſtus eâ potiùs mundi ætate, quàm quâvis aliâ, apparuerit?

Reſp. I. Ut *Chriſtus* venit liberator à peccato, ita apparuit cùm peccatum jam ſummum eſſet: (ita Judæi animadvertunt ab *Iſaj.* 63: 5.) ſi unquam enim invaluit in orbe terrarum peccatum, tùm maximè invaluit, non tantùm inter Gentiles, (*Romanos* ſcilicet, perverſam crudelemque Gentem, quæ potentiæ ſuæ impietatem jam adæquarunt) ſed etiam Judæos inter, qui præter omnia alia peccata, Prophetaſque occiſos, ipſas Scripturas Verbumque Dei impiis ſuis irreligioſiſque Traditionibus ferè exterminarant. Non tempus tantùm erat, ſed omnino expediebat ut *Chriſtus* veniret, quò ſuam Scripturis hunc in modum conculcatis authoritatem reſtitueret.

II. Judæi tantam jam ſervitutem, aut etiam majorem tum ſpiritualem tum temporalem, quàm unquam patiebantur: neque enim eorum animas cæci Doctores manciparant, ſed duplici prætereà ſub ſervitute gemebant, *Romanorum*, & *Herodis*. Hic è poſteris *Edomi* iniquiſſimus erat: ſed graviùs adhuc illi affligebant, qui nationi jugum nonniſi deſtructâ *Hieroſolymâ* amovendum impoſuerant.

III. Gens Antichriſtiana, aut populus ille, qui futurus eſſet perpetuus Ἀντικείμενος, aut in veritatem pugnax, ortus erat, divinâque ſapientiâ factum eſt, ut Euangelium hicque hoſtis ſimul naſcerentur. Cùm itaque *Chriſtus* manifeſtum ſe facere cœpit, tempus impletum erat, quod I. Deus ab orbe condito ad magnum hoc negotium deſtinarat; quod II. Prophetæ omnes prædixerant, cùm de adventu *Juſti* locuti ſunt; quod III. Judæi ipſi expectabant. IV. *Ultimi advenerant dies*, quos Prophetarum omnium de ipſius adventu prædictiones indicant, *Iſaj.* 2: 2. *Mich.* 4: 1. &c. *ultimi ſcilicet dies Jeruſalem:* jam enim urbs *Hieroſolymitana* gemebat ſub jugo illius nationis quæ eam deletura erat. V. *Elias* venerat, *Baptiſtaque* curſum ſuum peregerat.

Et appropinquavit regnum Dei: convertimini, & credite Euangelio.

MATTH. 4: 17. *Convertimini, appropinquat enim Regnum cœlorum.* MATTH. CAP. IV. VERS. 17.

I. Tum *Chriſtus*, tum *Joannes Baptiſta* eandem adhibent doctrinam atque argumentationem eandem, *Matth.* 3: 2. non tantùm

MATTH. CAP. IV. VERS. 17.

tantùm dum hortantur ad pœnitentiam tanquam neceſſariam, ſed etiam dum ad eandem invitant hanc ob cauſam, quia *Regnum cœlorum appropinquat*. Primò, id præcipuè populi expectabant, *Luc.* 2: 25, 38. & 19: 11. *Marc.* 15: 43. Secundò, juxta eorumdem opinionem redimendi erant à *Meſſia* pœnitentiæ ſuæ operibus. Res hæc multis agitatur à *Gemariſtis* in Tractatu *Sanhedrin*, *Perek.* 10. & *Davide Kimchi* in *Iſaj.* 59: 16. ejus verba, aliorum enim adducit verba, ejuſmodi ferè ſunt.

Et vidit quod nullus eſſet, &c. *Ecce invenimus in Lege hanc ſententiam: Redibiſque tu ad Dominum Deum tuum, audieſque vocem ejus. Dicit etiam, Et Dominus convertet Captivitatem tuam, tuique miſerebitur. Dicit quoque, Atque inde quæres Dominum Deum tuum, invenieſque eum ſi toto corde quæſieris, totâque animâ. Ecce congregatio eorum ex Captivitate pœnitentia fiet. Jam cùm Iſajas dicat, Et vidit quòd nullus eſſet; propterea brachium ipſius ſalutem adduxit*, &c. *Atque ita pariter, Aſpexi, & nullus erat qui adjuvaret*, &c. *Et dicit, Vias ejus vidi. Et cùm Ezechiel dicat, Non propter vos hoc facio, ô Domus Iſraël*, &c. *Atque iterum, Educam vos è populo. Rurſuſque, Ejiciam è medio veſtri rebelles, eoſque qui offendunt me; educam eos è regione in qua commorantur, & non intrabunt in terram Iſraël. Atque in Lege etiam dicit, Recordabor propter illos prioris Teſtamenti*, &c. *Vero ſimillimum videatur, eos inde ob propriam ipſorum bonitatem non educi, ſed ob Dei miſericordiam, bonitatemque parentum. Ipſiſque beatæ memoriæ Rabbinorum noſtrorum verbis comperimus hac ſuper re minimè eos dubitaſſe, utrùm ſcilicet educendi eſſent pœnitentiâ, necne. Ita enim dicunt: Rabbinus Jochanan dicit, Filius Davidis non venit niſi in generatione omninò juſta, aut in generatione omninò mala. In generatione omninò mala, ut dicitur, Et vidit quòd nullus eſſet, & miratus eſt quòd nullus interceſſor foret. Sequitur tùm: Propterea brachium ipſius ſalutem adduxit. In generatione omninò juſta, ut ſcriptum eſt, Omnis populus tuus eſt juſtus, hæreditate poſſidebit terram in æternum. Ita præterea dicunt: Rabbinus Joshua filius Levi dicit, Scriptum eſt, Ecce quidam inſtar Filii Hominis venit cum nubibus cœli: ſcriptum quoque eſt, Humilis, & ſedens ſuper aſinum. Jam qui hæc congruunt, ſi boni ſint, Venit cum nubibus cœli; ſi boni non ſint, tum Humilis & ſedens ſuper aſinum? Idem ferè dicit Rabbinus Eliezer, Si Iſraël convertatur, ſtatim redimetur. Rabbinus Joshua dicit ipſi, Nunquid alicubi dicitur, Venditi eſtis nihilo, & non redimemini argento, ſed pœnitentiâ boniſque operibus? Dubitabant itaque, ut videre eſt, utrùm è Captivitate pœnitentiâ necne educendi forent. Quæ opinionum diverſitas à Textuum diverſitate oriebatur. Quos tamen hunc in modum conciliare ſibi invicem poſſumus: quòd multi ſcilicet ex Iſraël pœnitentiam acturi ſint, ubi prius quædam redemptionis ſigna viderint: idcirco dicitur, Et vidit quia nullus eſſet: quia pœnitentiam agere nolunt, donec initium redemptionis videant.*

Hoc itaque ſenſu neceſſariam tenebant Judæi pœnitentiam ad ſuſcipiendum Regnum cœlorum ſimul atque appareret: quocircà tum *Chriſtus*, tum *Joannes Baptiſta* in hac argumentatione, *Convertimini, quoniam Regnum cœlorum appropinquat*, propria ipſimet ſibi dogmata doctrinamque applicant. Cùm autem in explanatione Hiſtoriæ *Nicodemi* dixerimus expectaſſe eos, apparente *Meſſia*, ſui mox in ſtatum glorioſum tranſlationem ſummamque beatitudinem; nihil contrarium dicimus hîc, dum aſſerimus cogitaſſe eos de pœnitentia tanquam neceſſariâ ad receptionem *Meſſiæ*: ex iis enim quamplurimi in ea erant opinione, nullâ ſe egere pœnitentiâ; qui autem eâ indigebant, qualem mox examinaturi ſumus, pœnitentiam iis aſſignabant, quæ nullam ſcilicet ſpiritûs mutationem ſecum induceret.

III. Neque hic argumentandi modus, *Convertimini, quoniam appropinquat Regnum cœlorum*, Judæorum tantùm opinioni congruit, quâ proinde fieret ut citiùs convicti ſubderentur; ſed mirum etiam in modum congruit ipſi naturæ Regni cœlorum. Primò enim, ſi hâc voce intelligatur adventus apparitioque *Meſſiæ*, qui primus quidem ipſius ſenſus eſt; quid potiùs pœnitentiâ ipſius apparitioni congruit? Conveniebant enim, cùm homines peccatis liberaturus veniſſet, *Matth.* 1: 18. ut ipſi pœnitentiam agerent, tenebraſque ſuas, exortâ ipſis jam vera luce, desererent. Cùmque Dominus *Chriſti* ad hominem redimendum apparitione doluiſſe ſe quodammodo oſtendat, quòd malum homini minatus eſſet; quàm congruebat ut tantæ miſericordiæ peccatorum ſuorum pœnitentiâ reſponderent? Secundò, ſi nomine *Regni cœlorum* intelligatur ſtatus Eccleſiæ ac religionis, apparente *Chriſto*, Euangelioque promulgato,

MATTH. CAP. IV. VERS. 17.

gato, comparatus ſtatui religionis ſub cæremoniis Legis; nullo meliùs modo quàm pœnitentiâ ad illud præparare ſe homines poterant, ſi præſertim cor mundarent, lavarent, Deoque in holocauſtum offerrent, cùm externis jam ſacrificiis relegatis, alius nullus mundandi, aut ſacrificium offerendi modus ſupereſſet. Tertiò, ſi hac voce Regnum *Chriſti* inter Gentiles ſubaudiatur, eorumve ope Euangelii vocatio, quem quoque ſenſum præ ſe fert; non aliâ meliùs argumentatione compelli poterant ad pœnitentiam Judæi, quàm ſi vocationis Gentilium ipſis mentio fieret, quorum introductione, nî pœnitentiam agerent, ejiciendos ſe probè norant.

II. Aliud commemoratu dignum in hac *Chriſti* doctrina occurrit, verbum ſcilicet illud quod ad pœnitentiam homines vocat. Quâ voce Syriacâ Syriacè loquens uſus fuerit, incertum. (Syriaci ſermonis Traductor utitur hac voce, תובו, *Revertimini*, aut *convertimini*) Sed vox à Spiritu Sancto in Originali Græco relicta, Μετανοεῖτε, vim non exiguam habet, ad eamque doctrinam quàm maximè appoſita eſt. Verbum iſtud ſæpe adhibetur à Septuaginta, cùm Deus dicitur pœnitentiâ duci, aut nullâ pœnitentiâ commoveri, 1 *Sam*. 15: 29. *Jerem*. 3: 9. *Amoſ*. 7: 3, 6. &c. Sed non tam ſæpè homini applicatur quàm verbum ἐπιστράφητε, & ἐπιστρέψατε ἀπὸ κακίας, *Ezech*. 18: 30. Hæc enim vox Grammaticè omninò & verbatim verbum שובו reddit: quæ vox plerumque ab Hebræis uſurpatur ut pœnitentia ſignificetur. *Septuaginta* tamen interdum adhibent Μετανοεῖν, ut hominis *pœnitentiam* ſignificent, *Jerem*. 8: 6. &c.

Vox hæc primò ſignificat examinationem ac conſiderationem ſuiipſius, *Lament*. 3: 40. atque ita *Brucioli Italicè* reddit, *Ravedete vi*, *Conſiderate voſmetipſos*. Secundò, ſapientiæ quoddam incrementum, aut hominis ad ſeipſum quaſi regreſſum, *Luc*. 15: 1, 7. quocircà benè redditur à Reformatis noſtris Theologis, *Reſipiſcite*: ita enim vox illa ſtrictiſſimè conſtruenda eſſet. Tertiò, mentis ab uno ſtatu in alium mutationem ſignificat.

Jam Spiritus Sanctus voce adeò propriâ verum ac genuinum pœnitentiæ characterem exhibet, tum ut uſurpationes vocis tunc minùs propriæ evitarentur, tum ut quæ hactenus contigerunt præoccuparentur. Præcipuam pœnitentiæ partem in mera offenſæ confeſſione ſtatuebant, remiſſionemque maximè in agnorum dimiſſione, atque in ſervitio diei Expiationis, tolerationeque pœnæ à Judicibus inflictæ: remiſſio autem certa erat in articulo mortis. At propriis ipſimet verbis mentem ſuam exprimant. *Qui præceptum affirmativum tranſgreditur, ſtatimque regreditur, non movet ſeſe donec Deus ipſi condonet, de ejuſmodi dicitur, Revertimini pueri retrogreſſi, veſtraſque retrogreſſiones curabo. Qui præceptum negativum tranſgreditur, pœnitentiâ is, ne puniatur, protegitur, dieſque Expiationis ipſum abſolvet: de eo dicitur, Hodie enim expiabitur. Qui autem in nomen Cœli blaſphemiam dixerit, nullâ is, ne puniatur, pœnitentiâ protegi poterit, neque dies Expiationis ipſi favebit, neque inflicta à Judicibus pœna ipſum liberabit. At pœnitentia dieſque Expiationis tertiam partem expiant, caſtigationeſque tertiam partem, tertiamque mors. De ejuſmodi autem dicitur, Si hæc iniquitas purgetur, priuſquàm moriamini, ecce diſcimus quòd mors abſolvat,* Thalm. Hieroſol. in *Sanhedr*. fol. 27. Obſerva obiter quàm dilucidè hanc *Chriſtus* opinionem exponat, cùm ait blaſphemiam in Spiritum Sanctum neque remittendum in hoc ſeculo, neque in futuro, *Matth*. 12: 32. hoc eſt, neque ipsâ etiam expiatione mortis. Cujuſmodi autem pœnitentiam intelligant, obſervare licet ex ejuſcemodi locis. *Qui contra quacunque Legis mandata ſive præceptiva ſive prohibitiva, errore aut arrogantiâ peccarit cùm pœnitentiam agit, deſeritque peccatum ſuum, confeſſionem facere tenetur. Quiſquis peccarit, ſacrificiumque pro errore aut præſumptione obtulerit, ipſius oblatione peccatum non expiatur, donec ore confeſſio ab ipſo fiat. Quiſquis autem eſt reus mortis, aut flagellationis à Synhedrio, ipſius peccatum non expiatur ejuſdem flagellatione, aut morte, donec ipſum pœniteat, confeſſionemque inſtituat. Et quia caper totius Iſraël reconciliatio eſt, confeſſionem ſuper eum pro omni Iſraël inſtituit Summus Sacerdos. Caper expiat omnes tranſgreſſiones in Lege commemoratas, ſive graves fuerint, ſive leves,* Maymon. in *Teſhubah*, *Perek*. 1.

Cum fera hæc ſit rudiſque adeò eorum circa pœnitentiam remiſſionemque doctrina, ut vera cordis affectio ad deſtruendum peccatum, obtinendamque veniam vix commemoretur, facilè animadvertemus quàm multùm faciat ad deſcribendam veram pœnitentiæ doctrinam verbum hoc à Spiritu Sancto uſurpatum: quod animi in pœnitente mutationem requirit, interiориſque temperamenti alterationem, in qua ipſa pœnitentiæ eſſentia conſiſtit: neque

Digitized by Google

MATTH. CAP. IV. VERS. 17.

neque enim, niſi mens mutetur, in exterioribus ullis actionibus ſita eſt.

Atque hunc in modum ferè ut *Chriſtus*, dum eos ad pœnitentiam hortatur, quia *Regnum cœlorum appropinquat*, argumentum contra illos ducit à recepta apud ipſos opinione; ita hoc originali verbo quo pœnitentia requiritur, alia quoque eorum opinio videtur ſimul indicari, & refutari, quia omnem ferè pœnitentiam in exterioribus ponebant. Cùm itaque Euangelii Miniſterium pœnitentiam requirat, eoque verbo quod mutationem alterationemque mentis ſonet, ſimul ac ſemel duplicem eorum errorem confutat: priorem quidem eorum qui legali tantùm juſtitia contenti, indigere ſe pœnitentiâ non credebant: poſteriorem eorum qui pœnitentiam confeſſione præcipuè, ſacrificiis, aliâve quapiam exteriore actione agebant.

III. Obſervatu dignum eſt in hac *Chriſti* prædicatione, quòd huic exhortationi *ad pœnitentiam*, aliam ſuperaddat, *ad credendum* nempe *Euangelio*; quod à *Joanne Baptiſta* factum non legimus, *Matth*. 3: 2. Is tamen Euangelium quoque prædicavit; ipſius enim Miniſterium Euangelii initium dicitur, *Marc*. 1: 1, 2. prædicavitque ut crederent, *Joann*. 1: 7. Sed ipſius doctrina eò maximè collimabat, ut eum declararet qui Euangelium prædicaturus erat, ut cùm ad prædicandum reipſa accederet, fidem eò faciliùs inveniret, *Joann*. 1: 31. *Actor*. 19: 4. Præcipuum *Joannis* munus erat *Chriſtum* invenire, ipſumque populis notum facere tanquam Prophetam magnum, verumque *Meſſiam*, qui magna Euangelii myſteria ſolus promulgaturus eſſet; ut cùm illud tantùm, ut nunc, prædicaturus veniret, eò meliùs haberetur, faciliùſque audiretur: atque ita *Joannes* populum ad Domini adventum præparat, *Luc*. 1: 17. Cùm jam magnus hic Concionator, cui omni operâ attentionem audientiamque *Joannes* conciliare ſtuduerat, advenerit, Euangelium plena in luce promulgaturus, pœnitentiam requirit, ejuſque fidem, *Actor*. 20: 21. *Convertimini ad Deum & fidem in Jeſu Chriſto*.

Fides in proceſſu gratiæ præcedit pœnitentiam, primam & reliquarum gratiarum matrem: poſtrema tamen hîc atque alibi dicitur. Primò, licèt fides primùm producatur, pœnitentia tamen primùm apparet, cordique pœnitentiâ tacti aliorumque ſeſe oculis primùm ingerit. II. Quia pauper, contritum, pœnitenſque cor eſt aptiſſimum Euangelii receptaculum, *Iſaj*. 61: 1. *Matth*. 11: 5.

Jam *Euangelii* nomine non tantùm intelligenda veniunt læta ſalutis nuncia, ut vox ipſa primitùs ſonat, alibique uſurpatur; ſed ſingulari quâdam emphaſi, nova Lex, Fœduſque novum à Deo populo promiſſum, quod ipſe populus à *Meſſiâ* expectabat. Euangelium prout ſonat bona ſalutis nuncia, *Chriſti* interventu fusè expoſitum eſt in Lege & Prophetis: & ſi Chriſtus *verbum* hoc eo hîc tantùm ſenſu ſumit, Miniſterium tantùm eorum non abſimile Miniſterio proponit. Sed ut in Synagoga *Nazarena* ſupremum ſe Domini *Chriſtum* ſive inunctum ad ſingulare promulgandæ novæ Legis opus, *Luc*. 4: 18. aſſerere ſe cœperat; ita nunc & deinceps ſe peculiariter à Deo hunc ad ſcopum deſtinatum palàm docet, ſuamque doctrinam ipſummet eſſe Euangelium, ſeu *bona nuncia* quæ Deus per *Meſſiam* miſſurum ſe promiſerat: hocque ſenſu eos hortatur, ut Euangelio credant, non tantùm eorum cauſſâ quæ complectitur, ſed ejus etiam qui illud annunciat, magni ſcilicet Prophetæ à Deo promiſſi, atque à Gentibus omnibus votis expetiti.

Fusè Prophetarum oraculis prædixerat Deus *Meſſiam* fore magnum eorum Doctorem ac Legiſlatorem poſtremis temporibus: novam hinc, cùm ipſe veniſſet, doctrinam Legemque Judæi expectabant: *Iſaj*. 2: 1, 2, 3. *Poſtremis temporibus mons domûs Domini conſtituetur in vertice montium*, &c. *multique populi dicent*, *Venite*, *aſcendamus*, &c. *docebitque nos vias ſuas*, *& inhærebimus veſtigiis ejus*, &c. *Hic Doctor*, inquit *David Kimchi*, *eſt Meſſias*. Atque ita *Iſaj*. 11: 4. *In juſtitia judicabit pauperem*, *reprehendetque cum æquitate*: quod *Chaldæus Paraphraſtes* de *Meſſia* omninò intelligit; ut & illud *Iſaj*. 42: 1. &c. illudque aliud *Iſaj*. 52: 7. *Quàm ſpecioſi ſuper montes euangelizantis pacem!* aut prædicantis Euangelium: quod licèt Apoſtolus *Rom*. 10: 15. generatim Miniſterio Euangelii applicet, ex ipſo tamen Prophetæ contextu patet de *Chriſto* præcipuè intelligi debere, quem *Chaldæus Paraphraſtes* verſ. 13. expreſſe indigitat. Eſt & alia quædam Prophetia de *Chriſto* futuro magno Doctore cùm venerit, quâ multi ad Enthuſiaſmum ſtabiliendum abutuntur, *Iſaj*. 54: 13. *Eruntque omnes filii tui docibiles Dei*, ſive tuos omnes filios Deus docebit: ubi Propheta glorioſum Eccleſiæ ſtatum diebus *Meſſiæ*, (ut & *Rabbini* hunc locum intelligunt) exponens, hoc addit tan-

Digitized by Google

MATTH. CAP. IV. VERS. 17.

tanquam ſingulare eorum temporum privilegium, quòd ſcilicet cùm Deus aliàs omniaque retrò ſecula Prophetarum tantùm ore docuiſſet, jam ipſemet in omnium oculis humanâ indutus naturâ eorum Doctor foret. His & ejuſcemodi quamplurimis in Veteri Teſtamento Prophetiis excitata Natio, à *Meſſia*,, ſimul atque advenit, bonorum nunciorum prædicationem, liberationiſque promulgationem, novamque Legem, ut Moſes dederat, expectabat, quippè quòd *Chriſtus* magnus populi Doctor futurus crederetur. In hunc ferè ſcopum excurrit *Chaldæus Paraphraſtes* in vigeſimum & vigeſimum ſecundum *verſum Capitis* ſecundi *Lamentationum*: *Proclamabis libertatem populo tuo, Domui Iſraël interventu Meſſiæ, ut feciſti interventu Moſis & Aaronis in die Paſchæ.* *Targum* autem *Hieroſolymitanum* in *Exod.* 12. *Egreſſus eſt Moſes è medio deſerti, Rexque Meſſias è medio Romæ. Alter locutus eſt apice nubis; & alter locutus eſt in apice nubis: & verbum Domini loquentis inter eos, iique ſimul ambulabant.* Et *Targum* in *Cantic.* 8: 2. *Quando Rex Meſſias revelabitur Congregationi Iſraël, filii Iſraël ipſi dicent, Veni, eſto nobiſcum ſicut frater, aſcendemuſque Hieroſolymam, tecumque ſugemus ſenſum Legis, ut infans ſugit ubera matris*, &c. *Et aſſumam te, ô Rex Meſſia, ducamque te ad Domum Sanctuarii mei, docebiſque me timorem Domini, quîque ambulare debeam in Lege ipſius. Rex Meſſias ipſis dicet, Adjuro te, ô Domus Iſraël, popule mi*, &c. *Subſiſte hîc pauliſper, donec hoſtes Jeruſalem exterminati ſint; poſtea Dominus memor erit tui, dum gratiam diſtribuet rectis corde; eritque beneplacitum & volupe illi liberare te.*

Ad hujuſcemodi Prophetarum promiſſa, Nationiſque expectationem, (cujuſce rei plura longè, ſi opus foret, ſubminiſtrari exempla poſſent) quòd ſcilicet *Meſſias* tanquam alter *Moyſes* futurus eſſet non tantùm Liberator, ſed & Legiſlator, magnuſque Propheta & Doctor ubi Prophetia defeciſſet, Chriſti verba ſpectant, cùm homines *ad credendum Euangelio* hortatur: quaſi paulò fuſiùs hunc in modum diſſeruiſſet. Expectatis juxta Prophetarum prædictiones, cùm *Meſſias* venerit, eum inſtar *Moſis* Doctorem fore ac Legiſlatorem, eum vobis libertatem & redemptionem annunciaturum, viaſque Domini indicaturum, quîque juxta cor Domini ambulare debeatis: ecce jam hanc ipſam vos doceo doctrinam quæ à Prophetis promiſſa fuit; ille ego ſum quem Deus inunxit, miſitque ut bona nuncia annunciarem. Vos igitur Euangelio à me annunciato credite; quod ut avidè expectaſtis, ita nunc avidè ſuſcipite.

MATTH. CAP. IV. VERS. 17.

Hacque de cauſa *Joannes Baptiſta* hanc admonitionem, *Credite Euangelio*, huic alteri, *Convertimini*, non addidit, quia hoc ſenſu Euangelium annunciaturus non erat; qui enim id annunciaturus erat, jam venerat. Jam quamvis utraque illa pars *Chriſti* doctrinæ, *Convertimini*, & *Credite Euangelio*, tam directè Judæos ſpectaret, eorumque circa hæc opinionem; hæc tamen dogmata adeò neceſſaria ſunt, ut ad Gentiles etiam non minùs quàm Judæos ad uſque mundi finem ſpectent: tumque vox *Euangelium* non tantùm bona ſalutis nuncia ſonat, neque tantùm ut promulgata annunciataque à *Meſſia*, gemina quidem ſingularia omninò privilegia; ſed ſonat inſuper manifeſtiſſimam Dei poſtremamque ad hominem ſalvandum methodum mediumque.

IV. Denique, cùm *Regnum cœlorum appropinquet*, ἤγγικε, inquiri poteſt, utrùm velit illud jam veniſſe, aut in propinquo tantùm eſſe. Utrumque autem verum eſt: verbum enim hoc, *Regnum cœlorum*, quandam in ſignificando, ut priùs obſervatum fuit, latitudinem admittit, quàm juxta verbum quoque ipſum dilatatur: ſonat enim revelationem *Meſſiæ*, ſtatumque Eccleſiæ à *Chriſto* jam detectæ ac revelatæ. *Chriſtus* autem paulatim revelatus eſt, ut lux matutina creſcit paulatim uſque ad perfectum diem. Epocha prima ipſius revelationis ducenda eſt à Baptiſmo *Joannis*, *Matth.* 11: 12, 13. *Marc.* 1: 1, 2. quia prædicari annunciarique incipiebat tanquam propinquans, ac quædam in Eccleſiaſtica œconomia mutatio primùm facta eſt Baptiſmi introductione: ſed ſuo ipſiuſmet Baptiſmo magis ac magis revelari cœpit, poteſtate prædicationis, miraculis innumeris, atque ipſâ præſertim reſurrectione. Cùm itaque dicit, *Regnum cœlorum appropinquat*, revelationem *Meſſiæ* intelligit apertè demonſtratam, ipſâ præſertim à mortuis reſurrectione, *Rom.* 1: 4. ita ut qui non ſponte cæcutiebant, revelatum mundi Redemptorem agnoſcere poſſent. Hanc diſſertationem de magna illa ſanctaque Euangelii doctrina, *pœnitentiâ & fide*, hoc Judæorum axioma abſolvat: *Dies oblationis oblationéſque pro peccato non expiant niſi eos qui converſi fuerint, & crediderint ſe expiatos*, Maymon. in *Shegagah*, *Perek.* 3.

Digitized by Google

LUCÆ CAP. V. VERS. 1.

Lucæ 5: 1. *Ut populus confluebat ad ipſum ut audiret Verbum Dei.*

Duo omninò populum ad eum audiendum impellebant; ipſius ſcilicet doctrina, quæ *Regnum cœlorum* proclamabat tantopere ab ipſis expectatum; ipſaque ejuſdem authoritas, quem ceu Prophetam ad minimum, ſin minùs *Meſſiam*, intuebantur. Cùm dicitur confluxiſſe eos ad ipſum ut audirent Verbum Dei, vox hæc *Verbum Dei* ſingularem habet emphaſim, iique loci, *Mirabantur doctrinam ejus: eos enim docebat tanquam authoritatem habens, & non Scribarum inſtar*, Marc. 1: 22. & 7: 28, 29. nobis ſtatim indicant quo ſenſu populus Verbum Dei accipiat, ſublimiore nempe quàm doctrinam concioneſque Phariſæorum ac Scribarum: ii enim *Chriſtum* reſpiciunt tanquam Propheticum Doctorem, ab eoque tanquam à Propheta Verbum Dei audire geſtiunt: & ſi ceu *Meſſiam* non agnoverunt, cum tamen agnoſcunt ut quempiam à Deo miſſum, longèque potiorem ipſorummet Doctoribus. Diuturna Prophetarum abſentia, præſenſque *Meſſiæ* expectatio, hanc facile de eo opinionem concitarunt, cum præſertim tam manifeſta etiam miracula concurrerent.

Stetit ad lacum Geneſareth.] *Lucas ſtetiſſe* eum dicit ad hunc lacum, cum alter Euangeliſta dicat eum *ambulaſſe*: quod quidem diſcrimen nemini moleſtum eſſe debet. Præterquam enim quòd homines inter deambulandum interdùm loco moveantur, interdùm immoti ſubitò conſiſtant, Hiſtoria *Lucæ* de eo loquitur prout erat priuſquàm naviculam *Petri* conſcenderet; cæterique Euangeliſtæ de eodem ut inde egreſſo loquuntur.

Lacus Geneſareth, qui interdùm in Euangelio dicitur *mare Galilææ*, interdùm *mare Tiberiadis*, in Veteri Teſtamento dicitur ſemper *mare Cinereth*, *Numer.* 34: 11. *Joſ.* 12: 3. 1 *Reg.* 15: 20. Nomen poſteà *Cinereth* mutatum eſt in *Geneſar*: quàm appellationis mutationem varia alia loca nominaque ſubierant. Atque *Chaldæi* Commentatores, qui mutata rerum nomina ſervare ſolent, in Textibus allatis utuntur verbo *Geneſar*, aut *Ginoſar*. Ipſique etiam Judæi hoc mare eâdem appellatione inſigniunt. Illud ita *Joſephus* deſcribit. *Lacus Geneſar ita nuncupatur à regione adjacente, latuſque eſt ſtadia quadraginta, centumque in longitudinem porrectus. Aqua dulcis eſt, aptiſſimaque ad potum. Hunc in modum Plinius: Jordanes ubi prima convallium fuit occaſio, in lacum ſe fundit, quem plures Geneſaram vocant*, &c. *Longitudo ejus ſedecim milliaria complectitur*, [illegible] *circumcingitur pulcherrimis* [illegible] *Ortu conſpiciuntur Julias & H*[illegible] *Tarichea, quo etiam nomine* [illegible]*; ab Occidente Tiberias*, [illegible] *ma balneis*, lib. 5. cap. 15. [illegible] illic fuiſſe Αρωματῖτιν [illegible], ſeu *dulces arundines propè creviſſe*, lib. Geograph. 16.

LUCÆ CAP. V. VERS. 1, 3.

Circa rationem nominis *Geneſar* hæc habet *Baal Aruch*: *In Gemara primi Capitis Tractatus de Paſcha dicitur: Cur nulli fructus in Geneſar Hieroſolymam advehuntur?* [illegible] *in quarto Capite Maaſeroth dicitur: Deſerta eſt ora Geneſar, licet molendina & coqui illic ſint. Aliqui locum interpretantur prope Tiberiadem, ubi ſunt horti & viridaria. Targum reddit, Mare Cinnereth, mare Ginoſar. Atque in Jelammedenu Rabbini noſtri dicunt, Quare vocatur Ginoſar? Ob* גני סריס *Principum hortos. Hi erant Reges qui hortos illic habebant. Rabbinus Judah ex Rabbi Simeone dicit, Quare vocatur Genoſar? Quia portio Nephthali erat ibi, & dicitur de Nephthali, Mille Principes. Atque in Jelammedenu rurſus dicitur, Limites Nephthali erat Ginoſar.* Quare juxta etymologiam Judæorum appellatio hæc deſumpta eſt à regiis quibuſdam hortis ipſi adjacentibus: quod fortè verum fuerit, cùm palatium *Herodis* prope *Tiberiadem* eſſet; atque ut à regia civitate mare dicebatur *mare Tiberiadis*, ita fortè à conſitis prope hortis *Geneſar*, aut *hortorum Principum locus* dicebatur. Obſervanda hic eſt Græcæ locutionis proprietas, quæ addit ſyllabam *eth* poſtremæ hujus verbi parti, ut & verbo *Nazareth*, cùm in Hebræo Textu ſit tantùm נצר, *Netzer*, poſt literam *r*. Sed hac ſuper re nihil curioſiùs inquiremus.

Vers. 3. *Conſcenditque naviculam Simonis*, &c.

Fuerintne hæ duæ naves, quarum altera *Simonis* erat, magnæ, ut noſtræ hoc ſeculo ſunt, necne, quibus viſum fuerit diſputent. Vox Græca non ineptè applicari poteſt cymbæ aut naviculæ, piſcatorum uſui aptiori quàm magna navis foret. *Thalmud* in Tractatu *Zavim*, *Perek*. 3. hanc majorem inter minoremque navem differentiam ponit. *Quid eſt major navis? Rabbi Judah dicit, Eſſe ejuſmodi quæ ab uno homine gubernari, moveri, regique nequeat.* Sed ut nihil ampliùs dicamus de mole naviculæ *Petri*, quæ veroſimiliter cymba tantùm piſcatoria erat, de ipſiuſmet Magiſtro, *Petro* ſcilicet, potiùs quædam inquiramus, quî ſcilicet

ſcilicet jam piſcator factus ſit, qui priùs *Chriſti* Diſcipulus erat: venit enim ad *Chriſtum*, à quo vocatus eſt *Cephas* ſeu *Petrus*, *Joann.* 1:42. Annon eum ab eo tempore ſecutus eſt, comitabaturque eum variis in locis? Ubi *Chriſtus* & Diſcipuli commemorantur, annon unus eorum ipſe enumeratur? *Joann.* 2: 2, 17, 22. & 3: 22. & 4: 8. &c. Qui fit ergo ut ille & *Andreas*, qui tùm cum illo erant, ipſum nunc deſeruerint, artemque piſcatoriam exercuerint?

Reſp. I. Negare non poſſumus *Petrum* & *Andream* ſecutos eſſe *Chriſtum* ab eo primùm tempore quo ipſi occurrerunt, ipſoſque ipſius Diſcipulis annumerandos locis ſuperiùs citatis: licèt enim dicatur de *Andrea*, ipſiuſque ſocio, qui primùm *Chriſto* aſſociatus eſt, quòd *eo die cum eo remanſerint*, *Joann.* 1: 40. quaſi poſterâ iterùm die eum deſeruiſſent; id intelligendum eſt comparatè potiùs ad locum, quàm ad limitationem temporis, quòd præſertim totâ nocte cum eo commorati ſint. II. Affirmare non poſſumus *Petrum* & *Andream*, cùm in artis piſcatoriæ exercitio eſſent, *Chriſtum* abſque ipſius permiſſu conſenſuque deſeruiſſe: his enim dicendum eſt eum permiſiſſe ut ad habitationes ſuas negotiorum privatorum cauſâ ad tempus redirent: ſed quando, & qua de cauſa id permiſerit, lis adhuc ſub judice eſt. Hoc porrò maximè conjecturâ aſſequi poſſumus, cur & quando hoc permiſerit. Quòd *Joannes* in carcerem conjectus ſit, in cauſa primùm fuit multitudo Diſcipulorum, quæ *Herodi* novitatis turbarumque inde ſuſpicionem ſubminiſtrabat. Cùm autem jam *Joannes* in carcerem detruſus eſſet, id *Chriſto* innotuit, & qua de cauſa. Præterea ſciebat obſervatum à Phariſæis, penès quos ſumma rerum poteſtas tùm erat, plures ſe comitari Diſcipulos, quàm *Joannem* comitabantur: idcircò ſuo è *Judæa* in *Galilæam* receſſu ſibi conſulit. Cùm autem in regionem *Herodi* ſubjectam veniſſet, ſibi pariter diſperſione Diſcipulorum conſulendum judicavit: nondum enim inceperat conſtituere *Regnum cœlorum*, ſeque ipſum manifeſtè *Meſſiam*; ſed tantùm poſt aliquod tempus prædicaturus erat, *Tempus impletum eſt, & Regnum cœlorum appropinquavit*, &c. Conjicere itaque hinc licet, cùm in *Galilæam* venit, Diſcipulos ipſum ſuos ad tempus dimiſiſſe, ne *Herodes* eum ob multitudinem Diſcipulorum in carcerem conjiceret; ſed ipſemet ſolus ad varias *Galilææ* Synagogas circumit, in iiſque recipitur; redit ad oppidum *Nazarenum* natale ſolum, indeque ejicitur, deſcenditque *Capernaum*, ubi ſe *Meſſiam* oſtendere incipit, Diſcipuloſque rurſus vocat ad ſe. Cùm itaque *Petrus* & *Andreas*, ac *Jacobus* fortè etiam ac *Joannes*, hunc in modum remiſſi eſſent, priſtinæ ſe rurſus arti applicuerunt: ſi enim *Chriſti* nomine baptizaſſent, aut concionati eſſent, è re *Chriſti* non fuiſſet, donec ſolus ipſe & ſeorſim ab illis prædicando, altas in populorum animis radices egiſſet. Ipſis autem otiari & prodeſſe nihil poterat, & pietati etiam ipſorum obfuiſſet: quare donec ad nova à *Chriſto* negotia vocarentur, priſtinam artem exercuerunt. Sed rurſus jam vocati, ad piſcandum nunquam rurſus redeunt. *Petri* enim piſcatio, *Joann.* 21. experimentum potiùs erat, quàm artis exercitium; alterum enim miraculum à *Chriſto* expectabat, quo manifeſtus fieret *Chriſti* in ipſum amor, qui dum primùm vocatus eſſet miraculum fecerat.

Docebat turbam ex navigio.] Salire cœperat fons doctrinæ Euangelicæ in Templo; *Joann.* 2: 14. [ad Meridiem etiam Altaris, *Ezech.* 47: 1. in ea enim parte erat Emporium, ubi *Chriſtus* primùm zelum ſuum oſtendere cœpit] & nunc in mare influit: eaque *Ezechielis* Prophetæ prædictio ad litteram ferè impleta eſt. *Rabbini dicunt*, *Quò aquæ illæ fluxerunt? In mare Tiberiadis, atque in mare Sodomæ, inque Oceanum*, *R. Solom.* & *Kimchi* in locis citatis, ex *Toſapht.* in *Succah.* Compara *Pſalm.* 29: 3.

VERS. 6. *Concluſerunt magnam piſcium multitudinem.*

I. Hîc hæ creaturæ ſecundo ſeſe *Adamo* ſubmittunt, qui primo ſeſe nunquam ſubmiſerant. Vid. *Geneſ.* 2: 19. Volucres & beſtiæ ad eum acceſſerunt, ut ſuis quoque appellationibus inſignirentur; non tamen piſces, licèt ipſius quoque dominio ſubditi forent. II. Caſum *Jonæ* & *Simonis Bar Jonæ* hîc ſimul compara: compara ſcilicet alterum à piſce captum, cùm recuſaret ire quò mittebatur; alterum piſces capientem, cùm jam ad prædicandum mitteretur, indeque ad id animatum. III. *Chriſtus* hoc miraculo non tantùm ipſi inſinuabat quam ipſis provinciam impoſiturus eſſet, qui ſcilicet hominum piſcatores, ut ipſemet erat, futuri forent; ſed oſtendit etiam qui neceſſaria ipſis providere poſſet, ſeque neceſſariam ipſis ſuppeditaturum opem, ut in Verbi Miniſterio feliciter ſuccederent.

Digitized by Google

LUCÆ CAP. V. VERS. 8, 10.

VERS. 8. *Diſcede à me: homo enim peccator ſum.*

Quid ergo? *Petrus* genibus flexis *Chriſtum* orat ut diſcedat? *Spiritus & Sponſa dicunt, Veni,* Apocal. 22: 17. & *Petrus* rogat ut diſcedat? Ita improbi dicunt *Job.* 22: 17, 18. ſed diſpari omninò affectu, verba licet utrimque congruant. *Petrus* enim ſtupore metuque commotus loquitur: tanto enim miraculo obſtupeſcebat, *verſ.* 9. conſpicuam namque ſibique propinquam tantam potentiam formidabat, ſecumque perpendebat ſui cauſa miraculum eſſe patratum; quare meritò humilitatis affectu indignum ſe proclamat qui tantà apud *Chriſtum* gratia valeret, aut tam prope ipſum foret: nequaquam enim illius eſſe in conſortio eum tædebat, ſed quia ejus ſe aſpectu cenſebat indignum, quemadmodum Centurio, *Domine, non ſum dignus ut intres ſub tectum meum*, Matth. 8: 8.

VERS. 10. *Jacobum & Joannem filios Zebedæi.*

Circa quatuor hos primùm vocatos Diſcipulos, duos filios *Jonæ*, & duos filios *Zebedæi*, (nomina enim eadem ſunt) quatuor hæc obſervare licet.

I. *Petrus* primus ſemper recenſetur in catalogo duodecim Apoſtolorum, quia primum vocatus eſt ad Apoſtolatum. Fateor quidem *Andream* aliumque innominatum, Diſcipulos Chriſti fuiſſe, eumque priùs *Petro* ſecutos eſſe, *Joann.* 1: 37. ſed hi tunc cum non vocati ſecuti ſunt, cumque tantùm Diſcipulorum inſtar ſunt ſecuti: ſed jam Chriſtus eos vocat tanquam Apoſtolos, primùmque jam vocatur *Petrus*. *Andreas* quidem in navicula erat, dum vocaretur, dixitque ipſi ipſum fore piſcatorem hominum, qualis *Petrus* futurus erat: ſed ex ipſo *Chriſti* & *Petri* colloquio relato à *Luca* facilè colligitur *Petrum* primum ordine fuiſſe vocatum.

II. *Jacobus*, aut *Jacob*, plerumque *Jacobus major* vocatur, ut diſtinguatur à *Jacobo* filio *Alphæi*, qui *minor* dicitur, non ob ullam Apoſtolatûs dignitatem, quâ alteri alter præibat, ſed quia vel *Jacobus* ſenior erat, vel quia primùm vocatus eſt, vel ob ſingularem ipſius cum *Chriſto* familiaritatem: qualis cum *Chriſto* familiaritas *Petro* quoque & *Joanni*, de quibus mox, communis erat.

III. *Joannes* dicitur *Diſcipulus quem diligebat Jeſus*, Joann. 13: 23. qui pectori ipſius innitebatur, cui matrem ſuam concredidit, cui ſtatum Eccleſiæ ad ſecundum uſque adventum ſuum revelavit, quemadmodum Eccleſiæ ſuæ ſtatum ad primum uſque adventum *Danieli multùm quoque dilecto revelarat*, Dan. 10: 11. Hujus appellationis ratio incerta eſt. Idcircò fortè ita cognominatus eſt, quia primus *Chriſti* Diſcipulus erat, ut *Petrus* primus Apoſtolorum vocatus eſt: cùm enim mentio duorum *Joannis* Diſcipulorum fiat, qui primùm *Jeſum* ſecuti ſunt, *Andreaſque* eorum alter appelletur; vero ſimillimum eſt hunc alium ipſummet *Joannem* fuiſſe qui Hiſtoriam ſcripſit, *Joann.* 1: 37. &c. Quod hinc veriſimile fuerit, non tantùm quia in arte piſcatoria ſocius erat *Andreæ*, atque ita ſimul fortè ad *Joannis Baptiſmum* profecti ſunt; ſed etiam quia illius Diſcipuli nomen reticet, cùm reliquorum omnium nomina recenſeat, ut ſuum ipſe nomen in tota Euangelii ſui ſerie reticere ſolet.

LUCÆ CAP. V. VERS. 10.

IV. Nomen *Andreæ* uſurpatur in *Thalmude Hieroſolymitano* in *Magd. Perek.* 4. אנדריי בר חיננא בשם ר׳ זכי, *Andreas filius Chinnæ dicit in nomine Rabbini Zachæi*, &c. *Andreas*, de quo quæſtio, unà cum primo Diſcipulus erat, ſocius *Joannis* in prima *Chriſto* adhæſione, Diſcipulus ante *Petrum*, vocatuſque priuſquàm *Jacobus* & *Joannes*: & is tamen, quod mirum cuiquam meritò videatur, reliquis ſemper omnibus poſtponitur, & quibuſdam in rebus omnes tres comperimus quoad quædam privilegia ipſi prælatos. Quiſquis Euangelium legerit, obſervare poterit *Chriſtum* peculiari ſe favore geſſiſſe erga *Petrum*, *Joannem*, & *Jacobum*, qui non tantùm reliquis vocatis poſt eos Apoſtolis non concedebatur, ſed qui ne *Andreæ* quidem, qui & Diſcipulus erat, & inter primos Apoſtolus: ut cùm ſuſcitaturus *Jairi* filiam acceſſit, neminem paſſus eſt ſecum ire *præter Petrum*, *Jacobum*, & *Joannem*, Marc. 5: 37. cùm transfigurandus foret, *Petrum tantùm*, *Jacobum*, & *Joannem ſecum duxit*, Matth. 17: 1. cùmque ad agoniam ſubeundam profectus eſt, *aſſumpſit tantùm ſecum Petrum & duos filios Zebedæi*, Matth. 26: 37. quibus tantùm tribus ſeorſim à reliquis in ſumma ſe poteſtate, gloriâ, agoniâque oſtendit. Cujus rei duplex excogitari ratio poteſt.

I. Quia primùm hos peculiariter tres ad Miniſterium Circumciſionis deſtinarat,

rat, *Jacobum* in *Judæa*, *Petrum* ad *Judæos* in Oriente diſperſos, & *Joannem* in Occidente. Apoſtolus, *Gal.* 2: 9. nominat *Jacobum*, *Cepham* & *Joannem* ſimul, tanquam columnas cooperatoreſque in Miniſterio : ubi *Jacobus* commemoratus non eſt ille idem de quo hîc agimus, erat enim *Jacobus minor*; ſed mortuo *Jacobo majori*, ad idem hic Miniſterium ſubſtitutus eſt. Cur enim *Herodes*, *Actor.* 12. manus injiceret in *Jacobum* fratrem *Joannis*, ipſumque primum deſtrueret, potiùs citiuſque quàm ullum alium Apoſtolorum; niſi quia magno is applauſu famaque ac ſucceſſu Circumciſis miniſtraturus credebatur.

II. Quia hos tres deſtinarat *Chriſtus* ad Martyrium, ac tanquam eminentiſſimos omnium, rerum ſuarum teſtes, hujuſcemodi fatum prædicit *Petro*, *Joann.* 21: 18, 19. ut & *Jacobo* & *Joanni*, *Matth.* 20: 23. Martyrium *Jacobi* commemoratur *Actor.* 12: 2. cùmque hunc in modum ſublatus eſſet, *Jacobus minor* ipſi ſubſtitutus eſt, *ut ſpecialis Miniſter, & Apoſtolus ad Judæos Circumciſionis intra Judæam.* Hinc trium primus nominatur, *Gal.* 2: 9. peculiarique omninò modo, *Actor.* 15: 13. & 12: 17. & 21: 18. &c.

Petrus poſt diuturnam *Hieroſolymis* commorationem, aut non procul inde, Orientalem denique *Babylonem* petiit, antiquam idololatriæ perſecutioniſque ſedem ; ſed nunc Eccleſiam, 1 *Petr.* 5: 13. Licèt plurimi Judæorum, promulgato à *Cyro* edicto, *Babylonia* è captivitate rediiſſent ; non pauci tamen *Babylone* remanſere, ita ut publicas ibi Academias Scholaſque & Doctores ſicut in *Judæa* haberent, conſtituebantque ibidem Reipublicæ quoddam genus, ut in natali ſolo. Ad hos *Petrus* miſſus eſt tanquam Miniſter, atque inter eos Miniſterium ſuum ſanguine ſuo obſignaſſe videtur. Vide 2 *Petr.* 1: 13, 14.

Legimus *Joannem* fuiſſe in inſula quæ dicitur *Patmos*; ſed ulteriùs verſus Occidentem nuſquam in Scripturis legimus eum fuiſſe. Ubi vivere deſierit, ſanguineque ſuo Euangelium obſignarit, difficile dictu eſt. Quædam eum Hiſtoriæ *Romæ* fuiſſe volunt : qua in re non multùm fortè à veritate aberrarunt ; ſed eorum quidam inepta illic de eo narrant.

Fortè ut ambo *Jacobi* Miniſtri Circumciſionis in *Judæa* Martyrio *Hieroſolymis* affecti ſunt, ita *Petrus* Orientalis diſperſionis Miniſter in Orientali *Babylone* Martyrium ſubiit ; *Joanneſque Babylonis* Occidentalis Miniſter ibidem fortè periit.

Quid factum ſit de *Zebedæo* patre eminentiſſimorum illorum Apoſtolorum, cùm illius filii ab ipſo avocati ſunt, nullibi Scriptura commemorat. Dicuntur ipſius filii ipſum in navi *unà cum ſervis conductitiis reliquiſſe*, *Chriſtumque* vocantem ſecuti. Non eſt credendum patrem ſe ſuum contempſiſſe cùm eum dereliquerunt ; ſed tantùm impoſito ſibi à *Chriſto* muneri ſubmiſerunt ſeſe, cujus fortè pater ob ætatem jam provectam capax non erat. Neque credere licet reliquiſſe eos patrem in *Judaiſmo* atque infidelitate, aut cum *Judæum* perſeveraſſe. Certum eſt ipſorum matrem *Salomen* conſtanti *Chriſtum* zelo ſecutam eſſe, *Matth.* 26: 56. neque quidquam cauſæ ſubeſt cur minorem in *Zebedæo* fidem pietatemque fingamus. Utrùm tantùm *Chriſtum* exemplo filiorum uxoriſque ſecutus necne ſit, aut in legitimæ artis ſuæ exercitio permanſerit, Scriptura non docet, neque multùm è re noſtra fuerit inquirere. Nomen hoc *Zabdi* vel *Zebedee* uſurpant ſæpiſſimè *Thalmudici*.

SECTIO XX.

MARCI CAP. I.

VERS. XXI. *Et cùm ingrederetur Capernaumum, ſtatim docebat in Sabbatis in Synagogis illorum.*

XXII. *Et mirabantur in doctrina ejus : docebat enim eos tanquam poteſtatem habens, & non ſicut Scribæ.*

XXIII. *Et erat in Synagoga eorum vir in quo erat Spiritus immundus, & exclamavit,*

LUCÆ CAP. IV.

VERS. XXXI. *Et deſcendit Capernaumum civitatem Galilæa, & docebat eos in Sabbatis.*

XXXII. *Et mirabantur in doctrina ejus, quia poteſtate præditus erat ſermo ejus.*

XXXIII. *Et erat in Synagoga quidam in quo erat Spiritus immundus dæmoniacus, & clamavit voce elatâ,*

MARCI CAP. I.

XXIV. *Et dixit, Ah! quid nobis & tibi, Jeſu Nazarene? Veniſti ad perdendum nos? Novi ego te qui ſis,* nempe *Sanctus ille Dei.*

XXV. *Et cohibuit eum Jeſus, & dixit, Obmuteſce, & exi ab eo.*

XXVI. *Et dejecit eum Spiritus impurus, & clamavit voce altâ, ac exiit ab eo.*

XXVII. *Et admirati ſunt omnes, & mutuò quærebant inter ſe, & dicebant, Quid eſt hoc? Quæ eſt hæc doctrina nova, quòd per poteſtatem etiam Spiritibus impuris præcipit, & obediunt ei?*

XXVIII. *Et ſtatim egreſſa eſt fama ejus in omnem regionem circumjacentem Galilææ.*

XXIX. *Et egreſſi ſunt è Synagoga, & venerunt domum Simonis & Andreæ, cum Jacobo & Joanne.*

XXX. *Et ſocrus Simonis decumbebat febricitans, & locuti ſunt ei de illa.*

XXXI. *Et accedens apprehendit eam manu ejus, & erexit eam; & ſtatim reliquit eam febris, & miniſtrabat eis.*

XXXII. *Veſpere autem occidente ſole adduxerunt ad eum omnes malè affectos, & dæmoniacos.*

XXXIII. *Et civitas univerſa erat ad oſtium.*

XXXIV. *Et ſanavit multos malè affectos variis morbis, & Dæmonia multa ejecit; & non ſinebat dicere Dæmonia quòd ipſum noſſent.*

LUCÆ CAP. IV.

XXXIV. *Dicens, Ah! quid nobis & tibi Jeſu Nazarene? Veniſti ad perdendum nos? Novi ego te qui ſis, Sanctus Dei.*

XXXV. *Et objurgavit eum Jeſus, ac dixit,* (a) *Obmuteſce, & exi ab eo; & dejecit eum Dæmon in medium, & exivit ab eo, quum non nocuiſſet ei quicquam.*

XXXVI. *Et obortus eſt pavor in omnibus, & loquebantur ſecum invicem, ac dicebant, Quiſnam eſt ſermo iſte, qui cum virtute & poteſtate præcipit ſpiritibus impuris, & exeunt?*

XXXVII. *Et egreſſa eſt de eo fama in omni loco circumjacentis regionis.*

XXXVIII. *Et quum egreſſus eſſet Jeſus è Synagoga, intravit in domum Simonis; & ſocrus Simonis affligebatur febri magnâ, & rogaverunt eum pro illa.*

XXXIX. *Et ſtetit ſuper eam, & objurgavit febrem: & reliquit illam, & illicò ſurrexit, & miniſtrabat illis.*

XL. *In occaſu autem ſolis omnes qui habebant infirmos morbis variis, adduxerunt eos ad illum: ille verò unicuique ipſorum manus ſuas imponebat, & ſanabat eos.*

XLI. *Et exibant etiam Dæmonia à multis, clamantia & dicentia: Tu es Chriſtus Filius Dei. Et increpabat ea, & non permittebat eis ut loquerentur quòd ſcirent ipſum eſſe Chriſtum illum.*

(a) Φιμώθητι, *Occludatur os tuum*, ut vox uſurpatur, 1 *Tim.* 5: 18. Cujus verbi emphaſis non merè præſcriptum eſſe ſilentium Satanæ docet, ſed & os occluſum, ita ut loqui non poſſet.

MATTHÆI CAP. VIII.

Vers. XIV. *Et cùm veniſſet Jeſus domum Petri, vidit ſocrum ejus in lecto projectam, & febricitantem.*

XV. *Tetigitque manum ejus, & dimiſit eam febris: & ſurrexit, ac miniſtravit eis.*

XVI. *Quum autem ſerum diei eſſet, obtulerunt ei dæmoniacos multos, & ejecit Spiritus verbo, omneſque malè affectos ſanavit.*

XVII. *Ut compleretur quod dictum eſt per Iſajam Prophetam dicentem, Ipſe invaletudines noſtras accepit, & morbos portavit.*

MARCI CAP. I.

XXXV. *Et manè valdè multâ noctè quum ſurrexiſſet, abiit in locum deſertum, & orabat illìc.*

XXXVI. *Et querebant eum Simon & qui cum eo erant.*

XXXVII. *Quumque inveniſſent eum, dixerunt ei, Omnes quærunt te.*

XXXVIII. *Dixit eis, Ite in oppida, & in urbes propinquas, quia etiam illic prædicabo: ad hoc enim veni.*

XXXIX. *Et prædicabat in omnibus Synagogis eorum in tota Galilæa, & ejiciebat Dæmonia.*

LUCÆ CAP. IV.

XLII. *Orto autem die egreſſus abiit in locum deſertum: & turbæ quærebant eum, veneruntque uſque ad ipſum, & retinebant eum ne diſcederet ab eis.*

XLIII. *Ipſe autem Jeſus dixit eis: Etiam civitatibus aliis euangelizare me oportet Regnum Dei, quia propter hoc ipſum miſſus ſum.*

XLIV. *Et ipſe prædicabat in Synagogis Galilææ.*

Ratio Ordinis.

CONnexio duarum Hiſtoriarum in hac Sectione contentarum clara adeò eſt ipſa tranſitione *Marci* & *Lucæ* ab unâ Hiſtoriâ ad aliam, ut hac de re nihil ulteriùs ſuperaddendum videatur. Quod autem priorem Hiſtoriam ſubſequitur, conformeque eſt Hiſtoriæ in priore Sectione contentæ, maximè circa vocationem Diſcipulorum, ſat dilucidè probatum eſt ipſo *Marci* hanc in Hiſtoriam ingreſſu, cùm ait, *Illi*, id eſt, *Chriſtus*, recenſque vocati Diſcipuli, (ut ipſius methodus oſtendit intelligi oportere) deſcenderunt *in Capernaum*, &c. quod pariter obſervandum nobis occurrit in probatione ordinis Sectionis præcedentis. Tota porrò difficultas circa ordinem hujus Hiſtoriæ inde petitur, quòd *Matthæus* peculiari tempore Hiſtoriam curationis ſocrûs *Petri* ponat: hanc enim ſtatuit poſt concionem in monte, poſt curationem leproſi, ſervique Centurionis; cùm aliis ex Euangeliſtis luce clarius meridianâ pateat, iis omnibus curationibus, quæcunque prima fuerit, priùs eam contigiſſe. Sed hujus ordinis hæc ratio fortè fuerit. *Cap.* 4: 25. dixerat *Chriſtum* profectum eſſe per *Galilæam*, docuiſſeque in *Galilæorum* Synagogis, & annunciaſſe Euangelium Regni, curaſſeque omnes ægrotos. Geminis hìc capitibus Euangeliſta inſiſtit, quorum Hiſtoriam dat: doctrinam enim *Chriſti*, ejuſque miracula exponit. A doctrina primùm incipit, concionemque in monte habitam exponit: tum Hiſtoriam miraculorum narrat; ac primùm loquitur de curatione leproſi, quod primum *Chriſtus* miraculum in ſua per *Galilæam* peregrinatione fecit: tum refert curationem ſervi Centurionis, quod primum ab ipſo poſt concionem in monte habitam patratum eſt miraculum: cumque mentio fuerat *Capernaum*, ubi Centurionis ſervus curatus eſt, de aliis etiam miraculis ibidem factis loquitur, licèt non eodem tempore: ejuſcemodi autem erat curatio ſocrûs Petri, aliorumque ad ipſum adductorum qui variis morbis premebantur. Hæc autem methodus transferendi Hiſtorias è propriis temporibus locisque ad alia tempora locaque, ubi ſimiles rationes occurrunt, uſitata admodùm *Matthæo* eſt, ut legenti patebit.

Harmonia & Explanatio.

MARC. 1: 22. *Docebat enim eos ut authoritatem habens, & non ut Scribæ.* MARC. CAP. I. VERS. 22.

SCribæ, quorum frequens adeò in Euangelio fit mentio, ii erant qui populum docebant, Legemque exponebant: quocircà qui *Matth.* 22: 35. *Legiſlator* dicitur, *Matth.* 12: 28. *Scriba* appellatur; *Phariſæique*, & *Legis Doctores*, *Luc.* 5: 17. *Phariſæi Scribæque* dicuntur, *verſ.* 21.

Eoque ſenſu *Chaldæus Paraphraſtes* ſæpè adhibet vocem *Scriba*, ut traducat id quod in Originali *Prophetam* ſonat, hoc eſt, *Doctorem*, ut *Iſaj.* 9: 5. *Scriba qui docet, mentitur:* 1 *Sam.* 10: 10, 11. *Turma Scribarum*, hoc eſt, multi Scribæ, *occurrerunt ei; cùmque viderent eum laudantem Deum inter Scribas*, &c. *dixerunt*, *Eſtne Saul inter Scribas?* Hoc ſenſu *Chriſtus* quoſdam

Digitized by Google

MARCI CAP. I. VERS. 22.

quoſdam è Miniſtris ſuis vocat *Scribas*, *Matth*. 23: 34. hoc eſt, *Doctores*.

Diſtinctionem *Scribarum* varios in ordines inferiùs obſervabimus: ſed quocunque eos ordine ſtatuamus, latiſſimum inter eorum *Chriſtique* doctrinam quoad hæc diſcrimen comperiemus.

I. Nihil niſi Traditiones Scribæ docuerunt quid hic aut ille Doctor, aut Synedrium quondam docuerit aut determinarit; quid *Hillel*, *Shammai*, *Baba Ben Buta*, *Rabban Simeon*, aut *Gamaliel*, aut alii eruditi aſſeruerint, aut negarint; aut qui hanc illamve quæſtionem propoſuerint, aut qui hoc aut illud determinarint: quocircà tota eorum doctrina reducebatur ad Traditiones parentum doctrinà illuſtrium, *Gal*. 1: 14. *Matth*. 15: 6. Hinc adeò communes illæ in eorum Thalmude locutiones: תני תניא & תנו רבנן, *Traditio eſt*, *Doctoreſque noſtri ita tradiderunt*: חכמים אמרים. *Sapientes ita determinarunt*, &c. ut ejuſmodi phraſes quilibet fere verſus contineat. Sed *Chriſtus* demonſtrans ſe ubique Prophetam, ſanum præpotenſque Verbum Dei docuit, ubi divinam ſuam authoritatem tam conſtanter ubique probat, *Amen, amen, dico vobis: Ego autem dico vobis*, &c. Neque divinam tantùm ſuam in tradenda veritate authoritatem oſtendit, ſed rejicit etiam communem illum apud ipſos docendi modum, qui alienis Traditionibus nitebatur: cùmque ipſis injungit ut neminem Patrem vocent (hoc eſt, Doctorem) ſuper terram, condemnat vanam eorum Theologiam, quæ Traditionibus tantùm Patrum ipſorum, hoc eſt, Doctorum, innitebatur.

II. Doctrina omnis Scribarum circa externa maximè verſabatur, vulgares ſcilicet communeſque ritus ac cæremonias, ut in Codice Thalmudico ubique apparet, qui comparatus Euangelio doctrinæque ſalutari *Chriſti*, merum erat ſtramen nulliuſque pretii. Vix quidquam præter carnalia Thalmud continet, ut legenti patebit. Neque altiùs nimiùm repetendum eſt exemplar Doctorum iſtorum doctrinæ: hi Euangelii loci, *Matth*. 15: 1, 2. & 23: 16, 18, 23, 25. *Joann*. 18: 28. *Actor*. 10: 28. *Coloſſ*. 2: 21. &c. ſat multa exempla ſuppeditant; ſed *Chriſti* doctrina eò ſpectabat, ut anima nutriretur fide, pœnitentiâ, renovatione interiore, charitate, ſui abnegatione, varioque rerum divinarum pabulo: quæ omnia, quia è Cathedris Scribarum nunquam audiebantur, ita nunc à *Chriſto* inculcata ſuaviſſimè afficiebant audientium animos.

III. Doctrina Scribarum plena erat litibus nunquam finiendis, *Rom*. 14: 1. 1 *Timoth*. 6: 4. Eorum Doctores Traditionumque aſſertores, quibus ſua ad populum dogmata inculcabant, diverſas adeò in ſententias diſtrahebantur, ut quam ſequi opinionem plebs deberet, omninò neſciret. Qui Thalmuda percurrerit, hujuſce rei experimentum adeò frequens offendet, ut faciliùs dicturus ſit quid Doctores illi ſeorſim omnes ſentiant, quàm quid, ſi ſequi illos vellet, amplecti deberet: ſed *Chriſtus* conſtantem tantùm individuamque veritatem docuit, eandem ſcilicet quam Vetus Teſtamentum exponebat, ſed clariùs expoſitam; adeo ut populus magnum facilè diſcrimen animadverteret ſuos inter Doctores, & *Chriſtum*: quæ quò propiùs ſpiritum afficiebat, quòque magis divinæ authoritatis ac poteſtatis ſpeciem præ ſe ferebat, eò majorem ſibi authoritatem populoque admirationem conciliabat.

MARCI CAP. VERS. 23.

VERS. 23. *Fuit autem in eorum Synagoga quidam in quo erat Spiritus impurus*, &c.

Hic primùm quempiam à Dæmone poſſeſſum offendimus: quare paulò fuſiùs hac ſuper re diſſerendum erit, cùm poſſeſſionis ejuſcemodi exemplum in Euangelicæ Hiſtoriæ ſerie ſæpiùs occurrat.

I. Dici non poteſt quàm frequenter hoc tempore Dæmon homines invaſerit: poſſeſſio enim prædicante *Chriſto* frequentior erat, quàm ſub Veteri Teſtamento; neque in ullam unquam Dæmon Nationem tam ſævIit, quàm tunc in Judaicam: vide *Matth*. 4: 24. & 8: 28. & 9: 32. & 10: 8. & 12: 22. & 15: 22. & 17: 18. *Marc*. 1: 39. & 3: 11. *Luc*. 10: 17. *Actor*. 10: 38. &c. Quod ſive defectu Spiritûs Prophetiæ contigerit, ut 1 *Sam*. 16: 14. ſive quòd Deus terrificis hiſce experimentis novam apud eos *Sadducæorum* Spiritus negantium opinionem confutare voluerit, *Actor*. 23: 8. ſive etiam quòd ſuam in peccatricem hanc Gentem Dæmoni idcircò ad tormentum traditam, patefacere iram voluerit; ſive denique quòd oſtendere hinc ipſi placuerit quàm miſera ſit eorum conditio, qui Dæmonis ſub jugo gemunt, ut homines propter eà arctiùs ei ſeſe unirent, qui Serpentis caput contriturus erat; ſive hæ omnes ſimul cauſæ interceſſerint: ut ut ſit, honorificum admodùm *Chriſto* fuit, quòd tot Dæmonis jugo oppreſſos priſtinæ reſtitue-

MARC. CAP. I. VERS. 23. ſtituerit libertati, fortemque, qui ei reſiſtere non poterat, alligarit: ad ipſius quoque gloriam plurimùm faciebat, quòd acceptâ ab ipſo poteſtate eadem Apoſtoli miracula patrarent, *Matth.* 10: 8. *Luc.* 10: 17. *Actor.* 8: 7. & 19: 12.

Obſervatu dignum eſt, neminem ante *Chriſti* adventum triſtiſſimo hoc malo, quòd ſciamus, liberatum eſſe. Fateor quidem, *Davidem* Spiritûs Prophetici operatione malignum in Saule Spiritum, cùm ferociret, compeſcuiſſe: ſed neque is, neque quiſpiam alius hucuſque malignum ipſius Spiritum, aut alium quemcunque ejecerat. Liceat *Joſepho* dicere peculiari quodam artificio *Salomonem*, quod poſt ſe reliquit, è poſſeſſis Dæmonem ejeciſſe, applicatâ ſcilicet poſſeſſorum naribus radice quâdam, *Antiquit.* lib. 8. cap. 2. pag. apud me 230. Legimus pariter in Apocryphis *Tobiæ*, ipſum potuiſſe Dæmonem expellere fumo piſcis torrefacti. Sed quæ his fides habenda ſit, ex ipſa rei narratione ſubodorari quis facilè poterit.

Ut *Chriſtus* ſolus caput Dæmonis contriturus erat, ita is primus eum ex arce ab ipſo occupata ejecturus erat: neque cuiquam priùs *Chriſto* facere id licebat. Alio loco annotavi, ut duo prima patrata in mundo miracula, converſio ſcilicet virgæ in ſerpentem, & ſerpentis iterum in virgam, magnam Dei operantis potentiam oſtenderunt, *Moſiſque* negotium plurimùm promoverunt; ita hoc peculiari modo ad *Chriſti* miracula relata eſſe: quia enim ejus erat ejicere Dæmonem, antiquum ſerpentem, ex anima, atque ita lepram peccati curare, ei tantùm licebat Dæmonem è corporibus ejicere; quod nullus ante ipſum, aut fecit, aut facere potuit: hâc tantùm de cauſa *Eliſha* ne tangere quidem *Naaman* voluit.

III. Poſſeſſos à Dæmone in duas claſſes diſtinguere poſſumus: quoſdam enim ita poſſidebat, ut torqueret, morbiſque affligeret, *Marc.* 5: 5. *Luc.* 9: 39. & 13: 16. *Matth.* 12: 22. in quibuſdam eo tantùm conſilio habitabat, ut falſis miraculis ac prædictionibus, ipſiſmet aliiſque imponeret, *Actor.* 16: 16. ita enim *Sibylla Cumæa* à Poëta deſcribitur.

Talia cui fanti, non vultus, non color unus,
Non comptæ manſere comæ; ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument, majorque videri,
Nec mortale ſonans, afflata eſt numine, quando
Jam propiore Dei, &c.

Et paulò poſt.

Bacchatur vates, magnum ſi pectore poſſit
Excuſſiſſe Deum, tantò magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.

MARC. CAP. I. VERS. 23.

Cujus autem corpus à Dæmone poſſidebatur, ſummam is & quâ majorem nemo ſibi fingat miſeriam patiebatur. Quare traditio hominis *Satanæ* graviſſima omnium pœna erat, 1 *Cor.* 5: 5. 1 *Tim.* 1: 20. Quid enim eâ luctuoſius cogitari queat? Primò enim corpus illud, quod Spiritûs Sancti habitaculum eſſe deberet, Satanæ Spiritûſque immundi habitatio fit. Secundò, hominis membra non aliter aguntur à Dæmone, quàm ſi eadem ipſe animæ inſtar animaret. Tertiò, ſumma hominis poſſeſſi miſeria ipſi etiam intrinſeca eſt. Quartò, aut ipſe geſtatur à Dæmone, aut ipſe Dæmonem quocunque ſeſe confert geſtat. Quidam tamen hujus calamitatis quaſi gradus erant, poſteriuſque poſſeſſionis genus commemoratum priore pejus erat, licèt non ſemper pejus appareret: priore enim poſſeſſionis modo non neceſſariò Dæmon animam poſſidebat, *Marc.* 9: 20. poſteriore & corporis & animæ poſſeſſor erat.

IV. Poſteriore hoc modo hominem hunc in Textu Dæmon poſſederat: Spiritum enim Propheticum Dæmon præ ſe ferebat, ut populo illuderet. Nam I. dicitur à *Marco* eſſe ἐν πνεύματι, *in immundo Spiritu*, ut verba propriè ſonant: (cum reipſa immundus ipſi Spiritus inexiſteret) quibus vocibus indicatur eum à Dæmone Propheticam paſſum extaſim; ut veri Prophetæ à Spiritu Sancto rapti, dicuntur eſſe *in Spiritu*, *Apoc.* 1: 10. II. *Lucas* ita rem exprimit, Ἔχων πνεῦμα δαιμονίου, *habens ſpiritum Diaboli*, eo ſcilicet ſenſu, quo contrà Sancti Prophetæ dicuntur habere Spiritum Dei, *Dan.* 4: 5, 6. &c. III. Uterque Euangeliſta Spiritum quo poſſidebatur *immundum* vocat, qui ut directè opponitur Spiritui Sancto, ita aptiſſimè Spiritui erroris applicatur, *Zach.* 13: 2. *Apocal.* 16: 13, 14. IV. Verba quæ Dæmon ore hominis poſſeſſi eloquebatur directè eò ſpectabant, ut deciperent populum, atque à *Chriſto* averterent, ut ex ipſa conſtructione liquet.

Digitized by Google

MARCI CAP. I. VERS. 24.

Vers. 24. *Ah! quid nobis tecum?* &c.

Ad ſequentium verborum ſenſum perindè ſe habet, ſive primum verbum Ἔα *proverbium* ſit doloris & admirationis, Græcaque enunciatio Hebrææ vocis האח, ſive ſit verbum, ut *Syriacus* Textus habet, & *Vulgatus*, noſterque etiam *Anglicus*, cùm ita reddit, *Let alone*. Quis præcipuè propoſitus his verbis ſcopus ſit, ex ſequentibus colligere licet.

I. Licet Dæmon reipſa homini inexiſtens hæc ipſi verba dictarit, homo tamen ipſe ea enunciavit, homineſque Synagogæ eum loquentem audiebant. Syntaxis Græca in Textu Euangeliſtarum, maximè *Lucæ*, hoc clarum reddit.

II. Cùm utitur plurali numero *nos*, *Quid nobis tecum? An veniſti ad perdendum nos?* de ſeipſo loquitur, reliquiſque hominibus Synagogæ: quod enim hæc verba applicari non poſſent Dæmonibus, (Dæmon enim in poſſeſſo unicus tantùm erat) non aliâ eget probatione, quàm quæ ipſo in *verſu* continetur, ubi cùm Dæmon, aut homo Dæmonis inſtinctu de ſeipſo loquitur, numero ſingulari utitur, *Ego novi te*.

III. Cùm *Chriſtum Sanctum Dei* proclamavit, ut vocatur *Pſalm.* 16: 10. *Dan.* 9: 24. &c. id non ſponte facit, hoc enim à Dæmone expectari non poterat; neque tamen coactus à *Chriſto* in hæc verba erumpit, *Chriſtus* enim ipſi imperat ſilentium: ſed hæc *Chriſti* confeſſio ejuſcemodi eſt, quæ homines Synagogæ à *Chriſto* tanquam nimiùm ipſis terribili averteret. Tam ſublimia enim tremendaque de *Chriſti* adventu dicuntur in Scriptura, ut *Mal.* 3: 2. tantuſque Judæos timor inceſſerat, quòd homines quoſdam tùm deſtruendos crederent, ut hinc Dæmon anſam arripiat homines Synagogæ avertendi à *Chriſto*, quaſi eos exterminaturus ipſe veniſſet: atque ita impreſſo *Chriſti* terrore, à *Chriſto* homines deterrere conabatur.

Terroris enim plenæ erant Judæorum de *Chriſti* adventu opiniones. In *Sanhedr. Perek. Helek.* fol. 97. *Cùm Filius Davidis veniet*, inquiunt illi, *Diſcipuli Sapientum rari erunt, oculique populorum dolore areſcent, decretaque ſevera renovabuntur, ita ut priùs ſecundum inchoetur, quàm primum abſolutum ſit.*

In Hebdomada annorum, Dan. 9: 24. *cùm Filius Hominis veniet, primo anno hoc implebitur: ſuper unam civitatem pluviam demiſi, & ſuper aliam pluviam non demiſi*, Amoſ. 4. *ſecundo anno ſagittæ famis circumvolitabunt: anno tertio tanta fames futura eſt, ut innumeri omnis ætatis & ſexûs, ſanctique etiam morituri ſint, Lexque ipſa à Legis Diſcipulis oblivioni tradenda ſit: anno quarto quædam quaſi abundantia erit: anno quinto copia futura eſt magna, homineſque comedent & bibent & lætabuntur, Lexque ſuis iterum Diſcipulis reſtituetur: anno ſexto voces & fulmina: ſeptimo bellum: ſubque finem ſeptimi Filius David venit.*

MARCI CAP. I. VERS. 24, 26.

Cùm Filius David venit, Synagogæ lupanaria fient, Galilæa deſtruetur, (hoc obſerva in rem noſtram) *Gablanque vaſtabitur, incolæque limitum Iſraël à civitate in civitatem ibunt, ſapientiaque Scribarum abominationi futura eſt, religioſique homines irridebuntur, eruntque facies iſtius generationis inſtar canum*, (compara *Philip.* 3: 2. *Apoc.* 22: 15.) *veritaſque exterminabitur, quique ab iniquitate diſceſſerit præda fiet.*

Cùm Filius David venit, juniores contemnent ſeniores, aſtabuntque & aſſurgent ſeniores junioribus, filiaque inſurget in matrem, nuruſque in viri matrem, eruntque facies illius generationis inſtar canum, neque commovebitur filius reprehenſione patris. Dicit Rabbi Iſaac: Filius David non venit, donec regnum induerit opinionem Sadducæorum. Ita *Thalmud* loco citato: quibus adde ſequentia ex *Maſſecheth derech, erets zuta: Cùm Filius Hominis venit, Galilæa deſtruetur, homineſque Galilææ à civitate in civitatem ibunt, nec quemquam eorum miſerebit*, Perek. 6.

A tremenda Judæorum circa *Chriſti* adventum opinione, *Chriſti* inquam, adventum *Galileis* adeò formidabilem futurum, fortè ſuggeſſerit Dæmon, in Synagoga *Galilææ Chriſtum* ibidem eſſe, homineſque proinde illìc ſummo verſari in periculo.

Vers. 26. *Tunc cùm diſcerpſiſſet eum Spiritus impurus.*

Nullâ factâ reipſa in carne diviſione diſlocationeve partium corporis; dicit enim *Lucas*, *eum non læſit*, ſeu *ei non nocuit*: ſed eum convulſionibus malè contorſit, in medium pavimentum projecit, exclamavit, atque ita exiit. Hiſque indiciis, omnibus præſentibus manifeſtum erat ipſum reipſa poſſeſſum fuiſſe: ſed fortis armatus ejectus eſt à fortiore. Hinc fit ut non tantùm quod factum eſt mirentur, ſed peculiariter etiam traditam à *Chriſto* doctrinam conſiderent, quam

LUCÆ CAP. IV. VERS. 38.

quam ſcilicet tantum miraculum confirmaret: quo fit ut ipſius fama longè latèque divagetur per omnem *Galilæam*. Quantavis enim forent alia quæ patrarat miracula, aquà in vinum converſâ, curatiſque variis morbis, &c. ejectio tamen Dæmonum adeò ſingulare quid erat, atque eò uſque inauditum, ut mirum minimè videri debeat, ſi propterea magnam populus de eo opinionem concipiat. Obſervandum ipſummet *Chriſtum* Regnum Dei inter *Galilæos* eſſe ex hujuſcemodi miraculo oſtendente, *Matth.* 12:28. cujus quidem argumenti vim non aliter evadere Phariſæi poterant, quàm diabolicâ hàc blaſphemiâ, dum dicerent ope ipſius Dæmonis eum Dæmonia ejicere.

VERS. 38. *Et ſtatim è Synagoga egreſſi*, &c.

Utrùm *Chriſtus* ſponte domum *Petri* profectus fuerit, aut eò invitatus acceſſerit; utrùm iſthuc iverit eo conſilio, ut oſtenderet, aut curaret uxoris matrem ipſius, aut utramque ob cauſam, nequaquam neceſſe eſt hîc examinare, neque ullam res, quæ extricari mereatur, difficultatem continet. Præcipuum hîc dubium iſtud occurrit, quî *Petrus* factus ſit incola *Capernaum*, cùm è *Bethſaida* eſſe dicatur, *Joann.* 1:45. utrùm ob artis ſuæ commodius exercitium, aut ob uxoris matrimonium contigerit illìc ut reſideret, inquirant qui ſcire cupiunt.

Eſt qui putet *Capernaum* fuiſſe urbem à reliqua *Galilæa* diſtinctam, utpote *Herodis* juriſdictioni non ſubjectam, cui reliqua *Galilæa* parebat: aitque ex oppido *Nazareno* idcircò diſceſſiſſe eum in *Capernaum*, *Matth.* 4. ut *Herodianæ* exemptus juriſdictioni, *Romanæ* immediatè ſubjaceret, *Sam. Petit.* Var. Lect. lib. 2. cap. 1. Sed hæc conjectura nullo nititur fundamento, ut ex ipſo Textu oſtendi poſſet, *Matth.* 4. quem pro ſe citat, comparato cum *Luca* 4. Circa *Petri* uxorem vide 1 *Cor.* 9:5. atque utrùm mater uxoris ipſius priſtinæ reſtituta valetudini *Chriſtum* necne ſecuta fuerit, ut mox ipſi miniſtrabat, diſce ex *Luc.* 8:2, 3. cùm enim *Petrus & Andreas* artem piſcatoriam, quâ victum ſibi ſuiſque comparabant, reliquiſſent, quid agerent mulieres, nî unà cum illis abirent.

LUCÆ CAP. IV. VERS. 42.

VERS. 42. *Et quum ſerum diei eſſet.*

Hinc patet quo Judæi tempore Sabbatum inceperint, finierintque, à ſolis nempe occaſu ad ſolis occaſum. Diei parùm congruere credebant, quòd *Chriſtus* durante Sabbato ſanaret, *Marc.* 3:2. *Luc.* 14:1. jam tamen ſole ſub horizontem depreſſo, omni rejecto ſcrupulo, ægrotos ſuos ad eum adducunt. Ipſis imperatum erat ut à veſpere ad veſperam Sabbatum celebrarent, *Levit.* 23:32. quod quidem præceptum, licèt affixum tantùm videatur ſolemni Expiationis diei, atque à Chriſtianis tantùm quibuſdam Scriptoribus ita reſtrictum ſit; monumentis tamen Judæorum manifeſtum evadit, hanc communem fuiſſe omnibus eorum Sabbatis conſuetudinem. *Siphri*, Commentarius antiquus, hanc in hunc locum Gloſſam inſtituit. *Nonâ die ſeptimi menſis incipit, & jejunat quamdiu dies eſt, atque ita à communi detrahunt, adduntque ſancto tempori. Ecce in omni Sabbatizatione tu ſabbatizas, addendum adhuc tibi eſt.* Sed clariùs multò Abarbanel: *A veſpere ad veſperam erit Sabbatum veſtrum, hoc eſt quolibet Sabbato, ſive Sabbato creationis, ſive fixis feſtis, feſtoque tubarum, ad expiationem: erant à veſpere ad veſperam juxta ſeriem creationis, ut dicitur, Manè & veſpera erant dies primus*, &c.

Atque hæ & ejuſmodi Thalmudicæ Traditiones, quarum longè plures afferri poſſent, eorum opinionem praximque hac in re oſtendunt clariùs ſemper: atque clariùs in Tractat. *Sabbath, Perek.* 1. hæc habentur: *Neque piſcem torrent, neque cepam, aut ovum; ſed hæc torreri poſſunt* בעוד יום, *dum adhuc dies eſt*, ſcilicet ſub veſperam Sabbati. *Nihil ponunt in furno ſub noctem*, עם חשכה, *ne placentam quidem ſuper carbones; ſed ita ut pars ſuperior, dum adhuc dies eſt*, בעוד יום, *cruſtam contrahere poſſit. Schola Shammai dicit: Non dant coria Coriario, neque vaſa lavanda, niſi ita ut expediri poſſint* בעוד יום, *dum adhuc dies eſt. Sed hæc omnia permittebant Schola ut fierent* עם שמש, *ante ſolis occaſum*, Si præſertim, ut *Gloſſa* in hunc locum explanat, res ante ſolis occaſum traditæ eſſent: ut ſi panis aut placentæ in furno aut ſuper carbones ponerentur ante ſolis occaſum, nulla Sabbati violatio erat, ſi torrerentur Sabbato jam inchoato: atque ita ſi pelles & vaſcula tradita forent ante ſolis occaſum Coriario, aut Lotrici, nulla Sabbati violatio cenſebatur, ſi Sabbato in aqua macerarentur. Atque ita *Piske Sabbath* rem

Digitized by Google

MARCI CAP. I. VERS. 32, 34.

quoque explanat, licèt alio exemplo. סמוך להשכה, *Licet*, inquit ille, *ſub noctem addere aquam gummi & vitriolo, ex quibus fiat atramentum; linum furno, ut ſiccetur, imponere; rete, aut laqueum feris capiendis diſponere: hæc, inquam, ſub noctem facere licet, etſi reipſa per Sabbatum ea contingant, atramenti ſcilicet maceratio, lini ſiccatio, ferarum à retibus irretitio.*

Maymon. in ſuo *de Sabbatho* Tractatu, *Perek.* 5. clarius adhuc rem docet. *Veſpere Sabbati candelam accendunt; quique eam accendit, accendere debet dum adhuc dies eſt ante ſolis occaſum. A ſolis occaſu ad apparitionem uſque mediarum ſtellarum ſpatium illud vocatur* ב: השמשות, *Interſolium, dubiumque eſt utrum ſpatium illud ad diem, an ad noctem pertineat. Quare candelas eo tempore non accendunt; quique opus aliquod facit eo tempore, ſub veſperam Sabbati aut ſub exitum Sabbati ex ignorantiâ, tenetur oblationem offerre pro peccato: atque hæ ſtellæ non ſunt magnæ, & quales interdiu videri poſſunt; ſed parvæ quæ noctu tantùm videntur, mediæque magnitudinis. Cumque tres mediæ ejuſmodi ſtellæ videri poſſunt, nox haud dubie tùm eſt.* Compara *Nehem.* 13: 19.

VERS. 34. *Et non ſinebat dicere Dæmonia quod ipſum noſſent.*

Chriſtus omnes quos tangebat ægrotos curabat: dicit enim *Lucas*, *Imponebat manus ſuas ſuper unumquemque eorum, & ſanabat eos.* Sed verbo Dæmonia ejiciebat: ita enim dicit *Matthæus*: *Ejecit verbo Spiritus, prohibuitque ne loquerentur quia illum noverant.* Græca phraſis indiſcriminatim habet, *ne loquerentur quia ipſum noverant*, vel, *ut ipſum noſſent*: parumque refert quovis modo traductio fiat; ſenſus enim idem eſt: ſed quæritur cur *Chriſtus* permittere noluerit ut tunc loquerentur. Quidam dicunt, ideò ne ipſum ante tempus detegerent: alii, ne Dæmon *Chriſti* concionator fieret: his ego addo, quod priùs commemoravi, ne populus Chriſti præſentiâ terreretur, ut eos Dæmon, ſi ei loqui licuiſſet, terruiſſet.

MATTH. CAP. VIII. VERS. 17.

MATTH. 8: 17. *Quod dictum eſt per Iſajam Prophetam, Ipſe tulit invaletudines noſtras*, &c.

Quamvis poſteriores Judæi hanc Prophetiam eludere voluerint deſumptam ex *Iſaj* 53. velintque *Chriſto* non applicari; veteres tamen eruditiores hujus Nationis huc eam applicarunt, ut dignoſcere quis poterit in Gloſſa *Chaldæi Paraphraſtæ* in hunc locum, inſignique in *Thalmude* loco, quem *Chaldæus* ita reddit. Verſ. 4. *Haud dubiè orabimus pro peccatis noſtris; iniquitateſque noſtræ illius cauſâ remittentur*, &c. Verſ. 5 *Ædificabit domum Sanctuarii polluti peccatis noſtris, hoſtibuſque traditi: ipſius doctrina pax noſtra multiplicabitur; & ſi verbis ejus aures præbeamus, condonabuntur peccata noſtra.* Verſ. 8. *Captivos noſtros miſeriâ afflictioneque liberabit, miraque propter nos tùm facienda quis enarrabit? Thalmud* quoque in Tractatu *Sanhedrin* hæc habet obſervatu digna: *Quid eſt nomen Meſſiæ? Quidam dixerunt*, חיורא, *Leproſus, juxta illud, Infirmitates certè noſtras ipſe tulit*, &c. &, *Meſſias ſedet in portis civitatis.* [*Romæ* habet Editio *Veneta*] *Quo porro ſigno innoteſcere queat? Inter ægrotos pauperiſque ſedet*, &c. *Per. Chelek*, fol. 98.

Jam in hac applicatione citationeque Euangeliſtæ ex Propheta quædam occurrit difficultas: primò, quia Propheta loquitur de *Chriſto* tanquam humanos morbos patiente; ſed Euangeliſta loquitur de morbis ab aliis pellendis: ſecundò, id applicat morbis corporeis, quod Propheta de morbis animæ intelligere videtur: atque ita quoque *Petrus* interpretatur, 1 *Pet.* 2: 24. Propheta loquitur de tempore *Chriſti* paſſionis, & quid tum miſeriarum in ſeipſo paſſus ſit: ſed Euangeliſta id applicat ipſius geſtis, iiſque quæ in aliorum gratiam præſtitit.

Reſp. Dura, fateor, hæc applicatio videbitur, ſi tota emphaſis locutionis *Iſajæ* petatur ab hac voce *noſtras*, ut plerumque petitur: vulgò enim hoc ſenſu ſumitur, *Vir erat dolorum, & dolori aſſuetus; ſed quos patiebatur ægritudines, noſtræ erant: noſtri enim cauſa eas tulit.* Quæ quidem vera ſyntaxis eſt, ſed non plena Prophetæ expoſitio: aliud enim prætereà intendit, quod Euangeliſta manifeſtè reſpicit, nempe Chriſti partes in infirmitatibus noſtris, ejuſdemque comparatè ad eas poteſtatem.

Propheta cùm dicit, *Infirmitates noſtras ipſe tulit*, &c. non intelligit tantùm, quod paſſus eſt id eum noſtri tantùm cauſâ paſſum eſſe; ſed illius fuiſſe id pati, eumque illud pati potuiſſe. Huncque ſua in citatione ſenſum Euangeliſta ſequitur: cùm enim dixiſſet *Chriſtum* omnes morbos curaſſe, ægroſque ad ipſum adductos; hunc locum *Iſajæ* adducit, aitque in eo hanc circa *Meſſiam* impletam eſſe Prophetiam, quæ affirmat eum noſtras portaturum & portare potuiſſe infirmitates: eò enim uſque verba Prophetæ

MATTH. CAP. VIII. VERS. 17.

phetæ ſeſe extendunt. Applicatioque Euangeliſtæ hunc in modum conſiderata, facilis eſt obviaque. Quamvis autem Textus Prophetæ ſpecialiùs tempus *Chriſti* paſſionis reſpiciat, quòd tùm maximè noſtras ipſe pateretur infirmitates ac dolores; ſenſus tamen commemoratus applicari poterit toti ipſius tempori, quaſi ſemper noſtros ipſe dolores tuliſſet.

Quod autem *Petrus* Prophetæ Textum morbis animæ applicet, cùm dicit, *Noſtra peccata tulit*, quæ *Septuaginta* quoque interpretatio ſeu traductio eſt; ſenſu maximè proprio id dicit, relato ſcilicet ad illam infirmitatem cujus præcipuè curator *Chriſtus* erat, quæ quidem reliquorum dolorum noſtrorum fons & origo eſt. Quod præcipuum itaque eſt includit; ſed reliquas infirmitates noſtras non excludit. Atque ut *Chriſtus* condonatis Paralytici peccatis, de quo inferiùs, corporis quoque ægritudinem curat; ita Apoſtolus dum ait *Chriſtum* portaſſe peccata noſtra, intelligit quoque portaſſe infirmitates noſtras corporeas. Ipſa autem verborum ejus emphaſis obſervatu digna eſt, ὃς αὐτὸς, *Ipſe tulit*: hoc eſt, ſponte illas tulit, ferreque potuit.

MARCI CAP. I. VERS. 35.

MARC. I: 35. *Et manè valdè multâ nocte cùm ſurrexiſſet*, &c.

Licèt Judæi diem naturalem à ſolis occaſu inciperent, ut jam obſervatum eſt; media tamen nox diſtincta apud eos periodus erat, quâ dies à die ſepararetur, ita ut determinare poſſent *rem diei in diem ſuum*.

Thalmud in Beracoth, Perek. 1. A quo tempore Phylacteria ſua ſub veſperam percurrunt? A tempore quo Sacerdotes intrant ad comedendam ſuam ſacrificiorum partem, ad finem primæ vigiliæ. Rabbinus Eliezer dicit, ſed Sapientes dicunt, Ad mediam uſque noctem.

Ibid. in Peſachin, Perek. 10. Paſcua poſt mediam noctem manus coinquinant.

Joma, Perek. 1. & Maymon. in Tamid Perek. 2. Mundatio altaris in quo oblationes comburuntur ad expiationem, incipiebat à media nocte.

Thalm. in Zevachin, Perek. 5. Oblationes pro peccato comedi poſſunt uſque ad mediam noctem.

Ibid. *Minores ſanctæ oblationes comedi poſſunt uſque ad mediam noctem.*

MARCI CAP. I. VERS. 35.

Ibid. *Paſcha non comeditur niſi noctu, neque comeditur niſi ad mediam uſque noctem.*

Quorum Textuum ſenſus eſt: Quia hæc facienda erant nocte, nec in craſtinum diem differri poterant; ſi quovis ante mediam noctem tempore facta eſſent, die facta cenſebantur: ut eorum Phylacteria percurrenda erant ſub veſperam ſingulis diebus, ſi percurrebantur ante mediam noctem, officio diei præcedentis fiebat ſatis: ſatque erat ſi partes oblationum eodem die oblationis comedendarum, quæque in craſtinum diem ſervari non poterant, quovis ante mediam noctem illius diei tempore comederentur. Altare comburendis oblationibus ſacrum quovis die mundandum erat, jamque die Expiationis mundari incipiebat à media nocte præcedente, quod perinde erat ac ſi Expiationis id die factum eſſet.

Hæc adduxi ob locum in Textu præſente, ubi *manè* dicitur, cùm tamen idem locus dicat fuiſſe ἔννυχον λίαν, aut multum adhuc noctis ſuperfuiſſe: ut enim diem præteritum ad mediam uſque noctem numerabant; ita à media nocte diem ſequentem computabant. Si de initio exituque Chriſtiani Sabbati diſputandum foret, hoc argumentum ad eam rem plurimùm faceret. His Textus hi aliquatenus reſpondent: *Exod. 12: 22. Nemo veſtrûm exibit domo ſuâ ante tempus matutinum*: tamen *verſ. 29. Mediâ nocte percuſſit Dominus primogenitum*, &c. Verſ. 33. *Ægyptiique populum urgebant, ut eos emitterent.* Deuter. 6: 1. *Deus eduxit te ex Ægypto per noctem.*

Manè autem, de quo Textus præcedens loquitur, quoque *Chriſtus* tam citò ſurrexit exivitque ut oraret, manè erat Sabbatum ſequens, dies cui Chriſtianorum Sabbatum affixum eſt non ita diu poſt: quod obſervatu omninò dignum eſt, cùm ſingulare adeò quid de hoc die commemoretur. Ratio cur in ſolitarium locum oraturus conceſſerit, hæc erat, quia tam confertus ad eum populus confluebat ob miracula ab ipſo patrata, ut in urbe ſolus eſſe non poſſet. Orto jam die, tum Diſcipuli, tum populi foras erumpunt de eo inquiſituri, inventumque detinere iis in partibus ſecum voluiſſent: ſed detineri noluit; peragratque *Galilæam*.

Digitized by Google

SECTIO XXI.

MATTHÆI CAPUT IV.

VERS. XXIII. *Et circumibat Jeſus univerſam Galilæam, docebatque in Synagogis illorum, & prædicabat Euangelium Regni, ſanabatque omnem languorem & omnem morbum in populo.*

XXIV. *Et emanavit fama ejus in univerſam Syriam, & offerebant ei omnes malè affectos, variis morbis & cruciatibus detentos, & Dæmoniacos, & Lunaticos, & Paralyticos; & ſanavit eos.*

XXV. *Et ſecutæ ſunt eum turbæ multæ à Galilæa ac Decapoli, Hieroſolymis & Judæa, &* regionibus *trans Jordanem* ſitis.

Ratio Ordinis.

PRimus verſus hujus Sectionis ultimo præcedentis junctus connexionem ordinemque clarum atque evidentem facit. Illic cum *Chriſtus* ab incolis *Capernaum* ut cum iis remaneret invitaretur, Miniſterium ſuum huic loco circumſcribere noluit: ad prædicandum enim aliis etiam civitatibus Euangelium miſſus erat. Univerſam adeòque *Galilæam* circumambulavit, docens & prædicans, curanſque morbos: quod quo ſucceſſu fecerit, hæc Sectio deſcribit. Ipſius porrò hoc tempore fama totam Syriam pervagata eſt, adduxeruntque ad eum omnes ægros, multique eum ſequuti ſunt.

Harmonia & Explanatio.

VERS: 23. *Et Jeſus circumibat univerſam Galilæam*, &c.

Διακόσιαι ϗ τέσσαρες κατὰ τὴν Γαλιλαίαν εἰσὶ πόλεις ϗ κῶμαι, *Joſeph.* in *Vita ſua*: apud me, *pag.* 642. *Ducenta & quatuor erant civitates oppidaque Galilææ*: quas urbes omninò omnes *Chriſtum* adiiſſe, in iiſque prædicaſſe non facilè dixerim. Præcipuas igitur frequentioreſque atque ad opus ſuum aptiores elegiſſe dicitur, in quibus præcipuè ad frequentiſſimum populum concionem habere poſſet; atque jam ſecundâ vice *Galilæam* peragrat, pluresque hac vice quàm priore illius urbes adit. Prioris peregrinationis meminit *Lucas* 4: 15. at tùm magis ſolitarius atque abſque conſortio Diſcipulorum incedebat; jam Diſcipulis conſtanter quaſi ſtipatus: tùm aut pauca, aut nulla patravit miracula, ſed concionatus tantùm eſt; nunc plurima facit, omneſque ægrotos ad ſe venientes curat.

Quos curabat morbos triplicis ferè generis erant. I. Curavit Νόσους, *Morbos*, ut cæcitatem, ariditatem, claudicationem, febres, hydropes, &c. II. Μαλακίας, *Languores*, ut febres hecticas, dyſenteria, fluxus, alioſque quibus ſenſim ſine ſenſu homines contabeſcebant. III. Βασάνους, *Torturas*, prurigines, convulſiones, alioſque qui multum torquerent morbos. Tres præcipuè graviſſimi morbi nominantur, paralyſis, morbus lunaticus, poſſeſſiones. Horum morborum primum ſumma comitatur corporis debilitas, ſecundum ſumma mentis, poſtremum ſumma quæ cogitari poſſit miſeria: qui omnes erant morbi naturaliter incurabiles.

Ipſius doctrina duobus hiſce capitibus comprehenditur, *doctrinâ* nempe, & *prædicatione Regni*. Caput prius generaliùs ipſius doctrinam enunciat, ut explanationem Legis, admonitionem, exhortationem, reprehenſionem: poſterius oſtendit eum probare velle expectatum diu Regnum vel *Meſſiam* adveniſſe, eumque dogmata id Regnum peculiariter ſpectantia prædicare.

VERS. 24. *Et emanavit fama ejus in omnem Syriam, & offerebant ei omnes malè affectos.*

Faciliùs intelligemus quid nomine *omnis Syriæ* intelligendum veniat, ſi verſum ſequentem reſpiciamus, qui mentionem facit locorum ex quibus *Chriſti* fama plurimos ad eum exciverat, ac maximè ſi animadvertamus hanc regionem dictam eſſe *Decapolim*: quam *Plinius* hunc in modum deſcribit. *Jungitur ei* (Judææ) *latere Syriæ Decapolitana regio à numero oppidorum, in quo non omnes eundem obſervant. Plurimi tamen Damaſcum & Optoton riguas amne Chryſorrhoa; fertilem Philadelphiam, Raphanam,*

MATTH. CAP. IV. VERS. 24.

phanam, omnia in Arabiam recedentia; Scythopolin antea Niſam à Libero patre, ſepultâ ibi matre, Scythis deductis; Gadara Hieromiace præfluente, & jam dictum Hippon Dion; Pellam aquis divitem, Galaſam, Canatham. Intercurſant cingunque has urbes Tetrarchiæ regionum inſtar ſingulæ, & in regna contribuuntur Trachonitis, Paneas, in qua Cæſarea cum ſupradicto fonte Abila, Arca, Ampeloeſſa, lib. 5. cap. 18.

Nomine *omnis Syriæ* itaque intelligitur tota regio Judæorum ultrà citràque *Jordanem*: ut enim hæc *Romano Syriæ* Gubernatori parebat; ita hoc plerumque nomine vocabatur: neque hæc tantùm, ſed latiſſima illa regio *Decapoleos* multùm extenſa in *Syriam* propriè dictam, atque in aliquam *Arabiæ* partem.

Ad *Chriſtum* itaque Ethnici pariter ac Judæi concurrunt ex iis etiam regionibus quæ *Iſraëlitis* maximè infenſæ ſemper fuerant; atque hic primus & inſignis omninò Gentilium ad *Chriſtum* confluxus. Compara *Zachar.* 9: 1, 2. ubi hanc Rabbini Gloſſam inſtituunt. *Rabbinus Benajah dicit: Hadrach eſt Meſſias. Rabbinus Joſi filius Dur-Maſkith* (aut mulieris *Damaſcenæ*) *dicit ipſi; Quamdiu pervertes tu Scripturas? Cœlum & terram in teſtes voco me eſſe ex Damaſco, locuſque eſt illîc qui Hadrach dicitur. Dicit ipſi, At ita argumentor: Et Damaſcus erit requies ejus: Hieroſolyma enim extendetur uſque Damaſcum, ut dicitur, ejuſque quietem. Nunc requies ipſius eſt Hieroſolymis, ut dicitur, Hæc requies mea in æternum. Dicit ipſi, Sed ſic argumentor: Civitas ſuperædificabitur cumulo illius. Dicit ipſi, Hoc eſt, non movebitur loco ſuo. Dicit ipſi, Argumentor iterum hunc in modum: Eritque civitas ampla admodùm ac lata: Jeruſalem enim ab omni parte dilatabitur inſtar ficûs inferiùs contractæ, ſuperiùs latæ, portæque Hieroſolymitanæ extendent ſeſe Damaſcum uſque: atque ita dicitur naſus tuus ſicut turris Lebanon reſpiciens Damaſcum. Oculi enim hominum erunt ad Dominum, hoc eſt, Oculi omnium hominum erunt ad Dominum, & non ad imagines & idola. Quare terra Hadrach & Damaſci reliquaque loca prope terram Iſraël erunt ſicut Tyrus & Sydon; & Hamath & civitates Philiſtinorum comprehenſæ civitatibus Judææ amplectentur fidem Iſraël*, D. Kimch. & R. Solom. in loco citato.

MATTH. CAP. IV. VERS. 24.

Fama *Chriſti* per *Syriam* ſparſa multos inde ſanitatis recuperandæ gratiâ ad eum adducit, qui eum pariter converſi ſequuntur: ita contigit *Eliſhæ & Naaman*, 2 *Reg.* 5. Jam licèt *Chriſtus* mulieri *Syriacæ* fateatur miſſum ſe eſſe tantùm ad perditas oves *Iſraël*, perditas etiam Gentilium oves non repudiat cùm eum quærunt. Licèt autem petitioni ipſius annuere nolle videatur, ita tamen ſe gerit, ut fidem ipſius magis inflammaret.

SECTIO XXII.

MARCI CAP. I.

Vers. XL. *Veniteque ad eum leproſus precans eum, eique ad genua procidens, ac dicens ei, Si velis, potes me purgare.*

XLI. *Jeſus autem commiſeratione intimâ commotus, extenſâ manu tetigit eum, & dixit ei, Volo, purgator.*

XLII. *Et quum* hæc *dixiſſet, ſtatim abiit ab eo lepra, & purgatus fuit.*

LUCÆ CAP. V.

Vers. XII. *Et ecce factum eſt ut quum eſſet in quadam urbe, tùm* adveniret *quidam plenus leprâ; ac viſo Jeſu procidens in faciem, deprecaretur eum, dicens, Domine, ſi velis, potes me purificare.*

XIII. Jeſus *autem extenſâ manu tetigit eum, dicens, Volo, purificator. Et ſtatim lepra abiit ab eo.*

MATTHÆI CAP. VIII.

Vers. II. *Et ecce leproſus quum veniſſet, adoravit eum, dicens, Domine, ſi velis, potes me purgare.*

III. *Extenſâque manu tetigit eum Jeſus, dicens, Volo, purgator. Statim igitur purgata fuit ejus lepra.*

XLIII.

MARCI CAP. I.	LUCÆ CAP. V.	MATTHÆI CAP. VIII.
XLIII. *Et graviter interminatus ei* Jeſus, *ſtatim ablegavit eum:*	XIV. *Ipſe vero mandavit ei ut nulli* hoc *diceret: ſed profectus*, inquit, *oſtende teipſum Sacerdoti, & offer pro purificatione tui, prout imperavit Moſes*, ut hoc ſit *eis teſtimonio.*	IV. *Tunc dicit ei Jeſus*, *Vide* ut *nulli dicas: ſed abi, oſtende te Sacerdoti, & offer donum illud quod imperavit Moſes*, ut hoc ſit *eis teſtimonio.*
XLIV. *Dixitque ei, Vide* ut *nemini quicquam dicas: ſed abi, oſtende teipſum Sacerdoti, & offer pro purgatione tui quæ imperavit Moſes, ut hoc ſit eis teſtimonio.*	XV. *Dimanabant autem eò magis ſermones de eo: & conveniebat turba multa ut audirent, & per eum ſanarentur ab infirmitatibus ſuis.*	
XLV. *Ille verò egreſſus cœpit prædicare multa, & rem divulgare, ita ut jam non poſſet Jeſus manifeſtè introire in civitatem: ſed foris in deſertis locis erat, & veniebant ad eum undique.*	XVI. *Ipſe autem ſecedens erat in deſertis, & orabat.*	

Ratio Ordinis.

MArcus & Lucas, prior præſertim, continuationem ſeriemque hujus methodi tuentur, ut Textus eorum inſpicientibus patebit. Hæc tantùm in ordine quem ſequitur *Lucas* difficultas occurrit, quòd vocationem Diſcipulorum peragrationi *Galilææ* poſtremò commemoratæ poſtpoſuerit, quæ, ut vidimus & probatum eſt, aliquantò priùs contigit: quartum enim Caput his verbis concludit, *Et prædicavit in Synagogis Galilææ*; quintumque incipit à vocatione *Petri* & *Andreæ*, *Jacobi* & *Joannis*: quâ in re non tam collimaſſe videtur, ut oſtenderet tempus vocationis Diſcipulorum, quàm ut indicaret quibuſcum Diſcipulis *Galilæam* prædicaturus obambulaſſet. Cùm itaque homines indicaturus eſſet, eorum quoque vocationem commemorat.

Sed *Matthæus*, quòd non ſuo ſtatuat loco Hiſtoriam circa leproſum, difficultatem aliquam habet: indeque quidam ſuſpicati ſunt, leproſum, de quo is loquitur, non eſſe eundem qui à reliquis duobus commemoratur. Cui conjecturæ idcircò eò magis adhærent, quia *Matthæus* videtur leproſum ſuum adduxiſſe ad *Chriſtum* è monte poſt concionem deſcendentem, cùm cæteri Euangeliſtæ ad *Chriſtum* eum ante ipſius illic concionem adducant: Textus enim illius ita ſe habet: *Cùm deſcendiſſet è monte, magna turba ſecuta eſt eum: & ecce venit leproſus, &c.* ubi vox *ecce* limitare videtur leproſi adventum ad *Chriſti* è monte, ubi concionatus fuerat, deſcenſum.

Sed I. idem in omnibus tribus Euangeliſtis leproſi ſitus eſt: unde patet omnes tres de uno eodemque agere. *Matthæus* dicit adoraſſe eum *Chriſtum*; *Marcus*, procidiſſe coram eo; & *Lucas*, procidiſſe in faciem ſuam coram eo: quæ omnia, nec diverſum hominem ſitumve, ſed ejuſdem coram *Chriſto* demiſſionem deſcribunt.

II. Verba leproſi ſunt eadem pariter in omnibus tribus, *Si vis, potes me mundare.*

III. Eadem quoque *Chriſti* verba ad eum diriguntur, & dum eum curant, *Volo, mundator*; dumque prohibet, ne quod factum erat divulget, imperatque ut Sacerdotibus ſe oſtendat. Undè patet omnes tres de eodem homine loqui. Quòd autem ſpectat vocem hanc *ecce*, rem indicat, non tempus: cujus non abſimilem uſum in *Matth.* 9:2. obſervare licet; ubi qui ſeriò ſedulòque tempora Hiſtoriarum primi ſecundique verſûs perpendet, facilè intelliget vocem *ecce* non eſſe adeò certum temporis Hiſtoriarum indicem, ut & ſequens Sectio docebit. Ratio autem cur *Matthæus* Hiſtoriam ſuam concioni in monte poſtpoſuerit, è Capite quarto ducenda eſt, ubi cùm priùs narraſſet quî *Chriſtus* prædicare inceperit, quique

quìque Diſcipulos vocarit, illìc exponit quî totam *Galilæam* circumobierit, Euangelium prædicans, morboſque curans: & tùm juxta methodum, quâ *Chriſti* geſta in peragratione *Galilææ* commemoraverat, quòd ſcilicet concionatus primùm eſſet, tùm curaſſet, exponit primùm doctrinam quam docuit, *Cap.* 5. & 6. & 7. tùm miracula commemorare incipit, quorum hoc circa leproſum primum commemorat, ut reipſa ea in peragratione primum erat eorum quæ tùm facta ſunt.

Harmonia & Explanatio.

LUCÆ CAP. V. VERS. 12.

LUCÆ 5: 12. *Et cùm eſſet in quadam urbe, advenit quidam leprâ plenus,* &c.

THalmudiſtæ diſcrimen ponunt inter magnam civitatem, urbem muratam, & pagum. In Tractatu *Megillah*, (aut circa lectionem Libri *Eſther* in feſto *Purim*) hæc habent: *Si decimus quartus dies Adar in ſecundum ſeptimanæ diem inciderit, pagi & magnæ civitates Librum eum eo die legunt; ſed urbes muratæ die proximè ſequente*, Perek. 1.

Quid autem nomine *magnarum civitatum* intelligant, in eodem Capite poſteà ipſimet docent. Illa enim civitas magna dicebatur, in qua decem viri erant ſeniores Synagogæ: in quocunque loco tot non erant, pagus is erat. In ejuſmodi civitates, aut etiam in Synagogam ejuſmodi civitatum leproſus introire poterat; ſed his tantùm conditionibus: *Si enim leproſus in Synagogam venerit, locus ei ſeorſim à reliquis ſeparatus aſſignabatur decem manus altus, & quatuor cubitos latus, primuſque ingreditur, poſtremuſque exit*, Negaim, Perek. 13. ſed in civitatem muratam leproſus introire non poterat, *Maymon.* in *Biath Mikdaſh*, Perek. 3.

Civitas autem ejuſmodi intelligitur ab Euangeliſtis: Euangelium enim tantùm agnoſcit diſtinctionem civitatum & pagorum; poſteriore enim nomine pagorum veniebant urbes non muratæ, ſive magnæ ſat forent ut Synagogas haberent, ſive ſecùs: atque ita *Chriſtus*, *Luc.* 8: 1. dicitur prædicaſſe in quavis civitate & vico. Nomine vicorum ea loca intelliguntur in quibus Synagogæ erant.

Quare inquiri poteſt quî leproſus hic admiſſus ſit in civitatem, cùm leproſis acceſſus hæc in loca non permitteretur. Aliqui exiſtimant eum omnes modeſtiæ limites prætergreſſum irrupiſſe ut ſanaretur à *Chriſto*, quem illìc eſſe ſciebat. Aliqui dicunt *Chriſtum* exiiſſe ad eum è civitate. Aliquæ aliæ reſponſiones dantur, quas hìc referre neceſſe non eſt.

LUCÆ CAP. V. VERS. 12.

Cùm *Lucas* ipſe oſtendat quâ id ratione fecerit, huicque quæſtioni fecerit ſatis, dum narrat fuiſſe eum totum leprâ plenum, declaraveritque eum fuiſſe mundum, atque intrare proinde potuiſſe; ſcio phraſim hanc vulgò ita accipi quaſi exigua tantùm capiti barbæve lepra inhæreret: ſed lepra magis & minùs non patiebatur, cùm minor tam immunda cenſeretur, quàm major, atque ab hominum ſocietate æquè prohiberet: præterquàm quòd ipſi leproſo non adeò gravis erat. Sed phraſis Euangeliſtæ, cùm ait *plenus leprâ erat*, eo tantùm ſenſu ſumenda eſt, quo hæc verba *Moſis*, *Levit.* 13: 12, 13. *Si lepra in cutem erumpat, cooperiatque totam à capite ad calcem, quocunque Sacerdos aſpicere poterit; tùm Sacerdos examinabit an lepra omnem carnem cooperuerit, hâcque plagâ infectum mundum pronunciabit: cujus tota cutis albeſcit, mundus is eſt.*

Hic itaque plenus erat leprâ, eâque undique coopertus, fueratque examinatus à Sacerdotibus, pronunciatuſque mundus, rurſuſque hominum ſocietati reſtitutus, licebatque in quamcunque civitatem venire: ſed morbus curatus non erat. Obſervavi alibi Sacerdotes non potuiſſe leproſum mundum facere, ſed potuiſſe tantùm pronunciare eum mundum; eâque ſententiâ hominem non ſanitati, ſed Congregationi tantùm reſtituebat.

Hic hujus hominis caſus erat: quod poterat in ipſius gratiam Sacerdos fecerat, mundum eum pronunciarat; ſed miſer non propterea leproſus eſſe deſinebat: morbus tantùm omninò eruperat, ejuſque venenum omne foràs eductum erat, unde leproſus halitu ſuo inficere obvios, aëremque non poterat; atque ita hominum rurſus ſocietati reſtitutus erat. Hinc itaque reliqua pars Hiſtoriæ mirè illuſtratur: ut cùm dicit, *Domine, ſi vis, potes me mundare:* id eſt, ſi volueris curare hunc morbum, potes: Sacerdotes enim pronunciare tantùm me mundum poterant, non verò reipſa curare.

Cùmque dicitur, *Jeſum miſerebat ipſius*, de conſpicuo calamitoſoque illius ſtatu ſermo fit, qui totus erat cruſtâ ſcabieque coopertus, quique necdum curatus, & quamcunque ab homine opem ſperare poterat, obtinuerat.

Et cùm imperat ipſi ut nemini dicat, ſed ut abeat, oſtendatque ſe Sacerdoti; id facit, quia nullum Sacerdotio dedecus inferre

Digitized by Google

LUCÆ CAP. V. VERS. 12. ferre vult: ſed quamvis eorum ſe rebus immiſcuiſſet, cœpiſſetque ubi illi deſiiſſent, feciſſetque quod illi facere non poterant; hunc tamen ordinem ordinationemque vilipendere noluit, ſed debitum Sacerdotibus honorem perſolvit, judiciumque de lepra ipſis reliquit juxta aſſignatam ipſis inſtitutionem. Ac propterea ſilentium ei, id eſt, leproſo injunxit, quia honorem Sacerdotii lædere noluit: quod ex ipſius verbis patet, cùm jubet ut Sacerdotem adeat: ita *Lucæ* 17: 14. *Et offer munus quod imperavit Moſes.* Hoc leproſus priùs fecerat, cùm mundus pronunciatus eſſet; ſed rurſus facere debet, cùm reipſa mundatus eſt, ne quid Sacerdotio derogetur, legique circa lepram; utque debitus utrique tum ab homine, tum à *Chriſto* honor perſolveretur: idque his etiam verbis inſinuatur, *Ut ſit ipſis teſtimonio.*

MARC. CAP. I. VERS. 45. MARC. 1: 45. *Ille verò egreſſus, cœpit prædicare,* &c.

Chriſtum *Meſſiam* agnovit, ut tum ex verbis, tum ex geſtibus patebat: indicia ſignaque *Meſſiæ* in eo ſubitâ lepræ ſuæ curatione diſtinxerat. In mandatis acceperat ut de re tota ſileret, ſtatimque cum oblatione ſua Sacerdotem adiret: nihilominus divulgare miraculum cœpit. Hoc *Chriſti* mandatum peculiari *Marcus* modo exprimit, ἐμβριμησάμενος ἐξέβαλε, *Graviter interminatus ei ſtatim ablegavit.* Rem hanc ſeverè adeò *Chriſtus* injunxit, quia videri nolebat Sacerdotibus contrarius, quorum erat de leproſis decernere: atque ita periculum ſibi ab ipſorum impugnatione imminens prudenter effugiebat. Jam ſive homo ille vigorem gravitatemque mandati non conceperit, ſive nimio tanti operis publicandi zelo elatus fuerit, licèt qui id fecerat ſilentium præſcripſiſſet, ſive nimio gaudio officii ſui oblitus fuerit, reus omninò fuit, qui tanto accepto à Deo, etiam ut noverat, beneficio, tam negligenter tamen præſcriptum ſibi ſilentium ſervavit. Inſignis erat raraque tùm curatio lepræ, (vide 2 *Reg.* 5:7.) neque ullum *Chriſtus* hucuſque curaverat: ut itaque miraculum hoc divulgatum eſt, non tantùm tantæ rei fama aliis afflictos morbis ad *Chriſtum* excitaret; cùm enim lepram curaſſet, non tantùm crederet populus omnes ab eo curari morbos poſſe: ſed & leproſos invitaret ut in civitates, ubi ipſe erat, contra Legis præſcriptum irruerent; unde tumultus fieret. Quare *Jeſus non poterat ampliùs palàm in civitatem intrare.* MARC. CAP. I. VERS. 45.

LUCÆ 5: 16. *Ipſe autem ſecedens, erat in deſertis, & orabat.* LUCÆ CAP. V. VERS. 16.

Dum *Chriſtus* inter homines degit, eiſdem beneficia confert; dum ab eorum conſortio abeſt, divino fruitur: aliter enim agere non poterat ob innatam ſanctitatem, in homines amorem, unionemque cum Deo. Frigida adhuc anni tempeſtas erat, commorationique in deſerto inidonea, cùm hyems nondum tranſiiſſet: ſed tanto divinæ gloriæ zelo efferveſcebat, ut hanc in hominum conſortio ſuæ præferret ſaluti ac ſecuritati, atque in ſolitudine propriis anteferret commodis. Quod præcipuè precum ipſius argumentum fuerit, temerarium fuerit definire. Haud dubiè eò tendebant, ut divina gloria promoveretur, Deique Eccleſia frequentior indies evaderet, opuſque Euangelii inchoatum feliciter ſuccederet: qui perpetuus orationibus ipſius propoſitus ſcopus erat, *Joann.* 17. Neque vero abſimile eſt, frequentiſſimum ad ipſum convenientem undique populum ad hujuſcemodi eum preces frequenter impuliſſe.

SECTIO XXIII.

MARCI CAP. II.

VERS. I. *Et rurſus intravit Capernaum interjectis* aliquot *diebus, & auditum eſt eum domi eſſe.*

II. *Statimque coacti ſunt multi*, adeò *ut jam non caperent* eos *ne ea quidem* loca *quæ erant ad oſtium: & loquebatur eis ſermonem* Euangelii.

LUCÆ CAP. V.

VERS. XVII. *Et factum eſt quodam die, quum ipſe doceret, ſedentque Phariſæi ac Legis Doctores, qui venerant ex omnibus vicis Galilææ, & Judææ, & Hieroſolymis, & virtus Domini adeſſet* ei *ad ſanandum illos:*

III.

Digitized by Google

MARCI CAP. II.

III. Tunc venerunt ad eum ferentes Paralyticum, qui à quatuor portabatur.

IV. Et quum non poſſent ei appropinquare propter turbam, detexerunt tabulatum loci in quo erat, eoque perfoſſo, funibus demiſerunt grabbatum in quo Paralyticus jacebat.

V. Quum autem vidiſſet Jeſus fidem eorum, dixit Paralytico, Fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua.

VI. Erant autem illìc quidam ex Scribis ſedentes, & ratiocinantes in cordibus ſuis,

VII. Quid iſte ita loquitur blaſphemias? Quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus?

VIII. Et quum ſtatim cognoviſſet Jeſus ſpiritu ſuo, eos ita ratiocinari apud ſe, dixit eis, Quid iſta ratiocinamini in cordibus veſtris?

IX. Utrùm eſt facilius, dicere Paralytico, Remiſſa ſunt tibi peccata; an dicere, Surge, & attolle grabbatum tuum, & ambula?

X. Ut autem ſciatis Filium Hominis habere poteſtatem remittendi peccata in terra, (ait Paralytico.)

XI. Tibi dico, ſurge, & attolle grabbatum tuum, & abi domum tuam.

XII. Tunc ille ſtatim ſurrexit: ſublatoque in humeros grabbato, egreſſus eſt coram omnibus: adeò ut obſtupeſcerent omnes, & glorificarent Deum, dicentes, Nunquam tale quicquam vidimus.

LUCÆ CAP. V.

XVIII. Tunc ecce advenerunt quidam ferentes in lecto hominem qui erat Paralyticus: & ſtudebant eum inferre, & ponere in ipſius conſpectu.

XIX. Et quum non inveniſsent quà ipſum inferrent propter turbam, aſcenderunt in ſolarium, & perfoſſo teſtaceo pavimento, dimiſerunt eum cum lectulo in medium, ante Jeſum.

XX. Qui fide eorum viſa, dixit, Heus tu, remiſſa ſunt tibi peccata tua.

XXI. Tunc cœperunt ratiocinari Scribæ & Phariſæi, dicentes, Quis eſt iſte qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt remittere peccata niſi ſolus Deus?

XXII. Jeſus autem agnitis eorum cogitationibus, reſpondens dixit eis, Quid ratiocinamini in cordibus veſtris?

XXIII. Utrùm eſt facilius, dicere, Remiſſa ſunt tibi peccata; aut dicere, Surge & ambula?

XXIV. Ut autem ſciatis Filium Hominis auctoritatem habere in terra remittendi peccata, (ait Paralytico) Tibi dico, ſurge, & ſublato in humeros lectulo tuo, abi domum tuam.

XXV. Is autem illicò ſurgens in eorum conſpectu, ſublato in humeros eo in quo jacuerat, abiit domum ſuam glorificans Deum.

MATTH. CAP. IX.

VERS. II. Et ecce obtulerunt ei Paralyticum in lecto projectum: quumque vidiſſet Jeſus fidem eorum, dixit Paralytico, Confide, fili, remiſſa ſunt tibi peccata tua.

III. Et ecce quidam è Scribis dicebant apud ſe, Iſte blaſphemat.

IV. Et quum vidiſſet Jeſus cogitationes eorum, dixit, Quid cogitatis mala in cordibus veſtris?

V. Utrùm enim eſt facilius, dicere, Remiſſa ſunt tibi peccata; an dicere, Surge & ambula?

VI. Ut autem ſciatis poteſtatem habere Filium Hominis in terra remittendi peccata, (tunc dixit Paralytico) Surge, attolle tuum lectum, & abi domum tuam.

VII. Tunc ille ſurrexit, abiitque domum ſuam.

VIII. Turba verò quum hoc vidiſſet, mirata eſt, & glorificavit Deum, qui dediſset talem poteſtatem hominibus.

IX. Et quum digrederetur Jeſus illinc, vidit quemdam ſedentem ad telonium qui Matthæus dicebatur, & dixit ei, Sequere me. Atque is ſurgens ſequutus eſt eum.

MARCI CAP. II.

XIII. *Et egreſſus eſt rurſus ad mare: totaque turba veniebat ad eum, ac docebat eos.*

XIV. *Et quum prætergrederetur, vidit Levin Alphæi* filium *ſedentem ad telonium: dixitque ei, Sequere me. Et* is *ſurgens ſequutus eſt eum.*

LUCÆ CAP. V.

XXVI. *Et ſtupor cepit omnes, & glorificabant Deum: & repleti ſunt metu, dicentes, Certè vidimus inopinata hodie.*

XXVII. *Poſthæc verò exiit, & conſpexit Publicanum nomine Levi, ſedentem ad telonium, & dixit ei, Sequere me.*

XXVIII. *Et* ille *derelictis omnibus ſurrexit, & ſequutus eſt eum.*

Ratio Ordinis.

NUllum omninò circa hujus Hiſtoriæ ſeriem ſupereſſet dubium, tantâ eam luce *Marcus Lucaſque* expoſuerunt, niſi *Matthæus* hanc diverſo adeò tempore ſtatuiſſet, ut quis ex ipſo judicaturus eſſet Paralytici hujus curationem non contigiſſe ante *Chriſti* è regione *Gadarenorum* regreſſum: ita enim narrat, *Ingreſſus igitur navigium, trajecit, venitque in civitatem ſuam: & ecce obtulerunt ei Paralyticum*, &c. quaſi eo tantùm tempore Paralyticus ad ipſum adductus fuiſſet. Sed I. ex duorum aliorum Euangeliſtarum methodo, quæ ipſius longè accuratior eſt, præſertim *Marci*, ſeries hujus Hiſtoriæ colligenda eſt. Facilè enim quis conjecerit ex tribus invicem collatis, *Matthæum* quidem res ipſas narrare, ſed cæteroquin de proprio rerum tempore parùm ſollicitum eſſe. Sed *Marcus & Lucas* qui poſt ipſum ſcripſerunt, has ad id quo geſtæ ſunt tempus Hiſtorias reduxerunt; atque ipſi quodammodo horologium ſtatuunt, quo Hiſtoriarum ſuarum tempora noſci queant. II. Annotavimus poſtremâ Sectione in hæc verba *Matthæi*, *Cùm è monte deſcendiſſet, magna ſecuta eſt eum turba: & ecce venit leproſus*, vocem *ecce* duos verſus uni ſimul tempori non alligare, utpotè quæ Hiſtoriam tantùm leproſi reſpiciat, nullâ habitâ temporis Hiſtoriæ in verſu præcedente ratione. Ejuſcemodi *ecce* hoc eſt quo idem Euangeliſta hanc de qua nunc Hiſtoriam inchoat: neque enim adductionem Paralytici *Chriſti* è terra *Gadarenorum* regreſſui affigit, cujus mentio fit in verſu præcedente; ſed indicat eam tantùm cui præfigitur Hiſtoriam: contentam interim in priore verſu Hiſtoriam minimè reſpicit. Cur autem *Matthæus* hanc Hiſtoriam remoto adeò loco diſpoſuerit, facilè is didicerit qui ejuſdem Textum hujus Capitis noni reſpicere voluerit. Hanc circa Paralyticum; ſuamque vocationem Hiſtoriam jungit ſimul, tertiamque circa convivium, & quartam circa *Jairi* ad *Chriſtum* adventum. Quæ quidem Hiſtoriæ non eodem tempore geſtæ ſunt: duæ tantùm primæ eodem tempore contigerunt, duæque pariter poſteriores, ſed diu pòſt. Cùm tamen Hiſtoriam vocationis ſuæ, conviviique ſimul expedire vellet, haſce omnes Hiſtorias convivii tempori aſcripſit. Convivium quidem ipſius contigit ſub *Chriſti* à *Gadarenis* reditum, *Jairuſque* ad eum convivii tempore venit, atque ita proprio hæc ordine temporeque illìc narrantur. Jam quamvis ipſius vocatio convivium ejuſdem diu præceſſerit, ut tamen omnem illam de ſe Hiſtoriam ſimul expediret, eodem tempore locoque vocationem ſuam narrat, Hiſtoriamque ſimul Paralytici, quæ immediatè ante ipſius vocationem contigit. Cur Hiſtoriam vocationis, conviviique Hiſtoriam, quas tres Euangeliſtæ conjungunt, diviſerimus, eaſque ad diverſa tempora reduxerimus, ubi de ordine ſequentis Sectionis dicemus.

Harmonia & Explanatio.

LUC. V. VERS. 17. *Quum ipſe doceret, ſederentque Phariſæi & Doctores Legis*, &c. LUCÆ CAP. V. VERS. 17.

CUm *Chriſtus* ſat diu peragraſſet, prædicaſſetque per *Galilæam*, jam prope tempus Paſchæ *Capernaum* ubi reſidebat rurſus redit, ut illìc neceſſaria ad iter *Hieroſolymas* feſti celebrandi causâ pararet. *Capernaum*, præter alios in *Galilæana* peragratione ipſi junctos, ſecuti ſunt eum *Phariſæi*, *Scribæ*, *Doctoreſque Legis*: nam omnes tres commemorantur à tribus Euangeliſtis; neque præter rem noſtram fuerit hìc examinare, quod genus

Digitized by Google

nus hominum hoc ſit, cùm præſertim tam frequens eorum in Euangelio mentio fiat.

SECTIO I. *Diſtinctio diviſioque Nationis Judaicæ.*

Rem hanc ut intelligamus, è re fortè fuerit primùm intueri totius Nationis Judaïcæ diviſionem, ut eam ejuſdem Scriptores vulgò tenent. Dividebatur itaque hæc Natio in תלמידי חכמים & עם הארץ, in *Scholaſticos* ſeu *Diſcipulos Sapientum*, *populumque*; aut in doctos, inque indoctos; aut in benè educatos, minùſque benè educatos. Centena hujus diviſionis exempla Judaicis ex Authoribus adduci queunt: hæc tantùm pauca proponam.

Maſſecheth derech arets zuta, Perek. 4. *Scholaſtici Sapientum hominum in conſortio benè ſe gerunt; non item populus.*

Juchaſin, fol. 22. *Rabbi Akiba dixit: Cùm eſſem è populo, dixi, O ſi Scholaſticum Sapientum haberem, quàm eum oſcularer!* &c.

Maymon. in Thalm. Torah, Perek. 4. *Si qua inter Scholaſticum Sapientumve Diſcipulum, quempiamque è populo lis contingat, Scholaſtico adhærent.*

Idem, *Diſcipulis Sapientum non licebat comedere in caupona, neque in plateis, neque cum populo.*

Idem in Tephill. Perek. 12. *Sacerdos populi legit in Synagoga ante Sapientem Iſraelitam.*

Idem, Thalm. Torah, Perek. 3. *Spurius, ſi Diſcipulus Sapientum, pluris ſit quàm Summus populi Sacerdos.* Ubi nomine *Sacerdotis*, & *Summi populi Sacerdotis*, verum Sacerdotem, verumque Summum Sacerdotem, ſed indoctum, intelligit. *Quicunque enim doctrinam Legis ignorabat, populus terræ dicebatur*, Elias Lev. in Tiſhbi.

SECTIO II. *Diviſio diſtinctioque Doctorum Nationis Judaicæ.*

Atque ita primùm dividebatur Natio in doctos, indoctoſque, ſive peritos Legis, imperitoſque: hancque diviſionem phraſis illa Phariſæorum ſpectat, *Joann.* 7: 48, 49. *An ulli Gubernatorum, aut Phariſæorum in eum crediderunt? Sed populus hic qui Legem neſcit*, &c. Docti autem inter Judæos, qui *Sapientes* dicebantur, *Diſcipulique Sapientum*, varias rurſus in Tribus ſubdividebantur, in *Scribas* ſcilicet, *Phariſæos*, *Sadducæos*, *Herodianos*, in Scriptura commemoratos; *Eſſæanos* prætereà, *Chaſidim*, *Jechidim*, *Zelotas*, *Therapeutas*.

Harum autem diviſionum ratio inde deducenda eſt, quòd variis multi gradibus ab ipſa religione regni recederent accederentque: quamvis enim eorum Authores hac ſuper re ſilerent, ratio ipſa ſenſuſque communis docerent, ratam fixamque quandam Judæis, qui ſoli religionem habebant, religionis fuiſſe normam, cui eorum praxis conformis foret. Hæc regula erant *Moyſes* & *Prophetæ*: hæcque regula ad praxim proponebatur, hoc eſt, ipſius ſenſus proponebatur à *Synhedrio* magnove Concilio. Ut autem huic quiſque regulæ conformis erat, deformiſve exceſſu aut defectu, hanc vel illam appellationem ſubibat.

SECTIO III. *Stata Judæorum religio Chriſti tempore.*

Eorum tùm religio, quantumvis Scripturas regulam ſuam pronunciarent, Traditionibus omnis generis præcipuè nitebatur: quas non tantùm Scripturis præferebant, ſed iiſdem omnem Scripturis authoritatem derogabant, *Marc.* 7: 7, 8, 9. Tenuerunt *Dominum cum illis contraxiſſe fœdus juxta Legem Traditionis*, Baal Turim in *Geneſ.* 1: 3. Tenebant *Scriptam Legem deficere comparatam Legi non ſcriptæ*, Tanch. fol. 4. *Legemque Scriptam ob mercedem doceri poſſe*, non item *non Scriptam*, Maymon. in Thalm. Torah, Perek. 1.

Duplices autem eorum Traditiones erant: aliæ vocabantur הלכה למשה מסיני *Lex non Scripta tradita Moſi in Sinai*, poſteriſque ore tradita: aut practicæ Gloſſæ, Canoneſque ſuper hac non Scripta Lege facti identidem: hæ *Traditiones Patrum Seniorumque* dicebantur, *Matth.* 15: 2. *Gal.* 1: 14. 1 *Pet.* 1: 18.

Traditiones ipſius *Cabbalæ*, aut Legis non Scriptæ, quam ſucceſſu temporum à *Moſe* derivabant, jam non minùs accuratè à generatione in generationem illius ſucceſſionem nunc indicabunt, quàm Papiſtæ Pontificum Romanorum à *Petro* ſucceſſionem. *Moſes*, inquiunt, *Legem non Scriptam à Sinai recepit, tradiditque Joſuæ, Joſua Senioribus, Seniores Prophetis, Prophetæ Magnæ Synagogæ Ezræ*, Thalm. in *Avoth*, Perek. 1. Per quorum manus huc venerit, annotatum à nobis eſt *Matth.* 3: 7.

Poſt regreſſum à Captivitate ipſius genealo-

LUCÆ CAP. V. VERS. 17.

nealogiam hunc in modum derivant. *Simeon Juſtus accepit eam ab Ezra, Antigonus à Soco à Simeone, Joſes Joezerus à Zeredah, Joſephuſque filius Joannis Hieroſolymitani recepit eam ab Antigono; Joſua filius Perechiæ, & Nittai Arbelita eam acceperunt ab illis; Judah filius Tabbai, & Simeon filius Shetah acceperunt eam à Joſua & Nittai; Shemajah & Abtalion acceperunt eam à Judah & Simeone; Hillel & Shammai ab ipſis; Rabban Simeon filius Hillelis, & Rabban Jochanan filius Zaccai receperunt eam ab Hillele & Shammai; Rabban Gamaliel vetus dictus, Pauli Magiſter, eam accepit à Rabbano Simeone patre ſuo; Rabban Simeon filius Gamalielis accepit eam à Gamaliele*; (occiſus eſt dum Templum deſtrueretur) *poſt eum filius Rabbani Gamalielis à Jabuch illam a patre ſuo accepit; poſt eum Rabban Jochanan filius Zaccai eam ab Hillele & Shammai, &c. accepit*, Avoth, ubi ſuprà, Maymon. in Præf. ad Madda, & Juchaſin, fol. 13. 14. &c.

Atque hæc Traditio eſt Legis non Scriptæ: in qua duo obſervanda occurrunt, perſonæ, & lex ipſa. I. Itaque quicunque ſigillatim hac in ſucceſſione nominantur, *Synhedrii* Præſides erant; atque ubi duo זוגות nominantur; prior erat *Naſi*, ſeu *Præſes*; poſterior *Ab-beth-din* ſeu *Vice-Præſes*. II. Hæc *Cabbala*, aut Lex tradita, quæ à *Moſe* derivata dicebatur, certa habebatur, neque de ejus veritate dubitari licebat; licèt quâvis ætate ac generatione illuſtraretur gloſſis practicis, quibus ejus latitudo exponebatur.

Seniores *Synhedrii* practicos poſitivos hoſce ſenſus ei imponebant, Commentatoreſque erant Legis hujus non Scriptæ, dividebantque eam in particulares leges regulaſque quibus Natio ſeſe conformaret: *Synhedrium* autem uniuſcujuſque generationis ſimile quidpiam addebat. Atque ita tenebant *Magnum Synhedrium Hieroſolymitanum fuiſſe Legis non Scriptæ fundamentum columnamque inſtructionis: hinc decreta ad omnes Iſraëlitas prodibant. Quiſquis autem Moyſi credidit, ipſiuſque Legi, Synhedrii authoritati quoad leges acquieſcere debebat*, Maymon. in *Mamrim*, *Perek.* 1.

Modus autem decidendarum litium ex Lege non Scripta hic erat.

I. Regula generalis ſecundùm quam procedebant hæc erat: עשה סייג לתורה, *Ut fieret ſepes Legi*, ne homines eam transgrederentur. Hocque ſpecioſum erat omnium Traditionum fundamentum: hoc enim nomine, ut ſcilicet Lex illibata permaneret, ſanctiùſque cuſtodiretur, Legi ſua adinventa ſubſtituerunt. Quæ Legi propugnacula præpararint, ex ſequentibus diſce. Scripta Lex prohibebat ne coqueretur hœdus in lacte matris. Ne autem hæc lex violaretur, hâc eam Traditione munierunt: *Non coques carnem quamcunque in quocunque lacte. Omnia quæ comedenda erant eodem die, Lex dicebat uſque ad diluculum: ſi ita, cur Sapientes dicunt tantùm uſque ad mediam noctem? Ut ſcilicet longiùs homines à tranſgreſſione removeantur*, Beracoth, Perek. 1.

LUCÆ CAP. V. VERS. 17.

Sepemque ejuſcemodi temporibus conſtituêre in ea Hiſtoria quæ commemoratur à *Tanchumah*, fol. 37. *Quidam durante perſecutione Græcorum equitavit die Sabbati, adductuſque eſt ad Synhedrium, ipſumque dilapidarunt, non quia id facere expediebat, ſed quia ratione temporum expediebat.*

II. Cùm itaque hoc fundamento niterentur, collimantes ad hanc Legis ſepem *Cabbala*, aut Legem non Scriptam excuderunt in has tres partes diviſam, תקנות גזרות מנהגות, *Conſtitutiones*, *Decreta*, *Conſuetudines*: vide *Maymon.* in *Mamrim*, *Perek.* 1. & 2. Non inhærebo accuratiori inter hæc tria aſſignando diſcrimini. Erant, ut paucis dicam, leges ex *Cabbala* exciſæ, quibus quædam prohibebantur, quædam imperabantur, quorumdam modus præſcribebatur. Unum tantùm alterumve exemplum proponam. *Imperatum eſt ut quovis die oremus, ut dictum eſt, Servies Domino Deo tuo. Traditione didicerunt hoc ſervitium eſſe preces, quia dicitur, Servies ipſi toto corde. Sapientes dicunt, Quod obſequium corde ſit? Oratio. Nullus jam precum numerus à Lege præfinitur, nullumque fixum tempus precibus conſtitutum eſt, nullaque obligatio ad preces in Lege propoſitas, hoc eſt, nulla mentio fit eorum qui orare tenentur*, Maymon. in *Tephillah*, Perek. 1.

Synhedrium itaque identidem canones conſtitutioneſque pro arbitrio condebat, quibus ejuſcemodi controverſiæ deciderentur. Aliquando enim præſcribebant hæc aut illa tempora precibus matutinis ac veſpertinis impendenda. Proceſſu temporis conceſſa precibus fundendis tempora incommoda nimiùm brevitate compererunt; quare ea longiora præſcribere *Synhedrio* viſum eſt: atque ita pariter circa preces quotidie dicendas unum *Synhedrium* tot conſtituerat; ſed experientiâ compertum eſt poſtmodùm, has quibuſdam

LUCÆ CAP. V. VERS. 17.

dam eventis non eſſe adaptatas, quare alterius generationis *Synhedrium* pro re nata plures ſemper ac plures addendas cenſuit. Preces itaque quotidianæ octodecim tandem erant. *Dubuſque Rabbi Gamalielis*, dicit Author meus poſtremò citatus, רבו מינים בישראל, *Heretici multiplicati ſunt in Iſraël*, (intelligit eos qui Judaiſmo relicto Chriſtianiſmum amplectebantur) *vexaruntque Iſraëlitas, quibus perſuadebant ut religionem avitam deſererent. Cùm autem is rem hanc magni momenti videret, ipſe unà cum Synhedrio aliam orationem conſtituit, quâ petebatur à Deo ut Hæreticos illos deſtrueret vellet; hancque reliquis orationibus adjunxit, juſſitque ut in uniuſcujuſque ore foret: atque ita omnes quotidianæ preces novemdecim erant.*

SECTIO IV. *Scribæ, & Phariſæi.*

Hæc ſtata Judæorum religio erat, hunçque ferè in modum conſtituta: cujus fundamentum erant Traditiones à *Moſe*, ut fingebant, derivatæ, quibus Lex Scripta exponebatur, quam *Synhedrium* pro arbitrio reque natâ interpretabatur. Qui autem decidendis ex Lege Scripta Traditionum adminiculo controverſiis præerant, *Scribæ* dicebantur, quorum quatuor genera erant.

I. *Naſi*, & *Ab-deth-din*, hoc eſt, *Præſes*, & *Vice-Præſes*, qui particulares ipſius *Cabbalæ* Theſaurarii erant. Hanc autem à *Moſe* derivatam credebant.

II. Totum *Synhedrium*, quod eorum leges conſtitutioneſque ex hac *Cabbala* conditas populo imponebat.

III. Viri *Synhedrii*, aliive qui Scholas Theologicas habebant, haſque Traditiones palàm exponebant, ut *Hillel*, *Shammai*, *Gamaliel*, *Tyrannus*, aut *Turnus*, *Actor.* 22: 3. & 19: 9, &c.

IV. Harum legum Interpretes, ut publici in Synagogis Concionatores.

Juxta varios hoſce ſenſus vox *Scriba* conſtruenda eſt in Novo Teſtamento conformiter ſcopo vario lociſque quibus uſurpabatur. Ut I. cùm dividitur *Synhedrium* in *Sacerdotes*, & *Scribas*, & *Seniores*, *Matth.* 26: 3. *Scribæ* hîc intelligendi veniunt, aut *Præſes*, aut *Vice-Præſes*, Receptores, Traditoreſque *Cabbalæ*, aut ii qui Scholas Theologicas tenebant: propriè enim loquendo omnes ſocii *Synhedrii* erant *Seniores*, omneſque *Scribæ*. Hæc tamen diſtinctio adhibetur ad diſtinguendos *Scribas* ſenſu præmemorato ab aliis ejuſdem ſocietatis, Senioreſque populi à Senioribus Sacerdotii. II. *Scribæ & Phariſæi ſederunt in Cathedra Moſis*, *Matth.* 23: 2. Vox *Scribæ* totum *Synhedrium* ſignificat, quod in Cathedra *Moſis* ſedebat; hocque ſenſu hæc vox uſurpatur in frequentiſſima illa apud Authores Hebræos locutione, דברי סופרים, *Verba Scribarum.* III. In ejuſcemodi locis, *Scribæ dicunt Eliam primùm venturum:* &, *Docuit tanquam authoritatem habens, & non ut Scribæ:* &, *Doctus Scriba profert ex theſauro ſuo nova & vetera*, &c. vox hæc magis propriè publicos eorum Doctores hîc ſonat.

Atque ita hoc in Textu conſtruenda eſt, *Marc.* 2: 6. *Quidam erant Scribarum ſedentes illic*, quos *Lucas* exponit *Doctores Legis*, *ex quovis oppido Galilææ*, &c. *Scribæ* enim & *Doctores* idem ſonabant, *Luc.* 5: 17, 21. *Scribæque* ac *Legis periti* iidem erant, *Matth.* 22: 35. *Marc.* 12: 28.

SECTIO V. *De Sectis Judaicis.*

Non oggeremus importunè lectori omnes Judæorum quæ adduci poſſent Sectas; eas tantùm quarum frequentior in Scripturis mentio fit commemorabimus, *Phariſæos* præſertim, ac *Sadducæos*, atque *Phariſæos* in primis in Textu noſtro nominatos. Quòd autem hi, atque *Eſſeani*, qui ab Authoribus plerumque cum illis nominantur, Schiſmatici tantùm fuerint à ſtata regni religione diviſi; inde I. ut alia omittam, liquet, quia à *Joſepho* ita ferè ſemper vocantur, Αἱρέσεις, *Antiquit.* lib. 12. cap. 9. & 18. *de Bell.* lib. 2. cap. 12. *Antiquit.* lib. 18. cap. 2. ubi dicuntur etiam ab ipſo *Philoſophi:* quæ appellatio ab ipſo aliiſque Authoribus uſurpata apertè probat, eos omnes à ſtata regni *Iſraëlitici* religione deviaſſe, *Luc.* 18: 9. Ipſâque res ratione manifeſta fit, quia caruerunt Judæi diu *Phariſaiſmo*, *Sadduceiſmo*, & *Eſſeaniſmo*, dum tamen ſtatam quandam certamque religionem haberent, quæ ab his omnibus jam natis diſcrepabat.

II. Locus quidam *Joſephi* in Hiſtoria vitæ ſuæ huc plurimùm facit. *Non infimum doctrinæ gradum attigi, cùm memoriâ & ſcientiâ excellere reputarer: cùmque quatuordecim tantùm annos natus eſſem, Scholaſticus ubique audiebam; præcipuique Sacerdotes virique civitatis me conveniebant ut de Lege inquirerent.* Περὶ ἑκκαίδεκα δὲ ἔτη γενόμενος, ἐβουλήθην τῶν παρ' ἡμῖν αἱρέσεων ἐμπειρίαν λαβεῖν, &c. *Cùm annum ſextum ſupra decimum attigiſſem, ſtatueram ſume-*

re

re experimentum de Sectis quæ tùm apud nos erant. Jam tres ſunt, prima Phariſæorum, ſecunda Sadducæorum, tertia Eſſeanorum: optimam enim me electurum credebam, ſi omnes callerem. Quare magno labore tres omnes percurri: neque tamen adhuc mihi factum erat ſatis. Cùm enim intelligerem eſſe quemdam Banum Anachoretam, qui nullis niſi ex arboribus confectis utebatur veſtibus, quique nihil niſi ſponte natum in alimentum adhibebat, quique caſtitatis gratiâ lavabat ſe ſæpè diu noctùque frigidâ, magno zelo eum imitari conatus ſum, cum quo tres annos vixi.

Ex quibus patet educatum eſſe *Joſephum* à teneris in religione à tribus illis Sectis diſtincta, ſtudiiſque ab earum diverſis, quarum poſteà doctrinam inveſtigavit. Hæ porrò Sectæ ipſum religionis & eruditionis apicem attigiſſe ſeſe credebant.

Sectio VI. *De Sadducæis.*

Sadock & *Baithus* duo Diſcipuli *Antigoni à Socho* primi inter Judæos erant Schiſmatici, primique Hæretici. Negarunt reſurrectionem, quam nonniſi Hæreticus negare poterat; ipſique aut Scholaſtici eorum totam Legem non Scriptam negarunt: quam Judæi pejorem priore hæreſim cenſebant. *Antigonus* eorum Magiſter obſcurâ uſus erat locutione, dum hortaretur Diſcipulos ſuos ut Legem amplecterentur abſque ſpe mercedis, hoc eſt, propter ſeipſam: ſed depravati hi Diſcipuli ipſius doctrinam intellexerunt de negata etiam poſt hanc vitam Legem amplexis mercede; ac proinde reſurrectionem negarunt, ut & poſt ipſos *Sadducæi*, qui ab hoc *Sadocko* primo hujus Sectæ Authore cognominati ſunt, *Avoth*, *Perek*. 5. *Juchaſin*, fol. 15. *Elias Lev. in Tishbi*: vide *Matth.* 22: 23. *Actor.* 23: 8.

Quare qui tùm vivebant poſterique hanc refutandam hæreſim ſuſceperunt: unde hæ phraſes, *ſeculum venturum*, *Gehenna*, *Paradiſus*, *ſinus Abrahami*, *ſecunda mors*, &c. invaluerunt, ut vel hiſce locutionibus perverſam *Sadocki* & *Baithi* eorumque Sectatorum opinionem confutarent. Atque inter alia hanc contra hæreſim argumenta, celeberrimum meritò eſt argumentum illud *Gebikah Ben Paſiſa*, aut *Ben Koſem*, מאן דלא הוה הוה מאן דהוה לית כל שכן: *Quod non erat eſſe cœpit: nunquid igitur illud multò magis erat quod jam fuit?* Juchaſ. fol. 13. Quibus verbis inſinuabat, cùm Deus corpus quod non præexiſtebat feciſſet, multò magis id eum corpus quod præexiſtebat ſuſcitare poſſe.

Hæc tantùm *Sadocki* ejuſque ſectatorum hæreſis in principio fuit, conſtitutamque religionem nullâ aliâ opinione turbarunt: (is tantum ejuſque ſocius *Baithus* ad Templum in *Gerizim* profecti, facti ſunt Samaritani) ſed is poſteà, & ſecuti eum dicti ab eo *Sadducæi*, aliam opinionem tenuerunt, quam pejorem Judæi, licèt immeritò, hæreſim exiſtimabant: Legem enim non Scriptam repudiarunt, ſoli Scriptæ Legi *Moſaicæ* inhærentes: qui proinde dicti ſunt *Karaitæ*, ſeu *Scripturiſtæ*, quia omni Traditione rejecta, ſcripto tantùm Textui inhærebant: quare conſtitutam tùm religionem Traditionibus tantùm nitentem radicitùs convellebant.

Animadverte quàm de iis conqueratur *Rambam*. *Unde*, inquit, *maledicta Hæreticorum Secta, qui Karaitæ dicuntur, originem traxit: dicuntur quoque à Sapientibus Sadducæi, & Baithuſeani: cœperunt oppugnare Cabbalam aut Traditiones, Textumque, prout ipſis viſum fuerat, exponere, nullâ interpretationis Sapientum habitâ ratione*, in Avoth, *Perek*. 1.

Atque *Elias Levita* hunc in modum. *Antigonus à Socoh duos habuit Diſcipulos, Sadocum & Baithum, qui nequiſſimi evaſerunt, & Legem non Scriptam denegarunt: idque tantùm credebant, quod in Scripta Lege ſcriptum erat; unde Karaitæ dicti ſunt.*

Sadducæi non minùs quàm *Phariſæi* cæremoniis plenam ſequebantur religionem, licèt in omnibus non eò uſque procederent, quò *Phariſæi*, nec in iiſdem eodem ſemper modo. *Phylacteriis*, ut *Phariſæi*, utebantur; ſed non eodem ea modo geſtabant, *Megill.* fol. 24. Quinetiam Sacerdotes nonnulli miniſtrabant in Templo על רעת הצדוקים, *more Sadducæorum*, ſed à communi methodo abhorrente: ſed ejuſcemodi, ut *Thalmud Hieroſolymitanum* refert, violentâ omnes morte abrepti ſunt. Cæremonias autem *Sadducæorum* præcipuè imitabantur; ſed nullas agnoſcere aut uſurpare cæremonias ut à Traditione derivatas volebant, ſed, ut ipſi fingebant, à Textu *Moſis* deductas: nihil enim niſi ſcriptum admittebant, licèt ſæpè ipſorum tantùm ſenſu, non reipſa id ſcriptum foret. Atque ita cæremonias non paucas, ſed non ut à Traditione deductas, obſervabant: à Textu enim omnes deducere conabantur; ut multi hodie apud nos non pauca *Arminii*, *Socini*, *Papiſtarumque* dogmata tenent; quæ non ab ipſis

tamen,

LUCÆ CAP. V. VERS. 17.

tamen, ſed ab ipſo Sacro Textu deducere volunt.

Hoc argumentum cum *Joſepho* concludamus, ut manifeſtum fiat quàm ipſi deſpicerent rejicerentque Traditiones; cumque *Maymonide*, qui ait nihil eos admiſiſſe niſi quod in Textu Scripturæ contineretur. Νόμιμα πολλά τινα παρέδοσαν τῷ δήμῳ οἱ Φαρισαῖοι, &c. *Phariſai*, inquit *Joſephus*, *multa tradebant populo ut ad Legem pertinentia, Traditionibus à Patribus traditis, & in Lege non contentis: quæ propterea Sadducai rejiciunt, ajuntque ſcripta vim Legis obtinere debere; tradita autem tantùm non eſſe obſervanda. De quibus magnæ interdum inter eos diſputationes erant*, Antiquit. lib. 13. cap. 18.

Eſtque illegitimum, inquit *Maymonides*, *ut quis ebrius doceat: at ſi doceat rem tam claram in Lege*, עד שירעוהו צדוקים, *ut ipſi etiam Sadducai agnoſcere eam velint, tùm licèt: ut quòd reptile ſit immundum, rana ſit munda, ſanguis prohibitus, &c. in Biath Hammikdash, Perek.* 1.

Sect. VII. *De Phariſæis.*

Ut *Sadducai* nihili prorsùs Traditiones faciebant, ita *Phariſai* nimiùm iis inhærebant, magiſque multò quàm reliqui Judæi ſtabilitam in *Judæa* religionem ſequebantur. Eorum nomina Judæi ſcribunt פרוש & פרושים, *Parush* & *Parushim* cum *u* in ſecunda ſyllaba. Sed *Græcus* Textus Novi Teſtamenti, & *Joſephus*, ut *Syriacus* etiam *Arabicuſque*, ſcribunt, Φαρισαῖοι & פרישא, *Pharish*, conformiter *Chaldaica*, *Syriacaque* linguis tùm in uſu. Vox *Parash* ſemel tantùm in Scriptura ſeparationem ſonat, ut ab *Elia Levita* obſervatum eſt, cujus hæc ſunt verba: פרש לשון הברלה והפרשה ולא נכצא נמקרא רק במקום אחד. *Parash*, inquit ille, *diviſionem ſignificat & ſeparationem, ſemelque tantùm in Scriptura reperitur:* בתוך צאנו נפרשות, *Ezech.* 34: 12. (*Diſperſa illius, aut ſeparata oves*, Πρόβατα διακεχωρισμένα in *Septuaginta*, Latinè *Oves ſeparata*) *Rabbini tamen noſtri beatæ memoriæ eâ voce multùm uſi ſunt: unde nomen* Parush, *&* Parushim, *hoc eſt*, Phariſæus & Phariſæi; *virique erant ſeparati à viis reliquorum hominum, quemadmodum & erant Nazaritæ.* Baal Aruch clariùs adhuc: פרוש הוא שפירש עצמו מכל טומאה ומן מאכל טמא ועם הארץ שאינו מרקרק במאכל: *Phariſæus*, inquit, *eſt is qui ab omni ſe immunditia ſeparat, ab omnibus immundis cibis, àque communi populo, qui quis in cibis ſeligendis ordo ſervandus ſit non intelligit*, &c. Juxta hunc ſenſum ſeparationis, *Juchaſin* vocat *Merlini* matrem פרושה, *Phariſæam*, hoc eſt, *Monialem*, ſive recluſam. Ita paucis de ſe deque ipſa narrat, בימי ליאון היה החכם הגרול מירלין באינגא לטירא ואמרו שהיה בן שד ואמו היתה בת מלך פרושה ועשה ספרים הרבה: *Diebus Pontificis Leonis, vir ſapiens Merlinus in Anglia erat, diciturque fuiſſe filius Spiritûs. Ipſius jam mater filia Regis erat, Monialis; multoſque ille libros compoſuit*, fol. 144. col. 1.

Variique alii loci è Judæis Scriptoribus excerpi poſſent, quibus generalem vocis *Phariſæus* acceptionem indicant, quòd præſertim *ſeparationem* ſonarent; quòd ab aliis ejuſdem Nationis *Phariſæi* ſepararent ſeſe. Quod autem ad ſeparationem Phariſæorum ab aliis ſpectat, duo examinanda occurrunt. I. In quo eorum ſeparatio poſita foret. II. A quibus potiſſimùm ſeparati forent.

Quod prius ſpectat, non dicebantur ſeparati, quòd à publicis cœtibus, noſtrorum *Separatiſtarum* ritu ſeſe ſepararent: ſed in aliis quibuſdam ſeparatio hæc poſita erat. *Matth.* 12: 9, 13. *Luc.* 6: 6, 7. *Phariſæi* in Synagoga publico cultui intererant, &c.

Separatioque à publicis conventibus ipſorummet doctrinæ repugnabat. תפלת הצבור נשמעת תמיר ואפילו היו בהן חוטאים: *Preces Congregationis*, inquit ipſorum Traditio, *ſemper auditur: imò quamvis inter eos ſint peccatores, ſanctus tamen Deus Congregationis preces exaudit. Quare neceſſe eſt ut quis ſe Congregationi jungat, nunquam ſolus oret, quando cum Congregatione orare poteſt; eatque ſemper quis ad matutinam veſpertinamque in Synagoga precem: conſtanter enim ejus oratio non auditur, niſi in Synagoga. Et quiſquis non orat in Synagoga ſuæ civitatis unà cum Congregatione, dicitur* שכן רע, *Proximus malus*, Maymon. in *Tephillah*, *Perek.* 8.

Neque eorum ſeparatio poſita erat in eo quod cùm aliis familiariter non agerent: ſedebant enim in *Synhedrio* cum *Sadducæis*, *Actor.* 23: 6. *Marc.* 3: 6. vide etiam *Matth.* 16: 1. frequentabant aliorum hominum domos, *Marc.* 2: 16. &c. cum quibuſcunque agebant ut Proſelytos eos facerent, *Matth.* 23: 15. conferebant ſæpè cum *Chriſto* & Diſcipulis ejus, *Matth.* 15: 1. & 12: 1, 2. &c. Nec facilè quis invenerit in Judaicis Antiquitatibus, quempiam in ea Natione ab aliorum ſe conſortio ſeparaſſe, niſi fortè à quopiam *anathemati* ſubjecto: quod huc non ſpe-

LUCÆ CAP. V. VERS. 17.

 ctat.

Digitized by Google

LUCÆ CAP. V. VERS. 17.

ſtat. Difficilè quidem cum populo unà comedebant, *Marc.* 2: 16. *Nemo Diſcipulorum Sapientum cum populo comedere volebat*, ut priùs obſervatum eſt; neque de populo quiſquam cum Ethnico, *Actor.* 11: 3. (quapropter prophanus ille Eccleſiæ *Corinthiacæ* habitus eſt inſtar Ethnici & Publicani, *Matth.* 18: 17. cum eo edere non debent, 1 *Cor.* 5: 11.) ſed colloqui, ambulare, prope ſedere, emere, vendere, agere quovis alio communi modo cum hominibus Nationis, neque opinionibus, neque praxi *Phariſæorum* repugnabat, aut cujuſcunque alterius Sectæ illius Nationis, niſi fortè *Eſſeanorum*, jam *Therapeutarum*, ut Eremitarum in *Ægypto*.

II. Separatio itaque *Phariſæorum* non tam ſita erat (quod ſecundo loco conſiderandum venit) in eorum ab hominum conſortio receſſu, quàm in affectata quadam pietatis ſingularitate: ſtatam enim ſtabilitamque inter Judæos religionem tranſcendere velle religionis quodam exceſſu videbantur, reliquiſque hominum ſanctiores, cùm reipſa nihil aliud forent quàm ſepulchra dealbata putredine plena, *Matth.* 23: 27.

Inſignem hanc ſanctitatis ſimulationem duobus maximè prodebant. I. Multis & pluribus quàm communis aliorum conſuetudo ferret cæremoniis, ut frequentibus lotionibus, latis Phylacteriis, *ne tangas, ne guſtes, ne tractes*, &c. II. Inſolitis, frequentibus, longiſque precibus, magnâ jejuniorum oſtentatione, &c. ut ab hominibus viderentur.

Non præoccupabimus hîc horum omnium examen his nunc nimiùm immorando; ſed ea poſtmodùm ut ſe offerent conſideraturi ſumus. Hic tantùm *Phariſæos* exhibeamus eo modo quo Thalmud ipſum Judæorumque Authores eos depingunt, è quibus impræſentiarum ſat quis capere poterit quæ Euangelium de ſumma eorum hypocriſi inſinuat. *Thalmud* nominat ſeptem Phariſæorum genenera. I. פרוש שכמי, *Schechemitam Phariſæum*, העשה מעשה שכם שמלו שלא לשם מצוה, *qui inſtar Schechemitarum facit: hi enim non ob præceptum, ſed ob proprium commodum ſeſe circumcidebant.* II. פרוש נקפי, *Impingentem Phariſæum:* aliquis enim interpretari poterit, המתרחק מלרחית בני ארם בדרכים, *eum qui cavet ne in quempiam in via impingat:* ונופק רגליו באבנים, *qui impingit in lapides:* tantâ enim gravitate *Phariſæus* incedebat, ut quia pedes attollere nolebat, in quemlibet obvium lapidem impingeret. III. פרוש קיזאי, *Phariſæum Phlebotomizantem:* כיוצא הוא, נרחק שלא להזיק העוברים ושבים: *Parieti proximus incedebat, ne tranſeuntibus moleſtus foret;* ומקין דם בנותלים, ſed ad parietem tantâ violentiâ accedebat, ut impactus muro ſanguinem mitteret. IV. פרוש מדוכיא, *Contortum Phariſæum*, כירך בגדיו בידו, *qui chlamydem circa manum contorquebat*, ומראה עצמו מתרחק ממגע בני ארם שלא יטמא, *cavebatque ne quemquam tangeret, ne ab eo inficeretur:* manibus enim veſtibus involutis utebatur, ut homines à ſe abigeret. V. פרוש מה חובתי ואעשנה. *Supererogantem Phariſæum*, qui dicebat, *Oſtende mihi officium meum, illudque & ultrà exequar. Oſtende mihi tranſgreſſionem meam, eamque corrigam. Quaſi dixiſſet, Oſtendere nemo poteſt in quo ego peccarim.* VI. פרוש אחד נקפי, *Alium impingentem Phariſæum*, שהולך כפוף, *qui inclinato corpore procedebat, conniventſque ſponte impingebat in lapides, humilitatis oſtentandæ gratiâ; ſed cor ipſius nequam erat: ſanguinem parietibus impactus eliciebat: videbatur admodùm humilis, & propterea circumſpicere ut gradiebatur nolebat: neque hæc timore Dei, ſed dolo malo agebat.* VII. פרוש מאהבה, *Phariſæum amoris:* qui *Phariſæus hominum aut Dei amore evadebat.* Vide *Thalm.* in *Sotah*, *Perek* 3. in *Gemara*, & *Aruch. R. Nathan* in voce פרוש, ubi etiam commemorat, יוחני אשה פרושה, *Joannam mulierem Phariſæam:* de qua hanc Hiſtoriam narrat in voce יוחני. *Joanna filia Retibi incantatione partum prohibebat, mulieresque in partu torquebat. Sanctæ autem præ ſe ſpeciem ferebat. Mulieres preces ejus in partu implorabant: tùmque ut incantationem ſolvebat, mulier parturiens citò poſt pariebat. Compertum tandem eſt eam eſſe veneficam, quam propterea occiderunt.* Vocat eam פרושה, *Phariſæam*, ob affectatam ſanctimoniam.

Hæc itaque *Phariſæorum* ab aliis hominibus diſtinctio erat: neque enim ab hominum conſortio ſive privato, ſive publico, ſive in plateis, ſive in Synagogis abſtinebant; ſed alio ab ipſis ſenſu diſtinguebantur, quòd cæteris hominibus ſanctiores videri vellent, *Luc.* 18: 10. Deſpiciebant *Sadducæos* ut Hæreticos, rigoremque *Eſſeanorum*, (licèt ipſis, meo quidem judicio, longè meliorum) ut ipſorum cæremoniis longè inferiorem irridebant, reliquoſque doctos Judæos, quia non ſuæ Sectæ propterea contemnebant. Sed quòd ad

Digitized by Google

LUCÆ CAP. V. VERS. 17. ad populum ſpectat, dici nequit quàm eum contempſerit. לא יאכל זב פרוש עם זב עם הארץ, *Phariſæus qui cauterium patiebatur, manducare non poterat cum uno è plebe cauterium etiam patiente*, licèt eodem uterque modo immundus foret, *Shabbath*, *Perek*. 1. in *Gemara*. Quin בגרי עם הארץ כדרס לפרושים, ſummo contemptu dicere ſolebant, *Veſtes populi habere ſe ut calceos hominis cauterium patientis*, Hagigah, Perek 2. *Cùm enim eorum veſtes tetigiſſet, lavabant ſe antequàm comederent, quòd ſummam inde immunditiam contraxiſſent*, Aruch in voce פרוש. Quæque mox de ipſis dicebantur omnium inſtar eſſe poterunt, *Joann*. 7: 49. *Populus iſte qui Legem ignorat, maledictus eſt*.

Ita ſuis in oculis à reliquis hominum ſanctitate ſeparati *Phariſæi* videbantur: hinc omnes ſe homines pietate inferiores cenſebant; à quorum quidem ſe ſocietate non ſecernebant, ſed eos contemnebant. Cum populo pariter agebant; ſed ſeſe, ubi ad eos acceſſiſſent, quaſi ab iis conſpurcati, lavabant.

Hac ſanctitatis oſtentatione utebantur ut hominum ſibi amorem conciliarent, magnamque ſui apud homines opinionem concitarent, populique gratiam aucuparentur: in quam quidem ita ſe inſinuarant, ut ſumma penè rerum poteſtas in ipſorum manu foret. *Tantum*, inquit *Joſephus*, *pollent gratiâ apud populum Phariſæi, ut ſi quid in Regem, aut in Summum Sacerdotem dixerint, ipſis ſtatim fides habeatur*, Antiquit. *lib*. 13. *cap*. 18. Et paulò poſt, *Sadducæi divites ſibi tantùm conciliabant: ſed à Phariſæis ſtabat populus*. At ſanè immeritò, cùm in eos tanto contemptu dominarentur. Atque illìc narrat quî populi odium in *Hyrcanum* Regem concitarint: & Cap. 23. quî idem præſtiterint in *Alexandrum* Regem. Quare cùm jamjam morti proximus foret, ſuadet *Alexandræ* Reginæ ut *Phariſæorum* ſibi gratiam conciliare ſtudeat; quia plurimùm gratiâ apud populum valebant, lædereque poterant quos oderant, auxilioque eſſe amicis. Μάλιστα γὰρ πιστεύεσθαι παρὰ τῷ πλήθει, περὶ ὧν ἂν φθονοῦντες τι χαλεπὸν λέγωσι. *Magnam ſiquidem his populus fidem habet, maximè ſi malè de quopiam loquantur; de quopiam inquam, quem oderint: atque ipſe, inquit, Populi gratiâ excidi, quia illos offenderam*. Utque unicum tantùm illorum characterem lectori adhuc oggeram, idem *Joſephus*, *Antiquit*. lib. 7. cap. 3. ita eos deſcribit: *Φαρισαῖοι βασιλεῦσι δυνάμενοι μάλιστα ἀντιπράσσειν· προμηθεῖς κἀκ τοῦ προύπτου εἰς τὸ πολεμεῖν τε ϗ βλάπτειν ἐπηρμένοι. Phariſæi ſat fortes ſunt ut Reges impugnent: apertum bellum ſubtiliter gerunt, malaque quamplurima pariunt*.

Jam quamvis *Scribæ* & *Phariſæi* in hac parte Scripturæ idem ſonent, [cùm enim *Lucas* vocet illos *Phariſæos* & *Doctores Legis*, verſ. 17. *Scribaſque* & *Phariſæos*, verſ. 21. duo alii Euangeliſtæ eos tantùm *Scribas* vocarunt] aliiſque etiam in locis idem planè ſignificent; diſtinctio tamen erat diſcrimenque *Scribam* inter & *Phariſæum*. Hùc facit locus ille notatu dignus in *Actor*. 23: 6, 7, 9. ubi *Synhedrium* dicitur conſtare *Phariſæis*, *Sadducæis*, *Scribiſque qui à Phariſæis ſtabant*, hoc eſt, qui *Phariſæorum* dogmata ſequebantur; ſed vitam adeò ſtrictam non degebant: (niſi vox *Scribæ* illìc ſonet *Synhedrii* Præſidem, ac Vice-Præſidem) *Scriba* enim quiſpiam facilè eſſe poterat, hoc eſt, è ſociis *Synhedrii*, aut publicus Doctor, qui tamen nec *Sadducæus* opinione foret, nec *Phariſæus* praxi. *Sadducæi* Synhedrii dici poſſunt *Scribæ*, quia leges Genti condebant, non minùs quàm *Phariſæi*: ſed magis tamen propriè Legiſlatores *Phariſæi* dicebantur, quia tanto zelo Traditionibus decretiſque *Scribarum* præcedentium inhiabant. Sed quicunque *Scriba* hac in re cum *Phariſæis* congruebat; plenum illum cæremoniis agendi modum non idcircò admittebant, ita ut quivis *Scriba Phariſæus* non eſſet, & quivis *Phariſæus Scriba* minimè exiſteret: nomen enim hoc *Scriba* munus indicabat; ſed *pietatem* nomen *Phariſæi* præ ſe ferebat. De quibus autem Euangeliſtæ loquuntur hoc in loco, erant & *Scribæ*, & *Phariſæi*, hoc eſt, non tantùm publici in Scholis Doctores earum Traditionum quibus ſtata apud eos religio nitebatur, ſed & qui ad peculiarem ultra ſtatæ religionis præſcriptum virtutem in ſpeciem aſpirabant. Jam confluebant ad *Chriſtum* hi Doctores idcircò, tum quia *Chriſtus* omnes *Galilææ* Synagogas peragrarat, ubi teſtes oculati rerum ab ipſo geſtarum fuerant; tum quia *Chriſti* jam fama quaquaverſùm propagata erat, *Matth*. 4: 25. *Chriſtus* autem confluentibus undique criticis hiſce doctiſque viris, ſuam curandi ægros poteſtatem affatim oſtendit: quod ita *Lucas* enunciat, *Et aderat potentia Dei ad ſanandum illos*, ut hiſce ſignis *Meſſiam* ſe eſſe demonſtraret.

MARC. CAP. II. VERS. 4.

MARC. 2: 4. *Detexerunt tabulatum* loci *in quo erat*, *eoque perfoſſo*, funibus *demiſerunt grabbatum in quo Paralyticus jacebat.*

Ex quibuſdam Scripturæ locis colligere licet, ut plana erant domorum tecta, ita crates ſuperiùs extitiſſe, quibus lumen aërque pro arbitrio admitterentur: quas quidem crates, ut frigus pluviamve prohiberent, cooperire quopiam, putà linteo pannove, ſolebant. Ita de *Noacho* dicitur, removiſſe eum *velum arcûs*, *& reſpexiſſe*, *Geneſ.* 8: 13. licèt in latere feneſtra foret, per quam proſpicere poſſet, *verſ.* 6. Et *Ahaziah* dicitur cecidiſſe *per cancellos*, 2 *Reg.* 12. quod de his cratibus quas fortè pertranſibat intelligi poteſt. Utrùm autem Euangeliſtæ vèlint homines illos hoc cooperculum ſuſtuliſſe unà cum cratibus, demiſiſſeque eum in lecto; vel potiùs, ut eorum verbis indicari videtur, fregiſſe eos ſolidum integrumque tectum, hìc inquirere ſuperſedebimus. Obſervare tamen licet quì hic homo è tecto in lecto demiſſus, *Petri* linteum è cœlo quatuor angulis demiſſum referat, *Actor.* 10.

MATTH. CAP. IX. VERS. 2.

MATTH. 9: 2. *Confide*, *fili*, *remiſſa ſunt tibi peccata tua.*

Quod *Matthæus Marcuſque* exprimunt *Fili*, *Lucas* exprimit *Homo*, *Luc.* 5: 20. voceſque hæ indiſcriminatim adhiberi poſſunt juxta idioma tum *Chaldaicum*, tum *Hebræum*; aut ſi vox *Fili* ſtricto ſenſu ſumatur, eo ſumetur, quo ſumi ſolet, cùm ſeniores juniores, aut ſuperiores inferiores, *filios* vocant, *Joſua.* 7: 19. 1 *Sam.* 4: 16. *Luc.* 16: 25. Sed ſtrictiùs hìc potiùs ſumpſerim hanc vocem, cùm eâ ſuum de ſingulari hujus hominis fide gaudium teſtaretur. Dicitur quidem ab omnibus Euangeliſtis, *Vidit Jeſus fidem eorum*, quaſi geſtantes Paralyticum fidem tantùm haberent: ſed dubitari nequit quin ægrotus vegetam æquè fidem, atque illi, haberet; neque majorem quidem quiſpiam hactenùs fidem oſtenderat. Quare mirum videri non debet, ſi tenerrimo eum affectu *Chriſtus* filium vocet, ſignificetque curatam illius animam, qui corporis curandi gratiâ acceſſerat.

Neque in dubium vocari poteſt, quin iis ipſis verbis *Chriſti* ſanandus homo fuiſſet, licèt nihil prætereà *Chriſtus* dixiſſet; cùm nullus fide plenus ad eum venerit, qui non ſanatus abierit. Inquiri tamen hìc poteſt, quî peccatorum remiſſione morbus curari potuerit, cùm aliud ſit corpus curare, aliud animam, homineſque etiam juſti tam obnoxii ſint morbis mortique ipſi, quàm non juſti. Habetur locus in *Iſaj.* 33: 24. huc nonnihil ſpectans: *Indigena non dicet, Æger ſum. Populo illic habitanti remittentur iniquitates eorum.* Jam ejuſmodi loci reſpicere videntur maledictiones Legem violantibus intentatas, *Deuter.* 28. inter quas graviſſimi corporis morbi commemorantur ac denunciantur, *verſ.* 21, 22, 27, 28, 35, 59, 60, 61. Hinc nata videtur conſuetudo publicis peccatoribus maledictum infligendi, ſeu *Cherem*, tradendique homines *Satanæ.* Quid enim aliud cum peccatoribus incorrigibilibus, quos nulla lex interficiendos præcipiebat; quid aliud, inquam, fieret? Solemniter itaque devovebantur maledictis in violatores mandatorum Dei conjectis: quem quidem juridicum proceſſum, fidei authoritatique Verbi Divini innixum, effectus ſæpè, Deo ita volente, ſequebatur, atque ejuſcemodi homo *maledictum in populo reipſa evadebat*, *Numer.* 5: 27. quod ipſum, credo, erat traditio hominis *Satanæ*, quâ quiſpiam curâ Dei excluſus, poteſtatique Dæmonis traditus erat. Hucque ſpectare videtur vulgatum illud apud Judæos, לך לשטן, *Vade ad Satanam*, quod apud Thalmudicos Scriptores reperire eſt. Hinc multi in Euangelio morbi à *Satana* inflicti dicuntur, *Luc.* 11: 14. & 13: 16. &c. Ac traditionem hominis *Satanæ*, 1 *Cor.* 5. *in deſtructionem carnis* oportet eſſe.

MATTH. CAP. IX. VERS. 2, 5.

VERS. 5. *Utrùm enim eſt facilius, dicere*, *Remiſſa ſunt tibi peccata*, &c.

Verum quidem Phariſæi dicebant, cùm dixerunt, *Nemo remittere poteſt peccata niſi ſolus Deus*: ſed quia neſciebant de quo loquerentur, blaſphemabant, cùm dixerunt, *Hic homo blaſphemat.* I. Hâc *Chriſtus* reſponſione, *Utrùm facilius eſt*, &c. non quærit utrùm facilius ſit hæc verba pronunciare; ſed utrùm reipſa facilius ſit peccata remittere, quàm Paralyticum curare? II. Intelligit, faciliùs ſe dicere potuiſſe, *Surge*, *tolle grabatum tuum*, *& ambula*: facile enim fuit Prophetæ miraculorum patrandorum poteſtatem habenti, id facere. Sed III. dixit, *Peccata remiſſa ſunt tibi*, eo conſilio ut non tantùm ex his verbis colligerent, ſed etiam ex effectu ſecuturo, habere ipſum poteſtatem remittendi peccata. Ut ſuam omninò poteſtatem duabus præcedentibus curationibus, quas priores Hiſtoriæ referunt, oſtenderat, dum Dæmonium ejiceret, lepramque curaret; ita ſuam jam magis multò

tò

MATTH. CAP. IX. VERS. 5, 9.

tò majoremque poteſtatem oſtendit. Fortè-que deditâ operâ hæc verba, *Remittuntur tibi peccata tua*, potiùs adhibet ut hominem ſanet, quàm hæc, *Surge, tolle grabatum tuum*; non tantùm quia oſtendere voluit ſuam condonandi peccata poteſtatem, ſed quia doctrinam remiſſionis peccatorum illuſtrem reddere volebat coram iis Phariſæis, qui legali tantùm juſtitiæ innitebantur. Atque ita ſimul ac ſemel oſtendere voluit magnum opus *Meſſiæ*, *ut ſalvaret populum à peccatis*, *Matth.* 1:21. ipſumque Euangelicæ Doctrinæ argumentum, *fidem* & *remiſſionem peccatorum*: Vidit *eorum fidem*, dixitque, *Remiſſa ſunt peccata tua*.

VERS. 9. *Vidit quemdam ſedentem ad telonium, qui Matthæus dicebatur.*

Suam jam *Matthæus* ſcribit Hiſtoriam, neque pudet ipſum hoc de ſeipſo narrare, ut gratia Dei magis extollatur: dicit enim fuiſſe ſe è peſſimo hominum genere, Publicanum ſcilicet, ut loquitur *Cap.* 10: 3. *Levi* quoque dicebatur: ita enim à *Marco* & *Luca* vocatur. Utrùm alterum eorum nominum ante vocationem habuerit, alterumque poſt, ſupervacaneum fuerit inquirere, cùm nominum geminatio apud Judæos tam frequens fuerit. Filius erat *Alphæi*, aut *Cleophæ*, atque *Chriſto* conſanguineus. Ita unus hic habet quatuor filios Apoſtolos, *Jacobum* dictum *minorem*, *Judam* dictum *Lebbæum* & *Thaddæum*, *Simonem* dictum *Cananitem*, *Levique* vocatum etiam *Matthæum*.

Matthæus videtur fuiſſe Publicanus in telonio *Capernaum* prope mare, (ita enim ex narratione *Marci* apparet) ut à trajicientibus vectigal colligeret, atque ab iis qui in mari iſto *Galilææ* occupabantur. Hìc autem omittere nequeo gloſſam *Rabbini Solomonis* in *Judic.* 5: 10, 11. *Vos*, inquit, *qui pedites per viam inceditis*, *commemorate quî liberati ſitis à ſtrepitu eorum qui ex inſidiis in vos ejaculabantur*: ליסטים ומוכסין, *latrones hi ac Publicani erant*, *qui turmatim in inſidiis deliteſcebant, ut trajicientes aquas invaderent.* Chaldæuſque Paraphraſtes eodem loco loquitur de *Publicanis ſedentibus prope aquas*. Hucque quoque ſpectare poterit Traditio hæc in Tractatu *Shabbath*, *Perek.* 8. *Efferre atramentum Sabbato ad ſcribendam* קשר מוכסין, *publicam ſchedam*; *aut efferre Publicani ſchedam, illegitimum erat. Gemariſtæ* exponunt quid *Publicanorum ſchedæ* forent: כמה שיעור קשר מוכסים ב׳ אותות *Quanta*, inquiunt, *ſcheda Publicanorum erat? Duæ erant magnæ litteræ ſcriptæ in papyro, aut alio quopiam*, &c. Hæ autem ſchedulæ idcircò tradebantur, ut qui cis aquam debitum vectigal ſolverat, nihil ultra aquam daret, cùm eam oſtendiſſet.

Publicanorum autem jam duo genera erant. Alii enim cambium ſponte exercebant, variâque fraude pecuniam lucrabantur. De his loquitur *Baal Aruch* cùm agit de מוכס, העומד מאליו: *Publicano ſponte cambium exercente*, *eoque quem Romani colligendis à Judæis vectigalibus præficiebant*, (ut inquit *Haggaon*) *quibuſdam autem favebant, alios vexabant, pluſque debito exigebant, atque ita meri latrones erant*, *Aruch* in מכס. Publicanos autem ſive ſponte & electione, ſive officio, tum Scriptura, tum Judæorum etiam Scriptores nigro notant lapillo. Ut in Scripturis plerùmque commemorantur unà cum peccatoribus & meretricibus; ita apud Judaicos Scriptores viliſſimo ſemper hominum generi junguntur. נודרין להרגין לחרמין ולמוכסין: *Vota facta homicidis*, *latronibus & Publicanis violari poſſunt*, Thalm. in *Nedarim*, *Perek.* 3. *halac.* 4. אלו פסולין רועין גבאין ומוכסין: *Hi homines ſunt prophani ac illegitimi, ovium Paſtores, eleemoſynarum Collectores, ac Publicani*, Sanhedr. *Perek.* 1. fol. 24. Et in *Baba Kama*, fol. 94. *Difficilis eſt admodùm pænitentia eleemoſynarum Collectorum ac Publicanorum*, &c. Ex hoc ordine erat *Matthæus* ante vocationem: attamen (tantum *Chriſti* gratia pollet) non Apoſtolus tantùm, ſed & Euangeliſta evadit; primuſque omnium fortè, ut aliqui probabiliter tenent, qui Euangelicam Hiſtoriam ſcripſit. *Matthæus in Judæa Euangelium primus ſcribit*, Euſeb. in *Chron.* ad annum Domini 41.

Digitized by Google

SECTIO XXIV.

JOANNIS CAPUT V.

Paſcha ſecundum à Chriſti Baptiſmo.

VERS. I. *Poſt hæc erat feſtum Judæorum, & aſcendit Jeſus Hieroſolymam.*

II. *Eſt autem Hieroſolymis ad* (a) portam *pecuariam, Piſcina quæ nominatur Hebraicè* (b) *Betheſda, quinque* (c) *porticus habens.*

III. *In his jacebat multitudo magna infirmorum, cæcorum, claudorum,* (d) *aridorum, expectantium aquæ motum.*

(a) *Syriacus* Textus hanc clauſulam, ἐπὶ τῇ Προβατικῇ, omittit, atque ita habet: *Erat Hieroſolymis locus ablutionis.* Sed *Arabicus* Textus ipſam etiam vocem Græcam adhibet. Editio *Vulgata* utramque vocem in eodem caſu ponit: *Eſt autem Hieroſolymis probatica Piſcina:* licèt hic Textus jam correctus ſit, teſte *Janſenio:* eandem habet ſyntaxim *Theophylactus.* Sed prætérquàm quòd ab optimis hæc Exemplaribus diſſentiat, dura admodùm rudiſque eſt. *Chaldæus Paraphraſtes* in *Jerem.* 31: 39. loquitur *de Piſcina vitularia:* reddidit enim גויעתה per לבריכת עגלה, vocem Hebræam ſecundùm ſignificationem Hebræam, quâ *boatum* ſonat; interpretando: ubi an Piſcinam hic commemoratam intelligat, viderint docti.

(b) *Betheſda.*] *Vulgata* Editio habet *Bethſaida:* atque ita *Tertullianus* & *Theophylactus*, ut obſervat *Beza:* ſed benè hæc verba addit: *Scripturâ proculdubio propter horum nominum affinitatem, à Librariis, & aliis Hebrææ linguæ imperitis corruptâ.* Nec deſunt etiam inter Catholico-Romanos præcipui Editionis *Vulgatæ* patroni, qui hîc eam deſerant. *Betheſda* igitur, ut communiùs legitur, à quibuſdam exiſtimatur derivata vox, aut compoſita ex בית אשר, quæ vox ſonat *locum effuſionis*, aut *prolapsûs aquarum*; vel quia, ut aliqui volunt, aqua pluvialis de tectis decidua illic colligebatur; aut juxta alios, quia aquæ in Templis uſitatæ, ſubterraneo canale iſthic influebant; aut etiam juxta alios, quia aqua ex alia Piſcina in hanc effluebat; quin etiam ſomniarunt aliqui de ſanguine victimarum illuc fluente. Sed harum opinionum examen ut omittamus, appellatio *loci effuſionis* non eſt ſufficiens peculiaris Piſcinæ diſcrimen, (diſcrimen hujus Piſcinæ à reliquis aſſignat interim, ut patet, Euangeliſta) cùm convenire poſſit cuivis prope *Hieroſolymam*, aut aliam quamvis civitatem Piſcinæ. Textus itaque *Syriacus* magis propriè dixit eſſe בית חסדא, ſive *locum miſericordiæ*, ob curandorum morborum virtutem.

(c) Græca vox Στοὰ, quæ Latinè ſemper redditur *Porticus*, Anglicè *Porch* dicitur: ubi quædam ambiguitas occurrit, ob ſingularem quandam, quam huic voci annectimus *Angli*, ſignificationem. Hâc voce tantùm intelligimus πρόθυρον, hoc eſt, primum quaſi atrium domûs, aut Templi; neque alio eam ſenſu uſurpamus: cùm tamen Græca Latinaque vocabula, voxque Rabbinica סטין, eadem atque Στοὰ, vulgò ſemperque ſignificent clauſtrorum ambulacra, non abſimilia ambulacris Regii Emporii *Londinenſis*, ambulacra ſcilicet ſuperiùs tecta, & quorum tecta pars aſſurgentibus à lateribus utrimque columnis inniteretur. Hac ſuper re in deſcriptione Templi fusè diſſeruimus; ibique explicuimus oſtendimuſque fabricam Στοᾶς Σολομῶντος, *Porticûs Solomonis* in Scripturis commemoratæ, & Στοᾶς Βασιλικῆς, *Regiæ Porticûs* de qua *Joſephus*, & סטין לפנים מכטין, *clauſtri intra clauſtrum*, de quo Thalmudiſtæ. Atque ita vox hæc hoc loco intelligenda, quòd prope muros forent ambulacra quædam in quibus ab aëris injuriis tutus populus obambularet. Textus *Syriacus* utitur voce communi *Thalmudica* אסטוא, quæ quidem ipſa eſt Græca vox Στοὰ Hebraicè reddita.

(d) Quorum nervi contracti forent, ut 1 *Reg.* 13: 4. *Matth.* 12: 10. tria tantùm infirmorum genera nominantur, licèt alii etiam infirmi hic expectarent: ſed morbidi hîc nominati curatu difficiliores erant, minimèque omnium ad deſcenſum in aquas, ubi motæ erant, diſpoſiti.

IV. *An-*

IV. *Angelus enim deſcendebat præſtituto tempore in Piſcinam, & turbabat aquam: itaque qui primus ingreſſus erat poſt aquæ turbationem, ſanus fiebat à quocunque detineretur morbo.*

V. *Erat autem quidam illic triceſimum octavum annum agens in infirmitate.*

VI. *Hunc quum vidiſſet Jeſus jacentem, & cognoviſſet eum jam multum temporis egiſſe* in morbo, *dicit ei, Cupis ſanus fieri?*

VII. *Reſpondit ei infirmus ille, Domine, non habeo qui, quum turbata fuerit aqua, immittat me in Piſcinam: ſed interim dum ego venio, alius ante me deſcendit.*

VIII. *Dicit ei Jeſus, Surge, attolle grabatum tuum, & ambula.*

IX. *Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulat: erat* (e) *autem Sabbatum die illo.*

X. *Judæi ergo dicebant ei qui curatus fuerat, Sabbatum eſt, non licet tibi attollere grabatum.*

XI. *Reſpondit eis, Qui me ſanum fecit, is mihi dixit, Attolle grabatum tuum, & ambula.*

XII. *Interrogaverunt eum ergo, Quis ille eſt qui dixit tibi, Attolle grabatum tuum, & ambula?*

XIII. *Is autem qui ſanatus fuerat, neſciebat quis eſſet: Jeſus enim* (f) *evaſerat è turba quæ erat in illo loco.*

XIV. *Poſtea invenit eum Jeſus in Templo, & dixit ei, Ecce, ſanus factus es: ne pecca ampliùs, ut ne quid deterius tibi fiat.*

XV. *Abiit homo ille, & nunciavit* (g) *Judæis Jeſum eſſe à quo ſanatus fuerat.*

XVI. *Ac propterea perſequebantur Judæi Jeſum, & ſtudebant eum interimere, quòd iſta feciſſet Sabbato.*

XVII. *Jeſus autem reſpondit eis, Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor.*

XVIII. *Propterea ergo magis ſtudebant eum Judæi interimere, quia non*

(e) *Erat autem Sabbatum die illo.*] Mirabili hac phraſi induci quis poſſet, ut crederet nomine *Sabbati* non intelligi hîc Sabbatum in proprio ſenſu, ſed unum tantùm è feſtis diebus ſeptimanæ Paſchaticis, ut quidam volunt: ſed non comperimus Euangeliſtam de Sabbato niſi ſenſu proprio loqui. Nomine *Sabbati* igitur non tantùm *Sabbatiſmus*, ſed & ipſe dies intelligendus venit.

(f) Ἐξένευσεν.] Verbum hoc à quibuſdam Interpretibus dubiæ originis ſit: utrùm ſcilicet ab ξενεύω, aut ab ἐκνεύω. Poſterior derivatio certior eſt, tum quia ſenſui Textûs magis congruit, tum quia ſimile quid in Veteri Teſtamento occurrit, ut 2 *Reg.* 23: 16. *Ut Joſiah vertit ſe, vidit ſepulchra*, &c. habent *Septuaginta*, Καὶ ἐξένευσεν Ἰωσίας, καὶ εἶδε, &c. Ita *Jeſus*, ubi hominem curaſſet, avertit ſe, abiitque. Cùm hunc tantùm diutinâ infirmitate laborantem curandum ſuſcepiſſet, populo magis innoteſcere, quàm neceſſe erat, noluit. Quid populum impulerit ut huc conflueret, difficile dictu eſt. Frequens erat jam *Hieroſolymis* populus ob feſtum Paſchatis: utrùm autem ambulacra plena forent pauperibus, qui ſibi commodiores ædes providere non poterant; (fortè enim hunc in ſcopum conſtructa fuerint) aut utrùm turba illuc *Chriſtum* ſecuta fuerit, aut eò frequens venerit excita rumore hominis curati, examinet qui voluerit.

(g) *Judæis.*] Hoc eſt, *Synhedrio* & Rectoribus: hos enim Euangeliſtæ, & hîc præſertim, hac voce intelligunt, ut *Cap.* 1: 19. *Judæi miſerunt Sacerdotes & Levitas Hieroſolymâ.* Cap. 7: 1. *Quærebant Judæi ut eum occiderent.* Cap. 9: 22. *Conventum eſt inter Judæos ut Synagogâ excluderent*, &c. Cap. 18: 12. *Miniſtri Judæorum ceperunt Jeſum.* Verſ. 14. *Caiphas autem ſuadebat Judæis*, &c. Quare *Chriſtus* hîc coram *Synhedrio* citatur, licèt totidem id verbis Euangeliſta non dicat, cogiturque capitis periculo reſpondere de violato Sabbato curatione hominis illius.

ſolùm

ſolùm ſolviſſet Sabbatum, ſed & Deum dixiſſet patrem ſuum, parem ſe faciens Deo.

XIX. *Reſpondit ergo Jeſus, & dixit eis, Amen, amen dico vobis, non poteſt Filius à ſemetipſo operari,* id eſt, *niſi viderit Patrem operantem: quæcunque enim ille facit, hæc etiam Filius pariter facit.*

XX. *Pater enim amat Filiùm, & omnia oſtendit ei quæ ipſe facit: & opera iſtis majora oſtendet ei, ut vos miremini.*

XXI. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos & vivificat, ita & Filius quos vult vivificat.*

XXII. *Nec enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio:*

XXIII. *Ut omnes honorent Filium prout honorant Patrem. Qui non honorat Filium, non honorat Patrem ut qui miſerit eum.*

XXIV. *Amen, amen dico vobis, qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me, habet vitam æternam, & in condemnationem non veniet, ſed tranſibit à morte in vitam.*

XXV. *Amen, amen dico vobis, adventat tempus, & nunc eſt, quum mortui audient vocem Filii Dei; & qui audierint, vivent.*

XXVI. *Sicut enim Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſeipſo.*

XXVII. *Et auctoritatem ei dedit etiam judicium exercendi,* (h) *quatenus Filius Hominis eſt.*

XXVIII. *Ne hoc miremini: nam veniet hora quâ omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem ejus:*

XXIX. *Et prodibunt qui bona fecerint, in reſurrectionem vitæ; qui verò mala egerint, in reſurrectionem condemnationis.*

XXX. *Non poſſum ego à meipſo facere quicquam. Prout audio judico; & judicium meum juſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me,* id eſt, *Patris.*

XXXI. *Si ergo teſtor de meipſo, teſtimonium meum non eſt firmum.*

(h) Hoc modo vigeſimum hunc verſum & ſeptimum legunt, licèt Verſio *Anglicana* paulò aliter ſe habeat, Textus *Syriacus*, *Chryſoſtomus*, aliique nonnulli ipſum ſecuti: atque idcircò, maximè *Chryſoſtomus*, quòd *Paulus Samoſatenus* verſiculo hoc, ſecundùm *Anglicam* Verſionem ita legendo, *Et auctoritatem ei dedit etiam judicium exercendi, quatenus Filius Hominis eſt*, abuteretur ad negandam *Chriſti* Divinitatem, unde ita argumentabatur: Si authoritas exercendi judicii data ſit *Chriſto*, quia Filius Hominis erat; hanc ergo poteſtatem à ſeipſo ut Deo non habuit. Cui argumento ita reſpondit *Chryſoſtomus*: Si Pater dederit poteſtatem judicandi Filio, ideò quia homo erat; ergo eandem omnes cum homines ſint, judicandi poteſtatem haberent. Unde patet coactum eum fuiſſe jungere clauſulam hanc verſui ſequenti, *Quatenus Filius Hominis eſt*, &c. ut vim propoſiti ab Hæretico argumenti eluderet: quod meliùs impugnatum fuiſſet, nullâque Textui illatâ vi, ſi locutio hæc, *Filius Hominis*, cautè expoſita fuiſſet, privilegiaque *Filii* ut *Meſſiæ* obſervata. Quòd autem *Anglicana* Verſio clauſulam hanc, *quatenus eſt Filius Hominis*, vel, *quòd ſit Filius Hominis*, præcedentibus, non ſequentibus verbis jungat, ita fieri debere ex ipſo ſenſu liquidò liquet; præterquàm quòd ipſa etiam Antiquitas conſentiat. *Auguſtinus eam diſtinctionem ſequitur, quàm ille* (Chryſoſtomus) *Samoſateno tribuit*, (verba *Bezæ* ſunt) *ut planè appareat Latinam Eccleſiam ſemper ita legiſſe. Conſentiunt omnes veteres Græci Codices quos vidimus. Cyrillus quoque non aliter diſtinguit.* Addere poteram, *Nec aliter diſtinguit Arabs*: legit enim ut *Anglus*, vel potiùs *Anglus* legit ut *Arabs*.

Idem *Beza* in ſua Verſione Textûs *Græci* reddit ita: *Ut Filius Hominis eſt*: cautè quidem ſatis, ſed non habitâ ratione linguæ.

XXXII.

Digitized by Google

XXXII. *Alius eſt qui teſtatur de me, & ſcio firmum eſſe teſtimonium quod teſtatur de me.*

XXXIII. *Vos miſiſtis ad Joannem, &* is *teſtimonium dedit veritati.*

XXXIV. *Ego autem ab homine teſtimonium non capto: ſed hæc dico ut vos ſervemini.*

XXXV. *Ille* erat *lucerna ardens & lucens: vos autem voluiſtis ad momentum exultare ejus luce.*

XXXVI. *At ego teſtimonium habeo majus* teſtimonio *Joannis: opera enim quæ dedit mihi Pater ut ea conſummem, ipſa,* inquam, *opera quæ ego facio, teſtantur de me quòd Pater miſerit me.*

XXXVII. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtatus eſt de me. Neque vocem ejus unquam audiſtis, neque ſpeciem ejus vidiſtis.*

XXXVIII. *Et ſermonem ejus non habetis in vobis manentem: quia quem miſit ille, huic vos non creditis.*

XXXIX. (i) *Scrutamini Scripturas, quia vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere: & illæ ſunt quæ teſtantur de me.*

XL. *Sed non vultis venire ad me, ut vitam habeatis.*

XLI. *Gloriam ab hominibus non capto.*

XLII. *Sed vos novi charitatem Dei non habere in vobis.*

XLIII. *Ego veni nomine Patris mei, nec recipitis me; ſi venerit alius nomine ſuo, illum recipietis.*

XLIV. *Quomodo vos poteſtis credere, quum gloriam alii ab aliis captetis, & gloriam illam, quæ à ſolo Deo proficiſcitur, non quæratis?*

XLV. *Ne putate me accuſaturum vos apud Patrem: eſt qui accuſet vos, Moſes, in quo vos ſperatis.*

XLVI. *Si enim crederetis Moſi, crederetis mihi: nam ille de me ſic ſcripſit.*

XLVII. *Quòd ſi ſcriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?*

(i) 'Ερευνᾶτε.] Ex ipſo verbo colligendum eſt utrùm *Chriſtus* hîc loquatur imperativè, an narrativè, quod ſcilicet Scripturas reipſa ſcrutarentur. Priore ſenſu à pleriſque ferè recipitur, quòd nempè præſcribat ipſis ſtudium Scripturæ, jubeatque Scripturas ſcrutari. Hunc autem ſenſum præcipuè inſinuat Græca vox, quæ ſeriam inquiſitionem indicat. Ita pariter *Italicè* reddit *Brucioli*, *Guardate diligentemente.* Sed ſenſum potiùs indicativi modi uſurpavero, *Scripturas ſcrutàmini,* has præſertim ob cauſas. I. Ob id quod ipſo in verſu dictum eſt, *quia videmini vobis in ipſis vitam æternam habere:* quibus verbis non tam eò collimat *Chriſtus*, ut oſtendat quid in Scripturis obtinere poſſint, quia tùm dicere debuiſſet, *in illis vitam æternam habere poteſtis*; quàm ut falſam Judæorum opinionem refutet, qui vitam ſe æternam ſtudio Legis *ex opere operato* obtinere ſe poſſe exiſtimabant. II. Ob versûs ſequentis contextum, cujus hîc apertè ſenſus eſt: *Scripturis diligenter vos ipſi applicatis, ipſaque de me teſtantur; ad me tamen venire non vultis:* cujus, inquam, Textûs clarior ſenſus hic eſt, quàm ſi hoc modo exponatur, *Volo ut ſcrutemini Scripturas; de me enim teſtantur: & non vultis ad me venire,* &c.

Ratio Ordinis.

UT hujus Sectionis ordo innoteſcat, (nuſquam enim in toto Euangelio difficilior eſt Hiſtoriæ connexio) feriò perpendere nos oportet duas ſubjungendas mox quæſtiones, iiſque reſpondere.

Quæſt. I Cùm Sectio proximè prior vocatione *Levi* finiatur, ad quam Hiſtoriam Euangeliſtæ serieſque Hiſtoriæ nos ducunt; cùmque omnes Euangeliſtæ de *Levi* vocatione locuti, de convivio quoque ab ipſo *Chriſto* parato locuti ſint verſu etiam proximè ſequente, quaſi convivium illud die proximè vocationem ejus ſequente, aut etiam eodem contigiſſet: quâ demùm ratione ejus vocationem conviviumque ab eo paratum ſejungere poſſu-

mus, ut reipſa ſejunximus, cùm utrumque Textus omnes conjungant? *Matth.* 9: 9, 10. *Marc.* 2: 14, 15. *Luc.* 5: 27, 28, 29.

Reſp. Ut lector invenire poterit tempus vocationis *Levi*, ut in præcedente Sectione exponitur, evidentiæ Hiſtoriæ hucuſque continuatione; ita loco ſequente comperiet tempus vocationis ipſius non fuiſſe tempus convivii, ſed convivium diu poſt ipſius vocationem contigiſſe. Locus autem hic eſt: *Matth.* 9: 17. dicitur *Jairus* veniſſe ad *Chriſtum* ut filia ipſius curaretur, dum *Chriſtus* loqueretur de Filiis thalami non jejunantibus, deque non mittendo vino in utres novos; quæ quidem, ut docet *Lucas*, Cap. 5: 29, 30, 31, 32, 33, 34. &c. in convivio *Levi* dicta ſunt. Jam acceſſus *Jairi* ad obtinendam filiæ curationem comperietur ab eo qui ſeriem Hiſtoriæ examinare voluerit, diu poſt illud tempus quod manifeſta Hiſtoriæ ſeries vocationi *Levi* in præcedente Sectione aſcribit; eodemque intervallo convivium *Levi* ſejungendum eſt.

Quæſt. II. At cùm Hiſtoria vocationis *Levi*, ejuſque convivii Hiſtoria ſeparandæ ſint, cur quintum hoc *Joannis* Caput proximum narrationi vocationis illius, potiùs quàm ullam aliam partem Hiſtoriamve Euangeliſtarum apponamus?

Reſp. Hujus rei ratio confirmatioque proprii ordinis hujus Capitis ex hiſce duobus duceſcunt.

I. Quia convivium hic commemoratum in principio Capitis, erat convivium Paſchatis; quod quidem aliqui negant, ut *Cyrillus* & *Chryſoſtomus*, &c. dicuntque eſſe convivium Pentecoſtes. (fortè ita exiſtimarunt, quia Paſcha erat convivium poſtremò commemoratum antè, *Cap.* 2: 23. Paſchaque tam citò commemoratur poſteà, *Cap.* 6: 4.) His tamen argumentis confirmari poteſt, I. Cùm unus *Joannes* Euangeliſta tempus publici *Chriſti* Miniſterii indicandum ſuſcipiat, illud numero Paſcharum numerando; Miniſterium *Chriſti* duorum tantùm annorum foret & dimidii à Baptiſmo ad mortem, quod juxta *Danielis* Prophetiam, typoſque præcedentes trium annorum & dimidii eſſe debuerat, ut ſuperiùs patefactum eſt. II. Cùm *Chriſtus* foret in campo *Samaritano*, quatuor tùm tantùm menſibus meſſis diſtabat, ut obſervatum eſt *Joann.* 4: 35. Meſſis autem inchoata eſt ſub Paſcha, quo tempore primitias offerebant, ut primùm falx in frumentum immittebatur. Quatuor igitur menſibus ante Paſcha hæc verba *Chriſtus* dixit, aut ſub exitum menſis noſtri *Novembris:* quod tempus inter & Paſcha nullum erat feſtum. (niſi feſtum Dedicationis contigerit poſtquàm hæc verba dicta ſunt, quod quidem tam ſolemne *Hieroſolymis* non fuit, quàm aliis in locis, neque ullus illius ergò adeſſe tenebatur; neque ad illud celebrandum proficiſci *Chriſtus* potuit poſt hæc verba pronunciata, ſi poſteà id contigerit, ſi attendamus quantum temporis in *Galilea* conſumpſerit) Hoc itaque feſtum ab Euangeliſta hìc commemoratum, cùm ad nullum aliud ire *Chriſtus* potuerit, feſtum haud dubiè Paſchatis fuit: quæ fortè cauſa fuerit cur feſtum Paſchæ disertis verbis Euangeliſta non nominarit, licèt illud intenderet, quia loco eo Capitis quarti ita intelligendum neceſſariò erat, licèt non exprimeretur.

II. Reſpice finem ultimæ Sectionis circa vocationem *Levi*, tum quid ſequi debeat, cùm ipſius convivium conſecutum non ſit, ut obſervatum fuit; diſceſque mox ex duobus Euangeliſtis *Marco* & *Lucâ*, narrationem proximè ſequentem fuiſſe de Diſcipulis ariſtas vellentibus. *Levi* quidem convivium, Diſcipulorumque eo tempore interrogationem circa jejunium interpoſuerunt, quia ſimul ac ſemel *Levi* Hiſtoriam abſolvere volebant. Sed ſat ſuperque is viderit, qui ſeriò ordinem Hiſtoriæ obſervare voluerit, ipſius convivium ſub vocationem ipſius non contigiſſe, ſed diu poſt: cùm narrationem de vellendis ariſtis ſancti hi duo Scriptores proximè inſtituant, admittamus oportet Paſcha medium interveniſſe. Nam ante Paſcha maturitatem frumentum conſecutum non fuerat; neque licebat immittere falcem in frumentum, donec primitiæ oblatæ fuiſſent ſecundo poſt Paſcha die; neque ariſtas etiam comedendas vellere, donec primitiæ oblatæ frumentum ad eſum ſanctificaſſent, ipſiſque liberum foret falcem in meſſem immittere. Sed uno *Lucas* verbo rem indubiam fecit: dicit enim vulſionem ariſtarum contigiſſe ἐν Σαββάτῳ δευτεροπρώτῳ, hoc eſt, primo Sabbato poſt ſecundum diem hebdomadis Paſchæ: quo ſecundo die primum ſpicarum faſcem offerebant, & à quo hebdomadas & Sabbata ſua uſque ad Pentecoſten numerabant. Inter *Levi* itaque vocationem, ſpicarumque avulſionem Paſcha haud dubiè medium interceſſerit, feſtumque commemoratum in principio hujus Capitis neceſſariò Paſcha fuerit, alioquin hoc Paſcha nullibi commemoratum invenies; neque in ulla

parte

Digitized by Google

JOANN. CAP. V. VERS. 1.

parte Hiſtoriæ Euangelicæ hoc feſtum, Hiſtoriamque *Joann.* 5. concomitantem aptiùs commodiùſque locaveris.

Ad clariorem autem harum rerum obſervationem, intueamur tempus progreſſumque *Chriſti* ex quò fuit in campo *Sichar* ad puteum *Jacob*, cùm dicit ſuperfuiſſe quatuor menſes ad meſſem, aut ad Paſcha, cùm meſſis incepit, adque hoc feſtum, quod Paſcha proximum aſſerimus. Biduum commoratus eſt in *Samaria*; inde ivit in *Galilæam*, *Joann.* 4: 43. ibi in *Synagogis* eorum concionatur; tandemque venit ad *Nazareth* natale ſolum, *Luc.* 4: 14, 15, 16. cum *Joanne*, *Joann.* 4: 43, 44. cùm illîc non admitteretur, inque periculo foret, deſcendit *Capernaum*, ibique habitat, *Math.* 4: 13. quatuor Diſcipulos vocat, *Luc.* 5: 1. &c. Remanet in *Capernaum* aliquot Sabbatis, *Luc.* 4: 31. eodem Sabbato ejicit Dæmonem, curat matrem uxoris *Petri*, varioſque alios infirmos; peragrat *Galilæam*, prædicatque in *Synagogis* ejuſdem, *Marc.* 1: 23, 30, 32, 39. curat leproſum in una illarum civitatum, *Luc.* 5: 12. redit *Capernaum*, curatque Paralyticum, vocatque *Levi* à telonio, *Marc.* 2. jamque quatuor facilè menſes effluxerint, Paſchaque hoc ipſo in Capite aut nuſquam ullum reperiemus.

Harmonia & Explanatio.

VERS. 1. *Jeſus aſcendit Hieroſolymam*, &c.

Conſtans *Chriſti* diebus feſtis in urbem *Hieroſolymitanam* profectio non tantùm Legi ipſum probabat obedientem, quæ eam exigebat, ſed etiam ipſius cum Eccleſia *Iſraëlitica* communionem: ejuſcemodi enim ſubmiſſio communionis etiam communicationiſque ſymbolum erat. Tùm opportunè admodùm, quantum videbatur neceſſe, ſeipſum revelare poterat, affluentibus undique congregatiſque populis, qui ſpectatores & auditores verborum ejus ac factorum forent. Paſchate ante hoc commemorato; jam ſcilicet à duodecim menſibus elapſo, multa illîc miracula patrarat: quare non potuit non haberi Doctor à Deo miſſus, ut *Nicodemus* eum eſſe profitetur, *Cap.* 3. In Paſchate hac Sectione commemorato magnum patravit miraculum curatione hominis tamdiu infirmi: ſed quia bonum hoc opus die Sabbati factum eſt, quod offendiculo Judæis fuit, *Cap.* 7: 21, 23. propterea citatur ad *Synhedrium*, ut pro ſe reſpondeat; ubi dilucidè fuſèque non tantùm fatetur ſe *Meſſiam*, ſed probat, ut nuſquam clariùs in Euangelio id effecerit: habitamque ad eos hîc orationem conſulere eos jubet, cùm petunt quis eſſet, quaſi manifeſtam adeò, ut ulteriore nullâ res probatione egeret, niſi ſponte cæcutiiſſent. *Cap.* 8: 25. *Dixerunt ipſi, Tu quis es? Et Jeſus dixit ipſis, Etiam idem ipſe quem dixi vobis ab initio.* Cap. 10: 26. *Dixerunt ipſi, Si tu es Chriſtus, diſertis verbis dic nobis. Reſpondit Jeſus, Dixi vobis, & non credidiſtis*, &c. Prædicarat antè *Regnum cœlorum*, aut revelationem *Meſſiæ* prope fuiſſe: atque hîc coram Concilio hanc doctrinam confirmat, illuſtratque clariſſimis, quibus ſe *Meſſiam* probaret, argumentis. Quî è Concilio diſceſſerit poſt probatum ſe tam dilucidè *Meſſiam*, Euangeliſta non docet. [intra ſeptimanam, ut in agro frugibus conſito ambulabat, de Sabbato coactus eſt rurſùs, ut hîc, diſſerere, ſeſeque defendere] Quicquid fecerit aut dixerit *Synhedrium*, manifeſtâ hac ſui revelatione omnem ab ignorantia excuſationis locum ſuſtulit: ipſum enim jam non poterant non noſſe. Lector hîc animadvertens quàm clarè *Chriſtus* coram *Synhedrio* de ſeipſo hoc tempore loquatur, idem ſæpe in Hiſtoria poſteà obſervare poterit, atque indè aliquid quod ipſi uſui ſit diſcere.

JOANN. CAP. V. VERS. 1, 2.

VERS. 2. *Eſt autem Hieroſolymis ad Portam Pecuariam Piſcina quæ nominatur Hebraicè Betheſda.*

Situs, virtuſque medica hujus Piſcinæ negotium faceſſunt Interpretibus ejuſmodi, ut nullus alius in Euangelio locus magis ipſos torqueat: ſitum enim cauſamque virtutis hujuſce medicæ difficillimè reperiunt; jejunè enim adeò de utroque tum Vetus Teſtamentum, tum *Joſephus* ac *Thalmudiſtæ* diſſerunt, ut quicunque eos examinarint, qualeſcunque tantùm inde conjecturas ducere potuerint. Atque *Anabaptiſtæ*, ut *Toletus* refert, hanc Hiſtoriam meram eſſe fabulam putarunt, impiâ omninò blaſphemiâ rejicientes quod non intelligebant, aut eorum opinionem redarguebat.

Dum duo hæc adeò obſcura examinamus, non multùm ſolliciti erimus de reperiendo ſubſtantivo quod voci προβατικῇ conveniat; utrùm ſcilicet intelligere debeamus *Forum Probaticum*, an *Portam Probaticam*: adeò enim propinqua erant, ut alterum ab altero appellatum fuerit; unde res ea nihil nobis faceſſet negotii. *Portam* potiùs *Probaticam* intellexero, ut plerique intellexerunt: ejuſmodi enim Por-

JOANN. CAP. V. VERS. 2.

ta in Scripturis nominatur, *Nehem.* 3: 1, 32. & 12: 31. diciturque Πύλη προβατικὴ à *Septuaginta.*

I. Hæc Porta ſita erat verſus Meridiem: huc enim ab Oriente declinabat comparatè ad ultimum civitatis murum, ut hinc colligere licet. I. *Nehemias* dum numerat portas, contemplaturque hunc circa civitatem murum, incipit à Porta Probatica, reditque rurſus in orbem ad eandem, *Nehem.* 3: 1, 32. II. Progreditur ab Oriente per murum Meridionalem, atque hinc ad Occidentem, Septentrionem, Ortumque rurſus. Si hoc loco urbs *Hieroſolymitana* propoſita foret, hoc oſtendi poſſet è præcipuis in illo Capite contentis. Sat oculato fuerit, ut animadvertat hâc eum viâ progreſſum eſſe, cùm videt eum aſcendere à Piſcinâ *Siloam* ad Occaſum ſitâ, ut ſtatim oſtendetur, prope aſcenſum ad *Sionem*, atque ita ſurſum per *Sionem* ad ſepulchrum *Davidis*, verſ. 15, 16. ac pone domum Regis ad Septentrionem, *verſ.* 24. tandemque ad plagam Orientalem pervenit, ad *Portam Aquaticam*, verſ. 26. ad *Ophel*, verſ. 27. adque *Portam Equinam*, verſ. 28. ad Ortum, *Jerem.* 31: 40. perque angulum à Meridie in Ortum declinantem ad *Probaticam*, à qua digreſſus fuerat, redit, *verſ.* 32.

II. *Piſcina* hæc *Betheſda*, eadem, puto, eſt atque ea quam *Joſephus* vocat *Piſcinam Solomonis* in hoc textu lib. 5. *de Bello*, cap. 13. ubi his verbis poſtremi muri ſitum deſcribit. Πρὸς δύσιν διὰ τοῦ Βηθσὼ καλουμένου χωρίου κατατεῖνον ἐπὶ τὴν Ἐσσηνῶν πύλην, καὶ ἔπειτα πρὸς νότον ὑπὲρ τὴν Σιλωὰμ ἐπιστρέφον πηγὴν, ἔνθεν τε πάλιν ἐκκλῖνον πρὸς ἀνατολὴν ἐπὶ τὴν Σολομῶντος κολυμβήθραν, καὶ διῆκον μέχρι χώρου τινὸς ὃν καλοῦσιν Ὀφλᾶς, τῇ πρὸς ἀνατολὴν στοᾷ τοῦ ἱεροῦ συνῆπται. *Ad Occidentem per vallem Bethſo dictam ad Eſſenorum Portam porrigitur, tum verſus Meridiem circum fontem Siloam ducitur; hinc gyrat ad Ortum ad Piſcinam Solomonis; productus hic murus ad Ophel extenditur ad Orientale clauſtrum Templi.* In hac hujus muri deſcriptione facilè quis animadvertet, regredi eum eâ viâ, quâ *Nehemias* progreſſus fuerat, infraque gyrum anguli ab Oriente in Meridiem declinantem (ubi *Portam Probaticam* ponimus) ſtatuit ille *Piſcinam Solomonis* ad Ortum. Examinet quis ſeriò *Portæ Probaticæ* in *Nehemia*, hujuſque *Piſcinæ Solomonis* in *Joſepho* ſitum, nullumque circa urbem *Hieroſolymitanam* inveniet locum, qui potiùs, quàm hic *Betheſda* exiſtimari debeat.

III. Aquæ hujus Piſcinæ canale deducebantur ad fontem *Siloam*. Quod ut meliùs intelligatur, ſciendum eſt I. *Gihon* & *Siloam* fuiſſe idem: atque ita *Chaldæus Paraphraſtes* hæc verba reddit, 1 *Reg.* 1: 33. *Adducite eum ad* Gihon; & *verſ.* 38. *Adduxerunt eum ad* Gihon: *Adducite eum ad* Siloam; *& adduxerunt eum ad* Siloam. Atque *Rabbi Solomon*, & *David Kimchi* in eundem locum dicunt, *Gihon* eſt *Siloam*. II. Fons *Gihon* aut *Siloam* geminis canalibus geminas in Piſcinas influebat, quarum altera dicebatur ſuperior, altera inferior: vide *Iſaj.* 7: 3. & 2 *Reg.* 18: 17. Inferior Piſcina *Piſcina Siloam* dicebatur, *Joann.* 9: 7. *Nehem.* 3: 15. ad Occidentalem urbis plagam ſita, huc deducta ab *Ezechia*, 2 *Paral.* 32: 30. Superior Piſcina *Piſcina Solomonis* erat, *Piſcina vetus* dicta, *Iſaj.* 22: 11. ab antiquo illo ejus conditore. Aquæ ad eam influxus cohibitus eſt ab *Ezechia*, ut aqua ad Piſcinam ſuam *Siloam* uberiùs flueret, prope hortos ipſius, *Nehem.* 3: 15. Sed rurſus patefactus eſt aquis aditus, dum periculum civitati immineret, nec ampliùs interclusus eſt. Atque fons *Siloam* ad Meridionalem civitatis plagam ſitus, duabus Piſcinis aquas ſuppeditabat, quarum altera ſita erat ad Occidentalem *Sionis* plagam, dicebaturque *Siloam*; altera ad Occidentalem urbis *Hieroſolymitanæ* plagam, dicta à fundatore *Solomonis*, & nunc *Betheſda* ob ſummam virtutem.

IV. Quî autem & quando publicum hoc beneficium in populum collatum ſit, difficile dictu eſt. Facilius eſt ea afferre quæ hac de re alii dixerunt, quàm è propria ſuppellectile argumentum quodpiam, quo fiat ſatis, expromere. Aliorum autem hac ſuper re opinionibus ſat notis hîc non inhærebo; ſed meaſmet hac ſuper re conjecturas ipſe proponam. I. Aquæ *Siloam*, etiam juxta ſenſum Domini, ſignificabant & exhibebant *Davidis Chriſtique* regnum, *Iſaj.* 8: 6. Ob hanc autem ſignificationem *Levi Gershom* aliique Judæi benè animadvertunt, *Davidem* voluiſſe *Solomonem* ad *Siloam* inungi, aut ad *Gihon*, in ſignum continuandi ipſius regni, ut hujus fontis ſcaturigo perennis erat, ejuſque rivuli longè lateque fundebantur. Cùmque Deus has aquas illius regni typum feciſſet, tanti eos Judæi faciebant, ut his verba Prophetæ applicarint, *Iſaj.* 12: 3. *Cum gaudio educetis aquas ex puteis ſalutis*; haſque proinde aquas hauriebant effundebantque in feſtis Tabernaculorum, dum gaudio exultarent: quin etiam dicere audebant, משם שאבים רוח הקודש. *Educere*

Digitized by Google

JOANN. CAP. V. VERS. 2.

cere ſe inde Spiritum Sanctum*, Thalmud Hieroſ. in *Succah*, fol. 55. II. Fortè itaque non omninò abs re fuerit, ſi dixerimus cùm Deus has aquas tam ſublime regnum ſignificare voluerit, cùmque ob hanc ſignificationem ac ſimilitudinem tanti eæ aquæ à populo fierent; placuiſſe ei ſub adventum *Meſſiæ* promiſſi Regis, medicâ has aquas virtute donare, qualis ea eſt, de qua Hiſtoria noſtra agit. Ut itaque *Chriſti* regnum hæ aquæ hactenùs repræſentarant; ita vis earum medica virtutem ipſius curandi morbos jam ſignificabat, *Mal.* 4: 2. indèque prætereà fiebat, ut populus exiſtimaret gloriam regni *Davidici* in propinquo eſſe ut fulgeret, cùm tam inſolita miraque virtus iis in aquis eam ſignificantibus conſpiceretur. Ita cùm tempus *Iſraëlitis* promiſſum in *Ægypto* propinquavit, ſupernaturalem, ut ita loquar, conſtituit Deus naturæ curſum ad educationem generationemque liberorum ipſorum, *Actor.* 7: 17.

V. Neminem conabor ad meam adducere opinionem: duo tantùm ſuperaddam obſervatu digna circa aquas *Siloam*, à quo fonte aquæ *Betheſda* fluxerunt. I. Ut aquæ *Siloam* congregatæ in *Betheſda* ſtupendâ illâ omnium morborum curandorum virtute præditæ erant; ita *Joann.* 9. alterum populum aquis *Siloam* utentem, miraculoſâ cæci nati curatione beavit *Chriſtus*. II. Obſervandum eſt, quàm mirabiliter, & quem in ſcopum inquirere quis poſſet, Spiritus Sanctus vocem Hebraïcam Græcè verterit, *Joann.* 9: 7. *Vade, & lava te in Piſcina Siloam, quod interpretantur Miſſum.* Quem miſſum? Examinet lector cui potiùs quàm Chriſto hæc ſyntaxis applicari poſſit, qui à Patre Deo miſſus eſt, quem aquæ illæ ſignificabant.

Quinque Porticus habens.] Hæ Porticus, ut ſuperiùs obſervatum eſt, intelligendæ ſunt de *ambulacris clauſtrorum*, numero quinque juxta quinquangularem Piſcinæ figuram: numerus enim potiùs retinendus, quàm fingendæ allegoriæ circa eum, quæ lucem Hiſtoriæ non addunt. Utrùm hæc clauſtra ædificata ſint priuſquàm medica aquarum virtus innotuerit, in eorum gratiam qui ad aquas veniebant; an verò poſtquàm innotuiſſet, in eorum gratiam qui apud illas ſpe curationis remanebant, ſupervacaneum eſt inquirere, nec facilè reperire. Communis eſt opinio, in poſteriorum gratiam conſtructa fuiſſe. Sed progrediamur.

Altum apud Judæos ſilentium de medica hac aquarum virtute quis non miretur? qui encomiis privilegiiſque urbis *Hieroſolymitanæ* tam inſignem Hiſtoriam non addiderunt: ne verbum enim, quod ſciam, uſquam faciunt de Hiſtoria *Betheſdæ*. Quo ſanè omninò inducor ut credam, medicam hujus Piſcinæ virtutem præſagiiſſe proximum *Chriſti* adventum: unde ne veritas innoteſceret, hac ſuper re nihil dixerunt.

JOANN. CAP. V. VERS. 2, 4.

Non prætermittam penitùs aliorum quoque de medica hac aquarum virtute opiniones. Duæ magis communes, veroque propriores hæ ſunt.

I. Dicunt itaque aliqui, hac in Piſcina victimas fuiſſe lotas, Deumque ritum ſacrificii hoc miraculo eo in loco facto commendare voluiſſe. Quod ſi verum foret, non inepta applicatio eſt. De ipſius autem rei veritate dubito: ſi enim intelligunt animalia ſacrificanda illîc dum viverent fuiſſe lota, ut non pauci volunt; neque ex Scriptura colligitur, neque à Judæo quopiam ſcribitur ſacrificandum ullum animal illîc fuiſſe lavandum priuſquàm occideretur. At ſi velint viſcera inteſtinaque victimarum illîc lota fuiſſe, ut hæc ſola præter crura lavanda erant, *Levit.* 1:9. facilè ex Scriptura probare quis poterit inteſtina fuiſſe in Templo lota, neque unquam indè educta. Et ipſi *Thalmudiſtæ* locum ad hunc ipſum uſum deputatum oſtendunt, dictum *Cubiculum lavatorium*, de quo alibi diximus, ubi prima deterſio; menſæque erant marmoreæ in area, ubi ſecunda deterſio inſtituebatur.

II. Alii dicunt, mirabili hac aquarum *Betheſdæ* virtute inſinuaſſe Deum aquarum Baptiſmi jam adventantis virtutem. Sed id applicari ſibi Phariſæi poterant, quòd ſcilicet ſuas Deus lotiones jam in uſu hoc miraculo confirmarit. Scio quid hac ſuper re in marginalibus Notis ad *Nehem.* 3. *Tremellius* ſentiat: ſed cùm mecum ipſe perpendo quid hominis *Eliaſhib* fuerit, ad quem hæc opinio adeò ſpectat, parùm mihi iſtâ conjecturâ ſatisfit; cùm præſertim memini, quàm raò Angeli apparuerint, miraculave facta fuerint, à temporibus *Eliaſhib* ad tempus *Chriſti* in carne humana apparitioni proximum.

VERS. 4. *Angelus enim deſcendebat præſtituto tempore in Piſcinam.*

Inanem temporis & laboris jacturam facerem, ſi examinare vellem, utrùm tempus deſcenſûs Angeli omnibus tribus feſtis diebus, aut Paſchate tantùm, aut Pentecoſte tantùm, aut quovis alio tempore contingeret: omnes enim hæ opiniones à quibuſdam

Digitized by Google

JOANN. CAP. V. VERS. 4, 5.

buſdam defenduntur. Vero ſimillimum eſt hoc tempus fuiſſe incertum, illícque excubantes ſuſpicari non potuiſſe quando Angelus venturus eſſet. Utrùm viſibili in forma appareret necne, dubitari poteſt. Licèt autem non videretur, quod veritati conformius eſt, præſentiæ tamen ſuæ tam conſpicua ſigna dabat ipſâ aquæ commotione, vel ebullitionem quandam, vel undulationem excitando, vel quidpiam ſimile faciendo, ut qui adeſſent noſſe poſſent eum adveniſſe. Deus miniſterio Angeli uti voluit; iſque ad curandos ægrotos movebat aquas, non tantùm quia Deus Angelos adhibet plerumque Miniſtros rerum ejuſmodi, nec tantùm quòd merâ aquarum commotio hunc effectum produceret; ſed ut populus ipſis oculis perciperet reſtitutum rursùs Angelorum miniſterium, miraculaque quæ tam infrequentia fuiſſent à morte ferè poſtremorum Prophetarum. Quam ob cauſam omninò cenſeo medicam hanc virtutem non diu ante *Chriſtum* extitiſſe: rari enim inter eos Angeli, raraque conſpecta ſunt miracula in *Judæa*, proximè ante *Chriſti* adventum.

VERS. 5 *Erat autem quidam illìc tricesimum octavum annum agens in infirmitate.*

Chriſtus ſeligit ad curandum, hominem ob diuturnum morbum extra ſpem ſanitatis poſitum. Si retrò reſpicientes initium hujus morbi examinemus, comperiemus incepiſſe hunc morbum ſeptem annos & dimidium ante *Chriſtum* natum: trigeſimum enim jam *Chriſtus* annum & dimidium compleverat: fortèque ipſius morbus virtuti medicæ aquarum *Betheſdæ* coævus fuit. Initia hujus morbi contigerunt proximè poſt Templum finitum perfectumque ab *Herode*, ut tempora examinanti conſtabit. Atque iiſdem fortè temporibus cœperit virtus medica harum aquarum: ut enim Deus adventui *Meſſiæ* jam proximo, quædam, quaſi diſpoſitiones prævias, præmiſit; ita Templum quoque quàm glorioſiſſimum jam effectum, nec unquam futurum illuſtrius, niſi quando Dominus gloriæ illud intrabit; reſtitutioque Angelicæ adminiſtrationis, quædam erant proximi *Chriſti* adventûs ergô conceſſa à Deo privilegia.

Sed ut ut ſit, utrùm morbus hominis coævus necne fuerit medicæ Piſcinæ virtuti, tam diuturnus haud dubiè erat, ut extollendæ *Chriſti* poteſtati aptiſſimè inſervire poſſet.

JOANN. CAP. V. VERS. 6, 8.

VERS. 6. *Dicit ei, Cupis ſanus fieri?*

Hac de re non dubitat *Chriſtus*; ſed fidem tantùm ejus excitare volebat. Quid vellet, ex ipſius illìc commoratione ſat ſuperque innoteſcebat: ſed præcipua quæſtio erat, utrùm necne fidem haberet, crederetque ſe reipſa ſanandum, *Actor.* 14: 9. quod hâc *Chriſtus* quæſtione explorabat.

VERS. 8. *Dicit ei Jeſus, Surge, attolle grabatum tuum, & ambula.*

Meritò pariter hæc quæſtio proponitur: cur *Chriſtus* ipſi imperavit ut lectum Sabbato tolleret; id enim litteræ Legis contrarium erat, *Jerem.* 17: 21, 22. *Die Sabbati nullum tollatur onus*, &c. Ipſorum Traditionibus ſummè repugnabat: rem enim è loco in locum ferre, opus erat peculiariter die Sabbati prohibitum. *Maymon.* in *Shabb. Perek.* 12. *Qui autem quidpiam Sabbato dextrâ gerit, aut ſiniſtrâ, aut in ſinu ſuo, aut ſuper humeros, reus eſt*, Thalm. in *Shabb. Perek.* 10. Periculumque imminebat reo, aut flagellationis, aut mortis. Communiter reſpondetur, *Chriſtum* voluiſſe hinc manifeſtum fieri ipſum perfectè eſſe ſanatum, cùm is qui ne movere quidem ſe loco priùs poterat, lectum ipſe ſuum jam ferre poſſit: hâc enim actione, & publicum homo hic accepti beneficii teſtimonium, & manifeſtum perfectæ curationis ſignum dabat.

Sed utrumque innoteſcere ſat potuiſſet, ſi vel ambulaſſet tantùm, cùm tam diu ante nec ambulare, nec movere ſe potuiſſet: ita enim æquè ſe perfectè curatum oſtendiſſet, ac lectum ſuum tollendo. Ad aliud quidpiam igitur *Chriſtus* præterea collimabat, quàm ad miraculi divulgationem; quidpiam, inquam, quod & hominem ſpectaret, & diem.

Hominem quidem, cujus fidem & obedientiam explorare Chriſtus volebat, utrùm ſcilicet hoc ſuo mandato id auderet, quod capitis periculo, aut flagellationis vetitum erat. Is tamen authoritate fretus *Chriſti* imperantis, abjecto omni metu, quod imperatum erat præſtitit. Hocque ſenſu Judæorum hâc de re quæſtioni reſpondit: *Qui fecit me ſanum, dixit mihi, Tolle lectum tuum, & ambula:* Qui verbo ſuo ſanitatem mihi reſtituit, poteſtatem mihi tollendi lecti conceſſit. Utque *Chriſtus* fidem ipſius hâc priùs quæſtione excitarat, *Vis ſanus fieri?* ita quanta ſit hoc mandato explorat, *Tolle lectum tuum, & ambula:* quid enim *Chriſtus* ambulatione vellet, ex ſimili quæſtione diſcere debemus.

Quòd

JOANN. CAP. V. VERS. 1, 14.

Quod ad diem attinet, oſtendere *Chriſtus* volebat ſuam in Sabbatum poteſtatem, ut in curando Paralytico, *Marc.* 2. 9. non tantùm ſuam in morbum poteſtatem oſtendere volebat, ſed etiam in peccatum, quod remiſit; ita placuit ei hîc ſuam in Sabbatum, cum quo diſpenſabat, oſtendere authoritatem, quemadmodum ſuum in morbum quem curarat imperium oſtenderat.

Hocque primum mutandi *Sabbati* ſignum eſt, neque manifeſtius ullum mutandi Sabbati ante mutationem ipſam ſignum contigit. Curare morbos, atque evellere ſpicas urgente neceſſitate, per ipſam etiam Legem licebat: cùm autem *Chriſtus* huic homini imperarit ut lectum ſuum eo die auferret domum, fortè procul diſſitam, quandoquidem donec Sabbatum tranſiiſſet, jacere ibi potuiſſet; ſuam in Sabbatum authoritatem oſtendere, hominiſque fidem & obedientiam peculiari modo probare voluit. Facilè conjicere quis poteſt quantùm hoc Judæis diſpliceret: illud enim diu poſt ægrè tulerunt, *Joann.* 7: 23. quàmque periculoſum homini ipſi futurum foret. Id tamen ipſi *Chriſtus* imperat, ut ſuam indè Deitatem probaret, ut patet ex mandati ſui defenſione, de quo toto eo Capite cum eo altercantur. Eâdem itaque authoritate id ſe facere docet, quâ *Abrahamus* ſuum filium immolaturus erat, quâ *Joſua* urbem *Jericho* Sabbato circumivit.

VERS. 14. *Poſtea invenit eum Jeſus in Templo,* &c.

Fides hominis, obedientiaque quam *Chriſti* mandato præſtitit, tanto licèt periculo, ſat oſtendunt veniſſe eum ad Templum ut ob acceptum beneficium gratias Deo ageret. Miſer hic jam ipſos triginta & octo annos à Templo abfuerat, (per idem ſpatium temporis oberrarant *Iſraëlitæ* per deſertum poſt divinum de ipſis decretum, *Numer.* 14.) cùm jam miraculo contigerit ut illuc proficiſci poſſit, laudes ſibi ei perſolvendas cenſet, à quo tantum beneficium accepiſſet. Tempore Paſchatis valetudinem recuperarat, quum omnes Judæi mandato Domini coram Deo ſiſtere ſe debebant: ob diuturnam itaque abſentiam, vireſque miraculo jam reſtitutas, tenetur is ad Templum ſe conferre.

Illîc *Chriſtus* eum invenit, ubi magis decebat eum eſſe; ipſum rurſus adit, monetque hunc in modum parentis inſtar, *Fili, noli ampliùs peccare, ne quid tibi pejus contingat.* Quibus verbis non tantùm inſinuat omnes morbos à peccato proficiſci, ſed diuturno hic eum morbo afflictum eſſe ob peculiare quodpiam ipſius graveque peccatum.

JOANN. CAP. V. VERS. 15, 17.

VERS. 15. *Abiit homo ille, & nunciavit Judæis Jeſum eſſe à quo ſanatus fuerat.*

Non eo quidem conſilio, ut in quodpiam *Chriſtum* periculum conjiceret ob opus hoc bonum die Sabbati perfectum; ſed ut eum confiteretur, prædicaretque coram Judæis ob miraculum ab eo factum. Partem negativam non alio probare argumento opus, quòd nempè nullum *Chriſto* periculum intenderet, quàm communi ſenſu, ipſâque rei naturâ: quis enim credat hominem tanto affectum beneficio benefactori ſuo creare velle perniciem? Fateor equidem hoc ipſum dixiſſe *Synhedrio* in authoritate conſtituto: ſed quòd eo tantùm animo dixerit, ut *Chriſto* honorem procuraret, defenſio mandati *Chriſti,* acceſſus ad Templum poſt recuperatam ſanitatem, admonitio illîc data ipſi à *Chriſto*, ipſiuſque commemoratio miraculi tantùm, non autem mandati ut lectum ferret, manifeſtum faciunt. *Chriſtum* igitur non accuſaturus acceſſit is ad Judæos, ſed prædicaturus, ut eum Judæi pro tanti miraculi reverentia honorarent.

VERS. 17. *Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor,* &c.

Chriſti hinc oratio ad finem uſque Capitis facta ab eo fuit coram *Synhedrio*, coram quo citatus erat, ut rationem redderet hominis die Sabbati curati: cùm enim dicitur, *Quærebant Judæi ut interficerent eum*, omninò credendum eſt id eos molitos eſſe, ut volebant videri, ſecundùm leges patrias, ut fecerunt cùm morte reipſa eum affecerunt. Jam totâ hac oratione *Meſſiam* ſe probat argumentis quàm maximè conſpicuis. Ii tamen quorum munus erat de veris falſiſque Prophetis pronunciare, neque eum ob pravitatem cordis ut *Meſſiam* agnoverunt, neque tamen ob metum populi, & quia tempus ipſius nondum venerat, ut falſum punierunt. Mirari ſatis nequeo ab Euangeliſta non eſſe nobis declaratum, quis ſucceſſus fuerit tam plenæ manifeſtæque *Chriſti* defenſionis etiam pro vita. Sed vel ex ipſius ſilentio ſat intelligimus ſummam quâ locutus eſt poteſtatem, evidentemque veritatem, quam

Digitized by Google

JOANN. CAP. V. VERS. 17.

quam licèt admittere Judæi nolebant, negare tamen non poterant.

In defenſionem operis die Sabbati à ſe facti adducit in medium ſuam ut *Meſſias* poteſtatem, teſtemque *Joannem* citat miraculorum à ſe factorum, & vocis de cœlo, Scripturarumque etiam teſtimonio *Meſſiam* ſe probat. Licèt autem ſuam à Patre ſuo poteſtatem accepiſſe fateatur, rapinam tamen non arbitratur ſeſe ipſi æquare, quoad poteſtatem, authoritatem, triaque præſertim illa Dei propria, ſuſcitationem à mortuis, judicationem mundi, diſpenſationemque à Sabbato. Poſtremum hoc, de quo quæſtio erat, probat ſuâ circa priora duo poteſtate: ut enim, ajebat, ſuſcitabat Deus mortuos; ita & ipſe quem vellet vitæ reſtituebat: utque Deus homines judicabat; ſic & ipſe pariter eàdem authoritate. Verba hæc ipſius argumentum continent: *Pater uſque adhuc operatur, & ego operor.* Ubi connotat quod dicitur de Deo reſpectu Sabbati, quòd *Deus quieverit die ſeptimo, & benedixerit ei, eumque ſanctificarit.* Deus tamen quovis Sabbato providentiæ ſuæ opera exequitur; *atque ego pariter,* inquit, *ipſe operor,* dum opera bona Sabbato facio, beneficia in homines confero, commiſſumque munus exequor. Hæc autem comparatio Deum inter & *Chriſtum* ita manifeſta fit: ut Deus Sabbato mittit pluviam, ſolemque lucere jubet, omnique viventi alimentum Sabbato etiam procurat, &c. ita *Chriſtus* bonum opus die Sabbati facit, curat morbum, reſtituitque hominem priſtinæ, quâ diu caruerat, ſanitati. Hactenùs æquis quaſi paſſibus comparatio procedit: ſed longiùs adhuc *Chriſtus* proceſſit, quia homini mandavit ut lectum tolleret, quod Sabbatum erat violare; quod Deus non facit. Verùm quidem eſt imperaſſe Deum ut Sacerdotes Templi Sabbato operarentur, occidendo, excoriando, ſacrificandoque animalia; ſed ad majus obſequii ipſius incrementum id faciebat: juſſitque ut *Joſua* circumambularet *Jericho* die Sabbati; ſed publici boni promovendi cauſâ id erat. Sed hoc mandatum, ut homo tolleret lectum, eò tantùm collimabat, ut *Chriſti* in Sabbatum authoritatem oſtenderet. Si enim eò ſpectaſſe dicas, ut curationem perfectam indicaret: perfecta curatio æquè innotuiſſet hominis abſque lecto ambulatione. Si dicas gloriam Dei magis promoviſſe mandatum: certè ipſa Sabbati obſervatio huc magis facere videtur. Quare præter explorationem fidei hominis obedientiæque, ſuam *Chriſtus* poteſtatem ſuâ cum Sabbato diſpenſatione manifeſtam facere voluit.

JOANN. CAP. V. VERS. 17. 19.

Cùm itaque dicit, *Pater meus uſque adhuc operatur, & ego operor,* hæc verba uni tantùm contra ipſum factæ objectioni reſpondent directè, quòd Sabbato ſcilicet curarit. Alteram tamen contra ipſum objectionem, quòd ſcilicet homini imperarit ut lectum tolleret, ſat ſuperque diluit: qui enim aliis in rebus eâdem cum Patre authoritate operabatur, eandem quam Pater in Sabbatum authoritatem habet, à quo ut conſtitutum fuit, ita & immutari pro arbitrio poteſt.

Nemo tamen exiſtimarit *Chriſti* mandatum eò ſpectaſſe ut contemneretur Sabbatum, quatenùs dies quietis erat; aut ut mandatum de conſecrando eo die Domino, flocci fieret: ſed Sabbatum in alium diem commutaturus erat, vique æqualis cum Patre poteſtatis, finito redemptionis opere, novum Sabbatum introducturus erat, ut Pater finitâ creatione vetus conſtituerat. Quaſi itaque huic mutationi præluderet, factum à ſe mandatum divinæ authoritatis ſuæ argumento tuetur, diemque jam veluti concutere incipit, qui intra biennium loco quodammodo mutandus erat. Divinæ inſtitutionis Sabbati Chriſtiani hîc inchoari probatio poterit.

VERS. 19. *Non poteſt Filius à ſemetipſo operari,* id eſt, *niſi viderit Patrem operantem,* &c.

I. Nomine *Filii* hoc loco, inque oratione ſequente, intelligere debemus non ſecundam Trinitatis perſonam tantùm ſecundùm Deitatem ſpectatam; quod cùm aliqui feciſſent, hæc verba ſupervacaneis innumeriſque difficultatibus intricarunt: ſed Filium ut coram ipſis ſtabat cùm hæc verba loquebatur, nempè ut *Meſſias*, erat Deus ſimul & Homo. Huncque nobis ipſe ſenſum inſinuat, *verſ.* 27. *Pater dedit authoritatem Filio etiam judicium exercendi, quatenus Filius Hominis eſt.*

II. Voces *Pater* & *Filius* non tantùm æternam generationem Filii progeniti à Patre, mutuamque inde & naturalem Filiationis ac Paternitatis notionem indicant; ſed peculiariter connotant geſta varia Patris in Veteri Teſtamento, Filiique in Novo. Licèt enim veriſſimum ſit Patrem mediante Filio Eccleſiæ mundoque olim beneficia contuliſſe, ut eodem mediante mundum condidit, quem & Dominum mundi fecit & omnium rerum; quæ tamen geſſit per Filium ſub Novo Teſtamento conſpicua longè magis erant, quia

Digitized by Google

JOANN. CAP. V. VERS. 19.

quia Filius homo apparuit ut *Meſſias* à Deo miſſus, Deus benedictus in ſecula; magnaque is fecit, nec inferiora iis quæ ſub Veteri Teſtamento Pater geſſit. Huncque nobis Filiationis, ac Paternitatis ſenſum ipſe *Chriſti* indicendo ſcopus nobis ſuggerit, clarioremque eum quæ hinc inde ſpeciatim dicit reddunt. Nam I. defenſio operis à *Chriſto* die Sabbati facti non tam exigebat ut *Chriſtus* Judæis diceret quid & quouſque ſecunda perſona Trinitatis ut Deus agere poſſet, aut qui poteſtatem agendi à primâ acciperet, aut quantùm perſona prima ſecundæ conſilia ſua revelaret; non tam, inquam, hæc exigebat, quàm ut oſtenderetur quantam *Meſſiæ* poteſtatem Deus dederit, quàmque propè Deum *Meſſias* in adminiſtratione regni ſui imitaretur. II. Non tam norant Judæi diſtinctionem perſonarum in Trinitate, primæ & ſecundæ, quàm appellationem Patris aut Domini, qui mundum hucuſque gubernarat, *Meſſiæque*, qui cùm veniſſet decreto Domini gubernator futurus erat: conveniebatque ut *Chriſtus* eos alloqueretur eo qui meliùs ab ipſis perciperetur modo; propriâ itaque veriſſimâque ipſorum diſtinctione utitur. III. Obſerva totam *Chriſti* hoc Capite orationem, eamque in duas diviſam partes comperies. Prior oſtendit poteſtatem geſtaque *Meſſiæ*, *verſ.* 31, 32. Poſterior eum *Meſſiam* eſſe probat: huc enim collimabat potiùs *Chriſtus*, quàm ut oſtenderet poteſtatem primæ perſonæ ſecundùm Deitatem ſpectatæ, cumque prima comparatæ; aut ſeipſum etiam ſecundam eſſe Trinitatis perſonam.

III. Cùm ante dicit, *Filium nihil poſſe à ſeipſo*, inſinuat, licèt ſecunda Trinitatis perſona omnipotens ſit, *Meſſiam* à Deo Patre eſſe miſſum: hîc enim & alibi à Patre ſe eſſe miſſum ſemper inculcat. Ut Filius Dei, omnipotens eſt; ut *Meſſias*, omnem poteſtatem à Patre accepit: & tamen *nihil ſe poſſe facere à ſeipſo ait*, quia agnoſcit ſe à Patre tanquam *Meſſiam* miſſum. Omnia poterat à ſeipſo, ut erat Deus, ſed nihil ut *Meſſias*, quia quâ talis erat ſervus. Quare cæcutiebant *Arriani*, cùm hæc Filii verba adducunt ut gloriam Filii imminuant, probentque eum Patri inæqualem; cùm facilè animadvertere potuiſſent, eum ut Deum omnia potuiſſe, non ut Mediatorem: quà talis enim id tantùm facere potuit, ad quod miſſus erat. Infinita itaque erat illius ut Dei poteſtas; ut Mediatoris, obedientia infinita: nihil enim imperfectionis ei meritò aſcribi poteſt, quòd ut *Meſſias* nihil agere à ſeipſo poſſet; ſed id ad perfectiſſimam illius obedientiam potiùs ſpectabat. Hinc non promptitudinem tantùm voluntatis illius, ſed & naturæ impeccabilitatem agnoſces: omnes enim ejus actus divinæ conformes voluntati neceſſariò erant.

JOANN. CAP. V. VERS. 19, 20.

IV. Hæc jam præſenti negotio applicemus. Magnum patrarat miraculum, violaratque, ut putabant, Sabbatum, deque hac putatitia violatione hîc agebatur: docet autem quòd die Sabbati fecerat, *non à ſeipſo ſe feciſſe*, ſed ex munere *Meſſiæ*: quo ſicut poteſtas patrandorum miraculorum, ſuſcitandorum mortuorum, mundique judicandi continebatur; ita & peculiare in Sabbatum dominium comprehenſum erat.

V. Hæc ipſius verba, *ſed quod Patrem facientem videt*, eundem ſenſum habent, eòque referenda ſunt, quò priorem verſûs partem ſpectare diximus. Hæc verba juxta obviam ſignificationem non adeò facilia intellectu ſunt. Si enim ad litteram ea ſumamus, difficilis ſenſus eſt: fecit enim mundum, & tamen non vidit Patrem antè facientem; humanam induit naturam, quâ non viderat Patrem priùs indutum. Sed ſenſus non eſt, nihil Filium in Novo Teſtamento agere debere, quod Pater priùs non feciſſet; ſed Filium eâdem omnia in Novo Teſtamento authoritate facere, quâ Pater ſub Veteri operabatur: quod ex verbis immediatè ſequentibus colligere licet, *Quodcunque ipſe facit, idem & Filius pariter facit.*

VERS. 20. *Pater enim amat Filium.*

Hoc bis Deus voce de cœlo declaravit, *Matth.* 3: 17. & 17: 5. quæ verba docent qui *Filius* intelligendus ſit in tota hujus orationis ſerie: ut *Meſſias* enim ſumendus eſt, Deus ſimul & Homo, *Iſaj.* 42: 1. *Epheſ.* 1: 6. quem ut *David* aliis rebus præſignavit, ita & hoc nomine, quod *dilectum* ſonat, *Solomonque* hoc nomine ſuo *Jedidiah*, 1 *Sam.* 12: 14. Pater præter æternum erga Filium amorem ut ſecundam Trinitatis perſonam, *Prov.* 8: 30. dicitur amare Filium ut *Meſſiam* ob ſuſceptum redemptionis opus, quia promovit judicium, æquitatem, ſcientiam, miſericordiam, &c. gloriam Patris, &c. *Iſaj.* 41: 1, 2, 3, 4. *Hebr.* 1: 8, 9. *Joann.* 10: 17.

Et quicquid facit oſtendit ei.] Hoc eſt, non tantùm oſtendit, ſed & communicat, ut *Pſalm.* 4: 6. *Quis oſtendet nobis omne bonum?* id eſt, Quis communica-

 bit?

JOANN. CAP. V. VERS. 20, 21.

bit? *Pſalm.* 85: 7. *Oſtende nobis miſericordiam tuam:* 1 *Reg.* 2: 7. *Oſtende amicitiam,* hoc eſt, Concedere digneris. Senſus itaque eſt, Patrem communicaſſe Filio eandem patrandorum miraculorum, quam ipſe habet, poteſtatem.

Et majora his opera oſtendet ei, &c.] Magnum quid fecerat *Chriſtus* curato Paralytico, dominiumque in Sabbatum aſſumptum magni quid momenti erat: ſed his majora adhuc facturus eſt, mortuos ſcilicet ſuſcitaturus, ipſumque mutaturus Sabbatum. *Verſ.* 16. dicitur, *Judæi perſequebantur Jeſum, quòd Sabbato ea feciſſet:* hoc eſt, quòd curaſſet hominem, ac juſſiſſet ut lectum tolleret: ſed majora dicit ſe facturum *Chriſtus*, ut è verſibus duobus ſequentibus patet; mortuos ſcilicet ſuſcitaturum ſe ac judicaturum. Si quis intelligat majora facta eſſe à *Chriſto* miracula, quàm quæ facta eſſent à Patre ſub Veteri Teſtamento, apertus ſenſus eſt: ſed è *verſ.* 21, 22. colligitur eum non loqui de majoribus faciendis operibus quàm Pater feciſſet. Pater enim ea ipſa, de quibus loquitur, opera fecerat; ſed majoribus faciendis quàm ipſe hactenus fecerat, ſuper quibus reſpondere hic cogebatur. Inveteratum morbum curarat; ſed ut Pater mortuos vivificarat, ita ille eoſdem pro arbitrio vivificabat. Paterque de Sabbato diſpenſarat, ipſique omne judicium hominum circa negotia commiſerat, ita ut Sabbatum, ſi vellet, mutare poſſet, ut reipſa mutare voluit. Cùm autem magna hæc opera eò tantùm referat, ut admirentur; poſtremus hic ſcopus non eſt, ſed effectus tantùm eorum operum, utpotè quæ ſtuporem in ipſorum mentibus, licèt non converſionem & fidem productura forent.

VERS. 21. *Sicut enim Pater ſuſcitat mortuos,* &c.

Hoc refertur ad id quod de Deo in Veteri Teſtamento dicitur, *Deuter.* 32: 39. quodque in eodem Deus fecit miniſterio Prophetarum. Solum ſe Deum proclamat, quia *occidit & vivificat*, quoſdamque mortuos miniſterio *Eliæ & Eliſhæ*, &c. ſuſcitavit. Jam dicit *Chriſtus*, Ut Pater meus, aut Deus quem vos agnoſcitis, ſuâ ſe Deum unicum potentiâ oſtendit; ita in Novo Teſtamento eandem habet *Meſſias* poteſtatem vivificandi quos voluerit, ut omnes homines honorent *Meſſiam* Novi Teſtamenti adminiſtratorem, ut honorant Patrem Veteris Teſtamenti adminiſtratorem. Huc enim ſpectant quæcunque hoc Capite dicit, inſtitutâ Patrem inter & Filium comparatione non quoad æqualem Deitatem, divinamque poteſtatem, ſed quoad diſpenſationes filiis hominum ſub utroque Teſtamento factas. Hunc enim locum, *Ut Pater vivificat mortuos*, quo alio quàm commemorato ſenſu intelligere poſſumus? quandoquidem *verſ.* 27, 28, 29. generalem reſurrectionem clariſſimè Filio attribuunt.

JOANN. CAP. V. VERS. 21, 22, 23.

VERS. 22. *Nec enim Pater judicat quemquam, ſed omne judicium dedit Filio.*

Hic locus congruit ſenſu cum multis aliis, in quibus Deus exhibet *Chriſtum* ut Regem Dominumque omnium rerum, ut *Pſalm.* 2: 7, 8. &c. *Pſalm.* 89: 21. *Iſaj.* 9: 6, 7. *Hebr.* 1: 2, 6. &c. *Dan.* 7: 13, 14. *Iſaj.* 42: 1, 2. &c. *Jerem.* 3: 19. *Matth.* 28: 18. *Apocal.* 19: 16. &c.

Placuit infinitæ Dei ſapientiæ, ut Filius Dei fieret Filius Hominis, hicque Deus Homo Dominus *Jeſus* conſtitueretur caput omnis principatûs ac poteſtatis, *Coloſ.* 2: 19. Rexque & Judex omnium rerum, idque variis de cauſis.

I. Quia hoc *Chriſti* regnum naturale ei erat: erat enim unigenitus à Patre, atque hæres proinde omnium rerum, *Hebr.* 1: 2.

II. Regnare debuit, quia vitam hominum cauſâ expendit, *Joann.* 10: 17. *Philip.* 2: 8, 9. *Factus eſt obediens uſque ad mortem,* &c. *Propterea Deus exaltavit illum.*

III. Quia modo optimo honorare Deum voluit, Filio homine facto, divinâque ejus ope, patefactâ poteſtate, *Matth.* 21: 37. *Hebr.* 1: 1. Quum homines Deos alienos ſequerentur, viſibili in forma Filium ſuum Deus miſit, qui Deum ſe ſuipſius à mortuis ſuſcitatione probaret, *Rom.* 1: 4. cumque conſtituit Dominum omnium rerum adorandum ut Deum benedictum in ſecula, in quo & Pater qui miſit eum honoraretur.

IV. Scriptura *Chriſtum* vocat *brachium Domini*, *Iſaj.* 53: 1. & 40: 10. Ducem contra *Satanam* Dominique hoſtes, *Geneſ.* 3: 15. *Apocal.* 19: 11. &c. Dominuſque eum Regem conſtituit, donec omnes inimicos ſuos pedibus ſuis ſubderet, 1 *Cor.* 15: 24, 25.

V. Authoritatem dedit ei Deus ut judicium exequeretur, *quia Filius Hominis eſt*, *Joann.* 5: 27. qua de re agemus cùm ad hunc verſum pervenerimus.

VERS. 23. *Ut omnes honorent Filium, prout honorant Patrem,* &c.

I. Eò Beatiſſima Trinitas collimabat, ut Deus Trinus & Unus adoraretur. In Veteri Teſtamento Pater colebatur præcipuè

JOANN. CAP. V. VERS. 23. 24.

cipuè ut omnium bonorum fons, dum interim ſua conferret in homines beneficia mediante Filio, Angelo Fœderis, brachioque Domini, *Pſalm.* 2: 6. &c. *Exod.* 23: 20, 21. *Proverb.* 8: 22. *Iſaj.* 42: 1. &c. Sub Novo Teſtamento Filius viſibiliter exaltatus conſtituitur Dominus omnium, cui omne genu flectatur, omniſque lingua fateatur, quia Euangelium dedit, ut Pater Legem, *Satanam* domuit, de morte triumphavit, propriâ virtute in cœlum aſcendit, promiſſumque Spiritum viſibiliter miſit. Arrianus negatâ *Chriſti* cum Deo coæqualitate, non tantùm injuriam ipſi facit, ſed *Chriſti* etiam exaltationi, quam Dominus præcipuè intendebat, ſeſe opponit. Et Judæi *Turcæque* fruſtrà honorant Deum, cùm eum non honorent quem ipſe miſit, Dominumque omnium conſtituit.

VERS. 24. *Qui ſermonem meum audit, & credit ei qui miſit me.*

Hæc verba, eaque quæ ſequuntur deducuntur à *verſ.* 21. connectunturque cum ſenſu illorum verborum, quorum explanationi inſerviunt. Ibi dixerat, *Ut Pater vivificat mortuos, ita Filius quem vult vivificat.* Iis in verſibus ea de re loquitur, hocque verſu oſtendit ſpiritualiter ſe vivificare, atque in ſequente quî corporaliter vivificet: utramque autem aſſertionem hac geminatione inſert, Ἀμὴν, ἀμὴν, λέγω ὑμῖν.

Argumentum hujus verſus videtur deductum ab iis verbis *Iſajæ* 55: 3. *Inclina aurem tuam, & veni ad me; audi & vives.* In quæ poſtrema verba *Aben Ezra* ita diſſerit: *Senſus eſt, Animam remanere, corpus licèt moriatur; aut Meſſiam eos vivificaturum qui ad Legem Domini redituri ſunt.* Pariter alii Judæi fatentur hæc verba Textumque præcedentem intelligi debere de *Meſſia*, deque ejus doctrina.

Chriſtus in verſibus præcedentibus æqualem ſe ut *Meſſiam* Deo Patri oſtenderat: ut enim Pater mortuos ſub Veteri Teſtamento Prophetas vivificarat; ita & ille quem voluit vivificabat: utque Pater tùm judicabat; ita nunc judicium omne Filio committit. Tertiamque hîc comparationem inſtituit, quæ ita ſe habet: Ut Pater dederat Legem veterem, ſic ipſe novam, Euangelium nempè, daturus erat: utque vita Patrem audienti promittebatur, *Deuter.* 30: 15, 20. ita qui audit verbum ejus, vitam æternam poſſidebit. Verbum erat Patris ex ipſius ſinu ad ipſum revelandum egreſſum, *Joann.* 1: 18. magnus erat Doctor promiſſus atque expectatus, *Deuter.* 18: 15. *Actor.* 3: 22. & obſignatus & proclamatus, *Matth.* 17: 5. 2 *Pet.* 1: 17. dejecturus erat opera *Satanæ*, cui obediendo homo perierat: quare non tantùm eum audiendo qui Patrem revelaturus eſt, pii evadent, neque tantùm ab ipſo tanquam magno Doctore docendi erant; ſed & æternam inſuper vitam conſecuturi, animæque ſanitatem, quam *Satanas* ſuſurris ſuis malè afflarat.

JOANN. CAP. V. VERS. 24. 25.

Quod autem dicit, *& credit in eum qui miſit me*, I. ultimatum fidei objectum benè Deum Patrem proponit: ab eo enim tanquam à fonte omnia fidei objecta fluunt, libera nempè gratia, dona *Chriſti*, modus redemptionis, benignaque ipſius promiſſa, &c. quare fidei is fons omnis & origo eſt. Reducitur itaque fides ad Deum in *Chriſto*, 2 *Cor.* 5: 19. hincque clariùs myſterium Dei in *Chriſto* aperit, quàm ſi tantùm locutus foret de fide in ſe, aut de fide in Patrem. II. Sunt qui putant loqui eum de credendo potiùs in Deum à quo miſſus eſt, quàm de credendo in ſeipſum, ut hâc ſubmiſſione gratior fieret audientibus ſermo ejus. III. Compara hunc locum cum *Exod.* 20: 19. & *Deuter.* 18: 16, 17, 18.

Hæc phraſis, *ſed tranſibit à morte ad vitam*, ſententiam *Adami* non audientis vocem Domini ſpectare videtur, *morte morieris*; aut uniuſcujuſque hominis ſub Lege ſtatum: ſub maledicto enim erat, à quo audiens obedienſque Euangelio liber evadit. Aut hæc fortè locutio ob hominem curatum adhibetur: is enim obediens voci Domini ſanitatem corporis recuperavit. Quiſquis igitur verbum ejus audit, vitam animæ obtinet. Atque ita *Chriſtus* ſuam cum Sabbato diſpenſationem defendit, aſſeritque ſe id facere poſſe, quia novam Legem traditurus erat, ut Pater veterem tradiderat: oſtenditque inſuper, licèt violatio Sabbati meritò morte punita fuerit, ab hac tamen eos pœna liberos eſſe qui ipſius verbo obedirent, juxta illud, *Sed tranſibit à morte ad vitam.*

VERS. 25. *Amen, amen, dico vobis, adventat tempus, & nunc eſt, quum mortui audient vocem Filii Dei*, &c.

I. Verba illa vulgò intelliguntur de mortuis iis quos *Chriſtus* verbo ſuo vitæ reſtituit: ut cùm dixit filiæ *Jaïri*, *Talitha Kumi*; & Viduæ filio ex *Naim*, *Adoleſcens, tibi dico, ſurge*; & *Lazaro*, *Lazare, veni foràs.* Sic itaque ſpectata hoc ferè modo verbis immediatè præcedentibus connectuntur. De ſpirituali illîc vivificatione

Digitized by Google

JOANN. CAP. V. VERS. 25.

Chriſtus locutus fuerat, de vivificatione eorum qui verbis ejus crederent: hîc autem aut argumentum eorum quæ illîc dixerat, adducit, aut aliud potentiæ ſuæ miraculum proponit, quòd voce ſuâ mortuos ſuſcitaturus eſſet. Hancque vivificationem auditioni vocis ſuæ aſcribit, tum quia ſpiritualem vivificationem auditioni verbi ſui aſcripſerat, tum ut eorum mortuorum ſuſcitationem diſtingueret à ſuſcitatione eorum qui ſub Veteri Teſtamento ſuſcitati fuerant: neque enim ii verbo, ſed aliâ quâpiam applicatione ſuſcitati à mortuis ſunt, 1 *Reg.* 17: 21. & 2 *Reg.* 4: 34. & 13: 21.

II. Exiſtimabant Judæi futuram diebus *Meſſiæ* reſurrectionem. *Chaldeus Paraphraſtes*, *Hoſ.* 6: 2. hunc in modum diſſerit: *Vivificabit nos diebus conſolationis*, Luc. 2: 25. *qui venturi ſunt in diebus reſurrectionis mortuorum.* Et *Hoſ.* 14: 8. *Hunc in modum congregabuntur ex Captivitate, ſedebuntque ſub umbra Meſſiæ, vivificabuntur mortui, bonumque ſuper terram multiplicabitur.* Et *Iſaj.* 49: 9. *Do te in fœdus populo, ut populum jacentem in pulvere excites.* Et *Kimchi* in *Iſaj.* 26: 19. *Sanctus benedictus Deus excitabit mortuum tempore liberationis.* Et *Jerem.* 23: 20. *Quod dicit, Conſiderabitis vos illud, & non illi conſiderabunt, reſurrectionem mortuorum diebus Meſſiæ indicat.* Et in *Ezech.* 37. *Fortè Deus viſionem oſſium aridorum ad vitam rurſus redeuntium Ezechieli oſtenderit, ut ſignificaret ipſi ſuſcitaturum eum à mortuis mortuos Iſraël tempore revelationis, ut ipſi etiam libertatis participes ſint.* *Aben Ezra* in *Dan.* 2. *Juſtus in Captivitate mortuus vivificabitur cùm Redemptor venerit*, &c. Atqui hæc opinio ita apud Judæos invaluerat, ut *ſeculum venturum* intelligerent de ſtatu gloriæ, & nihilominùs de diebus *Meſſiæ*, ut cùm de hac phraſi agetur videbimus. Contigit jam reſurrectio diebus *Meſſiæ* non prænominatorum tantùm, ſed & variorum Sanctorum, quorum apertis tumulis corpora exierunt, *Matth.* 27: 52. Si autem verba, de quibus nos, de corporibus ſuſcitatis accipiantur, propriiſſimè reſurrectionem indicabunt, quæ Judæorum expectationi reſpondebit. Dum autem *Chriſtus* id ſibi applicat, *Meſſiam* ſe juxta eorum etiam opinionem luculenter probat.

III. Sed alieno etiam ſenſu *ſuſcitatio mortuorum* in Scripturis accipitur: ſonat enim vivificationem eorum qui peccatis mortui erant, *Epheſ.* 2: 1. iſque ſenſus huic magis loco congruit, quia *Chriſtus* verſu proximè præcedente de ſpirituali ejuſmodi vivificatione manifeſtè loquitur. Vocatio Gentium ad Euangelium reſurrectio dicitur in variis Scripturæ locis, ut *Iſaj.* 26: 19. *Mortui vivent, unà cum corpore meo reſurgent. Vigilate & cantate qui habitatis in pulvere: ros enim tuus ut ros herbarum; terraque ejiciet mortuos ſuos.* Qui mortui cum *Chriſto* reſurrecturi forent, non tam indicatur hoc loco, *Corpora multorum Sanctorum ſurrexerunt*, *Matth.* 27: 52. quàm hâc *Chriſti* ſententiâ, *Nullum dabitur ſignum præter ſignum Jonæ Prophetæ:* quibus verbis non ſuam tantùm mortem & reſurrectionem indicat, ſed vexat etiam Judæos inſinuatione vocationis Gentilium ſub tempus reſurrectionis ſuæ, ut vocati erant *Ninivitæ* ſuſcitato è ventre Balenæ *Jonâ.* Roſque ille qui vitam hominibus inſpiraturus eſt, ut ros herbis inſpirat, Doctrina Euangelica eſt, *Deuter.* 32: 2. Atque ita pariter *Hoſ.* 6: 2. loquitur de ſpirituali ſcilicet reſurrectione ſub *Chriſti* reſurrectionem quæ tertio die contigit. Atque ita reſurrectio in *Ezech.* 37. clariſſimè exponitur, eodemque ſpirituali ſenſu ab Apoſtolo accipitur, *Rom.* 11: 15. vocatioque Gentilium prima reſurrectio dicitur, *Apocal.* 20: 5. &c.

Quod *Chriſtus* hîc de ſpirituali mortuorum reſurrectione loquatur, hinc colligi poteſt.

I. Quia eò quæcunque hîc dicit tendunt, ut probet eandem ſe ſub Novo Teſtamento poteſtatem habere, quàm Pater ſub Veteri habebat; ſibique negotia Euangelica omnia eſſe à Patre commiſſa: in quibus Gentium vocatio eminebat.

II. Quia verba etiam proximè priora, de ſpirituali *à morte ad vitam tranſitu* erant.

III. Quia voci hîc ſuæ vivificationem aſcribit, ut illîc priùs aſcripſerat *verbo.*

IV. Quia diſtinguit inter eos qui *vocem* audituri ſunt, *mortui eam audient*; *& quotquot eam audierint vivent:* quod aptiùs meræ Euangelii auditioni, quàm mortuorum corporibus applicueris.

V. Denique, quia Ethnicorum ſtatus (de quorum vocatione, *Chriſtique* circa illam operatione tam magna in Scripturis dicuntur) tam diſertis verbis *mors* dicitur, ipſorumque Euangelii admiſſio tam apertè *reſurrectio* appellatur, ut cùm *Chriſtus* de ſuis in Novo Teſtamento geſtis loquitur, verbaque priora aut ſimilia uſurpat, hoc propriè ſenſu accipere ea poſſimus. Multæ præoccupatæ fuiſſent controverſiæ, nec pauci errores,

Digitized by Google

res, ſi hæ locutiones, *Poſtremi Dies*, *Dies Domini*, *Finis*, *Novi Cœli*, *Nova Terra*, *Mortui reſuſcitati*, benè intellectæ fuiſſent.

VERS. 27. *Sicut enim Pater habet vitam in ſeipſo, ſic dedit & Filio habere vitam in ſeipſo.*

Fruſtrà hìc diſſeruerimus, quatenùs dici poſſit ſecundam Trinitatis perſonam habere vitam à ſeipſo, aut non habere à ſeipſo: his enim verbis non conſideratur tantùm ut ſecunda perſona, ſed ut *Meſſias*, Deus ſcilicet ſimul & Homo, ut ex tota ipſius ſermonis ſerie patet: hocque ſenſu hæc verba conſtruere nobis licebit ac exponere.

I. Sunt enim paraphraſis in nomen *Jehovæ*, quod æternam Dei in ſeipſo exiſtentiam connotat, communicationemque exiſtentiæ creaturis. Senſus itaque eſt: Ut Pater eſt *Jehovah*, ita Filio ſuo *Meſſiæ* hoc nomen ſuper omne nomen dedit, *Philip.* 2: 9. Filio, inquam, adorando ut *Jehovæ*, habenti vitam in ſemetipſo, utpote æterno vivoque Deo, in quo, utpote omnium viventium Domino & Deo, poteſtas vitæ ſit.

II. Ut Pater eſt æternus ac immortalis Deus, ita & *Meſſias*; qui quamvis humana ſub forma coram *Synhedrio* ſtet, nunquam tamen viſurus eſt corruptionem, *Pſalm.* 16: 10. ſed ſe Filium Dei ſuimetipſius à mortuis ſuſcitatione demonſtrabit, *Rom.* 1: 4. cùm ſit primus & ultimus; qui vivit, licèt mortuus fuerit, vivitque in æternùm, Amen; habetque in manu ſua claves inferorum & mortis, *Apocal.* 1: 17, 18.

III. Ut verba priora applicari poſſunt *Chriſto* ſuſcitanti à mortuis ſpirituali aut corporali vitâ privatos; ita hæc, de quibus nunc, iſtam aſſertionem probant, qui ut Pater ſua in poteſtate vitam habet, ita eandem *Meſſiæ* dedit.

VERS. 27. *Et auctoritatem ei dedit etiam judicium exercendi, quatenus Filius Hominis eſt.*

Hoc loco ſatis liquet quo ſenſu *Chriſtus* utatur voce *Filius*, & voce *Filius Dei*. Filius enim Dei hìc ſonat Filium etiam Hominis, aut *Meſſiam*. Ratio allata authoritatis *Chriſti* ad judicandum, *quia Filius Hominis eſt*, ſcrupulum aliquem, ut priùs diximus, injecit: quem ſuſtulerimus, ſi ſenſum hujus vocis *Filius Hominis* ritè expoſuerimus. Eum autem ex tribus hiſce colligere licet.

I. Vox hæc *Filius Hominis*, hominem ſimpliciter ſignificare poterit; tùmque hic ſenſus erit: Dedit ei authoritatem judicandi, quia homo erat. Hincque ratio obvia fit. I. Quia Filius Dei humiliavit ſemetipſum, factuſque eſt homo ad homines redimendos; propterea Deus dedit ei poteſtatem judicandi hominem, *Philip.* 2: 8, 9. Et II. dedit *Meſſiæ* poteſtatem judicandi, *quia homo eſt*, ut homo ab homine judicaretur, *Actor.* 17: 31. *Conſtituit diem quo judicaturus eſt mundum in æquitate per eum hominem quem definiit fide ejus rei palam factâ omnibus, illo ex mortuis ſuſcitato.*

II. Vox *Filius Hominis*, quam toties ſibi in Euangelio *Chriſtus* applicat, non merum eum hominem inſinuat, ſed peculiare illud ſemen mulieris, aut *Filium Hominis Adamo* promiſſum in generis humani reparationem, operumque *Satanæ* exterminatorem, ut ſuperiùs diximus. Hocque modo ratio *Chriſti* authoritatis, *quia eſt Filius Hominis*, pleniùs adhuc illuſtratur: quia nempè Filius erat illius promiſſi, hæres mundi, Redemptor generis humani, exterminator Dæmonum; quia Dominum eum mundi Deus fecit, judicemque hominum ac Dæmonum, deſtructorem Serpentis & ſeminis ejus, Servatorem ſancti ſeminis ipſi fidem habituri obedientiamque præſtituri, rectoremque omnium hoc in mundo ſive ad fidem, ſive ad obedientiam ſpectantium.

III. Meſſias ita deſcribitur, *Dan.* 7: 13, 14. *Ecce ſimilis Filio Hominis venit in nubibus cœli, & venit ad Antiquum dierum, eumque prope eum adduxerunt; datumque eſt ei dominium, gloria & regnum, ut omnes populi, nationes, linguæ illi ſervirent.* In quæ verba *R. Saadias* ita ediſſerit: *Hic eſt Meſſias, Juſtitia noſtra. Sed nunquid ſcriptum eſt de Meſſia humiliter, & ſedente ſuper aſinum? Humilis enim, non equitans ſuper equos adveniet: nubibus autem cœli Angelus intelligit cœli exercitus. Hæc eſt abundantia magnitudinis quam Creator Meſſiæ dabit*, &c. His, de quibus nunc, verbis hæc verba *Danielis* connotare videtur *Chriſtus*: cùmque Judæi faterentur *Filium Hominis* illìc commemoratum, cui omne dominium datum eſt, fuiſſe *Meſſiam*; ſat apertè aſſerit ſe hunc ipſum hominem eſſe, omnemque judicandi authoritatem ſibi traditam, quia Filius Hominis erat.

Animadverte quì conſultò phraſes mutet. *Verſ.* 25. loquitur de ſuſcitatione mortuorum *voce Filii Dei*; atque hìc de exequendo judicio, *quia Filius Hominis eſt*: non tantùm ut duas in *Meſſiâ* naturas doceret; ſed prætereà ut duplicem in ſe

poteſtatem diſtingueret; naturalem, quà Deus erat; & diſpenſatam, ut erat, & quia *Filius Hominis* erat.

VERS. 28. *Ne hoc miremini*, &c.

Propter quid? *Cyrillus* exiſtimat, propter hominis ægroti curationem: hicque, juxta ipſum, horum verborum ſenſus eſt. *Nolite curationem hujus hominis tam mirabile quid exiſtimare: poſſum enim ego, & quondam debeo omnes etiam mortuos ſuſcitare, ac mundum judicare.*

Sed quantùm ex Euangelio colligimus, non minorem hoc miraculum movit ipſis indignationem quàm ſtuporem. Quare veriſimilius fuerit eorum ſtuporem ſpectare potiùs ad verba *Chriſti* mox prolata, quàm ad opus ab eo factum: inſtitutâ enim inter perſonam ejus, quam coram ſe videbant, & poteſtatem de quà loquebatur, comparatione, minimè mirum videtur quòd verbis ejus obſtupeſcerent; & vero non abſimile eſt eos tantam fuiſſe illius poteſtatem non credidiſſe, *verſ.* 38, 40, 41, 42.

Sed quî illorum ſtupori infidelitatique verbis ſequentibus ſatisfacit? Si quæ prius dixerat credidiſſent, tùm id de reſuſcitatione mortuorum aptè addi potuiſſet: cùm autem illa non credidiſſent, quorſùm hoc in eorum confirmationem adducitur, cùm neque hoc neque iſta crederent?

Reſp. I. *Chriſtus* propriâ authoritate loqui debebat, reatuſque infidelitatis ipſis imputandus erat.

II. Prophetam eum ob miracula negare non poterant, *Joann.* 3: 2. inducereque eos volebat, ut magnum ſe Prophetam crederent.

III. Optimè probabat ſuam omnium hominum judicandi poteſtatem, dum aſſerebat poteſtatem ſe habere ſuſcitandi omnes homines à mortuis, atque adducendi ad judicium. Qui autem prioribus verbis fidem adhibebant, poſterioribus quoque obſervatâ connexione credidiſſent. Qui autem neque his neque illis credere voluerunt, inexcuſabiles fuere, cùm *Chriſtum* audierint tam plenè & planè aſſerentem ſe *Meſſiam*; quod nuſquam in Euangelio clariùs docet.

IV. Hîc aliud addere poſſumus de voce *Filius Hominis*, ut præcedens clauſula illuſtretur: Dedit ei poteſtatem judicandi, *quia Filius Hominis eſt.* Obſervatu dignum eſt ut Judæi conſtanter *Chriſtum* vocant *Filium Davidis*, tum in Scriptura, *Matth.* 21: 9. & 22: 42. *Luc.* 18: 38. ac ſæpiſſimè in Scriptis; ita *Chriſtus* ſemper ſeipſum vocat *Filium Hominis*, huncque ipſemet tantùm titulum accipit. Quòd autem alio, quàm *Meſſiæ* nomine, ſeipſum vocavit, inde fortè eſt, quia Judæi voce *Filii David* terreſtrem ſibi Regem fingebant, qualis *David* erat, propterea voce hâc *Filii Hominis* ipſorum contradicere opinioni voluit; vel etiam quia eo titulo oſtendere volebat officium ſuum ad omnes homines ſpectare, etiam ad Gentiles, æquè ac Judæos, qui *Filium David* Regem Judæorum tantùm, aut præcipuè ſaltem fore putabant. Erat quidem *Filius David*, atque ad Judæos ideò primùm ſpectabat, ſed inſuper בן אדם, *Filius Hominis* erat *Adamo* promiſſus; quare ad totum genus humanum pertinebat. Ipſiuſque argumentatio, *verſ.* 27. intelligi poteſt non tantùm de ipſius authoritate judicandi, ſed etiam de latiſſima illius authoritatis extenſione. Ut enim *verſ.* 25. Gentiles etiam à morte ſpirituali ad vitam Euangelicam ſuſcitaturus erat; ita *verſ.* 27. dominium habuit ſibi in omnem mundum, atque in Gentiles etiam conceſſum, quia *Filius Hominis* erat, aut ſemen *Adæ* promiſſum, cujus lumbis continebantur tum Gentiles, tum Judæi cùm hæc facta eſt promiſſio, & cujus mediatio ambos æquè ſpectabat. Quæ verba, ſi hunc in modum expoſita fuerint, hæc eorum confirmatio à poteſtate ſuſcitandi mortuos ducta ita ſe habebit: Nolite mirari me Gentiles Euangelio ſuſcitaturum, judiciumque omnem in nationem executurum: ſupremum enim cùm advenerit Judicium, omnium nationum mortuos ſuſcitaturus ſum, ipſius etiam Scripturæ teſtimonio, *Dan.* 12: 2.

Nam veniet hora, quâ omnes qui in monumentis ſunt audient vocem ejus, &c.] *Lucæ* verba ſenſum iſtius Textûs *Danielis* ità directè exprimunt, aliquantulùm licèt vocibus diſcrepent, ut nullo modo dubitandum ſit quin exindè deſumantur.

Angelus illìc narrat *Danieli*, quanta Iſraëlitæ ſub perſecutione *Antiochi* paſſuri forent: & quia eo tempore doctrina Sadducæorum alteram vitam negantium (quod ſanè tempore perſecutionis triſtiſſimum dogma erat) à pleriſque admittenda erat, Propheticam idcircò eorum temporum Hiſtoriam doctrinæ reſurrectionis æternæque mercedis junxit, ut triſtiſſimo eo tempore ſuperſtites ad mortem veritatis cauſâ ſubeundam animaret.

Obſervatu dignum, quî *Chriſtus* in ſua coram *Synhedrio* ex Judæis & Sadducæis conſtante, oratione, utramque eorum hæreſim oppoſitâ ſuâ doctrinâ oppugnet. Phariſæis Traditionibus nimis inhærentes,

verbum

JOANN. CAP. V. VERS. 28.

verbum ipſe ſuum tanquam magnum veritatis oraculum opponebat, *verſ.* 24. Contra Sadducæos doctrinam reſurrectionis hoc verſu aſſerit, ſeque ejuſdem authorem atque effectorem. Sed hæc tantùm obiter.

Hæc verba quoque, ut priora, de ſpirituali intelligi reſurrectione poſſunt, (qui ſenſus horum verborum eſt, *ex tumulis exibunt, Ezech.* 37: 12.) ſi verba ſequentia hunc tantùm in modum illuſtrentur, *Et exibunt qui benè fecerunt poſtquam ipſius vocem in Euangelio audierunt, in reſurrectionem vitæ; & qui malè fecerunt poſt auditam vocem ejus in Euangelio, in reſurrectionem damnationis.* Sed ſæpiùs de generali reſurrectione cùm intelligantur, eo nos hîc eadem ſenſu ſumemus: idcircò præſertim, quia hic ſenſus ordini quem *Chriſtus* in dicendo ſequitur mirè congruit. Eò itaque hæc ejus oratio ſpectat, ut ſe *Meſſiam* probet, quo nomine factum die Sabbati opus vindicabat. Suam in duo hæc capita orationem dividit.

I. Sua, ut *Meſſias* erat, opera authoritatemque oſtendit.

II. Quæ forent de ipſo jam exiſtente teſtimonia indicat.

Priorem partem hucuſque proſequitur, ſequentibuſque articulis efficit, poteſtate miraculorum paternæ æquali, *verſ.* 19, 20, 21. abſolutâ ſuâ omnia regendi diſponendique authoritate, *verſ.* 22. divino ſuo cultu ſub Novo Teſtamento, ut Patris ſub Veteri, *verſ.* 23. ſuâ Eccleſiæ inſtructione, prædicationeque Euangelii, *verſ.* 24. vocatione Gentilium, *verſ.* 25. ſuimetipſius à mortuis ſuſcitatione, poteſtateque in vitam & mortem, *verſ.* 26. ſuo in omnes dominio, *verſ.* 27. commiſſâ ſibi omnes ſuſcitandi judicandique in generali reſurrectione poteſtate, *verſ.* 28, 29. &c.

Omnes qui ſunt in ſepulchris.] *Daniel* ita habet, *Multi eorum qui dormiunt in pulvere,* &c. hoc eſt, *omnes*: non quòd omnes mortui in ſepulchris ſint; quidam enim ſubmerſi erant, quidam combuſti, &c. ſed quia ſepulchrum eſt maximè commune mortuorum receptaculum, & quia Judæi verbum *ſheol*, quod locum mortuorum ſignificat, ſepulchrum plerùmque reddunt. Vide *Targ. Jonath.* in *Geneſ.* 37: 35. & 44: 29. &c. & *Buxtorf.* in voce שאול: Sheol *ſignificat in genere locum corporum humanorum poſt mortem; unde communiter pro ſepulchro*, &c.

Audient vocem ejus.] Laborioſam hîc diſputationem aggredi poſſemus, utrùm in reſurrectione audibili voce *Chriſtus* locuturus eſt, an tantùm poteſtatis ſuæ impreſſione, ut aliqui putant. Sed tempus noſtræ ad reſurrectionem præparationi impendetur meliùs. S. Scripturæ locis iſtis hoc argumentum commemorant, 1 *Cor.* 15: 52. *Clanget tuba, mortuique ſuſcitabuntur.* 1 Theſſ. 4: 15. *Deus ipſe deſcendet de cœlo cum clamore, cum voce Archangeli, cum tuba Dei.* 2 Petr. 3: 10. *Dies Domini veniet ut fur noctu, quum cœli magno fragore tranſibunt*, &c. Quòd autem ad hunc locum in eundem ſcopum ſæpè productum ſpectat, *Matth.* 24: 31. *Mittet Angelos ſuos magno fragore tubæ, congregabuntque electos à quatuor ventis*, &c. apertè tantùm loquitur de *Chriſto* mittente miniſtros ſuos cum tuba Euangelii ad populos ad fidem convertendos: verſus enim 14. dicit hoc aliaque in verſibus præcedentibus commemorata complenda eſſe, priuſquàm generatio quæ tùm vivebat, tranſiret.

JOANN. CAP. V. VERS. 28, 30.

Chriſtus haud dubiè magnâ pompâ magnoque terrore omnium ad judicandum proceſſurus eſt, (de terrore hujus diei, quo rationem omnes reddituri ſunt benè vel malè à ſe geſtorum, æſtimari poteſt ex terrore illius diei quo omnium actionum regula data eſt, *Exod.* 19. & 20.) vocemque haud dubiè in tonitru & fulgure attollet: tonitrua enim *vox Dei* dicuntur. *Thalmud* in *Sanhedr.* fol. 97. priùs citatum, agens de vocibus & tonitru adventum *Meſſiæ* præcedentibus, dicit, *Hæ ſunt voces Filii David.*

Lector hæc verba eo modo exponat, qui ad concutiendum ſalutari timore animum aptiſſimus ſit.

VERS. 30. *Prout audio judico; & judicium meum juſtum eſt, quia non quæro voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.*

Chriſtus iis verbis videtur alludere ad duas conſuetudines Traditioneſque Judæorum, atque ab his argumentum ad hominem ducere.

I. Tractatus Thalmudicus *Sanhedrin* agens de inquiſitione ex Judicibus in rebus difficultatem continentibus, hanc habet Traditionem. *Petunt primò à Synhedrio ſuæ civitatis*, אם שמעו אמרו, *An rem audierint; ipſique difficultatem ſolvunt. Si ſecùs, eunt ad Synhedrium prope civitatem ſuam.* אם שמעו אמרו, *Si ii rem audierint, hi difficultatem ſolvunt. Si ſecùs, eunt ad Synhedrium portæ Montis Domûs.* אם שמעו אמרו, *Si ipſi audierint rem, difficultatem ſolvunt*, &c. *Perek.* 11. Ubi verbis hiſce, *ſi rem audierint*, intelligunt, ſi *Synhedrium* Traditione acceperit, quid tali in re decidendum foret, ſententiam fert. Si autem non audierit, ultimum confugium ad *Magnum*

Digitized by Google

JOANN. CAP. V. VERS. 30, 31, 32.

gnum Synhedrium erat, ex 71. conſtans: quod Traditionum Gazophylacium quodammodo erat. *Chriſtus* jam pro *Synhedrio* conſiſtens, Judæos alloqui videtur juxta ipſorummet regulam: Ut vos judicatis ex auditis Traditioneque acceptis; ita *ego judico ſicut audio*: hoc eſt, vel ut à Patre acceperat, vel ex Scripto Verbo didicerat. Verbaque immediatè præcedentia, *Nihil poſſum à meipſo*, ſi ſumantur de eo, ut Deo-Homine, obviam habent ſignificationem.

II. *Rambam* in Tractatu ſuo circa שלוחין ושותפין, *Delegatos & Collegas*; & Thalmudiſtæ in Tractatibus circa *Contractus*, *Sponſalia*, *Divortia*, &c. hoc tanquam notum principium ſtatuunt: שליח שעשה שליחותו כל מעשיו קיימין: *Quòd Delegati qui id propter quod miſſus eſt facit, omnes actus juxta legem validi ſint*: &, שליח שעבר על דברי משלחו לא עשה כלום: *Delegati tranſgredientis verba ejus qui miſit eum, actus nullus eſt.* Hanc ipſam ob cauſam clara hic *Chriſti* ratiocinatio eſt, atque ad propriam ipſorum poſitionem redit: *Juſtum eſt judicium meum*, quia miſſus à Patre, non meam facio voluntatem, ſed ejus qui miſit me. Hocque ſenſu ipſius etiam verba interpretari poſſumus, *verſ.* 24. ad plenam illuſtrationem ſequentium, *Qui audit verbum meum, creditque in eum qui miſit me, eſt ei vita*; quia verba illius erant verba tantùm ejus qui miſit eum: doctrina enim Euangelii eadem erat cum doctrina Legis & Prophetarum.

VERS. 31. *Si ego teſtor de meipſo, teſtimonium meum non eſt firmum.*

Hoc quoque juxta eorum procedendi modum loquitur: licèt enim teſtaretur de ſeipſo, tamen ipſius teſtimonium verum erat, *Joann.* 8: 14. ſed in eorum tribunalibus nemo in cauſa ſua judex eſſe poterat; ſed aliorum ſtabat, aut cadebat teſtimonio. Quum *Chriſtus* dicit, *Non eſt verum*, hoc ſecundùm illorum doctrinam legeſque dicit: quare cùm ipſius de ſeipſo teſtimonium admiſſuri non eſſent, verſibus ſequentibus, ad quos hic verſus tranſitio erat, aliis ſe teſtimoniis verum *Meſſiam* probat. Hactenùs ſuam declararat poteſtatem, authoritatem, geſtaque ut *Meſſias* erat: ſed ſcio, inquit, quòd à meipſo dico, nullius fore apud vos momenti; quare alios pro me teſtes citabo: ut *Joannem Baptiſtam*, *verſ.* 33. opera ab ipſo facta, *verſ.* 36. Patrem, *verſ.* 37. Scripturas, *verſ.* 39. & *Moſem* præſertim cui ipſi credebant, *verſ.* 46.

VERS. 32. *Alius eſt qui teſtatur de me, & ſcio*, &c.

Joannes ſcilicet *Baptiſta*, ut verſus ſequentes docent: ad quem ii, coram quibus jam ſe *Chriſtus* defendit, miſerant ut inquirerent quis eſſet, *Joann.* 1: 19. ipſeque teſtimonium de *Chriſto* tùm non procul exiſtente dedit. Quod autem dicit, *Scio firmum eſſe teſtimonium ejus*; duplici modo ſumi poteſt: vel ſcio ejus teſtimonium à vobis admittendum; vel, quamvis vos illud non admitteretis, reipſa tamen eſſe verum ſcio. Licèt autem humano non egeam teſtimonio, ad ejus vos teſtimonium remitto, ut credentes meipſum eſſe quem me eſſe dico, ſalvi ſitis.

JOANN. CAP. V. VERS. 35.

VERS. 35. *Ille erat lucerna ardens & lucens; vos autem voluiſtis ad momentum exultare ejus luce.*

Magnificum *Joannis* adhuc viventis elogium, licèt hæc lucerna jam eſſet ſub modio, hoc eſt, in indigno carcere. Solent Scripturæ Miniſterium Verbi Eccleſiæque exprimere nomine lampadum aut candelarum in aureo candelabro ardentium, *Zachar.* 4. *Apocal.* 1. & 11. &c. huicque loquendi modo conformis eſt hic *Chriſti* oratio de *Joanne Baptiſta*, &c.

Poſterior verſûs pars, quæ difficilior eſt, *Voluiſtis ad horam gloriari luce ejus*, variè intelligitur à nonnullis hunc in modum: Ipſius vos delectabat ſanctitas; ſed ejuſdem de me teſtimonium flocci faciebatis. Ab aliis hunc in modum: Magno cum gaudio admiſiſtis aliquandiu doctrinam *Joannis*; ſed verum lumen recipere noluiſtis, cùm is venit cujus in æternum lux manet. Ab aliis autem propiùs ad rem ſic: Licèt *Joannes* lucerna foret ardens, ad tempus tamen eum honoraſtis.

Patet ex Euangelio, hanc lucem, hoc eſt, *Joannem Baptiſtam* magno primùm gaudio fuiſſe exceptum, *Matth.* 3. & *Luc.* 3. populus enim *Joannem* ut Prophetam habebat, *Matth.* 21: 26. Sed an ita *Synhedrium* ſe geſſit? (*Synhedrium* enim *Chriſtus* alloquitur) Si ita ſe geſſit, cur ipſum rejecit? *Reſp.* Patet ex *Luc.* 7: 30. magnos hoſce Doctores Rectoreſque populi recuſaſſe *Joannis* Baptiſmum; ex quibus tamen verbis non minùs liquet, magno eum ad tempus gaudio ſuſceptum ab iis eſſe: qui contrarii agendi modi ita diſtinguendi ſunt. Cùm Miniſterium *Joannis* primùm apparuit, tam manifeſtis ſanctitatis indiciis emicuit, ut doctiores non potuerint non lætari, quòd poſt tam longam noctem tanta Prophetiæ lux oriretur, ſignumque tam manifeſtum *Meſſiæ*, qui tùm expectabatur, adventantis apparere inciperetur: quamvis enim nulla *Joannes* miracula, quibus Prophetæ ſibi nomen conciliaret, patraret, *Joann.* 10: 41. omnia tamen tanto non vulgaris

JOANN. CAP. V. VERS. 35, 36.

garis virtutis ſplendore faciebat, ſive familiariter cum iis ageret, ſive admoneret, ut non potuerint non lætari Judæi quòd tam manifeſtum adventantis *Meſſiæ* ſignum viderent; cùm præſertim eum tùm brevi adfuturum crederent, *Luc.* 19: 11. cùmque magnam illius adventu mutationem fore non neſcirent, qualis mutatio erant *Joannis* Baptiſmus & Doctrina. Cùm autem fictitios *Meſſiæ* characteres in eo non reperirent, ut quòd neque verus foret de cœlo *Elias*, neque quiſquam priorum Prophetarum à mortuis regreſſus, neque *Meſſias* ipſe; cùmque ipſius doctrinam eò tendere animadverterent, ut ipſorum ex opere operato juſtitiam, in qua adeò gloriabantur, genealogiæ privilegia, religionemque ipſam convelleret: tùm *Joannem* contemnunt, & Diabolum habere volunt, *Matth.* 11: 19. Nota non dixiſſe *Chriſtum, libenter* eos *ambulaſſe* in luce ejus, ſed æquivalenter, *lætatos* eos *eſſe* in ejus luce, & ut vox originalis ſonat, *valdè lætatos*: non quòd *Joannis* pietate delectarentur, aut ex doctrina *Joannis* vitam reformare vellent; ſed quia ſperabant, glorioſa hæc *Meſſiæ* tempora, quæ expectabant, jam futurum ut appropinquarent, ipſiquemet rerum tùm gerendarum pars magna forent. Ex *Joanne* 1: 10, 20. &c. colligere licèt his eos oculis diu contemplatos fuiſſe, priuſquàm inquirerent quis eſſet, à prima ſcilicet prædicatione Baptiſmoque *Joannis*, donec quadraginta *Chriſti* tentationis dies in deſerto finirentur: quod tempus ſeptem & ampliùs menſes erat. Putabant enim fieri poſſe ut ipſe *Meſſias* eſſet, *Luc.* 3: 15. (cui falſæ ipſorum opinioni primâ ſuâ negatione reſpondit *Joannes*, *Non ſum*, *Joann.* 1: 20.) Cùm autem nihil in *Joanne* animadverterent, quòd conceptæ ab ipſis de *Meſſia* expectationi reſponderet, illius lucem reſpicere ampliùs noluerunt.

VERS. 36. *Opera quæ ego facio teſtantur de me.*

Altero jam teſtimonio *Meſſiam* ſe probat, manifeſtis ſcilicet operibus ſuis, quorum teſtimonium dicit majus eſſe quàm *Joannis* fuerat, tum quia nulla *Joannes* fecit miracula, tum quia facta ab ipſo miracula verbo *Joannis* fortiora argumenta erant. Inquiri non abs re poſſet, utrùm teſtimonium *Joannis* non æquè divinum foret, atque teſtimonium *Chriſti* miraculorum: ſed de iis loquitur relatè ad populum, cui potiùs quàm teſtimonium *Joannis* perſuadere poterant.

Infideles Judæi argumentum à *Chriſti* miraculis ductum fictitiis duobus ſubterfugiis eludere conati ſunt.

JOANN. CAP. V. VERS. 36.

I. Dixerunt, *Meſſiam* quum veniet, *nulla omninò patraturum miracula.* Hæc propoſitio aſſeritur in Thalmud in *Sanhedr.* celebri capite dicto *Helek*, ubi Gemariſtæ de *Meſſia* deque ejus adventu multa diſſerunt: hincque deducitur à *Maymonide* in *Melachim Umilchamoth*, *Perek. ult.* Ita miſeri hi impoſtores infinitis *Chriſti* miraculis reſpondent.

Adduntque II. (quòd major adhuc blaſphemia eſt) *Chriſtum* miracula ope Dæmonum patraſſe, *Matth.* 12: 24. *Phariſæi dixerunt*, *Hic homo non ejicit Dæmonia niſi in Belzebub Principe Dæmoniorum.* Atque Thalmudiſtæ in Tractatu *Shabbath*, fol. 104. *Nunquid filius Satdæ*; (ita blaſphemantes *Chriſtum* vocant) *veneficia ex Ægypto induxit?*

Quid de hiſce duobus populus, qui præjudiciis ſeductus non erat, ſentiret, colligere poſſumus ex *Joann.* 7: 31. *Multique ex populo crediderunt in eum, & dixerunt, Cùm Chriſtus venerit, an plura miracula, quàm hic facit, facturus eſt?* Quibus verbis duas impias mox commemoratas Judæorum opiniones refutant: *Meſſiam* enim facturum miracula, *Chriſtique* miracula *Meſſiæ* miraculis conformia fore aſſerunt; quorum alterum ex Scriptura manifeſtum erat, alterum ex ipſis miraculis, adeò ut neutrum niſi ſtolidè negari poſſet: cùmque *Chriſtus* in principio versûs vocat ipſius opera, *opera quæ Pater ipſi dederat finienda*, & oſtendit opera ſua eſſe à Deo, Deumque decreviſſe ut *Meſſias* ejuſmodi opera patraret, *Iſaj.* 53: 10. *Et delectatio Jehovæ per eum proſperabitur*: ſic voluit Deus, ſic etiam perfecit ille.

Opera quidem *Chriſto* à Deo præſcripta erant ejuſdem per totam vitam actus: Dei enim voluntatem ſemper faciebat. Opera tamen de quibus hìc loquitur, hæc tria præcipuè erant, obſervatio Legis, prædicatio Euangelii, demonſtratio Spiritûs miraculorumque in populi utilitatem factorum. Hæc omnia etiam ſigillatim ſumpta *Meſſiam* eum luculenter probabant; quòd ſimul ſumpta efficaciùs adhuc efficiebant. Vox *finienda* videtur Prophetiam illam connotare, *Iſaj.* 42: 4. *Non decidet, nec animum deſpondebit, donec judicium in terra ſtatuerit.* Ubi prædicitur *Meſſias* finiturus quicquid in opere Mediationis aggreſſurus foret. Titulus ei datus à Deo in primo verſu iſtius Capitis, *Servus meus*, oſtendit ipſius opera finienda à Patre ipſi eſſe præſcripta.

I. Sanctitas ipſius tam manifeſta erat, ut nullo Scripturæ teſtimonio probari egeret,

Digitized by Google

JOANN. CAP. V. VERS. 36. 37.

ret, ipſeque criticis admodùm Judæis dixit, *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Omnes relucentes in eo quotidie virtutes, humilitas, zelus, patientia, &c. latiſſimum hic dicendi campum aperire poſſint. Ut enim ſanctitas *Joannis* populi de ſe opinionem concitarat, nam miracula nulla fecit; de Baptiſmo enim & doctrina non adeò certò judicare poterat: ita *Chriſti* hoc in genere teſtimonium majus ipſius erat; tantumque *Chriſtus* ſanctimonia *Joannem* præcedebat, quantum vera ſanctitas ſanctitatem in cæremoniis tantùm poſitam: licet enim *Joannes* reipſa ſanctus foret, externam tamen in eo ſanctitatem populus tantum mirabatur, victum ſcilicet auſterum, rudeque veſtimentum, &c.

II. Tam conformis erat ipſius doctrina veterum Prophetarum prædictionibus, adeòque in omnibus quomodocunque ſpectata divina erat, ut niſi ſponte Judæi cæcutiiſſent, admiſſuri fuiſſent *neminem unquam ſimilia eſſe locutum*, *Joann.* 7:46.

III. Ipſius miracula tantâ poteſtate facta fuerant in Dæmones etiam hominesque, cùm jam miracula ceſſaſſent, ut teſtimonium illa luculentiſſimum reſidentis in eo virtutis divinæ forent: ex quibus interim nullam ſibi ipſe gloriam quærebat. His certè miraculis majora nulla *Meſſias* facere poterat, ut ipſos Judæos, nî malitia cæcos, fateri neceſſe erat.

VERS. 37. *Et qui miſit me Pater, ipſe teſtatur de me.*

Tertium hoc teſtimonium, Patris ſcilicet, producit, quod accipi poteſt vel pro iſto teſtimonio quod olim dedit Deus in Lege & Prophetis, vel de novo per vocem cœlitùs dimiſſam, quando baptizabatur. Si priore ſenſu verba intelligimus, tùm contextus ſequens, *Neque vocem ejus unquam audiſtis*, &c. ita ſumi poterit: Quamvis Deus neque in oculis unquam veſtris, neque in auribus teſtimonium de me ſenſibile exhibuerit, ſufficiens tamen in Scripturis dedit. At ſi poſteriore ſenſu interpretemur, hoc tùm modo exponentur: Quamvis maximè inuſitatum ſit ſive vocem audibilem audire, apparitionemve viſibilem divinam cœlitùs videre; & quamvis vos neque videritis neque audiveritis quid ejuſmodi à veſtris temporibus: mei tamen & de me teſtandi cauſâ talis ſonuit vox, talis apparitio viſa fuit. Seu junctim accipiantur, tam de teſtimonio quod de *Meſſia* in Veteri Teſtamento dedit Deus, quàm de teſtimonio quod cœlitùs per vocem dimiſit, ſenſus verborum ſequentium ad hoc tendit, viz. Pater olim in Scripturis, & de novo per vocem cœlitùs miſſam de me teſtatus eſt; ſed ut vos neque audiviſtis vocem ejus è cœlis, neque ſpeciem ipſius vidiſtis, ſic neque æſtimatis neque retinetis verbum ipſius, quandoquidem in illum non creditis quem miſit.

JOANN. CAP. V. VERS. 39.

VERS. 39. *Scrutamini Scripturas*, &c.

Præter rationes ex verbis ipſius verſûs ſuperiùs adductis, quibus probaretur verbum Ἐρευνᾶτε indicativè ſumendum eſſe, hæc etiam in confirmationem hujus doctrinæ addi poterunt.

I. *Chriſtus* Doctores *Synhedrii* alloquitur, diligentiſſimos Scripturarum ſcrutatores, quorum præcipua occupatio Scripturarum indagatio erat. Ut ut ſit, quamvis peritiores ſe, quàm reipſa forent, Scripturarum putarent, perpetuò tamen in eos ſcrutinio incumbebant. Ea tùm temporis Natio Scripturis maximè addicebatur; *Magni* præſertim *Synhedrii* Magiſtri, *fundamenta Legis*, & *columnæ Doctrinæ*, ut eos, *Maymonides* vocat, cap. 1. credebantur. Quare vix putarim *Chriſtum* eos hîc ad ſtudium Scripturæ hortari, cui, licèt nullo fructu, ut *Chriſtus* inſinuat, operam continuè dabant.

II. Copioſiſſimè & accuratiſſimè obſervabant & in uſu habebant Prophetias de *Meſſia* in S. S. expreſſas. Quamvis autem aliquid è ſcopo aberrarent quando de illo quædam particularia interpretabantur, compertum tamen habebant Scripturas ſatis ſuperque de illo teſtatas fuiſſe.

III. Verbum adhibitum Ἐρευνᾶτε, quod accuratam inveſtigationem ſonat, videtur deditâ operâ opponi *verbo* דרש, quod ipſi ſibi in explanatione Scripturarum applicabant.

IV. Scientiam Scripturæ maximè tùm apud eos vigere exiſtimabant, cùm ab *Hillele* reſtaurata fuiſſet circa annum 12. ætatis *Chriſti*, ut *Ezra Legem quæ memoriâ penè omnium exciderat, reſtauravit*, Juchaſin, fol. 55. De cæteris autem judicemus ex iis quæ de duobus ex ipſis dicuntur, *Rabbano* ſcilicet *Gamaliele vetere*, & *Rabbano Jochanan filio Zaccai*, qui ambo tunc è *Synhedrio* erant. *A morte Rabban Jochanan Ben Zaccai pulchritudo ſapientiæ periit; & à tempore Rabban Gamalielis veteris gloria Legis defecit*, &c. *Sotah*, *Perek.* 9. His itaque verſuque ſequente conſideratis, non tam eò *Chriſti* oratio collimabat, ut Judæos ad ſtudium Scripturæ hortaretur, quàm ut reprehenderet quod Scripturas nullo fructu legerent: *Scrutamini Scripturas, & ipſæ teſtantur de me; & tamen ad me venire non vultis*, &c. quæ coincidunt ferè cum verbis *Nico-*

demi,

JOANN. CAP. V. VERS. 39. 41. *demi*, Cap. 3: 10. *Tu es Magiſter in Iſrael, & hac neſcis?*

Quod autem dicit, *Quia vos videmini vobis in ipſis vitam æternam habere*, non negat æternam iis vitam obtineri poſſe, ſed ea tamen principia quibus hac in re Judæi nitebantur, reprehendit. Exiſtimabant ipſam Scripturam, notitiamque rerum in Scriptura ex opere operato prodeſſe ad ſalutem; utque putabant populum Legis ignarum fuiſſe maledictum, *Joann.* 7: 48. ita ipſâ Legis ſcientiâ abſque ulteriore ullo progreſſu homines beatos cenſebant. Facile oſtendi poſſet, quî omnis actionis virtutem meritumque in opere operato, *Romanenſium* adhuc more, ponerent: qui ſatisfactum à ſe officio putarent, ſi Phylacteria ſua repeterent, preces percurrerent, Synagogas frequentarent, &c. Quantum autem in mero ſtudio Scripturarum cognitioneque, atque in hiſtorica earundem fide quieſcerent, conjicere licet ex *Rom.* 2: 17, 18, 19, 20. & *Jac.* 2: 19. &c. ſed & eorum ex Authoribus oſtendi poſſet, quid hac ſuper re ſentirent.

Quod addit, *Illa ſunt quæ teſtantur de me*, emphaſis obſervari hæc poterit: non dicit tantùm, *teſtantur de me*, ſed *illa ſunt quæ teſtantur de me.* Inſinuat hinc Scripturas eſſe ſingulares *Chriſti* teſtes, ac maximè ſublime pleniſſimumque de ipſo teſtimonium, 2 *Petr.* 1: 19. Vos eas, inquit *Chriſtus*, diligenter examinatis, ſatque illæ de me teſtantur, eumque in finem datæ ſunt; & tamen ad me venire non vultis. Æternam vos è Scripturis vitam conſequuturos vos putatis; ſed hanc tantùm vitam obtinebitis, ſi ad me veneritis. Atque ita nobis *Chriſtus* proponit,

I. Dignitatem Scripturarum ut ſui teſtes.
II. Finem, ipſummet ſcilicet.
III. Opus, ut homines ad eum adducant.
IV. Fructum, vitam æternam.

VERS. 41. *Gloriam ab hominibus non capto.*

Dixerat priùs, *verſ.* 34. ſe teſtimonium ab hominibus non accepiſſe; jamque alia de re loquitur. In priore orationis parte multis ſe *Meſſiam* affirmarat, teſtimoniaque in ejuſdem veritatis confirmationem in poſteriore affert. Nunc modum actionum ſuarum docet: quòd gloriam ſcilicet ab hominibus accipere nollet, ſed ſolius Dei gloriam quæreret; gloriamque tantùm quæ à Deo eſt, ut *verſ.* 43. & 44. ejus orationem explicant. *Verſ.* 43. dicit, non ſuo ſe veniſſe nomine, ſed Patris; hincque docemur quî hæc verba accipi debeant: ſui proinde nominis ab hominibus exaltationem non quærebat, ſed divinam tantùm gloriam. Et *verſ.* 44. opponit procurationem honoris ab hominibus, gloriamque à Deo derivatam ut res ſibi repugnantes: quare cùm hîc dicit, *Gloriam ab hominibus non capto*, humanam deſpicit gloriam, licèt priùs de æquali ſua cum paterna poteſtate Patriſque de ſeipſo teſtimonio locutus fuiſſet. De humana autem gloria intelligendus videtur. I. Quia terrenâ circumamictum gloriâ *Meſſiam* Judæi concipiebant. II. Ob verba priùs mox prolata, *Et non vultis venire ad me*, &c. quæ ita intelligi nolebat, ut factionis cujuſpiam principatum ambire velle videretur: *Non accipio*, inquit, *gloriam ab hominibus, nec quæro*; divinam tantùm venor, &c.

JOANN. CAP. V. VERS. 42.

VERS. 42. *Sed novi vos charitatem Dei non habere in vobis.*

Non eſt curioſiùs inſiſtendum huic locutioni, utrùm verſus accipiendus ſit verbatim ut jacet, aut ita tantùm ſumendus ſit, ut aliqui ſumunt, *Scio quòd charitas Dei in vobis non ſit.* Quocunque modo ſumatur, triſtiſſimum eſt, ſed quod Judæi promerebantur, maledictum: compara *Exod.* 3: 19. *Apocal.* 2: 2, 9, 13, 19. &c. *Joann.* 2: 25. &c. Connexio horum verborum cum prioribus (vox enim *ſed* eò ſpectat) primùm quærenda eſt, tùm ſenſus inveniendus. Dixerat *Chriſtus* antè, nec ſe gloriam ab hominibus, nec teſtimonium accepiſſe, ſed à Deo utrumque: concludit tamen ipſos recipere noluiſſe teſtimonium Dei, ſeque ipſum; & honorem Dei flocci eos habuiſſe, quòd charitas Dei non foret in ipſis.

Si Dei in ipſis amor foret, eum quem ipſe miſerat recepiſſent, de quo teſtimonium is dederat, & quem honorarat. *Sed ſcio*, inquit ille, *quòd illius charitas in vobis non ſit.* I. Hîc eorum hypocriſim reprehendit, ut qui pietatem omninò ſimularent. II. Falſum eorum Sabbati zelum exhibebat, qui non ex amore Dei procedebat: Sabbatum enim quamvis delicias vocare viderentur, ipſi tamen in Domino non delectabantur, *Iſaj.* 58: 13, 14.

Quod autem dicit, *Novi vos, quòd charitas Dei non ſit in vobis*, I. Falſam aliorum de eorum ſanctimonia opinionem inſinuat: ipſi enim externis eorum cæremoniis decepti erant, non autem ille, quia eos intimè noverat. II. Hoc dicit ut *Meſſias* cordium-que inſpector: quorum veritatem ipſi etiam, ſi quid vitæ animæ ineſſet, intus ſentiebant. III. Hoc fortè dixit ob conſpicuam illorum in acceptatione hominum nequitiam; quod argumentum verſu ſequente proſequitur: atque ita Dominus in Templum ſuum venit, tanquam ignis dividens penetranſque corda, diſcernenſque verum inter & adulteratum argentum, inter eos

 qui

Digitized by Google

JOANN. CAP. V. VERS. 43, 44.

qui amant ipſum, quique non amant, *Mal.* 3: 2. Judicat itaque magnos Judices *Synhedrii*, quos meritò, licèt magnos teſtium examinatores, *cuſtodeſque utriuſque tabulæ*, ob contemptum Dei teſtimonium, extinctumque in animis Dei amorem, pro authoritate ſua accuſat.

VERS. 43. *Ego veni nomine Patris mei, nec recipitis me. Si venerit alius nomine ſuo, illum recipietis.*

I. Probat hìc confirmatque quæ priùs dixerat, quòd charitas Dei in ipſis non foret, quia eum qui in nomine Domini veniebat non receperant.

II. Prædicere videtur quàm parati futuri forent ad falſos Prophetas admittendos, falſoſque *Chriſtos*, qui vero rejecto, plurimi naſcerentur, *Matth.* 24: 24. Atque, ut alia exempla omittam, *Rabbi Akibah* ipſe *Synhedrii* ſuo tempore Præſes, Armigerum filii *Cozbæ Pſeudo-Meſſiæ* ſe fecit, qui multa millia in errorem & ruinam *Adriani* temporibus egit.

III. Oſtendit eos ipſorummet principiis eò duci, ut miſſos à Deo contemnerent, eoſque qui ſuo nomine venirent, amplecterentur, quia humanam gloriam quærebant.

Qua in re ab omnibus Pſeudo-Prophetis *Chriſtus* diſcrepabat, quia non hominum, ſed Dei laudem quærebat. Summi etiam impoſtores Dei nomine, ut ille, venire ſe dicebant: proprio tamen aſſerit veniſſe nomine, quia propriam gloriam quærebant, quam ipſe non quærebat. *Ben Cozba* bella geſſit, magnas victorias reportavit, monetam excudit ſuo nomine inſignitam, mundanamque tantùm pompam ambiebat: ſed *Chriſtus* pauper venit & humilis, nihil ex hoc mundo quærebat, ſuaque omnia geſta ad gloriam ejus qui miſerat eum retulit.

VERS. 44. *Quomodo vos poteſtis credere, quum gloriam alii ab aliis captetis?* &c.

Quî Magnates illi laudem hominum, neglecto Deo, ambierint, ſæpè in Euangelio dicitur, *Matth.* 23: 5. *Omnia opera ſua faciunt ut videantur ab hominibus.* Joann. 12: 43. *Dilexerunt laudem hominum magis quam laudem Dei*, &c. Hæc autem eorum ſuperbia fideſque in *Chriſtum* ſibi omninò invicem repugnabant; elatæ enim eorum cogitationes, humiliſque ipſius conditio non congruebant: cùm enim vanam tantùm ii gloriam ambirent, hominis in tam humili, in quo ipſe apparebat, ſtatu poſiti Diſcipuli fieri præ faſtu nolebant. Compara *Jac.* 2: 1, 2, 3. &c. *Cùm quærimus honorem qui à Deo tantùm eſt*, corda noſtra ipſi paramus, grataque charitate reddimus. *Euge, ſerve bone & fidelis*, &c. Vide *Rom.* 2: 29.

JOANN. CAP. V. VERS. 45.

VERS. 45. *Ne putate me accuſaturum vos apud Patrem?*

Ut *Elias Iſraëlitas*, *Rom.* 11: 2. & *Iſaj.* 6: 5. *accuſarunt carbones*, inquit *Rabbi Solomon*, *commemorantur de Iſaja & Elia*, מפני שאמרו דילטוריא על ישראל, *quia accuſarunt Iſraëlitas: alter vocavit eos populum incircumciſis labiis; alter dixit, Dereliquerunt fœdus*, &c.

Chriſtus in verſibus prioribus meritò iſtos homines varia ob crimina reprehenderat, ob impietatem, irreligionem, infidelitatem, ob defectum Verbi in ipſis, ob ambitionem, quæſitamque hominum, non Dei laudem: obque hæc omnia eos coram Patre ſuo accuſare poterat. Sed ſui ab ipſis rejectionem his præcipuè verbis connotat, qui à Patre ad ipſos miſſus fuerat: verſ. 38. *Huic vos non creditis.* Verſ. 40. *Sed non vultis venire ad me.* Verſ. 43. *Ego veni nomine Patris mei, nec recipitis me*, &c. Propter hæc apud Patrem meritò de iis conqueſtus fuiſſet, *An putatis quòd ego accuſaturus ſum vos*, &c. An ſimile quidpiam cogitarunt? aut multùm curarunt utrùm ipſe necne eos apud Patrem accuſaret?

I. *Reſp.* Non uno Thalmudiſtæ loco *Meſſiam* inducunt conquerentem interdùm adverſus coævam ſibi generationem: fatenturque ipſi, קטינוריא בתר, *Cùm Filius David venerit, accuſandos Diſcipulos Sapientum*, Cetuboth in *Gemara*, ad finem.

II. Fortè *Chriſtum* ſuo ingenio metiebantur. Coram ſummo jam ipſorum tribunali ſtabat: à quo læſus, ad quem niſi ad Deum appellaret? Quod meri homines, paſſionumque ſuarum mancipia feciſſent, ejuſdem forte *Chriſtum* indolis credebant. Sed,

III. Senſus verborum *Chriſti* hic eſt: quòd minimè opus foret ut ob ſe, licèt à Patre miſſum, ab iis contemptum accuſaret, cùm *Moſes* ipſe cui credebant eorum accuſator exiſteret: quod de doctrina *Moſis*, non de homine ipſo intelligendum; ut cùm Apoſtoli dicuntur *ſedere ſuper duodecim thronos, judicantes duodecim Tribus Iſraël*, de doctrina locus iſte accipiendus, non de perſonis ipſis. Doctrinæ *Moſis* credebant, utpotè quam opera Legis probaſſent; ejuſque doctrina eò collimabat, ut homines ad *Chriſtum* duceret. Quare Scripta *Moſis* meritò etiam ipſos accuſabant, quæ ad oſtendendam unius *Chriſti* meritis juſtificationem ſpectabant: præſertim, cùm *Moſis* Diſcipuli videri vellent, eumque tamen repudiarent, quem *Moſes* tam diſertis verbis ut ultimum Legis ſcopum propoſuerat. His itaque verbis Legem *Moſis* fidei objecto comprehendi *Chriſtus* docet.

Finis tertiæ Partis.

DESCRIPTIO TEMPLI HIEROSOLYMITANI,

Præſertim quale erat tempore

SERVATORIS NOSTRI.

Digitized

LECTORI.

NOn majorem impendiſſem laborem in itinere Hieroſolymam faciendo, ut Templum viderem, ſi etiamnum hodie ſtaret, quàm impendi in eo, uti feci, aliorum oculis luſtrando, dum eorum Scripta legi. Ac nihilominùs, quantivis fuerint mei labores, ſucceſſum Operis mei apud Lectorem neceſſe eſt me dubiæ Librorum fortunæ permittere, quandoquidem nec ejus favorem ſubmiſſè petere animus eſt, nec eſt quòd me eum impetraturum deſperem. Si brevior fui quàm dignitas argumenti requirebat, vel Lectoris expectationem feſelli, difficultas argumenti ſatis me defendet; & cupiditas alios juvandi leviorem reddet cenſuram.

Vix eſt in Literarum ſtudiis opus difficilius deſcriptione ædificiorum & locorum nunquam à nobis conſpectorum, & remotorum: & Scriptura etiam vix quicquam habet obſcurius deſcriptione hujus ſtructuræ. Si tam ſæpè Judæorum narrationes hic adjeci, id indè factum eſt, quòd ex nullo alio loco, exceptâ Scripturâ, meliorem peti poſſe rei explicationem crediderim. Novi quidem nullorum Auctorum Scripta pejùs audire quàm Judæorum, & ſæpè etiam meritò: liceat tamen ipſis referre Hiſtoriam ſuarum Conſuetudinum & Antiquitatum, æquè ac aliis; ſique iis fidem detrahas, alios afferre qui credenda magis de re prædicta loquantur, impoſſibile eſſe agnoſcito.

Pro omnibus quæ in eorum Scriptis occurrunt cauſam non dixerim, niſi ipſis ſimilis eſſe velim. Sed non poſſum eis in rebus ad Hiſtoriam pertinentibus fidem prorſùs detrahere, ut qui videantur optima omnium monumenta ſuæ ipſorum Antiquitatum habere.

Notiſſimum eſt ſtudioſis, quantam lucem viri eruditi attulerint multis difficilibus Scripturæ locis, notitiâ Judaicarum Conſuetudinum & Antiquitatum, ad quas paſſim reſpicit & alludit Novum Teſtamentum. Non opus eſt me procul quærere exempla eruditorum, qui feliciſſimi in ejuſmodi illuſtrationibus fuerunt. Incomparabile illud par in noſtra Gente, nulli ex exteris Gentibus ſecundum, Hugo Broughtonus in ſuperiori, & Joannes Seldenus in hac noſtra ætate, erunt inſtar omnium. Quamvis autem ne per ſomnium quidem cogitare aut ſperare poſſim me perventurum ad minimam partem eorum eruditionis in hiſce ſtudiis, & felicitatis in interpretationibus Scripturæ: attamen non poſſum non animos ſumere ex aliorum experimentis, & jucundius talia ipſe monumenta evolvere, non ſine ſpe me aliquem fructum inde ablaturum, & quædam non prorsùs inutilia aliis inde hauſturum.

Quid utilitatis redire poſſit ex hoc Volumine, Lectori dijudicandum relinquere me oportet, non autem de me ipſo judicium ferre. Hoc ſpero, & ſine ſuperbia & mendacio dicere poſſum, hoc argumentum raro anteà tam fuſè in Anglico noſtro idiomate pertractatum fuiſſe; & quod hic affertur in Judæorum monumentis, utplurimùm adeò eſſe poſſibile & probabile, atque adeò conſentaneum Scripturæ, rationi, & Joſepho, (cujus fides majoris vulgò ponderis eſt quàm Thalmudicorum) quanquàm fateor non neceſſariò credi oporteat, nullum tamen futurum ſit invictum argumentum quod ei opponi queat.

Susceperam penſum majoris temporis, laboris & voluminis, ſed ejuſdem operis atque hoc eſt; ex Scriptura nempè, Thalmudicis ac Judaicis Scriptoribus edere deſcriptionem Terræ Canaan; & ita quidem, ut ſi dextrè ejuſmodi uterer Auctoribus, non ſpernendam ex iis utilitatem etiam ducturus. Ac certè, niſi me meum fallit judicium, eximium & ſingularem uſum in hujuſmodi opere præſtare poſſunt; & inde hauriri ſexcentæ vel millenæ potiùs raræ & eruditæ obſervationes ad hoc argumentum pertinentes, quibus non parùm illuſtratur

Chorographia

Digitized by Google

*Chorographia & Hiſtoria ejus regionis, & quæ aliunde peti non poſſunt. Sed cùm multum temporis in eo labore conſumpſiſſem, atque etiam in opere progreſſus eſſem, comperi conſilium meum ab eruditiori & acutiori calamo occupatum fuiſſe *, qui quamvis eâdem viâ, ac ego feceram, rem procedat, attamen adeò me ἀκριβείᾳ & diligentiâ ſuperat, ut videam, ſi pergam, me oleum & operam perditurum. Ideòque id penſum omiſi, ne actum agerem, & animum meum ad hanc converti deſcriptionem, quia tale quippiam me editurum promiſeram.*

* Thomas Fullerus T. B.

Dum elaboro hoc opus, amplam ædificiorum Templi Tabulam adornavi, juxta deſcriptionem quam oratione complexus ſum hoc in Libro, cujus conſpectu & collatione faciliùs & jucundiùs intelligerentur quæ hîc deſcribuntur, ſi potuiſſet unà edi; ſed nondum facultatem ejus Tabulæ perficiendæ nactus ſum. Et decreveram quidem hunc Tractatum eò uſque ſupprimere, donec unà in luminis auras exire poſſet: ſed eum emittere coactus ſui partim aliorum importunitate, partim argumento hoc proprio, non debere occaſionem amitti experiendi quomodo excipiendus eſſet hic Tractatus, priuſquàm majorem laborem & ſumptus impendiſſem ad quærendum Tabulæ ſculptorem. Si quis ex eruditis meis amicis, perlecto hoc Libro, exiſtimet Tabulæ editionem eſſe alicujus momenti, hoc incitamento permovebor ad rem ipſam, quantùm potero, præſtandam.

Magnæ-Mundoniæ in Hertfordienſi Comitatu,
April. 3. 1650.

D E-

Digitized by Google

DESCRIPTIO TEMPLI HIEROSOLYMITANI.

CAPUT I.

De ſitu Montis Moriah : הר הבית

2 *Paral.* 3: 1. *Iſaj.* 2: 2.

MOriah, *Mons Domûs Domini*, undecunque nomen trahat, (circa cujus etymum variæ ſunt conjecturæ) à Deo deſignatus fuit in eum uſum in quem adhibitus eſt, igne cœlitùs demiſſo, & anteà antiquiſſimis temporibus oblatione *Abrahami*, qui ibi *Iſaacum*, alterius victimæ figuram, mactare voluit. Quidam exiſtimant vocatum fuiſſe *Moriah* ab הוראה *Inſtructio*, quia indè exiit Lex & doctrina in omnem *Iſraëlem*. Alii putant nomen hoc derivatum eſſe à voce מור, quæ *myrrham* ſignificat, & aroma, quia is ſolus erat locus in quo Thymiama offerretur. Alii ex מוראה יה *Moreh jah*, *Conſpicietur Dominus*, quia Filius Dei ibi humanâ carne indutus erat appariturus. Itaque omnes exiſtimant, in illa etymologia fuiſſe aliquid quod futurum prædiceret, ſeu reſpiceret ad aliquid quod olim contingere debebat. Sed ſi velimus accommodare etymologiam ad tempus illud quo Mons & finitima regio primùm vocata eſt *Terra Moriah*, poterimus id nominis interpretari *Terram Doctoris Dei*, (ut *Joann.* 3: 2.) vel *Terram Domini Doctoris mei*, in qua nempè degebat *Sem*, ſeu *Melchiſedek*, magnus Doctor viarum Domini, (dum vicini *Cananæi* in tenebris ambulabant & à deluſionis Doctoribus ducebantur) & terram quam *Dominus ejus Doctor* deſignaverat ipſi in prædictione patris *Noachi*.

1 *Paral.* 21: 26. & 22: 1. *Geneſ.* 22: 2. *R. Solom. in Geneſ.* 22. *Onkel.* ibid. *Fuller. Miſcell.* lib. 2. cap. 15.

Joſeph. Antiquit. lib. 15. cap. 14. *Ezech.* 40: 2. & *Kimch.* ibid. & *Thoſapht. ad Kelim.*

Hic Mons erat ita ſitus in medio *Hieroſolymæ*, ut Urbs circa ipſum θεατροειδὴς eſſet, ſeu inſtar theatri. Ad Auſtrum condita erat *Hieroſolyma* ipſa in Monte *Acra*: & *Acra* quidem per ſe altior erat quàm *Moriah*, ſed ab *Aſmonæis* non parùm explanatus fuerat dum regnarunt; & vallis etiam quæ interjacebat terrâ impleta fuerat, ut Templum ſuperaret faſtigia ædificiorum quæ erant in *Acra*, & aſcenſus ab Urbe in Templum planior & facilior eſſet. Confer *Luc.* 3: 5. Ad Septentrionem erat Mons *Sion*, in quo condita erant ſplendidiſſima ædificia Regiæ & Civitatis *Davidis*. Hi duo Montes *Acra* & *Sion*, & Civitates ipſis inædificatæ, Civitas & Aula *Canaanis* (uti ſunt apud nos *Londinum* & *Weſtmonaſterium*) ita declives erant in extremitatibus quæ ad Euro-notum & Euro-aquilonem vergebant, ut ad Orientem & Auſtrum Templi ſibi invicem occurrerent, valle inter ipſos & Templum undique interjectâ, niſi ad Auſtrum, ubi minùs profunda erat, propter exæquationem quam anteà memoravimus ab *Aſmonæis* factam.

Joſeph. de Bell. lib. 5. cap. 13. *Pſalm.* 48: 2. *Ab. Ezra*, ibid.

Quamvis hic Mons *Moriah* per ſe non æquaret altitudinem duorum collium qui hinc inde poſiti erant, attamen valdè præfractus erat. Λόφος κάρτερος, ἀπόκρημνος καὶ κατάντης τὸ πέριξ. *Validus, præceps & præfractus undique collis.* Atque indè agnoſcebant maſculos, *Qui tenebantur apparere coram Domino tribus diebus feſtis, ex eò quòd ſemel poterant aſcendere in Montem Templi manu à patre deducti.*

Joſeph. de Bell. lib. 5. cap. 14. *Hagigah*, Per. 1.

Hic Mons etiam in diſtributione agrorum diviſus eſt, & altera quidem pars ſorte obvenerat cuidam Tribui, altera alii. *Nam maxima pars Atriorum erat in portione Judæ; ſed Altare, Porticus, Templum, & Locus Sanctiſſimus in portione Benjaminis.* Et ea quidem pars quæ *Judæ* obvenerat erat fornicibus oppleta: וכיפין על גבי כיפין היו בויות מפני אהל הטמאה, *Cum fornicibus inædificatis fornicibus*, ait *Maymonides*, *propter Tentorium Pollutionis.*

Aboth R. Nathan, Per. 34. *Zevachim*, Per. 5. *in Gemara. Beth Habbechirah.*

Jam autem quod vocat *Tentorium Pollutionis*, poſſet optimè intelligi de Cloaca ſeu Sentina, ſub ſolo facta & fornicibus tecta ad educendas ſordes & ablutiones Atriorum,

 qualem

Digitized by Google

qualem reverà fuiſſe poſteà videbimus: ſed ipſe quid intellexerit alibi oſtendit, & dicit: כל הר הבית והעזרות תחתיהן היה חלול מפני קבר התהום, *Totus Mons Domûs* (hoc eſt, ſpatium exterius) *eſt fornicibus ſuſtentatus, propter abyſſum, vel profunda ſepulcra. Thalmudici* autem ſolent vocare profunditatem, inconſpicuum ſeu non ſuſpectum ſepulcrum, קבר התהום, *Sepulcrum abyſſi*, τὸ μνημεῖον τὸ ἄδηλον, prout loquuntur Euangeliſtæ, *Luc.* 11: 44. Ita etiam inconſpicuam vel ignotam immunditiem טומאת התהום, *Abyſſum immunditiæ*, cui opponunt טומאת ידוע, *Immunditiem notam.* Itaque ut certò ipſis conſtaret nulla ſepulcra clam fieri poſſe alicubi in Atriis Templi, quibus poſſent pollui, tota Atria fornicibus ſuſtentarunt, ita ut eſſent כיפין על גבי כיפין, *Fornices fornicibus impoſiti*, (ut loquitur Autor noſter, quod in alia quapiam ſimili hiſtoria interpretatur) כיפין על שני כיפין, *& arcus duobus aliis impoſiti, ut baſis unius arcûs inſiſteret duobus inferioribus arcubus.* Itaque impoſſibile erat ſepelire ſuper fornicibus, quia terra deerat; vel ſi cadaver infrà fornices humo mandaretur, remotius & profundius erat quàm ut pollueret.

Maymon. Parah, Per. 2.

Thalm. Babyl. Parah, Per. 3. *Gloſſ.* ibid. *Nazir,* Per. 1. & *Maymon. in Beath Mikdash,* Per. 4.

Id. *in Parah,* Per. 3.

CAPUT II.

Menſura ſoli Montis Templi.

Ἀνωτάτω χθαμαλόν.

AMbitus Montis *Moriah* aliquantò amplior evaſit tempore & induſtriâ hominum, quàm fuerat *Solomonis* temporibus, cùm primùm in eo Templum conſtrueretur. Nam cùm *David* divinâ directione Altare conſtruxiſſet, & Deus igne cœlitùs immiſſo deſignaſſet ipſum locum in quo Altare Templi eſſe oportebat, Mons alicunde in extremitatibus propter flexuras aut declivitates hiare potuit, adeò ut ſpatium deſtinatum omnibus Atriis quæ extruenda erant, & quod debebat ab Altari tanquam à fixa quapiam nota menſurari, non poſſet undique æquale eſſe, ſed hiatibus quibuſdam interrumperetur propter inæqualitatem & declivitatem Montis quibuſdam in locis. Hinc *Solomon* & ſequentia ſæcula ſemper auxerunt ejus amplitudinem, impletâ valle & præcipitibus locis in quibus aliquis erat hiatus, adeò ut tandem ambitus areæ ſupremæ Montis eſſet ſub ſecundo Templo חמש מאות אמה על חמש מאות אמה, *quingentos cubitos ſupra quingentos cubitos*, hoc eſt, tetragonum perfectum quingentorum cubitorum, ſeu cujus ambitus erat bis mille cubitorum: atque hæc quadrata area muro incluſa erat. Quod non ita capiendum eſt, quaſi ſolum Montis nullatenus hanc menſuram excederet: nam ההר היה גדול הרבה מ״תק על ״תק אלא לא היה קדוש, *Mons excedebat amplitudinem quingentorum cubitorum quadratorum; ſed non ampliùs ſpatium ſanctum habebatur.*

Joſeph. de Bello, lib. 5. cap. 14.

1 *Paral.* 21: 18. & 22: 1.

Midd. Per. 2.

Maymon. in Beth Habbech. Per. 5.

Piſk. Thoſaphs. ad Midd.

Hic numerus quingentorum cubitorum undiquaque tam benè convenit cum numero quem habet *Ezechiel*, ut conducat ad confirmandam hanc proportionem & rationem; & quamvis latior ejus menſura multùm differat ab hac noſtra, tamen menſura ejus cubiti tam benè convenit cum cubito de quo loquimur, ut difficillimum ſit, ſi non prorsùs impoſſibile, inter tam varias cubitorum quas reperimus menſuras, quicquam certi ſtatuere. Invenimus enim mentionem fieri communis cubiti quinque palmorum, dimidiæ partis ſex cubitorum, cubiti dimidio digito longioris quàm *Moſaicum*, & rurſùs alterius dimidio digito longioris. Sed *Ezechiel* definit magnitudinem cubiti ſui, dum dicit eſſe *cubitum & palmum*, hoc eſt, communem cubitum quinque palmorum, & prætereà palmum. Ita Judæi in eandem menſuram conveniunt in hoc recepto Axiomate: הבנין ו׳ טפחים ושל כלים ה׳, *Cubitus ædificii Templi erat ſex palmorum; ſed cubitus juxta quem menſurata erant vaſa ſacra, quinque tantùm palmorum erat.*

Ezech. 42: 20. & 45: 2.

Kimch. in Ezech. 45. & 43: 13. & *R. Solom.* ibid. *Kelim.* Per. 17. *Ezech.* 40: 5.

Kelim; ubi ſupr. *Kimchi in* 2 *Paral.* 3: 3.

Cùm autem palmus eſſet menſura *quatuor digitorum manûs uti ſunt conjuncti*, qui efficiunt tantùm tres pollices; cubitus ſex palmorum, quo jam hîc utimur, æquabat octodecim pollices, aut *Semivirgam* Anglicanam; adeòque juxta hanc ſupputationem quingenti cubiti quadrati efficiunt ducentas & quinquaginta *virgas*, totus verò circuitus muri circiter mille *virgas*.

Kimchi in Michlol in voce טפח

Joſephus definivit juſtam longitudinem uniuſcujuſque lateris ſpatii illius quadrati: Ἑκάστης γωνίας σταδίου μῆκος ἀπολαμβανούσης, *Unoquoque angulo ſtadii longitudinem complectente.* Itaque totum ambitum ſemimilliaris *Anglicani* circiter conſtituit, adhibitâ vulgari menſurâ, & quæ *Græcis* & *Romanis*, quibus ſcribebat, notiſſima erat.

Antiquit. lib. 15. cap. 14.

Jam ſi quis integri ambitûs muri qui circumdabat ſanctum ſolum, menſuram inire velit juxta *Anglicanam* noſtram menſuram, inveniet eam æquare ſemimilliare, & circiter centum & ſexaginta

ſex

Digitized by Google

ſex virgas. Quicunque etiam menſurabit Tetragonum *Ezechielis*, 42: 20. comperiet illud ſex partibus ampliùs quàm hoc, *Cap.* 40: 5. cùm æquet tria milliaria & quingentos paſſus; qui ambitus multis vicibus amplior eſt quàm unquam fuit Mons *Moriah*. Atque hoc ipſum oſtendit debere *Ezechielem* ſpiritualiter & myſticè intelligi.

Deſcriptio Templi & Urbis quam in fine Libri ſui tradidit, quatenùs eſt prædictio boni alicujus futuri, veriſſima eſt, ſed remotiſſima à ſenſu literali, nempè eodem modo Templum & Urbem ædificatum iri. Erat itaque promiſſio ad conſolandum populum qui tùm erat in captivitate, quâ certior fiebat affore aliquando tempus quo in patriam rediturus eſſet, & fruiturus ut anteà *Hieroſolymâ* & Templo. Sed quòd attinet ad literalem convenientiam inſtauratæ *Hieroſolymæ* & Templi ſecundi, cum omnibus partibus hujus deſcriptionis, adeò diſtat, ut Templum *Ezechielis* amplius ſit totâ *Hieroſolymâ* terreſtri, ejuſque *Hieroſolyma* amplior quàm ipſa terra *Canaan*. Hinc manifeſtò apparet ſcopum Spiritûs Sancti in illa Ichnographia, fuiſſe æquè ſignificare maximum incrementum ſpiritualis *Hieroſolymæ* & Templi, hoc eſt, Eccleſiam ſub Euangelio, ejuſque ſpiritualem pulchritudinem & gloriam; ac præbere captivo *Iſraëli* ſpem terreſtris civitatis & Templi inſtaurandi, quod contigit cùm ſoluta eſt à *Cyro* captivitas. Habet tamen apud *Ezechielem* ſacrum hoc ſolum ſuos terminos, quamvis ſint ampliſſimi: ſed cùm *Joannes* in *Apocalypſi* tradit menſuram Templi, exterior pars ſeu Atrium caret terminis, nec menſuratur aut ullo muro includitur: cujus rei ratio hæc affertur, *Quòd Atrium conceſſum eſſet Gentilibus*, *& futurum eſſet ut Sanctam Urbem calcarent* (ut calcabatur Dei Atrium cùm eò deveniebatur ad eum colendum) *per duos & quadraginta menſes*, Apocal. 11: 1, 2, 3. Unde etiam apparet quare Propheta auxerit ſacrum ſolum, ad denotandum nempè magnum numerum eorum qui ſub Euangelio Deum erant culturi.

Murus qui ambibat Tetragonum ſacri ſoli, erat ex pulcherrimo lapide, & altus erat viginti quinque cubitos, ſeu duodecim virgas & dimidium, ſtantibus ſcilicet intra ſolum ſacrum: nam extrinſecùs erat profundiſſimum præcipitium, & immenſa erat altitudo è fundo vallis ſubjectæ ad ſummos muros; ſed introrſùm altitudo major non erat viginti quinque cubitis, eaque totum Tetragonum ſacrum ambibat.

Joſeph. de Bello, lib. 5. cap. 14.

Jam cùm ſit communis opinio inter *Thalmudiſtas*, כותל המזרחי נובהה ו' אמות, *Murum Orientalem altum fuiſſe ſex cubitis*; id non debet intelligi de toto Orientali muro, qui viginti quinque cubitos non minùs in ea parte quàm in aliis altus erat; ſed debet tantùm intelligi de ea parte muri quæ erat ſupra Orientalem Portam; atque ita à quibuſdam ex iis exponitur: כמוה ראה למעלה לתוך פתח היכל צריך שיהא הכותל של מעלה של שער כושן נמוך: Nam cùm Sacerdos qui ſanguinem Vaccæ ruſæ adſpergebat in Monte *Oliveti*, deberet proſpicere per hanc Orientalem Portam, ipſas Templi valvas; & cùm ſolum Porticûs Templi eſſet viginti duobus cubitis altius quàm ſolum hujus Orientalis Portæ, & ita Sacerdos ex Monte *Oliveti* proſpiciens per hanc Portam non poſſet videre ſupra octavum gradum qui erat ante Porticum: *ideò neceſſe erat murum qui erat ſupra Orientalem Portam, humilem eſſe*, ut videret ſupra Portam quod per Portam ipſam videre non poterat.

Midd. Perek. 2. & Kimch. ubi ſuprà.
Midd. Perek. 2. Sect. 4.
Maymon. in Beth Habbechir. Perek. 6.
R. Shem. in Midd. Pisk. Thesapht.

CAPUT III.

Orientalis Porta Montis Domûs, שושן *Shushan Porta. Proſpectus Montis Oliveti & partis Urbis è regione ejus ſitæ.*

IN perluſtrandis Portis & ædificiis quæ erant in exteriori muro & ſpatio ſacri ſoli, incipiemus ab Orientali Porta quæ oppoſita erat Monti *Oliveti*, & in qua erat tantùm una Porta. Hæc & omnes aliæ Portæ, tum in hoc muro, tum in alio qui ambiebat Atria, erant altæ viginti cubitos, latæ decem, juxta conſtantem Hebræorum Scriptorum ſupputationem.

Midd. Perek. 2.

Ab iis non diſſentit popularis eorum *Joſephus*, qui alia linguâ ſcripſit, quamvis conſtans menſura quam tradit omnium Portarum, ſit altitudo triginta cubitorum, latitudo verò quindecim. Sed in hac varietate accuratiùs rem explanant. Altitudo totius Πυλώματος, ſeu totius Architecturæ quæ Portam exornabat unà cum Porta, erat triginta cubitorum, adeóque quinque cubitis ſupra murum aſſurgebat; ſed ipſum Oſtium ſeu Introitus erat viginti cubitorum tantùm. Ita latitudo Introitûs uniuſcujuſque Portæ erat tantùm decem cubitorum, ſed latera Portæ hinc indè erant duo cubitorum & dimidii,

Joſeph. de Bello, lib. 5. cap. 14.

dii, adcóque totius ſtructuræ latitudo erat quindecim cubitorum. Altitudo verò hujus Orientalis Portæ humilior erat reliquis quatuor cubitis, nam exſurgebat tantùm ſex cubitis ſupra oſtium, cum in reliquis Portis ſuperiora ornamenta ad decem cubitorum altitudinem extollerentur; itaque uno tantùm cubito excedebat totum murum, dum reliquarum Portarum altitudo quinque cubitis ſuperaret totum murum. Atque hujus rei ratio ſuprà allata eſt, nempè ut Sacerdos qui comburebat Vaccam ruſam in Monte *Oliveti* poſſet Templum ſupra Portam videre: ad id enim in Aſperſione ſanguinis Vaccæ iſtius exiſtimabant ſe Lege divinâ teneri: *Adſperget ſanguinem ejus directè ante Tabernaculum Congregationis ſeptem vicibus*, Numer. 19: 4. Obſervare poſſumus *Chriſtum* & Diſcipulos ejus è Templo per hanc Portam egreſſos, ſediſſe in Monte *Oliveti* è regione hujus Portæ, & proſpexiſſe magnificam Templi ſtructionem, *Chriſtumque* ex ea occaſione de ejus ruina diſſeruiſſe, *Matth.* 24: 1, 2, 3. &c.

Maymon. in Beth Habbechirah, Perek. 6. Gloſſ. in Midd.

Hæc Porta exactè non erat ſita in media parte hujus Orientalis muri, quaſi hinc indè habuiſſet murus ducentos quadraginta quinque cubitos; ſed nonnihil declinabat ad Septentrionem, quia oportebat eam ex adverſo directè reſpondere Porticui Templi. Jam cùm Altare ita fixum & conſtitutum eſſe divinâ directione, ut Mons undique æquale ſpatium hinc indè præbere non poſſet, coacti fuerunt ita Templum ædificare, ut conveniret Altari, atque eodem etiam modo Atria diſponere, ut רובו לו מן הדרום ב לו מן המזרח שלישי לו מן הצפון מיעוטו מן המערב, *Maximum ſpatium montis erat ad Auſtrum, ſecundum ad Orientem, tertium ad Septentrionem, minimum ad Occidentem.*

Midd. ubi ſuprà.

Supra hanc Orientalem Portam picta erat Urbs *Shushan*, regia ſedes Monarchiæ *Perſicæ*; unde Porta ipſa, vel ſaltem aliqua ejus pars vocabatur טתי אמות היו בשושן הבירה. *Thalmud* dicit *fuiſſe duo genera cubitorum in Shushan Palatio: unum qui ſuperabat cubitum Moſaicum dimidiâ parte digiti; atque hunc fuiſſe in Euro-aquilonari angulo: alterum verò qui alterâ dimidiâ parte digiti hunc ſuperabat; atque illum fuiſſe in angulo qui Euro-notum reſpiciebat.* Ad quem locum hoc habet *Gloſſa* interpretamentum: *Shushan Palatium erat Conclave in Orientali Porta, ubi Urbs Shushan picta erat.* Et ratio hujus picturæ à quibuſdam hæc affertur: *Ut Iſraël poſſet eam videre, & meminiſſe ſuæ captivitatis in Shushan.* Ab aliis hæc: *Quia cùm exierunt ex captivitate, Rex Perſarum juſſit pingi Shushan ſupra Portas Domûs, ut timor regni eſſet ſuper ipſos.* Sed hìc *Abraham Zaccuth* juſtam difficultatem movet. *Regnum Perſidis*, inquit, *& Shushan non diu duravere poſtquam ſecundum Templum exſtructum fuit, nempè circiter* 34. *annos. Quod cùm ita ſit, quomodo fieri potuit ut hæc Tabula perduraverit per totum tempus ſecundi Templi? Sed ſunt quidam qui ita difficultatem ſolvunt: filios nempè captivitatis feciſſe hanc Tabulam, ut recordarentur miraculi Purim, quod contigerat in Shushan*, Eſth. 9: 26. *& hæc optima eſt reſponſio.* Hæc ille.

Ibid. Perek. 1.

Kelim, Perek. 17.

Aruch in Shushan.

Rambam in Midd. Perek. 1. Gloſſ. in Miſhn. 8. ibid. Juchaſin, fol. 65. col. 2.

Hæc Porta vocatur *Porta Regis*, 1 *Paral.* 9: 18. non quòd illàc præſertim aut ordinariè ingrederetur Rex; ſolebat enim per oppoſitam partem Occidentalem intrare: ſed ita vocata eſt, quia Rex *Solomon* eam ædificaverat, ut & murum qui in eo latere erat, immenſo labore & ſumptu, conſtructo ſundamento immanibus lapidibus ex ima parte profundiſſimæ vallis quæ Monti ſubjacebat: qua de reſtatim agemus.

Sed priuſquàm ab hac Porta abeamus, videamus quinam inde versùs Orientem eſſet proſpectus, ut quædam Scripturæ loca, in quibus agitur de locis vicinis, meliùs intelligamus.

Mons *Oliveti* è regione oppoſitus erat *Hieroſolymæ*, Templo, *Sionis* parti Orientali, aliquatenùs ad Septentrionem vergens, adeò ut *Sioni* oppoſitus etiam partim ad Septentrionem eſſet. Inter *Hieroſolymam* & Montem hunc *Oliveti* erat vallis *Hinnom* ſeu *Thophet*, ubi horrendus ille irreligioſæ Religionis mos, comburendorum in honorem *Molechi* puerorum, obſervabatur. Nam *Solomon ædificavit ſublimem locum Abominationi Moab in hoc colle qui erat è regione Hieroſolymæ, & Molecho Abominationi filiorum Ammon*, 1 Reg. 11: 7. ſcilicet ad dextram collis reſpectu eorum qui eum *Hieroſolymâ* proſpiciebant, 2 *Reg.* 23: 13. In hoc loco *Regum* vocatur, הר המשחית, *Har Hammashchith*, pro הר המשחה, *Har Hammishcha*, *Mons Corruptionis*, pro *Monte Unctionis*, vel *Olivarum*, Spiritu Sancto notante factum, vel locum propter factum, charactere quo eum ſummè ſibi diſplicere oſtendit. *Solomonis* uxores Idololatriæ deditæ tantoperè eum faſcinaverant, ut ſibimet ipſi planè contrarius factus eſſet; quippè qui cùm ædificaſſet magnificentiſ-

ſimum

ſimum Templum vero Deo in Monte *Moriah*, paſſus eſt ſibi perſuaderi idololatricum Templum Abominationibus uxorum ſuarum in Monte *Olıveti* exſtruere, è regione Templi Dei, quo ei veluti illuderet. Vallis quæ ſubjacebat exſecrando huic Idolio vocabatur *Vallis Thophet*, & *Vallis filii*, vel *filiorum Hinnom* Jerem. 7: 31, 32. & 19: 6. &c. *Vallis Thophet* & *Vallis Tympani*, ex ſtrepitu qui edebatur ejuſcemodi inſtrumentis, ne audirentur clamores puerorum qui comburebantur: *Vallis filiorum Hinnom*, eſt *Vallis filiorum ejulationis* & clamoris; ex clamoribus & ejulatu miſerorum illorum puerorum qui comburebantur. Hæc eadem videtur eſſe quæ vocatur *Vallis* oſſium, vel *Cadaverum*, Jerem. 31: 40. cujus denominationis *Chaldæus Paraphraſtes* in eo loco hanc profert rationem, *Quia cadavera Aſſyriorum illic ceciderunt:* quod confirmat etiam *Joſephus*, cùm refert locum quondam vocatum fuiſſe *Caſtra Aſſyriorum.* Atque hìc poſſumus caſtigare temerarium judicium *R. Solomonis Jarchi* in hunc *Jeremiæ locum*, in quem hoc habet interpretamentum: *Vallis Cadaverum eſt vallis in qua cadavera caſtrorum Sennacherib ceciderunt; & Vallis Cinerum eſt locus in quem deferebant cineres, qui erat extra Hieroſolymam. Hæc loca intra Urbem, imò intra muros collocabunt. Atque hæc* Prophetia *implebitur in ultima Redemptione invitis Hæreticis: neque enim impleta fuit ſub ſecundo Templo.* Per *Hæreticos* virulenter intelligit Chriſtianos, qui negant ullum alium *Meſſiam* venturum, & ullam fore terreſtrem *Hieroſolymam.* Vellet enim interpretari hæc verba Prophetæ ad literam, quaſi hæ Valles reipſa futuræ eſſent intra *Hieroſolymam*, cùm Propheta dicens hæc loca polluta fore intra Urbem, nihil aliud ſignificet, niſi Ethnicos qui omni genere Idololatriæ & abominationum polluti fuerant, adductum iri in ſpiritualem *Hieroſolymam*, quæ eſt ἄνωθεν, ſeu in Eccleſiam. Imò etiam ſi literalem ejus interpretationem admitteremus, poſſemus oſtendere ex ipſis ejus Auctoribus Thalmudicis, *Bethphage* oppidum quod erat in iis partibus quarum meminit Propheta, quamvis eſſet extra mœnia *Hieroſolymæ*, attamen ex ipſorum confeſſione habitum fuiſſe ex partibus *Hieroſolymæ:* atque ita impleta fuit hæc Prophetia per eorum Chorographiam, adveniente *Meſſia* noſtro. Sed hic non eſt hujuſcemodi diſceptationum locus.

Vide Buxt. Lex. Hebr. in voce גיא.

Joſeph. de Bello, lib. 6. cap. 26. & 31.

R. Solom. in Jerem. 31: 40.

Hic erat proſpectus quem ad dextram habebant proſpicientes ex Orientali Porta Montis Templi, nempè pars Montis *Oliveti* diviſa ab *Hieroſolyma* per Vallem *Thopheth*, & Vallem Cinerum. Ad latus Vallis, prope *Hieroſolymam* erat oppidum *Bethphage*; & in colle in ulteriori latere Vallis è regione *Bethania*, celebris reſurrectione *Lazari*, & commoratione atque aſcenſione Servatoris.

Directè è regione Portæ Orientalis erat locus in Monte *Oliveti*, in quo ſolebant comburere Vaccam rufam, ex qua fiebant luſtrales cineres, qui parabantur ad purificationem pollutorum, ſi qua occaſio id requireret. Atque eò tendebat via ſtrata, duplici fornice ſubſtructa, quemadmodum Atria Templi, ut anteà diximus, propter eandem cautionem, nempè ad cavenda ſepulcra, quibus Sacerdos qui proptereà exibat potuiſſet pollui, & opus irritum fieri.

Maymon. in Parah, Per. 3. & *in Shekalim*, Per. 4.

Ad manum ſiniſtram è Monte Templi proſpicienti apparet Mons *Oliveti*; & Vallis quæ interjacet ſecundùm totum Orientale latus uſque ad Septentrionem *Sionis*, vocabatur *Vallis Kedron*, celeberrima & crebrò occurrens in Scriptura, 2 *Sam.* 15: 23. 2 *Reg.* 23: 6. *Joann.* 18: 1. Ad radices collis ultra hanc Vallem cerni poterat *Gethſemane*, ſeu *locus Torcularium olei*, quò oleas ex Monte *Oliveti* collectas exprimendas deferebant. Atque eò venit Servator noſter poſt ultimam cœnam, ubi, poſtquàm eâ veſperâ cœnaſſet, ut veriſimillimum eſt, in Monte *Sionis* vel *Civitate Davidis*, apprehenſus eſt.

CAPUT IV.

De duobus Meridionalibus Portis: שערי חולדה, *Portis Huldah.*

UT pars Orientalis muri reſpicit Montem *Oliveti*, ita Meridionalis ipſam *Hieroſolymam* proſpectat. * Nam ſeu ſtatuamus totam Urbem inædificatam fuiſſe ſeptem collibus, ut aſſerit *Tanchuma*; vel tribus, *Acra*, *Moriah*, & *Sion*, ut vulgò deſcribitur; vel addamus *Bezetha* & *Ophla*, ſitum hunc reperiemus: הר הבית לצפון ירושלים, *Mons Templi ad Septentrionem Hieroſolymæ* erit, & *Sion* ad Septentrionem Montis Templi. Hunc ſitum omnia Judæorum antiquiora monumenta non ſine ſuffragio Scripturæ obſervant: nam quomodo poſſunt hæc verba Pſaltæ, *Pulcher eſt ſitu, gaudium totius terræ Mons Sion ad latera Aquilonis*,

Jelammed, fol. 52.

Thoſaphot. ad Kelim.

lonis, Pſalm. 48: 2. magis propriè & ſimpliciùs intelligi, quàm ut ea interpretatur *Aben Ezra*, *Sion ad Septentrionale latus Hieroſolymæ?* Atque hæc verba *Ezechielis*, *Poſuit me in Monte, propè quem erat figura Urbis ad Auſtrum*, Cap. 40: 2. an poſſunt fundere ſenſum magis genuinum quàm hunc quem iis tribuit *Kimchi*, qui ea ſic interpretatur: *Mons eſt Mons Templi: hæc verò Civitas eſt Hieroſolyma, quæ eſt ad Auſtrum.*

Aben Ezr. in Pſalm. 48.

Kimch. in Ezech. 40: 2.

In hoc ergò latere quod reſpiciebat *Hieroſolymam* ſive Auſtrum, erant binæ Portæ quæ vocabantur *Portæ Huldah*, atque ita ſitæ erant, ut à ſe invicem & utrinque à duobus angulis muri ex æquo diſtarent, Orientali nempè & Occidentali. Atque ita intelligenda ſunt verba *Joſephi*, cùm dicit, Τὸ δὲ τέταρτον μέτωπον τὸ πρὸς μεσημβρίαν, εἶχε δὲ καὶ αὐτὸ πύλας κατὰ μέσον. *Quarta pars muri vergebat ad Meridiem, & habebat Portas circa medium:* hoc eſt, Portæ ita erant ſitæ, ut eſſet æquale ſpatium inter Portam & Portam, & inter utramque & angulum muri.

Thalm. in Midd. Perek. 1.

Joſeph. Antiquit. lib. 15. cap. 14.

Quare vocatæ fuerint *Portæ Huldah*, non eſt facile dictu; utrùm ab הולדה, quod ſignificat *muſtelam*, de quo animale *Hebræi* multas ſcribunt Hiſtorias; vel ex voce *Syriaca* חלד, quæ Græcè ſignificat ἐνδύνειν, *irrepere*, 2 *Tim.* 3: 6. vel ex חול דא, id eſt, *hìc*, vel *hoc eſt commune ſolum*; vel ex Prophetide *Huldah*, quæ in tanta fuit exiſtimatione apud Judæos, ut dicant neminem unquam ſeu virum, ſeu fœminam ſepultum fuiſſe intra mœnia *Hieroſolymæ*, (ſi excipias Domum *Davidis*) præter hanc ſolam; denique ſcire unde hæ Portæ denominatæ fuerint, non æquivalet labori qui in eo quærendo inſumendus eſſet, & fortè etiam fruſtrà.

Vid. *Aruch in* חלד. *Conſt. Lemper. in Midd.* pag. 1. 2. Vid. *R. Solom. in* 2 *Reg.* 22. *Avoth R. Nathan*, Perek. 34.

Non opus eſt nos immorari deſcriptioni formæ & dimenſionum harum Portarum, quandoquidem hæ & reliquæ Portæ erant omnes ſimiles ei quæ erat in Orientali latere quem jam deſcripſimus; niſi quòd ornamenta Architecturæ ſuperiùs poſita altiora erant, nec habebant Tabulam Urbis *Suſan*, ut Porta Orientalis. Itaque deſcribamus proſpectum qui ſeſe nobis obtuliſſet, ſi ſtetiſſemus in alterutra harum Portarum apertarum versùs Auſtrum, quemadmodum deſcripſimus proſpectum Portæ Orientalis.

Quæ plateæ, domus, turres, horti, & ſplendida ædificia poſſent à ſe cerni in Urbe *Hieroſolyma*, ſi ſubjecta oculis ſuis foret, in tam ſplendida Urbe meliùs concipi poteſt quàm deſcribi. Si duntaxat ejus ſitum obſervare velis, rem ſic habeto. Erat inædificata colli *Acra*, qui in medio aſſurgens, utrinque ad Orientem & Occidentem leniter declivis erat, cum deſcenſu etiam ad Septentrionem & versùs Templum. Ex ſummo collis jugo utrinque delabebatur dulcis & limpidus fons *Siloam*, & extra Urbem hinc indè ad Orientem & ad Occidentem per contrarium canalem decurrebat. Ad Orientem defluens relinquebat agrum Fullonis ad dextram, atque ad ſiniſtram præterfluebat Portam Gregium, & ita converſus ad Orientem decidebat in *Piſcinam Solomonis*, quam poſſumus optimè credere fuiſſe *Betheſda*. In Occidentali canale fluebat juxta mœnia, Turrim Fornacium, Portam Vallis, & Portam Stercoris, ac paulò poſt decidebat in *Piſcinam Siloam*.

CAPUT V.

De Occidentalibus Portis Shallecheth vel Coponii, Parbar, Aſuppim.

IN Thalmudica deſcriptione Templi fit tantùm mentio unius Portæ ad Occidentem: ſed *Joſephus* quaternarum meminit; quod convenit etiam cum Scriptura. Norant quidem optimè *Thalmudici* tot in eo latere eſſe Portas: ſed eas tantùm nomine recenſent quæ habebant excubias; cùm *Joſephus* omnes enumeret, cujus hæc ſunt verba: Ἐν δὲ τοῖς ἑσπερίοις μέρεσι τοῦ περιβόλου πύλας δ' ἐφέστασαν, ἡ μὲν εἰς τὰ βασίλεια τείνουσα, τῆς ἐν μέσῳ φάραγγος εἰς δίοδον ἀπειλημμένης. Αἱ β' δὲ εἰς τὸ προάστειον, ἡ λοιπὴ δὲ εἰς τὴν ἄλλην πόλιν. Βαθμῖσι πολλαῖς κάτω τε εἰς τὴν φάραγγα διειλημμένη, καὶ ἀπὸ ταύτης ἄνω πάλιν ἐπὶ τὴν πρόσβασιν. *In Occidentalibus partibus externi muri poſuerant quatuor Portas: una tendebat ad Regiam, valle quæ interjacet propter tranſitum completâ: duæ aliæ in ſuburbium tendunt, alia in aliam Urbem, multos habens ad vallem uſque gradus, unde rursùs plures erant ad aſcendendum.* Haſce Portas ſigillatim luſtrabimus, & eodem quidem procedemus ordine quo hìc ſunt poſitæ, initio facto à Porta quæ ad Regiam deducebat.

Midd. Per. 1. & *Tham.* Per. 1. *Joſeph. Antiq.* lib. 15. cap. 14.

SECTIO I. *Porta Shallecheth vel Coponii.*

Porta quæ tendebat ad Regiam ad Septen-

tentrionem maximè vergebat ex iis omnibus quæ in hoc Occidentali latere erant, & è diametro oppoſita erat Orientali Portæ *Shuſhan*. Sub primo Templo hæc Porta vocabatur *Shallecheth*, 1 *Paral.* 26: 16. ſed *Herodis* tempore vocabatur *Porta Coponii*. Judæi ſcribunt, קיפונוס, *Kiponus*, de cujus vocis origine variæ ſunt conjecturæ. Quidam eam deducunt à voce קופה *Introitus*: quidam à voce *κηπαία Janua poſtica*: quidam à קפנדר *Arctus tranſitus*. At eam potiùs derivaverim à *Coponio* Præſide *Romano*. *Joſephus* narrat, cùm *Cyrenius* ab *Auguſto* ad regendam *Syriam* miſſus fuit, *Coponium etiam Magiſtrum Equitum miſſum fuiſſe cum eo ut præeſſet Judææ.* Κωπώνιός τε αὐτῷ συγκατεπέμπετο τάγματος τῶν ἱππέων ἡγησόμενος Ἰουδαίων τῇ ἐπὶ πᾶσιν ἐξουσίᾳ. Hoc autem contigit tam brevi tempore antequàm *Herodes* perficeret ædificium Templi, ut indè conjectura non abſimilis vero fieri poſſit, ipſum hoc nomen huic Portæ impoſuiſſe in honorem Præſidis *Coponii*, uti ædificium huic vicinum vocavit *Antoniam* in memoriam & honorem *Antonii*, qui ipſi amiciſſimus fuerat.

Midd. Perek. 1. *Maymon. in Beth Habbechirah*, Perek. 5. *Aruch* in voce. *Lemper. in Midd.* Perek. 12.

Joſeph. Antiquit. lib. 18. cap. 1.

Vox *Shallecheth*, quo nomine vocabatur hæc Porta tempore *Solomonis*, ſignificat *aggeſtionem*, & ita, ut obſervat *Kimchi*, vertitur à *Paraphraſte Chaldæo* השלכה. Hæc autem Porta dicitur, 1 *Paral.* 26: 16. fuiſſe propè *Viam aſcendentem*; quæ aſcenſio eſt celebris illa *Solomonis* ad Templum venientis, 1 *Reg.* 10: 5. 2 *Paral.* 9: 4. Atque hæc Via aggeſta ea eſt quam ſignificat *Joſephus* cùm dicit: *Una Porta tendebat è Templo ad Regiam, valle quæ interjacet propter tranſitum completâ*; quod magnum opus fuit: vallis enim lata & profunda erat. Itaque optimè poſſumus indè colligere eam vocatam fuiſſe *Portam Shallecheth*, ſeu *Egeſtionis*, propter viam quæ aggeſta fuerat ad Regis Palatium: erat enim hæc ordinaria ejus ad Templum via.

Michlol in שלך

Hæc via exiſtimatur à quibuſdam Quercubus & Tiliis utrinque conſita fuiſſe, quorum arborum duplex uſus erat: nam & ſuſtentabant aggeſtum humum viæ ne deflueret; & umbram atque amœnum Regi præſtabant ambulacrum, cùm iret aut rediret. Atque ita vertunt verſum *Iſaj.* 6: 13. ubi tantùm ea vox hoc ſenſu occurrit: *Erit decimatio, & redibit & comedetur, ut Tilia vel ut Quercus propè Shallecheth*, id eſt, ut ordines arborum ad latera hujus aggeſtæ Viæ.

Vid. *R. Salom. in Iſaj.* 6.

SECTIO II. *Porta Parbar*, 1 Paral. 26: 18.

A Porta *Shallecheth* vel *Coponii*, quæ in hoc Occidentali latere omnium maximè ad Septentrionem vergebat, eamus jam ad Auſtrum. Prima quæ nobis occurrit Porta vocabatur *Parbar*, cujus mentio fit loco *Paralipomenon* laudato, ubi Spiritus Sanctus referens ordinem inſtitutum inter Janitores ad varias Montis Templi Portas, dicit, *Ad Parbar Occidentalem, duæ ad Aggeſtionem, duæ ad Parbar.* Quibus ſatis apparet hanc Portam fuiſſe ad Occidentem, & vicinam quidem fuiſſe Aggeſtionis Portæ, vel *Shallecheth*, quandoquidem cùm ea conjungitur. Atque hæc de ſitu Portæ illius eo tempore, quæ ſatis plana videntur. Vox *Parbar* duplicem admittit ſignificationem: nam vel ſignificat כלפי בר, *Exteriorem Plateam*, juxta multos ex Judæis; vel ejuſdem eſt ſignificationis ac vox *Parvar*, quæ differt tantùm unicâ literâ, eâque ſimili & quæ facilè cum altera mutari poteſt, & quæ ſignificat *Suburbium*, tum in Hebraico Textu, 2 *Reg.* 23: 11. tum in lingua Chaldaica, ut obſervat ad hunc locum *R. David Kimchi*.

Gloſſ. in Tamid, Perek. 1. *Kimch. in* 1 Paral. 26. *Aruch* in voce, &c.

Kimch. in 2 Reg. 23.

Verba etiam *Joſephi* quæ modò attulimus, poſſunt reſumi hîc, & ex omnibus ſimul Portæ hujus ſitum colligere. Dicit *ex quatuor Portis quæ erant in latere Occidentali, unam duxiſſe ad Regis Palatium*, (hoc eſt Portam *Shallecheth*, de qua jam egimus) *& duæ ſequentes εἰς τὸ προάστειον.* Hæc Suburbia quæ deſignat erant certè ea pars Urbis quæ in Scriptura vocatur *Millo*, quæ erat Vallis ad Occidentem Montis *Moriah*, in qua *Jeruſalem* & *Sion* concurrebant, & quæ completa fuit ædificiis à *Davide* & *Solomone*, 2 *Sam.* 5: 9. 1 *Reg.* 11: 27. & pars habita Suburbiorum *Sionis*, ac ita ſemper ſequentibus temporibus *Sioni* adjuncta.

Atque huc faciunt verba *Joſephi* modò citata, ubi obſervandum cùm dicit, duas Occidentales Portas in Suburbia tendiſſe, τὴν λοιπὴν εἰς τὴν ἄλλην πόλιν, *reliquam in aliam urbem*, hoc eſt, *Hieroſolymam*, quam facit aliam urbem à Suburbiis de quibus loquitur. In alterutra ergò ſignificatione ſumamus vocem *Parbar*, ſeu pro *exteriori Platea*, ſeu pro *Suburbiis*, hæc Porta optimè potuit hoc nomine vocari, quia erat tranſitus à Templo ad *Millo*, quod erat locus exterior, & Suburbium *Sionis* diſtinctum à *Sione* per murum, quamvis pars *Sionis* & ad *Sionem* pertinens.

Quam-

Quamvis autem proxima huic Porta, verſùs Auſtrum, tenderet etiam in Suburbia, ut apparet ex *Joſepho*; attamen non vocatur eodem nomine *Parbar*: cujus rei ratio hæc eſſe potuit, quòd nomen gereret conveniens uſui cui deſtinata erat, vel loco in quo poſita, potiùs quàm reſpiciens eum locum ad quem tendebat.

Et quandoquidem hîc agimus de Suburbiis, non prætermittenda eſt occaſio paulò attentiùs conſiderandi hujus Textûs, ubi mentio fit *Suburbiorum*, & unde hauſimus ſignificationem vocis *Parbar*, 2 *Reg*. 23: 11. Ibi dicitur *Joſias abſtuliſſe equos quos Reges Juda dederant Soli ad ingreſſum Domûs Domini, juxta exedram Nathanmelech Eunuchi, quæ erat in Suburbiis*. Utrùm hi equi dati eſſent Soli, ut ipſi immolarentur, vel ut iis inſidentes ſalutarent Solem Orientem, ut exiſtimant Judæi, non immorabimur diſquirendo: jam potiùs de loco quàm de re ipſa agendum nobis eſt.

Stabula ejuſmodi equorum (videntur autem ordinaria Stabula Regia in eodem loco fuiſſe) dicuntur fuiſſe in Suburbiis *ad introitum Ædis Domini*; nec ullum locum convenientiorem poſſumus iis tribuere, quàm eum de quo nunc nobis eſt ſermo: conjicimus nempè ea fuiſſe hîc in *Millo*, ante vel circa hanc Portam *Parbar*, unde via erat ad deducendos equos ad Regiam, quotieſcunque Rex iis uti vellet, ſeu equis quos conſecraverant Soli ad uſum irreligioſum, ſeu iis quibus uti ſolebant. Cùm ex *Millo* tendebant *Sionem*, tranſibant per Portam quæ erat in muro qui dividebat *Millo* & *Sionem*: murus autem ille & Porta erant paulò infrà aggerem per quem aſcendebant ad Portam *Shallecheth*. Atque inde lucem aliquam mutuatur locus in quo agitur de morte *Athaliæ*, 2 *Reg*. 11: 16. *Impoſueruntque ei manus, & impegerunt eam per viam Introitûs Equorum juxta Palatium, & interfecta eſt ibi*. Hoc eſt, eam abduxerunt ex Monte Templi per Portam *Shallecheth* & aggerem; & cùm vicina fuit Portæ Equorum, per quam ex *Milluntinis* Stabulis ad Regiam ibant, ibi eam interfecerunt. Erat quidem etiam *Porta Equorum* in præcipuo Urbis muro ad Orientem, ſed diverſa ab hac quæ erat præſertim propter equos regios; ideòque additur nota diſtinctionis, *Porta Equorum verſùs Regiam*, 2 *Paral*. 23: 15. Sic vertendum eſt potiùs quàm *prope Regiam*: nam neutra harum Portarum, ſeu Orientalis illa Urbis, ſeu hæc Occidentalis quâ exibant in *Millo*, erat vicina Regiæ, ſed ſatis remota. Vide in loco laudato Septuaginta Interpretes.

SECTIO III. *Duæ Portæ, & Domus Aſuppim.*

IN Hiſtoria conſtitutionis Janitorum Templi in variis ſuis locis & functionibus, occurrunt hæc verba, 1 *Paral*. 26: 15, 17. *Obed-Edom Auſtralis cuſtodia, & filiis ejus Conclave Aſuppim. Ad Orientem verò Levitæ ſex, ad Aquilonem quatuor per diem. Atque ad Meridiem ſimiliter in die quatuor, & verſùs Aſuppim bini & bini.*

Duo porrò meritò compulerunt varios eruditos ut crederent *Aſuppim* ſignificare Theſauros Templi, vel locum in quo res ſacræ ac dicatæ Deo aſſervabantur. Alterum eſt ipſa vocis ſignificatio, nam ſignificat *Collectiones*; alterum, quia *Obed-Edom*, cujus filii dicuntur *fuiſſe* ad *Aſuppim* ut munere ſuo fungerentur, dicitur 2 *Paral*. 25: 24. habuiſſe cuſtodiam Theſauri. Ibi enim narratur *Joas* Rex *Iſraëlis* ſumpſiſſe omne aurum & argentum, & univerſa vaſa quæ repererat in Domo Dei, & apud *Obed-Edom*.

Jam ſi hoc concedatur, *Aſuppim* ſignificare Theſauros, ſupereſt ut quæramus ubi eſſet Conclave illud *Aſuppim*, nec certè alia eſt difficilior inveſtigatio in tota luſtratione Templi, ejuſque ædificiorum, aliorumque ad id pertinentium, quàm accurata & perſpicua Janitorum, Theſaurorum ac Theſaurariorum, eorumque omnium functionum deſcriptio; tanta eſt de hiſce expreſſionum varietas in Scriptura, & adeò exigua harum difficultatum explanatio in aliis Scriptoribus! Ad iſtorum indagationem, quicquid erit in nobis ingenii afferemus in luſtratione uniuſcujuſque loci, cujus erit aliqua cum ejuſcemodi rebus relatio.

Vox *Aſuppim* iterùm uſurpatur ubi ſermo eſt de Janitoribus, *Nehem*. 12: 25. ubi ſex viri ibi nominati dicuntur fuiſſe Janitores cuſtodiam agentes, באסופי השערים, *ad Aſuppim Portarum*. *Aben Ezra* & *Kimchi* dicunt idem eſſe ac *Sippim, Limina*; & ita in *Anglica* noſtra Tranſlatione vertitur. Sed ſi hoc ſenſu ſumamus in loco *Paralipomenon* de quo agimus, nullum erit diſcrimen inter filios *Obed-Edom* hoc reſpectu, & reliquos Janitores: omnes enim poterant æquè ac ipſe dici Janitores ad *Aſuppim*, quandoquidem omnes ex æquo limina ſervabant.

In recenſione Janitorum, eorumque in ſtatio-

Digitized by Google

ſtationibus ſuis collocatione, mentio fit Orientis, Occidentis, Septentrionis & Auſtri, quorum jam meminimus; additur verò *Aſuppim*, quaſi ad nullum pertineret latus. Ad Orientalem Portam erant ſex juniores filii *Shelemiah*; natu maximus *Zacharia* ejuſque filii ad Septentrionem. Ad Occidentem erant ſex filii *Hoſa* & *Shuppim*, quatuor ad *Shallecheth*, & duo ad *Parbar*; & quatuor ex octonis *Obed-Edom* filiis ad Auſtrum, reliqui quatuor ad *Domum Aſuppim*; qui videntur fuiſſe extra Tetragonum; quis autem dixerit ubi?

Ad elucidationem hujus loci qui videtur adeò obſcurus, non erit ἀπροσδιόνυσον hæc quatuor expendere.

I. Fuerunt quatuor Portæ in Occidentali latere, ut obſervavimus, nempè Porta *Coponii*, duæ quæ tendebant in Suburbia, una verò in Civitatem.

II. Spiritus Sanctus recenſens Janitores prout erant diſpoſiti poſt reditum ex Captivitate, collocat tantùm eos in quatuor lateribus extimi muri, 1 *Paral.* 9: 23, 24. nam murus qui ambibat Atria nullam prorſùs Portam habebat ad Occidentem, ideòque hi verſus de eo non poſſint intelligi, ſed de extimo hoc circumambiente muro. Quomodo autem intelligemus, quod hîc, nempè *Cap.* 26. mutato ſtylo dicitur?

III. Hi Janitores habitabant circa Domum Dei, & unoquoque tempore matutino aperiebant Januas, 1 *Paral.* 9: 27. Jam autem nec Sacerdotes, nec Levitæ ulla domicilia habebant ad Portas Atrii; nec Levitæ has Portas aperiebant, ſed Sacerdotes.

IV. Quamvis eſſent viginti quatuor excubiæ, tres nempè Sacerdotum, & viginti & una Levitarum, unaquaque nocte circa Templum, attamen tales non erant interdiù ad Portas Atrii, aut ad ea loca muri Atrii ad quæ erant collocatæ noctù. At hic locus diſertè teſtatur diurnam fuiſſe horum Janitorum functionem.

His itaque expenſis, I. non poſſumus *Domum Aſuppim* alibi collocare, quàm alicubi in exteriori muro qui circumdabat Montem Domûs, imò & reliquas Portas & ſtationes Janitorum. II. Phraſis Textûs oſtendit hos filios *Obed-Edom* qui Janitores erant ad *Aſuppim*, functos fuiſſe eo munere ad duo loca, ſeu ad duas Portas; dicuntur enim *ad Aſuppim fuiſſe bini & bini.* III. Quandoquidem nominantur tantùm Janitores ad duas Portas ex quaternis quæ erant in Occidentali latere, nempè *Shallecheth* & *Parbar*, non poſſumus aliter rem concipere, niſi quòd duæ reliquæ Portæ veniunt hîc ſub nomine *Aſuppim*, & habebant unaquæque binos Janitores. Nam primò, cùm eſſent ibi quatuor Portæ, quomodo geminæ ex illis fuiſſent ſine Janitoribus, dum reliquæ omnes tam ſedulò cuſtodirentur? Deinde, quomodo collocaremus quatuor hoſce filios *Obed-Edom* tanquam Janitores, neſcio ubi, aut in loco in quo Janitores fuiſſe nullibi legimus, & haſce duas Portas omni cuſtodiâ deſtitutas relinqueremus?

Non dubitarim itaque concludere, *Aſuppim* fuiſſe duas Portas in hoc Occidentali muro, quæ vergebant ad Auſtrum ſeu proximæ erant *Hieroſolymæ*; & *Domum Aſuppim* fuiſſe amplum ædificium inter eas ſitum, in quo erat Theſaurus, ſeu varia Conclavia ad recondenda quædam quæ erant ad uſum Templi. Theſauri Templi varii erant & in variis locis, ac variis hominibus commiſſi; ſed in genere diſtinguuntur in *Theſauros Domûs Dei*, & *Theſauros rerum dedicatarum*, 1 *Paral.* 26: 20.

Per *Theſauros Domûs Dei* ea ſignificantur quæ erant ordinarii uſûs, ut vaſa, veſtes, Decimæ, vinum, oleum, & alia quæ quotidie adhibebantur: quibus poſſumus adjungere quicquid Theſauro offerebatur, ſeu deberetur, ut Semi-ſiclus, ſeu ſpontè offerretur ad inſtaurandum Templum, ſeu Miniſterio ſerviendum, ut vaſa & pecunia. Sed per *Theſauros rerum dedicatarum* intelliguntur quæcunque Reges, Duces aut Magnates conſecraverant ac dicaverant, quæ aſſervabantur tanquam Divitiæ Templi, & monumenta ipſorum pietatis. Quibuſdam ex prioribus Theſauris præfecti erant Janitores, 1 *Paral.* 9: 26, 27. &c. reliqui verò, & poſteriores etiam commiſſi erant curæ aliorum Levitarum, 1 *Paral.* 26: 20, 22, 26. &c. Janitores habebant Theſauros ſuos ad unamquamque Portarum ſuarum. Itaque verterim אסופא שערים, *Theſauros Portarum*, Nehem. 12: 25. Cùm alii cuſtodirent veſtimenta, alii inſtrumenta, alii aliud, filii *Obed-Edom* ſervabant argentea & aurea vaſa, quæ erant pretioſiſſima Templi Utenſilia, ideòque eorum Portæ, & ædificia inter eas ſita, vocantur *Aſuppim*, vel *Theſauri, κατ' ἐξοχὴν*, potiùs quàm reliqui.

Priuſquàm abeamus ab hoc Occidentali latere, extrorſùm proſpiciamus, quemadmodum anteà proſpeximus ex duobus aliis lateribus. Stanti in medio hujus muri ſeſe oculis offert *Millo*, ubi præter Regia Stabula, & alia ædificia, cernitur *Piſcina Siloam* cum Hortis Regiis. Ad ſiniſtram eſt clivus *Acra* & ædificiorum *Hieroſolymæ* ibi ſitorum. Ad dextram aſcenſus *Sionis*, &

Digitized by Google

gradus quibus aſcenditur in Civitatem *Davidis*, & per quos Rex deſcendit ad *Shallecheth* & venit ad Templum. Si altiùs aſcendas, videbis ſepulcra Domûs *Davidicæ*, & aliam Piſcinam, *Nehem.* 3: 15, 16.

CAPUT VI.

Porta Septentrionalis טדי *Thedi* vel *Tadde.*

IN latere Septentrionali ad quod jam pervenimus, erat tantùm una Porta, non ſecùs ac in Orientali, quæ ſita erat in medio muro æquè diſtans ab Orientali & ab Occidentali angulo. Sed de vero ejus nomine non plenè conſentiunt Scriptores. Quidam ſcribunt טרי per *r*, *Teri*, quod ſignificat *humiditatem* ſeu *purulentiam*, quia ii ex Sacerdotibus qui ſeminis effluvium noctu paſſi fuerant, exibant per hanc Portam, ut ſe immunditiei causâ abluerent. Sed jam olim ita definitum eſt ſcribendum illud per *d*, טדי *Thedi*, vel prout alii legunt, *Tadde*, ut in *Piſke Tooſaphoth*, *ad Middoth*, quæratur ejus vocis etymologia. Mentio fit duplicis ſignificationis; nempe ſignificat הצנע *obſcuritatem*, & *pudorem*, quia raro illàc tranſibatur, & Sacerdotes qui Gonorrhœam noctu paſſi fuerant, illùc exibant ad Balneum non ſine pudore & dejectione vultûs: vel refertur ad Actores & Poëtas, & affertur ſententia in qua conjunctione ſua cum alia voce videtur id ſignificare; neque enim alium, qui ipſi poſſit tribui, ſenſum video. Hæc eſt illa ſententia: טידי ופיוטי רגילי בהו קמי ריש גלותא, *Tragœdi & Poëtæ utebantur ea ante initium Captivitatis.* Quis autem ſenſus ex hac etymologia peti poſſit, non intelligo. Sed quæcunque tandem ſit vocis ſignificatio, *Thalmud* duas affert notas quibus ipſa Porta ab omnibus memoratis diſtingui poterat. Prima eſt, quòd ſuperiora Portæ ornamenta, & ſuperiora Conclavia non æquè pulchra ac reliquæ haberet, ſed tantùm ſupra illam eſſet murus & pinnæ muri. Altera, quòd non eſſet ordinarius & communis omnibus tranſitus, לא משמש כורם, ut reliquæ Portæ; ſed tantùm quibuſdam in caſibus tranſitum præberet. De rarò ejus uſu loquendi occaſionem iterùm habebimus.

Miſnajoth in 8. in Midd. Lemper. ibid. pag. 13. *Thalm. Babyl. & Aruch. Buxtorf. Lexicon Thalm.*

Thalm. in Midd. Perek. 2.

Erat ex hac parte in Monte *Moriah* aliquantulum ſpatii extra murum & ambitum ſacri ſoli, quale nullum ſupererat ex aliis partibus: hic enim ædificata fuerat ampla & munita Turris *Antonia*, quam non luſtrabimus, cùm ex aliis partibus murus qui ſacrum ſolum circumdabat immineret ipſi Montis præcipitio. Itaque proſpicienti tibi ex hac Porta ad lævam apparuiſſet Turris *Antonia*, quæ proſpectum intercipiebat ab ea parte, & ſe ſolam conſpiciendam præbebat. E regione erat Mons *Sion*, & ſplendidum Regiæ ædificium, aliæque ædes. Versùs angulum Orientalem erat locus dictus *Ophel*, vel *Ophla*, ubi degebant *Nethinæi*, Nehem. 3: 26. Et ad Orientem *Ophlæ* erant Porta Equorum & Porta Aquæ è regione Templi.

Ita ſitus erat *Mons Domûs Domini*, ab Urbe undiquaque incluſus, & valido atque alto muro munitus & ſeparatus à communi ſolo. Hinc erat *Sion* Sedes Regia, indè *Hieroſolyma* habitatio populi, interjacente Templo ejuſque Miniſterio, quemadmodum Miniſterium erat Mediatio inter Deum & populum. Murus qui hoc circumibat, habebat octo Portas ſplendidæ & ejuſdem ſtructuræ, exceptis Septentrionali & Orientali, quibus culmen impoſitum non erat aut æquè altum, aut ejuſdem rationis ac cæterarum culmina. Ad omnes haſce Portas erant interdiù Janitores; ad quinas verò excubiæ nocturnæ, ut poſteà videbimus. Ad eas ab Oriente & Occidente erat præfractus aſcenſus, ſed facilior factus gradibus aut aggeribus ad commoditatem populi, utque faciliùs adduci poſſent victimæ, quarum quædam quotidie adduci debebant. Ad Auſtrum adeò præfractus non erat aſcenſus, nec minùs tamen ac reliqui arte facilior & acclivior factus fuerat. Aſcenſus qui erat ad Septentrionem erat potiùs in gratiam Præfecti *Antoniæ*, quàm ad ingrediendum in Templum, cùm Septentrionalis Porta *Tedi*, ut dictum eſt, adeò exigui uſûs eſſet.

Uniuſcujuſque Portæ oſtium ſive tranſitus habuit latitudinem decem cubitorum, altitudinem viginti, craſſitiem duodecim cubitorum, quorum ſex extra ſacrum ſolum prominebant, ſex alii intra illud erant. Si ingreſſus fuiſſes per Orientalem Portam, & oculos conjeciſſes in ſolum ipſum priuſquàm extructa eſſent ædificia, aut alia quæ in eo erant conſideraſſes, potuiſſes videre collem ab Oriente in Occidentem aſcendentem, adeò ut Occidentalis ejus pars pluribus cubitis apparuiſſet altior eo loco in quo fuiſſes, ut poſteà occaſione datâ obſervabimus.

Hic tumulus olim ſpinis & dumis obſitus fuerat, *Geneſ.* 22: 13. & poſteà pejoribus etiam

etiam ſentibus, nempè *Jebuſais*, qui eum poſſederunt, donec *David* eos inde expuliſſet ad ædificandum in eo Templum, de quo jam agimus. Hîc erat etiam areola *Ornanis Jebuſai*, ubi poſteà fuit ſedes Dei *Jacobi*. Hîc erat ſplendidiſſimum & ſumptuoſiſſimum ædificium, quod humanâ arte ac opibus fieri poſſet, decus Gentis cujus erat, & admiratio finitimorum omnium populorum: ſed poſtremò ſtupendum æquè deſolationis & exciſionis monumentum, ac anteà ſplendoris & magnificentiæ. Priuſquàm ulteriùs progrediamur in eo luſtrando quale erat dum floreret, aliquandiu adhuc circa murum, qui nos hactenùs detinuit, hærendum nobis eſt, & præter Portas, quas omnes jam perluſtravimus, obſervanda etiam ædificia & ornamenta ei conjuncta atque ad eum pertinentia.

CAPUT VII.

Turris ANTONIA, Βάρις.

Joſeph. Antiq. lib. 15. *cap.* 14. & *de Bello, lib.* 5. *cap.* 25.

IN latere Septentrionali ad Occidentalem angulum, extra hunc murum quem luſtravimus, erat Turris *Antonia*, quæ aliquando fuit locus in quo Summi Sacerdotes ſolebant deponere veſtes ſacras; ſed poſteà ſedes Præſidii militum *Romanorum*, quo Templum in officio continebatur. Dum priori uſui inſerviit, vocabatur *Baris*; (fortaſſè à vocula בר *extra*, quia èrat extra ædificium Templi) ſed poſtremis temporibus vocata fuit *Antonia*. *Herodes* enim, qui eam magnificè, ut & Templum, inſtauravit, id nominis ei impoſuit à *Marco Antonio*. Erat in eo angulo *Moriæ*, qui Caurum reſpiciebat, eratque validiſſimæ & ampliſſimæ ſtructuræ, adeò ut cum omnibus partibus ac membris circuitum haberet duorum ſtadiorum. Rupes cui inædificata erat, erat alta quinquaginta cubitos; ædificium verò ipſum eam ſuperabat quadraginta cubitis. Tetragonum erat cinctum muro tres cubitos alto, qui includebat ejus Atria; & in unoquoque angulo turriculam habebat, quales videmus *Londini* in *Turri Alba* (*White Tower*) ſed ædificium *Antoniæ* amplius erat, & turriculæ non erant omnes paris altitudinis: nam quæ erant ad Euro-aquilonem & Caurum erant quinquaginta cubitos altæ; ſed quæ Euro-notum & Noto-zephyrum reſpiciebant erant altæ ſeptuaginta cubitos, ut ex alto totum Templum deſpicere poſſent. Habebat circa ſe periſtylia, ſeu ambulacra, balneas, conclavia, cubicula ampliſſima, adeò ut Palatium videretur. Erat tranſitus ab hac Turri in Septentrionalia & Occidentalia Clauſtra Montis Domûs, (de quo agemus poſteà) per quem *Romani* præſidiarii deſcendebant unoquoque feſto, ut tumultus & ſeditiones concurrentis populi impedirent. Itaque Præfectus huic Turri vocatur *Præfectus Templi*, *Actor.* 4: 1. *Luc.* 22: 52.

Hyrcanus Summus Sacerdos hujus nominis primus, hunc domicilii ſui locum & reponendis ſacris veſtibus elegit; quod & imitati ſunt ejus ſucceſſores. Imò etiam *Herodes* cùm eam Turrim inſtauravit & vocavit *Antoniam*, permiſit Summum Sacerdotem eo in loco veſtes exuere, & Veſtiarium habere: quod etiam poſt eum conceſſit *Archelaus* filius ejus. Sed cùm *Romani* ſolio *Archelaum* deturbaſſent, cuſtodiam earum veſtium ſibi aſſumpſerunt, ſed eas in eodem reliquerunt loco, donec *Vitellius*, *Tiberii* tempore *Syriæ* Proconſul, *Hieroſolymam* adveniret, & bene à Judæis exceptus, petentibus earum veſtium cuſtodiam, reſtitueret. Nec tamen eâ conceſſione diu uſi ſunt: etenim à ſequentibus Imperatoribus ac Præſidibus iterùm ipſis erepta eſt.

Joſeph. Antiq. lib. 18. *cap.* 6.

Jam cùm *Antoniam* ab exteriori parte Septentrionalis muri contemplati fuerimus, redeamus iterùm ad Septentrionalem Portam *Tedi*, faciemque ejus qualis ingreſſuris apparebat paulò ampliùs conſideremus. Obſervavimus anteà, nomen hujus Portæ ſignificare *Abſconſionem* vel *Obſcuritatem*, nec eam commeantibus frequentem fuiſſe. Duo autem conjecturæ ſeſe offerunt, ob quæ ita vocata & ita infrequens fuerit. Primò, *Romani* præſidii petulantia obſtare potuit quominùs illàc tranſiret populus, & plebi ea Porta fieret *Porta tedii*: liceat enim hîc ex Latina deducere etymologia nomen Portæ Latino præſidio adeò vicinæ. Secundò, rationem quare *abſconſionem* nomen hoc innuat, videtur nos hoc in loco docere *Joſephus*: Βεζεθὰ λόφος μόνος τῷ ἱερῷ κατ᾽ ἄρκτον ἐπεσκότει, *Quia Bezetha collis ſolus Templum obumbrabat à Septentrionali parte*, & proſpectum ei præripiebat, cùm reliqua ſacri ſoli latera nullo tali clauderentur colle.

Id. de Bell. lib. 5. *cap.* 15.

CAPUT VIII.

Septa quæ in interiore hujus muri parte erant. סטין.

ITa peragratis extimis ſpatiis & limitibus Montis Templi, aliud eſt jam quod luſtra-

luſtratione & obſervatione noſtrâ indignum non eſt, nempè Ambulacra & Septa quæ intra murum erant in Portarum interſtitiis circa Templum.

Shabbath, fol. 6. Thalmud hæc alicubi vocat סטין כפול, *Porticum duplicatam*, atque ita *Joſephus*, Διπλαῖ αἱ ςοαὶ πᾶσαι: *Joſeph. de Bell. lib. 5. cap. 14.* quod tum *Thalmud* alio loco, tum etiam *Maymonides* pluribus verbis exprimunt: *Shabbath, fol. 13. Maymon. in Beth Habbechir. Perek. 5.* כלו היה מקורה וסטיו לפנים מסטיו, *Omnia erant contignata deſuper, & una Porticus erat ante aliam.* Vox סטין ita convenit cum Græca ςοὰ, ut non dubitaverim Hebraicam vocem Græcâ illâ vertere, & Latinâ *Porticus*: ſed quomodo Anglicè verti queant, haud ſatis liquet, quia vox noſtra *Porch*, quâ conſtanter vertitur, non eodem ſenſu uſurpatur, ſed plerùmque alio. *In 1 Reg. 6: 4.* Dicit enim *Kimchi* de voce אולם, *Eam ſignificare quod linguâ Thalmudicâ vocatur* בית השער, *Domus Portæ*, quæ eſt propria ſignificatio Anglicæ vocis *Porch*: vulgò enim ſumitur apud nos pro ædificio quod eſt ſupra vel ante januam ædium. Verùm hæc de quibus agimus verba ſignificant Clauſtra vel Ambulacra, ubi ſolebant ambulare impunes à pluvia atque æſtu; quæ ex altera parte aperta erant, ſuperiùs verò tignis obtecta, quæ columnis ſuſtentabantur.

Itaque latum hoc undique intra murum erat ſpatium duplici ſepto circumquaque diſtinctum, cujus ſuperior contignatio ferè æquabat ſummum murum, ſupereminente tantùm eâ muri parte quæ loricæ tributa erat. Contignationem ſuſtinebat triplex ordo columnarum marmorearum, quorum unus muro proximus erat, & medius ita reliquas diſjungebat, ut duplex conſtitueret Ambulacrum. Simile quippiam non longè quæremus: exemplar ejuſmodi Porticûs poterit optimè eſſe ſeu Septum, ſeu Ambulacrum, ſeu quovis alio appellare libeat nomine, quod ſplendidè extructum eſt ad latus Occidentale Templi *Sancti Pauli*. Erat enim circiter hujus altitudinis, duodecim nempè virgarum & dimidiæ: hinc conjuncta erat muro, quemadmodum *Londinenſis* Porticus conjuncta eſt Templo, & ſuſtentabatur expolitis marmoreis columnis. Erat triginta cubita ſeu quindecim virgas Anglicas lata, & utrumque Ambulacrum, columnæ & reliqua dimidiam ſpatii partem occupabant, & in ſupremo margine habebant loricam, tum ex ea parte quâ ſubjacebat murus, tum etiam ex altera; quemadmodum vidimus exteriùs loricatam eſſe Porticum *Sancti Pauli*. Ubi ædificia, quod anteà obſervavimus, intra ſolum Montis Domûs porrigebantur, hanc proportionem ſervabant Septa illa, nempè planè abſorbebantur ab ædificio, ſi ad triginta cubita ædificium illud intra ſolum ſacrum extenderetur; vel dimidia aut amplior etiam pars Septi abſcondebatur, ſi ædificium arctius eſſet, eique quod ex Porticu ſupererat addebatur.

Ad Meridionale duntaxat latus ſpatii illius quadrati Septa vel Ambulacra differebant ab iis quæ aliis lateribus erant adjecta. Hîc enim erat Στοὰ Βασιλική, *Porticus Regia*, ut *Joſephus* eam vocat, & cujus amplam atque eximiam habet deſcriptionem, quæ huc redit. *Antiq. lib. 15. cap. 4.*

I. Erat triplex per totam faciem quæ ab Oriente ad Occidentem porrigitur, cùm reliquæ Porticus eſſent tantùm duplices.

II. Tota hæc ſtructura ſuſtinebatur quatuor columnarum ordinibus recto ordine diſpoſitis, quorum interior conjunctus erat muro, quemadmodum in aliis Porticibus.

III. Interius & exterius Ambulacrum ex hiſce tribus (hoc eſt, quod erat proximum muro, & extimum quod vicinum erat ei parti Montis Domûs quæ aperto cœlo ſubjecta erat) erant æqualia latitudine & altitudine reliquorum laterum Ambulacris, nimirum quindecim cubitos lata atque alta; ſed medium Ambulacrum latitudine unum & quadraginta, altitudine quinquaginta cubitos æquabat, adeò ut duo columnarum ordines, quibus hoc Ambulacrum utrinque cingebatur, alti eſſent quinquaginta cubitos, & culmen hujus Ambulacri duplo altius eſſet culmine Ambulacrorum quæ utrinque hoc cingebant, atque hæc ſimul eſſent inſtar ſuperioris & inferioris tecti Templi, & unumquodque haberet pinnas ſeu loricam quâ circumdabatur. Denique adeò ſplendida ac magnifica erat tota hæc Architectura, ὡς ἀπιςόν τε τοῖς οὐκ εἰδόσι, καὶ σὺν ἐκπλήξει θεατὸν τοῖς ἐντυγχάνουσιν εἶναι, *ut incredibilia eſſent*, ait Auctor noſter, *iis qui nunquam viderant, & admirationi iis qui ea conſpexerant.*

IV. Si quis ſtetiſſet in culmine ſuperioris tecti, & hinc aut indè deſpexiſſet, tam profunda videbatur foſſa aut vallis ſubjecta, ὡς σκοτοδινιᾶν, οὐκ ἐξικνουμένης τῆς ὄψεως εἰς ἀμέτρητον βυθόν, *ut vertiginem pareret aſpicientibus immenſa profunditas*: & *Joſephus* dicat fuiſſe ἔργον ἀξιαφηγητότατον τῶν ὑφ' ἡλίῳ, *ex præſtantiſſimis quæ ſunt ſub ſole operibus.*

Jam autem quamvis hæc Auſtralis Porticus vocaretur, & quidem meritò, Στοὰ Βασιλική, attamen eadem non fuit cum ea quæ in Scriptura *Solomonis Porticus* vocatur, cujus mentio occurrit *Joann.* 10: 23. *Actor.* 3: 11.

Digitized by Google

3:11. Hæc enim, ut docet *Joſephus*, fuit ad Orientem hujus ſpatii quadrati, non ad Auſtrum. Sic habet ille. Ἔπειθον τὸν βασιλέα τὴν ἀνατολικὴν στοὰν ἀναγεῖραι· ἦν δὲ ἡ στοὰ τοῦ μὲν ἔξωθεν ἱεροῦ· κειμένη δ' ἐν φάραγγι βαθείᾳ, τετρακοσίων πηχῶν τοὺς τοίχους ἔχουσα· ἐκ λίθων δὲ τετραγώνων κατεσκεύαστο καὶ λευκῶν πάνυ· τὸ μὲν μῆκος ἑκάστου λίθου πήχεις εἴκοσι, τὸ δὲ ὕψος ἕξ· ἔργον Σολομῶντος τοῦ βασιλέως πρώτου δειμαμένου τὸ σύμπαν ἱερόν. *Populus perſuaſit Regi Agrippæ* (ſecundo) *inſtaurare Orientalem Porticum. Erat autem hæc Porticus in parte exteriore Templi ſupra profundam vallem, & murum habens 400. cubitorum conſtructum lapidibus triangularibus & candidiſſimis: latitudo autem uniuſcujuſque lapidis erat viginti cubitorum, altitudo ſex: atque opus erat Regis Solomonis, qui totum Templum exſtruxerat.*

Joſeph. Antiq. lib. 20. cap. 8.

Sententiam ſuam de hoc Orientali muro & Porticu alibi effert in hunc ſenſum: *Solomonem*, ut ſibi ex hac parte ſuppeteret ſpatium, impleviſſe partem profundæ iſtius vallis, & molem extuliſſe magnis hiſce lapidibus, Καὶ ἐπιπτύξαι στοὰν τῷ χώματι, & validis hiſce fundamentis ad tantam altitudinem elatis impoſuiſſe Porticum, de qua jam agimus.

Idem *de Bell.* lib. 5. cap. 14.

Cùm porrò Templum dirutum fuit à *Babyloniis*, & totum ædificium everſum; attamen hæc mira & ingens fundatio quam *Solomon* ad tantam altitudinem exſtruxerat, ut ſolum Montis æquaret, integra remanſit, & poſterioribus temporibus Porticus iſtius Orientalis partis hiſce *Solomonis* fundamentis impoſita fuit, & indè *Solomonis Porticus* appellata: atque eandem etiam ob rationem Orientalis Porta, ut anteà, *Regia Porta* dicta eſt.

Jam ut proſpectus hujus loci, muri & ædificiorum, ac Porticuum, de quibus unius tantùm lateris reſpectu egimus, ſeſe nobis offerat, per multos gradus, aut ſaltem per elatum aſcenſum via erat ad aliquam ex Portis ſuprà memoratis, exempli gratiâ, ad Portam Orientalem ſeu Portam *Suſhan*, quâ te fuiſſe ingreſſurum fingito. Limen ſuperius erat duodecim cubitorum, quorum ſex erant intra januam, ſex verò extra prominebant: quam cùm ſemel ſubiiſſes, vidiſſes interiora magni illius ſpatii quadrati, quod circumquaque magnificè erat Porticibus circumdatum duplicibus, niſi ad Auſtrum, ubi Porticus erat triplex. Ad Occidentale latus erant quatuor Portæ, ad Auſtrale duæ, ad Septentrionale una, atque in Orientali, unde veniſſes, una; & ad omnes majora aut minora ædificia.

Ezech. 40: 6.

Ad quinque ex hiſce Portis, nempe Orientalem *Suſhan*, duas Auſtrales *Huldah*, Septentrionalem *Tedi*, Occidentalem *Shallecheth*, erant noctu excubiæ Levitarum ad tutelam & honorem Templi, ut etiam introrſùm in unoquoque magni hujus Tetragoni angulo.

Midd. Perek. 1. 1.

Magnificæ iſtæ Porticus, quæ id circumdabant, exſtructæ fuerant in gratiam populi, ut poſſet ſub iis ambulare aut ſedere per æſtum aut pluviam, prout liberet vel occaſio ferret. Ita narratur Servator noſter ibi ambulaſſe, *Joann.* 10: 23. & dicuntur Apoſtoli *Jacobus* & *Joannes* ibi ſtetiſſe in media populi corona, *Actor.* 3: 11. Ibi etiam erant ſcamna circumpoſita in uſum populi, ut quotieſcunque ita videretur, poſſet ſedere. Ideò *D. Kimchi* interpretatur סטין hiſce verbis, ספסל שיושבים בו, *Scamnum in quo ſedent*: & *R. Nathan* dicit eſſe idem ac אצטוה, *quæ*, inquit, *ſunt ſcamna in quibus deponunt onera ſua, vel quibus ipſi inſident.*

Kimch. in 2 *Reg.* 11: 14.
Aruch in אצטוה.

CAPUT IX.

Taberna. Magni Synhedrii ſedes haud remota.

CRebra mentio fit in *Thalmude* & Thalmudicis Scriptoribus loci in Monte Domûs qui vocabatur חניות, *Hhanoth* vel *Hhanijoth*: quam vocem harum Antiquitatum periti vertunt Latinâ voce *Taberna*, quæ quamvis in ea lingua propriè exprimat Hebraicam vocem, attamen Anglicè non poſſet verti *Taverns*, quia hanc vocem ſumimus tantùm pro Oenopoliis; cùm in Tabernis illis venderentur vinum, ſal, farina & ſimilia in uſum ſacrificantium & offerentium. Refert *R. Nathan*, fuiſſe in eo Mercatu veluti Ædiles, qui pondera & menſuras iſtarum Tabernarum viſitabant, & impediebant ne Mercatores æquo cariùs venderent.

Aruch in אגרדמין.

Verùm hoc maximè in hiſce Tabernis obſervandum venit, quòd Judæi dicant *Magnum Synhedrium* hîc ſediſſe, cùm locum ordinarium conſeſſûs ex Conclavi *Gazith* eò tranſtuliſſet. Ejus rei hiſtoria ſparſim occurrit in *Thalmude*, & præſertim in *Gemara* Tractatûs *Roſh haſhanah*, Perek. 4.

R. Jochanan dicit, Divina gloria habuit decem ſtationes recedendo. I. Ex Propitiatorio inſedit uni Cherubinorum. II. Ex iſto Cherubino ad alterum. III. Ex iſto Cherubino ad limen. IV. Ex limine ad Atrium. V. Ex Atrio ad latus Altaris. VI. Inde ad faſtigium Altaris. VII. Inde ad

Thalm. in *Roſh haſhan.* fol. 31.

Digitized by Google

ad exteriorem murum. VIII. Ex eo muro in Civitatem. IX. Ex Civitate in Montem Oliveti. X. Ex Monte Oliveti in deſertum, unde in ſublime abiit. Ita etiam Magnum Synhedrium habuit decem ſtationes. Ex Conclavi Gazith ad Hhanoth; (hoc eſt, *Tabernas* vel locum *Tabernarum*) *ex Hhanoth Hieroſolymam; Hieroſolymâ Jabneam; Jabneâ Osham* אושא; *Oshâ Sepharaam* שפרעם; *ex Sepharaam ad Beth Shaaraim; ex Beth Shaaraim Tſipperim Galilææ; Tſipperi Tiberiadem.*

Jam autem quamvis hoc in loco octo tantùm ſtationes memorentur, tamen decem fuiſſe ajunt; quod ita intelligendum eſt ut docent Scholia: nempe iſſe ac rediiſſe ex uno horum locorum ad alterum, nempè *Jabneâ Osham*, *Oshâ* iterùm *Jabneam*, & ſecundò *Jabneâ Osham*.

Gloſſ. ibid. *R. Simeon.*

Primus *Synhedrii* adventus *Jabneam* contigit diebus *Rabban Jochanan ben Zaccai*; commeatus verò *Jabneâ Osham* diebus *Rabban Gamalielis* poſterioris; reditus autem *Jabneam* diebus *Rabban Simeonis*. Ivit porrò ad *Shaaraim* & *Tſipperim* diebus *Rabbi Judæ*, & *Tiberiadem* diebus *Antonii*.

Hæ ſedis mutationes, ipſis fatentibus Judæis, cœpere quadraginta annis ante deſtructionem Templi. מ׳ש׳ה עד שלא חרב הבית גלתה לה סנהדרי וישבה לה בחנות, *Quadraginta annis*, inquiunt, *ante deſtructionem Templi, Synhedrium loco ceſſit, & ſedit in Hhanoth*, ſeu *Tabernis*. Atque ejus rei hæc affertur ratio: *Quia cùm eſſent plures fures & ſicarii, ipſi non judicabant de cauſis capitalibus.* Quorum verborum hæc eſt ſententia: Exiſtimabant dum ſederent in Conclavi *Gazith*, ipſos teneri judicare de omnibus cauſis quæ ad ipſos deferrentur, & omnia ipſorum judicia Judæos obligaſſe: ſed jam cùm præter jugum *Romanæ* dominationis, quo eorum poteſtas intra arctiores limites coacta erat, ſcelus atque inſolentiæ nimiùm creverant, quàm ut poſſent ab ipſis coërceri; exiſtimarunt, ut mentem eorum exprimit *Gemara* in *Avodah Zarah*, *expedire ſibi ſurgere & cedere loco, de quo ſcriptum eſt, Et facies juxta id quod homines ejus loci oſtenderint tibi.*

Shabbath, fol. 51.

Ibid. & *Aruch* in חנות.

Avodah Zarah, fol. 8.

Porrò quâ in parte Montis Domûs hæ Tabernæ ſitæ eſſent, optimè poſſumus intelligere, ſi obſervemus loca in quibus ſedit *Magnum Synhedrium*, priuſquàm ſederet in Conclavi *Gazith*: atque huic rei lucem fœneratur locus *Jeremiæ* 35: 4. ubi occurrunt hæc verba: *Deduxi Rechabitas ad Domum Domini in Conclave filiorum Hanan, filii Jegedeliæ Viri Dei, quod erat propè Conclave Principum, quod erat ſupra Conclave Maaſeja filii Shallum Cuſtodis Veſtibuli.* Per *Principes* hîc non poſſumus eos intelligere qui ad regiam ſtirpem pertinebant: quid enim hîc egiſſent filii *Jejakimi?* Degebant in Regia *Sionis*, & via quâ ad Templum veniebant tendebat ad Occidentalem Portam quæ vocabatur *Shallecheth* & *Coponii*, cùm hæc Porta, cujus filius *Shallum* Cuſtos erat, eſſet Orientalis, ut apparet ex 1 *Paral.* 9: 17, 18.

Per *Principes* ergò intelligendi ſunt magni in *Synhedrio* Viri, Ἄρχοντες τοῦ λαοῦ, *Actor.* 4: 8. quorum judicialis ſedes erat vicina Portæ Orientali ſeu *Sushan*, & quidem ſupra Conclave Janitorum. Hîc ſedebant tempore primi Templi; ſed ſub ſecundo, præſertim ab ævo *Simeonis Ben Shetah*, ſedem ſuam interiùs retraxerunt, & ſederunt ad latus Atrii *Iſraëlis*, in Conclavi dicto *Gazith*, quod ſuo loco luſtrabimus.

Jam verò poſtquàm deſeruiſſent Conclave *Gazith*, ut non ampliùs ibi ſederent, quò ſe contuliſſent niſi iterùm ad Orientalem Portam, ubi olim fuerat *Synhedrii* ſedes? Obſervari poteſt ex *Jeremia*, ejus tempore olim ſediſſe in duabus Orientalibus Portis, modò in una, modò in altera, nempè ad hanc Orientalem Portam Montis Domûs, ut liquet ex loco allato, & Orientalem Portam Atrii quæ *Nova* etiam vocabatur, *Jerem.* 36: 10. de qua poſteà.

Sequentibus temporibus cùm ſederent in Conclavi *Gazith*, *Synhedrii* 23. Virorum ſedes erat ad alterutram harum Portarum, ut ſatis liquet ex Judæorum monumentis. Hinc ergò poſſumus optimè colligere *Tabernas* ſitas fuiſſe propè Orientalem Portam Montis Domûs: erant ſcilicet in inferioribus Conclavibus ædificiorum quæ ad utrumque latus Portæ *Sushan* ſita erant; ſuperiora verò Conclavia alii cuipiam uſui inſerviebant, & unum quidem eorum dicatum erat conſeſſibus *Magni Synhedrii*, cùm remotum fuit à Conclavi *Gazith*, & dum hoc ſederet in *Gazith*, conſeſſui *Synhedrii* 23. Virorum.

Et cùm *Maymonides* loquatur de מדרש *Theologica Schola* in Monte Domûs, ubi *Synhedrium* ſedebat diebus feſtis; non poſſumus eam in alio loco collocare, quàm circa eum in quo primis ac ultimis Templi temporibus ſedes erat *Synhedrii*. Omnes quas jam luſtravimus Portæ ornatæ erant magnificis hinc indè ædificiis; ſed maximè omnium Orientalis,

Maymon. in Sanhedr. Perek. 3.

Digitized by Google

lis, propterea quòd is maximus & frequentiſſimus eſſet in Templum ingreſſus. Et cùm meminerit Scriptura mulierum in Templo degentium, ut 2 *Paral.* 22: 11, 12. ubi *Jehoſchabhath* & *Joaſh*, ejuſque Nutrix per multos annos vixerunt; & *Luc.* 2: 37. ubi *Anna* negatur per multos annos receſſiſſe à Templo: earum domicilia erant in ædificiis vicinis Portis hujus exterioris muri, quamvis accuratè deſignari nequeat locus: quicquid enim hoc muro claudebatur, in Scriptura & ſermone quotidiano vocatur Templum; quod ita manifeſtum eſt, ut probatione non egeat.

CAPUT X.

Dimenſiones & forma Templi Solomonis, ejuſque quod à reducibus ex Captivitate extructum eſt.

ITa luſtratis & undiquaque conſideratis Montis Templi ambitu, muro qui ampliſſimum illud Tetragonum complectebatur, Porticibus & ædificiis quæ erant intra murum aut ei annexa; priuſquàm veniamus ad Atria, diviſiones ac ædificia quæ intra erant, & tum de eorum ſitu, tum de uſu verba faciamus, operæ pretium erit perluſtrare primùm magnitudinem & ſitum Templi ipſius, ut ex eo & exteriori muro tanquam fixis ac immotis terminis metiri poſſimus omnes proportiones, ædificia atque intervalla quæ deſcribenda ſuſcepimus.

Maymon. in Beth Habbechir. Per. 6.

Solum Montis Templi non erat planum, ſed ex Oriente ad Auſtrum aſſurgebat, & quidem in eam altitudinem, ut ſolum Porticûs Templi eſſet viginti duobus cubitis altius ſolo Portæ *Suſhan*, ſeu Orientalis in extimo muro, quod in varia plana per plures gradus diſtinctum erat, atque ita ipſe murus pro ratione ſoli diſpoſitus erat.

Menſuræ Templi à *Solomone* ædificati dicuntur fuiſſe *juxta menſuram primam*, 2 *Paral.* 3: 3. hoc eſt, eundem cubitum qui dimenſus eſt primum Tabernaculum, qui idem eſt quo conſtanter utimur; atque eâ menſurâ longum fuiſſe dicitur Templum ſeptuaginta cubitos, Porticus verò decem. Atque horum omnium latitudo erat viginti cubitorum.

Circa altitudinem eſt aliqua obſcuritas: Liber enim *Regum* ait eam fuiſſe triginta cubitorum; ſed Liber *Paralipomenon* numerum planè omiſit: dicit tantùm Porticum altam fuiſſe 121. cubitos. Diſputat porrò *D. Kimchi*, utrùm hæc altitudo eſſet ſolius Porticûs, vel totius Domûs; & oſtendit quomodo id poſſit intelligi de tota Æde: nempè vult altitudinem ejus ad primum ſolum fuiſſe triginta cubitorum, (juxta ſupputationem Libri *Regum*) deinde Conclavia cum omnibus *ſτγαις* ad nonaginta cubitos præterea aſſurrexiſſe. Attamen tum ipſe, tum *R. Levi Gerſhom*, haud illibenter crederent Templi ipſius altitudinem non ſuperaſſe triginta cubitos; ſed aliquatenùs abripiuntur opinione quorundam Rabbinorum quæ diverſa eſt: *Nam ex eorum verbis apparet*, inquiunt, *fuiſſe Conclavia ſupra Templum & ſupra Porticum*; atque hoc deducunt ex 1 *Paral.* 28: 11.

Kimch. in loc. alleg.

Ralbag in 1 Reg. 6. Aben Ezra in Ezr. 6.

Verba hujus loci ſic ſonant: *David dedit Solomoni filio ſuo exemplar Porticûs ejuſque Domuum, & Gazophylaciorum, & Cœnaculorum, & Cubiculorum, & Propitiatorii:* ubi omnia hæc, excepto poſtremo, ita conjunguntur, ut videantur omnia fuiſſe intra Porticum. Sed Spiritus Sanctus loquitur de Porticu, ut de prima parte quæ ſe oculis ingerebat aſcendentium, cùm eſſet in omnium fronte ſita; reliquæ verò partes memoratæ intelligi debent, non quaſi omnes in hac comprehenſæ, ſed quaſi diſtributæ & variè diſpoſitæ in variis Ædis Sacræ locis, quemadmodum alibi refert Spiritus Sanctus. Atque ad Cœnacula, ſeu ſuperiora Conclavia, quorum hìc fit mentio, quod attinet, non neceſſe eſt eorum ſitum ita circumſcribere, ut omnia collocentur ſupra Porticum, (licèt quædam ibi eſſent) nullum autem ſupra ipſius Templi ædificium: ſed cum Scriptura alibi ſunt etiam collocanda in variis *ſτγαις* circum Ædem in exterioribus ædificiis.

Accurata conſideratio menſurarum Templi exſtructi à filiis Captivitatis videtur omnia noſtra dubia circa hoc negotium diſcuſſura. Menſuræ quas attulerunt ſecum ex *Babylonia*, & quæ exprimuntur in edicto *Cyri*, hæc erant: *Fundamenta firmiter eſſe jacienda, altitudinem cubitorum ſexaginta, & latitudinem cubitorum ſexaginta, cum ordinibus tribus de magnis lapidibus, & ordine novorum lignorum, in quæ ſumptus de Domo Regis dandi erant.*

Ezr. 6: 3, 4.

Ubi obſervare poſſumus, I. Longitudinis mentionem non fieri, quia eadem erat ac prioris menſuræ. II. Latitudinem duplo majorem eſſe latitudine Templi *Solomonis*, Conclavibus lateralibus ſcilicet incluſis. III. Altitudinem duplò majorem

Aben Ezr. in loc.

Digitized by Google

rem fuiſſe altitudine ædificii *Solomonis*, quemadmodum exprimitur in Libro *Regum*, & qualis reipſa erat Templi tùm altitudo, licèt Porticus eſſet altior. Nam planè abſurdum videtur, *Cyrum* permiſiſſe ædificari Domum æquè latam ac anteà erat, ſed quæ dimidiam prioris Templi altitudinem non æquaret. Dubium non eſt quin *Cyrus* conſilium habuerit cum quibuſdam Judæis circa ædificium, atque aut eos auctores fuiſſe ut ita altitudo minueretur, aut ipſum duplo latiorem Ædem extrui permittentem, altitudini ejus voluiſſe detrahere; & ædificium aliunde minuere nullatenus probabile eſt. Longitudo duplò major fieri non potuit, quia hoc imminuiſſet ſpatium Atriorum quæ in anteriore parte erant poſita; quod fieri non debebat: ſed permiſit duplo ampliorem fieri dimenſionem ab iis partibus in quibus ampliari poterat ædificium.

Ideòque duo loca *Regum* & *Paralipomenon* debent propriè, uti ſonant, ſumi: ſcilicet Porticum fuiſſe centum & viginti cubitos altam; reliquum verò Templum tantùm triginta, adeò ut totius ædificii hæc eſſet forma. Ab Ortu in Occaſum porrigebatur: Sanctiſſimus Locus erat ad Occidentem; Porticus verò ſeu ingreſſus erat ad Orientem: atque univerſa longitudo ab Ortu in Occaſum ſeptuaginta, latitudo viginti cubitorum, præter latitudinem Conclavium quæ ad latera erant. Altitudo Sancti & Sanctiſſimi Loci erat triginta cubitorum; ad Orientalem terminum ſtabat Porticus inſtar altiſſimæ alicujus Turris apud nos, viginti & centum cubitorum altæ. Ac certè *Solomonis* Templum haud abſimile erat noſtris Eccleſiis; verùm hac in re differebat, quòd ejus Turris (quæ erat Porticus) ad Orientem eſſet ſita.

Porrò circa totum ædificium ad Septentrionem, Auſtrum & Occidentem, *Solomon* exſtruxerat Conclavia τρίστεγα, & unaquæque ſtega erat alta quinque cubitos, ut totius ſtructuræ altitudo eſſet quindecim cubitorum, & muro Domûs extrorsùm eſſet annexa. Altiſſima ſtega latior erat integro cubito quàm media, & media latior cubito quàm infima; attamen murus extimus erat rectus ac perpendicularis, nec ullo modo ulla ſtega præ cæteris prominebat. Ratio hujus rei erat, quòd murus Templi à fundamento ad quinque cubitorum altitudinem craſſior eſſet cubito partibus ſuperioribus. Igitur ſupra quinque cubitos relictum fuerat ſpatium cubitale in muro circa totam Ædem, cui ſpatio innitebantur extremitates trabium quibus conſtabat laquear inferiorum Conclavium, & ſolum ſecundæ ſtegæ. Eodem modo ſe habebat murus uſque ad tertiam ſtegam, quæ ſecundâ cubito erat latior, quia murus poſt quinque cubitos uno imminuebatur.

Atque hic eſt ſenſus hujus verſûs, 1 *Reg.* 6: 6. *Tabulatum quod ſubter erat quinque cubitos habebat latitudinis, & medium tabulatum ſex cubitorum latitudinis, & tertium tabulatum ſeptem habens cubitos latitudinis. Trabes autem poſuit in Domo per circuitum forinſecùs, ut muris Templi non infererentur.*

Itaque hæc Conclavia pertingebant ad dimidiam altitudinem Ædis, erantque inſtar inferioris tecti Eccleſiarum noſtrarum plumbo obducti reſpectu ſuperioris. Uſum porrò horum Conclavium poſteà obſervabimus. *Leads* Anglicè.

Supra hæc Conclavia in muro Templi, & in exteriori horum muro, erant feneſtræ quibus lumen admittebatur, quas dicit Scriptura fuiſſe שקופים אטומים, *apertas* & *clauſas*, ſeu latas & arctas; quod *Chaldæus Paraphraſtes* & *Theodoretus* rectè interpretati ſunt *introrsùm latas atque extrorsùm arctas*: nempè arctæ erant extrinſecùs ad excipiendum lumen, latæ verò intrinſecùs ad illud diſpergendum. Non deſunt tamen Judæi qui id modo planè contrario intelligant: nempè eas extrorsùm latas fuiſſe, introrsùm arctas; differentes proinde ab omnibus aliis feneſtris: שאינו צריך לארה, *nam Deus*, inquiunt, *iſto lumine non indigebat.*

In 1 *Reg.* 6:4. Vide *Nobil.* in *Sept.* in loc.

Vide *R. Salom. Kimch.* in loc.

Judæi reduces ex Captivitate quadraginta ſex annos in ædificatione Templi conſumpſerunt priuſquàm abſolutum eſſet; & cùm ei colophon impoſitus fuit, ita magnificentiâ & pulchritudine *Solomonis* Templo inferius fuit, ut iis qui hoc viderant nihili poſterius videretur. Non cedebat priori amplitudine; duplo enim amplius erat quàm prius, quemadmodum hoc ſuperabat Tabernaculum *Moſis*: ſed poſteriori deerant magnificentia & ſplendor quæ in priori conſpiciebantur. Carebat etiam hiſce quinque in quibus gloria & ὑπεροχὴ prioris ſitæ erant; nempè *Arcâ*, *Urim & Thummim*, *Igne cœlitùs delapſo*, *Nube gloriæ ſupra Propitiatorium*, & *Spiritu Prophetiæ*. Itaque lachrymæ eorum qui viderant priorem Domum cùm poſterioris fundamenta jacerentur, indè non oriebantur,

Joann. 2: 20.

Hagg. 2: 3.

R. Solom. in *Hag.* 1: 18.

Ezr. 3: 12.

bantur, quòd viderent amplitudinem Templi minui, nam latior erat fundamentorum ambitus; ſed ex recordatione gloriæ prioris tum ſplendore ædificii, tum quinque illis prærogativis; ex memoria conflagrationis hujus, & comparatione præſentis ſuæ ſervilis ac miſeræ ſortis cum libertate, ſplendore ac gloria Gentis cùm prius Templum ſtaret.

Dimenſiones præſcriptæ fuerant à *Cyro*, non quaſi vellet impedire quominùs ejus amplitudo augeretur, ſed contrà ut majus fieret: nam cùm *Solomonis* Templum triginta tantùm cubitos latum eſſet, comprehenſis etiam lateralibus Conclavibus, permiſit latitudinem ad ſexaginta cubitos porrigi, & altitudinem etiam duplo majorem eſſe voluit: nam pro triginta cubitis quæ erat prioris altitudo, ſexaginta conceſſit.

Antiq. lib. 8. cap. 2. Itaque cautè ſunt intelligenda verba *Joſephi* dicentis, *Eos extuliſſe fornicem ſtructura Solomonis ex albis lapidibus, ſexaginta cubitos in altitudinem; totidem addidiſſe longitudini, viginti verò latitudini.* In qua altitudinis dimenſione in diverſum abit tum à Scriptura, tum etiam à popularibus ſuis. Quam in opinionem quibus devenerit ſupputationibus, difficile eſt conjicere. Nec faciliùs intelligas quod ſequitur: Κατὰ τοῦτο δὲ ἄλλος ἦν ἐσηγερμένος ἴσος τοῖς μέτροις, ὥστε εἶναι τὸ πᾶν ὕψος τοῦ ναοῦ πηχῶν ἑκατὸν καὶ εἴκοσι: quod ſic verto: *Juxta hanc alia pars erat ejuſdem dimenſionis, adeò ut univerſa altitudo Templi eſſet viginti & centum cubitorum.* Per *partem hanc* exiſtimo eum intelligere Porticum; quod liquidò oſtendunt ejus verba: ſed quomodo poſſet concipi ejuſdem dimenſionis cum ea de qua anteà locutus fuerat, fateor me non intelligere. Et cùm dicit *univerſam altitudinem Templi fuiſſe viginti & centum cubitorum*, ipſa ejus ratio oſtendit eum non intellexiſſe Templum ubique ad hanc altitudinem pertigiſſe, ſed verba iſta referenda eſſe ad Porticum de qua loquitur; nec eum aliud ſibi voluiſſe, niſi quibuſdam in locis Templi ædificium viginti & centum cubitos altum fuiſſe.

Atque ita intelligenda ſunt verba *Herodis* in Oratione quam habuit ad populum, cùm dicit de ſuo conſilio inſtaurandi Templi. *Ibid. lib. 15. cap. 14.* *Patres noſtri ædificarunt Templum magno Deo, poſtquàm redierunt ex Babylone.* Ἐνδεῖ δὲ αὐτῷ πρὸς τὸ μέγεθος εἰς ὕψος ἑξήκοντα πήχεις· τοσοῦτον γὰρ ὑπερεῖχεν ὁ πρῶτος ἐκεῖνος ὃν Σολομὼν ἀνῳκοδόμησε. *Deerant autem ei ad altitudinem ſexaginta cubiti: tantò enim majus erat primum illud quod Solomon ædificaverat.* Quod non debet intelligi de tota Æde, ſed de ſola Porticu: nam filii Captivitatis vel nullam prorsùs exſtruxerunt Porticum; quo ſuppoſito, Templum eorum perfectum referebat Cubum, ex æquo longum, latum atque altum: vel ſi exſtruxerunt aliquam, ea non excedebat, quemadmodum *Solomoniana*, altitudinem reliquæ Domûs, ſed tantùm exæquabat, cùm omnes partes ædificii ſexaginta cubitos altæ eſſent juxtà præſcriptas à *Cyro* dimenſiones.

In hujus edicto de inſtauratione Templi hæc verba occurrunt non exiguæ difficultatis: נדבכין די אבן גלל תלתא ונדבך אע חדת: quæ ſic vertit *Joſephus:* Λίθου μὲν ξεστοῦ τρεῖς δόμους καὶ ἕνα ξύλινον ἐγχώριον. *Tres domos caſi lapidis, intùs verò domum ligneam.* Per *tres* haſce *domos* videtur intellexiſſe tres partes Templi, Porticum, Sanctum, & Sanctiſſimum Locum; & per *domum ligneam*, Templi interiorem contabulationem. Hoc etiam ſenſu *R. Solomon* id intellexiſſe videtur, cùm hanc iſtorum verborum ſententiam eſſe ait: *Muri erant marmorei, & erat intùs paries ligneus, quemadmodum in ædificio Solomonis.* Septuaginta Interpretes verterunt נדבכין δόμους, eoſque ſequutus eſt *Joſephus:* ſed *Chaldæus Paraphraſtes* uſus eſt voce quæ *ſeriem* ſeu *ordinem* ſignificat lapidum vel trabium, ut *Hagg.* 2: 15. *Prinſquàm lapis imponeretur lapidi*, interpretatur נדבך על נדבך: atque ita etiam טור interpretatur voce נדבך, *Ezech.* 46: 23. &c. Hoc ſenſu etiam vocem intelligit *Aben Ezra:* atque ita *Anglicani* noſtri Interpretes: *Three rows of great Stones, and a row of new Timber.*

Verùm ſupereſt nobis commatis quærendus ſenſus, licèt vocabula ſingula intelligamus: *tres ordines lapidum, unus ligni.* Debetne hoc intelligi de tribus ordinibus columnarum lapidearum, uno verò lignearum, erectis, an verò de tribus ordinibus lapidum muro impoſitorum, quibus ordo lignorum ſuperinjectus eſſet? An intelligitur hæc fuiſſe in ipſius Templi propriè dicti ſtructura, vel in aliquo circa ipſum muro? Si expendamus 1 *Reg.* 6: 36. opinor aliquam indè orturam lucem, ſiquidem verba quæ ibi habentur ſunt parallela verbis *Ezræ* 6: 4. *Solomon ædificavit Atrium interius tribus ordinibus lapidum exciſorum, & uno ordine lignorum Cedri.* Vix credibile eſt caſu hoc con-

contigiſſe, ut *Cyrus* ediceret fieri hoc quemadmodum à *Solomone* factum fuerat; cùm potuerit hoc habere à quopiam ex Judæis qui erant in ejus Aula. Itaque poſtquàm præſcripſit dimenſiones ipſius Templi, *verſ.* 3. deſignat etiam ſpatium muro cingendum ad Atrium faciendum, planè juxta Architecturam *Solomonianam*, nempè *tribus ordinibus magnorum lapidum* ad extollendum murum, & *ordine lignorum Cedri*, ſeu ad pinnam muro faciendam, ſeu ad interponendum lapidibus in ipſo muro. Ita *R. Levi Gerſhom* & *D. Kimchi* exponunt hæc verba, 1 *Reg.* 6. *Muri conſtabant tribus ordinibus lapidum politorum, & uno trabium Cedrinarum ſupra eos.*

Reduces ex Captivitate priùs inſtaurarunt Altare, quàm ædificium Templi inchoarent, *Ezr.* 3: 3. neceſſe enim habebant ſacra facere, & ipſe locus jus dedit, licèt Templum nondum ædificatum eſſet. Secundo menſe anni ſecundi poſt eorum reditum, qui erat ſecundus *Cyri*, fundamenta Domûs jecerunt; ſed opus interturbatum fuit, atque ita dilatum uſque ad annum ſecundum *Darii*, *Ezr.* 4: 24. Vigeſimâ quartâ die menſis hujus anni cœperunt iterùm ſe ædificationi accingere, & vigeſimâ quartâ noni menſis operi manus admoverunt. Confer *Hagg.* 1: 15. & 2: 18.

Midd. Per. 2. & 3. *Kimch. in Ezech.* 40.

Exemplar quòd ſecuti ſunt in ſtructura variarum Templi partium deſumptum fuit, ut eorum populares affirmant, ex Templo quod deſcribit *Ezechiel*, Cap. 40: 41. &c. *Filii Captivitatis*, inquiunt, *fecerunt ædificium juxta formam quam viderant in ædificio Ezechielis variis in rebus*; quod licèt non poſſent planè imitari, præſertim in dimenſionum amplitudine, & ſtructuræ magnificentiâ, (cùm exemplar *Ezechielis* non minùs eſſet figura Templi non terreni & ἀχειροποιήτου, quàm firma promiſſio terreni Templi poſt reditum è Captivitate excitandi) attamen ante oculos habuerunt, & in multis ſequuti ſunt, diſpoſitis, quatenùs licuit, juxta illud Atriis & ædificiis? Idem etiam fecit *Herodes* conſilio Sapientum qui apud ipſum gratiâ valebant, quales fuere *Hillel*, *Shammai*, & *Menahem*, cùm inſtauravit vel potiùs denuò ædificavit Templum, licèt variis in rebus dimenſiones filiorum Captivitatis ſuperaverit, attamen illorum ἰχνογραφίαν & ſtructuram ſequutus eſt, quemadmodum ipſi *Ezechielis* exemplar erant ſequuti. Itaque cùm ad formam & diſpoſitionem rerum & locorum exigua adeò eſſet differentia inter ædificium reducum ex Captivitate, & *Herodis*, *Thalmudici* ea inſtar unius Templi cenſent, & quaſi id Templum quòd ſtatim poſt Captivitatem exſtructum eſt, ad excidium *Hieroſolymæ* perduraverit, dicunt hoc fuiſſe בית שני, *Domum ſecundam*, quam anteceſſit prima Domus à *Solomone* condita; atque ita etiam in poſterùm promiſcuè ſecundum Templum & Templum *Herodis* ſumemus.

CAPUT XI.

Dimenſiones & ἰχνογραφία Templi, quale erat Servatoris noſtri tempore.

Joſeph. Antiq. lib. 14. cap. 17.

Herodes Magnus cùm adhuc adoleſcens eſſet, antequàm regnum adipiſceretur, occidit *Ezechiam* quendam & aliquot alios; unde coram *Synhedrio* citatus eſt, ut homicidii cauſam diceret: ubi cùm quidam eum timerent, alii verò defenderent, nec juſtas quas meritus erat pœnas ſolveret; *Shammai* in Concilio Vice-Præſidis munus ſuſtinens, audacter & planè in faciem Senatorum dixit, *eos qui adeò jam ipſi faverent, aliquando tantâ gratiâ apud ipſum non valituros, ſed ab eo interfectum iri.* Atque ita poſteà ſe geſſit *Herodes*, poſtquàm eſt regnum conſequutus, interfectis omnibus συνέδροις, exceptis duobus, *Hillele* Præſide, & *Shammai* qui erat Vice-Præſes, qui tam apertè contra illum egerat. Poſteà quaſi tam dirum facinus expiaturus, perſuaſus fuit à *Baba Ben Bota*, ut Templum inſtauraret; quod ita plenè perfecit, ut illud exſtruxerit μείζω τε τ̓ περίβολον καὶ πρὸς ὕψος ἀξιοπρεπέστατον, *ambitu amplius, atque altitudine ſplendidius, antiquis fundamentis everſis nova ſubſtituens.* Hoc opus incepit vigeſimo anno regni, & intra octennium abſolvit, novem circiter annis ante Natales *Chriſti*: quo toto temporis intervallo, ſi Judæis credimus, nunquam pluit interdiù ne opus interrumperetur. Splendorem ædificii iidem Scriptores in Tractatu *Succah*, in *Gemara* extollunt hiſce verbis: *Qui nunquam vidit Hieroſolymam in ſua gloria, nunquam vidit pulchram civitatem. Qui nunquam vidit Sanctuarium cum ſuis ædificiis, nunquam vidit aurea ædificia.* Rab. Haſda *dicit*, *Fuit Herodis ædificium, & quâ materiâ ſtruxit illud?* Rabba *dicit*, *Aureo lapide & marmore. Et quidam dicunt*, מאבני שש כחלא, *ex marmore variegato* pluribus venis & coloribus: אפק שפה ועייל שפה, *unus margo interior, alter exterior erat*: quod ita interpretatur *Gloſſa*: כתחאוי אדותא בימא, *Similitudinem referebat*

Juchaſin, fol. 19.

Joſeph. Antiq. lib. 15. cap. 14.

Juchaſin, ubi ſuprà.

Perek. 3.

referebat fluctuum maris, una ſeries lapidum introrſum immiſſa erat, altera verò prominebat.

Dimenſiones hujus Templi, qualis erant tempore Servatoris noſtri, & uſque ad tempus excidii *Hieroſolymitani*, erant מאה על מאה ורום מאה, *centum cubiti longitudinis, latitudinis & altitudinis.* Nec tamen erat perfectus cubus: etenim, ut poſteà videbimus, poſtica pars, auctoribus *Thalmudicis* & *Maymonide*, ita coarctabatur, ut eſſet eadem inter partes proportio, quæ eſt in corpore leonis.

Midd. Per. 4. — *Midd.* ibid. *Maymon. in Beth Habbech.* Per. 4. & 5.

Forma & facies externa, quam ſolum hîc conſiderabimus, hujus ſtructuræ hæc erat: ædificium conſtabat, ut dicit *Joſephus*, candido marmore, & quidem venis & coloribus variegato, ut anteà diximus. Lapides mirum in modum ſecti & craſſi erant, muruſque ad centum cubitorum altitudinem hiſce veluti gradibus diſtinctus aſſurgebat.

Ubi ſupr.

I. האוטם שש אמות, *Fundamentum erat ſex cubitos altum:* non in ſolo, licèt profunda ſatis in ſolum jacta fuiſſent fundamenta, ſed ſupra ſolum. Et quemadmodum in magnarum ædium lapidearum ſtructurâ inferior pars craſſior eſt ſuperioribus, ut meliùs pondus ſuſtinere poſſit; ita hîc etiam uſque ad altitudinem ſex cubitorum craſſior erat murus.

Midd. ibid.

II. וגובהו מ' אמה, *Altitudo muri erat quadraginta cubitorum:* hoc eſt, ex imis fundamentis murus aſſurgebat quadraginta cubitos abſque ullis projecturis ac protuberantibus figuris, qualis alibi cernuntur. Deinde erat,

III. כיור אמה, *Margo eleganter ſculptus & elaboratus, cubitum unum altus.* Verto כיור, *affabrè factum marginem*, auctoritate *R. Nathan*, qui partim ex *Thalmude*, partim ex *Chaldæo Paraphraſte* interpretatur id ציור, *picturam*; conſentiente *Bartenorâ*, *Qui vocabatur*, inquit, כיור, *quia erat inauratus* & *affabrè ſculptus.* Poterant lapides eſſe juxta muri longitudinem ita compoſiti, ut referrent fluctus marinos, ut loquitur *Thalmud*; ſed nullus erat tranſverſus margo, ſeu limbus intra eam muri altitudinem. Supra hunc limbum erat

Aruch in כיור. In 1 *Sam.* 7: 2. *R. Obad. de Bartenor.* in *Midd.* loc. laud.

IV. אמתים נית דלפה, Canalis ad derivandam inde pluviam, & impediendum ne diſtillaret in inferiores muri partes. גובה ב' אמות פני שיכנס בו הדלף, *Altitudo duorum cubitorum præparata erant ad ſtillationes, ut illàc fluerent:* ſic enim neceſſariò vertenda vox eſt, licèt *Baal Aruch* dicat alios rem aliter intelligere. Sed cùm duas ſequentes obſervaverimus circumſtantias, meliùs quid hæc ſibi velit percipiemus.

Maymon. ubi ſuprà.

V. אמה תקרה, *Locus in quo capita trabium laquearis erant deponenda, cubitus.*

VI. אמה מעזיבה, *Ipſum laquear, cubitus.* Vox מעזיבה eſt ex iis quæ difficiliores ſunt intellectu. Videtur derivari, ut obſervat *R. Nathan*, ex voce עזב, eo ſenſu quo occurrit *Nehem.* 3: 8. ויעזבו את ירשלים, quod *Anglica* noſtra Verſio interpretatur, *They fortified*, *Munierunt*; *R. Solomo* verò, *Propugnaculis terreis munierunt.* Ad hunc ipſum locum loquitur *Aben Ezra*, de voce de qua jam agimus, & dicit עזב & עזיבה convenire ſenſu, atque verbum עזב eâdem ſignificatione occurrere, *Nehem.* 4: 2. Addit etiam eſſe quoſdam qui juxta hunc ſenſum vertunt hæc verba: עזב תעזוב עמו, *Exod.* 23: 5. Si videris aſinum inimici tui jacentem ſub onere, *omninò illum attolles unà cum illo.*

Aruch in voce. — *R. Solom.* & *Aben Ezra* in *Nehem.* 3: 8.

Verùm quod quidem attinet ad vocem מעזיבה, quæ non occurrit in Scriptura, ſed tantùm in Thalmudicis Scriptoribus, oportet nos confugere ad *Thalmud* ad ejus ſignificationem eruendam. Atque indicante *Aruch* inveniemus de hac agi in *Bava Mezia*, & *Bava Bathra*. In priori Tractatu hæc occurrunt verba: *Eſtne domus & cubiculum ſuper eam in duorum poſſeſſione? Et cubiculum ſuperius ruat: ſi poſſeſſor domûs* (inferioris) *eum nolit adjuvare ad id inſtaurandum, permittat ei inferiùs habitare, donec illud reparaverit.* R. Joſe *dicit, Poſſeſſor inferioris cubiculi debet ponere laquear, ſuperioris verò* מעזיבה. In altero verò Tractatu hæc legimus: *Nemo ponet furnum intra domum, niſi ad minimum ſint quatuor cubiti ſupra eum:* (nempe ne ſuperius laquear flammam concipiat) *& ſi ponat furnum in ſuperiori Conclavi, neceſſe eſt ibi eſſe* מעזיבה *tres digitos craſſa ſub eo.* Ratio ejus rei etiam affertur incendii periculum.

Per. 10. — *Bava Bathra*, Per. 2.

Jam autem *Gemara* in priorem locum ubi vocem explicat, & *R. Nathan* in interpretatione *Gemaræ*, dicunt fuiſſe incruſtationem quandam ex variis materiis conſtantem, ut arundine, calce, lapidibus, & ſimili quopiam gypſo, quæ in priori loco allato imponi debebat loco plumbi tecto ædium ad arcendam pluviam; & in poſteriori ſupponi furnis in ſuperiori parte collocatis, ne inferiora combureret. Reſponſum *R. Joſe* (*habitantem in inferiore parte poſiturum laquear, in ſuperiori verò degentem* רד מעזיבה) videtur huc redire, unum trabes laquearis poſiturum, alterum verò incruſtationem gypſi ſupra laquear & arundinem, iis compoſitam materiis

Digitized by Google

quæ obſtare poſſint quominùs pluvia penetret. Atque ita intelligo vocem hanc hac in parte ſacri ædificii quam luſtramus, nempe fuiſſe gypſum valdè compactum, quod iis materiis conſtabat, ut cùm ſemel induruerat eſſet inſtar lapidis, atque inſtar plumbi, quod à laqueari, cui impoſitum fuerat, humorem arceret, cùm aut uſus tegularum ac plumbi illis adhuc ignotus eſſet, vel plumbum rarius quàm ut ad ejuſmodi uſum adhiberi poſſet. Itaque jam pervenimus veluti ad inferius tectum plumbo obductum; liceat enim mihi phraſi in *Anglia* notiori uti.

Atque hîc id ipſum docentem audiamus *Joſephum*. Verba faciens de dimenſionibus Templi, & lapidibus quibus conſtructum erat, dicit hos fuiſſe viginti cubitos longos, altos octo, latos duodecim. Καὶ παντὸς αὐτοῦ, inquit, *καθότι καὶ τῆς βασιλικῆς στοᾶς, τὸ μὲν ἔνθεν ταπεινότατον, ὑψηλότατον δὲ τὸ μεσαίτατον ὡς περίοπτον ἐκ πολλῶν εἶναι σταδίων. Et cùm eſſet totum tanquam Regia Porticus, utrinque erat inferior pars, medium verò erat altiſſimum, ut à pluribus ſtadiis proſpici poſſet.* Jam autem Porticus Regia, ut anteà obſervatum eſt, conſtabat tribus Ambulacris ſimul in longum protenſis, quorum laquearia ſuſtentabantur columnis, & medium quidem laquear multò altius erat, quàm quæ hinc atque indè erant.

Antiq. lib. 15. cap. 14.

Templum ſimiliter juxta *Joſephum* concipere nos oportet. Erat quidem centum cubitos altum, ſed non ita in altum aſſurgebat, ut à fundamentis ad ſummum faſtigium perfectè quadratum eſſet, ſed quadratum aſſurgebat ad quinquageſimum primum cubitum, juxta proportiones allatas. Ima fundamenti pars alta erat ſex cubitos; murus indè æquabilis & planus per quadraginta cubitos erat, ad limbum uſque ſculptum, qui altitudinem cubiti æquabat; deinde erat locus ad derivandam pluviam duos cubitos altus; ſupra hunc erat laquear cubitum craſſum, & gypſum obtegens cubitum etiam craſſum. Exindè arctius aſſurgebat ædificium: indè enim ita in medio extollebatur, ut relictum eſſet hinc indè tectum, ut quis loqui poſſet, ad Septentrionem & Auſtrum per totam ædificii longitudinem, ab Oriente ad Occidentem. Ad faciliorem rei perceptionem exemplo utamur plurimarum in *Anglia* Eccleſiarum: tota ſtructura æquali latitudine aſſurgit uſque ad inferius plumbum, ſeu tectum plumbo obductum: deinde media tantùm pars attollitur uſque ad altitudinem laquearis Eccleſiæ. Ita ſe habebat etiam Templum: ſi ad Orientalem aut Occidentalem finem iviſſes, & in medio ſtans Templum ſuſpexiſſes, vidiſſes illud centum cubitos altum: ſed ſi nonnihil deflexiſſes ad dextram vel ad ſiniſtram, dimidiam tantùm altitudinis partem vidiſſes; hinc enim erat inferius plumbum, * ſeu tectum. Neque enim aliter id vocaverim, quia hoc optimè inter nos intelligitur, licèt inferiores illæ Porticus plumbo (cujus iſte uſus tùm fortè ita notus non erat) obtectæ non eſſent, ſed gypſo cubitum unum craſſo, & adeò firmo ac compacto ut duritie non multùm à lapide differret.

* Angl. *lower Leads.*

Nos non oportet omittere בית דלפה, quàm jam prætermiſimus; ſed paululùm relegenda ſunt veſtigia noſtra, priuſquàm planè mittamus tectum illud inferius quod nunc luſtramus. Ut derivarentur pluviæ, quæ ex hoc tecto fluebant, ne per murum delaberentur & lapides corrumperent, erat ſupra limbum illum ſculptum ordo lapidum qui ex muro magis prominebant quàm reliqui, qui erant arte excavati & ſimul conjuncti ut imbricem conficerent in extremitate tecti, ex qua defluebat pluvia, ad guttas pluviæ derivandas ad alterutrum finem ejus lateris in quo erant, unde per tubos quoſdam decidebant in ſolum, vel etiam plenis fluctibus ab imbrice cadebant.

Jam autem ut ordine luſtremus totum ædificium ad ſummum uſque faſtigium, concipiamus jam id dimidiâ parte latitudinis imminutum eſſe, & ita aſſurgere in media ſtructura, ut tecta (*Leads*) hinc indè eſſent viginti quinque cubitos lata.

I. גובה של עליה מ' אמה, *Altitudo ſupra tectum erat quadraginta cubitorum:* vocatur עליה ſeu Conclave ſuperius, quia directè erat ſupra Sanctum & Sanctiſſimum Locum.

II. אמה כיור, *Alter limbus ſculptus,* qualis fuit ille cujus jam meminimus, cubitum altus.

III. בית דלפה, *Imbrex duorum cubitorum*, ut ſuperior, ad derivandas pluvias, non quòd hic imbrex eſſet duos cubitos profundus, ſed quia ab extremitate imbricis ad tectum erant duo cubiti.

IV. אמה מקרה, *Laquear, cubitus.*

V. אמה מעזיבה, *Gypſum quo tectum obductum erat, cubitus.*

VI. ג' אמות מעקה, *Pinna ſeu lorica, tres cubiti.* Hæc vox occurrit *Deuter.* 22: 8. & nullibi aliàs. *Attamen*, inquit *Aben Ezra*, *ſignificatio ejus ex contextu ſatis clara eſt.* Quod certè verum eſt: nam

Aben Ezra in *Deuter.* 22.

Digitized by Google

nam Dominus ibi præcipit ſtructuro novas ædes, ut faciat מעקה, *loricam*, ſeu *pinnas*, ne quis inde cadat, & ſanguine ſuo Domum polluat. Tecta ædium in illis regionibus plana erant, *Joſ.* 2: 6. 2 *Sam.* 16: 22. *Actor.* 10: 9. atque ibi ſolebant ambulare, 1 *Sam.* 9: 25. ideòque ne quis indè caderet, ſolebant ea pinnis circumdare altis *decem palmos*, vel *duos cubitos ordinarios ad minimum*. Similiter licèt non ambularent ſupra tectum Templi æquè ordinariè ac ſupra tecta privatarum ſuarum ædium, nec tectum Templi ita planum eſſet; attamen erat etiam circa hoc Πτερύγιον, partim ne deſtitueretur illo privatorum ædificiorum ornamento, partim etiam quia occaſiones erant aſcendendi ſupra tectum hoc.

D. Kimch. in Middoth.

VII. כולה עורב, *Terriculamentum avium, cubitus.* Quid hoc fuerit nos docebit *R. Nathan. Propter*, inquit, *ſanctitatem primi Templi, & divinam gloriam ibi commorantem, aves ſupra ipſum non volabant. Sed ad ſecundum quod attinet, timuerunt ne ſanctitas ejus non eſſet ut ſanctitas prioris; & ne aves ſupra ipſum volarent, & aliquam ſupra Templum pollutionem relinquerent, ideò ſuſtulerunt ibi picturam, ut aves arcerentur à tecto Templi, & eam vocarunt* כולה עורב, *Terriculamentum Corvorum, ut impediret ne corvi volarent ſupra tectum Templi. Et pictura hæc ſeu imago ſimilis erat ei quam ſolent tritico imponere.* Verùm ab alio Judæo ſic definitur: טס של ברזל כמו סיף טבחו אמה על גבי המעקה סביב כדי שלא נוחו עלי הנופות, *Haſta ferrea, inſtar gladii oblongi & arcti, cubitum alta, ſupra tectum pinnarum quæ circumquaque erant, impediens ne aves ei inſiderent.* Alii rurſùs negant id fuiſſe quod duo hi Doctores dixerunt; *ſed tantùm id Πτερύγιον fuiſſe quatuor cubitos altum.* Sed licèt fortè ſit merum ſomnium, quicquam fuiſſe quod arceret aves à Templi tecto, (vide *Pſalm.* 84: 4.) attamen conſentientibus omnibus Hebræorum Scriptoribus, cui accedit quòd hoc ædificium Templi ornaret, optimè inde colligere poſſumus fuiſſe pinnas circa tectum, quemadmodum *Cappella Collegii Regii Cantabrigienſis* eſt ornata hujuſcemodi pinnis, quæ ad ſplendorem ejus conducunt. Πτερύγιον ἱεροῦ explanatur in hunc ſenſum à variis Interpretibus, *Matth.* 4: 5. Tectum non erat prorſùs planum, ut aliarum ædium tecta, ſed in medio aſſurgebat, משפע ועולה עד לשוה גובהו של מעקה, *quo uſque criſta media æquaret altitudinem pinnarum*, adeò ut etiam hac in re *Cappella Collegii Regii* cum Templo conferri poſſit. Similia etiam πτερύγια vel pinnæ tribui debent tecto inferiori Porticuum lateralium.

Aruch in כל

Maym. in Beth Habbech. Per. 4.

R. Juda in Midd. Per. 4.

Semajah in Midd.

CAPUT XII.

Latitudo, Conclavia, & Gradus Templi.

MEmoratis ſigillatim partibus Templi ab ima ad ſummam, æquè neceſſe eſt conſiderari à nobis longitudinem ejus & latitudinem, & obſervare in quas minores menſuras hæ dividerentur dimenſiones.

Longitudo ejus erat ab Oriente ad Occidentem, & quidem centum cubitorum, quam æquabat etiam latitudo, licèt non ubique: ſola enim Porticus per centum cubitos porrigebatur; nam in poſtica parte ædificium totum erat tantùm ſeptuaginta cubitos latum. In fronte ſtabat Porticus in crucis ſpeciem: extendebatur enim per quindecim cubitos in Auſtrum, & totidem in Septentrionem præter latitudinem Templi; quæ hinc indè prominentiæ ſic ſupputantur: *Craſſities muri Porticûs utrinque erat quinque cubitorum, & ab eo muro ad murum Templi in utroque latere erant decem cubiti.*

Midd. Per. 4.

Maym. in Beth Habbechir. Per. 4.

Itaque pulcherrimum apparebat ingreſſuris Frontiſpicium, centum cubitos latum, triginta verò & centum altum: ſic enim intelligendus eſt *Joſephus*, cùm loquens de Templo *Herodis*, dicit id fuiſſe μήκει μὲν ρ΄ πηχῶν, τὸ δ' ὕψος κ΄ περίττον, *longitudinis centum cubitorum, altitudinis viginti prætereà:* non quòd tota Domus ubique eſſet hujus altitudinis; hoc enim negant *Thalmudici*, qui diſertè centum tantùm cubitos habent, & peculiarem omnium dimenſionem tradunt: ſed Porticus reliquam Domum viginti cubitis ſuperabat.

Joſeph. Antiq. lib. 15. cap. 4.

In medio hoc ſplendido Frontiſpicio erat janua Porticûs alta quadraginta cubitos, viginti verò lata. Nullæ prorſùs in ea erant valvæ; ſed erat aperta tantùm Porta, adeò ut quicunque erat in Atrio poſſet introſpicere ſpatium quod intra Porticum erat. Κεχρύσωτο δὲ τὸ μέτωπον πάντη, &c. *Totum hoc Frontiſpicium deauratum erat, & per ipſum tota prima Domus* (hoc eſt, interiores Porticûs partes) *poſſet cerni, eaque erat etiam deaurata.* Per *totum* autem *hoc Frontiſpicium Joſephus*, cujus ſunt hæc verba, non ſignificat univerſum Frontiſpicium Porticûs, ſeu illam centum cubitorum longitudinem, ac viginti

Midd. Per. 3. Maym. ubi ſupr.

Joſeph. de Bello, lib. 5. cap. 14.

ti

ti & centum altitudinem; ſed tantùm Portæ circuitum, quem dicit ſeptuaginta cubitos altum fuiſſe, latum verò viginti quinque. Atque hac in re optimè convenit cum *Thalmude*, quamvis *Thalmud* dicat altitudinem fuiſſe tantùm quadraginta cubitorum, latitudinem verò tantùm viginti: loquitur enim *Thalmud* de ipſo ingreſſûs oſtio; ſed *Joſephus* intelligit etiam limina & omnia ornamenta Architecturæ quæ circa Portam conſpiciebantur.

Midd. ubi ſupr. *Thalmud* meminit ſimiliter quinque מלתראות, trabium cujuſpiam ligni rarioris (eruditus *Buxtorfius* vertit *quercinas*) quæ erant ſupra hanc Portam affabrè elaboratæ, inſculptis floribus aliiſque figuris, atque interpoſito ordine lapidum inter unamquamque trabem. Infima harum trabium quæ immediatè ſupra Portam erat, utrinque latitudinem Portæ cubito uno excedebat. Supra hanc erat poſitus ordo lapidum. Supra hoſce lapides alia erat trabs ejuſdem operis, utrinque etiam prioris longitudinem cubito uno ſuperans; atque hanc ſequebatur ordo lapidum. Eodem modo diſpoſitæ erant reliquæ trabes, quarum ſuperior duobus cubitis inferiore longior erat. His trabes erant ſupra Portam poſitis ad ſuſtentandum pondus, quod ſuperiùs erat; ad magnam pertingebant altitudinem affabrè ſculptæ, ac deauratæ; & ab altiſſima deſcendebat limbus quod omnium trabium hinc indè extremitates complectebatur, ad breviſſimam uſque, unde ad latera Portæ decurrebat duos cubitos & dimidium latus. Atque hoc eſt Frontiſpicium quod intelligit *Joſephus*.

Jam poſt utramvis Porticûs extremitatem ſtans, undecunque voluiſſes proſpiceres facie ad Occidentem obverſâ, ædificium ipſum Templi videres quod directè reſponderet mediæ Porticui, & ad latera hujus introitûs, de quo jam agimus æqualibus ſe panderet ſpatiis; ſed ita ut muri & Conclavia utrinque extructa non excederent latitudinem ſeptuaginta cubitorum: atque ita *Ariel*, ſeu *Leo Dei*, juxta Judæorum interpretationem, referret proportionem leonis, in anterioribus partibus lati, ut latum Porticûs frontiſpicium centum cubitorum; a rationis verò in poſterioribus, ut Templi ipſius ædificium quod in ſeptuaginta cubitorum latitudinem coarctabatur; quam ſigillatim perluſtrantes, initio à Septentrionali latere facto, has peculiares reperiemus dimenſiones.

Ibid. *Per.* 4. I. כותל המסיבה ה' אמות, *Murus Porticûs ſex cubitos craſſus*. Hic erat extimus omnium murus, & aſſurgebat uſque ad inferius tectum, ſeu πτερύγιον, de quo anteà egimus, ubi infima muri pars dicitur fuiſſe ſex cubitos craſſa: qua in dimenſione non numeratur cubitus ille qui inæqualem murum faciebat, quia ſupputatio non fit ab imis fundamentis, ſed à ſuperioribus muri partibus, ut ſolet fieri in hujuſcemodi ædificiis.

II. כסיבה שלש, *Podium tres cubitos latum*.

III. כותל התא חמש, *Murus Conclavium quinque cubitos craſſus*.

IV. התא שש, *Conclavia ipſa ſex cubitos lata*.

V. כותל ההיכל שש, *Murus Templi ſex cubitos craſſus*.

VI. תוכו עשרים, *Latitudo interior Templi ab uno muro ad alterum viginti cubitorum*.

VII. כותל ההיכל שש, *Alter ejus murus ſex cubitos craſſus*.

VIII. התא שש, *Latitudo Conclavium ſex cubitorum*.

IX. כותל התא חמש, *Murus Conclavium quinque cubitos craſſus*.

X. בית הורדת המים שלש, *Domus deſcenſionis aquæ tres cubitos lata*.

XI. כותל חמש, *Extimus murus quinque cubitos craſſus*. Qui ſimul ſumpti efficiunt ſeptuaginta.

Conclavia porrò erant triginta octo numero, quindecim in Septentrionali, quindecim in Auſtrali latere, octo verò in Occidentali. In prioribus duobus lateribus memoratis erant in tres ſtegas diſpoſita, adeò ut in unaquaque quinque eſſent: in Occidentali autem tria ſolo proxima, tria ſuperiùs quibus duo erant ſuperimpoſita. Unumquodque Conclave erat latum ſex cubitos, longum duodecim, exceptis duobus illis ſuperioribus Occidentalis lateris quæ longiora erant. Erat intervallum inter Conclavia in eodem ſolo, introitûs causâ, ſeptem cubitos & dimidium latum, ut pateret inter Conclavia tranſitus ad uniuſcujuſque Conclavis januam quæ in latere ſita erat. Ibid. *Sect.* 3. Vide *Ezech.* 40. 21.

Ante hæc Conclavia erat Podium quod ab Oriente ad Occidentem porrigebatur (quale tamen in Occidentali latere nullum erat) tres cubitos latum, quâ viâ dabatur ad illos introitus qui intra Conclavia erant, adeòque ad ipſas Conclavium januas. In extimo muro ad Septentrionale & Meridionale latus, erant quatuor Portæ ad quatuor intervalla: (totidem enim erant inter quinque Conclavia) ſed ſtatim ac quis eas ſubierat, ad dextram & ſiniſtram porrectam videbat

debat Porticum, per quam contendere poterat ad oppoſitum Introitum: vel ſi non veniſſet ad eam Portam quæ directè oppoſita erat Introitui in quem volebat ire, poterat ad quamcunque Portam vellet ire, & Porticus iſta eum ad ejus deduxiſſet Introitum.

Ita ſe habebat ædificium in infimorum Conclavium ſtega, & ſimiliter in reliquis duobus. Ad ſuperiores aſcenſus erat per duplices ſcalas cochlides in Turricula in angulo Euro-aquilonari ſita; per quos gradus aſcendebatur ad ſecundam ſtegam, atque indè via patebat ad Porticum, & ad quemlibet Introitum, & ad quodlibet Conclave, ut etiam in tertia ſtega, ſi quis eò uſque aſcenderet. Imò, ſi liberet, aſcendere quis poterat ad tectum inferius, & ſupra Conclavia ambulare circa totam ſtructuram.

Sed præter hanc Turrim, in qua erant gradus qui ita deducebant ad tectum ædificii, erat alia ejuſmodi in extrema parte Intervallorum de quibus diximus, quæ deducebat ad ſecundam & tertiam ſtegam, ſed ad tectum non pertingebat. Itaque ingreſſus unam ex quatuor Portis quæ deducebant ad infima Conclavia, ſeu in Septentrionali ſeu in Auſtrali latere Domûs, aſcendendo in Porticum, in Intervallum ſeu Introitum duorum Conclavium, quæ ſibi invicem oppoſita erant, alterum ad dextram, alterum ad ſiniſtram veniſſet, & per januas ſibi in illo Intervallo ex adverſo reſpondentes intrare potuiſſet; ſed ante ipſum, versùs murum Templi erat ædificium rotundum & latum, ſimile Turri in qua erant gradus, in quod ex unoquoque Conclavi licebat exire, & illàc aſcendere in ſuperiora Conclavia. Atque ita intelligendus eſt locus ille *Thalmudis*, in quo primâ fronte haud exigua
Midd. ubi ſuprà. eſt difficultas. *Erant tres januæ unicuique Conclavi:* אחד לתא הימין ואחד לתא משמאל ואחד לתא שעל גגו, *Una Conclavi quod erat à dextra, alia verò Conclavi quod erat à ſiniſtra*, (hoc eſt, janua in Introitum ex uno latere, altera in oppoſitum Introitum ex altero) *& unâ Conclavi quod erat ſupra caput*, hoc eſt, in hunc ſcalarum locum qui deducebat ad ſuperiora Concla-
Ezech. 41: 7. via. Atque ita *una ſcala ex infima ſtega aſcendebat ad ſupremam per mediam*: nam *per*
1 Reg. 6: 8. *cochlides ſcalas aſcendebant in mediam ſtegam, atque ex media in tertiam.*

Occidentalia Conclavia nullam habebant Porticum, ſed in ea immediatè per januas quæ erant in extimo muro poterant adiri Introitus, atque in extremo hujuſcemodi Intervallo erat locus attributus ſcalis per quas ad ſuperiores ſtegas aſcendere licebat. In Meridionali latere erant τρίστεγοι Porticus, quemadmodum in Septentrionali; & iſtiuſmodi loci ſcalis attributi in extremis Intervallis, juxta Templi murum; ſed id ſpatium in quo erant Porticus aliter appellabatur, non מסיבה *Meſibah*, ut in Septentrionali latere, ſed בית תורדת המים, *Domus deſcenſûs aquæ*. Quod quidem nomen non ideò ei impoſitum erat, quaſi eſſet eo in loco aliquis imbrex ad derivandas ex toto Templo pluvias; ſed quia hoc in loco erant tubi per quos devolvebatur aqua ex fonte *Etham* ad ciſternam vel puteum, in Conclave fontium, qui ad aquas excipiendas deſtinatus fuerat. Ita collocati fuerant, ne aditum vel tranſitum per Porticus prohiberent ad aliquod Conclave; & fortè cerni non poterant, ſed latebant ſub pavimento in Porticibus. Juvabat eâ ratione per varia nomina diſtinguere Septentrionale latus ab Auſtrali, & faciliùs intelligebantur loquentes de Conclavi quopiam *in Meſibah*, aut *in Deſcenſu aquæ*.

Hæc Conclavia, quorum hic erat numerus, hæ dimenſiones, hic ſitus, & diſpoſitio à nobis deſcripta, & quorum laquearis trabes innitebantur protuberanti muro Templi, inſerviebant recondendis Theſauris quibuſpiam & ſupellectilibus, imò etiam tritico, vino, oleo, uti etiam omnibus Decimis ac Primitiis ad ſuſtentandos Sacerdotes qui inſerviebant Altari. Hæc erant veluti cellæ & penus in hunc uſum, *Nehem.* 12: 44. *Mal.* 3: 10.

Jam aſcendamus per gradus majoris Turriculæ in Euro-Aquilonari angulo ad Septentrionale latus: (nam ad Auſtrale nulla ejuſmodi Turris erat) qui gradus nos deducent ad tectum hujus ædificii. Poſtquàm quis ad ſcalarum faſtigium pervenerat, *exibat in tectum per oſtiolum* obverſum Occiden-
ti. *Ambulabat ſuper tectum in Septentrionali* Midd. ubi ſuprà.
latere, donec veniret ad angulum Occidentalem, quò cùm venerat, obvertebat faciem ſuam ad Auſtralem angulum; cùm ad Auſtrum venerat, ad Orientem ſe convertebat, & per longitudinem Auſtralis lateris ambulabat, donec eam magna ex parte peragraſſet; deinde occurrebat in oſtium quod erat in muro Templi, & deducebat ad Conclavia quæ erant ſupra Sanctum & Sanctiſſimum Locum. In Conclavi quod ingrediebatur, & quod à ſolo Templi diſtabat quinquaginta cubitis, (adeòque tectum Templi inferius altitudine æquabat) hæc tria erant conſideratu digna.

I. Statim ac quis oſtium ingreſſus erat, erant duæ trabes Cedrinæ unà conjunctæ, quæ tranſverſim in ſuperiorem partem erant poſitæ & muro adhærebant, per quas (erant

enim

enim inclinatæ, & gradus in iis vel erant inciſi, vel clavis annexi) poterat ad ſummum Templi faſtigium pervenire: atque hàc via erat ad ſupremum, ut ita loquar, * plumbum, ſeu tectum. * Leads Anglicè.

II. Perpendiculariter ſupra locum in quo diviſus erat Sanctiſſimus Locus à Sancto, erant aliquot columellæ quæ hanc diviſionem indicabant.

III. In laqueari ſupra Sanctiſſimum Locum erant varia oſtia, januis ſubductilibus ſimilia, per quæ cùm neceſſe erat funibus demittebant artifices ad reficiendos Sanctiſſimi Loci muros. Atque eos quidem demittebant in Arca vel Capſa, aut ſimili machinâ, quæ obſtabat quominùs quicquam videre poſſent præter opus quod ipſis faciendum erat: cujus cautionis hanc reddunt rationem Judæi: שלא יזונו עיניהם כבית קדשי הקדשים, *Ne paſcerent oculos ſuos aſpectu Loci Sanctiſſimi.* (Maymon. in Beth Habbech. Per. 4.) Semel in anno inter Paſcha & Paſcha dealbabant muros Templi intrinſecùs; & huic operi aliiſque Sacræ Ædi neceſſariis admovebant, quantùm fieri poterat, Sacerdotes & Levitas: ſed ſi nulli ad id faciendum ex Tribu Levitica ad manum eſſent, alii admittebantur *Iſraëlitæ*, & permittebatur ipſis per januam ingredi in Sanctiſſimum Locum, ſi non inveniretur arca in qua demitti poſſent.

CAPUT XIII.

PORTICUS.

SECTIO I. *Gradus ad Porticum.*

IN ſigillatim luſtranda longitudine Templi ab Oriente ad Occidentem, quæ erat centum cubitorum, primùm incipiemus à Porticu quæ ſplendidiſſimum ad Orientem conſtituebat Frontiſpicium, & ſingulas ejus partes conſiderabimus, donec ad Occidentale latus devenerimus.

Vide Cap. 11. Porticus porrecta in longum erat centum cubitos, & altitudine ad viginti & centum aſſurgebat, & viginti quidem cubitos reliquum Templum ſuperabat. Atque hæc Porticus quæ Templum veluti decuſſatum ædificium reddebat, tantoque eò altior erat, non ineptè credi poteſt locus in quem *Satanas* Dominum noſtrum tentaturus eum tranſtulit, cùm dicitur eum tuliſſe *εἰς πτερύγιον ἱεροῦ, in pinnas Templi.*

Fuerunt varia in hoc Frontiſpicio notatu digniſſima, quæ, priùſquàm ab eo abeamus, prætermittere ſine obſervatione non poſſumus. Primùm, quòd ſeſe oculis ingerebant gradus per quos ab Atrio ad hunc Introitum aſcendebant, & qui erant duodecim numero ſemicubitum alti: adeò ut in univerſum eſſent ſex cubiti, quibus ſolum Porticûs altius erat ſolo Atrii. Atque hîc occurrit nobis locus ex Tractatu *Middoth* in margine notatus, intellectu difficillimus, cui ſimilem habet *Maymonides*, atque etiam difficiliorem. (Midd. Perek. 3.) Hæc ſunt illius verba, poſtquàm loquutus eſt de gradibus per quos aſcendebatur ad Porticum, dixitque eos fuiſſe duodecim, altoſque ſemicubitum, latos verò ſuperiùs cubitum integrum, addit: אמה אמה ורובך שלש ואמה אמה רובך שלש והעליונה אמה רובך ארבע: quod ſi intelligatur de gradibus, eorumque altitudine, ſic vertam: *Ad uniuſcujuſque cubiti altitudinem erat ſpatium tres cubitos latum, & ad ſupremi cubiti altitudinem erat ſpatium quatuor cubitos latum.* Hæc eſt horum verborum ſententia: Poſtquàm aſcendiſti duos gradus, (qui cùm eſſent uniquique ſemicubitum alti, efficiebant cubitum) ſpatium ad tertium gradum dilatatum erat, & tres cubitos latum erat, cùm gradus quos aſcendiſti ſint tantùm cubitum unum lati. Ità ab hoc latiori ſpatio poſt duos gradus aſcendendo ſemper latius fiebat ſpatium, donec in ſummo gradu conſtitiſſes, qui erat quatuor cubitos latus; adeò ut tertius quiſque gradus ex duodecim illis latior eſſet, quod aſcenſûs illius pulchritudinem multùm augebat. Atque hoc nos juvabit ad intelligendum locum Codicis *Joma*, quem primâ lectione vix intelligere poſſemus; ubi dum narratur quomodo Pontifex Maximus die Expiationis mactato proprio juvenco, daret ſanguinem alteri agitandum ne concreſceret, dicitur alter ille, ממרס בו על הרובך הרביעי שבהיכל, *agitaſſe ſanguinem in quarto ſemipaſſu Templi:* (Jom. Perek. 4.) quod *Maymonides* ita exprimit: מנדנדו על הרובך הרביעי של היכל מבחוץ, *Agitabat eum ne concreſceret in quarto ſpatio Templi extrinſecùs*, (Maymon. in Jom. Habbechir. Perek. 5.) hoc eſt, in ſummo horum duodecim graduum per quos ad Porticum aſcendebatur. Vocem רובך allatis variis exemplis *Baal Aruch* interpretatur voce מצבות, *ſtationes, columnas*, vel *ſcamna*. (Aruch in רבך.) Non potui invenire vocem aptiorem ad id exprimendum voce * *ſpatium.* (* Anglicè *Half-ſpace.*)

Maymonides verò in *Beth Habbechirah*, ſeu Tractatu de Templo, agens de verbis *Thalmudis* modò à nobis allatis, ita ea interpretatur. (Perek. 4. verſus finem.) סביב · לכותלי האולם מלמטה עד למעלה כך היו אמה אחת חלק ורובך שלש אמות ואמה חלק ורובך שלש אמות עד למעלה ונמצאו הרובדום מוקפים לכותלים: *Circa muros Porticûs ex inferore parte ad ſuperiorem ſic erant: Unius cubitus planus, deinde ſpatium*

tium trium cubitorum, *cubitus planus*, (vel ordinarius gradus) *deinde alterum ſpatium trium cubitorum*; *& ita procedendo ſuperius, ita ut ſpatia ambirent muros Porticûs*. Mens ejus eadem eſt cum ſententia allatorum verborum: ſed aliquid prætereà addit, nempè pulchros hoſce gradus, quorum tertius quiſque in *ſpatium* porrigebatur, non modò ad introitum Porticûs deduxiſſe, ſed extenſos fuiſſe juxta totam longitudinem Frontiſpicii Orientalis Porticûs, & ſimiles quoque in utraque ejus extremitate, Septentrionali ſcilicet, & Auſtrali: cujus rei cauſa hæc erat, quia nempè tantò ſolum Porticûs altius erat ſolo Atrii, & erant prætereà variæ in ædificio hoc Januæ præter majorem quâ ingrediebantur in Templum, ad quas ſine gradibus accedere non potuiſſent.

SECTIO II. *Duæ Columnæ JACHIN & BOAZ.*

Cùm anteà egerimus de Porta ſeu Introitu in Porticum, atque ita in Templum, deque ejus dimenſionibus & pulchritudine, nec neceſſe ſit quicquam, ad iſta quod attinet, hîc à nobis addi, omiſimus tamen haud contemnendam ejus ornamentorum partem, de qua ad hunc locum agere decrevimus; duas nempè illas celebres in *Solomonis* Templo Columnas in lateribus ejus collocatas prope ingreſſum, *Jachin & Boaz*. Nullam quidem in Judæorum monumentis invenio mentionem hujuſcemodi Columnarum ad ingreſſum Templi poſitarum *Herodis* temporibus, ſeu in Templo quod Servatoris noſtri ævo ſtabat, licèt *Ezechiel* loquatur de Columnis ad Januam Templi ſui poſitis, *Cap.* 40: 49. attamen quia animus eſt præcipuè rationem reddere eorum quæ invenimus in Scriptura de Templo in genere, non poſſumus prætermittere geminas illas memorandas Columnas, quas adeò fusè & diſertè deſcribit Scriptura.

I. Hæ columnæ æneæ duabus conſtabant partibus, ipsâ Columnâ, ejuſque Capitello quod ſuprà impoſitum erat. Ipſa Columna erat concava, æs verò quod concavitatem complectebatur quatuor digitos craſſum; ambitus totius Columnæ duodecim cubitorum, *Jerem.* 52: 21. 1 *Reg.* 7: 15. diameter quatuor cubitorum ſeu trium cubitorum & quatuor quintarum cubiti partium juxta ſupputationem *R. Levi Gershom*. Capitellum ſimiliter utriuſque Columnæ concavum erat, atque æneum & ovale cum magno foramine in quod ſumma Columnæ pars inſerebatur, ita ut Capitellum ei inſederit.

R. Solom. in 1 *Reg.* 7. *R. Lev. Gers.* ibid.

II. Utraque Columna erat octodecim cubitos alta, præter Capitellum: Scriptura enim diſertè ſupputat altitudinem Columnæ diſtinctè ab altitudine Capitelli. Liber verò *Paralipomenon* conjungit longitudinem utriuſque Columnæ, & dicit fuiſſe eos *triginta quinque cubitos* altas, 2 *Paral.* 3: 15. in qua ſupputatione deeſt cubitus unus ex ſumma quæ habetur in Libris *Regum* & *Jeremiæ*, ubi dicitur *utraque Columna fuiſſe octodecim cubitorum*, adeò ut ambæ efficerent triginta ſex. Sed dimidium cubitum ſubtrahit Liber *Paralipomenon*, qui inſerebatur in foramen Capitelli ſuper impoſiti. Itaque metitur Columnas unà cum Capitellis, quæ ſimul ſumptæ viginti duos cubitos & dimidium altæ erant.

III. Capitellum hoc ovale utrique Columnæ impoſitum Hebraïcè vocatur כותרת, quod in vernaculam Gallicam *R. Solomo* vertit פומילש, *Poumels*, *Kimchi Coronam*, cum quo convenit *Chaldæus Paraphraſtes*, qui expreſſit voce קרונתא, *Corona*: ſed *Levi Gershom* accuratiùs dicit, *Simile erat duabus coronis ſimul junctis*. Erat ingens figura ovalis alta quinque cubitos, non modò exæquans latitudinem Columnæ, ſed etiam undecunque excedens, cùm multò eſſet latior quàm ipſæ Columnæ.

IV. Cùm dicatur 1 *Reg.* 7: 16. & *Jerem.* 52: 22. altitudo utriuſque Capitelli fuiſſe *quinque cubitorum*; attamen 2 *Reg.* 25: 17. *trium cubitorum* fuiſſe aſſeritur. Quem nodum plerique Judæi, & quidem benè, hâc ratione ſolvunt: reſpondent nempè, duos inferiores Capitelli cubitos ſine ulla fuiſſe ſculptura, ſed ſuperiores tres eâ fuiſſe ornatos. Cui reſponſioni addi poteſt, duos inferiores cubitos fuiſſe tantùm tanquam gradus ad majorem Capitelli circumferentiam, ideòque hîc non numerari, ſed tantùm à majore circumferentiæ parte menſuram ſupputari verſus ſuperiora: quod quidam etiam Judæi reſpondent.

V. Sculptura duorum iſtorum Capitellorum ſic deſcribitur à Spiritu Sancto in variis peculiaribus partibus.

I. שבכים מעשה שבכה, 1 *Reg.* 7: 17. quod *Anglica* noſtra Verſio interpretatur, *Nets of Checkerwork*, retia operis teſſellati. Septuaginta etiam Interpretes utuntur voce quæ *retia* ſignificat. Vocabulum Hebraicum ſignificat propriè implicationem ramorum arborum, ut *Nehem.* 1: 10. *Geneſ.* 22: 13. *Jerem.* 4: 7.

Iſaj. 10: 34. *Ut palmites*, inquit *Kimchi*; *irretiti & implicati ſimul.* Alii hæc verba ſic interpretantur: כמין לולבין של דקל: nempè hanc ſculpturam exiſtimant fuiſſe *tanquam Palmarum ramos*, aut tanquam ramorum quempiam faſciculum quem manibus gerere ſolebant feſto Tabernaculorum. Hanc ergò eſſe genuinam verborum ſignificationem exiſtimo, Capitella fuiſſe affabrè ornata ſeptem largioribus ramis à majore convexitate Capitelli aſſurgentibus, ac ramuſculos ſuos & frondes pulcherrimè immiſcentibus atque implicantibus. Verba ipſa poſſunt non impropriè ſic transferri ad clariorem eorum intelligentiam, & operis rationem deſignandam: *With thickets of branch-work and wreaths of chain-work: Cum arbuſtis opere ramoſo, & cum ſertis opere catenato.*

Michlol in סבב

II. גדילים מעשה שרשרות, *Serta operis catenati.* Vocabulum גדילים, *Deuter.* 22: 12. ſignificat *fimbrias* quas in veſtibus ſuis geſtare debebant Judæi ut Legis recordarentur; כרספדין κρᾳσπέδον, in *Chaldaica Paraphraſi.* Juxta hunc ſenſum hîc debet ſumi pro fimbria affabrè facta, ſeu limbo operis retiarii, ſupra quem erant radices *operis ramos referentis*, de quo diximus, circa maximam Capitelli convexitatem, unde protuberabant circa eam uſque ad ſummum apicem ovalis illius figuræ, ubi ramuſculos contractos circa faſtigium inflectebat.

III. שני טורים סביב, *Duo ordines malorum Punicorum* affabrè erant ſculpti ſub horum ramorum ramuſculis, quaſi fuiſſent fructus iſtorum ramuſculorum, niſi quòd non eſſent mala hinc indè poſita ut ſunt in arboribus, ſed ſub iis in duobus ordinibus erant collocata, ſeu duos limbos infrà conſtituebant.

Verùm hîc neceſſe eſt nos Textum Scripturæ ſeriò admodùm expendere: nam duo occurrunt circa hoc ipſum negotium obſcuriſſima & difficillima. Primò, loquens de hiſce ordinibus, dicit Scriptura *Capitella fuiſſe ſupra mala Punica*, 1 *Reg.* 7: 18. Jam autem adeò durum eſt dicere Capitella fuiſſe ſupra mala Punica, cùm ſine dubio hæc eſſent in ipſis Capitellis, ut *Kimchi* teſtatur adeò audaces fuiſſe Librarios quoſdam, ut vocem immutaverint, & pro על ראש הרמונים, *ſupra caput malorum Punicorum*, legiſſe העמודים, *ſupra caput Columnarum*: ſed ut ille obſervat, *Maſoretha* ſuprà appoſito לית כותיה, ſeu notâ quâ ſignificatur ſic in nullo alio loco legi, oſtendunt hanc eſſe debere hujus loci lectionem, *ſupra caput malorum Punicorum.* Hujus autem phraſis ſenſus peti poteſt ex 2 *Paral.* 3: 16. ubi dicitur *Solomon poſuiſſe mala Punica ſuper catenas*: hoc eſt, duos hoſce ordines malorum Punicorum fuiſſe immediatè ſupra fimbriam, vel limbum operis catenati, quod ſculpturæ hujus erat veluti baſis; adeòque ipſam maſſam ſeu ipſum corpus Capitelli in quo ſculptura erat, ſuperius fuiſſe hiſce malorum Punicorum ordinibus: & quamvis extremitates ramorum pertingerent ad fimbriam, ſeu opus catenatum, attamen nondum protuberabant in folia & ramuſculos, antequàm major ramorum caudex eos porrexiſſet ultra mala Punica. Itaque ſenſus 1 *Reg.* 7: 18. hic eſt: Ita fecit Columnas: *Et erant duo ordines malorum Punicorum inter ipſum opus ramos referens, quod obtegebat Capitellum, & quidem eam ejus partem quæ erat ſupra mala Punica.* Secundò, non exigua eſt difficultas circa numerum malorum Punicorum, quia Scriptura variè eorum rationem init: nam 2 *Paral.* 3: 16. mentio fit tantùm centenorum; at 1 *Reg.* 7: 20. ducentorum; verſu verò 42. ejuſdem Capitis, quadringentorum. Verùm in hac varietate præcipua difficultas eſt in ſupputatione *Jeremiæ*; nam erant centum mala Punica in unoquoque ordine, juxta ſupputationem Libri *Paralipomenon*, adeòque in unoquoque Capitello erant ducenta, prout numerat Liber *Regum* loco primùm allato, hoc eſt, quadringenta in ambobus, juxta poſtremum locum. Verùm quo modo nos poſſimus expedire ſupputatione *Jeremiæ*, qui nonaginta ſex numerat, primo adſpectu haud facile dictu eſt. Hæc ejus ſunt verba: ויהיו הרמונים תשעים וששה רוחה, ubi poſtrema vox difficilis eſt interpretatu, & omnem creat difficultatem. *Chaldæus* & *Septuaginta* Interpretes vertunt, *Mala Punica erant nonaginta ſex in uno latere*; quos ſequuntur *Italica* & *Anglica* Verſiones. Verùm hæc duriſſima eſt interpretatio, quandoquidem circa rotundum Capitellum in orbem erant mala Punica; & cùm centum eſſent in unoquoque ordine, quomodo in uno latere fuiſſent nonaginta ſex? Verbum illud poteſt meliùs Periphraſi exprimi, quàm uno verti. Senſus ergò loci hujus *Jeremiæ* hic eſt: quòd cùm eſſent centum mala Punica in unoquoque ordine, cùm Columnæ juxta murum poſitæ fuerint, quatuor ex unoquoque ordine cerni non potuerunt, ſed tantùm nonaginta ſex, reliquis quatuor latentibus è regione muri cui proximè poſita erat Columna. Itaque vox רוחה in hac periodo optimè poteſt verti

hâc

Digitized by Google

hâc ratione: Et mala Punica erant nonaginta ſex *in latere conſpicuo*, ſeu *ſub dio exſtantia*: hunc enim eſſe ſenſum vocis רוח hoc in loco exiſtimo.

IV. Prætereà dicitur 1 *Reg.* 7: 19. וכותרות מעשה שושן באולם ארבע אמות, *Et Capitella impoſita Columnis habebant Lilii opus in Porticu quatuor cubitos*: ſic enim potiùs tranſtulerim quàm *erant ex Lilii opere*, hiſce de cauſis. I. Quia opus Capitellorum tam accuratè anteà ſcriptum eſt conſtitiſſe opere ramis & malis Punicis mixto, quòd circiter tres cubitos obtegeret, ut nequeam intelligere quomodo prætereà dici poſſint Capitella *operis Lilii quatuor cubitorum*. II. Scriptura disertè poſteà dicit *opus Lilii fuiſſe in faſtigio Columnarum*, verſ. 22. non in apice, aut lateribus Capitellorum. III. Vox באולם *in Porticu*, vel *per Porticum*, habet emphaſin peculiarem, & alio animo additur: neque enim ullatenùs dicuntur aut mala Punica, aut Capitella fuiſſe *in Porticu*, ſed res refertur tantùm ad opus Liliis ſimile.

Videtur ergò iſtius verſûs hic eſſe ſenſus: in extrema ora Columnæ ubi Capitellum imponebatur, fuiſſe latum ac affabrè elaboratum limbum ſeu circulum operis Lilii, quod ad quatuor cubitos ſub Capitello porrigebatur, unoquoque Lilio poſteà deorsùm pendente, adeò ut videretur ſertea corona Columnæ impoſita. Hæc autem peculiaris loquutio, quâ dicitur fuiſſe *in* vel *per Porticum*, oſtendit longas haſce æneas linguas quæ Liliorum formam referebant, non ſtatim in lateribus columnarum verſus inferiorem partem protenſas, nec etiam in ſuperiorem duntaxat versùs Capitellum fuiſſe porrectas, ſed circulum quatuor cubitorum in Porticu, ſeu per Porticum deſcripſiſſe, quaſi protuberantia Lilia; & poſteà, ut Lilia ſolent, verſus ſolum inclinatas fuiſſe.

Atque hæc hujus verſûs interpretatio nos juvat ad explanationem proximè ſequentis, qui alioquin haud facilè in aliam linguam ex *Hebraica* poſſet transferri. Juxta verò connexionem quæ ei eſt cum priore ſic expoſito, poteſt hâc ratione verti & ἀδιαφοράζοντες: *Et Capitella duabus Columnis impoſita erant etiam ſupra hoc opus Lilii, nam collocata erant ſupra eam partem in qua incipiebat prominere ex ære, cùm eſſet e regione maximæ protuberantiæ, quæ proximè erat operi ramos referenti*: nam opus iſtud quod Liliorum formam referebat, æquè protuberabat ac maxima convexitas Capitellorum, & apparebat è regione iſtius convexitatis, in qua erant extremitates ramorum & ordines malorum Punicorum, prominens extra æs Columnæ, inſtar Liliorum eleganter protuberabat priuſquàm extrema ejus verſus baſin Columnæ inflectebatur pars.

V. Locus in quo hæ Columnæ erant aliquatenùs dubius eſt: nam Scriptura quidem certè dicit, eas fuiſſe *ante Domum*, 2 *Paral.* 3: 15. & *ante Templum*, *verſ.* 17. ſed ſupereſt quærendum, num eſſent intra Porticum prope ingreſſum, an verò extra; vel denique intra Porticum ad valvas Templi: quæ poſtrema ſententia eſt *R. Solomonis* in Commentario ad locum citatum. Exiſtimo ego eas fuiſſe intra Porticum ad ejus ingreſſum, ſeu ad ipſa Portæ latera, hiſce de rationibus. I. Quia *Ezechiel* ita collocavit ambas ſuas Columnas in Porticu Templi ſui, nempè in ſummis gradibus ad ipſius Introitûs latera, *Cap.* 40: 49. II. Quia, ut anteà obſervavimus, iſtud opus Lilii dicitur fuiſſe ſub Capitellis quatuor cubitis in Porticu. III. Quia Liber *Regum* dicit *Solomonem* ſtatuiſſe Columnas לאולם *ad Porticum*, quæ eſt propria vocis ſignificatio; quamvis *David Kimchi*, & *Anglicus* noſter Interpres vertant *in*. Hæc duo videtur phraſis ſignificare: primò, Columnas collocatas fuiſſe prope Porticûs Portam, non verò Templi, ut exiſtimat ſuprà laudatus *Solomon Jarchi*: ſecundò, eas ſtetiſſe ad ipſum Porticûs ingreſſum, quaſi poſtes, vel latera Portæ, κατὰ τὰς προπυλαίου παραστάδας, ait *Joſephus*, *ad latera ingreſſûs Porticûs*. IV. Obſcurus ille locus *Joſ. Antiq. lib.* 8. *cap.* 2.
Ezechielis, 40: 48. *Latitudo Portæ erat trium cubitorum ex uno latere, & trium cubitorum ex altero*, non poteſt ita intelligi, quaſi ingreſſus in Porticum eſſet tantùm ſex cubitos latus; (& quomodo etiam poſſet loqui de duobus lateribus, ſi de una latitudine ageretur?) ſed optimè intelligitur à *Kimchio*, qui exiſtimat ſignificari ad utrumque latus aliquid fuiſſe quod latitudinis Introitûs tres occuparet cubitos, unde ad quatuordecim cubitos redigeretur: quæ menſura trium cubitorum, licèt uno cubito minor ſit craſſitie Columnarum *Solomonis*, cùm tamen conveniat cum dimenſione *Ezechielis* Columnarum, hac in re nos juvat, quòd oſtendat ubi hæ Columnæ, de quibus agimus, eſſent collocatæ, dum nos docet ubi in Templo *Ezechielis* ſtatuantur, nempè ad dextram & ſiniſtram Porticum emenſis gradibus intrantium.

Cæterùm (ne ſomnia quorumdam Ju-

Digitized by Google

dæorum memoremus) vocabantur *Jachin* & *Boaz*, 1 *Reg.* 7: 21. quæ verba denotant *Conſtitutionem* & *Robur*. *Jachin* ſignificat *Conſtituet*, & alludit ad promiſſum Dei de ſtabiliendo throno *Davidis* & populo *Iſraëlis*. *Boaz* ſignificat *Robur eſt in ea*, quod reſpicit ſeu Dei promiſſum, in quo omne robur & ſtabilimentum *Iſraëlitarum* ſita erant; ſeu Arcam, quæ intus erat & vocatur *Robur Domini*, *Pſalm.* 80: 2. & 105: 4.

SECTIO III. *Conclavia in qua recondebantur mactationis inſtrumenta*, בית החילפות.

Attamen priuſquàm Porticum, adeòque Templum ipſum ingrediamur, aliquid præpereà obſervatione dignum nos ad ſui contemplationem vocat. Erant nempè in hoc Porticûs ædificio quædam Conclavia ſeu loca in quæ recondebantur Cultri aliaque inſtrumenta quibus utebantur Sacerdotes in mactandis, excoriandis, & ſecandis victimis. Tractatus *Middoth* hæc loca indicat & deſcribit hiſce verbis: האולם
Midd. Per. 4. *Sect.* 7. עודף עליו טו״ אמה מן הצפון וטו׳ אמה מן הדרום והוא היה נקרא בית החילפות, *Porticus latior erat Templo quindecim cubitis ad Septentrionem, & quindecim ad Auſtrum, & quod excidebat vocabatur* Beth Hachillapoth, *ubi Cultros ſuos recondebant.*

Vox מחלפים ſignificat Cultros mactationis Templi *Ezr.* 1: 9. à radice חלף, ait *Aben Ezra*, quatenus ſignificat *exſcindere*, ut *Iſaj.* 11: 18. *Proverb.* 31:8. Ita etiam *Kimchi* in eundem locum: מחלפים
Vid. *Ab. Ezr.* in *Ezr.* 1. *Kimch.* ibid.
ſunt Cultri: atque ex hac ſignificatione deductum eſt Beth Hachillapoth; nam quia ibi reponebant Cultros ſuos, ideò locus appellatus fuit Conclave recondendis Cultris, לשכת בית החילפות. Erant igitur in utraque illa parte Porticûs, quâ hinc indè porrigebatur ultra ædificium Templi, Conclavia, quorum alterum ad Septentrionem erat, alterum ad Auſtrum, in quibus majoribus Conclavibus erant viginti quatuor Armaria, in quibus Cultri erant repoſiti in uſum viginti quatuor Claſſium Sacerdotum. Atque hæc & ſimilia Armaria Judæi vocant חלונות, *Feneſtras*, quia erant juxta murum poſita. Porrò præter hæc in quibus reponebantur inſtrumenta mactationis, *Maymonides* nonaginta ſex alia recenſet aliis rebus recondendis deſtinata, quatuor nempè erant unicuique Claſſi: *Erant*, inquit, *nonaginta ſex Armaria* חלונות *in*
Maymon. in *Kele Mikd.* Per.
Templo, in quæ recondebantur Veſtes: quatuor nempè unicuique Claſſi. Inſcripta illis erant Claſſium nomina, & omnia erant clauſa. Cùm cujuſpiam Claſſis Sacerdotes ſub diem Sabbati miniſterium ſuum inchoabant, aperiebant Armaria, atque inde utenſilia depromebant: cùm verò miniſterium abſolverant, iterùm Veſtes ſuas in Armaria recondebant, quæ poſteà claudebant. Quare autem facerent quatuor Armaria in uſum uniuſcujuſque Claſſis? Nempè ne Veſtes confunderentur unà: ſed omnia ſemoralia erant in uno Armario, cui inſcriptum erat FEMORALIA; *Cingula in alio, cui inſcriptum erat* CINGULA; *omnes Cidares & omnes Tunicæ in alio.*

Verùm nec dicit ubi eſſent illa Armaria, nec inter omnia illa hæc enumerat de quibus egimus, in quæ recondebantur Cultri: quod quare omiſerit, facile eſt dictu ad poſterius quòd attinet, nempè quia loquitur tantùm de Veſtimentis Sacerdotum. At ubi erant illa nonaginta ſex Armaria? Erantne in reliquis Porticûs partibus? Non videtur, quia Sacerdotes ſolebant veſtibus ſuis induti ingredi Atrium, præſertim cùm ad Porticum accedebant, nec unquam eò veniebant ut ſumerent Veſtes ſuas. Erant ſatis ampla ædificia circa Atria, in quibus poterant illa eſſe Armaria: ſed quo in loco ſint collocanda, nondum ſatis liquet.

Sed quid fiet aliis Conclavibus Porticûs inter Introitum, & duo illa quæ in extremis ædificii partibus ſita erant? erant enim viginti quinque cubiti in eo intervallo ex utroque Portæ latere, & proinde varia Conclavia & plures ſtegæ in ſuperioribus locis, cùm ædificium tantæ longitudinis atque altitudinis eſſet. Nec Scripturæ nec Judæorum monumenta docent, quod equidem noverim, quomodo hæ variæ partes diſpoſitæ eſſent; ideòque nihil affirmare auſim, ſed rem lectori dijudicandam permitto.

Memorabile eſt præpereà monumentum de quo Judæi loquuntur: nempè erant *Coronæ* impoſitæ בחלונות, Armariis, *εἰς μνημόσυνον*. Nam literaliter accipiunt quod *Midd.*
dicitur *Zachar.* 6: 14. *Et coronæ erunt Helem & Tobiæ & Jedaja & Hen filii Zephaniæ, memoriale in Templo Domini.* Ac dicunt etiam juniores, ſeu Candidatos Sacerdotii ſolitos fuiſſe aſcendere per aureas catenas quæ pendebant ex laqueari Introitûs Porticûs, ut poſſint videre Armaria, ad inſpiciendas haſce Coronas. *Per.* 3. *Sect.* 8. *Kimch.* & *Jarch.* in *Zachar.* 6.

SEC-

Digitized by Google

Sectio IV. *Aurea Vitis in Porticu: Aureum Candelabrum: Marmorea atque Aurea Menſa.*

Joſeph. de Bello, lib. 1. cap. 14. Jam ingrediamur Porticum, ubi *Joſephi* perſpicillum ſpectaculum exhibet his coloribus depictum. Θύρας ὐκ εἶχε, τῦ γὰρ ὐρανῦ τὸ διαφανὲς ϗ ἀδιάκλειστον ἐνέφαινε· κεχρύσωτο δὲ τὰ μέτωπα πάντα, ϗ δι᾽ αὐτῆς ὅτε πρῶτος οἶκος ἔσωθεν ἅπας κατεφαίνετο, μέγιστος ὤν, ϗ τὰ περὶ τὴν εἴσω πύλην πάντα λαμπόμενα χρυσῷ, &c. *Nullas habebat valvas: repraſentabat enim cœlum pellucidum & apertum. Totum Frontiſpicium deauratum erat, & per Portam intus poterat cerni tota prima Domus, eaque maxima, atque omnia circa Portam interiorem fulgebant auro.*

Ibid. Supra hanc interiorem Portam (quæ erat Porta Templi) erat magna Vitis Aurea tantæ amplitudinis, ut idem refert *Joſephus*, ut haberet βότρυας ἀνδρομήκεις, *racemos qui hominis magnitudinem æquabant.* Atque uti nativa Vitis major & major fit, donec ad certam magnitudinem paulatim ac tempore creverit, ita hîc factum eſt: nam מי שהוא מתנדב עלה או גרגיר או אשכול מביא ותולה בה, *Quidam oblationibus ſuis voluerunt fieri folium, quidam racemum, quidam palmitem; atque hæc ei appendebantur, & ſic continuò creſcebat.*

Supra Templi Portam erat etiam Candelabrum Aureum, quod donatum erat ab *Helena Adiabenorum Regina*, celeberrima fœmina, atque in Judæos beneficentiſſima, de qua ejusque filiis *Izate & Monobaze* multa habet *Joſephus, Antiquit.* lib. 20. cap. 2. ad quæ lectorem amando. Hujus *Helenæ* muneris mentio fit in *Thalmudico* Tractatu *Joma* hiſce verbis. *Filius Catini fecit duodecim epiſtomia labro, cùm anteà duo tantùm habuiſſet; fecit inſuper machinam labro, ne aquæ ejus nocte polluerentur. Monobazus Rex fecit ex auro omnes vaſorum anſas, quibus in die Expiationis miniſtrabatur. Helena mater ejus fecit Candelabrum aureum juxta oſtium Sanctuarii; fecit etiam ex auro Tabulam, cui ſectio ſuſpectæ fœminæ inſcripta erat.* *Jom. Per. 3.*

Maym. in Beth Habbech. In Porticu ad utrumque latus Januæ Templi erant Menſæ: ad dextrum Menſa Marmorea, cui imponebant Panem Propoſitionis cùm recentem eum Templo inferebant: ad ſiniſtrum erat Menſa Aurea, cui aliquantiſper imponebant panem quem removebant. Ratio quare inciperent à Marmorea Menſa, & in Aurea deſinerent, hæc fuit: שמעלין בקודש ולא מורידין, *Quia in rebus ſacris altiùs aſcendebant, non verò deſcendebant.*

CAPUT XIV.

Sanctuarium ſeu Sanctus Locus.

Sectio I. *Janua Templi.*

Ingrediebantur è Porticu in Templum per duas Januas, quarum utraque valvas duplices habebat. Quod ut meliùs intelligatur, primùm conſideremus dimenſiones hujus meatûs, quemadmodum cæterorum luſtravimus dimenſiones.

Thalmudici & *Joſephus* primâ fronte videntur immane quantùm diſſentire circa dimenſionem hujus Januæ: *Thalmudici* enim ei tribuunt altitudinem viginti cubitorum, latitudinem verò decem; *Joſephus* autem quinquaginta quinque altitudinis, latitudinis verò ſexdecim cubitos ei adſcribit. Sed in hac varietate ſi quid utrique propriè velint rectè intelligamus, comperiemus differentiam tantam non eſſe, quanta primo intuitu apparet. Solent *Thalmudici* in dimenſione Portarum loqui tantùm de oſtio, ſeu meatu; *Joſephus* verò, ut anteà obſervatum eſt, metitur etiam παραστάδας καὶ ὑπέρθυρα, totam Portam cum poſtibus & liminibus utrinque prominentibus. Atque juxta hanc conſuetudinem *Thalmudici* & *Joſephus* hanc metiuntur Portam de qua agimus. Spatium apertum ſeu oſtium erat tantum viginti cubitos altum, decem latum; atque eadem hæc erat utriuſque Portæ dimenſio: ſed Portæ Frontiſpicium erat hinc indè per tres cubitos affabrè ornatum & deauratum; deſuper verò ad primum Porticûs tabulatum per triginta quinque cubitos. Hanc eſſe mentem *Joſephi* ex duobus locis apparet: dicit enim de illis circa Portam ornamentis: Ἡ δὲ ῦ οἴκυ πύλη κεχρύσωτο μὲν πᾶσα, καὶ ὅλον περὶ αὐτῆς τεῖχος. *Porta verò Domûs* (hanc deſignat de qua loquimur) *tota deaurata erat, & totus etiam circa eam murus.* Ad alterum verò quòd attinet, nempè de Portæ dimenſionibus, hoc habet quod ſubdifficile eſt, ſed rectè intellectum litem dirimit juxta ea quæ modò obſervata ſunt: Ὄντος δὲ ἤδη ῦ ναῦ διστέγυ ταπεινοτέρα τῆς ἔξωθεν ἦν καὶ θύρας εἶχε χρυσᾶς πεντηκοντάπεντε πηχέων τὸ ὕψος, εὖρος δὲ ἑκκαίδεκα. *Cùm Templum eſſet duarum ſtegarum, interior erat infra exteriorem, & habebat Portas deauratas quinquaginta quinque cubitorum altitudinis, latitudinis verò ſexdecim.* *Midd. Per. 4. Sect. 1.* *Joſeph. de Bello, lib. 5. cap. 14.*

Jam autem cùm dicit Templum fuiſſe δίστεγον, hoc vult: ſi quis in Templo eſſet, ſupra

Digitized by Google

ſupra ejus caput fuiſſe primum tabulatum, & ſupra illud Conclave quod vocabatur עליית, de quo anteà verba fecimus, & ſupra quod erat ſupremum tabulatum. Si uſque ad ſupremum tabulatum tota Domus aperta fuiſſet, ut Eccleſiæ noſtræ eſſe ſolent; tùm nullum fuiſſet diſcrimen inter altitudinem Sancti, & Sanctiſſimi Loci: ſed cùm uterque locus laqueari eſſet obtectus, & ſuperiora haberet Conclavia; diſcrimen erat in altitudine primi laquearis: nam in Sancto Loco laquear à pavimento diſtabat quinquaginta quinque cubitis; ſed in Loco Sanctiſſimo diſtabat tantùm viginti, ut oſtendetur. Porticûs autem laquear æquè altum erat ad minimum, ſi non & altius, quàm laquear Sancti Loci; adeòque ſpatium quod erat ſupra Portam ad primum laquear, cùm deauratum eſſet, ſplendidiſſimum reddebat ædificii Frontiſpicium. Videtur Auctor noſter primum Porticûs laquear ad nonaginta cubitos extuliſſe, nec tamen altitudinem Portæ ſupra quinquaginta quinque attollit, quia dimetitur tantùm altitudinem laquearis Sanctuarii, atque altitudinem Frontiſpicii Januæ Adyti: ſimiliter enim de utroque loquitur.

Hiſce neceſſariò obſervatis de altitudine & latitudine hujus Januæ, ad memoriam revocandum eſt murum Templi fuiſſe ſex
Midd. ubi ſuprà. *Ezech.* 4: 24.
cubitos craſſum, ut obſervavimus cùm dimenſi ſumus latitudinem ædificii. Ambæ ergò Januæ valvæ, quarum unaquæque quinque cubitos lata erat, pendebant intra craſſitiem muri propè Porticûs introitum, ita ut cùm erant versùs Porticum apertæ, tegerent totam craſſitiem muri ad lævam atque ad ſiniſtram, adeò ut intrantes illam videre non poſſent.

Jam verò in extrema parte craſſitiei muri versùs Locum Sanctum erant ſecundæ valvæ, iis ſimiles quas jam luſtravimus, quæ cùm erant apertæ incidebant in murum qui erat inferior Domûs extremitas, & obtegebant ſpatium quod deauratum non erat: totus enim murus erat deauratus, exceptis iis partibus in quas apertæ valvæ incidebant. Erant itaque duæ Januæ cum geminis valvis inter Porticum & Templum, quarum una à Porticûs introitu cubitum unum erat remota, altera verò in ipſa interna muri ora locabatur, adeò ut inter eas clauſas ſupereſſent quinque cubiti in ipſa craſſitie muri Templi.

Exterior Janua à Judæis vocari ſolet *Magna Janua Templi*: non quòd interior Janua non æquè craſſa eſſet, ſed quia prioris ingens apparebat Frontiſpicium, poſterioris non item. Atque de hac exteriori Janua hæc ſunt memoratu digna quæ ab ipſis referuntur. Primò, quòd matutina victima nunquam mactaretur, priuſquàm hæc Janua aperta eſſet. Hoc refertur in Tractatu *Thamid*, ſeu de quotidiano ſacrificio: לא היה השוחט שוחט עד ששומע
קול מער הגרול שנפתח, *Qui victimam* *Thamid,* Per. 3.
mactaturus erat, eam non mactabat donec *Maym. in*
audiviſſet ſtrepitum apertionis Magnæ Januæ. *Tham.*
Deinde addunt ſtrepitum hujus Januæ po- Per. 6.
tuiſſe ad *Hierichuntem* uſque exaudiri: & ita loquuntur de ſtrepitu variarum aliarum rerum, in quibus ad Templum magnificandum ingentibus utuntur hyperbolis. Secundò, hæc Janua apud ipſos celebris eſt, quia habebat duo oſtiola in ambabus valvis, unum in Septentrionali valva, alterum in Meridionali. Et per Auſtrale quidem nemo tranſibat: id enim erat de quo *Ezechiel* dixerat: *Hac Janua claudetur, non aperie-* *Ezech.*
tur, nec quiſquam per eam intrabit. 44: 2.

Porrò matutino tempore hæ Januæ ſic ſolebant aperiri. Unus clavem ſumebat, & aperiebat Septentrionale oſtiolum, & ingrediebatur in quinque-cubitale ſpatium, quod inter duas Januas interjacebat, atque ibi per Januam quandam intrabat in ipſum murum, ubi erat excavatus ingreſſus in Sanctum Locum, cujus exitus erat ea in parte muri in quam una ex valvis interioris Januæ aperta incidebat.

Ingreſſus aperiebat eam inferiorem Januam, deinde exteriorem, quâ ſtrepente, qui victimam matutinam erat mactaturus miniſterium ſuum inchoabat. In hoc ſpa- *Sotah*,
tio quinque-cubitali inter ambas Januas Perek. 2.
poſt valvam Januæ ad dextram erat Tabula marmorea quadrata in cubiti magnitudinem, ſoluta in pavimento locabatur, & in qua erat annulus affixus quo poſſet tolli. Cùm Sacerdotes uxorem ſuſpectam ad examen vocabant, eum tollebant lapidem, & ſubjectum pulverem ſumebant, ad miſcendum aquæ quam ei bibendam propinabant, ut jubetur *Numer.* 5: 17.

Sectio II. *Velum.*

Inter duas haſce Januas in eodem illo quinque-cubitali ſpatio pendebat Velum, quod id referebat quod erat ad Januam Tabernaculi, *Exod.* 26: 36. Hoc teſtatur *Jo-* *Joſeph. de*
ſephus, qui loquitur de duobus Velis, quo- *Bello*, lib.
rum alterum erat ad ingreſſum Sancti Loci, 5. cap. 11.
alterum eum diſtinguebat à Loco Sanctiſſimo. Dicit Velum fuiſſe ejus menſuræ quam anteà memoravit, nempè altum quinquaginta quinque cubitos, latum verò ſexdecim, (quanquàm oſtium in quo pendebat

debat erat tantùm decem cubitos latum) & fuiſſe Πέπλον Βαβυλώνιον, (אדרת שנער, *Joſ.* 7:21.) *Aulæum Babylonicum*, ex hyacintho, purpurâ, cocco, & ſubtiliſſimo lino duplicato, quod referebat quatuor elementa.

Alii etiam Judæi nos docent tale Velum pependiſſe ad ingreſſum in Sanctum Locum. *Tham. Perek.* 7. *Thalmudicus* enim Tractatus *Thamid*, paulò anteà citatus, agens de ingreſſu Maximi Pontificis in Sanctuarium ad ſacra facienda, hæc habet: *Tres eum tenebant, unus dextrâ manu, alter ſiniſtrâ, tertius per gemmas Pectoralis. Et cùm Præſes audiebat ſtrepitum Summi Sacerdotis exituri, Velum ipſi attollebat, tùm ipſe ingrediebatur & adorabat, ac poſt eum fratres ejus Sacerdotes ingrediebantur & adorabant.*

Maym. in Kele Mikdash, Per. 7. Erant omninò tredecim Vela in Monte Templi, ſeptem ſcilicet inſerviebant ſeptem Portis Atrii, unum Portæ Porticûs, unum Portæ Templi, & duo inter Sanctuarium & Adytum, duo denique perpendiculariter ſupra hæc in ſuperiori Conclavi. Erat *Shekalim*, Per. 5. Præfectus Velis, qui curabat nova ſuppeditari cùm priora corrupta erant, atque omnia locavit uti par erat. Si communi aliquâ pollutione polluerentur, detracta abluebantur, & ſuſpendebantur ἐν τῷ חיל *ſpatio intermurali*, ut exſiccarentur. Cùm nova fiebant, primùm appendebantur cuipiam loco in Podio Atrii Mulierum, ut poſſent cerni à toto populo, qui num ritè facta eſſent judicaret.

Sectio III. *Sanctuarium ipſum.*

1 Reg. 6: 2, 17. Hic locus erat quadraginta cubitos longus, latus verò viginti. In *Solomonis* Templo erat triginta cubitos altus ſine ullo laqueari; *Joſeph. ubi ſuprà* ſed in *Herodis* Templo ad ſexaginta cubitorum altitudinem perductus fuerat: nam filii Captivitatis qui Templo ſuo altitudinem ſexaginta cubitorum dederant, eum locum laqueari nullo obtexerant, ſed patentem reliquerant uſque ad tectum, uti patuerat tempore *Solomonis*; atque ad eam altitudinem remotum eſt laquear, cùm tempore *Herodis* laqueatum fuit Templum.

Atque hic duo occurrunt nequaquàm omittenda. I. Cùm tectum inferius ædificii, quod Conclavia quæ ad latera erant tegebat, eſſet tantùm, ut obſervatum eſt, quinquaginta cubitis à ſolo remotum, atque ex hoc tecto tranſitus eſſet in Conclave ſupra Sanctuarium collocatum, fuiſſe ſcalam decem cubitos altam, quæ partim extra murum erat, partim in ipſa muri craſſitie. II. Laquear inæquale fuiſſe in tribus locis Ædis, in Porticu, Sanctuario, & Adyto. Primum laquear in Porticu à ſolo remotum erat nonaginta cubitos, in Sanctuario ſexaginta, in Adyto viginti. Itaque quamvis eſſet laquear ſupra Adytum æquale laqueari Sanctuarii, quod nempè à ſolo diſtabat ſexaginta cubitis; non erat hoc infimum Adyti laquear, ſed alterum erat quadraginta cubitis inferius.

Locus hic pulcherrimus & ſplendidiſſimus erat. Stratus erat tabulis abiegnis, iiſque deauratis: muri etiam erant Cedro introrsùm obtecti, quæ pariter deaurata erat. Hæc deauratio à ſolo ad laquear extendebatur per totam muri ſexaginta cubitorum altitudinem. Atque hoc ſignificant verba Scripturæ, עד קירות הספן, Veſtivit muros Domûs introrsùm tabulis cedrinis à ſolo Domûs *ad murum tecti*, hoc eſt; ad murum uſque laquearis ſuperioris, ut optimè interpretantur Rabbini ad eum locum.

Nam poſt quinquageſimum altitudinis cubitum in muro erat limbus ramis & floribus apertis affabrè ſculptus, &c. Decem ſuperiores cubiti feneſtris erant tributi: nam cùm Conclavia extra Ædem ad latera collocata tribus ſtegis ad quinquageſimum cubitum aſſurgerent, eò uſque non poterant fieri feneſtræ in Domo, ſed ſpatium decem cubitorum ſupra eam altitudinem occupabant, & ita diſpoſitæ erant, ut introrsùm latæ eſſent, extrorsùm arctiores.

Sculptura quæ erat in ligno quo introrsùm veſtiti erant muri, dicitur מקלעת פקעים ופטורי צצים, *Sculptura florum clauſorum & apertorum*, ut vertunt *Angli*, qui vernaculè habent, *The carving of knops and open flowers*. Verùm Hebræi Doctores ſubtiliores ſunt in interpretatione horum verborum. *Paraphraſtes Chaldæus* exponit: *Cælaturam ſimilitudinum ovorum, & ſertorum Liliorum*, quaſi velit murum cælatum fuiſſe opere quod Liliorum ſerta referebat, cum ovali figura in medio ſerto. *R. Levi* *Levi Gerſ. in 1 Reg.* 6. *Gerſhom* exponit פקעים, *ovalia*, quemadmodum *Chaldæus*: ſed exiſtimat talia fuiſſe ovalia qualia ſunt florum folliculi, & ex iis prodiiſſe פטורי צצים, *Flores maturi atque aperti*. *David Kimchi* putat פקעים eſſe au- *Kimch. ibid.* reas Cucurbitas: atque ita margini appoſuerunt Interpretes noſtri *Angli*. Hanc puto genuinam eſſe vocis ſignificationem, & hanc fuiſſe muri cælaturam, cælatos nempè fuiſſe *Cherubinos*, & Palmas, Cucurbitaſque ac flores apertos ſic intermiſtos. Primò erat limbus Cucurbitarum, Peponum, aut ejuſmodi pomorum, intermiſtis calthis, caryophyllis, aliiſque ſimilibus floribus apertis; atque hic ſerteus limbus totam

Digitized by Google

totam Ædem circum ambibat. Huic tanquam baſi innitebantur pedes Cherubinorum, & radices Palmarum, quibus 1 *Reg.* 6: 29. *Ezech.* 41: 18, 19. conſtabat hic limbus, alternis ſibi invicem ſuccedentibus. Supra Cherubinos & Palmas erat rurſùs alius limbus ſerteus, quem ſequebantur iterùm Cherubini & Palmæ; atque ita ad faſtigium uſque alternis occurrebant ſimiles cælaturæ. Quibus omnibus denotabatur ſedulitas Miniſtrorum, *Hebr.* 1: 14. & florens ſtatus eorum qui inſerviebant Domino, *Pſalm.* 92: 13, 14. Iſti *Cherubim* duas facies habebant, alteram hominis, quæ Palmas hinc reſpiciebat; alteram leonis, quæ indè etiam ad Palmas erat obverſa.

Cùm dicatur, *Ædificavit viginti cubitos ad latera Ædis tabulis cedrinis à pavimento uſque ad muros*, 1 *Reg.* 6: 16. Judæi exiſtimant viginti iſtos cubitos non in altitudine, ſed in latitudine fuiſſe; quaſi velit Scriptura præter latera Ædis hinc atque indè, quæ quadraginta cubitos longa erant, idem *Solomonem* feciſſe in utraque extremitate Conclavis, quæ erat tantùm viginti cubitos lata: ſed Scriptura diſertiùs hoc teſtatur de Loco Sanctiſſimo, & oſtendit quæ eſſet illius altitudo, quæ differebat ab altitudine exterioris Conclavis, Loci nempè Sancti, ut poſteà videbimus.

Sectio IV. *Candelabrum.*

Tria erant celebria ac obſervatu digna in Conclavi Sanctuarii, quæ jam ordine ſuo nobis veniunt luſtranda: nempè Candelabrum, Menſa Panis Propoſitionis, & Altare Thymiamatis. Primum erat aureum, reliqua verò duo auro obtecta, adeò ut in hoc Conclavi nihil cerni poſſet præter aurum. *Joſeph.* ubi ſuprà. *Joſephus* tria hæc magnis laudibus effert hiſce verbis: Εἶχεν ἐν αὐτῷ τρία θαυμασιώτατα καὶ περιβόητα πᾶσιν ἀνθρώποις ἔργα, λυχνίαν, τράπεζαν, θυμιατήριον. *Habebat in ſe tria ſummâ admiratione digna opera, & apud omnes mortales celeberrima, Candelabrum, Menſam, Altare Thymiamatis.* Addit, *Septem Lucernas in Candelabro retuliſſe ſeptem Planetas; duodecim Panes Menſæ impoſitos duodecim ſigna Zodiaci; Altare in quo offerebatur thymiama quod partim ex mari, partim ex terra proveniebat, deſignaſſe omnia eſſe à Deo, & in Deum.*

Maymon. in Beth Habbech. Perek. 3. Candelabrum erat octodecim palmos altum; quæ altitudo, ſupponendo cubitum ſex palmis conſtitiſſe, erat unius virgæ Anglicanæ & dimidiæ. Habebat tres pedes, quibus ferè inſiſtebat Pavimento. Supra trium palmorum altitudinem erat veluti corona ſertea prominens atque affabrè elaborata. Sequebatur ſcapus qui per duos palmos aſſurgebat planus; ſupra quod ſpatium erat diſcus, bulla & flos, quæ intra palmum prominebant ac cælata erant. Indè iterùm planus per duos palmos attollebatur ſcapus; & ſupra id intervallum erat palmaris bulla, unde exibant duo rami qui utrinque inflexi erant, donec aſſurgerent rectà ad æqualem altitudinem ad faſtigium hujus medii ſcapi ex quo exibant. Deinde erat in ſcapo palmus planus, ſupra quem erat bulla palmaris, ubi duo rurſùs rami utrinque exibant. Superiùs ſcapus per duos palmos ſolus aſſurgebat, & in ſuperioribus tribus palmis erant tres calices, tres bullæ, & tres flores, atque ita Lucerna erat in flore.

In unoquoque ramo exeunte ex medio hoc ſcapo erant tres Calices qui modico inter ſe diſtabant ſpatio. Supra ſupremum erat bulla, ſupra bullam flos, atque in eo flore Lucerna. Ante Candelabrum Lapis erat cui inciſi erant tres gradus, in quibus ſtabat qui curabat Lucernas, & quibus imponebat ſuas patinas dum in eo opere occupabatur.

Hoc Candelabrum ſeptem ramorum (ad quod alluditur *Apocal.* 1. *Zachar.* 4: 2. *Apocal.* 11: 4.) poſitum erat ad Auſtrale latus Domûs, ſed ita ut rami ejus protenderentur in Septentrionem & Auſtrum. Omnes Lucernæ quæ ſex ramis impoſitæ erant, obverſæ erant ad Lucernam quæ in ſcapo ipſo medio erat, quæ Lucerna obverſa erat Adyto, unde vocabatur נר המערבי, *Occidentalis Lucerna.* Hæ ſeptem Lucernæ (quæ deſignabant *ſeptem Spiritus Dei*, Apocal. 4: 5. & 5: 6. quos Judæi vocabant *ſeptem Spiritus Meſſiæ*, ex *Iſaj.* 11: 1, 2, 3.) jugiter ardebant; vel ſi qua extingueretur, unoquoque matutino & veſpertino tempore iterùm accendebatur: ac perpetua illa lux referebat Verbum & Doctrinam Salutis, lumen Domini in quo videmus lumen.

Hæ Lucernæ vocabantur *Candela Domini*, 1 *Sam.* 3: 3. ubi dicitur, *Antequàm Candela Domini eſſet extincta*, Dominus vocavit *Samuelem*, &c. In quæ verba *David Kimchi* hanc habet interpretationem: *Si hoc* *Kimch.* in *Sam.* 3.
dicatur de Lucernis in Candelabro, erat paulò Vid. *Lev. Gerſ.* ibid.
ante diem, nam Lucernæ ardebant à veſpertino tempore ad matutinum, niſi quod aliquando quædam ex iis nocte extinguebantur. In illis ponebant oleum eâ menſurâ, ut poſſet eas ardentes conſervare à veſpera ad mane ſequens; & ſæpè ad matutinum tempus ardebant, ac ſemper quidem ardentem reperiebant Occidentalem Lucernam. Jam hæc dicitur Prophetia veniſſe ad Samuelem ante-

quàm

quàm Lucernæ extinguerentur, dum nox adhuc erat circa tempus gallicinii: nam dicitur poſteà Samuel jacuiſſe uſque ad matutinum tempus. Vel allegoricè dictum eſt de Candela Prophetiæ; ut dicunt, Sol oritur & Sol occidit. Priuſquàm Spiritus Sanctus Solem hominis juſti occidere faciat, facit ut Sol alius hominis juſti oriatur. Priuſquàm Sol Moſis occideret, Joſuæ Sol ortus eſt. Priuſquàm Eli Sol occideret, Samuelis Sol eſt ortus. Atque hoc eſt quod dicitur, Priuſquàm Candela Dei extingueretur.

Dominus non egebat candelis, (non magis quàm pane qui Menſæ imponebatur) nec Sacerdotibus hoc in loco candelis opus erat; nam licèt altæ eſſent feneſtræ, attamen ſufficientem Conclavi ſuppeditabant lucem: ſed Deus hiſce Lucernis quaſi prælucebat populo, ut eum per corporea hæc doceret ſpiritualia, utque eum commonefaceret neceſſitatis Verbi ſui, & Panis ſalutis qui deſcendit è cœlo. Ideòque cùm *Solomon* fecit decem Candelabra & decem Menſas, eaque ad duo latera Domûs quina alternis diſpoſuit, nihil Deo addidit, ſed Miniſterio duntaxat ſplendorem majorem creavit, & clariùs ſignificavit neceſſitatem luminis Verbi, & Panis vitæ. *Sapientes noſtri*, ait *Baal Hatturim*, *dicunt Occidentalem Lucernam* (quæ nunquam extinguebatur) *fuiſſe teſtimonium quòd Gloria Dei habitaret in Iſraële.*

2 Paral. 4. — *Baal Hatturim in Levit. 24.*

Sectio V. *Menſa Panum Propoſitionis.*

In Septentrionali latere Ædis quod ad dextram erat, collocata erat Menſa duos cubitos longa, & ſeſquicubitum lata, in Tabernaculo Moſis: ſed in ſecundo Templo, ad latitudinem quod attinet, deerat ei ſemicubitum; cujus imminutionis illi ipſi qui rem narrant nullam rationem afferunt. In illo loco juxta longitudinem, hoc eſt, ab Oriente in Occaſum poſita, & coronâ aureâ circumquaque ornata erat versùs ſuperiorem partem; quam Coronam Judæi aſſimilant Coronæ Regni.

Exod. 25: 23. — *Maymon. ubi ſuprà.* — Vide *Baal Hatturim in Exod. 25.*

Super hac Menſa perpetuò erant duodecim Panes, qui quia erant coram Domino, vocabantur לחם הפנים, Ἄρτοι προθέσεως *Panes Propoſitionis*: quam in rem *Angli* noſtri Interpretes vocem aptiſſimam invenerunt, nempè *Shew-bread*. Sic autem Panes illi fiebant & collocabantur.

Matth. 12: 4.

Ex viginti quatuor סאה, (tria conficiebant *Epha* unum) hoc eſt, ex octo modiis *Anglicis* farinæ molitæ, cribrabant viginti quatuor decimas partes vel *Omeros* pollinis; atque indè conficiebant duodecim liba, quorum unumquodque conſtabat duobus *Omeris*, ſeu quintâ parte *Ephæ*. Liba hæc quadrata faciebant, decem palmos longa, quinque lata, ſeptem digitos craſſa. Fiebant & coquebantur in Conclavi majoris ædificii, quod *Beth Mokadh* dictum ad Septentrionale latus Atrii erat, ut poſteà oſtendemus, quòd fiebant die Sabbatum antecedente.

Maymon. in Tham. Perek. 5. — *Levit. 24: 5.* — *Exod. 16: 37.*

Sabbato verò eos Menſæ hâc ratione imponebant. Quatuor Sacerdotes primùm ingrediebantur, & auferebant Panes qui per totam hebdomadem ibi fuerant collocati; quatuor alii eos ſequebantur ad imponendos recentes eorum loco. Duo ex hiſce poſterioribus Sacerdotibus geminas liborum ſtrues, in quarum unaquaque ſex erant, gerebant; reliqui duo ferebant aureas lances, in quibus erat thus imponendum Panibus. Qui modò ex quatuor illis qui præteritæ hebdomadis panem accepturi veniebant, duo portabant liba, duo verò diſcos. Hi ſtabant ante Menſam, facie ad Septentrionem obverſa; priores verò quaterni ſtabant inter Menſam & murum, facie ad Auſtrum obverſâ. Illi præteritæ hebdomadis liba auferebant; hi verò eodem temporis momento alia recentia imponebant, ita ut Menſa nunquam eſſet ſine pane, quia dictum eſt, coram Domino perpetuò fore panes.

Duas ſtrues liborum faciebant, ſepis ſimul exſtructis, eaque ita Menſæ imponebant, ut liborum longitudo Menſæ latitudinem decuſſaret, (unde apparet Coronam auream quæ circa Menſam erat, ſupra ejus ſuperficiem elatam non fuiſſe, ſed limbum fuiſſe qui craſſitiem Menſæ non excedebat, ut benè exiſtimat *R. Solomon*) adeòque liba duobus palmis hinc indè Menſæ latitudinem excedebant: Menſa enim erat tantùm ſex palmos lata, liba verò decem palmos longitudine æquabant. Jam verò ad impediendum ne eæ partes liborum quæ hinc indè eminebant frangerentur, licèt nullam aliam habuiſſent rationem, (quam habebant quidem, ſed fateor me ejus deſcriptionem apud eorum Auctores intelligere non potuiſſe) attamen ita liba libis imponebant, ut pondus Menſæ inniteretur, non verò in eas incumberet partes quæ pendebant extra Menſam.

R. Solom. in Exod. 25.

Infimum omnium libum planæ Menſæ ſuperficiei imponebant; ſupra verò ipſum tria bacilla aurea æqualibus intervallis diſtantia, quibus injiciebatur ſequens libum; atque ita de cæteris, niſi quòd

quinto libo duo tantùm ejuſcemodi bacilla imponebant, quia unicum tantùm addendum ſupererat libum. Quæ porrò poſt Hebræorum Doctores voco aurea bacilla, non erant ſimilia arundinibus perfectè cylindricis & concavis, ſed cannis ſeu cicutis per mediam partem diſſectis. Cauſa quare interponerentur libis hæc fuit, ut nempè aër permeare poſſet inter concavitatem earum, libaque à mucore & corruptione immunia conſervaret meliùs. Ita inter liba erat aliqua concavitas, nec unum ab altero tangebatur; & omnia bacilla aurea ita erant diſpoſita, ut Menſæ latitudinem non excederent, adeòque extremitates liborum prominentes nullo pondere, præter ſuum, gravarentur.

Geminæ huic ſtrui impoſiti erant duo diſci aurei, in quibus erat manipulus thuris, qui cùm auferebatur Panis, in Thymiamate in honorem Domini comburebatur, *Levit*. 24: 7. Panis poſteà erat *Aaronis* & filiorum ejus, ſeu à Sacerdotibus juxta portiones comedendus.

De ſignificatione myſtica hujus Panis variæ ſunt conjecturæ. Numerus duodecim Panum in gemina ſtrue referebatur ad duodecim Tribus, quarum nomina in duos numeros ſenorum nominum erant diviſa in Epomidibus Sacerdotis, in quibus erant duæ gemmæ, quarum unaquæque ſex nomina continebat. Atque ut panis eſt præcipuum hujuſce mortalis vitæ fulcimentum, ita horum oblatio potuit ſignificare Populum hoc ritu agnoſcere ſe à Domino accipere quæcunque ad vitam ſuſtentandam neceſſaria ſunt, cui hos Panes tanquam tributum offerebant. Hi æquè ac Lucernæ, quæ erant coram Domino, oſtendere poterant, ſpirituale & corporeum auxilium *Iſraëlis* in Deo ſitum eſſe. Sed res ipſas perſequi nobis eſt animus, aliis relictâ Allegoriarum expiſcatione: in hiſce enim ubi res torqueri atque accommodari ad varia poſſunt, unuſquiſque ſuâ ſibi magis ſatisfacit meditatione, quàm alienâ.

SECTIO VI. *Altare Thymiamatis*.

Candelabrum erat ad latus unum Ædis, Menſa ad alterum, Altare in medio, non exactè quidem inter Menſam & Candelabrum, ſed paulò propiùs Adyto quàm illa. Hæc tria ornamenta ac ſupellectilia Sanctuarii היו מונחין משליש ההיכל, *erant poſita in tertia parte Domûs:* hoc eſt, cùm Domus (ſignificatur Sanctuarium) eſſet quadraginta cubitos longa, ei qui perambulaverat viginti ſex cubitos & duas tertias cubiti partes intra Ædem, occurrebat Menſa & Candelabrum, & paulò ulteriùs versùs Velum ſtabat hoc Altare.

Maymon. in Beth Habbech. Perek. 3.

Ejus Perimetrum fuit quadratum unius cubiti, altitudo verò duorum. Habebat in quatuor angulis cornua quatuor, & coronam circa ſuperiorem oram, quâ Judæi ajebant deſignari *Coronam Sacerdotii*. Non adeò erat vicinum Velo, ut non poſſet circumiri; quod faciebat Pontifex Maximus die Expiationis, dum ejus cornua ſanguine adſpergeret, ut alibi obſervamus.

Exod. 30: 1, 2. *Maymon.* ubi ſuprà.

Super hoc Altari, quod Aureum vulgò vocabatur, Thymiama quotidianum offerebatur manè & veſperi; quod referebat, ſi *Chriſto* accommodaveris, ejus interceſſionem; ſi homini, quotidianæ precis officium. Duodecim liba quæ myſticè ſignificabant conſervationem & ſuſtentationem duodecim Tribuum, & quæ erant perpetuò coram Domino, unaquâque hebdomade ſemel tantùm renovabantur; ſed Lucernæ & Thymiama quotidie bis inſtaurabantur, quia magis egemus luce Verbi Dei & prece, quàm quotidiano paſtu. Si hæc tria *Chriſto* accommodare velimus, *Chriſtus* Regio ſuo munere panem ſuppeditat populo ſuo; Prophetico Verbi ſui lucem; Sacerdotali verò Thymiama pro eo offert, hoc eſt, intercedit.

CAPUT XV.

Adytum ſeu Sanctiſſimus Locus.

SECTIO I. *Spatium quo Sanctuarium ab Adyto ſeparatum erat.* Τάραξις, טרקסין.

Sanctus & Sanctiſſimus Locus diviſi erant triplici ſeparatione, nempè ſpatio cubitali, & duobus Velis quæ hinc indè ſpatium illud ambibant: ſpatium illud cubitale à Judæis vocatur טרקסין, quam vocem *R. Nathan* Græcam eſſe fatetur, & ſignificare ait *intus* vel *extra*; quaſi voluiſſent ſignificare כספקא להו או בלפנים או בלחוץ, *dubium ſibi fuiſſe utrùm eſſet intus vel extra:* atque ita exponitur in *Thalmude Hieroſolymitano*. *Maymonides* ad eorum ſenſum aſſequendum hiſce verbis nos juvat: *In Templo erat murus qui ſeparabat Locum Sanctum à Sanctiſſimo, cubitum craſſus. Sed cùm ædificaverunt ſecundum Templum, dubitarunt an craſſi-*

Midd. Perek. 4. *Aruch* in voce.

Thalm. Hieroſol. Perek. 5. *Beth Habbech.* Perek. 4.

Digitized by Google

craſſities hujus muri pertineret ad dimenſionem Sancti Loci, vel ad dimenſionem Sanctiſſimi. Quapropter fecerunt Sanctiſſimum viginti cubitos integros longum, Sanctum verò quadraginta integros. Et reliquerunt ſpatium cubitale inter Sanctum & Sanctiſſimum Locum; atque in ſecundo Templo non ædificarunt ibi murum, ſed fecerunt duo Vela, alterum ad extremitatem Sanctiſſimi Loci, (Orientem versùs) *alterum ad extremitatem Sancti Loci,* (Occidentem versùs) *& inter ea cubitale interſtitium erat, ſecundùm craſſitiem muri qui fuerat in primo Templo, in quo unicum tantùm fuerat Velum.*

Conſt. Lemp. in Midd. pag. 164. Propterea vox מרקסין benè creditur ab eruditiſſimo *Lempereur* eſſe Græca Ταραξις, quæ ſignificat morbum oculi quo turbatur & impeditur viſus: morbo autem ſimili (ad oculos intellectûs quod attinet) laborabant qui ſecundum Templum conſtruxerunt, cùm ad hunc locum devenerunt, quem cùm neſcirent an ad Sanctuarium, an verò ad Adytum pertineret, appellarunt propterea Ταραξιν.

Murus quem *Solomon* ad ſeparationem horum locorum conſtruxerat, cubitalis craſſitiei, & cujus loco ſpatium hoc erat relictum, habebat hæc conſideratu digna, nec intellectu facilia.

Primò, *ad ingreſſum Adyti Januas fecerat ex Olea*, האיל מזוזות המישית, 1 *Reg.* 6: 31. Hæc poſtrema verba explicatu difficillima ſunt: ad quorum intelligentiam ſi adeamus Gloſſaria, varios exhibebunt quidem ſenſus, ſed haud multùm juvabunt. *Chaldæus Interpres* habet tantùm: *Eorum poſtes cum ſuperliminari ordine erant poſiti*, ſumens vocem חמישת eodem ſenſu ac חמושים, hoc eſt, *ordine diſpoſiti*; quod non magnam lucem huic obſcuro loco fœneratur. *David Kimchi & R. Solomon* videntur hoc ita intelligere, quaſi poſtes Januæ non fuiſſent tetragoni, ſed pentagoni. Sed *Levi Gershom* è longinquo interpretationem petit, exiſtimatque voce חמישית ſignificari quintam Januam quæ Templum ſubeuntibus occurrebat: Templi Janua erat quarta, Porticûs tertia, interioris Atrii ſecunda, exterioris prima.

Mihi videtur hæc eſſe verborum ſententia: *Poſtis qui erat ad latus Januæ erat in quinto cubito.* Nempe à muro Ædis ad latus Januæ erant quinque cubiti, adeò ut cùm Domus viginti cubitos lata eſſet, Januæ attribuendi ſint decem. Atque hæc interpretatio potior eſt, quia immediatè anteà egit Scriptura de latitudine Ædis; ut cùm dicitur de Cherubinorum alis, alam unius tetigiſſe murum unum, alam verò alterius alterum; & cùm agitur de ornatu Domûs, dicuntur omnes muri Cedro introrsùm veſtiti fuiſſe, ac pavimentum deauratum. Poſteà loquitur Scriptura de ſeparatione quæ erat inter unam Domum & alteram, ac dicit Adytum habuiſſe valvas oleaginas, ac quintum utrinque à muro cubitum pertigiſſe ad latera ſeu poſtes valvarum. Ita dicitur *verſ.* 33. Fecit pro valvis Templi poſtes oleaginos *à quarto cubito*: hoc eſt, in locis quatuor cubitis ab utroque muro diſtantibus poſuit trabes oleaginas, qui poſtes eſſent utrinque cubitalis craſſitiei; atque ita Oſtium decem cubitos latum erat.

Secundum quod difficile eſt intellectu in hac ſeparatione muri in Templo *Solomonis*, id eſt quod occurrit *verſ.* 22. ejuſdem Capitis: ויעבר ברתוקות זהב לפני הדביר. *Et fecit transfire in catenis aureis coram Adyto, atque hoc auro obtexit.* Tota difficultas ſita eſt in prima voce: convenit enim inter linguæ peritiſſimos, *Chaldæum Paraphraſtem & Rabbinos*, רתוקות ſignificare *catenas*; ſed quæritur quid ſibi velit יעבר. Vox propriè ſignificat *fecit tranſire*; ſed hoc in loco *R. Solomon & D. Kimchi* Chaldaica ſignificatione id ſumunt, & interpretantur *fecit vectes*, quia vox Hebraica ברוחים *vectes*, à *Chaldæo Interprete* transfertur עבירין. Verſus decimus ſextus 2 *Paral.* 3. aliquam lucem huic obſcuro loco fœneratur: dicitur enim, *Fecit catenas ut in Adyto, & eas impoſuit ſummis Columnis*: quibus verbis deſignatur corona ſertea quæ circa Capitellum erat, cui ſimilis hîc intelligenda eſt: nempè ſupra hunc murum qui erat ante Adytum, & Sanctum Locum à Sanctiſſimo ſeparabat, fecit limbum, ſeu ſerteam catenam, cum protuberantia inſtar vectis, quæ ab uno muro Domûs ad alterum pertingebat.

Sectio II. *Velum.*

Duo erant Vela, ut anteà obſervatum eſt, ubi etiam diximus quo modo eſſent diſpoſita. Hæc quotannis renovabantur, veteribuſque ſublatis ſuccedebant recentia. Texta erant quatuor coloribus, cæruleo, purpureo, coccineo, & puriſſimo lino, ac ſingula fila filamentis ſexties complicatis conſtabant, & ſubtemen erant crines, quorum ſeptuaginta duo unum conſtituebant filum. Hæc Vela, moriente Servatore noſtro, à ſumma parte ad imam dirupta ſunt, *Matth.* 27: 51. quod ſignificabat jam aperiri ac publicas fieri eas Cæremonias quæ hactenùs tam arcanæ atque ab oculis hominum ſemotæ fuerant. Evangeliſta quidem meminit *unius Veli*, & ita etiam loquitur *Maymon. in Kele Mikd. Perek. 7.*

Digitized by Google

De Bello, lib. 5. cap. 14.

tur *Joſephus*, cùm dicit, Διείργετο δ' ὁμοίως καταπετάσματι, *Separatum erat ſimiliter Velo*; quia I. quamvis eſſent duo Vela, pendebant in eadem ſeparatione. II. Si notum fuiſſet quo in loco debuiſſet eſſe Velum, plura in hoc ſecundo Templo non fuiſſent.

Jam cogita quis debuerit eſſe ſtupor duorum Sacerdotum qui eâ veſperâ, quâ Servator noſter paſſus eſt, debebant Lucernas accendere & Thymiama offerre, cum viderunt, & populi, cùm audivit hæc Vela ſponte à ſumma parte ad imam lacerata fuiſſe. Niſi velum fuiſſet oculis hujus Gentis impoſitum, plus vidiſſent in hoc negotio, quàm viderunt, & tanto miraculo plus profeciſſent quàm profecerunt. Utrùm hæc hiſtoria eadem ſit cum illa quæ eſt tum in *Joſepho*, tum apud *Thalmudicos* de Porta ſponte ſeſe aperiente, quam poſteà referemus, lectoris eſto judicium. Apoſtolus ipſe typicam ſignificationem hujus partis Sanctuarii nobis ſuppeditat, *Hebr.* 10: 19, 20. *Habentes itaque, fratres, fiduciam in introitu Sanctorum in ſanguine Chriſti: quam initiavit nobis viam novam & viventem per Velamen, hoc eſt, carnem ſuam.*

SECTIO III. *Adytum ipſum ſive Locus Sanctiſſimus.*

Adytum in Tabernaculo *Moſis* erat perfectus Cubus decem cubitos longus, latus & altus. Idem etiam obſervatum fuerat in Templo *Solomonis*, in quo etiam erat cubicum, ſed undequaque viginti cubitos patens, 2 *Paral.* 3: 8. Nam quamvis Templum ipſum eſſet triginta cubitos altum, attamen Adyto poſt vigeſimum altitudinis cubitum impoſitum fuerat laquear. Atque in hunc ſenſum intelligi debet verſus ille, 1 *Reg.* 6: 16. *Ædificavit viginti cubitorum ad poſteriorem partem Templi tabulata cedrina, à pavimento uſque ad ſuperiora, & fecit interiorem domum oraculi in Sanctum Sanctorum.*

Hujus loci murus haud aliter ornatus erat ac murus Templi; tectus nempè cælaturâ in qua erant Cherubim & Palmæ, intermixtis aliquot gemmis. Pavimentum, parietes, laquear, omnia erant deaurata. Dicitur 2 *Paral.* 3: 9. העליות חפה זהב, *Obtexiſſe Solomon ſuperiora Conclavia auro*; quod juſtæ quæſtionis eſt argumentum: nullum enim erat in *Solomonis* Templo, de quo jam nobis ſermo eſt, Conclave ſupra Locum Sanctum, ſed patebat ad ſupremum uſque Templi laquear, quod à ſolo triginta tantùm cubitis remotum erat. Supra quidem Adytum erat Conclave decem cubitos altum; ſed quomodo ὑπερῳικῶς *Conclavia* dicantur, & quomodo eſſet deauratum prorſùs, cum eò nullus daretur aditus, non facile eſt conceptu. Ad Conclavia enim quæ ad latera erant, in extima Templi parte, quod attinet, an eſt credibile ea deaurata fuiſſe, cùm inſervirent recondendis tritico, vino, aliiſque ejuſcemodi Decimis ac Primitiis? Itaque voce עליון non poſſunt, juxta ordinariam ejus ſignificationem, intelligi *ſuperiora Conclavia*, quandoquidem nullum erat ſupra Sanctuarium; ſed ſupremum laquear Sanctuarii & Adyti: ac certè Scriptura docet omnia in iis fuiſſe deaurata, pavimentum, parietes, & laquear.

Verùm alius locus, 1 *Paral.* 29: 3. ad hoc dubium ſolvendum nos juvat: *Et ſuper hæc quæ obtuli in Domum Dei mei, de facultatibus meis aurum & argentum do in Templum Dei mei, exceptis his quæ preparavi in Ædem Sanctam, tria millia talenta auri de auro Ophir, & ſeptem millia talentorum argenti probatiſſimi, ad deaurandos parietes Templi.* Quibus in verbis hæc duo obſervanda veniunt. Primò, quod dicit *David*, hos apparatus majores fuiſſe eo quod præparaverat ad Sanctam Domum; addens tamen paratos fuiſſe ad Domum Dei. Secundò, quòd dicitur argentum fuiſſe ad obducendos introrsùm parietes; cùm planum ſit in ipſo Templo omnia fuiſſe deaurata. Eſt ergò hoc ita intelligendum, quòd præter aurum quod *David* paraverat ad deaurandam introrsùm Domum, in Sanctuario & Adyto, habebat etiam laminas aureas & argenteas paratas ad obducenda Conclavia quæ erant ſupra Porticum, (multa enim in eo erant ſuperiora Conclavia, cùm ad centum & viginti cubitorum altitudinem aſſurgeret) & ad ornanda lateralia Conclavia, aliaque quæ circum Atria erant. Porrò in Templo poſt Captivitatem exſtructo non comperimus eos ad cubicam formam Adytum condidiſſe; nam altitudo ejus latitudinem ſuperabat, erat quippe longum & latum viginti cubitos, quemadmodum *Solomonis* Adytum: ſed contrà altitudo, quantùm comperio apud Judæos Scriptores, multò major erat.

SECTIO IV. *Cherubim & Arca.*

Quemadmodum duo erant Cherubini ſupra ipſam Arcam poſiti, ita *Solomo* duos prætereà alios fecit qui totam Arcam inter ipſos collocatam obtegerent. Tam diſertè autem & clarè deſcribuntur 1 *Reg.* 6: 23. ut eò lectorem ſim amandaturus, nec quicquam de iis dicturus, niſi quemadmodum Cherubini qui erant ſupra

Pro-

Digitized by Google

Propitiatorium poterant optimè adumbrare duas *Chriſti* naturas, ita hoſce duos majores qui ſuperimminebant duo Teſtamenta, quæ initio ſuo & fine pertingunt ad duo mundi extrema, Creationem & Ultimum Judicium, utque in intermedio ſpatio amicè conjunguntur.

Arca (*gloria & præſentia Domini*, *Pſalm.* 105: 4. & *gloria Iſraëlis*, 1 *Sam.* 4: 22. prægnans ac vivida Servatoris noſtri, in quo Deus inter homines habitavit, figura) deſcripta *Exod.* 25: 10. &c. & 37: 1. &c. impoſita erat lapidi versùs Occidentalem partem Adyti directè ſub mediis alis procerorum duorum Cherubinorum qui erant juxta ipſam: *nam Cherubim expandebant alas ſuas ſuper locum Arcæ, & protegebant Arcam & vectes ejus deſuper. Et traxerunt vectes, ut apparerent ſummitates eorum foris Sanctuarium ante Oraculum, non apparebant ultro extrinſecùs*, 1 *Reg.* 8: 7, 8. 2 *Paral.* 5: 9. Nam antequàm exſtructum eſſet Templum, dum Arca deſultoria erat, vectes quorum ope geſtabatur, æqualis utrinque erant longitudinis, parati humeris Sacerdotum, cùm Arcam locum mutare neceſſe erat. Sed cùm in Templum *Solomonis*, nunquam indè removenda, recondita fuit, retraxerunt poſtes in interiora Sanctiſſimi Loci. *Levi Gershom* exiſtimat hos vectes eoſdem non eſſe cum iis quos fecerat *Moſes*, ſed longiores, atque ad ipſam Januam fuiſſe porrectos; & quamvis eſſent valvæ inter Sanctuarium & Sanctiſſimum Locum, attamen has valvas non potuiſſe claudi propter hoſce vectes. Ad hanc ſententiam proximè accedunt *Kimchi* & *Jarchi*, qui exiſtimant Arcam non fuiſſe ad Occidentalem Ædis murum poſitam, ſed viciniorem Januæ fuiſſe, versùs quam vectes extenſi erant; & die Expiationis cùm Summus Sacerdos Adytum ingrederetur, ad Arcam eum veniſſe inter duos iſtos vectes, nec potuiſſe hinc aut indè digredi.

Maymon. in Beth Habbech. Per. 4.

Lev. Gerſ. in 1 *Reg.* 8.

Kimch. & *R. Solom.* ibid.

Verùm hæc eos in eam injecerunt ſententiam. I. Quia propriè in Libro *Regum* ſumpſerunt vocem קדש pro Sanctuario quod extra Velum erat, cùm Liber *Paralipomenon* pro eo disertè habeat vocem ארון *Arcam*: nam cùm ſit in priori loco, *& apparerent ſummitates* מן הקדש, *extra Sanctuarium*, eſt in poſteriori, מן הקדש הארון, *extra Arcam*. Itaque vox קדש non ſignificat hìc totum Conclave, Sanctum putà vel Sanctiſſimum Locum, ſed eam tantùm partem Sanctiſſimi Loci quæ erat inter alas Cherubinorum, de qua verba immediatè præcedentia: *Sacerdotes intulerunt Arcam in Sanctiſſimum Locum, ſub alas Cherubim*; *nam Cherubim expandebant alas ſupra locum Arcæ*, &c. Poſteà ſequitur: *Et traxerunt vectes, adeò ut apparerent ſummitates eorum extra Sanctum illum Locum*, nempè qui erat inter alas Cherubinorum. II. Auctores citati ſtrictè ſumpſerunt על פני, quaſi deſignetur quis ſtans ad januam inter Sanctum & Sanctiſſimum Locum, atque hunc reſpiciens; cùm hìc ſignificet idem ac in phraſi illa *Geneſ.* 1: 20. *Aves volant ſupra terram*, על פני רקיע, quod *Anglica* Verſio tranſtulit, *in aperto firmamento cœli*. Ita etiam hìc ſumi debet, & verſus de quo agitur hac eſt ratione intelligendus: *Et traxerunt vectes in longitudinem, ita ut eorum extremitates cernerentur è Loco Sancto in aperta facie Oraculi: ſed deforis non cernebantur.* Iidem erant vectes quos fecerat *Moſes*, iique non admodùm longi, ſed tantùm ut poſſent imponi cujuſpiam humero ex utroque Arcæ latere. Poſtquàm collocarunt Arcam inter duos Cherubim in pavimento ſtantes, interiores Cherubim alæ Arcam obtegebant, & vectes etiam qui ad latera Arcæ erant quâ parte murum Occidentalem reſpiciebant; reliquæ verò partes quæ erant ad januam Adyti porrectæ, extra alas Cherubim eminebant, atque in aperta Sanctiſſimi Loci facie conſpiciebantur. Cùm Summus Sacerdos ad Arcam die Expiationis Thymiama oblaturus accedebat, ſtabat coram Arca inter duos vectes.

Fingunt Judæi, *Solomonem* cùm ædificavit Templum, prævidentem Templum deſtructum iri, feciſſe obſcuros & intricatos fornices ſub ſolo Templi, in quibus abſcondi poſſet Arca cùm ejuſmodi immineret periculum, ut quicquid Templo eveniret, Arca, quæ ipſa vita erat Templi, incolumis eſſe poſſet. Intelligunt locum 2 *Paral.* 35: 3. *Joſias dixit Levitis*, *Ponite Sanctam Arcam in loco quem Solomon filius Davidis ædificavit*, quaſi *Joſias* intelligens ex lectione MS. Codicis *Moſis*, & Prophetia *Huldæ*, periculum quod imminebat *Hieroſolymæ*, juſſerit Arcam recondi in hunc fornicem, ut in tuto eſſet; & cum ea, inquiunt, repoſuit Virgam *Aaronis*, Urnam Mannæ, ac Oleum unctionis. Nam dum Arca fuit in memorato loco, ſuper lapide de quo diximus, exiſtimant Virgam *Aaronis* & Urnam Mannæ ante eam fuiſſe collocatas, ſed jam eſſe in obſcu-

Maymon. ubi ſuprà.

Kimch. in 2 Paral. 35.

rum locum reconditas, & lapidem cui impoſita erat Arca eſſe ſupra oſtium fornicis. Sed *R. Solomon*, qui non ſolet ejuſmodi Traditiones omittere, ſeriam magis interpretationem in hunc locum affert: nempè cùm *Manaſſeh* & *Amon* Arcæ è loco ſuo remotæ ſubſtituiſſent Imagines & Abominationes ſuas, *Joſiam* Sacerdotes juſſiſſe ut illam in priſtino loco reponerent. Quid factum fuerit Arcâ, cùm *Nebucadnezzar* Templum incendit, non legimus; admodùm veriſimile eſt eam ſimul conflagraſſe. Quicquid eâ factum ſit, non fuit in ſecundo Templo, & numeratur inter quinque res illas eximias quas Judæi ibi defuiſſe agnoſcunt. Attamen habebant etiam ipſi Arcam eo in loco quam fabricaverant, quemadmodum habebant & Pectorale judicii; quæ licèt carerent gloriâ priorum ex quibus edebantur Oracula, attamen in reliquis Religionis ritibus vice priorum erant.

Ita luſtratis variis Templi partibus, jam rationem ineamus ipſarum dimenſionum, quæ Templum centum cubitos longum conſtituebant, atque ita oculos convertemus ad Atria.

Midd. Perek. 4. I. Murus Porticûs erat 5. cubitos craſſus.

II. Porticus ipſa per 11. cubitos porrigebatur.

III. Murus Templi 6. cubitos craſſus.

IV. Sanctuarium 40. cubitos longum.

V. Spatium cubitale inter Sanctuarium & Adytum.

VI. Adytum 20. cubitos longum.

VII. Templi murus 6. cubitos craſſus.

VIII. Latitudo Conclavium Occidentalium 6. cubitorum.

IX. Murus Conclavium 6. cubitos craſſus.

CAPUT XVI.

Atria Templi.

DImenſionibus & ἰχνογραφίᾳ Templi ipſius ita expoſitis, jam rectiùs obſervare poterimus formam & ſitum Atriorum quæ ante vel circa illud erant. Ubi primo loco ad memoriam neceſſe eſt revocare quod anteà dictum eſt: nempè, Templum & omnia circa ipſum Atria non ita exactè fuiſſe ſita in medio Montis Domûs, ut æqualiter diſtarent à quatuor

Midd. Per. 2. lateribus ambientis muri, ſed magis ad Septentrionem & Occidentem appropinquaſſe, ita ut minus eſſet ſpatium inter illa & Occidentalem Montis murum, quàm inter ea & Septentrionalem; ac minus iterùm inter ea & Septentrionalem, quàm inter ea & Orientalem; atque è regione Orientalis minus etiam quàm inter ea & Meridionalem.

Tria erant quæ poſſumus Atria vocare, ad Templum pertinentia, præter id ſpatium in Monte Domûs quod Chriſtiani Scriptores vocant *Atrium Gentilium*; nempè, *Atrium Iſraëlis & Sacerdotum*, *Atrium Mulierum*, & τὸ *Chel*: ſed duo priora tantùm propriè vocari ſolent Atria. Vox Hebraica quæ huic reſpondet eſt עזרה, quæ occurrit in Scriptura, 2 *Paral.* 4: 9. & apud *Chaldæum Paraphraſtem*, *Iſaj.* 1:12. 1 *Sam.* 3: 3. *Ezech.* 43: 8. & conſtanter apud Rabbinos, cùm de hiſce locis loquuntur. *David Kimchi* hanc tradit ejus etymologiam: *Kimchi* in 2 *Paral.*
שהיו נעזרים בה בהתפללים שם, 4. & in *Michlol.*
vocatum fuiſſe עזרה, (hoc eſt, *auxilium*) *quia quicunque eò oratum ſincero corde veniebat, adjuvabatur à Domino Deo ſuo.* In eandem ſententiam *R. Nathan* dicit ideò dictum fuiſſe *Atrium*, *quòd precarentur ibi Dominum ut ſe adjuvaret*, &c. ultimum enim erat ipſorum in omnibus occaſionibus perfugium, 1 *Reg.* 8: 31. &c. Vox hæc aliter uſurpatur *Ezech.* 43: 14. nempè pro ſpatio quod erat ad Altaris baſin, in quo Sacerdos ſacra facturus ſtabat, ut exponit *Kimchi*, atque poſteà videbimus. *Aruch* in עזר. *Kimchi* in *Ezech.* 43.

De hiſce Atriis ita aliquando loquitur Scriptura, quaſi fuiſſent tria: mentio enim fit Atrii Sacerdotum, magni Atrii, 2 *Paral.* 4: 9. & Atrii Mulierum, ut mox obſervabimus. Attamen re ipſâ plura non erant duobus: nam quamvis Atrium Sacerdotum atque Atrium *Iſraëlis* diſtinguerentur, non erant diviſa, ſed tantùm Atrium Mulierum ab iis ſeparatum erat.

Dimenſio Atrii *Iſraëlis* & Sacerdotum (quod aliquando κατ' ἐξοχὴν vocatur *Atrium*, aliquando *Atrium Iſraëlis*) erat, ad longitudinem quod attinet, ab Oriente ad Occidentem CLXXXVII. cubitorum, latitudine à Septentrione ad Auſtrum CXXXV. In ipſa media latitudine hujus ſtabat Templum, ita ut cùm Frontiſpicium Templi & Porticûs per centum cubitos extenderetur, hoc Atrium utrinque eam latitudinem excederet ſeptemdecim cubitis & dimidio; cùm verò ædificium ipſum Templi eſſet ſeptuaginta cubitos latum, hoc Atrium ab utroque latere per triginta tres & dimidium pateret. Ponè autem Septentrionalem Templi murum, undecim tantùm cubitos latum erat. Demetire itaque ab ultimo Occidentali termino ad Templum uſque, undecim *Midd.* Per. 5. Sect. 1.

decim

Digitized by Google

decim cubitos habebis, in longitudine Templi centum cubitos, denique in ſpatio Orientali quod erat ante Templum, ſeptuaginta ſex cubitos. *Ibid. Per. 2. Sect. 5.*

Atrium Mulierum erat ſitum ante hoc, cui conjunctum & latitudine æquale erat, quippè CXXXV. cubitos à Septentrione ad Auſtrum porrectum; verùm ab Oriente ad Occidentem æquè longum non erat; juxta enim hoc latus conſideratum erat etiam CXXXV. cubitos longum, adeòque exactè tetragonum.

CAPUT XVII.

Spatium intermurale חל *Chel.*

Circa hæc Atria ita, uti diximus, ſita erat aliud ſpatium inter ea & murum, quod à *Judæis* vocabatur חל *Chel.* Hâc voce utitur *Jeremias*, *Lam.* 2: 8. in hoc ipſo ſenſu, ut quidam exiſtimant Judæi, quo hîc intelligimus. *Et* חל *Chel & murus lugent.* Per murum nempè intelligunt murum Atrii; per חל *Chel* verò, ſpatium quod eum undique ambibat: atque ita interpretatus eſt *Chaldæus* בכקפנא, *Spatium ambiens.* *Maym. in Beth Habbech. Per. 5.* Scriptura ſæpè uſurpat vocem חל *Chel* pro *muro*, *vallo*, & *propugnaculo*, ut 2 *Sam.* 20: 15. 1 *Reg.* 21: 23. *Obad. verſ.* 20. *Nah.* 3: 8. & variè in iis locis ab Interpretibus Hebræis exponitur: ſed ubi agitur de nomine, & loco Templi de quo jam nobis ſermo eſt, unanimi conſenſu hunc locum ita deſcribunt, *Fuiſſe ſpatium decem cubitos latum, muro circumdatum, inter Montem Domûs & Atria.* *Maym. ubi ſuprà. Midd. Per. 2. §. 3* Nullum invenio nomen commodius quàm *ſeptum*, aut *ſpatium intermurale.*

Verba *R. Nathanis* in *Aruch* duobus in locis duo circa hoc Septum nobis injicere dubia poſſunt. Etenim in uno loco dicit τὸ חל fuiſſe מקום מוקף חמה בין הר הבית לעזרת הנשים, *Locus circumdatus muro inter Montem Templi & Atrium Mulierum:* alio in loco dicit, τὸ חיל fuiſſe כותל גבוה יותר מן הסורג, *Murum altiorem vallo vocato* סורג *Soreg.* *Aruch in* חל. *Idem in* סורג. Ex quibus verbis videtur duo hæc exiſtimaſſe: primò, τὸ חל non ambiviſſe omnia Atria, ſed tantùm Atrium Mulierum: ſecundò, τὸ חל non fuiſſe ſpatium ſoli, ſed murum. Verùm hæc duo dubia in ſequentibus inter progrediendum diſcutiemus.

Et primò quidem ad demonſtrandum τὸ חל fuiſſe ſpatium ſoli, non verò murum, non modò habemus teſtimonium *Thalmudis* & variorum aliorum Judæorum, qui ejus dimenſionem ajunt fuiſſe decem cubitorum ad latitudinem quod ſpectat; ſed iidem ſæpè meminerunt populi in illud venientis, in eo ſtantis ac ſedentis, cujus rei exemplum ipſe ſuppeditat *R. Nathan*, ubi loquitur de magna Schola Theologica ſeu מדרש ἐν τῷ חל. *Ibid. Juchaſ. fol. 21.* *R. Abraham Zaccuth* loquitur de *R. Johanan Ben Zaccai*, qui ibi habebat *Synhedrium.* *Rambam* etiam fusè refert quomodo ii qui ferebant agnos ſuos Paſchales in Atrium, cùm erant expediti, ſtarent ἐν τῷ חיל *Chel.* *Peſach. Per. 2.* Similia multa alia exempla addi poſſent, quibus ſatis evidenter quodnam rei genus eſſet iſtud *Chel*, nempè non murus, ſed ſpatium ſoli apparet. Imò hoc etiam ſignificat *R. Nathan*, cùm dicit, *Erat murus altior quàm murus* סורג: nam vox חיל latiori ſenſu ſumpta pro aliis locis præter hunc Templi, & conjuncta cum voce חומה, definitur à Judæis שורא ובר שורא, *Murus & filius muri*, ſeu interior & exterior murus, hoc eſt, *inferior murus ante alium altiorem*, ut exponit *R. Solomo*, non conjunctus ei, ſed interjecto aliquo ſpatio: atque hoc vult Auctor noſter, licèt tam paucis verbis mentem ſuam exprimat. *R. Solom. in Lam. 2: 8.*

Murus qui includebat τὸ חיל vocatur סורג in *Thalmudica* & *Rabbinica* lingua; quam vocem *Nathan* ſimpliciter vertit *murum:* ſed quidam alii exponunt *parietem affabrè cancellatum & ligno conſtantem.* *R. Semajah in Midd.* Sed *Joſephus* ulteriùs procedit, licèt ab utraque interpretatione non ſit prorsùs alienus: dicit enim fuiſſe lapideum murum, ſed affabrè ornatum. Expendamus breviter quid de hoc loco dicat: Διὰ τούτου προϊόντων ἐπὶ τὸ δεύτερον ἱερὸν δρύφακτος περιβέβλητο λίθινος τριπηχυς μὲν ὕψος πάνυ δὲ χαριέντως διειργασμένος. Ἐν αὐτῷ δὲ εἱστήκεσαν ἐξ ἴσου διαστήματος στῆλαι τὸν τῆς ἁγνείας προσημαίνουσαι νόμον· αἱ μὲν Ἑλληνικοῖς, αἱ δὲ Ῥωμαϊκοῖς γράμμασι, μὴ δεῖν ἀλλόφυλον ἐντὸς τοῦ ἁγίου παριέναι· τὸ γὰρ δεύτερον ἱερὸν ἅγιον ἐκαλεῖτο· καὶ τεσσαρεσκαίδεκα μὲν βαθμοῖς ἦν ἀναβατὸν ἀπὸ τοῦ πρώτου. *Joſeph. de Bell. lib. 5. cap. 14.* *Advenientibus per hunc* (Montem Domûs) *in Templum ſecundum, erat lapideus murus circumambiens, tres cubitos altus, atque affabrè elaboratus. In eo erant in æquali diſtantia poſitæ Columnæ, quæ legem puritatis declarabant; aliæ quidem Græcis, aliæ verò Romanis literis, Allophylum non oportere Sanctum Locum ingredi: ſecundum enim Templum Sanctum vocabatur; & ad hoc quidem aſcendebant per* 14. *gradus ex primo.* Et paulò pòſt: Μετὰ δὲ τοὺς δεκατέσσαρας βαθμοὺς τὸ μέχρι τοῦ τείχους διάστημα πηχῶν ἦν δέκα πᾶν ἰσόπεδον. *Et poſt quatuordecim gradus, uſque ad murum* (Atrii) *erat diſtantia decem cubitorum, & totum*

ſolum

Digitized by Google

ſolum æquale erat. Ex qua relatione poſſumus hæc digna notatu obſervare.

I. Extimum omnium ſpatium, quod erat intra magnum ambientem murum, (quod Judæi diſtinctionis cauſâ vocabant *Montem Domûs*) vulgò etiam vocabatur *primum Templum.* Hoc ipſo ſenſu Euangelium ſæpè de eo loquitur, utens voce *Templum*, cùm ſignificatur tantùm extimum hoc ſpatium, ut *Joann.* 2: 14. *Jeſus* invenit in *Templo* vendentes, &c. *Joann.* 8: 2, 20. *Matth.* 21: 14, 15.

II. Intra τὸ חיל exteri intrare non poterant, ſed ſoli Judæi, ideòque erant Columnæ, in quibus Græcis & Latinis literis hoc ſcriptum erat. Ajunt Judæi τὸ חיל *ſanctius fuiſſe Monte Domûs, quia peregrino nulli, aut per mortuum polluto, eò venire licebat.* Hinc, quamvis nihil aliud eſſet, colligere poſſemus τὸ חיל ambiviſſe circuitu ſuo non modò Atrium Mulierum, ſed omnia etiam Atria: nam ſi ſolum circa hoc Atrium per decem cubitos porrectum, ita ſanctum fuiſſet, ut peregrino in id venire non licuiſſet, certè oporteret nos exiſtimare ſolum circa ſuperius Atrium æquè ſanctum, & æquè inacceſſum peregrinis. Ideòque cùm *R. Nathan* in loco anteà citato dicit, τὸ חיל circumiviſſe Atrium Mulierum, alterum non excludit; ſed ita loquitur περὶ τοῦ *Chel*, quale apparebat venientibus per Portam Orientalem.

Thalmud in *Kelim*, Per. 1.

III. Primos gradus fuiſſe πρὸς τὸ חיל *Chel*, cum ab Orientali Porta eò uſque omnia fuiſſent explanata, & gradus quidem πρὸς τὸ חיל *Chel* erant 14. ſeu ſeptem cubiti, vel, ut veriùs ſupputant *Thalmudici*, 12. gradus, vel 6. cubiti; (nam unuſquiſque gradus erat ſemicubiti) & cùm τὸ חיל decem cubitos latum eſſet, id ſpatium uſque ad Atrium Mulierum explanatum erat.

Midd. Per. 2.

Murus qui ambibat τὸ חיל *Chel* non æquabat altitudinem aliorum murorum qui erant circa Templum, ſed erat tantùm trium cubitorum, quaſi repagulum quoddam ante altiorem Atrii murum. Erat affabrè elaboratus, & ita perforatus, ut per ipſum murum non minùs ac ſuprà pateret conſpectus.

Per hunc murum multi erant ingreſſus εἰς τὸ חיל, nempè ante unamquamque Portam Atriorum, & ad utrumque latus Introitûs erant ſupra memoratæ Columnæ cum inſcriptionibus, quibus monebantur peregrini ne in ſanctum ſolum ingrederentur.

Cæterùm tempore Regum *Syro-Græcorum*, cùm Judæi & *Hieroſolyma* eorum imperio ſubjacerent, יג" פרוצות היו בו שפרצום מלכי יון, hic murus qui erat repagulum adverſus peregrinos ne ulteriùs procederent, à Regibus illis in tredecim locis dirutus fuerat, irruptione in ſanctum ſolum impiè factâ: חזרו וגדרום ונזרו כנגדן יג" השתחויות, ſed eas Judæi obſepſerant ſive reſtaurarant, atque decreverant iis reſpondentes tredecim adorationes, ſeu preces fundendas adverſus Ethnica regna à quovis accedente ad unumquemque locum ex iis quæ anteà diruta fuerant.

Id. ibid.

CAPUT XVIII.

Atrium Mulierum.

ATria Templi, quæ jam perluſtraturi ſumus, propriè duo erant, *Atrium Iſraëlis*, & *Atrium Mulierum.* Nam quamvis reverà eſſet diſtinctio inter Atrium *Iſraëlis*, & Atrium Sacerdotum, ita ut iis quibus in unum ingredi licebat, continuò in alterum ire non liceret; attamen unum erat intra alterum, & ſeparatio inter utrumque adeò exigua erat, cùm prætereà uno ambirentur termino, ut propriè loquendo non tam eſſent duo diverſa Atria, quàm duo loca *Iſraëlitarum* & Sacerdotum in eodem Atrio ſtantium. Sed Atrium *Iſraëlis* & Atrium Mulierum tam manifeſtò diſtincta erant, ut unum eſſet ante alterum, & altiſſimo muro dividerentur.

Atrii Mulierum nominatim mentio non fit in Scriptura, ſed ejus meminit ſub duobus vel tribus aliis epithetis ſeu appellationibus. I. Vocatur *Novum Atrium*, 2. *Paral.* 20: 5. ubi dicitur *Jehoſhaphat ſtetiſſe in Congregatione Judæ & Hieroſolymæ in Æde Domini ante Novum Atrium:* nempè ipſe & tota Congregatio ſtabat in Monte Templi versùs Orientem ante *Atrium Mulierum.* *D. Kimchi* in hunc locum, licèt non multa habeat, exiſtimat certè Novo hoc Atrio ſignificari *Atrium Mulierum*, duaſque affert rationes ob quas vocabatur *Novum*: vel quia denuò inſtauratum fuerat, vel quia quædam novæ leges de eo latæ fuerant: ואסרו טבול יום לא יכנס במחנה לויה, *Decreverunt pollutum qui eâ ipſâ die veſtes abluere teneretur, non intraturum in Caſtra Levitarum:* quæ eſt peculiaris prohibitio in *Thalmude* de hoc Mulierum Atrio. Sed potiùs vocabatur *Novum*, quia conſtructum non fuerat à *Solomone* unà cum altero, ſed ſubſequenti tempore additum.

Kimch. in 2 *Paral.* 20.

Kelim, Per. 1. *C. Lemper.* in *Midd.* fol. 62.

Fit quidem certè mentio *interioris Atrii* exſtructi à *Solomone*, 1 *Reg.* 36: 6. quod

videtur

videtur inferre fuiſſe aliquod *exterius*: ſed *interius* dicitur κατ' ἀντίθετον ad totum Montem Templi qui erat extra Atrium *Iſraëlis*, ut benè obſervatum eſt à quibuſdam Hebræorum Doctoribus; atque etiam vocabatur *Magnum Atrium*, contra diſtinctè ad Atrium Sacerdotum, 2 *Paral.* 4: 9. Et cùm dicat tantùm Scriptura *Solomonem* interius Atrium exſtruxiſſe, indè apparet alterum ab eo non fuiſſe exſtructum, atque hoc de quo agimus ejus tempore non exſtitiſſe, ſed additum & conſtructum poſteà fuiſſe vel ab *Aſa*, vel à *Jehoſaphat*, ante id tempus, eamque occaſionem de qua in loco allato *Paralipomenων*. Exindè fuerunt duo *Atria in Domo Domini*, 2 *Reg.* 21: 5.

Midd. Per. 2. & *Kimch.* in loc.

II. Vocatur *exterius Atrium*, *Ezech.* 46: 21. quemadmodum ab omnibus Judæis Scriptoribus verè intelligitur, quod paulò pòſt expendemus. Ratio nominis facilè apparet; nempè quia ſitum erat extra Atrium *Iſraëlis*, & remotiſſimum à Templo.

III. Vocatur etiam *Gazophylacium*, *Joann.* 8: 20. cujus nominis rationem notabimus priuſquàm hujus Atrii delineationem finiamus.

Joſeph. de Bello. lib. 5. cap. 14. & *Antiq.* lib. 15. cap. 14.

Verùm à Judæis Scriptoribus plerùmque vocatur עזרת נשים, *Atrium Mulierum*, quia nempè ulteriùs quàm fuit hoc Atrium mulieribus accedere non licebat. Ταῖς γυναιξὶν ἰδίᾳ πρὸς θρησκείαν χώρου, *Hoc loco mulieribus propriè attributo ad adorationem*: ἐσωτέρω δὲ κἀκείνου γυναιξὶν ἄβατον ἦν τὸ ἱερόν. *Ad interiora verò eo Atrio mulieribus inacceſſum erat Templum.* Tùm duntaxat cùm Mulier adducebat victimam, poterat ingredi Atrium *Iſraëlis*, ut alibi obſervavimus.

Hoc Atrium ſitum erat ad Orientalem terminum Atrii *Iſraëlis*, & ab hoc ſeparabatur alto muro, ita ut qui eò adorationis causâ veniebant, non poſſent quidquam videre Miniſterii Sacri quod in altero Atrio peragebatur, nec multùm etiam audirent, niſi conſcenſis gradibus ad Portam accederent, atque indè introſpicerent. Nam ad medium uſque introitum hujus Portæ, quâ ex exteriori Atrio in interius ingrediebantur, ſolum non erat ſanctius Atrio Mulierum, ſed ultra medium habebatur ſanctius.

Midd. ubi ſuprà.

Atrii hujus ſolum erat ubique planum, & erat quidem perfectum Tetragonum, CXXXV. cubitos longum & latum, ſtratum marmore, ut etiam Atria, *Chel*, & omnia ſpatia quæ intra murum erant quo ſacrum ſolum circumdabatur. Atque habent hanc Traditionem de pavimento Atrii ubi erat Altare, *Quòd totum pavimentum Atrii conſtaret pulchris lapidibus; & ſi quis eorum ſolveretur, licèt non moveretur loco, attamen nefas eſſet ſupra eum ſtare ad fungendum aliquo cultûs officio, donec iterùm adſtrictus fuiſſet.*

Maym. in Beth Habbech. Per. 1.

Ingrediebantur in Atrium Mulierum per tres Portas, quarum una erat ad Orientem, altera ad Septentrionem, tertia ad Meridiem. Erat etiam quarta ad Occidentem, quâ aſcenſus patebat ad Atrium ſuperius, ſeu *Iſraëlis*. Omnes hæ Portæ, ut omnes etiam quibus in ſuperius Atrium ingrediebantur, (de quibus poſteà agemus) erant χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ κεκαλυμμέναι πάντοθεν, ὁμοίως τε παραστάδες καὶ ὑπέρθυρα. *Auro & argento undique obtectæ, ut & limina & poſtes*, unâ exceptâ de qua mox dicemus.

Nunc per Orientalem Portam egredimur ἐκ τοῦ חיל, extra quod erant quinque gradus per quos ad Portam aſcendebatur. Porta ipſa erat magnificentiſſima & pulcherrima, unde vocabatur *Pulchra*, *Actor.* 3: 2. ad quam jacebat Claudus à viris & mulieribus Templum ingredientibus eleemoſynam petens. Ad hanc Portam incipiebat τὸ ἔνδον ἱερόν, *interius Templum*, ut ſæpè vocatur à *Joſepho*, qui diſtinguit ſpatium quod erat incluſum ab extimo muro qui totum ſacrum ſolum circumdabat, & ſpatium illud quod incluſum erat intra murum qui Atria ambibat. Priùs vocabatur *exterius Templum*, poſterius verò *interius*; atque utrique nomen Templi tribuebatur, unde in Scriptura quicunque intra ambitum ſacri ſoli venit, dicitur in Templum venire.

Cùm autem hæc Porta eſſet frontiſpicium & introitus interioris Templi, vel ejus ſpatii in quo præcipua ſanctitas & magnificentia Templi erat, conſtructa erat & ornata convenienter ſplendori & magnificentiæ tanti ædificii. Atque hinc factum ut *pulchra* vocaretur, & quidem meritò, præſertim ſi conferatur cum Porta *Shushan*, ſeu extima Orientali Porta quâ ingreſſus erat in Montem Domûs: hæc enim humilior erat, & minùs ornata, propter rationem à nobis allatam cùm de ea ageremus.

Hæc Porta à *Joſepho* vocatur *Corinthia Porta*, quia erat ex ære *Corinthio*, cùm reliquæ Portæ eſſent deauratæ. Atque hìc eſt aliqua diſcrepantia inter ipſum & Thalmudicos Scriptores; hi enim unanimi conſenſu affirmant Portam Æneam fuiſſe *Nicanoris* Portam, (quam modò luſtrabimus) quæ erat Porta quâ ex Atrio Mulierum in Atrium *Iſraëlis* ingrediebantur: & *Joſephus* æquè confidenter affirmat, eam fuiſſe quâ ἀπὸ τοῦ *Chel* ingrediebantur in Atrium Mulierum.

Joſeph. ubi ſuprà.

 lierum.

lierum. Hæc ejus verba ſunt: Μία δ' ἡ ἔξωθεν τοῦ νεὼ Κορινθίου χαλκοῦ, *Erat Porta extra Templum ex ære Corinthio, quæ pulchritudine aureas & argenteas ſuperabat.* Hanc autem eandem fuiſſe cum ea de qua agimus, apparet ex hiſce ejus verbis quæ paulò pòſt ſequuntur: *Porta ſupra Corinthiam Portam quæ Orientem versùs aperiebatur, è regione valvarum Templi*, &c.

Non multùm ad rem facit definire quænam harum Orientalium Portarum eſſet ænea; quærendum tantùm eſt, quænam vocaretur *Porta Nicanoris*, quia ex ejus cognitione varia pendent: oſtendemus autem in ſequenti Capite, eam fuiſſe Portam quâ ex Atrio Mulierum ingrediebantur in Atrium *Iſraëlis*. Verùm ſi inter diſſentientes arbiter ſedeam, dicam eorum hoc in negotio diſſenſum nullum re ipſâ eſſe, licèt primâ fronte videatur. *Joſephus* Portam quâ egrediebantur in Atrium Mulierum *Æneam Portam* vocat, quia tota erat ænea, & poſtes ac limina obtecta erant ære, quod plus quàm aurum fulgebat: ſed *Thalmudiſtæ* dicunt valvas tantùm *Portæ Nicanoris* fuiſſe ex ære, totam verò Portæ frontiſpicium auro ſplenduiſſe; adeòque hæc Porta non fuit ex ære, ſed tantùm valvæ; ſed altera propriè vocabatur *Ænea Porta*.

Cùm *Petrus* & *Joannes* ſanaſſent Claudum ad hanc Portam jacentem, Scriptura dicit *eum cum iis ingreſſum eſſe Templum*, hoc eſt, in Atrium Mulierum, quod ordinarius erat locus adorationis iis qui non afferebant ſacrificium; ideoque retrogreſſus eſt cum iis per hanc Januam in *Solomonis* Porticum ſeu Orientale Periſtylium Montis Domûs, atque ibi prædicarunt Euangelium, & quinque hominum millia converterunt. Jam per hanc Portam ingrediamur in Atrium, atque ipſum luſtremus.

Midd. ubi ſuprà. ארבע לשכות היו בארבע מקצעותיה של מט' אמה ולא היו מקורות, *In quatuor angulis Atrii Mulierum erant quatuor Conclavia quadraginta cubitorum, nec erant deſuper laqueata; atque ita in poſterum erunt*, ajunt *Thalmudici* ex *Ezechiel.* 46: 21, 22. Unumquodque autem quatuor horum Conclavium erat quadraginta cubitos longum ab Oriente in Occidentem, triginta verò latum à Septentrione in Auſtrum: ſic enim optimè poſſumus interpretari juxta locum citatum in Prophetia *Ezechielis*. Hujus hæc ſunt verba: *Tum eduxit me in Atrium exterius, & circumduxit me per quatuor angulos Atrii, & ecce in unoquoque angulo Atrii erat Atriolum. In quatuor angulis Atrii erant Atriola* קטורות *quadraginta cubitos longa, triginta lata.* Vox קטורות dubiæ eſt ſignificationis, & variè exponitur. Septuaginta Interpretes legerunt קטנות *parva*; vertunt enim αὐλὴ μικρὰ, nec difficile eſt conceptu eos pro ר legiſſe נ errore proclivi. Quidam exponunt ex lingua Chaldæa, in qua ש ſolet mutari in ט, & putant ſignificari קשורות *juncta*; atque ita vertit *Anglica* Tranſlatio, & *R. Nathan* affert aliquot exempla vocis in hac ſignificatione; (*Aruch* in קטר) ſed concludit *vocem* קטורות *nihil aliud ſignificare præter ædificia quæ deſuper non erant laqueata*: אין קטורות אלא שאינן מקורות. (*Midd.* ubi ſuprà.) In eadem ſententia ſunt *Thalmudici*, quibus adſtipulantur *R. Solomon* & *D. Kimchi*, iiſdem utentes verbis. (*R. Solom.* & *Kimch.* in *Ezech.* 46.) Verùm aliqua eſt hac in re difficultas. Si concipiamus ea Conclavia fuiſſe abſque ullo prorsùs laqueari & tecto, opera quæ in iis conſtanter fiebant, & res quæ ibi repoſitæ erant contrarium innuunt. Si verò dicamus illa fuiſſe laqueata, quomodo reſpondebimus conſtanti teſtimonio Hebræorum Doctorum qui aliter ſentiunt? Igitur diſquiremus priùs cui uſui hæc Conclavia conſtanter attribuantur, quo peracto rectiùs de hoc negotio judicium ferre poterimus.

I. In angulo Euro-notum reſpiciente erat Conclave in uſum *Nazaræorum*: דרמית מזרחית היה לשכת ששם הנזרים מבשלין את שלמיהם ומגלחין את שעריהם ומשלחין תחת הדוד, (*Midd.* ubi ſuprà.) *Ibi enim elixabant oblationes ſuas pacificas, tondebant capillos ſuos, eoſque ſub lebetem conjiciebant*, juxta legem *Numer.* 6: 18. Ordinariè vovebatur *Naziræatus* in triginta dies, (*Nazir*, Per. 1.) quamvis aliquando in annos integros & in totum vitæ ſpatium voveretur. Is cujus votum expletum erat, debebat adducere tres victimas, unam in holocauſtum, alteram in oblationem pro peccato, tertiam in pacificum ſacrificium. Si totondiſſet caput extra *Hieroſolymam*, ut *Paulus* fecerat *Cenchreæ*, (Ibid. Per. 6.) tenebatur afferre capillos ſuos, eoſque comburere ſub lebete, in quo elixabatur ejus pacifica oblatio, qui erat hoc in loco de quo agimus. Si verò hîc capillos totondiſſet, res paratior erat.

Judæi in Tractatu ſuprà in margine laudato loquuntur περὶ τοῦ נזיר שמשון, & περὶ τοῦ נזיר עולם, *de Samſone Nazaræo & perpetuo Nazaræo*: non quòd fuerint *Nazaræi* perpetui alio modò ac *Samſon*; ſed utuntur eâ diſtinctione reſpectu voti. Qui aggrediebatur eſſe *Nazaræus* quemadmodum *Samſon*, dicebat: *Ecce volo eſſe Nazaræus tanquam Samſon*, vel *tanquam filius Manoah*, vel *tanquam Vir Dalilæ*, vel *tanquam is qui abſtulit Portas Gazæ*, vel *tanquam is cujus Philiſtæi eruerunt oculos.*

Huic

Huic nunquam licebat deponere capillos; ac talis quidem eſſe voluit *Abſalom:* ſed cogebatur ſemel quotannis tondere capillos propter nimiam gravitatem. Sed qui erat *Nazaræus perpetuus*, hoc eſt, qui *Nazareatui* hâc formulâ ſe obligabat: *Volo eſſe Nazaræus juxta numerum capillorum capitis mei*, vel *pulveris terræ*, vel *arenæ littoris*, hic ſemel intra triginta dies capillos deponere poterat, ſed non comburebantur, quia tempus voti nondum erat exactum. Verùm is cujus expletum erat tempus, ubicunque caput tonderet, tenebatur huc venire, atque hîc elixare pacificam ſuam victimam, ac comburere capillos. Sacerdos verò ſumebat humerum elixatum & placentam, ac libum panis azymi, atque omnia *Nazarei* manibus impoſita commovebat; quo ritu peracto, licebat *Nazaræo* vinum bibere, & mortuo pollui. Sed *R. Solomon* affirmat ſtatim ac guttulâ aliquâ ſanguinis agnorum adſperſus fuerat, voto liberatum fuiſſe. Idem Tractatus loquitur etiam *de fœminis Nazareis*, ut *Regina Helena*, *quæ ſpontaneo voto per ſeptem annos Nazaræa fuit, & veniens in terram Iſraëlis per ſeptem prætereà annos, & per pollutionem per ſeptem alios, nempè uno & viginti annis. Et Maria Tarmudi, ad quam, dum ſanguine adſpergeretur oblationis ſuæ, allatum fuit nuntium filiam in periculo mortis eſſe: quo audito, exiit adſperſione imperfectâ, & invenit filiam mortuam; ac rediit, & adſperſa fuit.* Hujus loci atque inſtituti non eſt inquirere utrùm hæ mulieres tonderent comam tempore voti exacto; ideòque ab ea inveſtigatione ſuperſedebimus. Sed fortaſsè huc faciet hiſtoria *Simeonis Juſti*, qui toto vitæ tèmpore oblationem pro peccato ab uno tantùm *Nazaræo* accipere voluit: cujus rei hanc rationem afferebat, *Quòd crederet pleroſque Nazaræos vota concepiſſe in affectu quopiam immodico, & poſteà pœnitentiâ ductos fuiſſe.*

Ibid. Perek. 3.

Ibid. Perek. 6.

Juchaſin, fol. 15. *Tract.* 1.

II. Euro-aquilonaris anguli Conclave מזרחית צפונית היא היתה לשכת דיר העצים ששם הכהנים בעלי מומין מתלעים את העצים, *erat locus ligni, ubi Sacerdotes qui vitio aliquo laborabant, vermes lignorum quærebant; nam quodcunque lignum vermiculoſum impurum erat ad comburendum ſuper Altari. Magnum Synhedrium ſedebat in ædificio Gazith, & præcipuum opus quo perpetuò occupabatur, erant judicia de Sacerdotio, & examina Sacerdotum circa ipſorum genealogiam,* (utrùm nempè eſſent ex ſobole Sacerdotali necne) *& circa eorum vitia*, (an ſcilicet apti eſſent Miniſterio necne) *Qui deprehendebatur rectâ genealogiâ deficere, induebatur atris veſtibus, & nigro velò obtectus ſeſe ex Atrio proripiebat. Sed quicunque rectus & perfectus deprehendebatur, induebatur candidâ veſte, ingrediebatur, & miniſtrabat cum fratribus Sacerdotibus.* (Confer *Apocal.* 3: 4. & 7: 9.) *Quicunque deprehendebatur eſſe ex vera Sacerdotum proſapia, ſed vitio aliquo laborare, abibat & ſedebat in Conclavi ligni, atque ligna in uſum Altaris à vermiculoſis diſtinguebat; portionem ſuam ex rebus ſacris habebat cum viris Domûs patris ſui, & unà cum illis comedebat. Et cùm Sacerdos deprehendebatur ſine vitio, feſtum agebant & lætabantur, ac Deo propterea ſolenni prece benedicebant.*

Midd. ubi ſuprà.

Maymon. in Biath hammikdaſh, Perek. 6. *Midd. Perek.* 5.

III. Conclave quod erat in angulo Caurum reſpiciente, צפונית מערבית היא היתה לשכת מצרעים, *erat Conclave Leproſorum.* Poſt varios ritus ad mundationem Leproſi in propria ejus æde, ruri, ut mactationem paſſeris, & adſperſionem ſanguinis ejus aquâ mixti in Leproſum, dimiſſionem alterius paſſeris, abraſionem totius cutis Leproſi ope novaculæ, &c. ſeptimâ die ſemet iterùm abradebat, aquâ abluebat, & tùm mundatus poterat *Hieroſolymam* ingredi. Octavâ die adducebat tres agnos, oblationem pro peccato, pro delicto, & in holocauſtum, טבל בלשכת המצרעי בא ועמד בשער, *ſe abluebat in Conclavi Leproſorum, & veniebat & ſtabat ad Portam Nicanoris, atque ibi Sacerdotes eum adſpergebant*, &c. cujus adſperſionis rationem ſupra explicavimus.

Midd. ubi ſuprà.

Maymon. in *Tumeach Tſoreeh*, Perek. 11.

Thalm. in *Negaim*, Perek. 11.

IV. In angulo obverſo Noto-zephyro Conclave erat quod vocabatur לשכת בית שמניח, *Conclave Domûs Olei. Ibi enim repoſita erant vinum & oleum*, quorum tam frequens uſus juxta præſcriptum Legis, in ſiccis & liquidis oblationibus. Vide *Numer.* 15.

Midd. ubi ſuprà. Ibid. & *Maymon. in Beth Habbechir.* Perek. 5.

Jam poſtquàm vidimus uſum horum Conclavium, tempus eſt conſiderandi id cujus anteà meminimus, nempè an iſta quatuor Conclavia in quatuor angulis Atrii Mulierum ſita planè eſſent deſuper operta, vel laqueata, & in qua ſignificatione ſumatur vox קטורות.

Duo hîc nobis occurrunt conſideratu digna. I. Quòd hæc loca in *Ezechiele* vocantur *Atria*. II. Quòd dicit in unoquoque eorum fuiſſe culinas ad elixanda ſacrificia populi, *Ezech.* 46: 21, 22. Attamen *Thalmudici* memoratos uſus peculiares ipſis tribuunt. Quæ omnia, & quod prætereà dicitur, *ea deſuper non fuiſſe laqueata*, non ſunt ἀσύστατα. Nam potuerunt in uno-

unoquoque horum ædificiorum eſſe exſtructa circumquaque Conclavia ſatis ampla, atque in medio remanere ſpatium non exiguum ſub dio. Potuerunt eſſe utrinque in extrema longitudinis parte Conclavia decem cubitos lata, & tamen ſupereſſe inter ea ſpatium viginti cubitorum. Ad latera potuerunt eſſe Conclavia ſeptem vel octo cubitos lata, & remanere in interſtitio ſpatium quatuordecim vel ſexdecim cubitorum. Hoc igitur modo in hiſce locis diſpoſita fuiſſe videntur ædificia, ut in orbem ampla Conclavia laqueata deſuper eſſent conſtructa, in medio verò eſſet Atrium ſub dio, circa quod eſſent culinæ, quarum camini aſcenderent per muros Conclavium versùs Atrium. Ita vox קטורות verti debebit *caminata*, ut verterunt quidam, ſeu ut eſt in margine Bibliorum noſtrorum Anglicorum, *Made with chimneys*, facta cum caminis. Erant ergò hæc loca laqueata, ſed non ut reliqua circa Templum ædificia continuo laqueari: ſupererat enim in medio ſpatium tetragonum ſub dio expoſitum & planum, quod culinis erat refertum, licèt Conclavia circùm poſita aliis eſſent uſibus deſtinata.

Talis erat ἰχνογραφία Atrii Mulierum: perfectum erat Tetragonum; in mediis quatuor muris ambientibus erat Porta; in unoquoque angulo erat unum ex ædificiis ſupra memoratis. Quid porrò erat inter hæc ædificia juxta muri longitudinem ad Portam uſque? Erantne Conclavia ab uno angulo ad alterum porrecta? *Thalmudici* negant: עזרה הנשים לא היתה מקולה, *Atrium Mulierum non erat circumquaque ſeptis refertum*: ſed חלקה מאשנה, *planum initio*, nihil in eo erat præter pavimentum & nudos muros. Sed quædam indè experti incommoda, Porticus in tribus lateribus fecerunt circumquaque, nempè in Orientali, Septentrionali atque Auſtrali. Incommodum hoc fuiſſe dicit *R. Nathan*: היו באין לידי קלות ראש שהיו נכנסין בין הנשים, *Cùm nempè mulieres & viri promiſcuè mixti eſſent, occaſionem id fuiſſe laſciviæ & irreverentiæ. Ideòque fecerunt Porticum* (גזוזטרא in *Nathane* & *Maymonide*, ſed כצוצרה in *Thalmude*) *circa Atrium, quod introrsùm à muro porrigebatur; eratque deſuper laqueatum. Ita mulieres erant in iſtis Porticibus, viri verò infrà in Atrio. Atque eſt Traditio, cùm primùm ſpectarent feſtum effuſionis aquæ, viros fuiſſe intùs, mulieres verò extrà, quod aliquam creavit irreverentiam; eapropter fecerunt tres Porticus in Atrio, ad tria ejus latera, ut poſſent deſuper ſpectare.*

Pirke Thoſapht. ad Midd. Midd. ubi ſuprà.

Aruch in גזוזטרא. *Thalm.* in *Succah*, Perek. 5.

Itaque primùm nec Septa ulla erant, nec Podia in hoc Atrio, donec hoc incommodum ad ea exſtruenda eos adigeret. Poſteà fuerunt Podia columnis ſuſtentata, & aperta, non ſecùs ac in altero Atrio. Verùm in ſplendido *Herodis* ædificio hoc Atrium ornatum erat æquè magnificè ac alterum, ſeu æquè ac Mons Domûs quem jam luſtravimus, niſi quòd cùm in hoc eſſet circumquaque duplex Porticus, & ad Auſtrum etiam triplex, utriuſque Atrii Porticus eſſent tantùm ſimplices. Accipe hac de re *Joſephi* teſtimonium. Αἱ στοαὶ δὲ μεταξὺ τῶν πυλῶν ἀπὸ τοῦ τείχους ἔνδον ἐστραμμέναι πρὸ τῶν γαζοφυλακίων σφόδρα μὲν καλοῖς καὶ μεγάλοις ἀνείχοντο κίοσιν. Ἦσαν δὲ ἁπλαῖ, καὶ πλὴν τοῦ μεγέθους τῶν κάτω οὐδὲν ἀπελείποντο. Statim anteà loquutus fuerat de Portis, ſeu introitibus in duo Atria; & ut meliùs allatum locum intelligamus, ejus verba paulò hîc prolixiùs exſcribenda nobis ſunt. Ἔνθεν ἄλλοι πάλιν πεντέβαθμοι κλίμακες ἀνῆγον ἐπὶ τὰς πύλας, &c. *Hinc* (hoc eſt, ἀπὸ τοῦ חיל) *quinque gradus aſcendentem ad Portas deducebant, quæ ad Septentrionem & Auſtrum octo erant numero, nempè in unoquoque latere quatuor, & duæ neceſſariò ad Orientem: nam cùm Atrium attributum mulieribus ad colendum Deum, eſſet ex eo latere muro cinctum, neceſſe erat eſſe ſecundam Jannam, quæ è regione prioris aperta eſſet. Ad alia latera quod attinet*, (Atrii nempè Mulierum) *erat Porta ad Auſtrum, alia verò ad Septentrionem, per quas intrabant in Atrium Mulierum: nam per alias Portas* (Atrii *Iſraëlis*) *mulieres non poterant intrare, nec Septum proprii ſui Atrii tranſilire. Atque in hoc loco licebat Judæis in regione degentibus, & exteras regiones colentibus, adorare. Occidentale autem latus nullam prorsùs habebat Portam, ſed continuo occluſum erat muro*; abſque ulla ſcilicet Porta. Poſteà addit *Joſephus*: Αἱ στοαὶ δὲ μεταξὺ, &c. *Porticus quæ erant inter Portas juxta longitudinem muri, introrsùm converſæ ad Gazophylacia, ſuſtinebantur pulcherrimis & maximis columnis. Verùm erant ſimplices, & inferiores magnitudine æquabant.*

Joſeph. de Bello, lib. 5. cap. 14.

Cùm dicit haſce Porticus fuiſſe ἀπὸ τοῦ τείχους ἔνδον ἐστραμμένας, *juxta longitudinem muri introrsùm converſas*, vult eas fuiſſe juxta murum, & quidem intra Atria, atque ab una Porta ad alteram fuiſſe porrectas; nec minores fuiſſe Columnas & Porticus iis quæ erant juxta murum Montis Domûs, niſi quòd hæ duplices eſſent,

illæ

Digitized by Google

illæ ſimplices. Atque Porticus quidem quæ erat in Atrio Mulierus differebat tum à Porticibus Montis Domûs, tum ab iis quæ erant in Atrio *Iſraëlis*, quòd haberet Podium in uſum mulierum, in quo ſtarent & deorsùm aſpicerent in Atrium, cùm in aliis nihil inter laquear & ſolum interpoſitum eſſet, ſed ad laquear uſque paterent.

Hoc Atrium Mulierum ordinarius erat locus adorationis tum virorum, tum mulierum, ſeu venirent ad orandum aliis horis ab iis quibus publicæ fiebant preces, ſeu venirent horis publicarum precum, nec ſecum victimam adducerent. In hoc loco *Paulus* violaſſe ſanctitatem Templi exiſtimatus eſt, quaſi huc adduxiſſet Gentiles, *Actor.* 21: 26, 27. quibus nequidem licebat *εἰς τὸ Chel* ingredi. In hoc Atrio Pontifex Maximus ſemel in anno, nempè *feſto Expiationis*, legebat Sectionem aliquam Legis; Rex verò ſemel intra ſeptennium, *feſto Tabernaculorum* anni Sabbatici. Hìc quotannis *feſto Tabernaculorum* erat magna feſtivitas, ſaltatio ac cantus, propter hauſtionem & effuſionem aquæ: qua de re aliiſque circumſtantiis memoratis fusè egimus in Tractatu *de Miniſterio Templi*.

Cap. 16. Sect. 4.

CAPUT XIX.

De Gazophylaciis vel Theſauris.

ANtequàm ex hoc Mulierum Atrio exeamus, verba *Joſephi* modò laudata, *Porticus Atrii erant* ἔνδον ἐστραμμέναι πρὸ γαζοφυλακίων, *introrsùm converſæ ante Theſauros*, meritò nos hìc poſſunt morari, ut circumſpiciamus num ullum hìc poſſimus deprehendere Gazophylacium, vel quid diceretur *Gazophylacium* Templi; cujus nomen quidem & mentio ſæpè occurrunt in Scriptura & apud alios Auctores, ſed ſitus in Templo inventu difficilior eſt. Jam in verbis hiſce *Joſephi*, πρὸ γαζοφυλακίων, duo ſunt obſervatu digna, & quæ in præſenti noſtro negotio inquirenda veniunt: unum eſt numerus pluralis quo *Joſephus* oſtendit plus quàm unicum fuiſſe Gazophylacium: alterum eſt Gazophylaciorum iſtorum ſitus reſpectu memoratarum Porticuum, *quæ ante eos erant*.

Gazophylacia Templi duplicis erant naturæ & capacitatis: erant nempè *Ciſtulæ* quæ γαζοφυλάκια dicebantur præter *Conclavia*, quibus id nominis tribuebatur. Priora vocabantur Hebraicè *Shopheroth*, poſteriora *Leſachoth*, & utraque ſimul deſignabantur communi nomine *Corban*.

Erant tredecim Ciſtulæ in Templo, quæ à Judæis vocantur שופרות, quod propriè ſignificat *Tubas*, *quia inſtar tubarum lata erant in fundo, in ſumma verò parte arctiores, ita ut pecunia facilè in eas immitti poſſet, difficiliùs verò educi.* Thalm. in Shekalim, Perek. 6. Maym. in Shekal. Perek. 2.

Duæ ex hujuſcemodi Ciſtulis deſtinatæ erant *Semi-ſiclo*, quem unuſquiſque *Iſraëlita* tenebatur ſolvere in redemptionem capitis ſui vel vitæ: (quam in rem lex extat *Exod.* 30: 13.) una ex duabus erat excipiendo Semi-ſiclo anni prioris, ſi fortè debito tempore ſolutus non fuiſſet, altera verò Semi-ſiclo anni decurrentis. Id. ibid. Primâ die menſis *Adar*, qui ex parte *Februario* noſtro reſpondet, per totam regionem promulgabatur tempus eſſe parandi Semi-ſicli; quindecimâ verò die Collectores ad eum colligendum unamquamque Civitatem circumibant, & præferebant duas Ciſtulas iis ſimiles quæ in Templo erant, ac petebant leniter id tributum, nec ullum aſperiùs alloquebantur, aut cogebant. Thalm. ubi ſupr. Perek. 1. Vigeſimâ verò quintâ die menſis Collectores ſedebant in Templo, ac cogebant homines ſolvere; ac ſi cui deeſſet pecunia ad ſolvendum, pignus ab eo accipiebant, & aliquando etiam vi veſtem ejus auferebant. Ante ſe habebant Menſam ad numerandas ac permutandas pecunias, unde vocabantur שולחניים, *Trapezitæ* vel *Menſarii*, & duas Ciſtulas in quas eas immittebant.

Si quis afferret Siclum ad permutandum, eique Semi-ſiclum reddi oporteret, *Menſario* vel Collectori erat ex ea permutatione aliquod lucrum: ואותה התוספה נקראת קולבון. *Atque hæc additio vocatur Kolban*, (κόλλυβος) *& quantum lucri pro ea permutatione requirebat? Duodecimam partem Denarii, nec unquam minùs.* Maymon. ubi ſupr. Perek. 3. & Aruch in קולבון. Imò ſi duo ſimul venirent, & ſolverent pro utroque Siclum, adeò ut permutatione non opus eſſet, attamen oportebat indè aliquod lucrum ad Collectorem redire. *Thalmudici* & Scriptores in margine laudati fusè admodùm agunt de iſto קלבון *Kolbon*, ac diſquirunt quis ſolvere teneretur, quis verò immunis eſſet, & quantùm ſolvi deberet, ac ſimilia. Sed omnes concludunt lucrum aliquod indè ad Collectores redire debuiſſe: quæ exactio effecit ut Dominus everteret τραπέζας κολλυβιστῶν, *Menſas Collybiſtarum*, Joann. 2: 15. primo Paſchate quo poſt Baptiſmum ſuum *Hieroſolymam* venit, & *Matth.* 21: 12. ultimo. Hi enim Collectores hanc in rem incipiebant ſedere in Templo octodecim vel viginti

ginti diebus ante Paſcha, & pergebant ibi ſedere dum maximus erat populi concurſus, poſteà diſcedebant.

Itaque ovium & boum mercatus qui erat in Templo, non videtur perpetuò ibi fuiſſe, ſed tantùm eo tempore concursûs populi quo longè plurima erant ſacrificia, quamvis certè alias merces venderent per totum annum in iis *Tabernis* de quibus anteà diximus. Mercatus autem ovium & boum erat in magno illo ſpatio Montis Domûs, quod ad Meridionale latus Atrii erat; nam ad Occidentem & Septentrionem ſpatium nimis arctum erat eam in rem, atque ad Orientem frequentiſſimus erat populi ingreſſus, qui animalibus iſtis præcluſus fuiſſet. Verùm ad Auſtrum locus erat ampliſſimus, quo iis temporibus tanquam mercatu utebantur; quâ ratione Domum Dei in Domum mercatoriam commutabant.

Inter eos Auctores qui loquuntur de duabus hiſce Ciſtulis, nullum invenio qui nos doceat ubi eſſent, vel ubi Collectores pecuniæ iſtius quæ per capita ſolvebatur in Templo, ſederent ad eam excipiendam; nec certè magni momenti eſt hoc diſquirere, cùm ibi non diu ſederent, ſed tantùm per menſem, aut circiter; quo elapſo ſpatio diſcedebant. Admodùm probabile eſt eos ſediſſe circa Portam Orientalem *Shushan*, quâ erat præcipuus & celeberrimus ingreſſus.

Præter haſce duas Ciſtulas quibus certo tantùm anni tempore utebantur, erant undecim conſtantis ac perpetui uſûs quæ per totum annum ſuis in locis remanebant, atque unicuique inſcriptus erat uſus cui inſerviebat.

Maymon. ibid. I. Prima erat in uſum eorum qui offerre debebant duos turtures vel duos columbos, unum in holocautoma, alterum in oblationem pro peccato. Eorum pretium illuc conjiciebant.

II. Secunda erat in uſum eorum qui tantùm holocautoma avium erant oblaturi.

III. Tertia in uſum eorum qui pecuniam offerebant ad emendum Altari lignum. Suam pecuniam in hanc Ciſtulam conjiciebant.

IV. Quarta in uſum eorum qui volebant offerre pecuniam ad emendum thus.

V. Quinta in uſum eorum qui aurum offerebant ad Propitiatorium.

VI. Sexta ad excipiendam ex oblationibus pro peccato reliquam pecuniam. Nempè ſi quis ſepoſuiſſet ſummam pecuniæ in oblationem pro peccato, & emptâ victimâ aliquid ex ea ſupereſſet, quod ſupererat in hanc Ciſtulam conjiciebat.

VII. Septima ad excipiendam pecuniam reliquam ex oblationibus pro delicto.

VIII. Octava ad excipiendam reliquam pecuniam ex oblationibus volucrum, virorum aut mulierum profluvio laborantium, & mulierum quæ pepererant.

IX. Nona ad excipiendam pecuniam reliquam ex *Nazaræorum* oblationibus.

X. Decima ad excipiendam pecuniam reliquam ex Leproſorum oblationibus pro delicto.

XI. Undecima ad excipiendam eorum pecuniam qui ſponte ſacrificium aliquod ex armento offerri volebant.

Hæ variæ Ciſtulæ perpetuò erant in Templo, inſcriptæ titulis ſuis, quibus earum uſus denotabatur, ut quicunque talia offerre vellet, ſciret illis indiciis quò deferendum eſſet oblationis pretium. Atque hæc erant *Gazophylacia* vel *Theſauri*, ante quos *Joſephus* ait *fuiſſe Porticus*: hoc eſt, cùm Porticus undique ſeptæ eſſent, & eâ quidem parte quâ Atrio viciniores erant columnis fulcirentur, has Ciſtulas fuiſſe in Atrio ante columnas iſtas poſitas; non ſecùs ac ſi *Londini* in *Regio Excambio* in medio quadrangulari ſpatio ponerentur Ciſtulæ ante columnas quæ fulciunt Porticus.

Verùm quo in Atrio erant hæ Ciſtulæ, in Atrio *Iſraëlis*, vel in Atrio Mulierum, vel in utroque, adeò ut pars in uno, pars in altero eſſet?

Reſp. Hæ rationes oſtendunt eas fuiſſe in Atrio Mulierum collocatas. I. Quia huc liberior aditus erat quàm in Atrium *Iſraëlis*; nec dubium eſt quin hæ Ciſtulæ poſitæ eſſent in locis ad quæ unuſquiſque commodè accedere poſſet. Mulieribus prorsùs interdictum erat ingredi alterum Atrium, nec viri etiam æquè frequenter intrabant: conſentaneum autem rationi erat, ut hæc Gazophylacia in eo loco poſita eſſent ad quem viri & mulieres ex æquo accedere poſſent. II. In ſuperiore Atrio ſi hæ Ciſtulæ poſitæ fuiſſent ante Porticum, ſeu exteriores ejus columnas, fuiſſent in Atrio Sacerdotum; eò autem *Iſraëlitæ* ſuperius Atrium ingreſſo venire non licebat, niſi ex tribus occaſionibus peculiaribus, cùm ſacrificium oblaturus erat, ut alibi oſtendimus, inter quas non numeratur conjectio pecuniæ in Gazophylacium. III. Dicitur *Marc.* 12: 41. *Jeſus ſediſſe è regione Gazophylacii*

zophylacii, *& ſpectaſſe populum injicientem pecuniam*, *& vidiſſe Viduam quæ in illud duo Minuta conjecit.* Jam autem huic Viduæ non licebat ingredi Atrium *Iſraëlis*, nec in eo Atrio *Chriſtus* ſedere poterat: habebant enim Traditionem, *quâ nemini licebat ſedere in eo Atrio*, *exceptis ſolis Regibus ex familia Davidis.* Verùm vult Euangeliſta *Jeſum* ſediſſe in Porticu Atrii Mulierum; vidiſſe populum variis ex occaſionibus, juxta ea quæ offerre volebant, pecuniam in iſtas conjicientem Ciſtulas; atque inter alios *Viduam quandam pauperem miſiſſe duo Minuta*, *quod eſt Quadrans.* Hæc eſt ordinaria phraſis quâ utuntur Scriptores Hebræi ad ſignificandam populi in Theſaurum largitionem, משליכין לתוכה, *Immittebant in medium ejus pecuniam*; quâ etiam utuntur in hac hiſtoria Euangeliſtæ.

Et quandoquidem agimus de oblatione pauperis hujus Viduæ, liceat nobis afferre huc Judæorum æſtimationem, ut intelligatur cujus pretii eſſent duo Minuta; quod etiam aliis in locis utile eſſe po-
Id. ibid. terit. *Shekel, vel nummi argentei, cujus Lex*
Perek. 1. *meminit*, *pondus erat* 320. *granorum tritici*: *ſed Sapientes addiderunt ejus ponderi*, *& ejuſdem ponderis eum fecerunt ac eſt nummus qui vocatur* סלע *Selaa. Quidnam eſt autem pondus τȣ̃* סלע *Selaa? Trecentorum octoginta quatuor granorum prægrandium tritici.* Τὸ *Selaa eſt quatuor Denariorum. Denarius eſt ſex* מיעה *Meah. Meah autem id eſt quod Moſis tempore vocabatur Gerah. Meah erat duorum Pondion. Pondion erat duorum* אסרין *Iſſarin*, *'Ασσαρίων. Et* פרוטה *Minutum erat octava Iſſarii* (duo Minuta proinde faciunt quartam partem) *Et pondus τȣ̃ Meah*, *quod idem eſt ac τὸ Gerah*, *erat tantùm ſexaginta granorum. Et pondus unius* איסר *Iſſar* (Aſſarii) *erat quatuor granorum. Pondus τȣ̃* פרוטה *Minuti erat dimidia pars grani*, &c.

Locus ergò harum Ciſtularum erat in Atrio Mulierum ante Porticum, erantque hinc indè ad varia Atrii latera diſpoſitæ; ideòque hic locus vocatur *Theſaurus*, *Joann.* 8: 20. ubi dicitur *iſta dixiſſe Jeſus in Gazaphylacio cùm in Templo doceret.* Itaque populus, mulieres æquè ac viri eò accedere liberè poterant; & offerentibus, prout animus ferebat, ſeu res ipſorum requirebant, indicabant inſcriptiones harum Ciſtularum quò pecunia eſſet deferenda.

Præter haſce Ciſtulas erant etiam Conclavia in quæ pecunia recondebatur diſtincta ab iis quæ ſuprà memoravimus, ad Portas Montis Domûs adjacentia, præter ea quæ ſtructuræ Templi conjuncta erant. Præter etiam Conclavia in quæ Primitiæ, Vaſa & Veſtimenta recondita erant, erant tria Gazophylacia notatu digna; ſed locus in quo ſita erant inventu difficilior eſt.

I. Primò, erat Ærarium Semi-ſicli qui capitatim ſolvebatur, in quod duæ Ciſtulæ, de quibus egimus, cùm plenæ erant, effundi ſolebant. Hoc clauſum erat, & ſera ſigillo munita. Tribus autem ſtatutis anni temporibus iterùm ex eo Conclavi pecuniam auferebant. *Thalmudici* & *Maymonides* in Tractatu *Shekalim* hiſtoriam & rationem hujus
rei ſic tradunt: *Tribus anni temporibus eva-* Shekal.
cuabant hoc Conclave, ſcilicet quindecim die- Perek. 3.
bus ante Paſcha, *quindecim diebus ante Pentecoſten*, *& quindecim diebus ante feſtum Tabernaculorum*: *vel ut Rabba Akiba filius Azai dicit*, *vigeſimâ nonâ menſis Adar*, *primâ Sivan*, *& vigeſimâ nonâ Ab. Qui ingrediebatur id Conclave ad educendam pecuniam*, *eum oportebat nullâ veſte indutum eſſe*, *in qua poſſet occultari pecunia*, *nec calceatum*, *nec Phylacteriis ornatum*, *quia ſub hiſce & calceis poterat abſcondi pecunia. Cùm ingreſſus erat*, *Cuſtos ſtabat ad januam extrinſecùs*, *& dum intùs erat perpetuò cum eo colloquebatur*, *eique reſpondendum erat*, *ut ne poſſet pecuniam aliquam in ore occultare. Non incipiebat exhaurire*, *quin hoc iis qui extrà erant ſignificaret*, *dicendo*, *Exhaurio: illi verò ter reponebant*, *Exhauri*, *Exhauri*, *Exhauri. Pecunia quæ erat in eo Conclavi*, *cùm primùm in id inferretur*, *erat in tribus magnis Ciſtis*, *quarum unaquæque continebat novem Seah*, ſeu tres Anglicanos modios. *Si verò major copia pecuniæ illata fuiſſet*, *quàm ut poſſet tribus iſtis Ciſtis contineri*, *alicubi deponebatur in Conclavi. Qui ingrediebatur capiebat tres Ciſtulas capaces trium Seah*, ſeu unius Anglicani modii, *& eas ex majoribus Ciſtis implebat. Tres Ciſtulæ quas inferebat*, *inſcriptæ erant diſtinctionis causâ tribus hiſce literis* א. ב. ג. *una enim implebatur nomine Judæorum terræ Iſraëlis*, *altera nomine eorum qui erant in urbibus & regionibus vicinis*, *tertia denique nomine eorum qui Babyloniam, Mediam, & remotiores regiones incolebant.* Impletæ ſimul hæ tres Ciſtulæ auferebantur, & pecunia ſuppeditabatur ad emenda quotidiana ſacrificia, alia addititia, Panem Propoſitionis, ſalem in ſacrificia, lignum Altari, & alia divino cultui neceſſaria. Utebantur pecuniâ illâ quamdiu tres iſti

modii

modii ſufficiebant, ac proximo tempore ſtatuto Conclave iterùm ingreſſi indè pecuniam auferebant, ut anteà.

II. Erant duo alia Conclavia ad pecuniam recondendam, in quorum altero reponebatur quod conſecratum erat ad inſtaurationem atque ſumptus Templi, in altero verò quæ erant in eleemoſynas erogandas. Ita de iis loquuntur *Thalmudici*: שתי לשכות היו במקדש אחת לשכת חשאים ואחת לשכת הכלים, *Erant duo Conclavia in Templo, unum Conclave Silentum, alterum Conclave Vaſorum. Conclave Silentum erat in quo Religioſi viri clam & ſilenter ponebant oblationes ſuas, & honeſtorum parentum pauperes liberi clam ab iis educabantur. Conclave Vaſorum id erat in quo quicunque ſponte vas aliquod conſecrabant, id conjiciebant. Ac ſemel intra triginta dies Præfecti Ærario Conclave aperiebant, & indè deſumebant quod Templi Miniſterio neceſſarium erat & idoneum: at ſi quid idoneum non eſſet, id vendebant, & permutabant re quapiam idoneâ*, &c.

Ibid. *Perek*. 5. & *Aruch* in חשאי.

Porrò quonam in loco ſita fuerint hæc Conclavia, ſubdifficile eſt inventu. Conjecturam noſtram hac de re proponemus, cùm veniemus ad luſtrationem ſuperioris Atrii. Mentio *Gazophylaciorum* quæ nobis occurrerunt in hoc Atrio Mulierum nos deduxit in hanc digreſſionem de Conclavibus hiſce, licèt non eſſent in hoc Atrio, ſed in ſuperiore. Verùm cùm ad eorum locum devenerimus, eò pauciora de iis dicenda habebimus, quò plura hîc diximus.

Jam hoc Atrium, quod tamdiu perambulavimus, uno luſtremus aſpectu. Ingreſſo in eum per Orientalem Portam, in unoquoque angulo apparebat ædificium, tetragonum ſpatium in medio habens: ad Septentrionale & Auſtrale latus Porta erat in medio ſpatio quod inter ædificia illa interjectum erat: ab ædificiis illis utrinque ad Portas uſque porrigebatur *Porticus* marmoreis columnis ſuſtentata, cui ſimilis erat in Orientali latere quæ primò intrabatur. Hæ *Porticus* habebant ſcamna in quibus quando vellet ſederet populus, qualia etiam erant in Porticibus quæ erant juxta longitudinem extimi muri qui Montem Templi circumdabat: ante haſce *Porticus* ad Orientem, Septentrionem & Auſtrum, erant Ciſtulæ ad excipiendam pecuniam, deinde Atrii pars quæ ſub dio erat. Venienti ad Atrium *Iſraëlis*, objecti erant pulcherrimi gradus quibus ad Portam aſcendebatur, quæ vocabatur *Porta Nicanoris*, quam jam juxta inſtituti noſtri ordinem luſtrandam habemus. Atque in hoc latere nulla erat Porticus.

CAPUT XX.

De Porta Nicanoris, vel de Orientali Porta Atrii.

ATrium Mulierum, cujus deſcripta eſt ἰχνογραφία, ſeparatum erat ab Atrio *Iſraëlis* altiſſimo muro, alto nempè triginta duos cubitos & dimidium à ſolo Atrii Mulierum, ſed tantùm viginti cubitos ab ipſius Atrii *Iſraëlis* ſolo; tot enim cubitis ſoli hujus altitudo ſuperabat pavimentum Atrii Mulierum.

In medio hoc muro erat Porta, quà ab uno Atrio ad alterum tranſitus patebat: ad eam aſcendebatur quindecim gradibus, quorum unuſquiſque ſemicubitum altus erat, adeò ut omnes ſimul ſeptem cubitos & dimidium alti eſſent; quâ altitudine Atrium Mulierum ſuperabatur ab Atrio *Iſraëlis*.

Midd. Per. 2. *Joſeph. de Bell*. lib. 8. cap. 14.

Hi quindecim gradus (ut habetur in Tractatu *Succah*) *reſpondebant quindecim Pſalmis graduum in Libro Pſalmorum*, שעלהן הלוים עומדים בשיר, *quia ſuper hos Levitæ ſtabant & canebant*; non in quotidiano quidem Miniſterio, ſeu ordinaria Templi ſymphonia, tùm enim ſtabant in Atrio, (ut oſtendetur) ſed tantùm in ſolenni illa feſtivitate feſti Tabernaculorum quæ vocabatur שמחת בית השואבה, *Gaudium hauſtionis & effuſionis aquæ*, quod ſuo loco deſcribemus.

Succah, Perek. 5.

Hi gradus quibus ad Portam aſcendebatur, non erant quadrati vel recti, ut gradus eſſe ſolent, ſed ſemicirculum deſcribebant circuitu ſuo. Cujus diſpoſitionis ratio hæc eſſe potuit, ut Conclavia nempè utrinque poſita latiora eſſent; erant enim ad utrumque latus Portæ & graduum Conclavia in muro ſub ipſo Atrii *Iſraëlis* ſolo, quorum Januæ erant in Atrio Mulierum. In hiſce ſolebant Levitæ inſtrumenta ſua muſica deponere, poſtquàm quotidiano canendi miniſterio functi erant in Atrio *Iſraëlis*. Deſcendebant per quindecim illos gradus Atrii, atque ad dextram vel ad ſiniſtram infimi gradûs erant Januæ in muro per quas ingrediebantur in Conclavia in quibus inſtrumenta ſua deponebant.

Midd. ubi ſuprà.

Porta hæc per quam ingreſſuri ſumus, vel Porta quæ erat inter Atrium Mulierum & Atrium *Iſraëlis*, exiſtimatur à quibuſdam Judæis appellata fuiſſe ſeptem diverſis

Vide *Kimch*. in *Joann*. 19: 2. 2 *Reg*. 11. & *R. Solom*. in 2 *Paral*. 23.

Digitized by Google

diverſis *nominibus*, præter nomen *Portæ Nicanoris*, quod in *Herodis* Templo communiſſimum & notiſſimum fuit. Quædam certè ſunt indubitata; de aliis verò non omnis prorsùs dubitationi locus ſublatus eſt.

I. Vocabatur *Superior Porta Domûs Domini*, 2 *Reg.* 15: 35. 2 *Paral.* 27: 3. atque ita Tractatus *Succah* ſuprà laudatus disertè eam vocat; *Superior Porta quæ deſcendebat ex Atrio Iſraelis in Atrium Mulierum.* Orientalis verò Porta quâ ex Atrio Mulierum deſcendebant εἰς τὸ *Chel*, vocabatur *Inferior.* Cùm porrò dicatur *Jotham* ædificaſſe *Superiorem Portam*, indè non ſequitur anteà nullam fuiſſe; ſed tantùm eam ab eo inſtauratam, vel novo quopiam ædificio ornatam.

Succah, ubi ſuprà.

Maymon. in *Kel. Mikd aſh*, Perek. 7.

II. Vocatur *Nova Porta*, *Jerem.* 26: 10. & 36: 10. in quibus locis *Paraphraſtes Chaldæus* disertè eam vocat *Orientalem Portam Sanctuarii Domini.* Apparet ex poſteriori hoc *Jeremiæ* loco, hanc fuiſſe Portam quâ in ſuperius Atrium, ſeu Atrium *Iſraëlis* aſcendebant, eamque eandem eſſe cum ea de qua nunc agimus. Ratio etiam hujuſce appellationis, *Nova Porta*, peti poteſt ex eo quòd paulò anteà dictum eſt, eam nempè à *Jothamo* inſtauratam fuiſſe. Quidam ejus hanc rationem reddunt; nempè לפי שחסופרים חרשו הלכה, *Novam vocatam fuiſſe, quia Scribæ ibi novas docuerunt Traditiones:* ibi enim ſedebat *Synhedrium.* Verùm hæc etymologia longè petita eſt.

Kimch. in loc.

III. *Porta Harſith*, *Jerem.* 19: 2. exiſtimatur à quibuſdam hæc eadem eſſe, licèt ipſe Textus *Jeremiæ*, *Chaldæus Paraphraſtes*, aliique Judæi eam interpretationem manifeſtò improbent, & *Portam Harſith* in alio loco collocent.

I. Textus *Jeremiæ* collocat *Topheth* ad ingreſſum iſtius *Portæ Harſith*, quod de Orientali Porta Atrii *Iſraelis* non poſſe dici omnes facilè vident, qui modò norunt duas Portas fuiſſe inter hanc Portam Atrii, & Vallem quæ jacebat ante Templum, licèt ea in loco fuiſſet Vallis *Topheth*. Verùm II. obſervandum, *Topheth* ſeu *Vallem filiorum Hinnom* ſatis remotam fuiſſe ad dextram ſtantibus in Orientali Porta Templi, ut anteà obſervavimus, & è regione *Hieroſolymæ*, non Templi, ſitam; adeòque *Portam Harſith* oportet fuiſſe Portam quâ ex Urbe, non ex Templo, ad eam Vallem exibant. III. *Chaldæus Paraphraſtes* eam vocat תרע קילקלתא, quod *David Kimchi* interpretatur *Portam Stercoris*, & putat eandem eſſe *Portam Stercoris*, cujus mentio fit *Nehem.* 2: 13. quamvis credam *Nehemiæ Portam Stercoris* in alia parte fuiſſe. Vox *Harſith* dubiæ eſt ſignificationis: vel enim derivatur ab חרס *Heres*, quod ſignificat *Solem*, unde *Anglica* noſtra Tranſlatio in margine habet *Portam Solis*, cùm in ipſo Textu poſuerit *Portam Orientalem:* vel ab *Heres* חרס, quod ſignificat *teſtam*; eò enim, ut ait *R. Solomon*, *projiciebant teſtas ſuas fractas.* Non opus erit nos inquirere etymologiam hujus nominis, utrùm nempè ita diceretur, quòd Sol indè oriretur, vel quòd Idololatricum quippiam erga Solem circa eam commiſſum eſſet, vel quòd figuli in vicinia habitarent, vel quòd comminutæ teſtæ eò projicerentur; quandoquidem non eſt ea Templi Porta de qua nobis ſermo eſt, ſed Porta Urbis *Hieroſolymæ*, de qua hîc non agitur.

IV. Quidam ex Hebræorum Scriptoribus exiſtimant, שער איתון, *Portam Introitûs*, de qua *Ezech.* 40: 15. ſignificare Portam de qua nunc agimus, nempè Orientalem Portam Atrii *Iſraëlis:* propter quam rationem fieri potuit ut *Chaldæus Paraphraſtes* verterit תרעא מציעאה, *Portam Mediam*, quippè quæ erat inter Portam quâ intrabatur in Atrium Mulierum, & Portam Porticûs Templi ipſius.

Kimch. in *Jerem.* 19. *R. Solom.* in *Ezech.* 40.

V. Inter ſeptem nomina quæ à *Rabbinis* huic Portæ tribuuntur, erat nomen *Mediæ Portæ*, ut liquet ex laudatis Scriptoribus; atque ejus nominis allata ratio fuit, quam longè quærere ideò neceſſe non eſt.

VI. Exiſtimant etiam eam vocatam fuiſſe *Portam Sur*, 2 *Reg.* 11: 6. vel *Portam Seceſſûs*, quia ibi qui fuerant immundi ſeparabantur, ac ſecedebant, cùm ulteriùs progredi non liceret, donec expiati fuiſſent.

Id. in 2 *Paral.* 23. ex *Hieroſ. Thalm.*

VII. Dicebatur etiam *Porta Fundationis*, 2 *Paral.* 23: 5. At de hiſce duobus poſtremis occaſio erit poſteà loquendi, & ibi expendemus num eſſent nomina hujus Portæ necne.

Verùm nomen ejus notiſſimum & frequentiſſimum poſtremis Templi temporibus, & quod uſque ad utriuſque, viz. Portæ & Templi excidium manſit, fuit *Porta Nicanoris*. *Superior Porta*, ait *Maymonides*, *fuit Porta Nicanoris: & quare vocabatur Superior Porta? Quia eſt ſupra Atrium Mulierum.* In eundem ſenſum, & æquè disertè loquitur Scholiaſtes Thalmudicus in Tractatum *Sotah: Porta Nicanoris erat ſuperior Porta quæ erat inter Atrium Iſraëlis & Atrium Mulierum.* Ita Tractatus *Middoth*, quotieſcunque recenſet Portas Atrii *Iſraëlis*, ſemper *Portam Nicanoris* ad Orientem collocat.

Maymon. in *Kele Mikd.* Perek. 7. *Sotah*, Perek. 1. *Gloſſ.* ibid. *Midd.* Perek. 1. & 6.

locat. Hoc confirmatur Axiomate *Hieroſolymitani:* כול מקום שנאמר לפני יי וזה שער ניקנור, *Omnis locus in quo dicitur, Ante faciem Domini, ſignificat Portam Nicanoris*, uti apparet ex purgatione Leproſi, atque examine ſuſpectæ Uxoris, quæ facta dicuntur in hac Porta; quod exprimitur phraſi *Coram facie Domini*, *Levit.* 14: 11. *Numer.* 5: 18.

Thalm. Hieroſ. in *Sotah*, Perek. 1.

Verùm ut labori noſtro parcamus, quod fusè à *Thalmudicis* dicitur de hac Porta, & de ratione propter quam ita vocabatur, ab unius hominis ore audiamus, nempè ab Auctore Libri *Juchaſin*, qui multis hac de re agit. *Nicanor vixit tempore ſecundi Templi, ac miror quidem Rabb nullam ejus mentionem facere in catalogo eorum virorum qui pietate memorabiles fuere, qualis erat memoratus Hananiah filius Ezechiæ, filius Garon, initio Tractatûs Shabbath, in cujus Conclave Diſcipuli Shammai & Hillelis ventitabant: talis enim fuit Aba Saul Ben Batuith, de quo ſub finem Tractatûs Shabbath. Jam autem hic Nicanor cujus ſæpè mentio fit in Mishnah, fuit unus* ἐκ τῶν *Chaſidim* (ex religioſis) *à quibus vulgus multùm diſtat. Occurrit ejus nomen primo & ſecundo Capite Tractatûs Middoth, ubi dicitur fuiſſe Porta in Atrio ad Orientem, quæ eſt Porta Nicanoris, & in ea fuiſſe duo oſtiola, unum ad dextram, alterum ad ſiniſtram. Idem etiam dicitur ſexto Capite Tractatus Shekalim, eamque fuiſſe è regione Sanctiſſimi Loci, qui erat Occidentem versùs, ubi Divina Gloria habitabat. Ideòque in fine Tractatûs Beracoth dicitur:* Ne quis irreverenter ſe gerat ante hanc Portam *Nicanoris*, ſeu Portam Orientalem. *Ita in primo Capite Tractatûs Sotah:* In Porta *Nicanoris* Uxori ſuſpectæ aquam amaram propinabant, & purificabant mulieres poſt partum, ac Leproſos. *Et in fine Capitis* כיצד צולין (hoc eſt, ſeptimo Tractatûs *Peſachim*) *dicitur Porta Nicanoris non fuiſſe ſancta*, (ut Atrium) *quia ibi ſtabant Leproſi, & pollices atque halluces ponebant intra Atrium. Ita in tertio Capite Tractatûs Joma, & ſecundo Toſaphta, dicuntur miracula facta fuiſſe à valvis Nicanoris, eſtque apud eos celebris eorum mentio. Quod cùm ita ſit, operæ pretium fuerat ejus hiſtoriam literis mandaſſe. Ita habet hiſtoria. Hic Nicanor erat unus* ἐκ τῶν *Chaſidim, atque ivit Alexandriam in Ægyptum, & fecit ibi duas æneas valvas affabre elaboratas, eo animo ut eas poneret in Atrio Templi, & per mare eas avexit. Cùm autem magna orta eſſet tempeſtas, nautæ in mare projecerunt unam ex valvis iſtis ad exonerandam navim, & alteram etiam projicere ſtatuerant: quod cùm vidit Nicanor, alligavit ſe eis funibus, & dixit ſi trahere eam in mare vellent, ſe quoque cum ea trahendum eſſe. Ita maris furor ceſſavit; & cùm appuliſſet Ptolemaidem, & defleret jacturam alterius ex valvis, Deumque oraret, mare ejecit eam illum ipſum in locum in quo vir ſanctus appulerat. Quidam dicunt eam ejectam fuiſſe à magno piſce. Atque hoc miraculum fuit quod ex hiſce valvis contigit, & poſuerunt eas ad Orientale latus Atrii ante Templum. Sed Joſeph filius Gorion in ſuis Libris dicit, Portam Nicanoris ita vocatam fuiſſe, quia ibi factum erat miraculum: ibi enim interfectum fuiſſe Nicanorem Principem Græcum Aſmonæorum temporibus; atque hoc extat ſub finem ſecundi Capitis Tractatûs Taanith.* Hactenus *Juchaſin.*

Juchaſ. fol. 65. Vide & *Thalm. Hieroſ.* in *Joma*, Perek. 3. *Toſapht.* ibid. Per. 2. & *Midd.* Perek. 2. *Aruch* in voce *Nicanor.*

Non immorabor inquirendo, num rationes allatæ ſint veræ cauſæ appellationis hujus Portæ, necne. Poſſent etiam aliæ addi conjecturæ, nempè an *Nicanor* qui valvas Alexandriâ miſit, is eſſet qui Regius ibi Præfectus fuit, cujus *Joſephus* meminit, & quem dicit victus & cellulas Septuaginta Interpretibus paraſſe: vel an hæc Porta ita vocata fuerit in honorem *Seleuci Nicanoris* primi *Syriæ* Regis, qui ut auctor eſt *Joſephus*, impensè Judæorum Genti favit. Verùm iis etymologiæ nominum inquiſitionem relinquam, quibus & ingenium & otium abundè ſuppetit. Sufficit ſcire quæ Porta eo nomine apud Judæorum Scriptores celebris fuerit. Ad Hiſtoriam tantùm *Nicanoris Principis Græci* ibi interfecti quod attinet, confer 1 *Macc.* 7: 33, 34. &c. & *Joſeph. Antiquit.* lib. 12. cap. 17. Priuſquàm ab hac Porta abeamus, nobis aliquid dicendum eſt de *Porta Sur*, & *Portâ Fundationis*, quarum mentio occurrit 2 *Reg.* 11: 6. & 2 *Paral.* 23: 5. quia, ut anteà diximus, quidam exiſtimant hæc tantùm varia fuiſſe nomina hujus Portæ Orientalis Atrii de qua egimus.

Joſeph. Antiquit. lib. 12. cap. 2.

Ibid. cap. 3.

Loca in quibus hæc nomina occurrunt, ſic habent juxta *Anglicam* noſtram Translationem, cujus verba Latinè ſic vertimus.

2 Reg. 11.

Vers. V. *Tertia pars veſtrûm qui intrabunt die Sabbati, erunt Cuſtodes Domûs Regiæ.*

2 Paral. 23.

Vers. IV. *Tertia pars veſtrûm, Sacerdotum & Levitarum qui intrabunt die Sabbati, erunt Janitores.*

VI. *Et*

Digitized by Google

VI. *Et tertia pars erit ad Portam Sur, & tertia pars ad Portam ponè Cuſtodiam*, &c.

VII. *Et duæ partes veſtrûm, qui exeunt die Sabbati, cuſtodias agent Domûs Domini circa Regem*, &c.

Duæ Claſſes Sacerdotum & Levitarum miniſtrantium, nempè ea Claſſis quæ die Sabbati Miniſterium ſuum auſpicabatur, & quæ præcedenti hebdomade ſacris operata, jam munere defuncta erat, diviſæ erant à *Jojada* in tres unaquæque partes, quæ ſex omninò efficiebant. Eorum qui Sabbato Miniſterium ſuum auſpicabantur: I. Tertia pars debebat Altari inſervire, & reliqua ad cultum divinum pertinentia obire, Sacerdotes quidem in ſacrificiis, Levitæ verò in canendo & Portas cuſtodiendo, quæ perpetua ac conſtantia eorum erant munera. Tùm enim erat Sabbati dies; & quamvis alia fuiſſet, non eſt credibile *Jojadam* neglecturum fuiſſe res ſacras, quamvis etiam negotia Regis curaret: ſed utraque curavit, adeò ut Sacrum Miniſterium æquè obiretur in Templo, ac fiebat Regis inauguratio. Ideòque *verſus* 5. 2 *Reg*. 11. neceſſariò ſic verti debet: *Tertia pars veſtrûm ii erunt qui ingrediuntur die Sabbati:* hoc eſt, Tertia pars veſtrûm eorum munere fungentur qui ſolent inchoare Miniſterium ſuum die Sabbati, ſeu pro more ſacra faciet. Ita etiam 2 *Paral*. 23: 4. verti debet: *Tertia pars veſtrûm ii erunt qui ingrediuntur Sabbato in Sacerdotum, Levitarum & Portitorum munera*, hoc eſt, ut inſerviant Altari & Cantui, atque obſervent Portas juxta quotidianum Sacri Miniſterii morem.

II. *Tertia pars deputabitur cuſtodiæ Domûs Regiæ*.

III. Tertia pars ad ſervandam *Portam Sur*, quæ etiam vocatur *Porta Fundationis*.

Itaque hæc duo loca ſimul juncta planè diſtribuunt Claſſem quæ die Sabbati Miniſterium ſuum inchoatura erat, ut videbis ſi Originales Textus diligenter conſeras.

Claſſis quæ die Sabbati Miniſterio ſuo defunctura erat, ita erat diſpoſita ut tertia ejus pars ad Portam ponè Cuſtodiam eſſet, & reliquæ duæ tertiæ cuſtodirent Domum Domini ad incolumitatem Regis.

Jam autem ipſa diſpoſitio harum Cuſtodiarum nos juvabit in judicio ferendo de hiſce Portis de quibus agimus, ac docebit eas nequaquàm fuiſſe Templi, ſed cujuſpiam aliûs loci. Nam Portæ Templi aſſervabantur conſueto more à Janitoribus Claſſis quæ tùm miniſtrabat: erat prætereà extraordinaria Cuſtodia per totum Montem Domûs atque in Atrio, quæ conſtabat eâ Claſſe quæ Miniſterio defuncta erat, 2 *Reg*. 11: 7, 8, 11. Ideòque *Porta Sur*, ſeu *Porta Fundationis*, quæ aſſervabatur à tertia parte eorum qui Miniſterium inchoabant die Sabbati, non poteſt exiſtimari fuiſſe Porta Templi, quandoquidem Templum aſſervabatur à duabus partibus ejus Claſſis quæ defuncta erat. Itaque ſi deſcriberem Civitatem, quemadmodum nunc deſcribo Templum, collocarem *Portam Sur* alicubi in Monte *Sion*, ut etiam Portam quæ erat ponè Cuſtodiam; nec difficile eſſet veriſimillimas rationes eorum ſitûs afferre. Quamvis autem tam validæ eſſent Cuſtodiæ tum in Templo, tum in *Sione*, attamen *Athaliah*, cujus cauſâ hæc omnia fiebant, aſcendit in Templum, ita ut videre potuerit novum Regem propè ſuam columnam in Atrio ante Portam Orientalem; nec ullus ei viam intercluſit, partim quia erat Regina, partim quia erat ſola, ſed præcipuè quia ignorabatur quis eſſet circa eam *Jojadæ* animus. Sed cùm juſſit *eam ab ordinibus removeri*, ei manus injecerunt, eique pepercerunt donec eſſet infra aggerem *Shallecheth*, quo in loco eam interfecerunt.

V. *Et tertia pars erit ad Regiam, & tertia pars ad Portam Fundationis*, &c.

Si per *ordines* non poſſent intelligi ordines virorum qui erant circa Montem Domûs, tùm crederem ſignificari ordines arborum quæ utrinque in ora aggeris erant conſitæ, vel palos utrinque terræ infixos ad firmandum aggerem, & tutelam eorum qui illàc tranſibant. Atque in hunc ſenſum *R. Levi Gerſhom* non ineptè interpretatur hæc verba 1 *Reg*. 10: 12. *Arboribus Almug Rex fecit* מסעד *ad Domum Domini & Regiam*. Vox מסעד propriè ſignificat *fulcrum*. At 2 *Paral*. 9: 11. dicitur Rex feciſſe *arboribus Almug* מסלות *ſtratas vias ad Domum Domini. Atque opinor*, inquit Rabbinus ille, *in aſcenſu quem fecit ad aſcendendum Domum Domini è Regia*; *feciſſe eum veluti loricam ex arboribus Almug, adeò ut incedentes per hanc ſtratam viam eo repagulo inniti poſſent. Idem etiam factum fuerat in aſcenſu Domûs Domini & Regiæ, ubi non erant gradus, ut ad baſin Altaris*, &c.

Ralbag. in 1 *Reg*. 10.

Digitized by Google

Sectio I. *Miraculum credibile editum in Ænea Porta.*

Ejus miraculi, cujus anteà meminimus, circa æneas valvas in naufragio *Nicanoris*, fides ſit penès Auctorem: verùm non poſſumus omittere aliud portentum quod refertur à *Joſepho* de Ænea Porta, quæ utrùm fuerit hæc *Nicanoris*, an verò alia, quam veluti proprio nomine vocat Æneam, anxiè non inquiremus. Hoc miraculum multò fide dignius eſt, & digniſſimum quod accuratiùs expendatur. *Joſephus* igitur agens de portentis ac prodigiis quæ præſagivêre excidium *Hieroſolymæ*, inter alia hoc refert: Ἡ δ᾽ Ἀνατολικὴ πύλη τοῦ ἐνδοτέρου χαλκῆ μὲν οὖσα καὶ στιβαρωτάτη, &c. *Porta Orientalis interioris* (Joſeph. de Bello, lib. 6. cap. 31.) *Templi, quæ ænea & graviſſima erat, & quæ vix aperiri poterat à viginti viris, cùm validiſſimis & tutiſſimis vectibus clauſa & oppeſſulata fuiſſet, tamen noctu ſpontè aperiri conſpecta eſt; quod ſimplicior & vanior plebecula inſtar boni ominis interpretabatur, quaſi hoc ſignificaret Deum velle ipſis aperire januam omnium bonorum. Sed qui intimiùs res penetrabant, ac ſolidioris erant judicii, ſuſpicati ſunt hoc portendi lapſum & ruinam ſplendoris Templi.*

Cum hac ejus relatione conſentiunt alii ejuſdem Gentis Scriptores, qui referunt, (Juchaſin, fol. 10.) *quadraginta annis ante excidium Urbis valvas Templi ſpontè apertas fuiſſe. Quam in rem Rabban Jochanan ben Zaccai exclamavit,* (erat ſecundus à Præſide *Synhedrii*) *Aperi valvas tuas, ô Lebanon, ut ignis poſſit vorare. Atque ab eo tempore Magnum Synhedrium fugit ex Conclavi Gazith, & ita è loco in locum tranſlatum eſt.* Idem dicit *R. Solomon* in *Zachar.* 11: 1. *Aperi portas tuas,* (R. Solom. in Zach. 11.) *ô Lebanon. Prophetat*, inquit, *de deſtructione ſecundi Templi; nam quadraginta annis ante excidium Templi valvæ ſpontè apertæ ſunt. Rabban Jochanan eos arguit, & dixit: O Templum, Templum, quamdiu temet ipſum turbabis? Video tibi expedire excidium, nam Zachariah filius Iddo ita prophetavit de te: Aperi portas tuas, ô Lebanon, ut ignis poſſit vorare tuas Cedros*, &c.

Tria ſunt memoratu digna quæ Judæi contigiſſe ajunt quadraginta annis ante Templi excidium: nempè, hanc apertionem ſpontaneam valvarum, *Synhedrii* tranſlationem ex Conclavi *Gazith*, & purpuream lanam impoſitam capiti Hirci emiſſitii non evadentem albam: quæ ſunt veluti Teſtimonia quæ adverſus ſemet ipſos ferunt circa mortem *Chriſti*, quæ contigit exactè quadraginta annis ante Templi everſionem. Tùm Dominus oſtendit illis apertione valvarum, Eccleſiaſticam eorum gloriam evaneſcere; tranſlatione *Synhedrii*, Politicæ poteſtati finem inſtare; ac lanam coccineam non dealbando, quòd hactenùs ſignificaverat remiſſionem peccatorum, enormia ipſorum crimina ac reatum propter mortem *Chriſti*. Confer hanc ſpontaneam apertionem valvarum Templi cum Veli laceratione ſpontanea, atque ea prodigia ſibi invicem lucem fœnerabuntur. Et fortaſſè verba, *Rabban Jochanan* in hanc valvarum apertionem, *O Templum, quamdiu temet ipſum turbabis?* ſignificant ante hoc prodigium fuiſſe aliam aliquam æquè miram in Templo perturbationem, quæ potuit eſſe laceratio Veli.

Sectio II. *Conſeſſus Synhedrii in hac Porta.*

Hæc *Nicanoris* ſeu Orientalis Porta Atrii erat locus conſtitutus ubi ſuſpecta Uxor probabatur potu aquarum amararum, & ubi Leproſus mundatus ſtabat ut ejus expiatio fieri poſſet; quarum rerum ritus ſuis locis deſcripſimus. Ad hanc etiam Portam ſe ſiſtebant mulieres poſt partum, ut purificarentur. Hîc Virgo *Maria* obtulit Domino infantem *Jeſum*, *Luc.* 2: 22.

In hac Porta *Nicanoris* (non in ipſo quidem introitu, ſed in aliquo Conclavi ſupra vel prope eam) ſedebat *Synhedrium viginti trium Judicum*. (Thalm. in Sanhed. Per. 11.) Erant tres inter Judæos Judicum ordines: Conſeſſus trium Judicum, Conſeſſus Viginti trium, & *Magnum Synhedrium* unius & ſeptuaginta. In minoribus oppidis erat Triumviratus ſeu Conſeſſus trium Judicum: hi judicabant de litibus (Ibid. Per. 1.) pecuniariis, mutuis, furtis, damnis, reſtitutionibus, vi illatâ vel fraude factâ puellæ, detractione calcei, aliiſque variis minimè capitalibus. In majoribus oppidis erant *Synhedria* viginti trium virorum, quorum erat in quibuſdam criminibus capitalia exercere judicia, & non in omnibus. Denique *Hieroſolymæ* erat *Magnum Synhedrium* quod de rebus majoris momenti judicabat. *Synhedrium* porrò Viginti trium non requirebat neceſſariò magnam Civitatem, ſed eam tantùm in qua eſſent 120. viri qui munus gerere poſſent. כמה יהא בעיר ותהא ראויה לסנהדרי מאה ועשרים *Quot debent eſſe viri in urbe, ut poſſit habere Synhedrium?* Hanc quæſtionem cuipiam in *Thalmude* proponenti, alter reſpondet: *Debent eſſe* 120. Confer *Actor.* 1: 15. Quæ porrò in munera ſeu officia hi

Digitized by Google

hi viri diſtribuendi ſint, oſtendi poſſet ex *Gemariſtis* & *Maymonide*, ſi res hujus loci foret. Hos duntaxat recenſebimus. *Unumquodque Synhedrium viginti trium virorum habuit tres ordines virorum munus gerentium, qui in unoquoque ordine viginti tres erant. Cùm deſiderabatur Aſſeſſor in Synhedrio, primus in primo ordine in id conſcribebatur, & Judex fiebat: primus verò in ſecundo ordine veniebat, & poſtremus ſedebat in primo: primus pariter in tertio ordine veniebat, & poſtremus ſedebat in ſecundo, dum alius deforis arceſſebatur qui ſederet ultimus in tertio; atque ita Synhedrium & ordines ſemper ſuo numero conſtabant.*

Maym. in *Sanhed.* Per. 1.

Porrò uti *Magnum Synhedrium* ſedebat in Templo, ita etiam duo minora *Synhedria* viginti trium virorum, alterum quidem in Porta *Shushan* vel Porta Montis Templi, alterum verò in hac Porta *Nicanoris* ſeu Atrii. Aſcendebant autem ad ſupremum unius & ſeptuaginta Senatum per munera horum duorum *Synhedriorum* tanquam per gradus. *Quicunque inveniebatur idoneus, primùm fiebat Judex in ſua Civitate; indè promovebatur ad munus Judicis in Porta Montis Domûs; poſteà ad munus Judicis in Porta Atrii, ac denique in Magnum Synhedrium.* In quopiam ex hiſce Judicum Conſeſſibus in Templo Servator noſter oſtendit ſapientiam ſuam cùm eſſet duodecim annos natus, *Luc.* 2: 46. Ex hiſce Judicibus quidam eum tentarunt, propoſitâ quæſtione de muliere in adulterio deprehenſâ, quæ ad eorum tribunal deducta fuerat, *Joann.* 8: 4, 5.

Id. ibid. Per. 2.

Ante tempora captivitatis *Babylonicæ* ipſum *Magnum Synhedrium* ſedebat in hiſce duabus Portis, Porta *Shushan*, & Porta *Nicanoris*: aliquando in una, interdùm in altera, ut videbatur, *Jerem.* 35: 4. & 26: 10. & 36: 10. ſed in poſterioribus temporibus, exſtructo Conclavi *Gazith*, & *Magno Synhedrio* ibi ſedente, hæ duæ Portæ, aut alterutra earum habuit minus *Synhedrium* viginti trium virorum. Conſeſſus eorum fiebat in aliquo Conclavi ſuperiori: neque enim haberi poterat in ipſo introitu per quem commeabat populus, nec ipſis licebat ſedere in Porta *Nicanoris*, in ea ejus parte quæ erat intra Atrium; nemini enim præter Regem eo in loco ſedere licebat. Attamen poterant ſedere in ſuperioribus Conclavibus, licèt eſſent intra ambitum Atrii; neque enim ea adeò ſancta exiſtimabant ac inferius ſpatium.

Hæc eſt Porta de qua loquitur *Ezechiel*, Cap. 46: 1, 2. *Porta interioris Atrii quæ reſpicit Orientem claudetur in ſex profeſtos dies; ſed Sabbato & die Novilunii aperietur. Et intrabit Princeps per viam Veſtibuli Portæ deforis, & ſtabit in limine Portæ,* &c. Ante hanc Portam introrsùm *Solomon* collocaverat æneum ſuum tribunal, in quo genubus flexis oravit in dedicatione Templi, 2 *Paral.* 6: 13. collato cum 1 *Reg.* 8: 22. Sequentibus temporibus Reges per hanc Portam intrabant, & intùs habebant ſuum locum, juxta *Solomonis* exemplum; quâ parte erat Regia Columna, ut vocatur 2 *Paral.* 23: 13. Ejus nempè Sella poſita erat intra hanc Portam in Atrio ad unam ex Columnis quibus ſuſtentabatur Atrium. Nam ut hæc pars Atrii Orientalis proprius erat populo locus ad adorandum Deum; ita etiam in ea hujus parte quæ è regione oppoſita erat Portæ Templi, & Altari, ad ipſum Portæ introitum, non procul ab una ex Columnis erat Sella Regia. Aliquatenùs cum hoc ſitu Sellæ Regiæ in Atrio conſentientia habet *Ezechiel*, quamvis in ejus deſcriptione aliquod ſit diſcrimen propter myſterium quodpiam. Potes in hoc Propheta obſervare exterioris Sanctuarii Portam Orientalem perpetuò clauſam eſſe, interioris verò ſex hebdomadis diebus, quæ certè ordinariè cùm Templum inſtauratum fuit non obſervabantur; utraque enim interdiù ſemper patebat: ſed ita eas deſcripſit, ut extolleret Gloriam quam in Templum ingreſſuram dicit. Et cùm certè Rex Deum adoraturus Atrium ingrederetur, atque intra Portam Deo cultum exhiberet, eoque in loco ſederet dum publicus peragеretur cultus; adducit *Ezechiel* Principem duntaxat ad limen Portæ, ubi dum offertur ſacrificium, ſtat. Juxta hanc deſcriptionem, qui ad hanc Portam veniſſent, eos oportuiſſet intrare per Septentrionalem vel Auſtralem Portam Atrii Mulierum, quia Orientalis clauſa erat, *Cap.* 44: 1. atque hanc in rem eſt hoc mandatum: *Et cùm intrabit populus terræ in conſpectum Domini in ſolennitatibus, qui ingreditur per Portam Aquilonis ut adoret, egrediatur per viam Portæ Meridianæ. Porrò qui ingreditur per viam Portæ Meridianæ, egrediatur per viam Portæ Aquilonis; non revertatur per viam Portæ per quam ingreſſus eſt, ſed è regione illius egrediatur*, Cap. 46: 9. Cùm vulgò accedentibus ad Templum, ante & poſt Captivitatem, Orientalis Porta Atrii Mulierum perpetuò pateret, & plerùmque illàc ingrederentur, & ita per Atrium Mulierum rectà contenderent ad Portam *Nicanoris*, & ſæpè etiam per eam in Atrium ingrederentur; attamen ſecuti ſunt in hac re mandatum Prophetæ ſub Tem-

plo ſecundo, ut per eandem Portam non egrederentur per quam intraverant. *Thalmudiſtæ* hac de re hanc habent Traditionem: כל הראין הנכנסין לדרך הבית נכנסין דרך ימין ומקיפין ויוצאים דרך שמאל, *Omnes qui ingrediuntur Templum juxta conſuetudinem loci, intrant per viam dextram & circumeuntes per ſiniſtram exeunt:* quod non ſignificat, ut interpretantur Scholiaſtæ, oportuiſſe ſemper egredi per Portam è regione oppoſitam & per quam quis ingreſſus erat; ſed nullum potuiſſe per eandem Portam egredi per quam ingreſſus erat, ſed per quamlibet aliam; ut ſi quis ingreſſus fuiſſet per Portam Orientalem, non licuit per eandem Orientalem Portam egredi, ſed per Septentrionalem quidem aut Auſtralem. Excipiunt tantùm duûm generum homines: חוץ ממי שארעו וכר, *quibus aliquid extraordinarium contigerat; nam ſemper circumibant ad ſiniſtram. Quare hanc viam inſiſtis? Quia lugeo. Qui habitat in hac Domo te conſoletur. Vel, Quia ſum excommunicatus. Is qui habitat in hac Domo ponat in corde tuo ut poſſis auſcultare verbis ſociorum tuorum, & te admittant.* *Midd. Per. 2.*

Itaque ordinaria via quâ veniebant in Templum ad adorandum, erat per Orientalem Portam Atrii Mulierum ad Portam *Nicanoris*, unde retrogreſſi exibant per Septentrionalem vel Auſtralem ejus Atrii Portam. Phariſæus in Parabola ad hanc Portam *Nicanoris* quàm proximè poteſt accedit, quippè qui fucatam pietatem ea in re collocaret, ut nempè eſſet quamproximus Sanctuario: ſed humilis Publicanus procul ſtabat, *Luc.* 18: 13. Imò Rex ipſe, licèt ingrederetur per Occidentalem partem Montis Domûs, attamen deſcendebat ad Atrium Mulierum, unde ad Orientalem Atrii Portam ad quam ejus Sella poſita erat, aſcendebat. Viri Stationarii, de quibus ſuo loco diximus, ingrediebantur Atrium *Iſraëlis*, quod & alii factitabant *Iſraëlitæ* feſtis diebus anniverſariis quibus erant multæ victimæ offerendæ, præſertim feſto Paſchatis, quo qui habebat ſingulare ſacrificium offerendum, ingrediebatur Atrium per unam ex ejus Septentrionalibus Portis, de quibus ordine ſuo agemus. Sed qui veniebant in Templum ad orandum & colendum Deum ſine ſacrificio, ſolebant plerùmque Deum adorare ante *Nicanoris* Portam, quæ valvis Templi è regione oppoſita erat, atque ita revertebantur.

CAPUT XXI.

De Portis & Ædificiis quæ erant in muro Atrii ad Orientem & Auſtrum.

Jam ingreſſi ſumus Atrium, in quo cùm multa nobis luſtranda & cognoſcenda occurrant, incipiamus à Portis & Ædificiis quæ erant in muro quo circumdabatur. Ante omnia conſideremus Orientale latus muri in quo erat Porta *Nicanoris*, quam jam luſtravimus, & per quam ingreſſi ſumus. Nulla erat in hoc toto latere Porta præter hanc, nec ulla ædificia præter duo, quæ hinc indè Portæ vicina erant ad lævam & dextram ingreſſorum.

Ad dextram erat quod vocabatur לשכת פנחס המלביש, *Conclave Phineæ Veſtiario præfecti*, cujus mentio occurrit in Tractatu *Shekalim* inter præcipuos Templi Miniſtros. *Hi erant præcipui Miniſtri in Sanctuario*, ajunt ibi *Thalmudici*, *Jochanan præfectus ſigillis; Abijah præfectus fluidis oblationibus; Matthias filius Samuelis ſortibus; Pethajah avibus* (ad oblationes neceſſariis) *hic Pethajah erat Mordecai*, &c. *Phinehas Veſtiario*, &c. Scholia in hunc locum affirmant ibi memoratos viros fuiſſe illuſtriſſimos ac nobiliſſimos eorum qui variis hiſce muneribus fungebantur, nec fuiſſe unius generationis, ſed plurium, *Barthenora* exiſtimat hoc munus *Phineæ* ſitum fuiſſe *in induendis Sacerdotibus cùm miniſtraturi erant, in iis exuendis cùm Miniſterio defuncti erant, ac aſſervandis eorum veſtibus.* Quod non debet ita capi, quaſi illos adjuvaret *Phinaas* ad induendas ac exuendas quotidiè veſtes, cùm Miniſterium inchoabant aut finiebant; nam ipſi eas exuebant & induebant: ſed curabat ipſis parari veſtes cùm primùm miniſtrare inciperent; & cùm erant uſu detritæ, eas accipiebat iterùm, & novas parari curabat. Hoc autem fiebat publicis ſumptibus, ſed hoc ille procurabat; & cùm veſtes erant detritæ, iterùm referebantur ad publicum uſum: alibi enim obſervavimus eas refectas fuiſſe ad facienda ellychnia lucernis & lampadibus feſto Tabernaculorum accendendis, & *cùm lætarentur in effuſione aquæ.* *Midd. Per. 1. Thalm. in Shekal. Per. 5. Barthenor. Midd.*

Ad ſiniſtram Portæ erat לשכת עשה חביתין, *Conclave Piſtoris:* ita enim vocabimus eum qui præparabat quotidianæ Pontificis Maximi oblationi, quæ Thalmudicâ linguâ vulgò vocantur שתי הלחם חביתי כ״ג, *duæ placentæ Summi Sacerdotis*, de quibus ſuo loco diximus; atque hac quotidianâ oblatione diſtinguebatur Summus Sacerdos ab aliis Sacerdotibus. *Menachoth, fol. 96. Maym. in Beath Mikd. Per. 4.*

Magna

Magna eſt opinionum varietas inter Judæos, etiam ipſos *Thalmudicos*, circa numerum Portarum in hoc Atrio. Quibuſdam in locis numerantur ſeptem, qui certè verus fuit numerus; ſed in quibuſdam aliis locis mentio fit tredecim Portarum. Imò, ait *Gloſſa* in quempiam locum, *quidam numerant ſeptem, quidam quinque, quidam tres, quidam tredecim; ſed plerique ſeptem fuiſſe ajunt.* Ratio autem hujus varietatis hæc eſt, quòd quidam ex Judæis numerant tantùm Portas frequentiſſimas, & commeantibus celeberrimas, quæ tres præſertim erant, Porta *Nicanoris* ad Orientem, duæ ad Septentrionem & ad Auſtrum, de quibus poſteà agemus. Alii numerant tantùm Portas quæ ſervabantur excubiis, quæ quinque duntaxat erant: alii verò etiam Januas ædificiorum Atrio annexorum, per quas ex Atrio adiri ſolebant, æquè ac Portas ipſas per quas tranſitus patebat, quæ ad numerum tredecim aſſurgunt. Sed in ſeptenario numero acquieſcemus, quippè qui à pleriſque verus & proprius fuiſſe agnoſcitur *Thalmudicis*, & *Joſepho* in ſecundo Templo. Quot eſſent in priori, paucis docebimus, priuſquàm ab hoc Atrio abeamus. In Auſtrali latere erant tres Portæ. I. שער מים, *Porta Aquarum*, quæ una ex tribus maximè ad Orientem vergebat. II. שער בכורות, *Porta Primitiarum*, quæ aliquando etiam vocatur שער הקרבן, *Porta Oblationis*, quæ media erat. III. שער הדלק, *Porta Accenſionis*, quæ maximè ad Occidentem vergebat.

Midd. Per. 1. & *Jom.* fol. 19. *Midd.* Per. 2. & *Shekalim*, Per. 6. *Gloſſ.* in *Thamid*, Per. 1.

Midd. Per. 5. & *Maym.* in *Beth Habbech.* Per. 5.

Præter tres haſce Portas erant in eodem Auſtrali latere tria alia ædificia muro annexa, quorum hæc fuerunt nomina. I. לשכת גזית, *Conclave Gazith*. II. לשכת גולה, *Conclave Putei*. III. לשכת העץ, *Conclave Ligni*. Hæc nobis luſtranda occurrunt in Auſtrali latere. Jam igitur id operis aggrediamur, atque obſervemus ſitum & uſum variorum horum locorum.

Et primò quidem *Joſephus* ut teſtimonium huic numero quem ſequimur perhibet in hiſce verbis, Ὁ ἐντὸς περίβολος κατὰ μέσον τὸ νότιον καὶ βόρειον κλίμα τριστίχους πυλῶνας εἶχε, *Circuitus interior ad Auſtralem & Borealem partem tres habuit Portas:* ita etiam nobis facem præfert ad intelligendum earum ſitum, cùm dicit eas fuiſſe ἀλλήλων διεστῶτα, *æqualibus intervallis diſtantes.* Idem dixerat de Portis quæ erant in extimo muro, eo nempè qui Montem Domûs circumdabat, *Portas in eo Auſtrum reſpicientes fuiſſe* κατὰ μέσον, hoc eſt, ita ſitas, ut æquale interſtitium eſſet inter Portam & Portam, & inter extremas Portas & angulos muri. Symmetria etiam cogit nos eodem modo intelligere verba ejus de Atrii Portis; ſcilicet æqualem fuiſſe diſtantiam inter omnes Portas, & à duabus extremis uſque ad angulos muri quibus proximæ erant.

Antiq. lib. 15. cap. 15.

Ibid.

Cùm autem longitudo Atrii, adeòque ejus muri eſſet CLXXXVII. cubitorum in ſitu Portarum, juxta ſymmetriam debitam, hæ proportiones concipiendæ erunt: ab Orientali angulo muri ſi ducta fuiſſet linea cubitos 46. ¾ longa ad Occidentem, pertigiſſet ad mediam *Portam Aquæ:* ſi ulteriùs eadem longitudine producta fuiſſet, pertigiſſet ad mediam *Portam Primitiarum*; atque eadem menſura iterùm producta ad mediam *Portam Accenſionis*; unde ſi tertiò ducta pertingere potuiſſet Occidentalem angulum muri. Atque ita optimè & συμμέτρως concipere poſſumus ſitum Portarum. Ideòque cùm Hebræi Scriptores de hiſce Portis verba facientes ſoleant dicere eas fuiſſe סמוכים למערב, *Proximas Occidenti*, non ita hoc intelligendum, quaſi velint omnes illas vicinas & Occidentali angulo proximas fuiſſe; ſed ita loquuntur reſpectu utriuſque Atrii, hujus & Mulierum ſimul ſumpti.

Vide *Maymon.* ubi ſuprà, & ibid. *Midd.*

Ad tria ædificia quæ in hoc latere Portis erant interpoſita, quod attinet, hæc poſſunt obſervari circa eorum ſitum & diſpoſitionem. I. *Portam Aquæ & Conclave Putei* videri ipſis nominibus relationem aliquam habuiſſe inter ſe, ideòque non eſſe ſeparanda. Ac ſanè quamvis aliqua alia eſſe potuerit ratio nominis *Portæ Aquæ*, præter viciniam Conclavis Putei, attamen poſteà obſervabimus hanc etiam nominis rationem eſſe potuiſſe, & utramque conjungendam. II. *Thalmudici* dicunt tecta horum trium ædificiorum æqualia fuiſſe, *Midd. Per.* 5. unde videtur colligi poſſe ea non fuiſſe remota à ſe invicem, ſed vicina, ita ut inter ea ſola Porta interjaceret. III. Mox oſtendemus ex *Hieroſolymitano Thalmude*, *Portam Aquæ & Conclave Ligni* conjuncta fuiſſe. IV. *Thalmudici*, *Maymonides*, aliique Judæorum Scriptores cùm nomina trium horum Conclavium recitant, ſemper *Conclave Gazith* primum vel poſtremum nominant; quo oſtendunt id ab alterutra parte ad Occidentem vel Orientem extremum fuiſſe non medium inter alia. V. Si id in parte maximè Occidentali collocemus, tùm erit in Tribu *Benjamin*, cùm *Magnum Synhedrium* quod in eo ſedebat, credatur à Judæis, & quidem meritò, ſediſſe in ea parte Atrii quæ erat in Tribu *Judæ*, *Geneſ.* 49: 10. Hæc igitur cùm ita ſint, concludere eſt *Conclave Gazith* fuiſſe intra *Conclave Putei*, infra *Portam Aquæ*, vel verſùs Orientalem angulum Atrii: *Portam*

Thalm. in *Zevachim*, fol. 54.

Digitized by Google

tam verò *Aquæ* intra *Conclave Ligni*: atque hæc omnia contigua fuiſſe, quod eorum ſitûs cognitio in ſeqnentibus confirmabit. Incipiemus ab Orientali angulo ad quem erat Conclave vel Ædificium *Gazith*.

CAPUT XXII.

Conclave Gazith, Magni Synhedrii ſedes.

Arach in גזית.

Juchaſ. fol. 16. *Aboth*, Perek. 1. Sect. 8.

Juchaſ. ubi ſuprà.

Joma, Per. 2. in *Gemara*, fol. 25. *Maymon. in Beth Habbech.* Perek. 5.

Ædificium *Gazith*, ita vocatum, quòd conſtaret lapidibus affabrè elaboratis, quo ſenſu vox occurrit 1 *Reg.* 5: 17. apparet conſtructum fuiſſe ex Auctore Libri *Juchaſin*, *à Simeone Ben Shetah*, qui fuit Vice-Præſes *Magni Synhedrii*, cùm *Judah Ben Tabbai* eſſet *Naſi* in ſexta Generatione ab *Eſdra*, temporibus *Hircani Jannai Haſmonai*. Erat חציה קודש חציה חול, *dimidia ejus pars ſancta erat, dimidia communis*: hoc eſt, pars ejus intra Atrium erat, & pars erat ἐν τῷ חיל, atque habebat Januam quâ in utramque ingrediebantur partem. In ea parte dimidia quæ erat ἐν τῷ חיל *Chel*, ſedebat *Synhedrium*, ſeu Conſeſſus unius & ſeptuaginta Judicum. Jam autem peculiaris ratio quare ſederet in ea parte Domûs quæ fuit ἐν τῷ חיל *Chel*, erat quia nemini licebat ſedere in ea parte Atrii, excepto Rege: אין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דויד בלבד, *Nemo poterat ſedere in Atrio, niſi eſſet unus è Regibus Domûs David.* In alia parte hujus ædificii, quæ erat intra Atrium, Sacerdotes ſolebant quotidiè ſortes jacere, ut dividerent inter ſe miniſteria; qua de re alibi diximus.

Vide *R. Solom.* & *Kimch.* in 1 *Reg.* 12. & *Midr. Tillin*, in *Pſalm.* 1. ab initio.

Quoniam autem luſtramus Conclave *Magni Synhedrii*, hinc abire piaculum duxerimus, priuſquàm *Synhedrium* ipſum, ejuſque conſtitutionem, rationem ſedendi, poteſtatem atque hiſtoriam breviter conſideraverimus. Ægrè ferrent tales viri, ſi eos relinquamus nullâ ſui conſideratione habitâ.

Thalm. in *Sanhedr.* Perek. 1.

In hoc ſupremo Senatu Judices erant unus & ſeptuaginta, juxta numerum quem conficiebant *Moſes* ex Septuaginta Seniores ab eo electi, cùm Deus in deſerto primùm hoc conſtitueret Tribunal, *Numer.* 11. Promiſcuè eligebantur ex Sacerdotibus, Levitis, & *Iſraëlitis*: (quàm diſtinctionem ſæpè N. Teſtamentum hiſce verbis exprimit, *Principes Sacerdotum, Scribæ & Seniores*) אפי היו כלם ישראל הרי זה מותר, ſed ſi Sacerdotes & Levitæ non reperirentur neceſſariis dotibus ornati, *ſi totus Senatus conſtaret viris aliûs Tribûs, bonum hoc & licitum erat.*

Maym. in Sanhedr. Per. 1.

Id. Ibid. Perek. 2.

Dotes neceſſariæ erant, ut eſſent pii & eruditi in diſciplinis & linguis. Oportebat in iis eſſe aliquam peritiam Phyſicæ, Arithmeticæ, Aſtronomiæ, Aſtrologiæ, imò etiam eos non prorſùs ignorare Magiam, Sortilegia & Idololatriam, ita ut de iis judicare poſſent. Debebant carere omni corporis vitio, nec ad nimiam ſenectutem perveniſſe, quia ejuſmodi ſenes plerùmque nimis ſeveri ſunt; eoſque oportebat eſſe Patres, ut miſericordiam & tenerum affectum paternum noſſent.

Hæc erat eorum ſedendi ratio. Eminentiſſimum virtutibus & ſapientiâ conſtituebant Principem Senatûs, eum vocabant *Naſi* vel *Præſidem*, atque eum putabant *Moſem* referre. Proximum ei virtute & eruditione eligebant ut ſecundum locum occuparet, eumque vocabant *Abb-Beth-Din*, *Patrem Domûs Judicii*, vel Vice-Præſidem. Hic ſedebat ad dextram τῷ *Naſi* (confer phraſin *Sedere ad dextram poteſtatis*, Matth. 26: 64) Poſteà totum *Synhedrium* hinc indè in ſemicircularem lineam ſedebat ad lævam & dextram. Ante ipſos ad utramque manum erant duo Scribæ *Synhedrii*, quorum unus ſcribebat ſuffragia abſolventia, alter damnantia. Confer *Matth.* 25: 33.

Proprium ac perpetuum tempus eorum Seſſionis, erat à peracto matutino cultu ad initium veſpertini, adeò ut eorum Seſſio & tempus divini cultûs non coinciderent. Attamen aliquando occaſionibus quibuſdam fiebat ut ad noctem uſque Seſſionem ſuam protraherent, ut poſſent expedire negotium aliquod, de quo die illâ diſceptaverant: neque enim licebat noctù quicquam novi inchoare. Violarunt propriam conſuetudinem & traditionem cùm *Chriſtum* noctù judicarunt. Id. ibid.

Eorum erat judicare de omnibus perſonis & negotiis, (licèt non attingerent res minoris momenti, ſed eas inferioribus *Synhedriis* judicandas relinquerent) ita ut judicium ferre poſſent de tota Tribu, Prophetâ, Summo Sacerdote, imò etiam Rege ipſo, ſi ſe occaſio offerret: *Si Sacerdos Summus quid admitteret quod flagris dignum eſſet, eum flagellabant*, inquit *Maymonides*, *& iterùm eum dignitati ſuæ reſtituebant. Et quamvis non admitterent Regem ex Domo Davidis ut eſſet membrum Synhedrii*, inquit idem Scriptor, *attamen Reges judicabant populum, & Synhedrium judicabat ipſos, ſi ſe daret occaſio.* Habebant duas haſce Traditiones planè contrarias, quarum tamen utraque variis temporibus valebat: המלך דן ודנין אותו, *Rex judicat, & judicant ipſum*: & המלך לא דן ולא דנין אותו, *Rex non judicat, nec judicant ipſum.* Prior valuit uſque ad Regem *Jannai*, qui coram ipſis citatus fuerat; & quia non potuerunt vitare quin in partes abirent, poſteriorem conſtituerunt.

Id. ibid.

Id. in *Sanhedr.* Per. 2.

Sanhedr. Per. 2. in *Gemara.*

Pœna-

Ibid. Perek. 7. Pœnarum capitalium, de quibus præſertim judicabant, habebant quatuor genera, lapidationem, combuſtionem, gladium, & ſuffocationem. Eò reſpicit *Thargum Rutha* quod habet hanc interpretationem ad *Cap.* 1: 16. *Naomi dixit ei, Præceptum eſt nobis ſervare Sabbata & feſtos dies, ita ut non liceat ambulare plus quàm ducentos cubitos. Ruth dixit, Quocunque iveris, ego volo ire. Naomi dixit, Præceptum eſt nobis non habitare cum Ethnico. Ruth dixit, Ubicunque commoraberis ego commorabor. Naomi dixit, Præceptum eſt nobis ſervare ſexcenta & tredecim mandata. Ruth dixit, Quod populus tuus obſervat volo obſervare quaſi eſſet populus meus. Naomi dixit, Præceptum eſt nobis non colere Deos exteros. Ruth dixit, Tuus Deus erit meus Deus. Naomi dixit, Habemus quatuor pœnas capitales in tranſgreſſores, lapidationem lapidibus, combuſtionem igne, interfectionem gladio, ſuſpenſionem ex arbore. Ruth dixit, Quemadmodum morieris ego volo mori.*

Thargum in Ruth 1: 16.

I. Qui comburebantur hâc ratione ſupplicium ſubibant. Collocabantur genubus flexis in ſterquilinio; deinde duo viri reſte ejus collum trahebant & conſtringebant donec os aperiret; deinde liquefactum plumbum infundebant, quod in ejus viſcera defluebat.

Sanhedr. ubi ſuprà.

II. Quibus laqueo gula frangebatur, eos etiam collocabant genubus flexis in ſterquilinio, ac duo viri eos laqueo ſuffocabant, uno hinc, altero illinc laqueum trahente donec animam efflaſſent.

III. Qui gladio percutiebantur, ii capite obtruncabantur.

IV. Qui lapidibus obruebantur erant nudi. Primùm unus è teſtibus trahebat eum, & impellebat ut lumbos ejus lapidi allideret. Si eum interficeret, nihil addebatur; ſin verò non interfeciſſet, alter teſtis magnum lapidem impingebat in ejus pectus dorſo recumbentis. Si tùm interfectus eſſet, finis erat ſupplicii; alioqui totus populus in eum lapides conjiciebat. Hoc nos juvat ad intelligendum quod dicitur de teſtibus qui reliquerunt veſtes ſuas ad pedes *Saulis*, cùm lapidibus obrueretur *Stephanus*, *Actor.* 7: 58. nempè quia primi lapides in *Stephanum* projicere debebant, ſuperioreſque ideò veſtes abjecerant, ne ſibi impedimento eſſent. Hinc etiam illuſtratur dictum Servatoris, quod ad hanc lapidationis rationem alludit: *Quicunque inciderit in hunc lapidem, comminuetur: ſed in quemcunque ceciderit, eum conteret*, Matth. 21: 44. qui enim lapidibus obruebatur, primùm in lapidem impellebatur, deinde in ipſum lapis conjiciebatur. Qui lapidabantur etiam ſuſpendebantur; ſed eſt aliqua inter *Thalmudicos* diſceptatio, utrùm omnes qui lapidati fuerant ſuſpenderentur. Sed quicquid fuerit, conſentiunt Blaſphemos & Idololatras ſuſpenſos fuiſſe. Atque etiam hoc nos juvat ad intelligendum quid factum fuerit *Stephano*, quem damnarunt & lapidarunt tanquam blaſphemum; talem enim eum eſſe dicebant. Primùm alliſus fuit lapidi ab uno teſtium; deinde alter in eum ingentem lapidem immiſit; & cùm nondum mortuus eſſet, ſed iterùm in genua conſurrexiſſet, ita mortuus eſt dum oraret & lapidibus à populo obrueretur; poſteà in patibulo ſuſpenſus eſt, & eâ ipſâ nocte detractus ac ſepultus: Lex enim vetabat pendere aliquem è ligno per totam noctem. Ejus porrò ſepeliendi ratio eadem non fuit cum ea quâ ſolebant ſepeliri quos ultimo ſupplicio Magiſtratus affecerat, uti nec etiam *Chriſti*, cujus cadaver petiit *Joſephus Arimathæenſis*: nam cum *Synhedrium* haberet duo cœmeteria in quibus ſepeliebantur ſupplicio affecti, quorum unum erat in uſum lapidatorum & combuſtorum, alterum verò eorum qui gladio vel laqueo puniti fuerant; apparet, pios aliquot Chriſtianos detraxiſſe patibulo cadaver *Stephani*, idque ſolenniùs in quopiam alio loco ſepulcro mandaſſe.

Ibid. Perek. 6.

Quamvis *Synhedrium* ſederet in Templo, tamen ſupplicii locus erat extra Urbem, ut patet ex *Levit.* 24: 14. *Deuter.* 17: 5. *Hebr.* 13: 13. *Actor.* 7: 58. Flagellorum & fuſtium ſupplicium ſæpè ſumebatur in ipſo Templo, ut *Deuter.* 25: 2. *Jerem.* 20: 2. Atque hanc in rem habebant ſuos שוטרים, *Lictores* paratos ad exſequendas hujuſcemodi pœnas. שוטרים הם עלי מקל ורצועה, *Shoterim*, ait *Maymonides*, *ii erant qui geſtabant fuſtes & flagella, & adſtabant Judicibus. Illi per plateas ambulabant & cauponas, ut expenderent menſuras & pondera, utque tranſgreſſores verberarent: & omnes eorum exſecutiones fiebant mandato Judicum: & quemcunque viderent peccantem, eum ad Judices trahebant, hique eum judicabant juxta ejus peccatum.*

Maym. ubi ſupr. Per. 1.

Hoc Magnum Synhedrium ſedens in Gazith הם עקר תורה שבעל פה ועמודי הוראה, *erat fundamentum Legis Oralis, & columna inſtructionis*, (confer phraſin 1 Tim. 3: 15.) *& ab eo decreta & judicia exibant in omnem Iſraëlem. Quicunque credebat Moſi & ejus Legi, tenebatur acquieſcere iis in rebus judicialibus.* Hæc *Maymonides* in loco citato in margine. Itaque in omnibus dubiis circa res judiciales, ultimum perfugium eò erat, tanquam ad Tribunal cujus

Id. in *Mamrim*, Per. 1.

judicia in dubium revocare aut deſerere non licebat. Hoc autem ſic fiebat: ſi quis occaſionem haberet inquirendi de re quapiam ejuſmodi, primùm ibat ad Conſeſſum Judicum qui erat in ejus Urbe. Si dubium ritè ſolvere poſſent, acquieſcebat: ſi non poſſent, unus eorum ibat ad proximum *Synhedrium*: ſi non poſſent ſolvere, ibat ad *Synhedrium* viginti trium virorum quod erat ad Portam Montis Domûs: ſi hoc etiam non poſſet, ibat ad alterum *Synhedrium* viginti trium virorum quod erat ad Portam *Nicanoris*: quòd ſi non poſſet, ibat ad hoc Conclave *Gazith*, atque hîc deciſionem dubii ſui accipiebat; quam ſi non ſequeretur, habebatur זקן ממרא, *rebellis Senior*, & periculum vitæ ſubibat.

Thalm. in *Sanhedr.* Per. 2.

Sectio I. *Præſides Synhedrii à Captivitate ad ejus diſſolutionem.*

Cum huc uſque digreſſi fuerimus ad conſiderandum Conſeſſum Judicum qui ſedebant in Conclavi *Gazith*, liceat nobis aliquantulùm adhuc omittere luſtrationem Templi, ad tradendum catalogum & peculiarem notitiam omnium Præſidum in generationibus quæ fluxêre à reditu *Babylonicæ* Captivitatis uſque ad excidium Templi, Civitatis & *Synhedrii*, prout eorum nomina traduntur à Judæis Scriptoribus, ut in Thalmudico Tractatu *Aboth*, in *Aboth Rabbi Nathan*, in Præfatione *Maymonidis* ſuæ *Jadh*, in Auctore *Juchaſin*, & in variis locis *Thalmudis*.

I. Primus fuit *Eſdras*, cujus mentio adeò celebris eſt in Scriptura. *Synhedrium* ejus temporis ordinariè vocatur à Judæis כנסת גדולה, *Magna Synagoga*, cujus præcipui ab ipſo memorantur, *Eſdr*. 2: 2. *Zerubbabel*, *Joshuah*, *Nehemiah*, *Serajah*, *Reelajah*, *Mordecai*, &c. Dicitur aſcendiſſe *Hieroſolymam* ſeptimo anno *Darii*, *Eſdr*. 7: 8. quod contigit viginti quatuor annis poſt populi reditum ex *Babylone*. Quomodo ante iſta tempora ſe habuerit *Synhedrium*, difficile eſt dictu. Hujus *Synhedrium*, aut *Magna Synagoga*, ordinariè dicitur conſtitiſſe CXX. viris, (confer *Actor*. 1: 15.) qui an omnes unà membra ejus fuerint, an verò ſucceſſivè, operæ pretium non eſt hîc diſceptare. Vixit juxta ſupputationem quorumdam Chronologorum Hebræorum, uſque ad eum annum quo *Alexander Magnus* venit *Hieroſolymam*: tùm obiit decimâ die Menſis *Thebeth*, atque adeò prætergreſſus eſt *Babylonicam* & *Perſicam* Monarchias. Exiſtimant etiam *Haggæum*, *Zachariam* & *Malachiam* eodem anno cum *Eſdra* fato functos eſſe, & tùm Prophetiam ceſſaſſe. Confer *Actor*. 19: 2.

II. *Simeon Juſtus*. Quidam Hebræi Scriptores qui non dubitant quin fuerit Princeps *Synhedrii*, attamen quæſtionem movent, num fuerit Summus Sacerdos, vel alius Sacerdos ordinarius. Verùm *Joſephus*, qui Græcè ſcripſit, affirmat eum fuiſſe Pontificem maximum. Rurſùs quidam qui credunt eum fuiſſe Summum Sacerdotem, poſſunt ſibi perſuadere eundem hunc fuiſſe cum *Jadduah*. Sed *Joſephus* manifeſtò eos diſtinguit, collocans *Simeonem* poſt *Jadduam*, interjecto *Oniâ*. Tempus ejus Præfecturæ poteſt indè colligi, quòd *Eleazar* frater ejus, qui ipſi in Summo Sacerdotio ſucceſſit, is fuerit ad quem *Ptolomeus Philadelphus* ſcripſit de Septuaginta Bibliorum Interpretibus. Mira de hoc *Simeone* narrant ejus populares, quorum quædam alibi memoravimus, quibus hæc tantùm adjiciemus, *Quòd ejus tempore lana coccinea alba evaſerit in capite Hirci emiſſitii*; *quòd ſors de Hirco emiſſitio ſemper ad ejus dexteram aſcenderit*; *quòd Occidentalis Lucerna nunquam extincta fuerit*, & *ignis Altaris ſemper jucundè flammaverit*, *ſed cùm mortuus eſt*, *vis ejus imminuta fuerit*. Hoc ipſi attribuitur dictum: *Mundus nititur tribus rebus*, *Lege*, *Religione*, *Miſericordiâ*. Cognomen ei *Juſto* inditum fuerat, Διά τε τὸ πρὸς Θεὸν εὐσεβὲς, καὶ πρὸς τοὺς ὁμοφύλους εὔνουν, *Tum propter ejus pietatem in Deum*, *tum propter benevolentiam in populares*, Joſeph. *Antiquit*. lib. 12. cap. 2.

III. *Antigonus Socaus*. Hic fuit Magiſter *Sadoki* & *Baithi*, qui non benè intelligentes bonam ejus doctrinam, Hæreſin adverſus reſurrectionem primi docuerunt. Hæc erat ejus doctrina: *Ne ſitis tanquam ſervi qui ſerviunt Domino propter præmium*; *ſed ſitis tanquam ſervi qui ſerviunt Domino non propter mercedem*, *ſed timor Cœli ſit ſuper vobis*: quam maligni ejus Diſcipuli in hunc impium ſenſum torquebant, nullum prorſùs præmium ſperandum eſſe colentibus Deum; atque ita negabant mundum futurum.

Sed *Joſephus Ben Joezer*, & *Joſephus Ben Jochanan*, ejuſdem Diſcipuli, orthodoxam defenderunt doctrinam.

IV. *Joſi*, vel *Joſeph Ben Joezer ex Zeredah* (quæ fuit patria *Jeroboami*, 1 *Reg*. 11: 26.) habuit *Joſi* vel *Joſephum Ben Jochanan Hieroſolymitanum* Vice-Præſidem. Hic Thalmudica monumenta incipiunt eos recenſere *binos* זוגות, Præſidem nempè & Vice-Præſidem, non quòd anteà nulli fuerint Vice-Præſides, ſed quia eorum nomina interciderunt, quemadmodum etiam

fuerunt

fuerunt poſt *Hillelem*, licèt nunquam poſteà à Judæis nominentur.

Hic *Joſeph Ben Joezer* habuit adeò protervos liberos, ut noluerit eos hæredes agrorum ſuorum ſcribere, ſed eos donaverit in pios uſus.

V. *Joſhua* filius *Perebiah* Præſes: *Nittai Arbelita* Vice-Præſes. Hic *Joſhua* dicitur vixiſſe tempore Regis *Jannai*, qui vocabatur etiam *Alexander* filius *Hyrcani*. Hic *Hyrcanus* vocabatur quoque *Jannai*, atque invaſerat Regnum; quo factum ut Sapientes & Optimates ejus ævi conſilia agitaverint de eo ejiciendo ex Pontificatu Maximo: ſed gladio ſe tutatus eſt, & plurimos interfecit Sapientes; quæ cauſa fuit cur *Joſhua* filius *Perahiah Alexandriam* fugeret, ſed intercedente *Simeone Ben Shetah* revocatus fuit.

VI. *Judas* filius *Tabbai* Præſes: *Simeon Ben Shetah* Vice-Præſes. Egregium par integrorum ac ſanctorum virorum. Si eorum conſcriberetur vita, egregia eorum narrarentur facinora: ut quòd unâ die ſuſpendio punierint octoginta Sagas, judicaverint Regem *Jannai*; alter eorum quotidiè fleret propter errorem quempiam judicii quem commiſerat; alter verò juſtitiam executioni mandari, proprii filii incolumitate poſthabitâ, voluit. Hunc *Simeonem Ben Shetah* exiſtimamus Conclavis *Gazith* conditorem fuiſſe.

VII. *Shemajah* Præſes, & *Abtalion* Vice-Præſes. Hi erant cognati, atque ex poſteritate *Sennacheribi*, ſed mater eorum erat *Iſraëlitis*.

VIII. *Hillel* Præſes, & *Shammai* Vice-Præſes. Primùm *Hillel* & *Menahem* eo munere fungebantur; ſed *Menahem* ſeſe *Herodi* applicuit. *Hillel* fuit inter eminentiſſimos Judæorum quotquot unquam fuêre, Doctores, natalibus, eruditione, Præfecturâ & liberis. Erat ex ſemine *Davidis* reſpectu matris, quæ originem ducebat à *Shephatiah* filio *Abital*, uxoris *Davidis*. *Hillel* abductus fuit *Babylonem*, unde venit *Hieroſolymam* quadraginta annos natus: tùm per quadraginta annos ſtudio Legis incubuit ſub *Shemajah* & *Abtalione*; poſt quos Præſes fuit *Synhedrii* per alios quadraginta annos. Initium muneris hujus à plerisque incidiſſe ſcribitur in centeſimum annum ante Templi excidium; juxta quam ſupputationem cœpit viginti octo annis ante Natales *Chriſti*, & obiit anno ætatis Servatoris Noſtri duodecimo. Celebris eſt ob Diſcipulos quos habuit octoginta numero, inter quos fuit *Jonathan Ben Uzziel*, *Paraphraſtes Chaldæus*, &c.

IX. *Rabban Simeon* filius *Hillelis*. Hic primùm ornatus fuit titulo *Rabban*. Creditur eſſe idem *Simeon* cujus mentio fit *Luc.* 2. qui *Chriſtum* brachiis ſuſtulit; unde exiſtimant ejus non ita frequentem ac honorificam mentionem fieri apud Hebræos, ac aliorum ejuſdem ordinis virorum, quia non concoquunt iſtam confeſſionem *Chriſti*, quam ipſi abnegant. Hic cœpit præeſſe *Synhedrio* circa decimum tertium annum ætatis Domini Noſtri, modò præmiſſa circa *Hillelem* ſupputatio admittatur. Quamdiu hoc munere functus fuerit, nemo dixit; ſed quidam affirmant diuturnam non fuiſſe ejus Præfecturam. Scriptor Libri *Juchaſin* refert nunquam ejus mentionem fieri in *Mishnah*, qui eſt Traditionum Judaicarum Codex. Fieri poteſt ut Chriſtianiſmum amplexus refrixerit erga eorum Traditiones, ita ut nulla ipſi imputetur, quemadmodum aliis Doctoribus. Veriſimile eſt eum clam Chriſtianiſmum profeſſum eſſe, ut & *Nicodemus* factitabat, & ſimul munus ſuum ſervaſſe.

X. *Rabban Gamaliel Simeonis* filius. Hic fuit ſub cujus diſciplina *Paulus* educatus fuit, *Actor.* 22: 3. Vide & *Actor.* 5: 34. Erat Præſes *Synhedrii* cùm *Chriſtus* accuſatus fuit, & viginti duobus annis poſteà vixit. *Onkelos* Interpres Chaldæus Legis celebri ritu ejus funera curavit. Hic vulgò vocatur *Rabban Gamaliel Senior*, ſeu quia ejus nominis primus erat, ſeu quia diu vixit. De hoc extat dictum memorabile ultimo Capite Tractatûs *Sotah*: *A tempore quo Rabban Gamaliel Senior obiit, honor Legis defecit, & puritas ac Phariſaiſmus interciderunt.*

XI. *Rabban Simeon Gamalielis* filius. Periit in excidio Templi, & interfectus etiam fuiſſet filius ejus, niſi *Rabban Jochanan Ben Zaccai*, qui gratiâ apud *Cæſarem* valebat, vitam ei impetraſſet. Ita ſucceſſionem Præſidum *Synhedrii* oſtendimus uſque ad Civitatis & Templi excidium: verùm nondum planè deſtructum eſt *Synhedrium*, ſed ſatis diu poſteà languens ac fugiens ſubſtitit, & habuit etiam uſque ad integram ipſius abolitionem ſuos Præſides, qui hi fuerunt.

XII. *Rabban Jochanan Ben Zaccai*. Non fuit hic quidem ex poſteris *Hillelis*, ſed ejus Diſcipulus. Hic factus fuit Præſes poſt mortem modò memorati *R. Simeonis*. *Synhedrium* ejus ſedebat *Jabnea*.

XIII. *Rabban Gamaliel Jabneenſis*. Hic fuit filius *R. Simeonis*, quem *R. Jochanan Ben Zaccai* morti eripuit, donante ei *Gamalieli* vitam *Cæſare*, cùm pater ejus *Simeon* interfectus eſt. Sed cùm tunc temporis minorennis eſſet, non potuit muneri parentis

 ſucce-

ſuccedere, ideòque ejus locum occupavit *R. Jochanan Ben Zaccai*, cui fato functo ſucceſſit hic *Rabban Gamaliel*.

XIV. *Rabban Simeon* filius *Gamalielis Jabneenſis*.

XV. *Rabbi Judah* filius *R. Simeonis*. Hic καθ' ἐξοχὴν vocatur *Rabbi* & *Rabbenu haccadoſh*. Collegit *Miſnajoth*.

XVI. *Rabban Gamaliel* filius *R. Judah*. Hîc deſiit titulus *Rabban*, & exſtinctum eſt *Synhedrium*.

CAPUT XXIII.

Conclave Putei, לשכת הגולה.

AD terminum Occidentalem celebris Conclavis *Gazith* erat Conclave quod vocabatur לשכת הכולה, *Conclave Putei*, cujus nominis hæc erat ratio: ששם היה בור קבוע הגלגל נתון עליו ומשם מספיקים מים לכל העזרה. *Quia ibi erat effoſſus puteus, cum rota ſupra ipſum, atque hinc petebant aquam in uſum totius Atrii.*

Midd. Perek. 5.

Non exigua aquæ copia impendebatur in Templo ad implenda Lavacra, elixandas oblationes, abluendas victimas, & replendas ciſternas in quibus corpus lavarent Sacerdotes: attamen ſemper abundabat aquâ Templum. Locus ipſe in quo erat ſitum naturâ ſiccus fuit, petricoſus, & ſine aqua; ſed per canales eò aquam derivabant è loco remotiori, ubi fons erat commodè eam in rem ſitus, qui vocatur עין עיטם, *Fons Etham*. Hac de re loco in margine citato ita habet *Thalmud Babylonicum*. *Domus Sanctuarii altior erat Terra Iſraëlis, & Terra Iſraëlis altior erat aliis terris. Similis non eſt nota ut citant ex Libro Joſhua. Eſt ſcriptum ubique: Terminus deſcendebat, terminus aſcendebat, terminus perveniebat*, &c. *ſed de Tribu Benjamin ſcriptum eſt: Terminus aſcendebat, non verò terminus deſcendebat. Hinc diſce locum illum aptum exiſtimatum fuiſſe ad ædificandum in eo Sanctuarium ad fontem Etham; quia altus erat. Sed dicunt illi, Paulò inferiùs id ducamus, quia ſcriptum eſt, Et habitabit inter ejus humeros, Deuter.* 33: 12. Hæc eorum ſententia eſt: quòd cùm Sanctuarium altius eſſe deberet reliquo ſolo regionis, & cùm Scriptura oſtendat Tribum *Benjamin* altiorem eſſe reliquis, cùm in ejus Chorographia dicantur omnes ejus termini deſcendere, non aſcendere; ideò eos cenſuiſſe condendum eſſe Templum prope fontem *Etham*, quia ibi altiſſimum erat ſolum totius Tribûs *Benjaminis*: ſed cùm conſiderarent Prophetiam Moſis, *Deum habitaturum inter humeros Benjaminis*, non *ſuper ejus capite*, ideò elegiſſe eos *Moriah* locum inferiorem, & eò aquam derivaſſe ex *Etham*: *Aqua ductus veniebat ex Etham*, ait *Hieroſolymitanum Thalmud*.

Maymon. in *Beath Mikdaſh*, Per. 5.

Zevachim, Per. 5. fol. 54. fac. 2.

Thalm. Hieroſ. in *Jom.* Per. 3. fol. 41.

Non multùm ab argumento noſtro digrediemur, ſi hìc inquiſiverimus ubi *Etham* fuerit. Eſt locus in Tribu *Simeonis* qui hoc nomine appellatur, 1 *Paral.* 4: 32. Jam quamvis *Simeonis* & *Judæ* ſedes fuerint intermixtæ, credo tamen eam mixtionem æquè vicinam *Hieroſolymæ* non fuiſſe, ac erat hic fons *Etham*. Mentio fit *rupis Etham*, *Judic.* 15: 8. & urbis *Etham*, 2 *Paral.* 11: 6. quarum alterutram hanc fuiſſe de qua agimus, pro arbitrio definiat lector; vel ſi neutram admittat, reponam tantùm hujus rei determinationem pertinere potiùs ad Chorographiam regionis, quàm ad deſcriptionem Templi. Scholia in locum Thalmudicum ſupra citatum habent hæc verba: *Videtur fons Etham fuiſſe puteus aquæ Nephtoah, de qua mentio fit*, Joſ. 18: 15. In eundem ſenſum loquitur *Kimchi* in Commentario ſuo in locum illum *Joſuæ*. *Ajunt*, inquit, *puteum aquæ Nephtoah eſſe fontem Etham cujus meminere Rabbini noſtri.* Videtur hic locus ad Occidentem Templi ſitus fuiſſe, unde in eam partem tubi deſcendebant, & juxta Domûs ipſius Auſtrale latus tranſibant per eum locum qui vocabatur *Deſcenſio Aquarum*, de quo anteà diximus, & in varia circa Atrium Conclavia diſtribuebantur. Tantâ porrò copiâ aquam deferebant, ut cùm perpetuò flueret, & in uſus quotidianos multa conſumeretur, poſſet tamen ex ea aliquid ſervari in varias occaſiones. Hac de re iterùm nobis aliquid dicendum erit ubi agemus de Æneo Lacu.

Gloſſ. in *Zevachim*, ubi ſupra.

Kimch. in *Joſ.* 18.

Hiſce aquæ ductibus *Ariſteas* oculatus teſtis hoc perhibet teſtimonium: Ὕδατος δὲ ἀνέκλειπτός ἐςι σύστασις, ὡς ἂν καὶ πηγῆς ἔσωθεν πολυῤῥύτου φυσικῶς ἐπιῤῥεούσης, &c. *Erat juge aquarum ſubſidium, quaſi ſubjectus fuiſſet fons abundans naturaliter influens. Erant mira & vix ullis verbis deſcribenda ſubjecta aquæ receptacula, quæ quinque ſtadiis circa Templum extendebantur. Unumquodque eorum varios habebat tubos, per quos in omnia latera aqua veniebat; erant plumbei infra ſolum, ſupergeſtâ multâ humo, erantque multa foramina quæ non cernebantur ab omnibus, ſed ab iis tantùm qui miniſtrabant, ita ut brevi & facilè totus ſanguis ſacrificiorum poſſet ablui, quantacunque ejus eſſet copia. Narrabo quomodo devenerim ad cognitionem horum ſubterraneorum receptaculorum. Me deduxerunt*

Ariſt. Hiſt. Sept. Interp. in *Biblioth. Patr.* Tom. 2. *Græco-Lat.* pag. 866.

Digitized by Google

de duxerunt pluſquàm quatuor ſtadiis extra Urbem, & quidam juſſit me inclinare in quodam loco, & auſcultare quantum ſtrepitum ederet aquarum concurſus.

Porro licèt ex hoc teſtimonio videatur conſequi aquam ex variis locis *Hieroſolymam* derivatam fuiſſe, non minùs ac ex fonte *Etham*, non multùm propterea anxii erimus, quamvis apud *Thalmudicos* nihil ejuſmodi invenerimus. Sed quandoquidem nominant *Etham* ut locum eminentiſſimum, & unde præcipuis in Templo receptaculis aqua ſuppetebat, ſatis nobis erit paucis de eo egiſſe.

Puteus unde aqua hauriebatur, cujus Conclave jam luſtramus, dicitur effoſſus fuiſſe à filiis Captivitatis, cùm redierunt & condiderunt Templum. Verùm an hoc factum fuerit propter fontem qui in eo loco eſſet, an verò ad excavandam duntaxat ciſternam quæ exciperet aquam fontis *Etham*, ſi quæratur, ad poſterius comprobandum variæ poſſunt rationes afferri. I. Facile non eſt conceptu, fontem fuiſſe in rupe Montis *Moriæ*, præſertim cùm nihil tale ibi conſpectum fuerit ſub primo Templo. II. Quia *Thalmudici* & *Ariſteas* laudati omne aquarum ſubſidium aliunde acceſſunt. III. Lavacrum dicitur in teſtimonio allato ex *Thalmude Hieroſolymitano*, aquam habuiſſe ex fonte *Etham*, quæ ex hoc Puteo hauriebatur, ut poſteà videbimus. IV. Quia mentio fit בית הורדת מים, *Domûs Deſcenſionis Aquæ* in Auſtrali latere Templi, quòd oſtendimus ſuo loco non poſſe commodiùs intelligi, quàm ſi tubi ex fonte *Etham* illàc deſcendiſſe concipiantur.

Gloſſ. in Mischnajoth in octav. in Midd. Perek. 5.

Igitur aquæ ex fonte *Etham* collectæ in hunc Puteum vel majorem ciſternam, in varia loca diſtribuebantur in quibus neceſſariæ erant, (ut novi fluvii aqua domatim *Londini* diſtribuitur) ope rotæ quæ attollebat aquam, eamque conjiciebat in varios canales & tubos, qui eam in varia receptacula varioſque uſus deferebant. Nam in quibuſdam locis ſupra ipſas Portas erant Balneæ, ut poſteà videbimus cùm eò devenerimus; utque perpetuò aquâ plenæ eſſent, opus erat aliquâ vi quæ aquam attolleret, quod fiebat vi & motu hujus rotæ.

Porrò ſupra hunc Puteum erat ſplendidum ædificium conſentaneum reliquis ædificiis circa Atrium poſitis, quod habebat Januam in ipſum Atrium, ut Sacerdotes poſſent ſtatim in id ex Atrio abſque circumitione ingredi, ſi opus aquâ eſſet. Atque ita intelligendus eſt locus in Tractatu *Thamid*, ubi de illo qui ſorte acceperat munus purgandi matutino tempore Altaris Thymiamatis, dicitur: *Is cui ſorte attributa erat purgatio Altaris, illud purgare debet: & dicunt ipſi, Cave ne tangas ullum vas, donec manus & pedes ablueris. (patina autem in qua primùm debebat ſumere cineres, erat inter gradus Altaris & Altare ad angulum Occidentalem.) Nemo ingrediebatur Atrium cum eo*, (nam reliqui Sacerdotes remanebant in Conclavi Sortitionis) *nec gerebat ullam candelam, ſed ibat ad lumen ignis qui in Altari erat: nec eum videbant, aut audiebant ejus vocem, donec audirent ſtrepitum inſtrumenti conflati arte Ben Kattim, nempè inſtrumenti Lavacri: tùm dicebant, Occupatus eſt in Lavacro in abluendis manibus & pedibus.* Quodcunque autem eſſet inſtrumentum iſtud à *Ben Kattim* conflatum, quod poſteà inquiremus, dubium non eſt quin aqua quâ in Lavacro utebatur, educta fuiſſet ex Puteo, & indè ad Lavacrum deducta eo modo quem mox videbimus; nam aqua non poterat eſſe in Lavacro per totam noctem. Itaque videtur hic Sacerdos qui ita manus & pedes abluebat, ex Atrio iviſſe in Conclave Putei extra Atrium, cùm Atrii Portæ nondum eſſent apertæ; ſed intrabat in id per Januam quæ in Atrium aperiebatur.

Thalmud in Tham. Perek. 1.

Hoc lucem afferet verbis *Ezechielis* de aquis viventibus, *Ezech.* 47. quæ ibi dicuntur deſcendiſſe per dextrum latus Ædis ad Auſtrale latus Altaris, *verſ.* 1. quod alludit ad aquam in Templum defluentem ex fonte *Etham*, qui propterea clauſus erat. Nam tubi qui indè aquam deferebant deſcendebant ad Auſtrale latus Templi, in eum locum qui vocabatur הורדת המים, *Deſcenſio Aquæ*, de quo jam diximus, indèque in ciſternam Conclavis Putei, quod erat directè è regione Altaris ad Auſtrale ejus latus; atque hinc in varia deferebatur Templi Conclavia.

CAPUT XXIV.

Porta Aquæ, שער המים.
Conclave Abtines, עלית בית אבטנס.

AD Occidentalem Conclavis Putei terminum erat Porta quæ è regione Altaris aperta erat, cujus nomen fuit *Porta Aquæ*. Lector ſtatim credet rationem hujus nominis petitam fuiſſe ex vicinia Conclavis Aquæ, atque hæc ratio veriſſima eſſe poteſt: ſed *Thalmudici* alias prætereà afferunt. Hoc de his habetur in *Miſnah*,

Midd. Perek. 5. & Maymon. in Beth Habbechirah, Per. 5. & Shekalim. Per. 5.

Shekal. ibid. *Miſnah*, in Tract. *Shekalim: Quare nomen ejus vocatur Porta Aquæ? Quia per illam afferebatur Cantharus aquæ quæ effundebatur feſto Tabernaculorum. Rabbi Eliezer filius Jacob dicit, Quia illàc decurrebant aquæ, quæ veniebant deſub limine*, *Ezech*. 47. Duarum haruncce rationum prior magis recepta eſt, ut certè rationi convenientior eſt. Oſtendi in Libro *de Templi Miniſterio*, Cap. 16. Sect. 4. quàm mira eſſet ſolennitas apud Judæos effuſionis aquæ in Altare, & hilaritas propterea in feſto Tabernaculorum. Nam cùm per totum annum eorum libationes, ניסכים ſeu effuſiones liquidæ oblationis fierent tantùm mero, tùm vino aquam miſcebant, & tantam teſtabantur tùm temporis hilaritatem, quantam nunquam aliàs. Modum & rationem ejus fusè eo in loco deſcripſimus. *Jam autem quomodo hæc libatio erat aquæ?* Ajunt *Thalmudici* in Tract. *Succah: Erat Cantharus aureus qui tres Logos continebat. Aliquis eum implebat in Siloam, & inferebat per Portam Aquæ, & Tubæ canebant*, &c. Fons erat ad Auſtrum *Hieroſolymæ*, (licèt Piſcina *Siloam* ad Occidentem eſſet) atque inde breviſſima ad Altare via erat per hanc Portam, quæ ſita erat è regione Altaris; nec mirum videri queat, ſi, cùm effuſio aquæ tanti fieret, Porta per quam inferebatur indè nomen ſuum duceret. Non debet ſine obſervatione id prætermitti, quòd peterent aquam in hanc ſolennem libationem ex fonte *Siloam*, qui non parùm remotus erat, cum Puteus adeò eſſet vicinus, unde aqua haberi poterat. (Succah, Perek. 4.)

Mentio occurrit *Portæ Aquæ*, Nehem. 8: 2. ubi *Eſdras* dicitur legiſſe in Libro Legis *ante plateam quæ eſt ante Portam Aquæ*: ſed hæc fuit Porta Urbis, non Templi, ut apparet ex eodem Libro *Nehem. Cap.*3: 26. Utrùm autem nomen id acceperit ab aquis ex *Solomonis* Piſcina illàc decurrentibus, vel ab aqua defluente ex Templo, *Ezech*.47: 2. diſquirere non eſt hujus loci.

Supra hanc Portam Templi, de qua agimus, quæ etiam *Porta Aquæ* dicebatur, erat Conclave dictum עלית בית אבטנס, *Conclave Familiæ Abtines*. *Abtines* vir fuit eximius, ex iis qui muneri quo defungebantur nomen ſuum dedere apud poſteras generationes, (ut obſervavimus ſuprà de *Phinea Præfecto Veſtiarii*) ac recenſetur in Tractatu *Shekalim*, ubi hi præcipui Miniſtri Templi enumerantur: quam enumerationem integram nobis hìc liceat apponere. Hi fuerunt præcipui Miniſtri qui fuerunt in Templo: *Jochanan filius Phineæ præfectus Sigillis*; (quid eſſent ea Sigilla oſtendi in Libro *de Miniſterio Templi*, Cap. 2.) *Abijah vini oblationibus*; *Mathia filius Samuelis ſortibus*; (vid. *ibid.* Cap. 9. Sect. 1.) *Pethajah avibus*. (*ibid.* Cap. 8. Sect. 3.) *Hic Pethajah eſt Mordecai. At quomodo nomen ejus vocatur Pethajah? Quia aperiebat & exponebat negotia, ac tenebat Septuaginta linguas. Ben Abijah laborantibus viſceribus*; *Nechonjah excavator ciſternarum*; (*ibid.* Cap. 2.) *Gevini Keroz filius Gebber claudendis Portis*; *Ben Bechi Correctioni*; (ad fuſte cædendos Sacerdotes & Levitas qui in excubiis dormientes deprehendebantur, (*ibid.* Cap. 8. Sect. 1.) *Ben Arza Cymbalis*; (*ibid.* Cap. 7. Sect. 2.) *Hagros Ben Levi Cantui*; *Beth Garmu conficiendis Panibus Propoſitionis*; *Beth Abtines conficiendo Thymiamati*; *Eliezar Velis*; *Et Phinehas Veſtiario*. (Thalmud Hieroſol. in Jom. Perek. 1.; Shekalim, Perek. 1.)

Itaque hic *Abtines* fuit unus ex iis qui conficiendi Thymiamatis curam geſſere: atque omnes qui ei ſucceſſerunt vocati ſunt *Beth Abtines*, ſeu *Familia Abtines*; ac Conclave hoc ſupra Portam Aquæ locus fuit in quo opus ſuum conficiebant.

Traditio ad conficiendum ac componendum Thymiama hæc fuit. Habebant undecim aromata ſimplicia, ex quibus hoc pondus ſumebant: *Stactes*, *Onychis*, *Galbani* & *Thuris*, ana ſeptuaginta libras: *Myrrhæ*, *Caſſiæ*, *Calami*, *Croci*, ana ſexdecim libras: *Coſti* duodecim, *Cinnamomi* novem, *Caryophylli* tres; quæ omnia efficiunt 368. libras. Hæc omnia contundebantur in pulverem impalpabilem in Mortario, (quod vocabatur *Mortarium Sanctuarii*, quod ablatum fuit *Romam* in *Hieroſolymæ* excidio) atque omnibus hiſce addebant aliquantum *Sodomitici ſalis*, & *Succini Jordanis*, (quorum ſæpè in Hebræorum Scriptis mentio occurrit) & herbam quandam odoriferam paucis notam. Quotannis hanc Thymiamatis copiam conficiebant, & quotidiè libram unam offerebant, adeòque ex trecentis ſexaginta octo libris trecentæ ſexaginta quinque abſumebantur. Ex tribus libris quæ ſupererant Summus Pontifex plenas manus ſumebat die Expiationis, ac reliquum vocabatur מותר הקטרת, *reliquum Thymiama*: non quidem quòd annua copia eſſet conſumpta die Expiationis, neque enim abſumebatur ante initium menſis *Niſan*; ſed quòd ita iniretur ratio ejus abſumptionis. Primâ die Menſis *Niſan*, ſeu Anni, incipiebant uti novâ maſſâ. (Aboth R. Nathan, ad fin.)

Duæ

Maymon. in Shekal. Perek. 1. Duæ autem libræ & quod ſupererat ex præteriti anni Thymiamate dabatur fabris qui Templum inſtaurabant in partem mercedis: atque iterùm redimebatur ab illis, & conſumebatur tanquam novum. Unumquodque Aroma totum contundebatur, & dum is qui contundebat eâ re occupabatur, perpetuò dicebat, הידק היטב הידק היטב. *Contunde benè, contunde bene*, &c. tùm omnia miſcebantur.

Cautio erat, כל מעשה בקודש בתוך העז״ה, *Omnem compoſitionem & confectionem debere fieri in Sanctuario in medio Atrii:* quâ an locus in Atrio ſub dio poſitus, vel ea pars Conclavis *Abtines* quæ erat intra Atrium, ſignificetur, non tanti eſt ut diſquiramus. Hoc Conclave id erat in quo Thymiama confectum aſſervabatur, & fiebat. Hîc etiam bis in anno contundebatur, aëri exponebatur, & inſpiciebatur ne corrumperetur. *Id.* ubi ſuprà.

Thalmud in *Jom.* Perek. 1. In hoc Conclave deducebatur Summus Sacerdos certo ante diem Expiationis tempore, ut diſceret quomodo eâ die manus impleret Thymiamate, prout requirebatur, *Levit.* 16: 12. *Hic enim erat locus*, ait *Aruch*, *ubi Thymiama præparabatur: & eum eò deducebant, ut eum docerent quomodo manus eo eſſent implendæ.* *Aruch* in אבטנים

In hoc etiam Conclavi Sacerdotes unaquaque nocte excubias agebant, uti narrant *Thalmudici* in Tractatibus *Thamid* & *Middoth* hiſce verbis: *In tribus Sanctuarii locis Sacerdotes excubias agebant, nempè in Beth Abtines, & in Beth Nitſots, & in Beth Mokadh. Beth Abtines ac Beth Nitſots erant ſuperiora Conclavia, & ibi juniores Sacerdotes excubabant*, &c. quæ nocturna cuſtodia non minùs erat honoris causâ, quàm ſecuritatis. Hæc duo excubiarum Conclavia, *Abtines* & *Nitſots*, erant è regione Altaris, & unum quidem in dextro, alterum verò in ſiniſtro Atrii latere; atque hîc excubias agebant juniores Sacerdotes, ſeniores verò in *Beth Mokadh* ad Occidentalem Atrii terminum, ut videbimus cùm eo devenerimus. *Tham.* Perek. 1. & *Midd.* Perek. 1.

Supra hujus *Portæ Aquæ* & Conclavis *Abtines* laquear erat Balneum, in quo Summus Sacerdos ſe abluebat primâ vice die Expiationis. Nam licèt Balneum quod erat ſupra Conclave *Happarvah* id eſſet in quo ſæpiùs in iſto die ablui ſolebat, attamen hîc primùm ſe abluebat, ſiquidem aliquantulum temporis antequàm illuceſceret remanebat in Conclavi *Abtines*, atque hic erat omnium commodiſſimus locus ad ſe abluendum cùm illuxerat dies. Ante diem Expiationis totam noctem hîc commorabatur, & cùm manè illuceſcebat, primùm aſcendebat, antequàm Miniſterium ſuum inchoaret, ſupra hanc Portam, & hîc corpus abluebat. Hoc ſibi volunt verba Tractatûs *Joma*, quæ ſic habent: *Quinque ablutionibus corporis ſui, decem ablutionibus manuum & pedum utebatur Summus Sacerdos eâ die, & quidem in ſancto ſolo ſupra Conclave Happarvah, ſed tantùm primam*, &c. *Joma*, Perek. 3. Hic locus erat ad Balneum aptiſſimus, cùm adeò eſſet vicinus *Conclavi putei*, atque hoc fortè inter alia effecit ut vocaretur *Porta Aquæ*.

CAPUT XXV.

Conclave Ligni, לשכת עץ, *& Conclave Parhedrin*, לשכת פרהדרין.

ÆDificium quod jam luſtramus conjunctum erat Portæ Aquæ ad Occidentem, & duplici nomine inſigniebatur: vel enim vocabatur לשכת העץ, *Conclave Ligni*, vel לשכת פרהדרין, *Conclave Parhedrin*. Vocabatur *Conclave Ligni*, quia poſtquàm Sacerdotes aliquo vitio polluti ſecreverant lignum non vermiculatum, in Conclavi ejuſdem nominis, quod erat in angulo Atrii mulierum, ut obſervavimus, afferebant id quod exiſtimabant aptum Altari in hoc Conclave, ut vicinius eſſet, & paratum ad devehendum ad Altare cùm neceſſe erat.

Quod ſpectat ad aliud nomen quod geſtabat hoc ædificium, duobus modis ſcriptum eſt. *Thalmud Babylonicum*, *Maymonides*, aliique legunt cum *r* לשכת פרהדרין, *Conclave Parhedrin:* ſed *Hieroſolymitanum Thalmud*, *Miſhnajoth* in octavo, &c. legunt cum *l* לשכת פלהדרין, *Conclave Palhedrin*; de qua varietate nequaquàm diſceptabimus. *Joma*, Perek. 1. *Beth Habbechir.* Perek. 5. In *Joma*, ubi ſuprà. Licèt porrò duo *Thalmud* diſſentiant in hac nominis litera, in alia re conveniunt, & affirmant antiquis temporibus vocatum id Conclave, לשכת בלווטין, Παρέδρων ἢ Βουλευτῶν, *Conclave Conſiliariorum*. In *Gemar.* Video etiam ex *Maymonide* vocatum id fuiſſe *Conclave Summi Sacerdotis*, quaſi peculiariter ad eum pertinuiſſet: nam verba faciens de receſſione Summi Sacerdotis in ſeptiduum, ante diem Expiationis, in hoc Conclave, (ſic enim habent *Thalmudici* in loco anteà in margine citato) rem ſic exprimit: מפרישין כ״ג מביתו ללשכתו שבמקדש, *Secedere faciebant Pontificem Maximum ex ipſius ædibus in ejus Conclave, quod erat in Sanctuario.* *Maymon.* in *Jom. Hachipp.* Perek. 1. Ita etiam vocatur

in

Digitized by Google

in *Hieroſolymitano Thalmude*, licèt nomine proprio non appelletur, cùm dicitur Summus Sacerdos ad certum tempus incluſus fuiſſe בעליית בית אבטינס על גבי שער המים היתה סמוך ללשכתו היתה, *in Conclavi Abtines quod erat ſupra Portam Aquæ, & quod erat vicinum ejus Conclavi.* Atque hîc ὡς ἐν παρόδῳ obſervare potes hoc *Conclave Ligni* & *Conclave Parhedrin* conjuncta fuiſſe Portæ Aquæ, juxta ſitum quem eis tribuimus, uno alteri ſuper impoſito, cùm Conclave Ligni eſſet inferiùs, & *Parhedrin* ſuperiùs.

Thalmud Hieroſ. ubi ſuprà.

Jam autem vocabatur *Conclave Summi Sacerdotis*, non tam quòd eò ad pauculos anni dies ſecederet, quàm quia Summus Sacerdos ſolebat eò Fratres Sacerdotes convocare ad habenda conſilia de Templi negotiis ac Sacro Miniſterio. Itaque erat veluti in Templis noſtris *Veſtiarium*, vel *Conclave Decani & Capituli*, in quæ de ejuſmodi rebus acturi conveniunt. Alibi obſervavimus, præter Summum Pontificem fuiſſe τὸν *Sagan*, *duos Catholikin*, *ſeptem Immarcalin*, *& tres Gizbarin*, qui erant præcipui Templi Miniſtri ad accipiendam, ſolvendam, & adminiſtrandam ejus pecuniam, ad reparanda ædificia, & totius Miniſterii curam gerendam. Hi erant בולווטין, *Conſiliarii Templi*, qui curabant id ſemper ſartum tectumque eſſe, atque hoc erat Conclave in quo conſtanter ſedebant, unde vocabatur *Conclave Conſiliariorum.* Rationem mutationis hujus nominis in *Conclave Parhedrin*, ſeu *Palhedrin* (legito enim prout libet) afferunt *Thalmudici* in *Gemara* loco ſuprà citato hiſce verbis. *Vocabatur Conclave Conſiliariorum donec Summum Sacerdotium cœpit emi & vendi pecuniâ, & ſæpiùs immutatum eſt. Hi Conſiliarii ſæpiùs etiam exindè mutati ſunt, & tùm vocatum fuit Conclave Parhedrin.* Senſus hic eſſe videtur: Dum Summum Sacerdotium integrum & illibatum ſtetit, Pontificem Maximum unà cum fratribus ibi gravem habuiſſe Conſeſſum ad procurandam Templi utilitatem: ſed poſtquàm pecunia & direptiones fecerunt atque exauctorarunt Summum Sacerdotem, pecuniâ etiam electos hoſce Conſiliarios, qui ſuæ rei potiùs quàm publicæ notionem habebant. Itaque populus à ſe impetrare non potuit ut eos vocaret Conſiliarios, ſed appellavit tantùm *Parhedros*, ſeu *Aſſeſſores*, ut à *Magni Synhedrii* membris eos diſtingueret. *Joſephus Arimathæenſis* unus ex hiſce erat, *Marc.* 15: 43. Vox *Parhedrin* videtur eadem eſſe ac Græca vox Παρέδριον, ut *Sanhedrin* eſt Συνέδριον. Atque optimè conjicere poſſumus; cùm *Synhedrii* membra eſſent etiam Conſiliarii, hunc Conſeſſum vocatum fuiſſe *Parhedrin*, ut à *Synhedrio* diſtingueretur; præſertim ſi conſideremus quàm vicini ſederent hi Conſeſſus, cùm inter hoc Conclave & *Gazith* nihil intercederet niſi *Porta Aquæ* & *Conclave Putei.* Ibi ſedebat magnum Gentis Concilium quod *Synhedrium* vocabatur; hic verò Concilium Templi, quod vocabatur *Parhedrium*, ſeu Concilium quod ſedebat juxta *Synhedrium.* Ita erant quatuor Concilia in Templo, quorum tria judicia etiam exercebant, nempè *Magnum Synhedrium* unius & ſeptuaginta virorum, & duo minora *Synhedria* viginti trium. Hic Conſeſſus verò Sacerdotum non erat propriè judiciorum causâ, ſed conſiliorum de rebus ad Templum pertinentibus.

De Miniſter. Templi, cap. 4.

Thalmud Hieroſolymitanum exponit vocem פלהדרין (ſic enim legit) voce פריארתין, quæ non minùs obſcuritatis habet quàm prior. Videtur quidem Græca aut Latina vox *Prioritas* eſſe; ſed quid propriè ſibi velit, facile non eſt conjicere. *Baal Aruch* interpretatur etiam *Palhedrin* voce æquè difficili, nempè voce אגרדמין, *Agardemin*; ſed quam hac explicatione clariorem reddit. Dicit eos fuiſſe *Præfectos ponderibus & menſuris, qui expendere deberent τὸ Ephah & τὸ Hin, & ſigillo notarent quæ juſta erant; eos puniiſſe illos qui Tabernas habebant in Monte Templi, ſi venderent æquo cariùs, & juſſiſſe viliori pretio vendere.*

CAPUT XXVI.

Porta Primitiarum, ſeu Primogenitorum.

HÆc Porta quæ erat ultra ædificia jam memorata Occidentem verſùs duobus nominibus indigitabatur: aliquando שער הקרבה, *Porta Oblationis*, ut quidam legunt; ſed frequentiùs שער בכורות, *Porta Primitiarum*: quæ nomina coincidunt in eundem ſenſum; nam Porta hæc nomen trahebat à primitiis quæ illàc afferebantur ut offerrentur.

Vide *C. Lemper.* pag. 17. in *Midd.* *Midd.* Perek. 1. & 2. & *Shekalim*, Perek. 6. *Barten.* in *Midd.*

Lex de conſecratione eorum quæ uterum aperiebant, *Exod.* 13. per Judaicas Traditiones innumeris difficultatibus involuta fuit; ſed ut res definiretur, ex quibus nempè Primitiæ poterant offerri, ex quibus verò non, cuſum eſt decretum à viro qui vocabatur מוכחה, quo definiuntur. Hujus nominis hanc rationem atque interpretationem afferunt Scholiaſtæ: *Mumcheh derivatur à voce Mochah, ut dicitur in hoc verſu,* ומחהאלים כנרת, *Et pertingit ad mare Cinnereth*, Numer. 34: 11. *quod intelligendum eundo rectà: at*

Gloſſ. in *Beraceth*, Per. 4.

vox

Digitized by Google

vox Mumcheb ſignificat eum peritum fuiſſe: auctoritatem accepit à Præſide Synhedrii, vel à Synhedrio in terra Iſraëlis, ab hominibus eam in rem conſtitutis. Princeps *Synhedrii* conceſſit ei poteſtatem ut eo officio fungeretur, hiſce verbis: חתר בכורות מומין, *Solve Primitias vitio pollutorum:* hoc eſt, accipe poteſtatem ligandi & ſolvendi in iis quæ ſpectant vitia Primitiarum, ut definias quænam vitia obſtare poſſint quominùs offerantur, quæ verò non obſtent. *Thalmudici* utuntur vocibus *ligandi & ſolvendi* ἀντὶ τοῦ prohibere & permittere, ut, התירו שאלת שלום בשבת מרוחק, *Neceſſitatis cauſâ ſolverunt ſalutationem die Sabbati*, hoc eſt, permiſerunt. *Schola Shammai ligavit opus in præparatione Sabbati*, hoc eſt, prohibuit: *ſed Schola Hillel* התיר *ſolvit*, hoc eſt, id permiſit, vel cenſuit ac docuit id eſſe licitum. *Scribæ ligarunt fermentum:* &, *Sapientes omnia pinguia ſolverunt*, &c. Facile eſſet centena proferre exempla ex Scriptoribus Hebræis hanc in rem, in quibus *res ligata* vel *ſoluta* ſumuntur pro prohibitis vel licitis, ut colligebant ex Lege, vel à Doctoribus ſuis acceperant. Præſertim *ligatio & ſolutio Primitiarum* ac *Votorum* erant ſingularis inter eos obſervationis. *Solutio Primitiarum*, ait *Abraham Zaccuth*, *res erat majoris difficultatis quàm ſolutio Votorum:* ubi ſolutione Votorum non ſignificat aliquem poteſtatem habuiſſe abſolvendi à Votis legitimis ſemel nuncupatis, ſed quoſdam conſtitutos fuiſſe ut judicarent de Votis, utrùm nempè licita vel illicita eſſent, utrùm obligarent necne.

Maym. in *Becor.* Perek. 3.
Tanch. fol. 1. col. 3.
Thalm. in *Peſach.* Per. 4.
Maym. in *Hamets*, Per. 1.
Tanch. fol. 74. col. 3.
Juchaſin, fol. 50.

Non oportebat Primitias mactari aut offerri priuſquàm eas vidiſſet ὁ *Mumcheb: Et qui cùm non eſſet Mumcheb,* (conſtitutus à *Synhedrio*) *volebat tamen ſibi aſſumere examen Primitiarum, & quo approbante mactabantur, debebat eas legitimas præſtare: & qui accipiebat mercedem ad luſtrandas victimas, non admittebatur vulgò niſi auctoritatem accepiſſet à Synhedrio; qualis fuit Ailah Sapiens Jabneæ, cui Sapientes permiſerunt accipere quatuor* אסרות, *Aſſaria ad expendendas macilentas Primitias, ſex verò ad expendendas pingues*, &c.

Thalm. in *Beracoth*, Per. 4.

Primogenitus Agnus vel Vitulus, quem probaverat ὁ *Mumcheb* tanquam aptum ſacrificio, delatus propterea in Templum, mactabatur ad Auſtrale latus Altaris, vel ſaltem ad Auſtrale latus Atrii. In Thalmudico Tractatu *Zevachin*, Cap. 1. eſt diſceptatio, in qua quæritur quænam ſacrificia debuerint mactari ad Septentrionale latus Altaris, quæ alibi. Atque enumeratis victimis ad Altaris Septentrionem mactandis, adduntur hæc verba: *Sacrificium Gratiarum Actionis, Nazaræi, Ariel, ordinaria Pacifica, Primitiæ, Decimæ, Paſcha immolari debebant in quopiam Atrii loco:* ubi per quempiam Atrii locum deſignatur Auſtrale latus oppoſitum Septentrionali, de quo anteà actum fuerat, & eâ quidem latitudine ut intelligatur non tantùm ea pars quæ erat exactè è regione Altaris, ſed amplius ſpatium, ut fuſiùs videbimus cùm devenerimus ad luſtrationem laterum ipſius Atrii.

Id. in *Zevachin*, Per. 5.

Cùm igitur primogenitæ pecudes mactandæ eſſent ad hoc Atrii Auſtrale latus, cujus Portas & ædificia nunc luſtramus, inferendæ erant per eam Portam de qua jam nobis ſermo eſt, & quæ indè dicta eſt *Porta Primitiarum.* Porta Aquæ certè propior erat Altari, & rectior erat illàc ad Altare via; ſed ſi circa ea loca victimæ mactatæ fuiſſent, impeditus fuiſſet tranſitus ad Altare ex *Conclavi Putei*, *Portâ Aquæ*, & *Conclavi Ligni*, ad quæ loca ſæpiùs ex Altari erat eundum. Ideòque Primitiæ aliæque victimæ, quæ mactari oportebat ad Auſtrale latus Atrii, per Superiorem Portam inferebantur, quippè quæ à via remotior erat, & circa ea loca mactabantur, in quibus minori impedimento erant. Porrò cùm memorata Traditio deſignet Septentrionale latus Atrii tanquam locum proprium mactandis hujuſcemodi victimis enumeratis, attamen laxiùs loquitur: שחיבחן בכל מקום בעזרה, *Mactari poterant in quapiam Atrii parte*, quia licèt in Auſtrali immolarentur utplurimùm, ſi numeroſiores forent, nec commodè ea in parte mactari poſſent, ad alterum latus fieri id poterat, quemadmodum Paſchales agni propter numerum ubique mactabantur: ſacrificia verò quæ debebant mactari ad latus Septentrionale, neceſſariò ibi mactabantur, nec ullâ diſpenſatione aliò transferri poterant.

Oblatio Primitiarum per hanc Portam ingreſſarum, de qua agimus, nobis in memoriam revocat omnium maſculorum primogenitorum in *Iſraële* comparitionem. Omnes debebant ter quotannis ſe coram Domino ſiſtere, *Exod.* 23: 17. Jam autem hoc præceptum ad pueros non pertinebat, juxta Traditionem Judæorum, donec ſatis valentes eſſent ad aſcendendum manu à patre deducti ad Templum ex Civitate. Atque ea oblatio Primogenitorum coram Domino loco memorato non urgebatur, ſed præcepto quod extat *Exod.* 13: 12. & 22: 29. ubi *Thargumiſtæ Jonathan* & *Onkelos* verba Scripturæ interpretantur de ſeparatione Primogenitorum ad comparendum *coram Domino*, ſeu in Templo, ut etiam conſtat ex diſertis

Digitized by Google

Scripturæ verbis, *Numer.* 18: 15. *Luc.* 2: 23. Offerebant autem ſe ad *Portam Nicanoris*, nam hîc erat locus peculiariter ejuſmodi comparitionibus deſtinatus; atque in hoc ſe ſiſtebant Puerperæ ut purificarentur. Hoc in loco Virgo *Maria* obtulit Servatorem noſtrum, *Luc.* 2. & ſolvit quinque ſiclos ad ejus redemptionem, *Numer.* 18. Idem fecit *Anna Silunte*, 1 *Sam.* 1: 24. niſi quòd ſolito diutiùs filium tenuit, quia cùm cum Sanctuario obtulit, animus ei erat ibi illum in perpetuum relinquere; ideòque eum non redemit, ſed Domino conſecravit.

CAPUT XXVII.

Porta הדלק *Hadlak, vel Accenſionis Ignis.*

Facile eſt oſtendere הדלק rectè transferri *Accenſionem*; ſed non æquè facile eſt rationem afferre quare hæc Porta quæ omnium maximè ad Occidentem vergebat in Auſtrali latere, eo nomine inſigniretur. Communis opinio Scholiaſtarum ſatis eſt plauſibilis, ſed in contrarium afferri poteſt haud levis objectio. Exiſtimant eam vocatam fuiſſe *Portam Accenſionis*, quòd per eam lignum deferretur ad Altare, ut perpetuum aleret ignem juxta legem, *Levit.* 6: 12. Sed quomodo hàc lignum detuliſſent ad Altare? Poterant ad hoc multò breviori viâ ire, ſeu per Portam Aquæ, ſeu per Portam Primitiarum, cùm Conclave inter eas ſitum eſſet, ut demonſtratum eſt. Veriſimile etiam eſt lignum ex Conclavi Ligni ad Altare delatum fuiſſe, non per ullam Atrii Portam, ſed per Januam quæ ex ipſo Conclavi in Atrium aperiebatur.

Bartenor. C. Lemper. in *Midd.* & *Gloſſ.* in *Shekal.* Per. 6.

Ad inveniendam igitur hujus nominis rationem, non poſſum non reſpicere oppoſitam Atrii partem, in qua erat Porta quæ *Beth Mokadh*, ſeu *Porta Ignis accenſi*, non ſecùs atque hæc, dicebatur *Porta Accenſionis*. Ratio prioris nominis indè petitur, quòd ibi perpetuus eſſet ignis in gratiam ſeniorum Sacerdotum, ut mox oſtendemus: unde optimè conjicere poſſumus hîc etiam ignem ſtructum fuiſſe in gratiam Levitarum. Ac licèt nullam ſeu in *Thalmudicis*, ſeu apud *Joſephum* mentionem inveniam ullius ædificii huic Portæ conjuncti, attamen cùm Tractatus *Middoth* meminerit Excubiarum Levitarum בלשכת הפרוכת, *in Conclavi Veli*, nullum invenio locum in quo commodiùs haſce collocem Excubias quàm ad hanc Portam. *Thalmudici* enim per *Conclave Veli* non ſignificant ullum Conclave ipſi ædificio Templi conjunctum,

Midd. Per. 1.

nec ullum Conclave in Atrio, (nam Levitæ excubias agebant non intra, ſed extra Atrium) ſed aliquod Conclave extra Atrium, quod erat è regione loci Veli quod ſeparabat Sanctuarium ab Adyto. Et quemadmodum erat longum ædificium quod porrigebatur ab oppoſita illa Septentrionali Porta versùs Occidentem ad ipſum angulum qui erat in iſta parte muri Atrii; ita ab hac Porta Occidentem versùs erat longum ædificium ad angulum muri, in quo ampliſſimo ædificio, quod introrſùm variè diviſum, erant duæ Excubiæ Levitarum admodùm vicinæ. Itaque hîc erant tres Cuſtodiæ ſibi proximæ, quarum prima vicina erat Portæ Orientali; (nam ad quinque Portas Atrii Levitæ excubias agebant; & hæc erat una ex quinque illis) altera propè Portam Occidentalem è regione Veli; *Ibid.* tertia denique ad angulum Atrii. Igitur quemadmodum erat communis ignis ſtructus in gratiam Sacerdotum in oppoſita Atrii parte, in amplo ædificio huic oppoſito, ex quo Porta vicina nomen ducebat: ita veriſimillimum eſt hîc Levitis communem ſtructum fuiſſe ignem, qui huic Portæ nomen fecerit *Portam Accenſionis*.

Ita luſtratis Portis & ædificiis quæ erant in Auſtrali latere Atrii, ſic eorum ordinem diſpoſitum fuiſſe concipimus, ab Oriente in Occidentem aſcendendo. Primò erat Conclave *Gazith* in angulo Noto-zephyrum reſpiciente: deinde Conclave *Putei*. Proximè ſequebatur *Porta Aquæ*, ſupra quam erat Conclave *Abtines*: ex altera parte Portæ erat *Conclave Ligni*, ſupra quod erat Conclave *Concilii*: poſteà erat *Porta Primitiarum*, cui ad utrumque latus adjunctæ erant Levitarum Excubiæ; atque hoc ædificium in ea parte quæ ad Occidentem erat, porrigebatur uſque ad Occidentalem angulum Atrii. Cæterùm *Aba Joſe* Orator in *Thalmude* alterius adhuc meminit Portæ quæ magis ad Occidentem vergebat, quàm memoratæ à nobis, in hoc ipſo latere, quàm vocat *Superiorem Portam*; atque è regione in Septentrionali latere recenſet Portam unam præter eas quæ vulgò numerantur, eamque vocat *Portam Jechoniæ*. Verùm ſolus eſt in hac ſua de Portarum numero ſententia, licèt quidam ex ejus popularibus eatenùs cùm eo ſentiant, quòd dicant præter tres Portas Atrii in latere Septentrionali fuiſſe introitum per amplum ædificium *Beth Mokadh* dictum, διὰ τῶ *Chel*, in Atrium, quem exiſtimo ab eo vocari *Portam Jechoniæ*. Ratio nominis hæc affertur, quòd *Jechoniah* ex hac Porta exierit in Captivitatem.

Ita

Digitized by Google

Ita etiam poteſt fieri ut in ampliſſimo hujus lateris ædificio, quod à *Porta Acceſſionis* ad angulum Occidentalem extendebatur, fuerit Janua in Atrium aperta, quam vocat *Superiorem Portam.*

Verùm quomodocunque res in poſteriori Templo ſe habuerit, ipſum nomen *Portæ Superioris* videtur non immeritò nos vocare ad conſiderationem ejus quæ vocabatur *Superior Porta Benjaminis in Domo Domini*, temporibus Templi prioris. *Jeremiæ* 20: 2. dicitur *Paſhur verberaſſe Jeremiam, & eum conjeciſſe in cippos qui erant in ſuperiori Porta Benjamin in Domo Domini.* Interpretes noſtri *Angli* non auſi ſunt vertere *in Domo Domini*, *in the Houſe of the Lord*, fortaſſè quia in Templo cippos eſſe indecorum exiſtimarunt; ideòque verterunt, *which was by the Houſe of the Lord*, *Qui erant prope Domum Domini*, quippè qui non crederent hæc verba ad Portam referri. Sed adeò plana ſunt Textûs Hebraici verba, & tantus Interpretum conſenſus, ut ab eo recedere nihil aliud ſit quàm torquere planum & facilem locum, & obſcurum facere qui per ſe obſcurus non eſt. Mons Templi erat in ſorte Tribuum *Judæ & Benjamin*, ut anteà obſervatum eſt; & linea quæ utriuſque agrum dividebat decurrebat juxta angulum Altaris obverſum Euro-noto, ut mox videbimus, ita ut Templum & Altare eſſent in Tribu *Benjaminis*, juxta *Moſis* prædictionem, Deum habitaturum inter humeros *Benjaminis.* Ad hanc eandem Tribum pertinebat Auſtralis murus ad eum uſque locum qui directè reſpondebat angulo Altaris, ex quo loco reliqua erant Tribûs *Judæ.* Apparet itaque in hoc Atrii latere temporibus primi Templi fuiſſe tantùm duas Portas, quæ vocabantur *ſuperior & inferior Porta Benjamin*, quia erant in *Benjaminis* agro. In Septentrionali verò latere erant etiam duæ in Atrio Portæ, quarum hæc erant nomina, *Porta Altaris quæ eſt Septentrionalis, & Porta Domûs Domini quæ eſt Septentrionalis*, ut poſteà videbimus.

Quod autem ſpectat ad locum hunc, vel inſtrumentum pœnæ, (ſeu fuerit turris, ut videntur crediſſe LXX. Interpretes; vel collare ferreum, ut pater *Davidis Kimchi*; vel cippi, ut habent *Angli* noſtri Interpretes) non abſurdum eſt credere id fuiſſe in Æde Domini, nempè ad hanc Portam, quâ ex Atrio in *Chel* porrigebatur; quandoquidem in Templo ipſo judicia, flagra, verbera & lapidatio exercebantur, ut anteà innuimus.

Jam, ut procedamus ab Auſtrali latere ad Septentrionale, juxta longitudinem muri Atrii in Occidentali ejus facie nulla erat prorsùs Porta, ſed murus tantùm planus ac continuus. Hoc manifeſtè oſtendit *Joſephus*, cùm dicit, Τὸ δὲ πρὸς δύσιν μέρος οὐκ εἶχε πύλην, ἀλλὰ διηνεκὲς ᾠκοδόμητο ταύτῃ τὸ τεῖχος. *Ea pars muri quæ ad Occidentem erat nullam prorsùs Portam habuit, ſed murus illàc continuus exſtructus fuerat.* *Joſeph. de Bell. lib. 5. cap. 14.* Ejus relatio cum omnium aliorum Judæorum conſentit teſtimonio, excepto tantùm *Aba Joſe*, cujus jam meminimus, qui loquitur de duabus Portis eo in loco ſitis; ſed earum uſum non indicat, nec earum nomina profert: ac certè cui uſui fuiſſent Portæ in loco adeò remoto à Sacro Miniſterio, & quidem ponè Templum? Erat certè in poſtica parte Atrii in medio muro inter Septentrionem atque Auſtrum, ædificium extructum ἐν τῷ *Chel*, ubi erant Excubiæ Levitarum quæ dicebantur eſſe אחרי בית הכפורת, *ponè Propitiatorium*: verùm non apparet ullam ibi Portam fuiſſe, quâ in Atrium ingreſſus daretur; & ſi qui fuerit ingreſſus, fuit tantùm per oſtium minus, non per majorem Portam. De Excubiis Sacerdotum & Levitarum ita habent Hebræorum monumenta: *In tribus locis Templi Sacerdotes excubias agebant, in Conclavi Abtines, in Beth Nitſots, & in Beth Mokadh.* *Midd. Perek. 1.* *Levitæ in uno & viginti locis: quinque erant ad quinque Portas Montis Domûs: quatuor in quatuor angulis ejus introrſùm: quinque ad quinque Portas Atrii, & quatuor ad quatuor angulos ejus intrinſecùs. Una erat Cuſtodia in Conclavi Corban, una in Conclavi poſita è regione Veli; una denique poſt locum Propitiatorii.*

CAPUT XXVIII.

Portæ & Ædificia in muro Atrii, in Septentrionali latere.

JAm venimus ad Septentrionale latus Atrii, in quo temporibus poſterioris Templi quænam fuerint Portæ & ædificia priuſquàm videamus, non debemus omittere inquirere quidnam in eo fuerit ſtante priori Templo. Eſt locus *Ezechielis* 8: 3, 5, 14. *Tranſportavit me in viſionibus Dei Hieroſolymam, ad valvas interioris Portæ Atrii quæ reſpicit Septentrionem, ubi erat ſedes Imaginis Zelotypiæ, quæ provocat ad zelotypiam, & dixit mihi, Fili hominis, jam attolle oculos tuos versùs Septentrionem. Itaque ſuſtuli oculos meos in eam partem versùs Septentrionem; atque ad Septentrionem Portæ Altaris ecce hanc Imaginem Zelotypiæ ad introitum. Et tulit me ad valvas Portæ Ædis Domini, quæ erat*

 versùs

verſùs Boream, atque ecce ibi ſedebant mulieres deflentes Tammuz. Hic disertè indigitantur duæ Portæ in Septentrionali facie Atrii, *Porta Altaris*, & *Porta Ædis Domini verſùs Septentrionem*, quia una erat è regione Altaris, altera è regione ædificii Templi. Ad Portam ſitam è regione Altaris Propheta primùm in viſione delatus eſt, atque ibi vidit Imaginem Zelotypiæ, non in hac quidem Altaris Porta, ſed in Monte Domûs ad Septentrionem hujus Portæ & Prophetæ in ea ſtantis: Propheta enim non eſt delatus intra Atrium ad hanc Portam, ſed poſitus eſt extra, atque ibi juſſus Septentrionem versùs reſpicere, ubi vidit hanc Imaginem. Non erat tabula ſeu ſtatua quæ zelotypiam referret; ſed dicitur *Imago Zelotypiæ*, quia provocabat Deum zelotypum ad zelotypiam, cùm eſſet poſita in ipſo Sanctuario ejus & è regione Altaris. Quodnam foret hoc Idolum inutile eſt diſquirere. Conjecerim fuiſſe *Molec*, quia hujus cultus erat ſummus Idololatriæ apex, & qui maximè Dei iram provocabat, nempè combuſtione liberorum; & quia maximè reprehenſi propterea fuerant & reprehenſione digniſſimi erant. Utrùm eſſet hoc Idolum in Templo eo ipſo tempore quo *Ezechiel* hanc habuit viſionem, quod contigit ſexto *Sedeciæ* anno; an verò hâc viſione ei oblata fuerit Idololatria quæ aliquando in Templo commiſſa fuerat, non facile eſt dictu. Sed quodcunque fuerit hoc Idolum, & quocunque tempore poſitum fuerit in Templo, non levis erat abominatio Ædiculæ Idololatricæ erectio in Monte Domûs Domini è regione Portæ quæ Altari oppoſita erat. Hæc Porta erat *inferior Porta Septentrionalis*, quæ tempore poſterioris Templi vocabatur *Nitſots*, vel *Cantûs*.

Priuſquàm Propheta deferretur ad ſuperiorem Portam Septentrionalem, dicitur delatus fuiſſe ad *Januam Atrii*, verſ. 7. hoc eſt, ad Orientalem Portam quæ erat tum temporis frequentiſſima commeantibus, & in qua tunc ſedebat *Magnum Synhedrium*; atque ibi vidiſſe Conclave *Synhedrii* circumquaque imaginibus pictum, & ſeptuaginta Aſſeſſores *Synhedrii* thus Idolis offerentes. Deinde delatus eſt ad ſuperiorem Portam Septentrionalem quæ ipſi ædificio Templi oppoſita erat, atque ibi vidit mulieres lamentantes propter *Tammuz*. Quiſnam eſſet *Tammuz*, aut quid ſibi vellet earum planctus, non eſt noſtri argumenti diſquirere. Lectori tantùm exſcribam hic Scholium *Davidis Kimchi* hanc in rem; nec amplioribus tædium pariam ſermonibus. *Quidam exponunt*, inquit, *quaſi Idolo feſtum celebrarent initio menſis Tammuz. Alii exponunt Tammuz, combuſtum*, ex Dan. 3:19. למוא לאתונא, *quo ſignificatur eos luctum edidiſſe, quia filios ſuos & filias igne combuſſerant. Alii eos arte deduxiſſe aquam in oculos Idoli, quod vocabatur Tammuz, adeò ut videretur flere, & rogare eos ut ſibi ſervirent. Sed noſter magnus Sapiens R. Moſes filius Majemon ſcribit ſe inveniſſe in Libris priſci Auctoris, fuiſſe nomen unius ex Idololatricis Prophetis, qui vocabatur Tammuz; atque hic accerſitus ad Regem quempiam, eum juſſit colere ſeptem Planetas & duodecim ſigna; ac Rex quidem eum interfecit, & nocte quâ mortuus eſt omnia Idola ex omnibus terræ partibus congregata ſunt in Templum Babylonicum ad auream Imaginem quæ erat Imago Solis, quæ Imago inter cœlum & terram pendebat, & cecidit in medium Templum, omneſque unà circa eam Imagines. Dictum eſt ipſis quid contigiſſet Prophetæ Tammuz, & omnes Imagines flebant ac lugebant per totam eam noctem; & cùm rediit matutinum tempus, omnes iterùm redierunt domum. Indè orta eſt conſuetudo primâ die menſis Tammuz unoquoque anno deflendi ac lugendi Tammuz. Sed quidam exponunt Tammuz nomen beſtiæ quam colebant.*

Itaque ex hoc loco *Ezechielis* poſſumus colligere in Templo ante Captivitatem fuiſſe duas Portas in Septentrionali latere Atrii, vel ſaltem plurium mentionem non occurrere. Verùm in poſteriori Templo erant tres, quarum hæc erant nomina ex Occidente ad Orientem procedendo. I. טער קרבן, *Porta Corban*. *Midd.*
I I. שער נשים, *Porta Mulierum*. Perek. 1.
I I I. שער שור, *Porta Cantûs*. Jam unaquæque harum Portarum inſignita eſt duplici nomine. *Porta Corban* vocatur etiam בית מוקד, *Beth Mokadh*: *Porta Mulierum* שער קרבן, *Porta Corban*: *Porta Cantûs* שער נצוץ, *Porta Nitſots*. Atque ita ſunt intelligenda difficilia illa *Thalmudis* loca, quia videntur ſibi invicem contraria, dum in uno ſic Septentrionales Portæ numerantur: *Ad Septen-* *Ibid. &*
trionem erat Porta Corban, Porta Mulie- *Shekal.*
rum, & Porta Cantûs; in altero verò ita: *Perek. 1.*
Ad Septentrionem erat Porta Nitſots, Porta Corban, & Beth Mokadh. In priori *Midd.*
recenſentur initio facto ab Occidente & *Perek. 1.*
procedendo ad Orientem; in poſteriori contrario ordine. Rationes duplicium & variorum iſtorum nominum conſiderabi-

rabimus cùm eò deventum erit.

Erant etiam in hoc latere Atrii præter haſce Portas, alia ædificia, qualia erant in Auſtrali, quæ jam à nobis luſtrata ſunt, atque hæc erant, לשכת המלח לשכת הפרוה לשכת המדיחין, *Conclave Salis*, *Conclave Happarvah*, & *Conclave Ablutionis*, præter alia Conclavia quæ inter progrediendum in lucem protrahemus.

Ibid. Perek. 6.

CAPUT XXIX.

Beth Mokadh, בית המוקד.

LUſtrare hanc faciem incipiemus ab angulo muri Atrii Cauro obverſo, ubi occurrit nobis *Beth Mokadh*; locus variis de rationibus obſervatu dignus.

I. Tam longum erat ædificium, ut ab angulo Caurum reſpiciente extenderetur uſque ad inferiorem Portam ejuſdem nominis, adeò ut quartam partem longitudinis hujus muri occuparet. In quatuor ejus angulis erant quatuor diverſa Conclavia, in quorum medio tanquam centrum erat id quod propriè vocabatur *Mokadh*. Hoc Tractatus *Middoth* exprimit hiſce verbis: *Erant quatuor Conclavia in Beth Mokadh*, כקיטוניות פתוחות לטרקלין, ὡς κοιτῶνες ἀνεωγμένοι εἰς τρικλίνιον, *quaſi cubicula aperta in triclinium*: ex quibus duo erant intra Atrium, duo verò extra, & notæ erant intùs appoſitæ, quæ oſtendebant quo in loco eſſent utriuſque ſoli fines.

Thamid, Perek. 3. *Midd.* Perek. 1. *Maymon. in Beth Habbech.* Perek. 5. *Midd.* Perek. 1.

II. Quatuor Conclavia in quatuor angulis ſita hæc erant.

Midd. ibid.

I. Cubiculum Noto-zephyrum reſpiciens vocabatur לשכת טלאים, *Conclave Agnorum*, quia ea fuit ſedes agnorum in quotidianum ſacrificium conſtitutorum. Nec id Conclave unquam fuit ſine ſex agnis unoquoque die: neque enim ullus offerebatur agnus, qui ſex anteà diebus eò allatus non fuiſſet; adeòque ſi duo ex ſex illis ſumpti fuiſſent in matutinum vel veſpertinum ſacrificium, neceſſe erat duos alios inferri ante noctem. Hâc ratione nunquam erant pauciores ſex ſimul.

R. Solom. in 1 *Paral.* 23: 25. *Maimon. in Thamid*, Perek. 1.

II. Conclave Euro-noto obverſum eorum fuit qui præparabant *Panem Propoſitionis*, quem Deus juſſerat unoquoque Sabbato in Aurea Menſa ſibi apponi. בית גרמו, *Familia Garmu* huic operi præfecta erat. Hæc duo Conclavia vel tota, vel ex parte fuerunt intra Atrium.

Midd. ubi ſupr. & *Thamid*, ubi ſuprà. *Shekalim*, Perek. 6.

III. Conclave Euro-aquilonare erat *locus in quo Aſmonæi depoſuerant lapides Altaris quos Græci Reges polluerant*, בה גנזו חשמנאי את אבני המזבח. Nam cùm *Antiochus Epiphanes Hieroſolymam* ita diripuiſſet, ut Religionem, Leges, Altare, Sacrificia, Privilegia omnia ſuſque deque habuiſſet, & Altare abominandis polluiſſet ſacrificiis, *Judas Macchabeus* ejuſque fratres, expulſis hoſtibus, cœperunt purgare atque inſtaurare Templum; & cùm agitarent conſilia ut ſcirent quid eſſent facturi pollutis lapidibus Altaris, quos *Mattathias* eorum pater jam diruerat, 1 *Maccab.* 2: 25. eas depoſuerunt in hoc Conclavi, donec veniret Propheta qui definiret quid iis faciendum eſſet; 1 *Maccab.* 4: 44. &c.

Midd. ubi ſuprà. *Joſeph. Antiquit.* lib. 12. cap. 7. 1 *Macc.* 1. &c.

IV. Cubiculum Cauro obverſum id erat per quod ad Balneum ibant, ex medio cubiculo quod propriè vocabatur *Beth Mokadh*, quicunque quampiam inter dormiendum nocturnam paſſi erant pollutionem. Ubi autem eſſet hoc Lavacrum, an ſub ſolo, an extra murum extimum, quæritur. De eo ſic habet Tractatus *Thamid*: *Nocturna pollutio per Gonorrhæam cuipiam ex illis contigerat? Exibat atque abibat per Porticum quæ erat ſub Templo, & utrinque erant accenſæ candelæ, donec ad Lavacrum veniret. Erat minus Conclave cum ſeceſſu, quod ſi clauſum deprehenderet, inde cognoſcebat quempiam in eo eſſe; ſed ſi eſſet apertum, nemo in eo erat: itaque deſcendebat & ſemet ipſum abluebat, abſtergebat, & calefaciebat, atque iterùm aſcendebat & ſedebat inter Fratres.*

Middoth, ubi ſuprà. *Tham.* Perek. 1.

III. Conclave *Mokadh*, quod inter ſuperiora quatuor medium erat, dicitur fuiſſe בנוי כיפה, *conſtructum inſtar fornicis*, non quòd exterior ejus pars eſſet inſtar fornicis lapidei abſque ullo alio laqueari, ſed quòd cùm eſſet laqueatum ut cætera circa Atrium ædificia, in inferiore Conclavi in fornicis modum ædificatum eſſet, quia per id tranſitus erat ἐκ τοῦ *Chel* in Atrium. Atque erant quidem duæ Portæ in hoc Conclavi per quod tranſibant, una versùs ſpatium illud intermurale, altera versùs Atrium, quæ oſtiolum habebat per quod intrabant atque exibant majoribus valvis occluſis. Simile erat in Porta τοῦ *Chel*. Atque hunc introitum eum eſſe putaverim qui *Porta Jechoniah* vocatur ab *Aba Joſe*, de quo anteà diximus.

Maymi. in Beth Habbech, Perek. 5.

IV. Hoc Conclave vocabatur *Beth Mokadh*, vel *Locus Ignis accenſi*, quia dum frigeret perpetuus ibi alebatur ignis in gratiam Sacerdotum interdiù & noctù: interdiù quidem ad eos calefaciendos cùm redibant ex Miniſterio, nam erant tùm nudis pedibus & tenuibus indu-

ti veſtibus; noctù verò ut calefierent dum excubias agerent, nam in hoc Conclavi erant Excubiæ Sacerdotum, ut anteà obſervatum eſt. Atque hæ erant præcipuæ Excubiæ. *Beth Mokadh*, inquiunt *Thalmudici*, *erat magnum Conclave fornicatum, & lapideis ſcamnis circumquaque munitum, ſuper quibus Seniores Domûs Patrum ipſorum dormiebant; atque Atrii claves erant in eorum cuſtodia. Juniores verò Sacerdotes in ſolo ſuper veſtibus ſuis dormiebant, non induti quidem ſacris, quas exuebant, & involutas capiti ſuo ſupponebant, ſed veſtibus quas ordinariè gerebant.* Itaque hoc Conclave uſui ſimul erat ad tranſeundum, atque uſum præſtabat majoris aulæ in qua perpetuus alebatur ignis. Portis verò hinc indè clauſis, erat inſtar clauſi Conclavis per quod nullus fuiſſet tranſitus.

Thamid, ubi ſuprà.

In hoc Conclavi erat Armarium in quo ſervabantur claves Atrii, & unde ſumebantur cùm Portæ claudendæ vel reſerandæ erant. *Thalmudici* ita deſcribunt: *Erat Tabula marmorea cum annulo ei annexo, & catena ex qua pendebant claves. Ubi tempus obſerandi Portas appropinquabat, attollens Tabulam annulo, claves è catena deſumebat Æditunus, atque claudebat Portas intùs*, &c. *Ubi jam abſolverat & obſeraverat, reſtituebat claves catenæ, Tabulamque in locum ſuum reponebat.* Hæc Tabula (eſt in Hebraico Textu טבלא, *tabla*) in externa ſuperficie habebat annulum cujus ope tolli poterat, in interna verò catenam ita elaboratam, ut claves, cùm neceſſe erat, expeditè appendi & detrahi poſſent. Atque hoc Armarium videtur fuiſſe in pavimento*, partim quia invenimus aliam ejuſmodi Tabulam, cui annexus erat annulus, in ipſo pavimento poſitam, ſub qua ſumebatur pulvis ad examen ſuſpectæ mulieris; & partim quia Traditio dicit, נתן כסותו עליה, Sacerdotem, poſtquàm depoſuiſſet claves & Tabulam, *impoſito pulvillo ſuper ea dormiſſe.*

Midd. ubi ſuprà.

VI. Si quis inter dormiendum pateretur Gonorrhæam, eum oportebat ſe abluere, ut anteà dictum eſt: via verò ad Lavacrum hiſce verbis exprimitur: הלך לו במסובה הולכת תחת הבירה. *Deſcendebat per cochlidas ſcalas quæ tendebant ſub Templum.* Vox בירה in genere ſignificat totum Templi ædificium, quod erat inſtar ſplendidiſſimi Palatii: hoc enim vox ſignificat, & ita ſumitur 1 *Paral.* 29: 1, 19. Itaque difficile eſt dicere quò tenderet ea via ad Lavacrum deducens, quandoquidem ea vox quamlibet Templi partem deſignat. Apparet fuiſſe fornicem aliquem ſub ſolo per quem tranſibant, & in quem deſcendebant per cochlidas ſcalas ex eo Conclavi *Beth Mokadh* quod Caurum reſpiciebat. Quò verò hinc irent, an in locum τῷ *Chel* ſubjectum, ut putat *R. Eliezer*; vel ſub quandam partem Atrii, vel Montis Domûs, inutile eſt diſquirere. Videtur Balneum fuiſſe ſub ſolo, & Conclave vicinum, in quo ignis erat accenſus, ad quem ſe calefacerent poſtquàm ſe abluerant.

CAPUT XXX.

De Porta Beth Mokadh ſeu Porta Corban; De alia Porta Corban aliter dicta Porta Mulierum.

NOn opus eſt nos inquirere quare prior harum Portarum vocaretur *Beth Mokadh*. Si cogitemus eam annexam fuiſſe ad Orientem ædificio ita dicto, & jam à nobis luſtrato, quæſtio ſoluta erit. Verùm ut inveniamus quare inferior harum Portarum vocaretur *Porta Mulierum*, & quare utrique nomen inditum eſſet *Porta Corban*, majore opus erit labore.

Animus ad haſce duas conjecturas inclinat. I. Quia ſub priori Templo ad hanc Portam mulieres deflebant *Tammuz*, ut modò ex *Ezechiele* obſervavimus. II. Quia per hanc Portam veniebant mulieres ſacrificium oblaturæ ut id viderent. Nam quamvis non liceret mulieribus frequenter, ut viris, hoc Atrium ingredi, ſed ſuo continerentur Atrio; attamen, ut alibi ex *Toſaphta* obſervavi, cùm offerebant ſacrificium, eas in Atrium *Iſraëlis* ingredi oportebat æquè ac viros. Verum quidem eſt, נשים יולדות, *mulieres poſt partum* ſe ſtitiſſe ad Portam *Nicanoris* ut purificarentur, atque ad Portam tantùm acceſſiſſe, pede intra Atrium non illato, quia eò veniebant ut prorsùs purificarentur: ſed mulieres mundæ, & quæ eò purificationis causâ non veniebant, ſed afferebant aut holocauſta, aut oblationes pro peccato vel pro delicto, ea afferebant ſecum ad hanc Portam. Erat quidem Porta Altari hac propior, nempe Porta *Nitſots*, quam mox luſtrabimus; ſed cùm locus Annulorum vel Mactationis eſſet inter eam & Altare, non erat aditus æquè expeditus atque hìc, ideòque hoc in loco virorum & mulierum victimæ offerebantur. Attamen hæc Porta à mulieribus nomen duxit, potiùs quàm à viris, quia rarius

rariùs eò veniebant mulieres, cùm quotidiè ſolerent viri adeſſe.

Hoc etiam nos juvabit ad intelligendum quare hæc Porta vocaretur *Porta Corban*, vel *Oblationis*; nempè quia ſacrificia offerenda illuc afferri ſolebant. Atque eandem hanc rationem affert *Bar-*
Barten. in *tenora*: שם מכניסים קדשי הקדשים
Midd. ששחיטתן בצפון, *Huc afferebant ſanctiſſima Sacrificia, quæ debebant mactari ad latus Septentrionale Altaris.* E regione hujus Portæ in oppoſito latere erat Porta binominis æquè ac hæc. Vocabatur שער הקרבה, *Porta Oblationis*, quia victimæ mactandæ ad Auſtrum Altaris illàc inferebantur: vocabatur etiam *Porta Primitiarum*, quia Primitiæ erant præcipuæ ex oblationibus quæ illàc afferri ſolebant. Ita etiam hæc Porta quam nunc luſtramus, vocabatur *Porta Corban* vel *Oblationis*, quia victimæ mactandæ ad Septentrionem Altaris illàc inferebantur: atque etiam vocabatur *Porta Mulierum*, quia rariùs illàc cum ſuis victimis tranſibant; adeòque magis obſervabantur quàm viri. Hæ autem erant victimæ quæ ma-
Zevachin, ctabantur ad Septentrionem Altaris: *San-*
Perek. 5. *ctiſſima ſacrificia, juvencus & hircus diei Expiationis, juvenci & hirci qui comburebantur, omnia holocaumata, ſacrificia pro peccato & pro delicto.*

Agni duntaxat quotidiani ſacrificii, quamvis ad Septentrionem Altaris mactarentur, non videntur illati in Atrium per hanc Portam, ſed per eam quæ annexa erat ædificio *Beth Mokadh*: in hoc enim erat Conclave in quo agni aſſervabantur, ut obſervatum eſt. Itaque unam jam habemus rationem ob quam hæ duæ Portæ vocarentur *Porta Corban.* Superiori id nominis tributum erat, quia quotidianum ſacrificium ſeu *Corban* illàc inferebatur inferiori, quia alia ſacrificia per eam intromittebantur.

Sed aliquid prætereà in eo nomine erat. Ut erant variæ Ciſtulæ ad excipiendam pecuniam in Templo, quas memoravimus, & varia Æraria in ædificiis annexis Portis Montis Templi, & Conclavibus quæ ipſi Templo adhærebant, in quæ recondebantur Vaſa, Veſtimenta, Decimæ, Primitiæ, &c. ita in hoc latere Atrii erant Theſaurus pecuniæ quæ capitatim ſolvebatur, quæ in pauperes diſtribuenda dabatur, aut ad Templi inſtaurationem, quæ ſpeciatim vocabatur *Corban*. Vox quidem primariâ & propriâ ſignificatione denotat *oblationem*; (ita frequenter occurrit in *Levitico*, & ſæpiùs eodem ſenſu nos modò uſurpavimus) ſed in communi Hebræorum dialecto detorta eſt ad ſignificandum Templi Theſaurum, ut *Matth.* 27: 6. Sacerdotes dicuntur ſublatam pecuniam injicere εἰς κορβανᾶν, illicitum judicaſſe. Ita *Joſephus* dicit *Pilatum* excitaſſe tumultum inter Judæos, ἀναλίσκων τὸν ἱερὸν θησαυρὸν· καλεῖται δὲ κορβωνᾶς εἰς καταγωγὴν ὑδάτων, *conſumpto in aquæ-* *Joſeph. de*
ductum ſacro Theſauro qui vocatur Corban. *Bell.* lib.
Ita Tractatus *Middoth* recenſens Excubias 2. cap. 14.
quæ in Templo agebantur, meminit *Cu-* *Midd.* Pe-
ſtodiæ quæ erat ad Conclave Corban, unius rek. 1.
quæ erat ad Conclave Veli, unius quæ erat ponè Propitiatorium. Ex hoc poſteriori loco allato ad id comprobandum de quo jam nobis ſermo eſt, fuiſſe nempè duas Portas in Septentrionali latere dictas ἀπὸ τοῦ *Corban*, haud vero abſimilis conjectura elici poteſt ad collocandum *Corban* vel præcipuum Theſaurum eo in loco in quo collocavimus. Apparet ex diſtributione Excubiarum, Cuſtodias ad Conclave quod erat è regione Veli, & ad Conclave *Corban* fuiſſe in variis lateribus Atrii; alioqui nulla fuiſſet conformitas ac proportio in harum Excubiarum diſpoſitione. Septem Portæ Atrii omnes cuſtodiebantur, duæ à Sacerdotibus, quinque à Levitis. Quatuor anguli Atrii ſervabantur etiam; & prætereà erat, ait Traditio, *Cuſtodia ad Conclave Veli, alia ad Conclave τοῦ Corban, alia ponè Propitiatorium*: hoc eſt, una ad alterum latus Atrii è regione ædificii ipſius Templi, ſecunda ad alterum latus, tertia è regione poſticæ partis, quæ vocabatur *Cuſtodia ponè Propitiatorium.* Jam autem ubi commodiùs τὸ *Corban* collocare poſſemus, quàm inter duas Portas quæ ab eo nomen ducebant? Hoc ſimile videtur ei rei quam obſervavimus de Portis & *Domo Aſuppim* ad Occidentalem partem Montis Domûs: nam quemadmodum ibi erat ædificium quod porrigebatur inter duas Portas, vocatum *Domus Aſuppim*, & quod Portis hinc indè connexis nomen fecerat; ita hîc erat ædificium inter duas Portas porrectum, quod cùm diceretur *Corban*, effecit ut vicinæ utrinque Portæ vocarentur *Portæ Corban.*

Ut igitur deſcendamus à Porta *Beth Mokadh* verſùs Orientem, primùm occurrebat ædificium Portæ contiguum, quod vocabatur *Corban*, & Ærarium erat. Deinde erat Conclave ubi Levitæ cuſtodiam habebant: juxtà ſitum erat aliud Ærarium ſeu *Corban*, atque ad ejus Orientem Porta vocata eodem nomine *Corban*, & ſimul *Porta Mulierum.*

Porrò

Digitized by Google

Porrò in diſtinctionem horum Gazophylaciorum, utrùm alter eſſet ad recondendum Semi-ſiclum capitationis, alter pecuniæ ac vaſorum oblatorum in uſum & inſtaurationem Templi; an verò alter eſſet Theſaurus Templi, alter in pauperum gratiam erogatæ pecuniæ, quod obſervavimus anteà, fruſtrà inquireretur, quandoquidem omnibus tentatis non potuimus quæſtionem hanc ſolvere. Hoc tantùm, ut opinor, non ineptè poteſt obſervari, Æraria in quæ pecuniam recondebant (ſeu Conclavia, ſeu Ciſtæ eſſent) magis propriè vocata fuiſſe *Corban*, quàm Theſauros, in quibus alia repoſita erant. Atque hæc varia loca in quibus hæc Conclavia & Ciſtæ erant, vocabantur *Gazophylacia vel Domus Theſauri.*

Hoc in loco priuſquàm manum de tabula tollamus, non erit ἀπροσδιόνυσον expendere Scripturæ locum in quo de Ærario agitur. Extat 2 *Reg.* 12: 10. & 2 *Paral.* 24: 8. de Theſauro vel Ciſtula facta à *Jehojadah* ad colligendam pecuniam ad inſtaurationem Templi, quod temporibus *Athaliæ* neglectum fuerat. Et quia primo intuitu videtur eſſe contradictio inter duos illos Libros in quibus hiſtoria narratur, hîc ſunt utriuſque verba collocanda, & poſteà videndum quomodò conciliari queant.

2 Reg. 12.

Vers. X. *Et ſumpſit Jehojadah Pontifex Ciſtulam, aperuitque foramen deſuper, & poſuit illam juxta Altare ad dexteram ingredientium Domum Domini.*

XIV. *Verumtamen non fiebant ex eadem pecunia hydriæ Templi Domini, & fuſcinulæ, & thuribula, & tubæ, & omne vas aureum & argenteum, de pecunia quæ inferebatur in Templum Domini.*

2 Paral. 24.

Vers. VIII. *Præcepit ergò Rex, & fecerunt arcam, poſueruntque eam foriuſecùs juxta Portam Domûs Domini.*

XIV. *Cùmque impleſſent omnia opera, detulerunt coram Rege & Jojadah reliquam partem pecuniæ, de qua facta ſunt vaſa Templi in miniſterium ad holocauſta, phialæ quoque, & cætera vaſa aurea, argentea,* &c.

Ad tollendam horum locorum ἐναντιοφάνειαν, quorum alter habet Ciſtam fuiſſe juxta Altare, alter extra Portam; alter ait vaſa conflata fuiſſe ex pecunia ablata, alter verò negat: obſervandum eſt, licèt fortè eadem fuerit Ciſta, varias tamen eſſe poſſe hiſtorias tum de ea, tum de pecunia, quæ ad idem tempus referri non debent. Zelus *Joaſi* Regis, ac ſegnities Sacerdotum ad inſtaurandam Domum Domini hîc conferuntur, (licèt *Jehojadah* fecerit quicquid in ſe fuit) *Joas* urſerat inſtaurationem Templi, & juſſerat Sacerdotes omnem colligere pecuniam quæ in eum uſum conſecrata erat, & proptereà ſuppeditabatur, nempè Semi-ſiclum qui capitatim ſolvebatur, pecuniam quæ cuipiam ſolvenda erat ut liberaretur ab aliquo peculiari voto, *Levit.* 27. & omnem pecuniam quam unuſquiſque ſpontè offerebat. Volebat *Joas* unumquemque Sacerdotem eam à notis accipere & familiaribus, nec tamen vigeſimo regni ejus anno quicquam inſtauratum fuerat in Templo. Itaque Rex videns aut ſegnitiem, aut infidelitatem, aut utramque ſimul in Sacerdotibus, vetuit eos ampliùs operam dare accipiendæ pecuniæ, quoniam per eorum miniſterium nihil agebatur, quippè qui irreligioſos ac ſuperbos ſe præberent, omiſſâ omni inſtaurationis Templi curâ. Bonus quidem *Jehojadah* non quæſiverat moras, ſed poſuerat Ciſtam cum foramine juxta Altare, ut quæcunque pecunia colligi poſſet, ibi in uſum deſtinatum reponeretur: ſed quandoquidem inde nullum rediret ſubſidium ad opus aggrediendum, nec ad emenda vaſa Sacro Miniſterio neceſſaria, quia pecunia, ut deferretur in Ciſtulam quæ erat in Atrio Sacerdotum, debebat horum manibus deferri, *Joas* vel removit iſtam Ciſtam, vel aliam fecit quam poſuit extra Atrium ad introitum, quò unuſquiſque liberè poterat accedere, & proclamari juſſit per totam regionem, afferendam eſſe pecuniam à *Moſe* conſtitutam. Tùm Principes & populus promptè & hilariter eam contulerunt, ita ut ſuppeteret pecunia ad inſtaurandum ædificium, & facienda prætereà in uſum Templi vaſa quibus indigebat.

CAPUT XXXI.

Conclavia Salis, Parvah, & Lavacri.

Quemadmodum erant tria Conclavia inter mediam Portam *Corban*, ſeu *Mulierum*, & Occidentalem Portam *Corban*, quæ alio nomine dicebatur *Porta Beth Mokadh*, nempè duo Æraria, & Conclave in quo Levitæ excubias agebant inter duo illa priora ſitum: ita erant etiam tria Conclavia

clavia inter eandem mediam Portam *Corban*, & Portam ad Orientem magis vergentem, quæ Porta *Nitſots* dicebatur. Atque hæc tria erant *Conclave Salis*, *Conclave Parvah*, & *Conclave Lavacri*. Conclave Salis trium maximè ad Occidentem vergebat, & connexum erat *Portæ Mulierum*; atque ita vocabatur, quia in eo aſſervabatur ſal in uſum Templi. Nam licèt ſal, vinum & oleum, aliaque ejuſmodi in Tabernis venderentur in uſum privatorum oblationum; quæ erant abſumenda in publicos oblationum & divini cultûs uſus publicis ſumptibus emebantur, & aſſervabantur in Conclavibus eam in rem deſtinatis.

Maym. in *Iſſure Mizbeah*, Per. 1.

Maximus erat ſalis in Templo uſus: nihil enim Altari imponebatur ſine ſale, excepto ligno, ſanguine & vino liquidarum oblationum: & quantam quidem ſalis copiam conſumerent in omnia ſua ſacrificia, unuſquiſque ſatis intelligere poteſt, cùm diſerta lex eſſet, *Cum omnibus tuis oblationibus offeres ſalem*, *Levit.* 2: 13. Nec tantùm eâ ratione conſumebant ſalem, ſed etiam ſaliebant pelles cùm eas victimis detrahebant. Nam ad Sacerdotes pertinebant pelles tanquam peculiare emolumentum; ideòque Claſſis Sacerdotum miniſtrantium ſaliebat pelles victimarum quas immolaverat, ne corrumperentur, ſed poſſent ſervari ad finem uſque hebdomadis cùm Miniſterio abibant, atque in præparatione Sabbati ſub noctem eas inter ſe dividebant.

Locus in quo ſaliebant & deponebant pelles ad id uſque tempus, erat Conclave *Parvah*, quod ad Orientem contiguum erat Conclavi Salis, & nobis luſtrandum proximè occurrit. Dubia eſt aliquatenùs ratio nominis ejus. *Gemariſtæ* in Tract. *Joma* de ea diſceptantes in hanc tandem Traditionem conſentiunt: פרוה אמגושא, *Quid ſignificat Parvah? Rab Joſeph dicit, Parvah erat Magus. Significatio vocis* אמגושא *hæc eſt*, (ait R. Nathan) *Parvah nomen eſt viri qui Magus erat. Quidam Sapientes dicunt eum ſubterraneum fornicem excavaſſe uſque ad locum ex quo poſſet videre quid Summus Sacerdos die Expiationis ageret. Et ſapientes viri moniti fuerunt de fornice quem fecerat, inveneruntque eum in hoc, & hoc Conclave ex ejus nomine appellarunt.* Brevia Scholia in *Miſnajoth* in 8. ulteriùs procedunt. *Necromantis*, inquiunt, *cujus nomen erat Parvah, magicis artibus hoc Conclave exſtruxit. Et quidam dicunt eum perforaſſe murum, ut videret Miniſterium Summi Sacerdotis, atque ibi interfectum fuiſſe.* Magia inter Magnates quoſdam in Templo majori erat in uſu quàm quiſquam fortè credere poſſit: nam *Hieroſolymitanum Thalmud* refert quoſdam ex Pontificibus Maximis eâ uſos ad ſe invicem perdendos. Verùm alii deducunt nomen *Parvah* à voce *Parim*, quæ *juvencos* ſignificat, propter pelles juvencorum quæ ibi deponebantur. Qua in re curioſiùs rationum pondera non penſitabimus, ſed rationem hujus nominis diſcutiendam iis relinquemus, quibus ingenium ad talia ſuppetit. Deſcriptio noſtra nihil aliud requirit, niſi ut indicemus locum nomenque ejus atque uſum, omiſſis aliis inutilibus circumſtantiis.

Joma, Per. 3. halacah 6. *Aruch* in *Parvah*.

Thalmud. Hieroſ. in *Joma*, Per. 3. *R. Shemaj.* in *Midd.*

Ad Orientem Conclavis *Happarvah* aliud erat ædificium dictum לשכת המריחין, *Conclave Abluentium*: cujus nominis ratio fuit, quia ששם מריחים את קרבי קדשים, *in hoc Conclavi abluebant viſcera victimarum*, juxta Legem, *Levit.* 1: 9. Plerique exiſtimant ablutas fuiſſe victimas offerendas in Piſcina *Betheſda*, cujus mentio occurrit *Joann.* 5. Si intelligant viventes victimas, non capio cui fundamento innitatur iſta opinio, ſeu Scripturam, ſeu priſcorum Judæorum monumenta conſulam. Si verò intelligant victimarum viſcera, Conclave, de quo jam nobis ſermo eſt, locus erat in quo id fiebat; nec longiùs ibant, niſi quòd poſtquàm ea hîc abluiſſent, iterùm ea abluebant ad Marmoream Menſam, de qua mox loquemur.

Extra hoc ablutionis Conclave erant Scalæ cochlides quibus aſcendebatur ſupra Conclave *Parvah*, quo in loco erat Balneum in quo ſe abluebat Summus Sacerdos die Expiationis variis vicibus quibus ſe abluere tenebatur, exceptâ primâ, quâ corpus abluebat in Balneo quod erat ſupra Conclave *Abtines*, ut antehac obſervavimus. In *Conclavi Lavacri* videtur ingens fuiſſe tubus per quem decurrebat aqua ad abluenda tot viſcera quæ quotidie abluere neceſſe erat: & alius etiam ad lacunar vicini Conclavis, ut aqua Balneo ſuppeteret.

Ibid. *Joma*, Per. 3.

CAPUT XXXII.

Porta & Domus Nitſots ניצוץ. *Conclave lapideorum Vaſorum.*

JAm pervenimus ad Portam quæ maximè ad Orientem vergebat ex tribus quæ erant in hoc Septentrionali latere, & duplici nomine inſignita erat, *Porta Nitſots*, & *Porta Cantûs*. Vox ניצוץ propriè ſignificat *ſcintillationem*, ut *Iſaj.* 1: 31. *Ezech.* 1: 7. &c. & denotat radios Solis qui quaſi ſcintillant eo oriente & occidente. Sed aliquando Rabbini eâ utuntur ad ſignificandas

Midd. Perek. 1. *Ibid.* Perek. 2.

Digitized by Google

guttas, quæ ſunt inſtar ſcintillarum aquæ; aliquando, auctore *Baal Aruch*, ad deſignandam ſpumam. Jam inquirere quo ſenſu id nominis huic Portæ impoſitum fuerit, & rationem hujus denominationis, majoris eſſet laboris quàm utilitatis. Proferam tantùm duas conjecturas ex *ſcintillationis* ſenſu petitas. Vocabatur *Porta ſcintillans*, vel quia flamma Altaris eam illuſtrabat, cùm eſſet maximè omnium, quæ in hoc latere Septentrionali erant, Portarum Altari oppoſita: vel quia Sol, cùm ad mediam diei partem pervenerat, præfulgido ſplendore deauratam hanc Portam ſpargebat; quod in nulla ex aliis Septentrionalibus Portis fiebat, cùm altitudo Templi ſolares iis interciperet radios. Sed hæc Porta directè oppoſita erat & patebat meridionalibus radiis, adeòque cùm valvæ deauratæ eſſent, vividiſſimè eos reflectebant in Atrium.

Quare etiam vocaretur *Porta Cantus*, conjecturis quoque tantùm aſſequi, & hanc quidem ſolam afferre poſſumus; quia nempè qui ad hanc Portam veniebant, videbant Levitas non procul canentes in ſuis Pulpitis, vel Organis ſuis, ſacræ Templi Muſicæ operam navantes. Huic Portæ
Midd. Perek. 1. ad Orientem adnexum erat ædificium quod à Porta dicebatur *Domus Nitſots*, in quo Sacerdotes excubias agebant in ſuperiori Conclavi, Levitæ in inferiori. Inter hoc ædificium & Portam erat Periſtylium, per quod via erat extra Portam deducens ad Conclave interius in quo erant Levitæ. Ex hoc Periſtylio tranſire licebat *εἰς τὸ* חיל
Ibid. *Chel.* Atque ita hæc verba intelligi debent in Thalmudica deſcriptione Templi: כמין אכסדרא היה והעליה בנויה על גביו, *Porta hæc erat inſtar Periſtylii, & ſupra eam exſtructum erat Conclave, ubi Sacerdotes ſuperiùs excubias agebant, Levitæ verò inferiùs, & habebat Januam εἰς τὸ Chel.* Hæc nimirùm eſt hujus loci ſententia: Venienti ex Atrio per Portam *Nitſots εἰς τὸ Chel*, ad dextram non erat murus planus, quemadmodum erat in lateribus reliquarum Portarum, ſed ea pars Columnis fulta erat, (qualia erant latera Periſtyliorum de quibus egimus) & infra haſce Columnas erat ſpatium ferè æquè longum, ac latus erat tranſitus per Portam. Itaque qui erant intra Portæ fornicem, poterant aſcendere inter has Columnas ad memoratum ſpatium, adeòque in Conclave in quo Levitarum erant Excubiæ. Supra autem hoc Periſtylium, Conclave & Portam, locus erat ubi cuſtodiam agebant Sacerdotes, unus ex tribus in quibus eo fungebantur officio. Denique in Levitarum Conclavi Janua erat qua exibant *εἰς τὸ Chel.*

Hæc ædificia ab hac Porta *Nitſots* Orientem verſùs longiuſculè porrigebantur ad aliud ædificium quod pertingebat angulum ipſum Atrii, & vocabatur בית האבן, *Domus Lapidea*; non quaſi lapidibus ſolum ſtructum eſſet, reliqua verò lignis, omnia enim erant lapidea; nec quaſi architectura ejus eadem non eſſet ac reliquorum: ſed quia omnia vaſa quibus in eo utebantur, lapidea ſeu figulina erant. Ita exponit hoc nomen *Gemara* in Tractatum *Joma*: על *Joma,*
פני בירה לשכ״ת בי״ת האבן, *Ante Tem-* Per. 1. in *Gemara.*
plum in Euro-aquilonari angulo erat Conclave Domûs Lapideæ, atque ibi ſegregabant Sacerdotem qui Vaccam rufam combuſturus erat, ſeptem antè diebus. Et vocatur Domus Lapidea, quia opera ejus fiebant teſtaceis aut lapideis vaſibus. Thalmudici in hoc loco non modò rationem nominis reddunt, ſed etiam nos ſitum ejus docent ædificii, cùm dicunt id fuiſſe על פני הבירה, *ante Templum in Euro-aquilonari angulo.* Ad ſeparationem Sacerdotis in hoc Conclavi quod attinet, qui Vaccam rufam combuſturus erat, ſimilis eſt locus in Tractatu *Parah*, *Parah,*
hiſce verbis: *Septem diebus antequàm Vac-* Per. 3. in *Miſhnah.*
ca combureretur, ſeparabant Sacerdotem qui eam combuſturus erat, & ex ejus ædibus transferebant in Conclave quod erat ante Templum ad Euro-aquilonem, quod vocabatur Domus Lapidea, & eum adſpergebant omnibus ſeptem diebus, &c.

CAPUT XXXIII.

Atrium Iſraëlis & Sacerdotum. Pulpita in quibus canebant Levitæ.

ITa peragrato muro qui Atrium ambibat, & obſervatis omnibus Portis atque ædificiis quæ in eo occurrebant, jam nobis in ipſum Atrium ingrediendum eſt, & luſtranda varia quæ in eo conſpiciebantur. *Midd.* Perek. 1.

Univerſa longitudo Atrii ab Oriente ad Occidentem erat CLXXXVII. cubitorum. *Ibidem,* Perek. 1.
Partes diverſæ quibus hæc longitudo conſtabat, hæ fuerunt ab Oriente ad Occaſum.

Latitudo Atrii Iſraëlis, XI. cubitorum.
Latitudo Atrii Sacerdotum, XI.
Latitudo Altaris, XXXII.
Inter Altare & Templum, XXII.
Longitudo Templi ipſius, C.
Ponè Occidentalem faciem Templi ad murum Atrii, XI.

Partes

Digitized by Google

Partes verò latitudinis hæ erant à Septentrione ad Auſtrum.

A muro Atrii ad Columnas, VIII. cubiti.
A Columnis ad Marmoreas Menſas, IV.
A Menſis ad locum Annulorum, IV.
Spatium in quo erant Annuli, XXIV.
Ab Annulis ad Altare, VIII.
Altare & ejus gradus, LXII.
A baſi graduum ad Auſtralem Atrii murum, XXV.

Omnium iſtorum ſigillatim, prout ad ſingula ordine veniemus, deſcriptionem trademus. Primùm neceſſe eſt exponere terminos ipſos, *Atrium Iſraëlis* & *Atrium Sacerdotum.* Intelliguntur aliquando ſtrictiùs, aliquando latiùs. Stricto ſenſu ſignificant primum ſolum quod calcabant aſcendentes ex Orientali muro Atrii, ſeu Porta *Nicanoris*, ad Altare, & ſingula dicuntur lata fuiſſe XI. cubitos. Verùm latiori notione *Atrium Iſraëlis* erat id ſpatium ſoli quod *Iſraëlitis* Laicis calcare licebat juxta murum qui Atrium ambibat ad Septentrionem, Auſtrum & Occidentem æquè ac ad Orientem. Atrium intùs erat juxta muri longitudinem Periſtylio ornatum, quale etiam fuiſſe circa Montem Domûs & Atrium Mulierum jam diximus. Idque non modò ipſa ratio oſtendit, quæ, ſi inferiora loca & minoris venerationis ita erant ornata, ſanctiſſimæ multò magis iis ornamentis deſtituta non fuiſſe docet; ſed & *Joſephus* & *Thalmudici* idem teſtimonio ſuo confirmant. Hæc ſunt verba *Joſephi*, dudùm à nobis citata. Αἱ στοαὶ δὲ μεταξὺ τῶν πυλῶν ἀπὸ τοῦ τείχους ἔνδον ἐστραμμέναι, &c. *Porticus inter Portas intra murum porrecta, & pulchris fulta columnis*, &c. Quamvis in hiſce verbis peculiariter loquatur de Periſtyliis quæ erant ante Gazophylacia, à nobis in Atrio Mulierum collocata; attamen ſcopus orationis oſtendit id eſſe de omnibus Atriis intelligendum. Tractatus Thalmudicus *Thamid* ſimiliter verba faciens de primo ingreſſu matutino Sacerdotum in Atrium, dicit eos ingreſſos eſſe per oſtiolum ex *Beth Mokadh*, atque in Atrio ſe in duo agmina diviſiſſe, quorum unum hinc, alterum illinc ibat באכסדרה, *per exedram*, juxta longitudinem Porticûs circa Atrium, ut viderent an omnia ſalva eſſent. Præterea loquuntur de columnis quæ à Septentrionali muro Atrii octo cubitis diſtabant, & quæ, licèt ſuo nomine oſtendant ſe fuiſſe breviores columnas, quàm ut lacunar Porticuum ſuſtentare poſſent, ut obſervabimus cùm ad eas devenerimus; attamen vicinæ erant majoribus columnis quæ fulciebant id lacunar.

Joſeph. de Bell. lib. 5. cap. 14.

Thamid, Per. 1.

Igitur ad Septentrionem, Auſtrum & Occidentem Atrii erat Periſtylium iis ſimile de quibus jam egimus, laqueari tectum quod columnis ſuſtentabatur, ubi populus eſſe poterat ſine ulla pluviæ aut tempeſtatis incommoditate. Atque hoc vocabatur *Atrium Iſraëlis*, & totum interius Atrium circumambibat. In hoc licebat Laicis ſtare, & reverà in eo ſtabant cùm magnus erat populi in Templum concurſus, ut tribus feſtis, quibus viris præceptum erat ſe coram Domino ſiſtere. In Thalmudico Tractatu *Peſachin* dicitur, *Paſcha mactatum fuiſſe in tribus Congregationibus: primâque ingreſſâ Atrium plenum fuiſſe*, &c. Cùm porrò dicitur Atrium populo plenum fuiſſe, non ita id intelligendum, quaſi omnes Atrii partes quæ intra murum erant, plebe fuiſſent refertæ; ſed tantùm Porticum, in qua Laicis eſſe licebat, iis fuiſſe plenam, quæ quidem vocabatur *Atrium Iſraëlis.* Interiora omnia, Periſtylio illo circumdata, latiori notione vocabantur *Atrium Sacerdotum.* In omnibus Periſtylii partibus non æquè latus patebat ambulationi locus; hinc indè enim ædificia aliquam ejus partem occupabant, ut *Beth Mokadh* in angulo Caurum reſpiciente, & *Conclave Gazith* ad Euro-notum, &c. Attamen ubique ſatis latum erat ſpatium, licèt modò amplius, modò minus, circa univerſum Atrium, ut tranſeuntibus in Atrio Sacerdotum pedem ponere neceſſe non eſſet.

Peſachin, Per. 5.

Ad Orientalem partem, aſcendentibus ex Porta *Nicanoris* occurrebat id quod ſtrictiori notione vocabatur *Atrium Iſraëlis*, quod Altare verſùs undecim cubitos latum erat; deinde ſequebatur quod etiam ſtrictiori ſenſu vocabatur *Atrium Sacerdotum*, quod ſimiliter undecim cubitorum erat. Hæc duo ſpatia circumdata erant duplici Periſtylio, ac tecta laqueari duplici columnarum ordine ſuffulto, quorum alter erat verſùs apertum Atrii cœlum, alter verò duo illa dividebat ſpatia. Hæc propriè vocabantur *Atrium Iſraëlis*, & *Atrium Sacerdotum*, propter duas haſce, vel tres rationes.

I. Quia locus ille frequentiſſimus erat *Iſraëlitis* & Sacerdotibus, cùm ſolenniùs Deum colerent, quòd è regione Templo & Altari oppoſitus eſſet.

II. Quia in eo loco qui *Atrium Iſraëlis* vocabatur Stationarii conſtanter aderant, dum populum in cultu publico repræſentarent, quemadmodum alibi oſtendimus. In

De Miniſter. Templi, cap. 7. ſect. 3.

Digitized by Google

ea verò parte quæ *Atrium Sacerdotum* dicebatur, erant ii Sacerdotes qui diei illius Miniſterio non occupabantur, (uti nunquam omnes erant occupati) ac ſpectabant Fratrum ſuorum Miniſterium.

III. Ea pars Conclavis *Gazith* quæ erat intra Atrium, in utrumque Atrium januam habebat: & quemadmodum in hoc Conclavi ſorte inter ſe miniſteria dividebant; ita etiam erat quaſi **Cappella** in qua maximam partem quotidianæ Liturgiæ recitabant, quam Sacerdotes & populus ex Atrio audiebant. Atria diviſa erant quibuſdam repagulis quæ Hebræi vocant ראשי פספסין, quæ erant ab una columna ad alteram, in illo medio ordine columnarum quibus lacunar fulciebatur. In Atrium Sacerdotum, ſeu latiùs, ſeu ſtrictiùs ſumatur, non licebat Laïcis *Iſraëlitis* venire niſi triplici de cauſa; nempè vel ad imponendam manum victimæ quam oblaturi erant, vel ad eam mactandam, vel ad aliquam ejus partem agitandam: & tùm quidem ingrediebatur in Atrium *Iſraëlis* vel Sacerdotum per Septentrionalem aliquam, vel Auſtralem Atrii Portam, prout ejus victima mactari debebat ad Septentrionem, vel Auſtrum Atrii, ut anteà obſervavimus.

Maym. in *Beth Habbechir.* Perek. 6.

Atrium populi æquale erat Atrio Orientalis Portæ ſeu *Nicanoris*; ſed ſolum Atrii Sacerdotum duobus cubitis & dimidio altius erat. Animo concipito te aſcendere ex Porta *Nicanoris*, vel potiùs effingito tibi aſcendentes Levitas, ac geſtantes muſica inſtrumenta, (quæ anteà obſervavimus recondita fuiſſe in Conclavibus ſubjectis Atrio *Iſraëlis*, ſed quorum januæ aperiebantur in Atrium Mulierum) cùm gradus aſcenderant Portæ *Nicanoris*, & per eam tranſibant, patebat ipſis utrinque aditus in Periſtylium ſeu Atrium populi, (qualem editum habet *Londini* qui ex *Cornhill*, vel *Bartholomæi platea* ad *Regiam Burſam* venit; utrinque enim poteſt Periſtylium ingredi) incedebantque in æquali ſolo donec tranſiſſent latitudinem Atrii populi, ſeu donec veniſſent ad columnas illas quibus lacunar ſuſtentabatur & diſtinguebantur duo Atria; eò enim in loco ſolum extollebantur duobus cubitis & dimidio, & aſcenſus in id erat hoc modo diſpoſitus. Primùm erat gradus cubitum altus, deinde tres gradus quorum unuſquiſque ſemicubitum tantùm altus erat. Ita aſcendendum erat venientibus ex Porta *Nicanoris*: ſed ſe ad dextram vel ſiniſtram convertentibus occurrebant Levitarum Pulpita ubi canebant, & Symphoniam Templi faciebant. Conſtabant variis gradibus, quorum ſummus æquabat medium illud ſpatium. Primùm erat gradus unus cubitum altus, qui per totam Pulpitorum longitudinem porrigebatur ante repagula & columnas quibus Atrium Sacerdotum ab Atrio Populi diſtinguebatur: deinde erant tres gradus ſemicubitum ſinguli alti, & ſupra ſummum gradum ſtabant Levitæ voce & inſtrumentis canentes. Pedes eorum æquabant ſolum Atrii Sacerdotum, eratque ante eos Pulpitum.

Id. *ibid.* & *Midd.* Per. 2. §. 6.

Elias in *Tisbbi*, in דוכן

Elias Levita non videtur obſervaſſe hos gradus quibus in Atrium Sacerdotum, & Levitarum ſtationem aſcendendum erat, cùm dixit horum דוכן *Ducan* (Eruditi *Suggeſtum* aut *Pulpitum* interpretantur) nihil fuiſſe præter ſcamnum in quo ſtabant; eorum enim pedes inſtitiſſe ſolo Atrii. Hæc ſunt ejus verba: *Miror hoc Thargum*, (in *Pſalm.* 134.) *Attollite manus veſtras, ô Sacerdotes, ſupra ſacrum Pulpitum* דוכן. *Nam ecce Ducan erat* אצטבא *ſcamnum in quo ſtabant Levitæ cùm canebant; & vocatur Ducan in Arabica lingua, ſed Germanicè & vulgari linguâ*, **Banca.** In hac interpretatione vocis per vocem אצטבא, quam Arabicam exiſtimat, ſequitur verbatim *Aruch*. Sed fateor me non ſatis intelligere cauſam ejus admirationis, cùm præſertim verba præcedentia animo reputo: *Vocamus locum ubi Sacerdotes attollebant manus cùm populo benedicebant, Dukan; atque ita Thargum: Tollite manus veſtras, ô Sacerdotes, in ſacrum Dukan, quod miror*, &c. Si mirabatur *Thargum* induxiſſe Sacerdotes populo benedicentes ex Pulpito in hoc Pſalmo, potuit etiam ſimilia alibi invenire: nam *Thargum Jonathan* in legem *Numer.* 6: 23. ita interpretatur: *Alloquere Aaronem & ejus filios, dicens, Ita benedicetis filiis Iſraëlis: expandent manus ſuas ſupra* דוכנא *Dukana, eoſque hoc modo alloquentur.* Hebraica Scholia in margine ſic exponunt: *Expandendo manus ſuas in loco dicto* דוכנא *Dukana*: & paulò pòſt: סקום אצטב נקרא דוכן, *Locus ſcamnis ſtratus vocabatur Dukan.* Ità fuſior *Paraphraſis Chaldaica* in *Canticum Canticorum*, Cap. 3: 7. ſic παραφράζει. *Ita cùm Solomon Rex Iſraëlis condidit Domum Sanctuarii Domini Hieroſolyma, Dominus dixit verbò ſuo, Quàm pulchra eſt Domus Sanctuarii quæ eſt mihi ſtructa à Rege Solomone filio Davidis! & quàm pulchri ſunt Sacerdotes, cùm extendunt manus ſuas, & ſtant in ſuo Dukan, & benedicunt populo per ſexaginta miracula quæ tradita ſunt Moſi ipſorum Magiſtro!*

Aruch in דוכן

Tharg. Jonath. in *leg. Numer.* 6.

Gloſſ. Marg. ibid.

Tharg. in *Cant.* 3.

Sed videtur admiratio *Eliæ* hoc potiſſimùm reſpexiſſe, quòd Hebræi & *Chaldaica Paraphraſis* uno conſenſu doceant Sacerdotes

dotes cùm benedicerent populo, ſtetiſſe ἐν τῷ *Dukan*, cùm *Dukan* ſeu *Pulpitum* Levitarum eſſet, non Sacerdotum. Ac certè ſi exiſtimarem ibi ſignificari ipſa Pulpita Levitarum, cum ajunt, *Sacerdotes ſtabant ἐν τῷ Dukan, & benedicebant populo*, non minùs hoc mihi mirum videretur: ſed credo alia fuiſſe Pulpita hanc in rem Sacerdotibus attributa; vel hîc notari locum ex quo Sacerdotes benedicebant populo, eumque tanquam notiſſimo nomine vocatum fuiſſe *Dukan*.

Verba *Thalmudis*, quibus deſcribuntur Pulpita in quibus Levitæ ſtabant & canebant, hæc ſunt: *R. Eliezer filius Jacob dicit, Erat gradus*, (nempè ex Atrio populi in Atrium Sacerdotum) *& erat cubitum altus, & Dukan ei erat impoſitus, atque in hoc erant tres gradus ſinguli ſemicubitum alti: adeò ut Atrium Sacerdotum comperiatur altius fuiſſe Atrio Iſraëlis duobus cubitis & dimidio.* Uti inde liquet Levitas ſtetiſſe in quibuſdam gradibus; ita apparet ſummum gradum non ſuperaſſe ſolum Atrii Sacerdotum, atque eum gradum in quo ſtabant non vocatum fuiſſe *Dukan*, ſed totum locum in quo poſiti erant tres illi gradus.

Midd. Per. 2.

Ita erant undecim cubiti Atrii Sacerdotum ad hanc Orientalem Atrii partem diſtributi: nempè duo cubiti & dimidius occupabantur Cantorum Pulpitis, (nam æquè lati erant ac alti) octo verò cubiti & dimidius attributi erant ſtationi Sacerdotum. Atrium *Iſraëlis* ſeparatum erat à Levitarum Pulpito columnis & repagulis. Levitarum ſtatio ſeparata erat à Sacerdotum ſtatione ligneo Pulpito, ſeu re quapiam ſimili. Atrium Sacerdotum verſùs Altare apertum erat, niſi quòd ordo columnarum quibus Porticus fulciebatur, interpoſitus eſſet. Ita habemus dimenſiones & ἰχνογραφίαν Atrii, Ædificiorumque & Periſtyliorum quæ circumpoſita erant. Sed priuſquàm ad eorum quæ intra ipſum erant conſiderationem progrediamur, non poſſum omittere ædificium quodpiam quod ſuâ contignatione aliquatenùs referebat quædam ex Periſtyliis quæ deſcripſimus ſeu in Monte Domûs, ſeu in altero Atriorum, licèt credam Periſtylium non fuiſſe, ſed id quod vocabatur *Tectum Sabbati*, cujus mentio occurrit 2 *Reg.* 16: 18. ubi dicitur de *Achazo*, *Et tectum Sabbati quod ædificaverat in Domo Domini, & Regum introitum exteriùs*, &c. Eſt aliquatenùs dubium quomodo conſtrui debeat verbum in hac ſententia; an nempè dicendum ſit, *Convertit à Domo Domini*, ut habet *Anglica* noſtra Verſio; vel *Convertit ad Domum Domini*, ut *Chaldæus Paraphraſtes* atque alii: nam in Hebraico Textu vox ad utrumque æquè poteſt flecti. Si ea de re hîc ageretur, ſequerer *Anglicam* noſtram Tranſlationem; nam introitus Regum exterior obverſus fuit ad Domum Domini cùm primum conſtructus eſt: ſed quæritur quid eſſet hoc *Tectum Sabbati*. Septuaginta Interpretes id verterunt θεμέλιον καθέδρας, *Fundamentum Sedis*: quod quâ æquivocatione contigerit in legendo Exemplari ſuo non punctato, qui mediocriter linguam Hebraicam callent facilè deprehendent: legerunt nempè *Muſadh* ἀντὶ τοῦ *Muſach*, propter ſimilitudinem τοῦ ד & τοῦ ך finalis, & pro *Shabbath* legerunt *Schebeth*. Receptiſſima opinio circa hanc rem eorum eſt qui exiſtimant fuiſſe aliquod ædificium peculiare, quod exſtructum fuerat in gratiam Sacerdotum qui unoquoque Sabbato Miniſterio ſuo exibant, ut in eo quieſcerent, donec elapſum eſſet Sabbatum, & domum redire poſſent. Ratio hujus ſententiæ eo nititur, quòd exiſtiment vocem *Sabbatum* referri potiùs ad mutationem Claſſium Sacerdotalium, quæ Miniſterium ſuum inchoabant & abſolvebant unoquoque Sabbato, quàm ad Miniſterium ipſum, aut populi præſentiam, cujus concurſus major erat diebus feſtis quàm diebus Sabbati. Crediderim ego potiùs ſignificari Atrium quodpiam in quo Præſidium erat in ſumma parte Aggeris *Shallecheth* verſùs Portam *Coponii*, ubi Prætoriani milites ſtabant diebus Sabbati, expectantes donec Rex è Templo rediret, eum inde in Regiam deducturi. Conjungendam quoque exiſtimaverim vocem *Regium* cum duobus locis quæ ibi memorantur, ut non minùs ſignificetur Regium Tectum Sabbati, quàm Regum introitus exterior. Argumenta ad tuendam hanc meam opinionem petam partim ex mentione Portarum quarum anteà meminit Scriptor Sacer, nempè *Portæ Fundationis*, & *Portæ quæ eſt ponè Præſidium*, 2 *Reg.* 11: 6. & partim ex loco *Jerem.* 38: 14. ubi dicitur *Rex Sedecias miſiſſe & ſumpſiſſe Jeremiam Prophetam ad ſe ad tertium introitum qui erat in Domo Domini*; ubi *Solomon Jarchi* ingenuè fatetur, ſe neſcire quinam eſſet hic *tertius introitus qui erat in Domo Domini: ſed fortaſsè*, inquit ille, *ſignificat Atrium Iſraëlis, cùm duo alia eſſent Atrium Mulierum & τὸ Chel. Kimchi* optimè intellexit hunc introitum debuiſſe occurrere iis qui ex Regia veniebant in Templum; ſed nihil ampliùs definivit. Dixerim ego ſignificari Portam *Coponii*, & intellexerim Regem hac viâ in Templum veniſſe. Primùm in ſumma parte graduum vel deſcenſûs *Sionis*,

Vide *Kimch.* & *Lev. Gerſ.* in loc. & *Nobil.* in *LXX. Interpr.*

nis, ut & per Aggerem domum redeunti, ei occurrebat *Porta Fundationis*: deinde cùm in Aggerem versùs Templum veniſſet, tranſibat per *Portam ponè Præſidium*, & peragrabat Atrium Præſidii, quod *Regium Tectum Sabbati* vocatum eſſe opinor; poſteà ingrediebatur per *Portam Coponii*, quæ erat tertius ejus introitus vel Porta per quam tranſibat. Hæ Portæ, ut anteà diximus, erant Portæ *Sionis* in via hujus collis ad Templum, non ipſius Templi Portæ.

Hiſce poſitis, exiſtimo *Achazum* Religionis transfugam factum deformaſſe ac polluiſſe Templum intùs, & extrà etiam planè intercidiſſe viam à Regia ad Templum ducentem, quaſi ipſe & ſui nunquam eò venturi fuiſſent. Ita etiam crediderim *Sedeciam* cùm Templum Præſidio muniſſet, dum *Chaldæi* urbem obſiderent, advocaſſe *Jeremiam* ex carcere *Sionis*, unde venit ad *Portam Coponii* vel *Shallecheth*, ubi colloquutus eſt cum Rege. Jam oculos noſtros convertamus ad ea quæ erant in ipſo Atrio, quæ tamdiu luſtrare diſtulimus: & primùm quidem incipiamus ab Altari, quod non modò eſt præcipua res quæ ibi obſervanda venit, ſed etiam veluti immotum ſignum unde locum & conſpectum reliquarum dimetiamur.

CAPUT XXXIV.

De Altari Holocautomatum.

ALtare quod *Moſes* fecit in deſerto, quia circumferendum erat, conſtabat materiâ levi, nec magnarum erat dimenſionum: erat enim ex ligno *Shittim*; circumferentia ejus erat quadrata, & unumquodque latus quinque cubitorum; altum verò erat tres cubitos, cum craticula ænea intùs collocata, cui victimæ & ignis imponerentur. Idcòque cum vocatur *Altare Æneum*, 2 *Paral*. 1: 5. id dici intelligendum eſt, quia ære obductum erat, *Exod*. 38: 2. Sed cùm *Solomon* ædificare Templum aggrederetur, nec ampliùs loco dimovendum eſſet Tabernaculum Congregationis, ut anteà, ſtruxit Altare multò latius & gravius quàm Altare *Moſis*, æneum nempè, cujus circumferentia viginti cubitorum fuit, altitudo decem.

Exod. 27: 1.

2 *Paral.* 4: 1.

Non inquiram curioſiùs, an re ipſâ Altare *Solomonis* æneum eſſet necne; vel utrùm dicatur æneum, quamvis lapideum eſſet, quia ſucceſſit æneo *Moſis* Altari, ut quidam exiſtimant Hebræi, vel ut alii putant, quia erat obductum ære. Nullam video rationem quæ probare queat rem non eſſe propriè intelligendam, idque non conſtitiſſe ſolido ære: quare enim non poſſumus colligere ex eo quod *Moſes* Altare ſuum ære obduxit, factum id fuiſſe ex ligno tantùm propter levitatem; abſque hoc fuiſſet, internas æquè ac externas partes ſolido ære fuiſſe conflandas; idque monuiſſe *Solomonem* ut Altare ſuum ex ære ſolido conflaret? Verum eſt quidem eſſe præceptum conſtruendi Altaris ex luto & lapidibus, *Exod*. 20. ſed optimo jure dubitari poteſt, annon hæc Altaria ea ſint quæ peculiari quapiam & extraordinaria occaſione erant exſtruenda, nempe cùm Deus alicui appareret, ut *Gedeoni*, *Manoæ*, & aliis qui poſt ejuſmodi apparitiones ſtruxerunt Altaria, & victimas immolarunt, *Judic*. 6: 26. & 13: 19, 1 *Reg*. 18: 30, 31.

Vide *Kimch.* in 1 *Reg.* 8: 64.
Vide *Lev. Gerſ.* ibid.

Vix quicquam inveniri poteſt de conſtructione & accurata figura Altaris *Solomonis*, quia Scriptura paucis admodùm de eo loquitur: hæc enim duntaxat habet: *Fecit Altare Æneum, cujus longitudo viginti cubitorum, latitudo viginti cubitorum, altitudo verò decem cubitorum fuit*, 2. *Paral*. 4: 1. Itaque erat quadruplò circumferentiâ majus Altari *Moſis*, ut triplò altius ſuperaddito etiam cubito: ſed an exactè referret formam *Moſaici*, an medium ejus ſpatium concavum fuerit, ut in illo, an conſtaret lapidibus, an craticulâ intùs ornatum, an verò ſolidum eſſet, & quæ eſſet ratio ad illud aſcendendi, conjecturâ potiùs aſſequi poſſemus, quàm Scripturæ deſcriptione aut demonſtratione oſtendere.

Sacrificia quæ memorantur aliquando unâ die oblata tùm in Altari *Moſis*, tum in *Solomonis* Altari, nos in admirationem rapiunt, vix intelligentes quî factum fuerit ut tantus victimarum numerus in exiguo adeò ſpatio deponi & comburi poſſet, adeò ut licèt amplius fuiſſet, longius tempus neceſſarium fuiſſe videatur; ut cùm *Solomon* obtulit mille victimas in Altari *Moſis*, 1 *Reg*. 3: 4. & populus ſeptingentos tauros & ſeptem ovium millia in *Solomoniano*, 2 *Paral*. 15: 11. &c. Altaris *Moſis* circumferentia erat tantùm quinque cubitorum; jam autem quantum requiritur tempus, ut mille holocautomata, ſic enim vocantur, poſſent in tam exiguo ambitu comburi? *David Kimchi* in eum locum rem ita exponit: *Hæc omnia ſacrificia non obtulit unâ die, ſed tantùm priuſquam rediret Gabaone Hieroſolymam: attamen videntur Rabbini noſtri rem ita cepiſſe, quaſi hoc uno tempore factum fuiſſet.* Maxima quæ *Hieroſolymæ* celebrarentur feſta in ſeptimam duntaxat diem proferri ſolebant, vel ad ſummum in decimam quartam,

Digitized by Google

tam, cùm duplex feſtum agere volebant, ut in dedicatione Templi, 1 *Reg.* 8: 65. Jam concedamus *Solomonem* quatuordecim diebus, imò bis quatuordecim commoratum eſſe *Gabaone*; attamen tot ſacrificia intra id tempus offerre eum potuiſſe videbitur. In ipſius autem Altari *Hieroſolymitano* quantus numerus oblatus perhibetur? 1 *Reg.* 8: 63. *Mactavitque Solomon hoſtias pacificas quas immolavit Domino, boum viginti duo millia, & ovium centum viginti millia; & dedicaverunt Templum Domini Rex & filii Iſraël. In die illa ſanctificavit Rex medium Atrii*, &c.

Tribuamus univerſos quatuordecim dies, de quibus *verſ.* 65. huic negotio, videbitur tamen tempus æquo brevius; & quicquid dicatur, admirabimur potiùs rem, quàm rationem quâ contigit inveniemus. Sine dubio ignis cœlitùs delapſus celerius victimas conſumebat, quàm ordinarii ignes; alioqui non video quid circa hanc rem dici poſſit. Judæi enumerant varia miracula quæ quotidie in Templo fiebant; ut quòd muſcæ locum non infeſtarent, quamvis tot ibi mactarentur pecudes; & fumus Altaris rectà aſcenderet, nec unquam à vento hinc indè ſpargeretur, &c. quæ licèt fortaſſè minùs credantur, propter eos qui ea referunt, attamen ſi diligenter expendantur, ratione non carere deprehendentur. Quis enim potuiſſet mediâ æſtate ſtare in Atrio propè Altare, cùm tanta ſanguinis copia effuſa erat, & carnis diſſectæ, ſi locus mactationis infeſtus fuiſſet fœtore, muſcis ac veſpis, quemadmodum lanienæ noſtræ ſolent? Quàm fumoſus & fœtidus locus fuiſſet Templum & circumjacens ſolum? Miniſtrantes certè ſuffocati fuiſſent, nec quiſquam durare potuiſſet in Atrio, ſi ventus hinc indè diſjeciſſet fumum, ut vulgò fieri videmus. Itaque hæc incommoda, quæ locum inacceſſum miniſtrantibus feciſſent, ut vitarentur, non poſſumus non agnoſcere perpetuam ac miraculoſam providentiam. Similiter in hoc de quo agimus negotio, ingens ille numerus victimarum, præſertim tribus feſtis ſolennibus, abſumebatur intra conſtitutum tempus ad talium ſacrificiorum oblationem, miraculo potiùs divino quàm ullâ aliâ ratione. Altare vocatur *Ariel*, *Leo Dei*, ut paulò pòſt obſervabimus; ac certè erat inſtar leonis ſummâ voracitate omnia abſumentis.

Cùm poſteà dicatur, *Solomon dedicaſſe medium Atrium quod erat ante Domum Domini, & ibi obtuliſſe holocautomata & ſacrificia, & adipem Pacificorum, quoniam Altare Æneum quod erat ante faciem Domini minus erat quàm ut ea caperet*; etiamſi hoc ſupponatur, attamen ſatis difficile erit captu quomodò in tam brevi tempore expedita ſint tot victimarum millia; niſi addatur modò allata obſervatio. Verùm vulgò ſolet in hæc verba moveri quæſtio; nempè quomodò intelligi poſſit medii Atrii conſecratio; num combuſſerit victimas in ipſo pavimento, ut exiſtimat *Rabbi Judah*; vel an ſuo Altari adjecerit *Moſis* Altare, vel alterum lapideum juxta Æneum, nam ſunt etiam qui hæc defendant: ſed fortaſſè difficillima quæſtio eſt circa locum; quid nempè ſignificetur par *medium Atrium*. Hujus quæſtionis ſolutioni duo ſunt præmittenda. I. Ignem cœleſtem *Davidis* tempore accuratè notaſſe locum in quo ſacrificia offerri debebant ſeu Altare exſtrui, 1 *Paral.* 21: 1. utque ea pars cultûs divini aliò transferretur, requirebatur vel Propheticum monitum, vel diſpenſatio meræ neceſſitatis; quæ ambo hîc fuerunt. II. Locum quem *Solomon* conſecravit in Atrio, ipſo cultu divino conſecratum fuiſſe. Altare *Moſis* cùm primùm erectum eſt, inunctione conſecratum fuerat; nec ſine ratione Judæi aſſerunt *Solomonis* Altare eodem modo conſecratum fuiſſe: verùm hic locus quem *Solomon* coactus fuerat eligere ad offerendas victimas non ita dedicatus eſt, ſed ipsâ oblatione conſecratus, & quidem in præſentem illum uſum, non in futurum. Itaque hæc hiſtoria poteſt παραφράζεσθαι hac ratione: *Solomon* conſecravit medium Atrium, ibi enim holocautomata obtulit; adeò ut quemadmodum Altare illud inunctum oblationem ſanctificavit, hoc extraordinarium non tam ſanctificaverit victimas quàm ab iis ſanctificatum fuerit. Ita etiam poſt reditum ex *Babylonica* Captivitate, Templum omniaque ejus vaſa ſanctificata fuere ipſo cultu divino; neque enim divinus ullus ignis, nec ulla nubes gloriæ, nec ullum unctionis oleum ad ea ſanctificanda adfuerunt.

Exiſtimaverim igitur, *medium iſtud Atrium* quod *Solomon* ſanctificavit, latiori ſenſu explicari debere, tum quoad vocem *medium*, tum quoad vocem *Atrium*: medium enim cujuſpiam rei apud Scriptores Sacros non ſemper ſumitur pro ipſo rei centro, ſed pro qualibet parte quæ intra ejus ambitum continetur, ubicunque ſit: ita *in medio terræ*, *in medio Congregationis*, nihil aliud ſignificant niſi *intra terram*, *intra Congregationem*. Ita hoc in loco intelligendum eſt *Solomonem* conſecraſſe aliquam Atrii partem ad comburenda ſacrificia, licèt ſolius Altaris ambitus igne cœlitùs delapſo fuiſſet deſignatus ad oblationem victimarum.

Ad

Ad vocem verò *Atrii* quod attinet, res ipſa hoc in loco ſuadere videtur eam extendendam eſſe ad totum ſacrum ſolum: ſi enim animo reputemus infinitum illum numerum victimarum quæ tùm mactandæ atque offerendæ fuerunt, non minus ſpatium ei rei tribuere poſſumus; imò fortè æquo minus tribuemus, ſi totum ſanctum ſolum iis miniſteriis occupatum fuiſſe dicamus. Atrium hîc non nominatur κατ' ἀντίθεσιν ad Montem Domûs; ſed & Mons Domûs, & Atrium ipſum generali iſto appellantur nomine, ut diſtinguantur à Templi ædificio.

Zevachin, Per. 5. R. Solom. in Ezech. 43. & Midd. Per. 3.

Ezechielis Altare deſcribitur *duodecim cubitos longum & latum*, Ezech. 43: 16. quod ita intelligunt *Thalmudici*, quaſi latera ejus fuerint viginti quatuor cubitos longa: putant enim dimenſionem hîc non fieri ab uno angulo ad alterum, ſed à centro Altaris ad latera, quæ ab eo duodecim cubitis diſtabant. Atque hæc eorum interpretatio nititur hiſce verbis, אל ד׳ רבעיו, *ad quatuor ejus latera. Videri poſſet*, inquiunt, *totum Altare duodecim cubitos tantùm quadrato ambitu complexum fuiſſe: ſed cùm dicitur* אל ארבעת רבעיו, *ad quatuor ejus latera, indè patet menſuram iniri à centro quaquaverſùm duodecim cubitorum.* Atque hujus amplitudinis viginti quatuor cubitorum in unoquoque latere, exiſtimant fuiſſe Altare poſt Captivitatem, idque ita deſcribunt: *R. Joſe dicit, Primum Altare erat tantùm viginti octo cubitorum ambitûs, & juxta hanc menſuram cùm decreſceret ejus amplitudo verſùs ſuperiora procedendo ad focum, ſummæ partis ambitus erat tantùm viginti cubitorum: ſed cùm filii Captivitatis aſcenderunt, addiderunt quatuor cubitos ad Septentrionem, & quatuor cubitos ad Occidentem, juxta figuram literæ* Γ.

Thalm. Hieroſol. in Erub. Per. 7.

Quemadmodum *Solomonis* Altare erat decem cubitos altum, 2 *Paral.* 4: 1. ejuſdem quoque altitudinis fuit poſterioris Templi Altare, ut teſtatur *Hieroſolymitanum Thalmud* hiſce verbis: גובה המכח י׳ אמות. Eandem quoque altitudinem habuit *Ezechielis* Altare, cujus exemplar utplurimùm ſequuti ſunt filii Captivitatis. Cùm autem ad tam alti Altaris ſtans in pavimento Templi Sacerdos non poſſet faſtigium pertingere, nec proindè miniſterio ſuo fungi; ac ſimul prohibitum eſſet ad Altare per gradus aſcendere, ne Sacerdotum nuditas ſub tunicis ſolutis retegeretur, *Exod.* 20: 26. ideò ut duo iſta conciliari poſſent, fecerunt aſcenſum ex ſolo ad Altare, per quem Sacerdotes aſcendere atque in Altari miniſtrare poſſent, & qui quidem vocabatur כבש *Chebesh*, quod optimè verti poteſt *Aſcenſus Altaris.*

Zabim, Per. 3. Aruch in כבש.

Scholiaſtes in *Mishnam* in Tractatum *Zabim*, atque indè *R. Nathan* docent nos quomodò confectus fuerit hic aſcenſus, hac explicatione vocis כבש: *Eſt magna Tabula quâ utuntur nautæ ad deſcendendum ex navi ſua, ut pedes ſuos aquæ immunes conſervent; atque hæc Tabula vocatur* כבש. Ita in Tractatu *Shabbath* eſt caſus quiſpiam circa *Chebesh*, ſeu hujuſcemodi Tabulam. *Fecit Idololatra ſibi* כבש *Tabulam ad deſcendendum? Iſraëlita poteſt poſt illum deſcendere. Sed fecitne in uſum Iſraëlitæ? Non licèt ei in ea incedere. Exemplum eſt Rabban Gamalielis & Seniorum: erant exituri ex navi, atque Idololatra fecerat ſibi ipſi* כבש *Tabulam ad deſcendendum.* Ex comparatione horum locorum rationem & modum hujus כבש *aſcenſûs* ad Altare colligere poſſumus; nimirum fuit aſcenſus declivis lapideus, per quem Sacerdotes ad Altare aſcendere poterant ſine nuditatis ſuæ retectione. Poſſumus eum vocare *Aggerem aſcendentem ad ſummum Altare*: ſic enim *Maymonides* vocat Aggerem fornicibus ſuſtentatum ſuper Valle *Kidron* ad Montem *Oliveti*, per quem Vacca rufa deducebatur ad locum combuſtionis, hoc ipſo nomine כבש *Chebesh.*

Maymon. in Shekal. Per. 3.

Porrò ad formam Altaris, hujuſque aſcenſûs, & totius rei, haudquaquàm facilis, intelligentiam quod attinet, varia ſunt obſervanda.

I. Hæ diverſæ enumerantur partes Altaris, primò *fundamentum* יסוד, quod etiam in *Ezechiele* vocatur חיק *ſinus ſeu fundum in ſolo*, Ezech. 43: 13, 14. Hoc ſupra ſolum altum erat cubitum unum, & cubitum unum latum, atque ejus ambitus triginta duorum cubitorum. Quapropter cùm anteà dicta eſt latitudo Altaris ejuſque aſcenſûs ſexaginta duorum cubitorum à Septentrione ad Auſtrum, id ita intelligi debet, ut comprehendatur aſcenſus qui non erat unum idemque cum Altari, ſed multùm extra Altaris ambitum porrigebatur, ut ſtatim videbimus. Jam hoc fundamentum ſeu baſis, cujus ambitus dicitur fuiſſe triginta duorum cubitorum, ubique non habebat exactè cubitum unum latitudinis, ſed in angulo Euro-notum reſpiciente deerat aliquid perfecto angulo. Atque hoc docent *Thalmudici* cùm dicunt: היסוד היה מהלך על פני כל הצפון ועל פני כל חמערב ואיכל בדרים אמה א׳ ובמזרח אמה א, *Baſis procedebat juxta totam longitudinem Septentrionalis lateris, & Meridionalis lateris; ſed ad Meridiem deerat unus cubitus, ad Orientem*

Midd. ubi ſuprà.

rientem verò unus: hoc eſt, poterat quis in hac baſi ambulare per totam longitudinem Septentrionalis lateris, & in angulo qui Caurum reſpiciebat converſus juxta latus Occidentale procedere; ſed à Meridionali latere ad Orientalem non potuiſſet tranſire, quia ſeſe in parte Euro-notum reſpiciente converſurus, nullus erat ibi angulus, quemadmodum in aliis partibus, ſed fractus erat, deeratque cubitus tum ad Meridionale, tùm ad Orientale latus, qui cubiti aliis partibus additi acumen angulorum efficiebant. Ratio autem hujus defectûs alibi ab iis affertur; quia nempè hic ſolus angulus Altaris non fuiſſet in Tribu *Benjamin*, ſed in Tribu *Juda*. Exiſtimabant enim totum Altare in Tribu *Benjamin* oportere eſſe, non in Tribu *Juda*, propter hæc verba *Jacobi*: *Benjamin rapax erit tanquam lupus, matutino tempore vorabit prædam, & veſpertino dividet ſpolia*; quæ quomodò intellexerint de Sanctuario & Altari exſtructis in ſorte Tribûs *Benjamin*, apparet ex interpretatione quam adjiciunt Paraphraſtæ *Hieroſolymitanus* & *Jonathan*: *Benjamin*, inquiunt, *comparatur veraci lupo, quia erat valida Tribus. In ejus regione divina Majeſtas Domini totius mundi habitare debebat, & in ejus poſſeſſione Domus Sanctuarii ædificari. Manè Sacerdotes offerent agnum quotidianum ad quartam uſque horam diei; & inter veſperas offerent alium agnum, & veſperi divident quod ſupereſt ex reliquiis victimarum, atque unuſquiſque comedet portionem ſuam.* Verùm copioſiùs hoc habetur in Tractatu *Zevachin*, ſeu de Sacrificiis, ubi hæc ipſa obſervatio de defectu anguli in Altari fusè diſcutitur. Sextum Caput hujus Libri totum occupatur in deſcribendis variis locis circa Altare, ubi varia ſacrificia mactabantur: & inter alia occurrit quæſtio de qua nunc agimus, circa angulum hunc Altari deficientem, quam ſic tractant & definiunt *Thalmudici*: *Angulus Euro-notum reſpiciens nullam habebat fundationem: quanam erat ratio? R. Eliezer dicit, Quia non erat in ſorte Rapacis: ut Rab. Samuel filius Rabbi Iſaac dicit*: מזבח אוכל בחלקו של יהודה אמה, *Altare accepit cubitum in portione Juda. Rab. Levi Bar Chama dicit, R. Chama Bar Chanina dicit, Exibat linea ex portione Judæ, & intrabat in portionem Benjamin. Et juſtus Benjamin eâ re turbabatur, ut dicitur*: חופף עליו כל היום, (*Scholiaſtes* interpretatur, *quotidie propterea ſollicitus erat*) *Attamen juſtus Benjamin obtinuit fieri* אושפיזכן *Hoſpes ſancto benedicto Deo: ut dicitur, Et habitabit inter ejus humeros.* Cujus loci hæc eſt ſententia: lineam quæ dividebat ſortes duarum Tribuum *Judæ* & *Benjaminis*, directè incidiſſe in hanc partem Altaris, adeò ut ſi ex hac parte additus fuiſſet baſi angulus, quemadmodum ex reliquis, cubitus Altaris fuiſſet in Tribu *Juda*; quam in rem nullum erat Scripturæ præceptum: Altare enim oportebat eſſe in Tribu *Rapacis*, hoc eſt, *Benjaminis qui futurus erat rapax inſtar lupi*; ideòque potiùs in hac parte baſis non fecerunt angulum, qui incidiſſet in Tribum *Juda*.

Geneſ. 49: 27.

Thalm. Babyl. in Zevachin, Perek. 5. in Gemara.

Quemadmodum hoc Euro-notum reſpiciens baſis punctum propterea obſervatu dignum erat, ita propter aliud notabilis erat angulus Noto-zephyro obverſus, duobus foraminibus acumini anguli proximis, quorum unum erat ad Occidentem baſis, alterum ad Auſtrum, in quæ ſanguis in baſin effuſus defluebat ad quampiam ſub ſolo cloacam, quæ exonerabatur in Valle *Kidron*.

II. Cùm baſis, ſeu fundatio, cubitum unum ſupra pavimentum attolleretur, & circumquaque cubitum unum latitudine pateret, exceptâ eâ parte anguli cujus meminimus; quadrangularis ipſa Altaris moles aſſurgebat undequaque arctior cubito uno, atque adeò ambitus ejus triginta tantùm cubitorum erat. Hanc amplitudinem per quinque ſuperiores cubitos habebat, deinde cubito uno coarctabatur; atque hæc coarctati Altaris pars vocabatur סובב, ſeu *Circuitus Altaris*. Circuitus hoc in loco erat tantùm viginti octo cubitorum. Verùm hîc Thalmudica dimenſio differt à dimenſione *Ezechielis*; quod licèt obſervaverit *R. Solomon*, concludit tamen dimenſionem Thalmudicam fuiſſe veram dimenſionem ſecundi Templi. *Ezechiel* dicit: *Et de ſinu terræ uſque ad inferiorem crepidinem erant duo cubiti*; cùm *Thalmudici* unum tantùm dicant: ab inferiori crepidine ad ſuperiorem *Ezechiel* numerat quatuor cubitos; *Thalmudici* verò quinque. Quibus in circumſtantiis licèt diſſentiant, ad ſummam rei quod attinet conſentiunt, & circuitum Altaris ſex cubitos altum fuiſſe ajunt; ideòque hîc in iis conciliandis tempus non teremus, ſed id relinquemus ut paulò pòſt reſumamus. Hoc tantùm prætermittere non poſſumus, vocem nempè quâ utitur *Ezechiel* ad deſignandum tum *baſin*, tum *circuitum*; ea eſt עזרה *Azarah*, quâ ſolent appellare *Atrium*. Sic autem vocantur, quia quemadmodum populus calcabat Atrium dum peragaretur Miniſterium; ita Sacerdotes hiſce

hiſce crepidinibus Altaris inſiſtebant, præſertim ſuperiori dictæ *Circuitus Altaris*, cùm id circumibant ut cornua ſanguine adſpergerent. Hujus cæremoniæ in Thalmudico Capite ſupra laudato hæc habetur deſcriptio in ***Miſnah**: **Oblatio pro peccato*** *Congregationis, vel privati, & hirci qui offerebantur initio Menſium, & aliis ſolennibus temporibus, mactabantur ad Septentrionem Altaris, & ad Septentrionem ſumebant ſanguinem in vas quodpiam ſacrum, & quater adſpergebant quatuor cornua. Quomodo hoc fiebat? Aſcendebat* εἰς τὸ כבש *in aggerem Altaris, & convertebatur ad circuitum ejus. Veniebat ad cornu reſpiciens Euro-notum, deinde ad Euro-aquilonare, tùm ad cornu Cauro obverſum, denique ad id quod Noto-zephyrum reſpiciebat, & reliquum ſanguinem effundebat in baſin ad Auſtrale latus.*

Zevachim, ubi ſupra, ſect. 3.

Utramque harum crepidinum Rabbini vocant כְּלְבֵּן *Molben*, ſeu quòd eſſent inſtar ſoli quod Sacerdotes calcabant, eo enim ſignificatu vox aliquando occurrit; vel quia ſæpè abluendi erant ut remanerent albi, propter ingentem copiam ſanguinis quâ tingebantur: *nam totum Altare bis quotannis dealbabatur, nempè feſtis Paſchatis & Tabernaculorum. Rabbi dicit id abſterſum fuiſſe mappâ præparatione uniuſcujuſque Sabbati.*

Vide *R. Solom.* in *Ezech.* 43.
Vide *Aruch* in voce.
Midd. Perek. 3

III. Supra hanc Altaris ſuperiorem crepidinem, quæ vocabatur *Circuitus*, poſt cubitum unum erat iterùm alia coarctatio unius cubiti, ubi ſurgebant cornua Altaris. Cornua erant ad unumquemque angulum, quæ in baſi quidem concava & circuitu cubitalia erant, & cubitum unum attollebantur: ſolent enim dicere Judæi, גובה כל קרן וקרן ה׳ טפחים, *Altitudo uniuſcujuſque cornu erat quinque palmorum*, ſeu vulgaris cubiti: quod non ita intelligendum, ut concipiamus cornua cubitum unum elata fuiſſe, adeò ut paulatim decreſcerent à cubitali baſi & in pyramidale acumen abirent; ſed ita ut per cubitum unum rectà ſurgerent, deinde terminarentur in acumen cornu. Infima pars horum cornuum à ſolo ſeptem diſtabat cubitis; adeò ut hæc verba *Funibus revincite victimam ad cornua Altaris*, Pſalm. 118. vix propriè ſumi poſſint, quaſi victima remaneret vincta ad Altare donec offerretur. Sententiam expreſſit *Chaldæus Paraphraſtes* hiſce verbis: *Vincite agnum offerendum funibus, donec veniatis ad eum offerendum, & adſpergenda ejus ſanguine Altaris cornua.* *Joab* cùm vitæ ſuæ metueret, dicitur confugiſſe ad Altare, & cornua ejus complexus eſſe, 1 *Reg.* 2: 29. qua in re Hebræi Doctores ajunt eum duplici ratione deceptum fuiſſe: primùm, eò quòd crediderit ſibi aliquod eſſe aſylum voluntariæ cædis reo: ſecundò, quòd putaverit ſetutum fore cornua comprehendendo, cùm aſylum eſſet in ſumma crepidine Altaris. א׳ רזל לא היה קולט המזבח אלא על הכנונה ועל גגו, *Rabbini noſtri dicunt*, ait *David Kimchi*, ***Altare non fuiſſe aſylum niſi iis qui nec opini aliquem interfecerant.*** Verùm an veriſimilius ſit eos hac in re erraſſe, an verò *Joabum*, ipſis diſceptandum relinquo. At hoc certè ſine animadverſione prætermitti nequit, quòd cùm Deus exemplar Altaris dedit, diſtinctè præceperit in ejus angulis cornua fieri, tum in Altari Holocautomatum, ***Exod.*** **27: 2.** tum in Altari Thymiamatis, ***Exod.*** **30: 2.** Quid autem Deus eâ re intenderet tam ſtudioſè jubendo cornua fieri, licèt audaciùs eſſet definire, attamen non inutile erit documentum aliquod ad noſtri inſtitutionem indè haurire. Altare deſignavit ***Chriſtum***, qui ſemet ipſe in ſeipſo obtulit, humanitatem nempè in Altari Divinitatis: & quemadmodum duplex Altare victimarum & Thymiamatis adumbrabant oblationem *Chriſti* cùm mortuus eſt, & continuam ejus interceſſionem; ita cornua Altaris optimè ſignificare poſſunt dignitatem, efficaciam, ac meritum ejus mortis & interceſſionis, in quibus quicunque fiduciam ſuam conſtanter collocabunt, condemnationem evadent, & ad quas (ut Sacerdotes in unoquoque ſacrificio cornua adſpergere ſolebant) peccator, quotieſcunque Deum culturus accedit, debet confugere.

Kimch. in 1 ***Reg.*** 2.

De lege circa Civitates Aſyli non inepta eſt obſervatio *R. Solomonis*: quòd quemadmodum Deus præcepit *Iſraëlitis* cùm ingreſſi eſſent terram *Canaanis*, deſignare loca in quæ poſſent fugere qui imprudentes aliquem interfeciſſent; ita Deus in deſerto ipſis conſtituerit locum quempiam refugii, qui fuit caſtra Levitarum. Quod additur in ſequenti verſu, *Iſraëlitas* comprehenſuros voluntarium homicidam & ab Altari avulſuros, non modò confirmat hanc ejus conjecturam, ſed videtur quoque innuere etiam in ipſa terra *Canaanis*, & cùm jam conſtitutæ eſſent Civitates Refugii, Altare fuiſſe variorum reorum aſylum: quod eſt typus præclariſſimus *Chriſti* meriti, ad quod confugientes damnationem vitant.

R. Solom. in ***Exod.*** **21: 13.**

Judæi diſceptant, quomodò fieri potuerit ut *Joab*, quem exiſtimant fuiſſe Præſidem *Synhedrii*, & ſatis perſpectam habuiſſe legem, quâ *voluntarius homicida*

Vide *Kimchi*, ibid.

ula Altari liberandus negatur, eò tamen confugerit. Et reſpondent id ab eo factum, vel ut facultates ſuas ſervaret, quæ, ſi alibi interfectus fuiſſet, fiſco addictæ fuiſſent; vel ad obtinendum ſepulcrum, quo, ſi ex Lege judicatus fuiſſet, privandus erat. Verùm quod paulò anteà contigit *Abiathari*, videtur id agendi occaſionem ei præbuiſſe. Nam licèt *Abiathar* ejuſdem culpæ reus eſſet ac *Joab* in negotio *Adonijæ*, attamen munere ſuo abdicatus mortem evaſit, duabus hiſce de rationibus, quia tulerat Arcam, & Summus Sacerdos calamitatum *Davidis* comes & particeps fuerat. Hanc poſteriorem afferre quidem etiam potuiſſet *Joab*, & propterea non ſecus ac *Abiathar* miſericordiam flagitare; prior verò ad eum non pertinebat, quippè qui Sacerdos eſſe non poſſet. Attamen eò, quantùm potuit, accedere decrevit, atque ad Altaris cornua confugere, ſeque ſolenni iſtâ cæremoniâ Deo conſecrare, quâ ratione ſperabat ſe peccati veniam, non ſecus ac *Abiathar* eam obtinuerat, fortè à *Solomone* impetraturum. Etenim hujuſcemodi Altaris comprehenſio continebat votum in futurum, non minùs quàm præſentem incolumitatem; idque natura ipſa oſtendit Altaris, quod ſanctificabat quicquid tangebat; & circumſtantia etiam, quâ dicitur *Joab* remanſiſſe ſupra Altare. Sed *Joab* voluntariæ cædi *Abneris* & *Amaſæ* addiderat contemptum & rebellionem in Regem qui inſidebat ſolio *Davidis*, qui typus erat *Chriſti*, qui in perpetuum ſupra *Iſraëlis* Gentem regnaturus erat; ideòque evadere non poterat *Joab*, nec ejuſcemodi voto conſecrari.

IV. Poſt cubitum ſupra radices cornuum Altaris, cubito iterùm ejus circumferentia coarctabatur, & circuitus erat tantùm viginti quatuor cubitorum, atque ita ad aream in qua deponebatur ignis aſſurgebat. Cubitalis crepido quæ ex imminutione circumferentiæ naſcebatur circa totum Altare, erat הילוך הכהנים, locus in quem ibant Sacerdotes, & ubi ſtabant circa Altare ad deponenda victimæ membra, & ad ea movenda cùm fuerant depoſita. Atque hoc nos juvat ad judicium ferendum de ratione & forma cornuum de quibus modò diximus; nempè ea directè non ſurgebant altiùs ipſo Altari; neque enim potuiſſent Sacerdotes circumire Altare ſupra hanc crepidinem; cornua enim obſtitiſſent, ſi cubitalis craſſitiei ad ſummam uſque partem eò perveniſſent: ſed eorum forma ejuſmodi fuiſſe concipi debet, qualem eam ſupra deſcripſimus,

Midd. ubi ſuprà.
Maymon. ubi ſuprà.

nempè ea ſurrexiſſe quidem ſupra hanc crepidinem, ſed ita attenuata & extrorſùm inverſa, ut Sacerdotes inter ea & Altare expeditè tranſire poſſent.

A *circuitu Altaris* כוכב versùs ſuperiora, quod ſpatium erat quatuor cubitorum, erat ea pars quæ propriè vocabatur *Harel* & *Ariel*, Ezech. 43: 15. *Et Harel erat quatuor cubitorum, & ab Ariel ſuperiùs erant quatuor cornua.* Deſcripſerat eo in loco gradus varios qui erant in Altari, hiſce verſibus & caracteribus.

Verſ. 13. *In ſinu ejus erat cubitus, & cubitus in latitudine.* Hæc fuit baſis de qua egimus, cubitum alta & lata.

Et crepido ejus uſque ad labium ejus & in circuitu palmus unus. Ora hujus baſis non erat acuta, ut ſolet eſſe graduum lapideorum ora, ſed ut ſunt crepidines focorum noſtrorum in *Anglia*, quæ palmari altitudine focum circumdant. Itaque ſanguis in baſin effuſus non poterat ad pavimentum uſque defluere, ſed limbo palmari coërcebatur, ut flueret ad foramina per quæ ad cloacam deferebatur.

וזה גב המזבח, *Et talis etiam erat ſumma pars Altaris.* Summus Altaris apex tali etiam limbo circumdatus erat.

Verſ. 14. *Et de ſinu terræ uſque ad inferiorem crepidinem duo cubiti.* Non dicit baſin, quam hìc *inferiorem crepidinem* vocat, fuiſſe duos cubitos craſſam in ea parte quâ plana ſolo incumbebat, nam in præcedenti dicitur *ſinus fuiſſe tantùm unius cubiti*; ſed ex hac baſi aſſurrexiſſe obliquè lapides, unde craſſius fiebat Altare quàm ſuperiùs. Itaque à pavimento ad ſummam hanc protuberantiam, ubi tetragonum Altaris corpus coarctabatur, erant duo cubiti; & à ſumma parte hujus protuberantiæ obliquæ, ubi iterùm in arctiorem formam Altare cogebatur, ad circuitum propriè erant quatuor cubiti, ſed quinque à baſi. Igitur quamvis *Thalmudici* aliter loquantur ac Propheta; (cùm dicunt *baſin* ſeu inferiorem crepidinem fuiſſe tantùm *cubitum unum altam*, Propheta verò *duos*; & cùm dicunt *altitudinem ab inferiore ad ſuperiorem crepidinem*, vel à baſi ad circuitum fuiſſe *quinque cubitorum*, cùm Propheta numeret tantùm quatuor cubitos) attamen idem dicunt, ſed quod ita debeat intelligi, ut diximus. Nempè Propheta baſin, ſeu inferiorem crepidinem ſimpliciter ſumit pro ea parte quæ plana humo incumbebat; alii verò ei adjungunt ſuperiùs ſitam protuberantiam cubitalem. Atque hæc interpretatio nos

juvat

Digitized by Google

juvat ad quidpiam intelligendum, quod *David Kimchi* ſe non intellexiſſe fatetur, nempè quomodò ſuperior crepido quæ arctiorem circuitum altero duobus cubitis habebat, dicatur *major*; inferior verò cujus amplior erat ambitus, vocetur *minor*. Ratio hujus rei eſt, quia ſuperior, licèt arctior ambitu, latiorem tamen ſuperficiem habuit, propter protuberantiam illam ſuperiùs aſcendentem, de qua anteà diximus, quæ latitudinem inferioris minuebat, adeò ut tam latè non pateret ambulantibus, ac ſuperior.

Propheta ſuperiori crepidini ſex cubitis à ſolo remotæ, quam *Thalmudici* Circuitum vocant, imponit *Harel*, quod *futurum erat quatuor cubitorum, & ab Ariel & ſuperiùs quatuor cornua*.

Kimch. in locum. *Conſt. Lemp.* in *Midd.* pag. 97. Quidam exiſtimant *Harel* & *Ariel* unum idemque eſſe vocabulum diverſimodè ſcriptum; à quibus quidem diverſus multùm abire non poſſum, ſi Grammaticam Analogiam ſpectem, quia literæ ה & א inter ſe multoties mutantur: attamen differentia quæ intercedit inter voces iſtas diverſos fundere videtur ſenſus, & *Harel* ſignificare *Montem Domini*, *Ariel* verò *Leonem Domini in monte*; inferior pars ad cornua propriè vocata *Harel*, ſuperior propriè *Ariel*. Sed quandoquidem Scriptura vocat *Ariel* totam ſuperiorem partem à radicibus cornuum, non multùm ei rei inhærebimus. Vocem *Harel*, ſi interpreteris *Montem Templi*, *David Kimchi* auctor erit id nominis deſignare *Domum Domini: & quia*, inquit, *ſerviebant Diis alienis ubique in editis collibus, hic qui erat collis Domini erat tantùm quatuor cubitos altus.* Si magis arrideat vox *Ariel*, *Rabbini noſtri*, inquit, *ajunt Altare vocatum Leonem Domini, quia ſanctus ignis è cœlo delapſus erat in eo incubans inſtar leonis.* (Vide *R. Solom.* ibid.)

Vox *Ariel* etiam ſignificat *fortiſſimum*, 2 *Sam.* 23: 20. ut & *Arel*, *Iſaj.* 33: 7. Sed ſumito quo volueris ſenſu, ſeu pro *re forti*, ſeu pro *Leone Domini*, ita propriè vocabatur Altare, ſeu quia inſtar leonis vorabat multas victimas, ſeu quòd populus validiſſimus fieret iſtis ſacrificiis, Deo miraculis in eo cultu oſtendente ſe cum pro ſuo agniturum, dum divinæ obſequuturus erat voluntati; vel propter validiſſimum Leonem *Chriſtum*, quem Altare Holocautomatum referebat. *Hieroſolyma*, & præſertim *Civitas Sion* in qua *David* habitabat, vocatur etiam *Ariel*, *fortis*, vel *Leo Domini*, properea quòd omnes hoſtes ſuos devicit, dum fuit Domini, vi nempè promiſſionum à Deo ipſi factarum: ſed cùm relicto Domino prophana facta eſt, minas audiit quæ denuntiabant eam futuram tanquam alterum illum locum qui *Ariel* vocabatur, in quo perpetuæ fiebant cædes & jugiter diffluebat ſanguis, *Iſaj.* 29: 1, 2.

Altaris ſummum faſtigium viginti quatuor cubitos circuitûs habebat, vocabaturque מערכה *Maaracha*, ſeu *focus*, ubi, ut anteà obſervavimus, æterni alebantur ignes, ſed præcipuè ingens pyra ad abſumendas victimas. Itaque hæc fuit ἰχνογραφία Altaris. Erat craſſa pila lapidea, decem cubitos alta & variis gradibus ad hanc altitudinem aſſurgens, ita ut baſis circuitus eſſet triginta duorum cubitorum, ſed faſtigii circuitus viginti quatuor duntaxat.

I. Baſis in unum cubitum aſſurgebat, crepido verò ejus plana cubitum patebat. II. Ipſum Altaris corpus planum & perpendicularis ſuperficiei per cubitos quinque extollebatur, deinde cubito uno coarctabatur. III. Poſt cubitum, iterùm cubito uno minuebatur, atque ex ea crepidine in qua coarctabatur exibant quatuor cornua ex quatuor angulis. IV. Aſſurgebat per cubitum unum, ſupra quem coarctabatur, atque ibi erat crepido cui Sacerdotes Altari inſervituri ſtabant. V. Denique poſt cubitos duos erat focus.

Ita erat Altaris forma, in cujus gradu ſupremo miniſtrantes ſtabant Sacerdotes. Sed quomodò eò aſcendebant? Si potuiſſent aſcendere per gradus memoratos qui circa Altare erant, hoc tamen illicitum fuiſſet lege quæ extat *Exod.* 20: 26. Sed nec eâ viâ potuiſſent aſcendere: vidimus enim inter primum & ſecundum gradum fuiſſe quinque cubitos, quæ menſura multò major eſt quàm ut quiſquam illàc poſſet aſcendere. Itaque via facta fuerat aliâ ratione tum ad faſtigium Altaris, tum ad inferiorem duobus cubitis crepidinem, & alias, ſi neceſſe eſſet in eas aſcendere.

Erat elegans Agger (ſic enim aſcenſum vocamus, quem Hebræi appellabant כבש) ad Auſtrum Altaris, ſexdecim cubitos latus, cujus initium à baſi Altaris diſtabat triginta duobus cubitis, & per quem leni declivitate aſcendebant ad ſummum Altare. Conſtabat eâdem materiâ ex qua ipſum Altare conſtructum erat, de qua poſteà videbimus. Itaque ultra Altare porrigebatur triginta duobus cubitis ad Auſtrum, utrinque Altaris latitudinis quatuor cubitos vacuos relinquens, quibus latitudo ejus minor erat latitudine Altaris. (*Midd. Perek.* 3.) (*Gloſſ.* in *Thamd.* Per. ult.)

Ad Occidentem ejus poſitæ erant duæ Menſæ, quarum uni Argenteæ imponebant vaſa Miniſterii, alteri verò Marmoreæ, (*Maym.* in *Beth Habbech.* Per. 2.)

Digitized by Google

reæ, quæ vocabatur *Menſa Adipis*, membra victimæ ad Altare deferenda. Erat etiam ad idem latus, &, ut non eſt vero abſimilis conjectura, in ipſo Aggeris latere, locus in quem conjiciebantur aves quæ ad oblationem allatæ ineptæ comperiebantur, donec poſſent auferri. Hic locus vocabatur רבובה *Rebubah*; ſic enim legere poſſumus ex auctoritate *R. Nathan*, licèt alii diſſentiant: שם נותנין פסולי חטאת העוף, *Atque ibi* (juxta univerſum conſenſum) *ponebant aves ineptas oblationi.* Ad Orientale latus erat locus in quo reponebantur viſcera & purgamenta avium oblatarum, & ubi is cui cura demandabatur purgandi Altaris Thymiamatis, cineres effundebat, ut etiam is qui cineres Altaris Holocautomatum auferebat. Verùm iſta diu in eo loco non relinquebantur, ſed brevi poſteà ab aliquo amovebantur. Ad Marmoream Menſam, quæ vocabatur *Menſa Adipis*, ſtabant Sacerdotes qui tubis canebant tempore divini cultûs.

Midd. ubi ſuprà. *C. Lemp.* in *Midd.* pag. 112. *Aruch* in רבובה. *Maym.* in *Beth Habbech.* Per. 2. *Thamid*, Perek. 1.

Thamid, Perek. 1.

Ordinaria via aſcendendi per hunc Aggerem, ſeu Portam, ſeu quolibet alio nomine appellare placuerit, erat dextrum latus, hoc eſt, Orientale; deſcendendi verò Occidentale, (exceptis tribus occaſionibus memoratis in loco in margine citato, quibus qui aſcenderat deſcendebat per eandem viam per quam aſcenderat, ſed retrorsùm.) Atque hinc lux affulget hiſtoriæ, de qua poſteà aliquid dicemus, quæ refertur in Tractatu *Jomæ*, de duobus Sacerdotibus qui inter ſe contendebant, uter prior Altare cineribus purgaturus eſſet; quod Miniſterium omnium primum matutino tempore peragebatur. Alter ex Aggere alterum dejecit, qui crus ſibi fregit, quia aſcendebant per oram Aggeris, licèt amplum eſſet in medio ſpatium, per quod ſine periculo aſcendere potuiſſent; ſed mos non erat illàc aſcendendi.

Thalmud, in *Zevachim*, Perek. 6.

Joma, Perek. 2.

Aſcendenti primùm occurrebat exiguus Agger in majoris initio, quo via erat ad baſis crepidinem, ſi eò eundum eſſet. Superiùs aſcendenti, cùm ad circuitûs altitudinem pervenerat, Agger ſe ingerebat quà ad circuitum ire poterat, ſi eſſent ſanguine victimæ adſpergenda Altaris cornua. Suprà circuitum, aggerem aut aſcenſum ſimilem fuiſſe non invenio, non quòd Sacerdotes perpetuò occaſionem non haberent in ſummam crepidinem aſcendendi, ad verſanda in igne victimæ membra; ſed quia cùm eò aſcendendum erat, tam facilis erat aſcenſus, ut non opus eſſet ullâ re, cui poſſit convenire nomen כבש Aggeris.

Hæc fuit forma Altaris, & Aggeris quo ad hoc aſcendebant, à qua priuſquàm abeo, agendum mihi eſt de re quapiam in eo conſpicua, quæ aliquatenùs etiam pertinet ad ejus formam. Erat nempè *rubra linea quæ Altare cingebat exactè in parte media inter baſin & faſtigium, quæ dirigeret Sacerdotes, ut ſuperiùs vel inferiùs ſanguinem adſpergerent*: aliquando enim ſupra, aliquando infra lineam ſanguinem adſpergebant, ut oſtendemus cùm agemus de ſacrificiis. Nam cùm pars ſanguinis hoſtiarum effundi vel adſpergi deberet ad baſin Altaris, alia ad cornua, alia ſuperiùs, alia inferiùs, ut certi eſſe poſſent Sacerdotes eam effuſam, vel adſperſam eſſe ſuo loco, lineam hanc tanquam limitem Altaris ſuperiorem partem ab inferiori dividentem appoſuerunt.

Middoth, Per. 3.

Materiam & modum conficiendæ celeberrimæ hujus pilæ lector diſcet ex *Thalmudicorum*, & *Maymonidis* verbis. *Cùm exſtruxerunt Altare*, inquiunt, *ſolidum eum ædificarunt inſtar columnæ abſque ulla concavitate. Sed, aliquis attulit magnos lapides integros, & parvos*, (neque enim licebat ullo ferramento eos expolire) *& attulit cæmentum & picem & plumbum, & miſcuit omnia, & fudit in magnam illam baſin quam fecerat juxta menſuram ſuam, atque ita ſuperiùs ædificavit; & cùm dimidiam partem ædificii perfecit, appoſuit trabem ligneam vel lapides ad cornu Euro-notum reſpiciens juxta menſuram Fundationis, & ſimilia poſuit ad medium unumquodque cornu, donec ædificium perfecit: deinde abſtulit ea quæ poſuerat ad dimidiam partem ædificii, atque ita cornu Euro-noto obverſum relictum eſt ſine baſi, & reliqua cornua remanſerunt concava.*

Maym. ubi ſupr. & *Thalmud*, in *Zevach.* fol. 54.

Lapides ex quibus Altare, & ad eum aſcenſus conſtiterunt, dicuntur deſumpti ex Valle *Beth-haccerem*, cujus mentio occurrit *Nehem.* 3: 14. & *Jerem.* 6: 1. Eorumdem Hebræorum monumenta nos docent *bis quotannis dealbari ſolitum Altare, nempè feſtis Paſchatis & Tabernaculorum; Templum verò dealbatum ſemel quotannis, nempè Paſchatis tempore. Rabbi dicit, Unaquaque præparatione Sabbati Altare mappâ defricabatur, propter ſanguinem. Non poterant id gypſo inducere trullâ ferreâ, ne tangens Altare id pollueret; nam ferrum factum fuit ad contrahendos dies hominis, Altare verò ad producendam hominis vitam; nec conſentaneum erat rationi, ut quod contrahit attolleretur ſuprà id quod producit.*

Midd. Perek. 3.

Hæc fuit forma & ſymmetria Altaris, *Menſæ Domini*, *Mal.* 1: 7. cujus ea erat ſanctitas, ut *ſanctificaret donum*, *Matth.* 23: 19.

23: 19. hoc eſt, quicquid ei imponebatur quod offerri poterat: המזבח מקדש הראוי לו, *Altare ſanctificabat quicquid aptum ei erat*. Eſt Axioma Thalmudicum in Tractatu *Zevachin*, ex ipſo initio Cap. 9. Septimâ verò *Halacah* ejuſdem Capitis ajunt *Thalmudici*, *Quemadmodum Altare ſanctificabat quod erat ei aptum, ita etiam aſcenſum Altaris:* quo in loco fuſè diſquirunt, quæ res ſemel ad cacumen Altaris delatæ indè poſſint auferri, quæ verò nequeant; quibus nos nequaquàm immorabimur.

Priuſquàm ad alia tranſeamus, ſupereſt aliquid obſervatu dignum circa Altare, nempè contumelia quâ id affecit impius *Achaz*, non modò alterum Altare ei adjungendo, ſed Altare etiam Domini ſuo loco amovendo. Hiſtoria extat 2 *Reg.* 16. *Miſit Damaſco exemplar Idololatrici Altaris, atque Uriah Sacerdos fecit Altare juxta id exemplar; quod cùm Rex redux vidit, victimas in eo obtulit*, &c. *Præterea Altare Æneum quod erat coram Domino tranſtulit de facie Templi & de loco inter Altare & Domum Domini, poſuitque illud à latere Altaris ad Aquilonem*, verſ. 14. *R. Solomon* in hunc locum exiſtimat non intelligi Altare Domini propriè dictum, ſed quædam pertinentia ad Miniſterium Altaris; atque hoc colligit ex una aut altera præmiſſa ex Traditione petita. Hæc ſunt ejus verba: *Hoc Altare quod amovit non poteſt eſſe Altare Aheneum quod Moſes fecit; nam hoc reconditum erat: non poteſt eſſe Altare lapideum quod Solomon fecit: quod certè vocatur Altare Aheneum in Libro Paralipomenon; hoc enim non potuit è loco in locum dimoveri, niſi dirueretur: at ecce habemus Traditionem, ignem qui è cœlo deſcendit diebus Solomonis non extinctum fuiſſe ad tempora Manaſſis, qui eum extinxit; diruit enim Altare. Itaque non poſſum interpretari Altare hîc aliter quàm Lavacra & Baſes aheneas quæ inſerviebant Altari, & prope hoc erant, & quæ remota ſunt ab Achaz*, &c.

Mirum videri non debet ſi ſolus ſit in ſua ſententia, eam expendentibus, & conſiderantibus in eam neceſſitate quadam eum abripi, quia licèt Altare *Solomonis* vocetur *Aheneum*, tamen id putat lapideum fuiſſe & ære tantùm obductum; & ſeu fuerit aheneum, ſeu lapideum, eò uſque *Achazi* impietas proceſſerat, ut non tam alterum Altare priori diruto ſuccedere vellet, quàm prius prorſùs amovere. Apparet ex loco citato, *Uriam* eò uſque impietatis non deveniſſe, quippe qui poſuit Altare ſuum ponè Altare Domini, inter hoc nempè & Orientalem Portam, ita ut Altare Domini eſſet inter alterum recens poſitum, & Templum: videtur enim ſpatium quod occurrebat ingreſſis per Orientalem Portam, temporibus prioris Templi minùs impeditum fuiſſe quàm ſub poſteriori. Verùm *Achaz* removit *Solomonis* Altare verſùs Septentrionem, propriumque Altare ejus loco conſtituit, atque ita veluti ejecit Dominum ex ſua poſſeſſione, quam ipſe uſurpavit. Altare Domini uſu ſuo non minùs ac loco dimovit, & in ſuo, quod ampliùs erat, juſſit omnia offerri ſacrificia tam ordinaria, quàm extraordinaria, tum Regis, tum populi, dum Altare Domini nullius uſûs eſſet; hoc honore tantùm, qui nullus certè erat, ei habito, dum dimoveretur, *Quæram Altare Aheneum cùm videbitur.* Quod ſpectat ad diſceſſum divini Ignis ab Altari, qui deſcenderat *Solomonis* tempore, & de quo loquitur Rabbinus noſter, res non eſt indigna diſquiſitione lectoris: Templum enim tam ſæpè pollutum fuerat, tam ſæpè clauſum ante Captivitatem *Babylonicam*, ut 2 *Paral.* 24: 7. & 28: 24. ut ægrè concipere poſſimus ignem illum qui à cœleſtis ignis deſcenſu perpetuò accenſus fuerat, aliquando extinctum non fuiſſe. Quærendum etiam quomodò *Ezechias* & *Joſias*, cùm inſtaurarunt cultum divinum, ignem Altaris iterùm accenderint.

CAPUT XXXV.

Quæ eſſent in Atrio inter Altare & Septentrionale illius latus; atque inter Altare & Auſtrale latus.

PRæcipuus & frequentiſſimus victimis mactandis locus erat ad Septentrionale latus Altaris, uti fuſè exponitur in Tractatu *Zevachim* per totum Cap. V. cujus anteà etiam meminimus. *Sanctiſſimæ oblationes*, inquiunt Magiſtri, *mactabantur ad Septentrionale latus; juvencus & hircus diei Expiationis mactabantur ad Septentrionem, & ſanguis eorum ſumebatur in vaſe ad Septentrionem. Juvenci & hirci in holocautomata offerendi mactabantur ad Septentrionem, & ſanguis eorum ſumebatur ad Septentrionem. Hirci initii Menſium & ſolennium feſtorum mactabantur ad Septentrionem, & eorum ſanguis ſumebatur ad Septentrionem. Holocautomata ſanctiſſima mactabantur ad Septentrionem, Pacifica*

Thalm. in *Zevach.* Perek. 5.

ſica Congregationis, oblationes pro delicto mactabantur ad Septentrionem, &c. Denique maximus victimarum numerus ad id latus Altaris mactabatur. Ibi propterea erant ea quæ huic miniſterio neceſſaria erant, *Locus Annulorum*, *Menſa & Unci in Columnis*.

Midd. Perek. 5. מן המזבח לטבעות ח" אמות, Ab Altari Septentrionem versùs octo cubitis diſtabat *Locus Annulorum*, qui ad Septentrionem viginti quatuor cubitis porrigebatur. Ibid. Perek. היו ו׳ סדרים של ד׳ ד׳, *Erant autem ſex ordines Annulorum, quatuor unoquoque ordine; ſed quidam dicunt fuiſſe quatuor ordines, & ſex in unoquoque, atque ibi victimas mactabant*. Hi Annuli defixi erant lapidibus pavimenti, & vel funis ab uncinis protenſus & Annulis alligatus continebat colla victimarum ne ea attollerent, vel colla beſtiarum Annulis annexa validè cohibebantur, ita ut facilè mactari poſſent. Non tanti eſt ut diſceptemus num fuerint ſex ordines Annulorum, & quatuor Annuli in unoquoque ordine, an verò quatuor ordines ſex Annulorum; quandoquidem nec numerus Annulorum, nec ſoli ſpatium in quo erant immutatur.

Hoc in loco vinciebant victimam priuſquàm eam mactarent, ac poſteà mactabant; unde vulgò vocabatur, בית מטבחים, *Domus mactatorum*. Hiſce Annulis *vinciebant victimam funibus, donec eam offerrent & adſpergerent ejus ſanguinem cornubus Altaris*, ut interpretatur *Chaldeus Paraphraſtes*, Pſalm. 118: 27.

Jam autem licèt diſertum eſſet præceptum de victimis mactandis ad Septentrionale latus Altaris, *Levit.* 1: 10, 11. &c. hoc eſt, inter Altare & Septentrionalem murum Atrii; attamen cùm plures ſimul mactandæ erant victimæ, quàm ut poſſent loco Annulorum contineri, in Atrii loco ſuperiori eas mactabant, nempè in eo ſpatio quod erat inter Altare & Porticum ad Septentrionem, è regione quantùm id fieri poterat loci Annulorum. Hoc diſceptatur & definitur in *Toſaphta* in Thoſaph. in Corban. Perek. 6. Tractatu *Corbanoth* hiſce verbis: *Quodnam eſt Septentrionale latus Altaris, ubi oportebat mactari ſanctiſſima ſacrificia? Erat à Septentrionali latere Altaris ad Septentrionale latus Atrii è regione Altaris, qui locus erat triginta cubitos latus. Verba R. Meir: R. Eliezer ex R. Simeone addit ſpatium ab Altari ad Porticum, ad locum uſque qui erat è regione Conclavium in quibus aſſervabantur cultri ad mactandas victimas, qui erat viginti duorum cubitorum. Sed Rabbi addit locum quem calcabant Iſraelitarum pedes, qui latus erat undecim cubitos, & longus 187. & locus quem calcabant Sacerdotum pedes, qui erat latus undecim cubitos, longus verò 187.* מק׳ הכותל הצפוני ועד כותל העזרה המזרחי, *à latere muri Septentrionalis ad Orientalem murum Atrii:* hoc eſt, juxta longitudinem Septentrionalis muri ab Occidente Atrii ad Orientem; ut apparet tum ex menſura 187. cubitorum, quæ exhaurit totam Atrii longitudinem, tum ex eodem Auctore, qui Capite ſequenti hanc eandem materiam tractat hiſce verbis: *Rabbi Joſi* Ibid. Per. 7. *dicit, Totum Altare poteſt intelligi de parte Septentrionali; quemadmodum dicitur, Et mactabit ad latus Altaris, Septentrionem versùs coram Domino. Rabbi Joſi ex R. Juda dicit, A medio Altari Septentrionem versùs habebatur Septentrio, & à medio Altari pars altera habebatur Auſter. Ita R. Joſi ex R. Juda dicit etiam, Erant duo oſtiola in Domo Cultrorum ad mactandum, quæ versùs Occidentem aperiebantur, & octo cubitis infra ſolum, adeò ut Atrium idoneum eſſet ad comedendas res ſanctiſſimas, & ad mactandas minoris ſanctitatis victimas, etiam ponè Oraculum.* Ex utroque hoc loco ſimul juncto poſſumus obſervare, I. *Iſraëlitas* ſtationem habuiſſe ad Septentrionale latus Atrii æquè ac ad Orientem, quæ licèt non eſſet nec poſſet eſſe ubique undecim cubitos lata, ut ad Orientem erat, non minùs tamen fuit *Iſraëlitarum* ſtatio. Cùm Auctor noſter meminit *loci quem Iſraëlitarum pedes calcabant, undecim cubitos lati*, & *loci quem Sacerdotum pedes calcabant* ejuſdem menſuræ, non vult id fuiſſe ſpatium *Iſraëlitis* & Sacerdotibus ad ambulandum juxta longitudinem Septentrionalis lateris Atrii, quale erat ad Orientem; ſed hic eſt ejus ſenſus: Cùm nimia eſſet copia victimarum ad Septentrionale latus Atrii mactandarum, potiùs quàm deeſſet locus, eas mactandas fuiſſe non tantùm in loco Annulorum, ſed etiam in ſtatione Sacerdotum & *Iſraëlitarum* ad Orientem, nempè in toto illo ſolo quod è regione erat ei ſpatio quod erat ad Septentrionem Altaris; & potuiſſe etiam victimis impleri ſimile ſpatium juxta totam longitudinem Septentrionalis muri, imò ultra Occidentalem terminum Templi. II. Domum Cultrorum mactationis, quæ vocabatur בית חליפות, fuiſſe in ea parte Porticûs quæ ad Septentrionem vergebat, & januas ejus fuiſſe ponè Porticum versùs Occidentem, & in ea parte Porticûs quâ ejus latitudo ultra latitudinem Templi protenſa

protenſa in Septentrionem porrigebatur. Aſcendebatur ad eas januas per gradus octo cubitos altos; & ratio ob quam ibi erant januæ, potiùs quàm in fronte aut extremitate Porticûs, fuit quia quàm minimùm ibi occupabant ſpatium, & minimè impediebant Atrium.

מן הנכבעות לשלחנות ד׳ מן השלחנות ולננסין ד׳, Quatuor cubitis ad Septentrionem hujus loci Annulorum diſtabat Marmorea Menſa, in qua viſcera victimæ abluebant & in fruſta dividebant. *Midd. Per. 5.* Quatuor cubitis ulteriùs ſitæ erant Columnæ, ex quarum uncinis pendebant victimæ, ut poſſent eis pellem detrahere. Haſce Columnas Judæi vocant ננסין, quod *Aruch* interpretatur עמודים קצרים, *breves Columnas*. *Aruch in* ננס. Videri poſſit vox Latina *Nanus*; atque ita in Tractatu *Parah* mentio ſit ruſæ Vaccæ ננסת *nana & minuta*. *Parah, Perek. 2.* Hæ Columnæ non ſuſtentabant Periſtylium in hoc Atrii latere Septentrionali, ſed minores erant, & octo quidem numero, iiſque impoſitæ erant trabes cedrinæ tranſverſæ, & affixi uncini ferrei tum trabibus, tum Columnis; ex quibus pendebant victimæ offerendæ, ut commodiùs pelle exui poſſent. *Midd. Per. 3. Thamid, Per. 3. Peſachim, Perek. 5.* Unicuique Columnæ tres infixi erant uncini perpendiculariter poſiti ad variarum magnitudinum victimas. Ante haſce Columnas, vel potiùs ante ſpatium quod erat inter eas, quod tantum erat, ut uni viro facilis pateret tranſitus, erat Marmorea Menſa, in qua poſtquàm viſcera victimarum primùm tradiderant abluenda in memorato *Lavacri Conclavi*, iterùm ea abluebant ac parabant, ut ad Altare deferri poſſent, & in qua excoriatas ex uncinis victimas fruſtatim diſſecabant, prout eas offerendas imponi Altari oportebat.

A brevioribus hiſce Columnis ad Septentrionalem murum Atrii erant octo cubiti, atque hoc erat ſpatium ſtationis *Iſraëlitarum* ad hoc Atrii latus: nam quamvis hæ Columnæ non ſuſtinerent Periſtylium ſub quo erat populus; attamen adeò vicinæ erant aliis quæ id præſtabant, ut ab iſtis brevioribus Columnis poſſimus juxta Hebræorum conſuetudinem ſpatium ſtationis *Iſraëlitarum* metiri, quod hîc tribus cubitis arctius erat quàm ad Orientem.

Ita luſtrato ſpatio quod intercedebat inter Altare & Septentrionale Atrii latus, jam veniamus ad oppoſitum ſpatium quod inter Altare erat & Auſtralem murum. Primùm כבש *Agger* ſeu aſcenſus Altaris, qui in longitudinem triginta duorum cubitorum porrigitur, quæ eadem longitudo erat ex altera parte ab Altari ad extremum Annulorum locum. Atque hîc optimè moveri dubium poteſt circa ſupputationem *Thalmudicorum* de dimenſionibus Altaris, ejuſque *aſcenſûs*. Disertè enim dicunt Altaris ambitum fuiſſe duorum & triginta cubitorum, *Midd. Perek. 3.* aſcenſum verò ad Auſtrum duos & triginta cubitos *Ibid.* longum fuiſſe; & tamen cùm ſummam omnium dimenſionum ineunt, dicunt Altare ejuſque aſcenſum fuiſſe duorum & *Ibid. Perek. 5.* ſexaginta cubitorum, cùm tamen numeri ſuprà memorati efficiant ſexaginta quatuor. Sed ratio hujus ſupputationis hæc eſt: vel quia dimetiuntur longitudinem *Aggeris* ſeu *aſcenſûs* non ab extima ſuperficie baſis Altaris, ſed ab ea Altaris ſuperficie ubi eſt arctiſſimum, ſupra *circuitum*; eò enim uſque Sacerdotes miniſtraturos deducebat Agger, cùm erant Altaris cornua ſanguine victimarum adſpergenda: vel quia non ſupputabant duos primos cubitos aſcenſûs, quippè planiores & ſolo viciniores, ad eam uſque partem quâ ponticulus erat ad crepidinem baſis deducens. Ac licèt eam aliquando rationem ineant cubitorum Altaris, ejuſque *aſcenſûs*, ut numerent ſexaginta duos cubitos; attamen cùm 137. cubitos latitudinis Atrii in varia diſtribuunt ſpatia, tùm attribuunt, neque enim aliter poſſunt, triginta cubitos Altari, & totidem *Aggeri*; ſic enim ſupputant.

A Septentrionali muro ad Columnas, cubitos	8.
Locus Marmorearum Menſarum,	4.
A Menſis Marmoreis ad ſpatium Annulorum,	4.
Locus ipſe Annulorum,	24.
Ab Annulis ad Altare,	8.
Altare ipſum,	32.
Aſcenſus ſeu Agger,	32.
Ab aſcenſu ad Auſtralem murum,	25.
Quæ omnia ſimul efficiunt cubitos.	137.

Quid autem eſſet in eo ſpatio viginti quinque pedum, quod erat inter initium *Aggeris* & Auſtralem murum, docet nos Tractatus *Middoth* hiſce verbis: והמותר בין הכבש לכותל ומקום הננסין, *Et quod ſupererat ſpatii inter Aggerem & Murum, erat etiam locus breviorum Columnarum.*

Erant quædam ſacrificia quæ mactabantur ad Auſtrale latus Altaris, quemadmodum memoratas victimas ad Septentrionem cædi oportebat. Sacrificia quæ voca-

vocabantur קדשי הקדשים, *Sancta Sanctorum*, vel *Sanctiſſima Sacrificia*, quæ erant tum holocautomata, tum oblationes pro delicto & peccato, aliaque quorum anteà meminimus, debebant neceſſariò vinciri ut mactarentur ad Septentrionale latus Altaris, vel ſaltem in Septentrionali Atrii parte, ut anteà dictum eſt. Sed erant præterea oblationes quæ vocabantur קדשים קלים, *Res minus ſanctæ*, quæ in qualibet Atrii parte mactari debebant: ut תודה ואיל נזיר קדשים קלים, *Oblationes Euchariſticæ, & Nazaræorum Aries, quæ erant oblationes minùs ſanctæ, in qualibet parte Atrii mactabantur. Pacifica etiam ſacrificia, quæ erant res minùs ſanctæ, cædebantur in qualibet parte Atrii, ut & Primitiæ animalium, Decimæ, & Paſcha, quæ etiam inter minùs ſancta recenſebantur.* Porrò quamvis dicant licitum fuiſſe mactare ſacrificia in qualibet parte Atrii; attamen id præcipuè intelligendum de Auſtrali Altaris latere oppoſito Septentrionali, & quidem eâdem latitudine in qua mactabantur victimæ in Septentrionali, cùm ſolito major erat earum numerus. Nam cùm non plures erant victimæ quàm quæ poterant cædi intra id ſpatium quod erat inter Altare & Septentrionalem murum, ibi mactabantur: ſed cùm cogebat victimarum numerus, omne latus Septentrionale Atrii uſque ad medium Altare ab Orientali fine ad Occidentalem occupabatur, & pro Septentrione Altaris cenſebatur. Ad Auſtrale latus Altaris erant etiam Marmoreæ Menſæ & breviores Columnæ eidem uſui deſtinatæ, nempè ad excoriandas, ſecandaſque victimas, atque abluenda earum viſcera: ſed cùm major erat victimarum numerus, quàm ut poſſet contineri eo ſpatio quod directè erat inter Altare & murum Auſtralem, tùm licebat id facere in toto Auſtrali latere quà ad medium uſque Altare patebat.

Zevachir, Perek. 5.

Ibid. Perek. 6.

Spatium ergò viginti quinque pedum, quod erat inter Auſtralem murum Atrii & initium *aſcenſûs* Altaris, ita diviſum erat. I. Erant octo cubiti à muro Atrii ad Columnas, ut in Septentrionali latere, quæ erat latitudo Periſtylii, & ſtationis *Iſraëlis* in ea parte Atrii. II. Menſæ ante Columnas, ut in contrario latere poſitæ quatuor cubitos occupabant. III. Denique tredecim cubiti inter hæce & initium *Aggeris* interjecti, partim, ut videtur, attributi ſunt Annulis, quales erant in Septentrionali latere, licèt tot non eſſent, neque enim opus erat; partim verò plano pavimento, ut eò facilior eſſet Sacerdotibus aditus.

CAPUT XXXVI.

Spatium inter Altare & Porticum.

ALtare ſtabat inter Portam ſeu ingreſſum Porticûs quâ aditus in Templum dabatur, ac ſpatium quod erat inter baſin Altaris & infimam partem muri Porticûs erat viginti duorum cubitorum. Verùm non erat planum in interſtitio illo pavimentum: nam cùm ad Porticum duodecim gradibus aſcenderetur, & unuſquiſque cubitum unum eſſet latus, præter ſpatiolum quo tertius quiſque gradus ampliabatur, quibus fiebat ut hi gradus in Atrio longè latèque versùs Altare porrigerentur, & viginti duorum cubitorum ſpatium haud exiguum occuparent, unuſquiſque gradus erat ſemicubitum altus, adeòque tota graduum moles ſupra ſolum ſex cubitis aſſurgebat. Ita qui ſtabat in ſummo gradu æquè elatus erat ac qui miniſtrabat in circuitu Altaris. Atque in hiſce gradibus ſtabant Sacerdotes cùm redibant à Thymiamate offerendo, & benedicebant populo.

Midd. Per. 3.

Thamid, Perek. 7.

Quod verò ſpatium inter Porticum & Altare ſitum ſpectat, hæc ſunt obſervatu digna.

I. *Nemo poterat venire in hoc ſpatium, qui aliquo vitio pollutus eſſet, aut nudo capite.* Facilis eſt intellectu prioris interdicti ratio, petita nempè ex ſanctitate loci adeò vicini Altari & Templo: poſterioris verò cauſa eſt, quia in maximis ſuis devotionibus ſolebant eſſe tecto capite; adeòque nemo audebat aperto capite tam ſanctum locum ſubire.

Kelim, Perek. 1.

II. Nemo ſtabat aut ſtare poterat intra hoc ſpatium dum Sacerdos in Sanctuario Thymiama offerebat. *Nam dum quotidiè in Templo Thymiama offerebant, omnis populus à Templo recedebat, adeò ut inter Templum & Altare nemo eſſet, donec qui comburebat Thymiama exiret. Ita etiam eo tempore quo Summus Pontifex ingrediebatur cum ſanguine oblationis pro peccato, quod oportebat intùs adſpergi, univerſus populus recedebat à ſpatio quod erat inter Altare & Templum, donec rediret.* Utque cognoſceret populus tempus recedendi ab eo ſpatio, dum quotidianum offerretur Thymiama, *Sagan* vel *Præſes* Miniſterii altâ voce clamabat ad offerentem, *Offer Thymiama:* quâ voce auditâ populus ſe ſubducebat. Hujus cæremoniæ cauſas curio-

Maym. in Tham. Perek. 3.

Digitized by Google

ſiùs non inveſtigabo ; ſed lectori dijudicandum relinquam , an non ſatis aptè innuat quàm omnes homines ſint remoti à ſuſcipienda parte aliqua muneris interceſſionis unà cum *Chriſto*; quod munus hoc Thymiama ſignificabat.

III. In hoc ſpatio inter Templum & Altare commiſſum fuit cædes *Zachariæ* filii *Barachiæ*,cujus meminit Servator *Matth.* 23: 35.

Sunt autem variæ conjecturæ circa hunc *Zachariam.* Quidam putant eum eſſe *Zachariam* Prophetam, cujus Librum in Veteri Teſtamento habemus: alii *Zachariam* patrem *Joannis Baptiſtæ:* alii denique exiſtimant *Chriſtum* ibi propheticè loqui de cæde *Zachariæ* filii *Baruchi* in Templo perpetratæ , cujus hiſtoriam habet *Joſephus*, lib. 4. *Bell. Jud.* cap. 19. Sed *Thalmudici* nobis auctores ſunt fuiſſe eum filium *Jehojadæ*, qui hoc in loco lapidibus obrutus eſt tempore Regum, 2 *Paral.* 24. Quare vocetur filius *Barachiæ*, non *Jehojadæ*, non eſt hìc diſquirendi locus. *Thalmud Hieroſolymitanum* habet hujus cædis hiſtoriam, quod perſuadere poteſt Servatorem noſtrum loquutum eſſe juxta vulgarem opinionem , & intellectum fuiſſe *Zachariam* filium *Jehojadæ*, licèt certa de cauſa vocet filium *Barachiæ*.

Thalm. Hieroſol. in *Taanith*, fol. 69;

Rab. Jochanan dicit , Octoginta millia Sacerdotum juniorum interfecta fuere propter ſanguinem Zachariæ. R. Jordan quæſivit , Ubi occiderunt Zachariam? In Atrio Mulierum , vel in Atrio Iſraëlis? Dixit ei , Nec in Atrio Iſraëlis , nec in Atrio Mulierum , ſed in Atrio Sacerdotum , &c. *Septem tranſgreſſiones tranſgreſſus eſt Iſraël eâ die ; occiderunt Sacerdotem, Prophetam, Judicem; effuderunt innocentem ſanguinem , & polluerunt Atrium , & Sabbatum , quod erat etiam dies Expiationis. Et cùm venit eò Nebuzaradan , vidit ſcaturientem ſanguinem ; dixitque eis, Quid hoc ſibi vult? Dixerunt ei , Eſt ſanguis juvencorum , arietum & agnorum quos obtulimus in Altari. Statim adduxit juvencos , arietes & agnos , eoſque mactavit ; attamen ſanguis ille magis ebulliebat quàm eorum ſanguis. Et cùm non confiterentur , ſuſpendebat eos. Dixerunt illi, Dominus vult requirere ſanguinem ejus è manibus noſtris. Dixerunt ei , Eſt ſanguis Sacerdotis, Prophetæ & Judicis qui prædixit nobis quæcunque nobis feciſti , noſque ei adverſati eum interfecimus. Statim adduxit octoginta mille juniores Sacerdotes , eoſque interfecit ; & tamen ſanguis ejus adhuc ebulliebat. Tum irâ commotus , Quid tibi vis? inquit. Ut univerſus populus pereat propter te? Statim ſanctus benedictus Deus miſericordiâ permotus eſt, & dixit, Quid? Si hic homo qui eſt tantùm caro & ſanguis miſericordiâ tangitur in meos filios, quò magis ego tangar !? de quo ſcriptum eſt , Nam Dominus Deus tuus eſt miſericors Deus , vult tibi condonare, nec deſtruere te, nec oblviſci Fœderis Patrum tuorum. Statim ſignum dedit ſanguini , & eo in loco abſorptus eſt. R. Jochanan dicit , Octoginta millia Sacerdotum profugerant in media Sanctuarii Conclavia, & fuerunt omnes combuſti, nec ullus evaſit , excepto Joſuâ filio Jozedek: ut eſt ſcriptum, Nonne hic eſt titio ex igne ereptus?* Zachar. 3: 2.

In hoc eodem loco , inter Altare & Porticum , erat Lavacrum non directè ante Altare , ſed nonnihil ad Auſtrum , ita ut eſſet inter Ponticulum Altaris & Porticum , ut mox id luſtrando obſervabimus. Sed *Thalmudici* memorant vas quodpiam quod erat, ut apparet ex eorum relatione, poſitum inter Porticum & Altare, & quod vocabatur *Migrephah*; quæ vox haud facilè in linguam Latinam transferri poteſt.

Hæc leguntur de eo in Tractatu *Thamid.* *Illi* (nempe qui ingreſſuri erant Templum ad comburendum Thymiama, & parandas Lucernas) *veniebant inter Porticum & Altare; alter eorum ſumebat Migrephah , & id pulſabat inter Porticum & Altare , nec quiſquam poterat Hieroſolymæ audire alterum loquentem propter ſonitum* דּ *Migrephah. Tribus rebus inſerviebat. Sacerdos qui audiebat ejus ſonitum, cognoſcebat Fratres ſuos Sacerdotes proceſſiſſe ad cultum divinum, & currebat & veniebat. Levita qui audiebat ſonitum ejus, cognoſcebat Fratres ſuos Levitas ad cantum iviſſe , & currebat ac veniebat. Et Princeps Stationariorum adducebat eos qui fuerant immundi, & ponebat ad Portam Nicanoris.* Quid autem eſſet τὸ *Migrephah*, mihi ſatis non liquet. Quidam dicunt fuiſſe magnum vas quod pulſabant ut ſonitum ederent : at quæ eſſet ejus forma , anque alteri cuipiam uſui inſerviret, incertum relinquunt.

Tham. Perek. 5.

Gloſſa in *Mishnajeth*, ibid.

Chaldeus Paraphraſtes יעים interpretatur מגרופיתא, *Exod.* 38: 3. &c. quod videtur idem eſſe verbum cum eo de quo jam nobis eſt ſermo ; adeòque exiſtimavit fuiſſe batillum igniarium qui pertinebat ad Altare , & qui impactus pavimento , vel pulſatus, cùm æneus eſſet & magnus, ingentem edebat ſonitum.

Judæi circa ſonitum hujus inſtrumenti & variarum aliarum rerum ad Templum pertinentium has habent hyperbolas: *Hierichunte*

Digitized by Google

Thamid, Perek. 3. *richunte exaudiebant ſtrepitum majoris Portæ Templi, cùm aperiebatur. Hierichunte exaudiebant ſonitum* ה *Migrephah. Hierichunte exaudiebant ſonitum inſtrumenti quod fecerat Ben Kattin in uſum Lavacri. Hierichunte exaudiebant vocem quæ eos vocabat ad ipſorum miniſteria. Hierichunte exaudiebant ſonitum fiſtulæ. Hierichunte exaudiebant ſonitum Cymbali. Hierichunte exaudiebant ſonitum Cantûs. Hierichunte exaudiebant ſonitum Tubarum: quidam dicunt etiam vocem Summi Sacerdotis, cùm die Expiationis pronuntiabat nomen Jehovah*, &c. Quarum rerum veritatem non debemus nimiùm urgere, cùm manifeſtum ſit eas eſſe hyperbolicè prolatas. Hinc tantùm videre poſſumus quàm vulgaris eſſet hæc locutio *Hieroſolymâ Hierichuntem*, quæ etiam occurrit *Luc.* 10: 30.

CAPUT XXXVII.

De Vaſibus & Utenſilibus Templi.

SECTIO I. *LAVACRUM*, כיור

PRimum præceptum & finis Lavacri faciendi extant *Exod.* 30: 18, 19, 20. &c. his verbis: *Facies etiam Labrum Æneum, & pedes ejus æneos ad lavandum, & pones illud inter Tentorium Conventûs & ipſum Altare, ac pones ibi aquam ut lavent Aaron & filii ejus ex eo manus ſuas & pedes ſuos. Quum erunt ingreſſuri Tentorium Conventûs, lavanto aquâ ut non moriantur; aut quum erunt acceſſuri ad ipſum Altare ad miniſtrandum*, &c.

Exſequutio verò præcepti ſic refertur *Cap.* 38: 8. *Fecit Lavacrum Æneum & pedes ejus æneos ex ſpeculis mulierum quæ congregatæ erant ad oſtium Tabernaculi Congregationis.* Dimenſiones ejus & capacitas nullibi deſcribuntur. Spiritus Sanctus indeterminatam ejus reliquit formam, ſed deſignavit tantùm materiam & finem. Conſtabat æneis ſpeculis mulierum quæ ad oſtium Tabernaculi confluebant. Septuaginta Interpretes verterunt, ἐκ τῶν κατόπτρων τῶν νηστευσασῶν, αἳ ἐνήστευσαν, &c. *ex ſpeculis jejunantium mulierum, quæ jejunaverant*, &c. Nempe ἀντὶ τοῦ צבאות legerunt צמאות. *Hieroſolymitanum Thargum*, conſentiente *Jonathane*, habet, *ex ſpeculis modeſtarum mulierum, quæ modeſtæ fuerant ad oſtium Tabernaculi.* Ad quem locum intelligendum nos juvat Scholium *Aben Ezræ. Conſuetudo eſt*, inquit, *omnium mulierum inſpiciendi unoquoque matutino tempore faciem ſuam in ſpeculo ſeu vitreo, ſeu æneo, ut poſſint comam componere: ſed ecce erant mulieres in Iſraële quæ ſerviebant Domino, quæ omiſerunt mundanam hanc voluptatem, & tradiderunt ſpecula ſua tanquam oblationes ſpontaneas; neque enim iis ampliùs indigebant, ſed quotidie veniebant ad oſtium Tabernaculi Congregationis ad orandum & audienda verba præcepti.* Finis hujus Lavacri erat ablutio manuum & pedum Sacerdotum; ſed ultima ejus ſignificatio fuit ablutio & purificatio Spiritûs gratiæ, qui in Scriptura ſæpè vocatur *aqua*. Itaque adſperſio ſanguinis in ſacrificiis, & ablutio aquæ Lavacri, continebant duo illa præcipua Theologiæ capita, ablutionem omnis reatûs per ſanguinem *Chriſti*, & omnis pollutionis per Gratiam Dei.

Forma & capacitas Lavacri ſub ſecundo Templo non memorantur; hæc tantùm de eo reperimus in Hebræorum monumentis.

I. Id fuiſſe, juxta primum præceptum *Exod.* 30: 18. inter Altare & Porticum, licèt *aliquantulùm ad Auſtrum*, משוך כלפי הדרום. Ratio autem ob quam eo in loco collocatum fuit, hæc eſt: *Quia dicitur, Et Altare Holocautomatis ad oſtium Tabernaculi Congregationis: quo ſignificatur Altare, non Lavacrum, debuiſſe eſſe ante Tabernaculum Congregationis; ſed Lavacrum ad latus Auſtrale nonnihil ſemotum erat.* *Midd. Perek.* 3. *ſect.* 6. *R. Solom. in Exod.* 30. *ex Zevachim.*

II. Primum illud habuiſſe tantùm duo Epiſtomia quibus aqua educeretur; ſed poſtremis temporibus *Ben Kattin feciſſe in eo duodecim Epiſtomia*, י״ב דד, ut ait *Miſhnah* in Tractatu *Joma*. Vocat Epiſtomia דדי, *mammas*; *quia*, inquit *Aruch*, *erant inſtar mammæ mulieris, & aqua per eas decurrebat quâ abluebant manus ſuas.* Ita *R. Solomon* deſcribens Lavacrum dicit: *Erat ſimile magno Lebeti, & habebat mammas, quæ ore ſuo aquam emittebant. Babylonici* porrò *Thalmudis Gemara* diſceptans de occaſione quâ facta fuerunt hæc Epiſtomia, hanc eſſe dicit: *Traditionem eſſe, Ben Kattin tot feciſſe, ut duodecim Fratres ejus Sacerdotes qui quotidiano occupabantur ſacrificio, ſimul manus abluere poſſent.* Obſervavimus ſuo loco, totidem Sacerdotes in variis quotidianæ oblationis miniſteriis occupatos fuiſſe: ideòque hic *Ben Kattin* qui erat etiam Sacerdos, curavit tot Sacerdotes qui ſimul miniſtrabant, ſimul etiam ad Lavacrum ſtare & manus abluere poſſe, ideòque totidem Epiſtomia fecit; unde apparet Vas fuiſſe ampliſſimæ capacitatis. *Jom. Per.* 3. *Aruch in* דד *Solom. ubi ſuprà.*

III. Frequens mentio occurrit apud *Thalmudicos* cujuſdam rei quæ ad Lavacrum pertinebat, quam vocant מוכני כיור,

 quod

quod, priuſquàm Latinè vertamus, inveſtigationem aliquam requirit. *Miſhnah* modò laudata ait, quemadmodum *Ben Kattin* fecit Lavacro epiſtomia, *feciſſe eum etiam* מוכני, *Muchene Lavacro, ne aqua corrumperetur remanendo ibi per totam noctem.* Ita in Tractatu *Thamid*, ubi agitur de Sacerdote purgaturo Altare, eunte ad Lavacrum ad abluendos pedes & manus, dicitur *ſocius ejus audiviſſe ſonitum ligni quod Ben Kattin fecerat, τῶν Muchene Lavacri. Gemara* in priorem locum diſquirit מאי מוכני, *quid ſit Muchene. Rabba dicit, Eſt rota.* Ita etiam dicit *Aruch*: פירוש מוכני גלגל הוא, *Significatio Muchene eſt rota.* Jam quo in loco, & cui uſui eſſet hæc rota, quæritur. Quidam dicunt eam fuiſſe *ad demittendum Lavacrum in puteum*, ut impleretur aquâ, ſeu ad id demiſſum tenendum in puteo per totam noctem: atque ita etiam ſermo eſt in Tractatu *Zevachin*, de *trahendo & ſuperiùs adducendo Lavacro ex Æneo Mari quod fecerat Solomon; demiſſum enim erat in hoc per totam noctem, ne aqua ejus pollueretur remanendo in eo per totam noctem.*

Thamid, Per. 1. ſect. 4.

Jom. fol. 37.

Aruch in מכנת

Gloſſ. in *Miſchn.* in *Thamid.* Vide *Maym.* in *Beath Mikdaſh*, Per. 5. *Zevachin*, Per. 2. fol. 18.

Verùm cùm conſideramus magnitudinem hujus Lavacri de quo agimus, ſub poſteriori Templo, ad quod, ut dictum eſt, duodecim viri ſtare poterant & ſimul manus abluere; præterea cùm animo reputamus nullum fuiſſe puteum vicinum ei loco ubi erat Lavacrum, videbitur impoſſibile conceptu unum Sacerdotem demiſiſſe Lavacrum in puteum, atque iterùm aquâ plenum eduxiſſe: nam Tractatus *Thamid* unum Sacerdotem τῷ *Muchene Lavacri* verſantem deſcribit, quicquid tandem fuerit. Non memini me legiſſe quâ materiâ conſtaret Lavacrum poſterioris Templi, an æneum eſſet, an verò lapideum: etenim magnificentiæ Templi in omnibus aliis non convenit Vas ligneum. Imò etiamſi ligneum fuiſſet, difficile fuiſſet uni viro id verſare quaſi hydriam putei, quantumlibet ingenioſè inventa ac motu facilis fuerit machina *Ben Kattin.* Ideòque *Maymonides* rem dubiam relinquit: dicit enim, *Demittebant in receptaculum aquæ, ſeu puteum, & matutino tempore craſtinæ diei attollebant, ſeu implebant.*

Maym. ubi ſuprà.

Igitur non video quid aliud potuerint eſſe τὰ *Muchene Lavacri*, niſi aliqua machina inventa, vel ſaltem propriis ſumptibus facta à *Ben Kattin* Sacerdote, quâ aqua vi attollebatur ope Rotæ verſatilis quæ eam attollebat ad implendum cùm neceſſe erat Lavacrum; non quòd ſuo loco dimoveretur Lavacrum, ſed, ut vulgò fieri ſolet, quòd aqua per tubos in hoc pro arbitrio ageretur. Adeò ut cùm aqua per totam noctem in eo remanens inutilis evaſiſſet, & illicita in eum uſum cui adhiberi debebat; vel ſub noctem poſt peractum diei illius Miniſterium emitteretur; vel ſi pernoctaſſet, matutino tempore à Sacerdote qui primum diei opus peracturus erat, ejiceretur, qui nimirùm is fuit cui cura Altaris Holocautomatum cineribus ſuis purgandi demandata erat; nec aliud ei agendum erat ut iterùm Lavacrum impleret, niſi quòd eundum erat ad *Conclave Putei*, ubi verſata tantiſper Rotâ, aquam eò per tubos immittebat. Jam ut Latinè vertamus vocem מוכני, non poſſumus meliùs interpretari quàm *Machinam* Lavacri, eamque in rem animum nobis addit *R. Nathan*, cùm dicit eſſe vocem Græcam, quam exiſtimo eſſe vocem Μηχανὴ, *Machina.*

Aruch, ubi ſuprà.

IV. Nunquam erat aquæ adeò exigua copia, ut non poſſet quatuor Sacerdotes ſimul abluere; atque hujus Traditionis rationem hinc deducit *Baal Turim*; quia vox רחצה quæ adhibetur ad hanc ablutionem ſignificandam, *Exod.* 30: 18. quater tantùm occurrit, ut obſervarunt *Maſſoretha.* Verùm alia rationi magis conſentanea affertur hujus rei origo; *quia nempè dicitur, Ibi ſeſe abluent, qui fuerunt quatuor, Aaron, Eleazar, Ithamar & Phineas.*

Baal Hatturim, in *Exod.* 30.

Maym. ubi ſuprà.

V. Ratio porrò ſe ad Lavacrum abluendi hæc fuit: Sacerdos dextram manum imponebat dextro pedi, & ſiniſtram ſiniſtro, atque aqua ſic in eum per epiſtomium defluebat, ut inclinatus manus & pedes ſimul ablueret. Qui ad Miniſterium iverat matutino tempore illotis manibus & pedibus, reus erat Mortis per manum Cœli. Nec cuiquam licebat ingredi Atrium ad obeundum Miniſterium illoto corpore, etiamſi mundus eſſet. In Miniſterio ipſo oportebat Sacerdotes in nudo pavimento ſtare; quod hyeme difficillimum faciebat Miniſterium, quandoquidem oportebat eos corpus frigidâ abluere priuſquàm ingrederentur; ingreſſos iterùm manus & pedes; denique lineis veſtibus indutos frigido, dum cultus divinus celebraretur, inſiſtere pavimento.

Id. ibid. *R. Solom.* in *Exod.* 30.

SECTIO II. *Solomonis decem Lavacra*, 1 Reg. 7.

Non eſt operæ pretium inquirere num Lavacrum à *Moſe* factum in deſerto evaſerit tabem temporis, & ſuperfuerit ad locum aliquem in *Solomonis* Templo occupandum, ut quidam Judæi affirmant: ſed

Vide *D. Kimch.* in 2. *Paral.* 4.

ſed neceſſe eſt obſervare, ſeu ſupereſſet, ſeu periiſſet, *Solomonem* magnum conflaſſe numerum Lavacrorum eam in rem in quam à Lege præſcripta fuerant: & quemadmodum in aliis Templo neceſſariis copioſè & magnificè quicquid uſui & ornamento futurum erat comparavit; ita in aqua Templo ſuppeditanda, non modò copiam quæſiviſſe, ſed tantis ſumptibus eam undique derivaviſſe, ut ipſe tantùm paria facere poſſet.

Lavacra, quæ decem numero fuerunt, ex eodem metallo eademque formâ, poſita erant ad abluenda membra victimarum; Mare verò erat Balneum Sacerdotum. Erant ſita ad utrumque latus Atrii, quina ſimul, è regione Altaris & loci Mactationis, paribus inter ea relictis interſtitiis, & ſervatâ debitâ ſymmetriâ. Nam quamvis quidam ex Hebræis Doctoribus crediderint decem Menſas [*Id. ibid.*] Panis Propoſitionis poſitas fuiſſe ad latera Ædis, *Moſis* verò Menſam exactè in earum medio, & parem ordinem obſervatum in decem Candelabris & decem Lavacris; attamen adeò diſertè docet Scriptura, Lavacra quina ſimul ad utrumque latus fuiſſe diſpoſita, 1 *Reg.* 7: 39. ut non modò rem extra omne dubium ponat, ſed etiam diſpoſitionem quæ tradi ſolet Menſarum & Candelabrorum ſatis ſuperque confirmet, licèt aliud nullum ſuppeteret argumentum.

Forma uniuſcujuſque Lavacri (nam ex uno omnia poſſumus cognoſcere) ita deſcribitur à Spiritu Sancto.

Primò erat tabula ænea plana, longitudinis, latitudinis & craſſitiei immanis, quæ ſubnixa erat quatuor rotis. Tam craſſas laminas tempora noſtra non viderunt, nec ulla unquam præter illa videntur conſpexiſſe; unaquæque enim tabula dicitur fuiſſe *quatuor cubitos longa & lata, ac tres cubitos alta:* & quandoquidem nullam ſimilem æneam molem videre poſſumus, eas conferemus moli aliûs materiæ, ut lapideæ vel marmoreæ menſæ earumdem dimenſionum. Septuaginta Interpretes (quâ hallucinatione difficile eſt dictu) tribuerunt unicuique longitudinem quinque cubitorum, altitudinem verò ſex; [*Joſeph. Antiq.* lib. 8. cap. 2.] atque ita *Joſephus*, qui conſtanter eos ſequitur, in eundem errorem delapſus eſt. Non immorabimur iſti errori diſcutiendo. Dubium quod movet *R. Solomon* conſideratu dignius eſt: nempè utrùm, cùm dicit Scriptura altitudinem uniuſcujuſque trium cubitorum fuiſſe, ſignificetur craſſities; an verò velit tantùm Scriptura ſuperiorem ſuperficiem tabulæ rotis impoſitæ eo ſpatio remotam fuiſſe à ſolo? Poſterior conjectura videtur mihi ſimilior vero propter duas haſce rationes.

I. Quia non dicitur *craſſities*, ſed *altitudo* fuiſſe trium cubitorum, quaſi ſignificetur non intelligi craſſitiem tabulæ, ſed eam rotis impoſitam & ſuſtentantem Lavacrum, eâ altitudine à pavimento remotam fuiſſe.

II. Quia non opus erat tam immani craſſitie ſeu ad ſuſtinendum pondus impoſitum, ſeu ad magnificentiam, ſed vel dimidia craſſities ſatis ſuperque utrumque præſtare potuit. Itaque ſententia Rabbini noſtri valdè probabilis eſt, nec temerè rejicienda: nempè cùm dicuntur rotæ ſeſquicubitum altæ fuiſſe, *verſ.* 32. id non eſt intelligendum de toto diametro rotarum, ſed tantùm de altitudine axis, cui ſolidæ iſtæ moles æneæ incumbebant, quarum, cùm ſeſquicubitum craſſæ eſſent, ſuperior ſuperficies tribus cubitis à ſolo diſtabat.

Craſſæ hæ tabulæ æneæ vocantur in Scriptura מכונות, (*Septuaginta* & *Joſephus* Græcè hanc vocem ſcripſerunt Μεχωνὼθ) quam vocem *Angli* noſtri benè verterunt *Baſin*, cum *Chaldæo*, qui habet בסיסא, quæ eſt ipſa vox Græca *βάσις*. Nam quemadmodum, cùm *Moſes* juſſus eſt facere Lavacrum, juſſus eſt etiam facere את כנו, *baſin ejus*, Exod. 30: 8. (quod *Angli* noſtri verterunt *pedem ejus*, quippè qui crediderunt non ſignificari longum quodpiam fulcrum cui Lavacrum inniteretur, ſed ſolidam aliquam molem æneam quâ id ſuffultum eſſet) ita etiam ad ſuſtentanda hæc Lavacra, unicuique baſi מושב כיור, *ſcamno Lavacri*, ut Rabbini loquuntur, opus fuit. [*R. Levi Gerſhom*, & *D. Kimch.* in 1 *Reg.* 7.]

Porrò cùm dicatur unaquæque baſis habuiſſe quatuor rotas æneas, *verſ.* 30. non debet id ita intelligi, quaſi binæ ex utroque latere fuiſſent, ut ſolent eſſe in noſtris Carpentis; ſed uti hæ baſes quadratæ erant, ita ad unumquodque latus erat rota. Hoc apparet ex *verſ.* 32. ubi dicuntur rotæ fuiſſe ſub limbis: videbimus autem mox limbos undequaque fuiſſe. Rotæ quas *Ezechiel* in ſua Viſione conſpexit, *Cap.* 1. ſimili ratione collocatæ erant, ex quatuor nempè lateribus, non binæ.

Hiſce rotis impoſita erat baſis, quam ut plenè deſcribamus, obſervandum eſt primò, duos ordines radiorum non admodùm longos ex eadem ænea maſſa conflatos ac baſis fuit, oræ circumquaque ita impoſitos, ut alter alterum ambiret interiùs poſitum. Hos Scriptura vocat שלבים, quam vocem omnes Hebraicæ linguæ periti tum Judæi, tum Chriſtiani, dicunt ſignificare בדים כמין חונקי סולם, *radios eodem modo diſpoſitos ac gradus ſcalæ*; & qui, ſi hac comparatione uti liceat, poſſunt conferri cum radiis Vehiculi *Anglicani* utrinque poſitis, niſi quòd in

Digitized by Google

in hiſce tabulis duplici ordine circumquaque eſſent, cum ſimplices ſint in Vehiculo.

Inter duplicem hunc radiorum ordinem erat limbus æneus, ſi ita loqui licet, quadrangulas haſce tabulas undequaque circumiens, cui inſculptæ erant figuræ boum, leonum & palmarum. Hic limbus in Scriptura vocatur מסגרות πληθυντικῶς, non quòd eſſet duplex ut radii, ſed quia undequaque circumdabat tabulas illas. Sub hoc limbo in unoquoque latere poſita erat rota.

In ora harum baſium latæ erant margines æneæ non perpendiculares, ſed obliquè deſcendentes, inſtar tabularum quæ ſupra feneſtras ponuntur ad abigendam pluviam. Hebraicus Textus hæc vocat לוית מעשה מורד, *Appendices operis deſcendentis:* quæ verba *Italus* & *Angli* Interpretes, & quidam Rabbini, verterunt *Additiones tenui opere factas.* Harum appendicum uſus hic fuit, ut dum Sacerdotes quod ipſis erat abluendum abluerent, immundities per declivitatem marginis deflueret. Neque enim memb ra victimarum abluenda in Lavacrum ipſum immittebantur, ſed aquâ è Lavacro per epiſtomia defluente in haſce baſium margines purgabantur, deinde ex ora baſium, & rotis ſubjectis omnem abſtergebant aquam.

In extremis radiorum ordinibus erat כן ממעל, *Baſis ſuperior*, verſ. 29. hoc eſt, protuberantiæ quædam æneæ ad oras introrsùm poſitæ quibus innitebatur Lavacrum, quemadmodum ipſæ baſi incumbebant. *David Kimchi* exiſtimat poſſe ſignificari *ſcabellum*, שהיו מושיון בו קיתיי, *cui imponebant æqualicula*, ſeu minora vaſa, quibus ex Labro aquam hauriebant. Sed ſi conſideremus quantæ altitudinis eſſet Labrum, nequaquàm veriſimile videbitur ex eo aquam ſic hauriri potuiſſe, & neceſſariò fatebimur, quicquid aquæ indè habebant id per epiſtomium effluxiſſe. Hæc *Baſis ſuperior* in circulum aut corollam deſinebat, (quæ ab *Anglis* noſtris *Capitellum*, & כותרת à Scriptura) & ſeſquicubitum alta erat. Huic circulari baſi impoſitus erat limbus quadratus iiſdem figuris cælatus ac inferior, adeòque Labrum cujus fundum innitebatur hiſce capitellis veluti duobus gradibus, aſſurgebat ſupra majorem & inferiorem baſin. Limbus corollæ impoſitus cubitum unum altus erat; & fundum quidem Labri latum erat ſeſquicubitum, ac tangebat inferiorem baſin; ſed paulatim ita Labrum exſurgebat & dilatabatur, ut inniteretur ſuperioribus fulcris, ac tandem latitudine æquaret inferioris baſis margines, quæ pars ſuprema vocabatur *os Labri*, verſ. 31. Itaque obſervandum eſt Lavacrum in fundo fuiſſe rotundum, in ſumma verò ora quadratum, (contrario modo ſe habuiſſe Mare Æneum mox obſervabimus) & in quatuor angulis baſis, qui perpendiculariter oppoſiti erant angulis Labri, erant quadratæ columnæ æneæ eodem metallo & in eandem maſſam fuſæ ac baſis, quæ quatuor angulos Labri ſuſtentabant inferiori baſi innixæ. Hæ columnæ vocantur כתיפות, *Humeri*, in Textu, & dicuntur fuiſſe מעבר איש לויות, *è regione uniuſcujuſque obliquè jacentis tabulæ*, quia infimæ columnarum parti quæ baſi conjungebatur & continua erat, adhærebat in quatuor angulis harum tabularum extrema ora. Hæ autem columnæ non incumbebant ipſi pavimento, ſed tetragona maſſa ænea cum reliquis partibus liquefacta & conflata eas ſuſtentans ſolo incumbebat, cui inſiſtebant etiam rotæ; atque has maſſas Hebræi vocant סרנים, quam vocem *Chaldæus Paraphraſtes* & Rabbini interpretantur aliâ voce eaſdem literas continente, ſed transpoſitas, nempè נסרים, *Tabulæ*.

Jam locum Scripturæ qui continet hiſtoriam Lavacrorum continuâ Paraphraſi explanemus, adhærentes vocibus quantùm fieri potuit ad explicationem deſcriptionis, quâ in tota Scriptura, ſeu copioſa ſit, ſeu brevis, difficilior non eſt.

1 Reg. 7: 27. *Et fecit decem vectes æneas, quarum longitudo & latitudo erant quatuor cubitorum, diſtantia verò ſuperioris ſuperficiei à ſolo trium.*

28. *Atque unaquaque baſis hujus erat operis: habebant limbos, & limbi erant inter ordines vectium.*

29. *Hiſce limbis qui erant inter ordines vectium inſculpta erant formæ leonum, boum & Cherubinorum; & in extremitate omnium vectium erat alia baſis, ſeu fulcrum, & infra hoſce vectes ſeu formas animalium, erant additæ margines obliquè deſcendentes.*

30. *Unaquæque baſis habebat quatuor rotas æneas, & maſſas æneas tetragonas, quæ in quatuor angulis ſuſtinebant columnas fulcientes Lavacrum, ad latera addititiæ marginis.*

31. *Atque os Labri, hoc eſt, ea illius pars quâ in integram ſuam amplitudinem dilatabatur, diſtabat à circulari baſi cubito uno, & ſuperior pars hujus ſuperioris baſis erat rotunda, ſeſquicubitum ſupra inferiorem aſſurgens, & ſuſtentabat limbum ſculptum cubitalem, non quidem circularem, ſed quadratum.*

32. *Et quatuor rotæ erant ad quatuor latera ſub limbis, & axes rotarum conjuncti erant*

baſi,

Digitized by Google

baſi; altitudoque rotæ ad baſin erat ſeſquicubiti.

33. *Et opus rotarum ſimile erat operi rotarum currûs: earum Axes, Modiolus, Radii & Circumferentia ænea erant omnia.*

34. *Erant etiam quatuor fulcientes columnæ ad quatuor angulos cujuſque baſis, quæ ex eadem maſſa ac baſis conflata erant.*

35. *Et ſupra baſin ſemicubitum attollebatur (ad hanc etiam altitudinem aſſurgebant ordines vectium) rotunditas circularis ſuperioris fulcri. Ordines autem vectium ac limbi qui baſi impoſiti erant ex eadem æris maſſa conflati erant.*

36. *Vectibus & limbis inſculpti erant Cherubini, boves & palmæ, juxta uniuſcujuſque proportionem, ut & obliquis marginibus circumpoſitis.*

37. *Et fecit decem Lavacra ænea, quorum unumquodque continebat quadraginta Batos. Uniuſcujuſque Lavacri diameter erat quatuor cubitorum, & unicuique ex decem baſibus impoſitum erat Lavacrum.*

SECTIO III. *MARE ÆNEUM.*

Non ſine quopiam artis miraculo tantum, quantum Mare Æneum fuit, vas conflari potuit, aut ex planitie *Jordanis*, in qua conflatum fuit, deportari *Hieroſolymam* ad Templum, ubi impoſitum fuit duodecim æneis bovibus ad Orientalem extremitatem Atrii Sacerdotum, versùs Euro-aquilonarem angulum.

Dimenſiones & capacitas ejus ità deſcribuntur in Libro *Regum. Fecit quoque Mare fuſile decem cubitorum à labio uſque ad labium rotundum in circuitu: quinque cubitorum altitudo ejus: & reſticula triginta cubitorum cingebat illud per circuitum. Duo millia Batorum continebat*, 1 Reg. 7: 23, 26. Conſentit in omnibus dimenſionibus Liber *Paralipomenωn*, exceptâ ultimâ, in qua immane quantum diſſentit! habet enim, *Continebat tria millia Batorum*, 2 *Paral.* 4: 5. Non parùm difficile eſt iſta conciliare, neque hæc ſola eſt difficultas quæ occurrit in hiſtoria Maris Ænei: neque enim facile eſt captu, quomodò in tam exiguo ambitu (licèt certè ingens eſſet, ſi conſideremus de vaſe quopiam agi) contineri poſſet tanta aquæ copia. Batus Hebræorum, quæ fuit maxima, quæ in uſu apud eos eſſet, liquidorum menſura, erat ferè ejuſdem capacitatis ac Modius *Anglicanus*, (*a buſhel*) ſeu octo Congii (*Gallons.*) Jam autem, quomodò vas quinque tantùm cubitos profundum, & cujus diameter decem tantùm cubitorum fuit, tria millia Batorum, aut ferè viceſies millies præter quatuor millia *Gallonum* Anglicanorum poſſet continere, difficile eſt conceptu. Cubiti in dimenſionibus hujus vaſis iidem ſunt qui occurrunt in dimenſionibus aliorum vaſorum & partium Templi; adeòque hinc ad quæſtionis ſolutionem nullum poſſumus petere ſubſidium. Judæi meritò hac de re diſputarunt, nec aliud concluſerunt, niſi *hoc Mare fuiſſe in fundo quadratum per trium cubitorum altitudinem, ita ut quodlibet latus decem cubitos longum eſſet, ambituſque totius vaſis quadraginta cubitorum.* Atque hanc quadratam figuram probant ex diſpoſitione boum, qui veluti quadrato agmine ſub eo ſtabant. Hac in re multùm diſſentiunt à populari ſuo *Joſepho*, qui dicit Mare fuiſſe *εἰς ἡμισφαίριον ἐσχηματισμένον, in hemiſpherii formam conflatum*, quæ, ſi benè intelligo, difficultatem in qua verſamur augent. *Thalmudici* tamen dicunt ſuperiorem partem Maris per duorum cubitorum latitudinem rotundam fuiſſe, quæ circularis contractio minuit amplitudinem angulorum qui inferiùs in quadrato fundo erant, adeò ut ea in parte ambitus eſſet tantùm triginta cubitorum, juxta Scripturæ verba: *Et filum triginta cubitorum cingebat illud per circuitum.* Videntur quidem rem inuſitatam aſſerere; attamen eorum diſceptatio adeò eſt conſentanea rationi, ſi tota expendatur, ut ſi primâ fronte non videantur fide digna quæ proferunt, conſideratu digniſſima ſint.

Thalm. in *Erubhin*, Per. in *Gemara*, & *R. Solom.* & *Kimchi* in 1 *Reg.* 7.

Joſeph. Antiquit. lib. 8. cap. 2.

Porrò ad diſſenſum qui eſt inter Libros *Regum* & *Paralipomenωn* circa capacitatem hujus vaſis, (quod dubium oculis magis ſe ingerit) dum alter dicit id cepiſſe *bis mille*, alter *ter mille Batos*; reſponſum plerorumque Doctorum Hebræorum poteſt aliquatenùs ſatisfacere, licèt hìc aliquid ampliùs quærendum exiſtimem: putant nempè liquidorum continuiſſe tantùm bis mille Batos, rerum verò ſiccarum, quæ ſupra labia coacervari poſſunt, ter mille. Mare Æneum conflatum fuerat ut Sacerdotes ſeſe abluerent priuſquàm Miniſterium ſuum inchoarent, 2 *Paral.* 4: 6. Cùm autem duplex eſſet ablutio, altera manuum & pedum, altera totius corporis, utrique hoc vas inſerviebat, ſed diverſâ ratione. Manus & pedes abluebant aquâ per epiſtomia defluente; ſed corpus loturi, defundebant in ipſum vas. Si plenum ſemper fuiſſet uſque ad labia, nimis profundum fuiſſet quàm ut poſſent in eo eſſe ſine ſubmerſionis periculo. Ideòque aqua perpetuò per epiſtomia educta ita emittebatur, ut ſatis eſſet ei uſui profunda, nec tamen ullo in periculo eſſent. Hac ratione optimè conciliare poſſumus diſſentientes locos Scripturæ, ſi ſupponamus eum locum in quo dicitur Mare Æneum capax fuiſſe *bis mille Batorum*, deſignare ordinariam

aquæ

Digitized by Google

aquæ copiam quæ eo continebatur, & quæ ad Sacerdotum ablutionem neceſſaria erat: locum verò in quo dicitur *ter mille Batos* continuiſſe, deſignare eam aquæ copiam cujus capax erat, ſi ad ſumma labia impleretur.

Circa hoc immenſum vas erant duo limbi cælati, quorum opus in Libro *Regum* vocatur פקעים; quam vocem *Chaldeus Paraphraſtes* & Rabbini *figuras ovales* interpretantur: ſed Liber *Paralipomenon* habet *boves*; quod ita intelligendum eſt, ut tantùm caput *bovis* ſculptum fuerit, cui ovalem figuram inſtar corporis artifex addiderit. Quidam putant ex hiſce capitibus, vel ſaltem ex nonnullis, aquam erupiſſe, adeò ut fuerint in iis epiſtomia.

Aqua ingentibus hiſce vaſibus tantâ copiâ ſuppetens, ut licèt perpetuò ex iis deflueret, perpetuò tamen plena eſſent, ſuppeditabatur ex fonte *Etham*, de quo anteà diximus. *Hieroſolymitanum Thalmud* in Tractatu *Joma* agens de hoc Mari Æneo, & docens quâ ratione inſerviret Sacerdotibus ad abluenda corpora cùm ad Miniſterium ſuum accederent, hanc proponit quæſtionem: *Sed nonne eſt vas? Eſt: ſed R. Jehoshua filius Levi dicit,* אמת המים משכת לו מעין עיטם, *Tubus aquæ deductus erat ad ipſum ex fonte Etham.* Senſus hujus diſputationis hic eſt: non licebat abluere ſe purificationis cauſâ in vaſe, ſed tantùm in collectione aquæ in ipſa humo confluentis: quomodò ergò poterant Sacerdotes ſeſe abluere in vaſe quale erat Mare Æneum? Hanc quæſtionem ita ſolvit *R. Joſhua*, Mare fuiſſe quaſi fontem aquæ; aqua enim in id influebat jugiter ex fonte *Etham*, & perpetuò etiam ex eo defluebat.

Thalm. Hieroſ. in *Joma*, Perek. 3. *Aruch* in מכנת. *Maymon.* in *Beth Mikd.* Perek. 5.

SECTIO IV. *Lances, Patinæ, Paropſides, &c. Regis Ptolomæi & Reginæ Helenæ Menſæ, ac Tabulæ.*

Numerum, nomina, varias formas, diverſoſque uſus omnium vaſorum Sanctuarii explicari poſſe à nobis nemo expectaverit, quandoquidem pauci admodùm Sacerdotes ex iis qui in Templo miniſtrabant, harum rerum accuratam rationem inire potuiſſent. Ideòque quod de iis agere aggredimur, id facimus potiùs ne nihil dicamus, quàm quaſi ſperemus nos ullâ ratione ad accuratam deſcriptionem accedere poſſe.

Tantus erat eorum numerus, ut numerentur 5400. *Ezr.* 1: 11. & affirment *Thalmudici*, in quotidiano ſacrificio adhibita fuiſſe 93. Apparet etiam ex Tractatu *Joma*, fuiſſe peculiaria vaſa miniſterio diei Expiationis conſecrata, & Regem *Monobazem* aureas anſas eis appoſuiſſe. Ita etiam alia peculiaria miniſteria propria ſua vaſa habebant, adeò ut partim propter multitudinem uſuum vaſorum certis quibuſpiam temporibus, partim propter vaſorum mutationem, non potuerit non eſſe ingens eorum numerus, aut certus aſſignari queat, cùm privatorum pietas perpetuò oblationibus novis eum numerum augeret.

Tham. Perek. 3.

Jom. Per. 3.

Variæ eorum formæ potiùs conjecturâ poſſunt effingi quàm certò definiri, & uſus quidem quibus adhibebantur nobis majorem lucem fœnerantur, quàm vel nomina, vel eorum deſcriptiones.

I. Erant Lances in quibus ſumebatur ſanguis immolatarum victimarum, ut *Exod.* 24: 6. atque has *Thalmudis Hieroſolymitani* Doctores exiſtimant vocari אגרטלין *Agartalin*, Ezr. 1: 9. *Triginta Agartalin ex auro. R. Samuel Bar Nachman dicit,* שאוגרין בו דמו של טלה, *In eo colligebant ſanguinem Agnorum. Mille Agartalin ex argento. R. Simeon Ben Lachiſh dicit, Id erat vas in quo ſumebant ſanguinem juvencorum.*

Thalm. Hieroſ. in *Joma*, Perek. 3.

II. Erant Lances ex quibus ſanguis adſpergebatur in Altare; atque hæc creduntur vocatæ fuiſſe כפורים *Chephorim*, in loco *Ezræ* citato, & idem fuiſſe cum מזרקים *Mizrakim*; quæ vox ſæpè occurrit in Scriptura. *Chephorim*, inquit *R. Solomon Jarchi*, *ſunt Mizrakim, & vocantur Chephorim, quod deſignat purificationem, quia qui ſumebat ſanguinem in hoc vaſe, abſtergebat guttas ſanguinis quæ manui ejus adhærebant, oræ hujus Lancis*; qua de re diximus cùm ageremus de ratione adſpergendi ſanguinis in cornua Altaris. Itaque, juxta interpretationem Judæorum, *Ezras* nomine recenſet tantùm duo genera vaſorum, quæ in Miniſterio præcipui & perpetui uſûs erant, nempè majores illas Lances in quibus excipiebant ſanguinem, & minores quibus utebantur ad eum adſpergendum. Talia potuerunt eſſe vaſa קערה & מזרק oblata à duodecim Principibus in dedicatione Tabernaculi, *Numer.* 7. *Mizrakim* dicuntur fuiſſe ante Altare, *Zach.* 14: 20.

R. Solom. in *Ezr.* 1.

III. Erant majores Lebetes aurei & argentei, quibus injiciebantur inteſtina victimarum ut eò deferrentur ubi oportebat ea ablui; & poſtquàm abluta erant, ad Altare referebantur. Erant Diſci in quibus ſal geſtabatur ad ſaliendas omnes victimas, & Diſci in quibus oblatio farinæ miſce-

Digitized by Google

miſcebatur. Et poteſt quidem fieri ut id vas cui imponebantur viſcera, aut oblatio farinæ, id fuerit quod ſignificatur voce הַעֲלוֹת, ſi modò hæc vox ullum vaſis genus ſignificat, ut ſignificare creditur 2 *Paral.* 24: 14. *Quidam exiſtimant*, ait *Kimchi*, *eam vocem ſignificare Lances in quibus ponderabant aromata ad Thymiama. Sed uti ego opinor, erat vaſculum in quo ſumebant vinum ex vaſe Hin ad oblationem. Ita vox uſurpatur apud Rabbinos, Ancillæ domûs Rabbi cùm eas doceret ſermonem Sapientiæ, dixerunt,* הכי עלת נפכת בכך, *an* עלת *effunditur in cantharum? hoc eſt, vaſculum in quod vinum ſumebant ex canthara*, &c. Verùm nec me, nec lectorem in examine hujus voculæ & opinionis occupabo. Verſio *Anglica* noſtra non modò perſpicua eſt, ſed etiam facilè poteſt defendi.

IV. Erant vaſa ex quibus effundebant vinum oblationis, quæ poſſunt ea eſſe quæ *Joſephus* vocat *Phialas*, cùm enumerat vaſa quæ recenſentur in loco *Ezræ* laudato; ſed plura genera vaſorum memorat quàm *Ezras*. Lector diſquirat ex iis quæ nominat, quænam ea fuerint quæ in liquidis oblationibus offerendis uſui erant, ψυκτῆρες, θηρίκλεια, κάδδοι, σπονδεῖα, φιάλαι. Ego alterum ex duobus poſtremis crediderim eſſe, nempè φιάλας. Effuſiones ex phialis in *Apocalypſi* memoratæ lucem fortaſsè aliquam hîc accipere poſſint, ſi lector attendat ad effuſionem liquidarum oblationum.

Antiq. lib. 11. cap. 1.

V. Erant Ignitabula ad ſumendas prunas ex Altari ad comburendum Thymiama: Diſci quibus imponebant cineres deſumptos ex Altari Holocautomatum, & Altari Thymiamatis: Diſci in quibus geſtabatur Thymiama: Diſci *Teni* & *Coz*, quibus utebantur ad Candelas & Thymiama Altaris: Thuribula: Diſci ad ferendos Panes Propoſitionis, & ejuſcemodi alia multa vaſa quæ ſigillatim expendere infiniti eſſet laboris. Hiſce adjici poſſunt Secures, Cultri, Uncini, Forcipes, Sartagines, Emunctoria, Pocula, Lebetes, vas *Peſachtar*, (quâ voce utitur *Chaldæus Paraphraſtes*, Exod. 26: 3. &c.) Inſtrumenta Muſica de quibus alibi diximus, & Mortaria ad conficiendum Thymiama. Cùm omnia fecimus ne quid omitteremus, certi ſumus multa à nobis omiſſa, ideòque iſta conjecturæ & æſtimationi uniuſcujuſque relinquemus. Attamen huic tractationi quam imperfectam cogor relinquere, duo prætereà mihi addenda ſunt utenſilia, quæ quidem non erant ejuſdem generis ac quæ ſuprà à nobis ſunt memorata, ſed poſſunt nihilominùs unà cum illis recenſeri, quia pertinebant ad ejuſdem Templi vaſa. Erant duæ Tabulæ variarum naturarum & uſuum, datæ à *Ptolemæo Philadelpho* Rege *Ægypti*, & Regina *Helena matre Monobazis*.

Ariſteas & *Joſephus* eum ſequutus narrantes hiſtoriam *Ptolemæi* ad ſe Septuaginta Interpretes accerſentis, enumerant ſplendida donaria quæ Templo obtulit, & inter alia, ut pecuniam, aureaſque & argenteas phialas, χρυσᾶς φιάλας, deſcribunt Auream Menſam, adeò magnificam & affabrè elaboratam, ut vix ulla alia tanti pretii fuerit, ut lector animadvertet lectis iis locis quæ in margine laudavimus; neque enim tempus in ejus deſcriptione teremus.

Ariſt. in *Hiſtor.* 70. *Interpr.* *Joſeph.* *Antiq.* lib. 12. cap. 2.

Mentio fit etiam in Tractatu Thalmudico *Joma*, Aureæ Tabulæ Reginæ *Helenæ*; ſed non erat ſimilis formæ ulli ex iis Menſis in Templo à nobis hactenùs deſcriptis. Non erat שולחן *Menſa*, ſed טבלא *Tabula*, de qua hæc traduntur: *Regina Helena mater Regis Monobazis fecit Aureum Candelabrum quod erat ſupra Januam Templi. Fecit etiam Auream Tabulam cui inſcripta erat Sectio Legis de Uxore ſuſpecta*, *Num.* 5. Itaque erat Tabula appenſa muro, non quæ inſtar Menſæ columnis ſuſtentatæ ſolo incumberet, quales eæ erant quas deſcripſimus. *Gemara Hieroſolymitani Thalmudis* hiſce verbis de ea agit. *Fecit Tabulam Auream cui inſcripta erat Sectio ſuſpectæ Uxoris; & cùm Sol oriebatur, radii ejus in eam incidebant, & ſic cognoſcebant Solem ortum eſſe. Quid erat ei inſcriptum? R. Simeon Ben Lachiſch in nomine R. Jannai dicit, Aleph Beth inſcriptum ei erat. Sed ecce Traditio eſt: Quemadmodum erat Scriptura ex uno latere, ita erat ex altero; neque erat craſſa, neque tenuis, ſed inter utrumque media. Ut* א *erat ex uno latere, ita* א *erat ex altero. Ut* ב *uni lateri inſcriptum erat, ita &* ב *alteri. R. Hoſajah dicit, Tota Sectio Uxoris ſuſpectæ ei inſcripta erat, & ex ea legebat & interpretabatur totam Sectionem.* Videtur hæc Tabula appenſa fuiſſe muro Portæ *Nicanoris*; ad hanc enim fiebat examen ſuſpectæ Uxoris, cujus ritum alibi deſcripſimus.

Jom. Per. 3.

Thalm. Hieroſ. ibid. fol. 41.

Quemadmodum erant Menſæ & Candelabra Aurea, 2 *Paral.* 4: 7, 8. in Loco Sancto, ita erant Menſæ & Candelabra Argentea quibus in aliis locis utebantur, 1 *Paral.* 28: 15. ut in Atriis & Sacerdotum Conclavibus.

SECTIO V. *VESTES SACERDOTUM.*

Non opus eſt multùm temporis terere in deſcribendis ordinariorum Sacerdotum miniſtrantium veſtibus, cùm jam alibi fuſè deſcripſerimus veſtes Pontificis Maximi, qui præter peculiares ipſi veſtes, eaſdem etiam omnes geſtabat quas reliqui Sacerdotes. Breviter tantùm hæc de iis obſervabimus.

I. Veſtes quibus induti erant Sacerdotes ſacra facientes, propriæ erant & loco & occaſioni, & differebant ab iis veſtibus quibus vulgò induti eſſe ſolebant. Quidam Judæi exiſtimant fuiſſe veſtes Sacerdotales ejuſcemodi ante Legem, dicuntque eas hæreditate filios accepiſſe à Patribus in ſancta ſtirpe, ab *Adamo* ad *Iſaacum* uſque. Putant etiam veſtem in qua *Jacob* obtinuit benedictionem, ejuſmodi fuiſſe. Verùm iſta non inquiremus.

II. Sacerdotes, cùm vices ipſorum Claſſis venerant, deponebant ordinarias veſtes, ſe aquâ abluebant, & ſacras veſtes

Thamid, Perek. 1.

induebant. Vide *Levit*. 8: 6. Imò dum erant in Templo & Miniſterio ſuo fungerentur, ſi quis noctu dormire cupiebat, non dormiebat in ſacris veſtibus, ſed in iis quas ordinariè geſtare ſolebat; ac matutino tempore cùm ad munus ſuum ei redeundum erat, depoſitis ordinariis veſtibus, & corpore aquâ abluto, Sacerdotales induebat veſtes. Ad hanc conſuetudinem alludere videntur hæc loca Scripturæ in quibus *induere & exuere* metaphoricè ſumuntur, *Rom*. 13: 14. 2 *Cor*. 5: 4. *Gal*. 3: 27. *Epheſ*. 4. 22, 23, 24. *Apocal*. 3: 4, 5.

R. Solom. in *Exod.* 28.

III. Sacræ Sacerdotum veſtes erant ex candido lino & conſtabant quatuor partibus, cùm Summi Sacerdotis veſtes octo conſtarent, & aliis coloribus præter album variegatæ eſſent. Atque ut alibi obſervatum eſt, unumquemque Sacerdotem à *Synhedrio* examinatum fuiſſe, ut videret utrùm idoneus eſſet; qualis ſi comperiretur, veſtibus his albis induebatur, quæ ſumptibus publicis comparabantur: ita eò videntur reſpicere hæc loca *Ezech*. 9: 3. *Apocal*. 3: 4. & 7: 9.

IV. In pedibus, dum miniſtrabant, nullos gerebant calceos, ſed Atrium pedibus nudis calcabant, quantumlibet frigeret; imò nec licebat ulli rei eis inſiſtere, ut pedes à frigido pavimento amoverent, ſed oportebat eos calcare nudum pavimentum, quantumvis longum obeundum Miniſterium, aut cœlum frigidum eſſet. Ratio hujus conſuetudinis petita erat ex ſanctitate ſoli, ut *Exod*. 3: 5. *Joſ*. 5: 14. & nudis quidem inſiſtebant lapidibus, ut zelum ſuum & fervorem erga cultum divinum oſtenderent.

V. Femoralia linea geſtabant, ne eorum nuditas retegeretur, *Exod*. 28: 42. ſeu cùm ſuperiùs ſtarent ad Altare, ſeu cùm corpus inclinarent ad aliquod obeundum miniſterium tum eo in loco, tum in aliis. Atque hic neſcio quid cenſeam de ridiculo illo loco *Martialis*, lib. 3. Epigr. 24. cùm cautio memorata obſtiterit ne tale quid eveniret; & de hoc loco Tractatûs *Thamid*, ubi quidam Sacerdotes dicuntur traditi fuiſſe τοῖς *Chazanim*, ſeu Inſpectoribus, *qui eos veſtibus ſuis ſpoliarunt, ac nihil iis reliquerunt præter femoralia.*

Mart. lib. 3. Epig. 24. *Thamid*, Per. 5.

VI. Corpus obtegebant lineâ Tunicâ quæ vocabatur כתונת תשבץ, *Exod*. 28: 4. quod vertitur à LXX. Interpretibus χιτὼν κοσυμβωτὸς: in quæ verba hoc Scholium habet *Nobilius*: *Græcam dictionem retinet S. Hieronymus ad Marcellum. S. Auguſt. Quæſt*. 114. *habet cum cornibus*, &c. Sed alii ex Hebraico Textu hanc vocem *ocellatam* interpretantur, quâ ſignificatione eam occurrere oſtendi poteſt. Itaque hæ Tunicæ erant operis teſſellati, adeò ut non minùs elegantes eſſent ac candidæ.

Nobil. in LXX. *Interpr.* in *Exod.* 28.

VII. Hæc Tunica longo cingulo ſuccincta erat, quo corpus cingebatur pluribus vicibus, dicto אבנט. Inſerviebat tum ad frigus aliquatenùs in tam tenuibus veſtibus arcendum, tum etiam ad firmandos lumbos in difficilibus muneribus quæ aliquando obeunda erant, ut cùm mactandas victimas magno niſu trahere, & mactatas attollere oportebat.

VIII. Capite geſtabant Mitram, quæ faſcia longa erat ſæpiùs circa caput obvoluta, quales ſunt Turcarum Cidares, ut fuſiùs oſtendimus in Lib. *de Miniſter. Templi*, Cap. 4. In hiſce quatuor veſtimenti partibus pares erant Summo Sacerdoti reliqui Sacerdotes; ſed ille præterea alia geſtabat veſtimenta, quæ aliis gerere non licebat, & quibus ab iis diſtinguebatur, quæ erant I. מעיל, *Tunica Ephodi*, quæ à LXX. Interpr. vocatur Ποδήρης. II. אפוד, ipſum *Ephod*, quod imponebat iſti Tunicæ, & quod uncinulis connectebat in mammis cum eleganti cingulo. Hoc lucem fœneratur *Apocal*. 1: 13. Ἐνδεδυμένον ποδήρη, καὶ περιεζωσμένον πρὸς τοῖς μασοῖς. III. חושן, *Pectorale*, cui inſerebantur *Urim* & *Thummim*, Exod. 28: 30. quæ in applicatione Apoſtoli 1 *Theſſ*. 5: 8. videntur ſignificaſſe *Fidem* & *Amorem*. IV. ציץ, Aurea Lamina

mina ſincipiti impoſita, in qua ſcriptum erat קודש ליהוה, *Sanctus Domini* (confer *Luc.* 4: 34.) quæ ſigillatim à nobis explicata ſunt in Libro & loco ſupra laudato.

Quemadmodum Sacerdotum veſtes publicis ſumptibus emebantur; ita cum detritæ erant ad publicos uſus redibant: nam eorum Tunicæ, Femoralia, &c. retexebantur ad conficienda ellychnia lucernarum & lampadum nocturnis feſti Tabernaculorum pervigiliis, & ut videtur etiam, candelarum quibus in Conclavibus ſuis utebantur Sacerdotes.

Sectio VI. *Oleum ad inungendum.*

Mandatum & compoſitio Olei ad inungendum, extant *Exod.* 30: 23. &c. Non opus eſt inquirere in aromata quibus conſtabat; ſed non poſſum non obſervare & mirari cogitationem *Rambam* circa unum ex hiſce aromatibus. Exiſtimat מור, quod *Angli* noſtri optimè verterunt *Myrram*, fuiſſe concretum ſanguinem *Indicæ* cujuſpiam feræ: quem in locum *Scholiaſtes* habet: *Non poſſum concipere quomodò potuerint miſcere ſanguinem feræ huic ſanctæ compoſitioni, ac multò minùs beſtiæ immundæ. Sed* מור *id eſt de quo fit ſermo in Cantico Canticorum, Veni in meum hortum, mea Soror, mea Sponſa, collegi Myrram meam.*

Maym. in *Kele Mikdaſh*, Per. 1. *Gloſſ.* ibid.

Hæc aromata hac ratione mixta memorantur: Unumquodque ſeparatim conterebatur, deinde mixta in pura aqua coquebantur, donec eorum vis planè eſſet iſtâ decoctione exhauſta; quæ decoctio poſteà percolata & oleo immixta iterùm coquebatur, donec unguentum fieret, & ſic aſſervabatur.

Ibid.

Hoc oleum in uſu duntaxat fuit temporibus Tabernaculi & prioris Templi, eoque vaſa ſanctificata ſunt juxta præceptum quod extat *Exod.* 1. loco modò laudato, & *Levit.* 8. Verùm non erat tale unguentum ſub poſteriori Templo: vaſa enim ipſo uſu ſanctificata ſunt, ut etiam ipſum Templum. Hîc enim nec Nubes Gloriæ ad ſanctificandum Templum, nec divinus Ignis ad ſanctificandum Altare, nec Sanctum Oleum ad ſanctificanda vaſa, nec *Urim* & *Thummim* ad decorandos Sacerdotes fuerunt; attamen & Miniſterium & locus æquè ac prius extiterunt ſancta. Deus ablatione externarum iſtarum prærogativarum, nec minùs tamen continuato in poſteriori Templo cultu ſuo, viam ſibi muniebat ad extollendum ſpiritualem cultum ſub Euangelio, quo externa iſta ejus præſentiæ ſymbola, & cæremoniæ in rebus ſacris abolendæ erant.

Dum in uſu fuit Sacrum Oleum, Pontifex Maximus inunctus fuit ut & alia; ſed cùm uſus ejus deſiiſſet, tum conſecrabatur induendo veſtes Summo Sacerdoti proprias, & dicebatur מרובה בגדים, *conſecratus per veſtes*, ut alio in loco obſervavimus. Modus ejus unctionis dum in uſu fuit, deſcribitur à *Thalmudicis* fuiſſe כמין כי יוניח, *tanquam Græcum X. Inungebant Reges*, inquiunt, *ad formam coronæ, ſed Sacerdotes ad formam τῦ X. Quid ſignificat ad formam τῦ X? R. Manaſſes filius Gada dicit, Ad formam Græci X. Sed quid hoc ſibi vult? R. Solomon dicit, Primùm effundebatur in ejus caput, deinde inter ſupercilia ponebatur, & hinc atque indè diſtrahebant digitis ejus qui id poſuerat.* Alii ſic exponunt: *Unus effundebat oleum in ejus caput, & diffluebat hinc atque indè inſtar guttarum margaritis ſimilium in ejus barbam*, ut *Pſalm.* 133: 2.

Ibid. *Thalm.* in *Keritoth*, Per. 1. *R. Solom.* in *Levit.* 8. *Aruch* in כי

Oleum & inunctio quâ Sacerdotes & vaſa Domûs Domini ſanctificabantur, denotant Verbum & Spiritum Dei, quibus ſanctificat vaſa electionis ſuæ, ſeu quos ſibi cultores ſeligit. Oleum iſtud & inunctio ſignificant Verbum æquè ac Spiritum, atque hoc ſenſu intellexerim *inunctionem* de qua 1 *Joann.* 2: 20, 27. *Habetis unctionem* (hoc eſt, Verbum) *à Sancto illo, & noviſtis omnia. Et inunctio* (hoc eſt, Verbum) *quam accepiſtis habitat in vobis, nec opus vobis eſt ullâ inſtitutione hominum*; nam idem Verbum abundanter *omnia vos edocuit*, &c.

CAPUT XXXVIII.

Symbolum divinæ Gloriæ in Templo. Ezech. 1. Iſaj. 6. Apocal. 4. &c. *explanatum.*

PRopheta *Ezechiel* in Viſionibus ſuis quater vidit Gloriam quam deſcripſit *Cap.* 1. & 10. primò ad fluvium *Chebar* inter eos qui unà cum ipſo captivi abducti fuerant, *Cap.* 1: 1. hoc eſt, eos captivos qui cum *Jechonia* in Captivitatem abierunt; tùm enim ipſe abductus fuit: ſecundò, in planitie inter alterius Captivitatis captivos, cùm abductus fuit *Jehojakim*, *Dan.* 1. qui quidem ad ripas ejuſdem fluvii degebat, ſed in loco diſſito ab aliis captivis: tertiò, in Templo, *Cap.* 8: 4. quartò, in Templo inſtaurato, *Cap.* 43: 2, 3.

Digitized by Google

2, 3. Sic autem Viſionem ſuam & Gloriam deſcribit.

Cap. 1: 4. *Ecce ventus turbinis veniebat ab Aquilone*, &c. Ex Septentrione videbatur venire nubes procelloſa mixta igne qui undequaque flammabat, adeò ut in media nube candens ignis appareret. Etenim ex Septentrione, nempè *Babylone*, ortura erat tempeſtas & venturus ignis, qui & Urbem & Templum abſumpturus erat, & Gloriam Domini hîc habitantem expulſurus, uti Gloria quam vidit Propheta ex igne excedere videbatur.

Verſ. 5. *Quatuor animalia, quorum aſpectus ſimilitudo hominis erat*, &c. Similia nempè erant hominibus ſtaturâ, proportione corporis, craſſitie & cruribus: caput tantùm & pedes, & quædam alia, quæ in ſequentibus verſibus deſcribuntur, differebant.

6. *Sed quatuor facies unicuique*, &c. Verto conjunctionem ו *ſed*, quia cùm id inter alia ſignificet ea particula, hoc in loco ita tranſlata clariorem & faciliorem ſenſum fundit: Habebant ſimilitudinem hominis, ſed unicuique erant quatuor facies. In verſu verò 7. eadem particula ו in וכף tranſlata ἐξηγητικῶς *nam*, perſpicuum fundit ſenſum: Pedes eorum erant pedes recti, *nam* planta eorum pedis erat inſtar plantæ pedis vituli.

7. *Et ſcintillabant*, &c. hoc eſt, & pedes eorum coruſcabant inſtar lævigati æris: nam ſplendor corporis eorum deſcribitur *verſ.* 13.

8. *Et manus hominis ſub alis eorum in quatuor partibus; & facies & alas per quatuor partes habebant.* Hoc eſt, habebant facies & alas ex quatuor lateribus, nempè alam & faciem in eodem latere in quo erat pectus, & ſimiliter alas & facies ad dorſum & humeros; ac ſub alis iſtis erat manus & brachium hominis.

9. *Junctaque erant pennæ eorum*, &c. Hoc explicatur *verſ.* 11.

Non convertebantur cùm incederent, ſed unumquodque ante faciem ſuam gradiebatur. Quacunque ire vellent, non opus erat convertere corpora ſua, ut in eam partem ipſorum vultus obverterentur, ut homines faciunt & alia animalia; ſed undequaque faciem habebant quæ rectè procederet.

10. *Similitudo autem vultûs eorum*, &c. Unumquodque in anteriore parte habebat faciem humanam, in poſtica faciem aquilæ, faciem leonis ad dextram, & faciem juvenci ad ſiniſtram.

Non eſt operæ pretium diſquirere num haberent quatuor capita, quemadmodum quatuor vultus, vel unum duntaxat caput cui quatuor facies ineſſent. Ad priorem inclino ſententiam, & poſſem aliquot rationes reddere, quæ me eò trahunt, ſi vellem huic rei immorari.

Quidam exiſtimarunt latera quibus obverſi erant eorum vultus, denominari ex eorum ſitu reſpectu *Ezechielis*, ut facies quæ *Ezechielem* reſpiciebat eſſet humana; quæ ad dextram erat *Ezechielis*, (quæ læva erat τ͂ *Cherub*) leonina; quæ ad ſiniſtram Prophetæ erat, (dextram verò τ͂ *Cherub*) vitulina; poſtica verò aquilina. Sed qui in hac ſententia fuerunt, non obſervarunt quatuor iſta animalia non fuiſſe quaſi rectâ lineâ diſpoſita ut reſpicerent versùs *Ezechielem*, ſed quadrato agmine, ut mox oſtendemus.

Hæc animalia à Propheta ſæpiùs vocantur *Cherubim*, Cap. 10. atque hoc nomine huic deſcriptioni addito nos docet quænam eſſet forma τῶ *Cherubim*, quorum tam frequens mentio in Scriptura occurrit, qualia erant ſupra Propitiatorium, & quæ obtegebant Arcam in *Solomonis* Templo, & quæ erant picta in Tabernaculi cortinis, ac in Templi parietibus cælata, &c. niſi quòd in cortinis & parietibus ex quatuor vultibus duo tantùm apparerent. Hoc evidenter liquet ex *Ezechiel.* 41: 19. Duæ aliæ facies concipi debent quaſi parieti obverſæ, & ab eo obſcuratæ. Verùm ſine animadverſione omittere non debemus, facies hominis & leonis quæ nominantur in hoc *Ezechielis* loco, non fuiſſe oppoſitas in Cherubino, ita ut una eſſet anterior, altera poſtica; ſed altera erat anterior, altera ad dextram poſita. Hinc etiam argumentum duco ad conjiciendum quatuor ipſis fuiſſe capita æquè ac quatuor facies, quia alioqui difficile eſſet conceptu, quomodò hæc anterior facies, & ad dextrum humerum ſita, poſſent in contrarias partes reſpicere. Hæ porrò facies hominis & leonis eæ erant quibus Cherubinus qui ad dextram Arcæ erat reſpiciebat populum & Arcam ſimul, cùm humana facies obverſa eſſet Arcæ, leonina populo. Poſteà videbimus eos quorum ſymbolum erant Cherubini, debuiſſe Deum & populum reſpicere, & inter utrumque Mediatores eſſe.

Propheta *Cap.* 10: 14. iterùm enumerans quatuor facies horum Cherubinorum, incipit à facie juvenci quæ ſiniſtra erat, & pro *facie juvenci*, appellat *faciem* τ͂ *Cherub*. Annon facies leonis & aquilæ æquè erant facies τ͂ *Cherub*, ac facies juvenci?

Digitized by Google

venci? Hujus appellationis hæc videtur eſſe ratio, quòd cùm Summus Sacerdos ingreſſus Adytum ad Arcam accederet, Cherubinus qui erat ad ejus dextram, ad quam faciliùs reſpicere poterat, quàm ad ſiniſtram, obverſam ad ipſum habebat faciem juvenci. Propheta autem hoc in loco loquitur de gloria Dei Templo excedente, ubi peculiariter inter Cherubinos degebat, & quia reſpiciebat ad dextrum Cherubinum priſtinam ſuam ſtationem cum aliis deferentem, eam nominat faciem quæ ſibi obverſa erat, & vocat faciem juvenci faciem τȣ̃ *Cherub*, quia hæc facies maximè obſervabatur Adytum ingredienti.

11. *Tales erant eorum facies: & alæ eorum erant deſuper diviſæ.* Quamvis eorum alæ conjunctæ eſſent cùm compoſitæ erant, attamen eas aperiebant & dividebant cùm volabant, ut ſolent omnes volucres. Licèt conjunctæ eſſent alæ ad radices, attamen ſenſim latiores evadentes dividebantur in extremitatibus. Simile poteſt concipi de eorum faciebus, quæ ex eodem collo exeuntes in plura dividebantur capita. Atque hoc videtur hic verſus indicare, qui præter ſolitum incipit à particula ו, quæ ſine obſervatione prætermitti non debet: ופניהם וכנפיהם, optimè verti poſſunt, *tum facies, tum alæ ipſorum ſuperiùs diviſæ erant*.

Duæ alæ ſingulorum jungebantur, & duæ tegebant corpora eorum, &c. Deſcriptio animalium de quibus *Iſajas*, Cap. 6. & *Joannes*, *Apocal.* 4. quæ loca huic ſunt parallela, multùm nos juvant ad interpretandum hunc verſum undecimum de Cherubinorum alis. *Apocalypſeos* Scriptor vocat ea *animalia*, & quatuor numerat, quaternaſque eorum facies planè eodem modo deſcribit, ut hîc Propheta, ſed ſenas iis tribuit alas unicuique, *Apocal.* 4: 8. *Iſajas* quidem alio nomine appellat animalia quæ vidit, ſed eadem planè deſignat tum numero, tum formâ: vidit enim eandem Gloriam Dei quam hi deſcribunt, hoc eſt, Gloriam Dei qualis in Templo apparebat, ut liquet ex primo verſu. Hoc ſenſu intelligi debet *gloria*, Joann. 12: 41. Vidit *Iſajas* quatuor animalia cum quatuor faciebus, & omnibus quæ hîc deſcribuntur, & dicit *unicuique fuiſſe ſex alas*, Cap. 6: 2.

Non aliud dicit Propheta *Ezechiel*, licèt non ita perſpicuè loquatur: nam conjungendo verſus 11. & 23. inveniemus eandem deſcriptionem eundemque numerum alarum. *Habebant alas ſuperiùs diviſas*; hæ duæ erant quibus ad volandum utebantur: & habebant alias *duas quæ conjunctæ erant* ſupra eorum capita, quæ reſpondent iis quibus *Iſajas* dicit Cherubinos facies ſuas texiſſe, & habebant *duas quibus obtegebant corpora ſua*, quæ ſunt eædem cum iis quibus affirmat *Iſajas* eos *texiſſe pedes ſuos*. Ita debet intelligi verſus undecimus, quem 23. ei parallelus planiorem reddit, ubi habetur: *Sub firmamento* (quod erat ſupra eorum capita) *eorum alæ erectæ erant, una verſùs alteram: & habebant duas alas quæ hoc latus obtegebant, & duas alas quæ obtegebant illud latus.* Hoc vult Propheta, animalia hæc ſemper geſtaſſe duas ex alis ſuis erectas, & cùm ſtabant obtexiſſe corpus ſuum quatuor alis, duabus impoſitis dorſo & ventri, duabus verò reliquis lateribus. Cùm dicit *verſ.* 24. cùm ſtabant *ea demiſiſſe alas ſuas*, id debet intelligi de duabus duntaxat quibus utebantur ad volandum; unumquodque enim eorum habebat duas alas quas nunquam demittebant, & quibus facies ſuas tegebant. Duas alias etiam habebant quas nunquam extollebant, quibus tegebant dorſum & ventrem, ſeu pudenda utrinque. Hæc enim locutio *Iſajæ*, *Tegebant pedes ſuos*, ſignificat ea pudenda ſua texiſſe: nam hac ſignificatione *pedes* aliquando ſumuntur in Scriptura, ut *crines pedum*, Iſaj. 7: 20.

Atque ita poſſumus conciliare duos hoſce verſus *Cap.* 1. *Ezechielis* qui multùm diſſentire videntur. In uno, nempè 11. dicuntur ea animalia duabus alis texiſſe corpus ſuum; in *verſu* verò 23. quatuor alis; quod ita intelligendum eſt, ut perpetuò duæ alæ eorum pudenda tegerent tum anteriora, tum poſteriora, quas nunquam attollebant; cùm verò ſubſiſtebant, demitterent eas alas quibus uſa fuerant ad volandum, iiſque latera ſua tegerent. Hinc liquet alas quibus volabant eorum humeris affixas fuiſſe; eas quibus faciem obnubebant ex dorſo & pectore emiſſas fuiſſe; ac denique eas quæ pudenda velabant inferiùs ortum habuiſſe.

12. *Et unumquodque eorum coram facie ſuâ ambulabat*, &c. In quamcunque partem irent dextrorſùm, ſiniſtrorſùm, antrorſùm aut retrorſùm, faciem habebant quæ rectà illàc reſpiciebat, nec opus iis erat ſe convertere ut facies eò reſpiceret.

13. *Et aſpectus eorum quaſi carbonum ignis ardentium*, &c. Hinc *Iſajas* vocat ea *Seraphim*, ſeu *Comburentes*, idque eo aptiùs, quòd ibi Deus Templo incendium minatur.

Ibat inter animalia, &c. Nempè ignis.

Digitized by Google

Unumquodque animal ſplendebat & coruſcabat inſtar prunarum & lampadum; ſed præter ſplendorem iſtum quem ſecum gerebant, erat etiam intermiſtus ignis non aliter micans ac fulgetra. Vide *Apocal.* 4: 5.

Hic erat adſpectus horum Cherubinorum, ſi modò unum addamus ex *Ezechiel.* 10: 12. *Totum eorum corpus, & dorſum, & manus & alas oculis plena fuiſſe.* Idem dicitur *Apocal.* 4: 6. Sic autem diſpoſiti erant, ut ſeu ſtarent, ſeu moverentur, quadratum veluti agmen efficerent. Unius humana facies Auſtrum reſpiciebat, alterius Septentrionem, tertii Orientem, quarti Occidentem. Hunc ordinem ac ſitum ſervabant, ſeu ſtarent, ſeu moverentur: atque hoc ſenſu intelligi debet locus ille *Cap.* 10: 6, 7. ubi dicitur ignis fuiſſe inter Cherubinos, unuſque eorum ſumpſiſſe ignem è medio ipſorum, hoc eſt, ex quadrato illo ſpatio quod inter ſe relinquebant. Ita etiam intelligi debet verſus qui jam ſequitur nobis explanandus.

15. *Apparuit rota una ſuper terram juxta quatuor animalia, habens quatuor facies.* Nempè erant rotæ ante unumquodque animal extra ſpatium quadratum quod inter ea intercedebat. Rota erat poſita ante id quod humanâ facie Orientem reſpiciebat, & ſimiliter ante cætera. Vel ſi velis totum hoc quadratum agmen conſiderare, animo concipito unum facie humanâ Orientem reſpicere, alterum Occidentem facie aquilinâ, tertium Auſtrum facie leoninâ, quartum Septentrionem facie vitulinâ. Ita habes facies extrorſùm obverſas, & quatuor rotas poſitas ante quatuor animalia.

16. *Quaſi eſſet rota in medio rotæ.* Forma harum rotarum ejuſmodi erat, ut rota decuſſatim alteri immiſſa eſſet, & poſſent in quamlibet partem moveri juxta decuſſatorum circulorum ſitum. Cùm Orientem verſùs movebantur, in uno circulo decurrebant; ſed cùm ſubitò ad Auſtrum curſus dirigendus erat, tùm in decuſſato circulo movebantur, utque animalia quampiam in partem movebantur, ita hæ rotæ circulos habebant qui directè ea ſequebantur. Hoc ſignificatur *verſ.* 12. cùm dicitur unaquæque rota *in quatuor partes iviſſe, nec converſa fuiſſe cùm incederet:* non quòd convolverentur, ut reliquæ ſolent rotæ cùm incedunt; ſed cùm mutandus erat curſus ab Oriente ad Auſtrum & Septentrionem, vel ab Occidente ad unam ex quatuor his partibus, non opus erat eis circuitu quopiam ſe convertere ut illàc incederent, ſed ſtatim decuſſatus circulus directè movebatur.

Ita animalia quadrato agmine ſtabant, & rotæ circa ea quadrato etiam ordine diſpoſitæ erant. Jam videamus quomodò moverentur, ſuppoſito animalia humanis vultibus quatuor cœli partes reſpicere. Cùm motus erat ad Orientem, ejus quod Orienti obverſum erat humana facies prior incedebat, & antecedebat rota: ejus quod Occidenti obverſum erat, aquilina facies antecedebat, ſequente rotâ: ejus quod in Auſtrum converſum erat facies vitulina præcedebat, Orientem reſpicientis leonina, & è regione utriuſque decurrebant rotæ. Cùm ſubitò ad Auſtrum procedendum erat, ſtans ad Auſtrum præcedebat humana facies, ſtans ad Septentrionem aquilina, ſtans ad Orientem leonina, ſtans ad Septentrionem vitulina; & tùm rotarum alter circulus directè movebatur.

18. *Tales erant earum circuli.* Hoc eſt, decuſſati: *& alta erant & horribiles.* ויראה להם. Facilis eſſet ſenſus, ſi hæc verba hoc modo interpretemur. Rotæ horrorem incutiebant non minùs ac animalia. Sed quandoquidem vox יראה quâ utitur hîc Propheta, propriè & plerùmque ſignificat internum affectum timoris ac reverentiæ, videtur innuere reverentem ac obſequentem ſtatum in quo erant rotæ, paratæ moveri vel ſubſiſtere juxta motum vel quietem animalium, & unà cum animalibus obſervantes nutus Gloriæ ac Præſentiæ Dei, cujus imperia expectabant. Si ſcripſiſſet Propheta יראה מהם, optimè poſſent in priorem illam interpretationem torqueri; ſed cùm ſcripſerit יראה להם, poſterior aptior eſt, & *R. Solomon* quorumdam meminit qui hanc ſequuntur.

Hæc erat forma & ratio divinarum harum Quadrigarum conſtantium quatuor animalibus, & quatuor rotis quæ ab animalibus veluti trahebantur quocunque moverentur, & ſummo conſenſu cum iis quieſcebant ſi illa ſubſiſterent. Jam autem quomodò, & quo ornatu Dominus eis inſideret, deſcribit Propheta ſubſequentibus verſibus, cum quibus confer *Apocal.* 4: 2, 3.

Jam ut inquiramus in myſticam ſignificationem hujus Emblematis, primùm conſiderabimus generalem ejus ſcopum, deinde peculiares circumſtantias ejus explicabimus.

Generalis ſcopus eſt, delineatio divinæ Gloriæ & Præſentiæ in Templo, & inter populum ſuum; quod hæ obſervationes extra omnem controverſiam collocabunt.

I. Templum paſſim in Scriptura vocatur Thronus Dei, ut *Jerem.* 17: 12. *Ezech.* 43: 7. *Locus Throni mei, & locus veſtigiorum pedum meorum, ubi volo habitare inter filios*

filios Iſraëlis: quæ verba profert Dominus rediens ad inſtauratum Templum, ut apparet ex verſibus immediatè præcedentibus. Eadem locutione utitur *Iſaj.* 6: 1, 4. ubi deſcribit Dominum ſedentem ſimili ratione ac degebat in Nube Gloriæ Arcæ incumbenti, unde ait eum impleviſſe totam Ædem pompâ Gloriæ ſuæ. Ita in Libro *Apocalypſeos*, ubi Dominus deſcribitur inſidens throno cum ejuſcemodi animalibus ipſi adſtantibus, ut hoc in loco, tam clarè oſtendit *Joannes*, ſe ſignificare Gloriam Dei Templum inhabitantem, ut nihil poſſit eſſe clarius. Cùm enim meminit Maris Vitrei ante thronum, & ſeptem Lucernarum, *Apocal.* 4: 5, 6. & Aurei Altaris Thymiamatis, *Cap.* 8: 3. & voci ab Altari procedentis, *Cap.* 9: 13. &c. tam clarè alludit ad Mare Æneum, ſeptem Lucernas Candelabri Aurei, Altare Thymiamatis, & Oraculum editum ex loco ponè hoc ſito, ut re oculis lectoris expoſitâ nullo alio opus ſit argumento. Ac thronum quidem Gloriæ Dei per totam hanc deſcriptionem non alio ſenſu ſumi ſatis apparet ex *Cap.* 16: 17. ubi vox dicitur exiiſſe ex Templo cœli *à throno*.

II. Ipſe *Ezechiel* oſtendit hanc Gloriam referri ad Templum, quia deſcripſit eam ibi commorantem, indè fugientem, eòque iterùm redeuntem. I. Dicit Gloriam Dei *Iſraëlis* fuiſſe in Templo, eam nempè quam deſcripſit anteà primo Capite, *Cap.* 8: 4. quamvis enim hîc enumeret multas eaſdemque immanes abominationes quæ committebantur in Templo, attamen ait hanc Gloriam ibi adhuc fuiſſe, quia Dominus nondum ſeſe indè ſubduxerat. II. Sed tandem adeò eo in loco ejus ira provocata fuit, ut expulſus indè fuerit; qui diſceſſus habetur *Cap.* 10. ubi eadem deſcribitur Gloria, & ferè iiſdem verbis ac *Cap.* 1. Dicit Gloriam Domini diſceſſiſſe *à Cherubinis*, hoc eſt, à Propitiatorio, ubi ſemper habitaverat inter Cherubinos, unde abiit primùm ad limen, *verſ.* 4. deinde ad Orientalem Portam, *verſ.* 19. deinde in Civitatem & Montem *Oliveti*, unde prorsùs evanuit, *Cap.* 11: 23. III. Sed cùm deſcribit novum Templum, tùm Gloriam eò reverſam memorat, *Cap.* 43: 2, 3, 4. Atque ex tribus hiſce circumſtantiis, commoratione, fugâ & reditu, has haurire poſſumus obſervationes ad ampliorem hujus ſignificationis explicationem.

Primùm, Propheta aliquatenùs diſtinguit Gloriam Domini inſidentem Cherubino, ſeu Propitiatorio ſupra Arcam, & Gloriam Domini inſidentem hiſce Cherubinis: dicit enim, *Gloria Domini aſcendit à Cherubino, & ſtetit ſupra limen Ædis*, dum hi Cherubini ſubſiſterent ad dextrum latus Domûs, *Cap.* 10: 3, 4. deinde Gloriam Domini profectam à limine Domûs ſtetiſſe ſupra Cherubinos, *verſ.* 18. Gloria Domini quam Propheta *Cap.* 1. deſcripſit jam inſidebat Cherubinis: dicit enim, *Gloria Dei Iſraëlis ibi erat juxta Viſionem quam vidi in planitie*, Cap. 8: 4. & tamen meminit alterius Gloriæ quæ à priori diſtinguitur, nempè Nubis Gloriæ quæ inſidebat Propitiatorio: dicit enim cùm ea Gloria abiret à Cherubino ad limen, Ædem repletam fuiſſe Nube, cujus rei ſignificationem poſteà videbimus.

Secundò, fugientem Gloriam ex Templo Propheta dicit ſe vidiſſe, cùm venit ad deſtruendam Civitatem, *Cap.* 43: 3. hoc eſt, cùm venit ad prædicendum Civitatis excidium. Annotat tempus quo primùm vidit hanc Gloriam, quintum annum Captivitatis *Jehojakimi*, Cap. 1: 2. qui erat quintus annus Regni *Sedeciæ*, 2 *Reg.* 24: 8, 17, 18. quo ipſo anno *Sedecias* rebellavit adverſus Regem *Babyloniæ*; quo facto *Hieroſolymæ* perniciem creavit.

Tertiò, ad reditum quod attinet hujus Gloriæ ad inſtauratum Templum, *Cap.* 43. obſervandum eſt Nubem Gloriæ quæ deſcendit & implevit Tabernaculum, ut & *Solomonis* Templum, nunquam deſcendiſſe in poſterius Templum, ut fatentur ipſi Judæi, nec ſine ratione. Attamen Propheta in novum ſuum Templum Gloriam Dei æquè clarè intromittit, ac unquam in Tabernaculum & Templum prius ingreſſa eſt: verùm hoc in Viſione duntaxat contigit, atque ita deſcripſit in Viſione commorationem ſolitam Domini inter populum reducem ſub poſteriori Templo, & in ſpirituali Templo Eccleſiæ ſub Euangelio; (nam *Ezechielis* novum Templum & pollicebatur reducibus ex Captivitate terrenum Templum, & typus erat ſpiritualis Templi ſub Euangelio conſtituendi) quemadmodum conſpicuo ſymbolo Nubis Gloriæ in Tabernaculo & priori Templo habitaverat. Præterea addit ſtatim ac Gloria ingreſſa fuit, Orientalem Portam per quam ingreſſa erat clauſam fuiſſe, & nunquam poſteà apertam, *Cap.* 44: 2. quod denotat æternam habitationem Gloriæ Domini in Eccleſia Chriſtiana, unde nun-

nunquam diſceſſura eſt, ut diſceſſit ex *Hieroſolymitano* Templo.

Hæc cùm ſit generalis ſignificatio hujus apparitionis Gloriæ divinæ, jam ſequitur ut peculiares ejus circumſtantias, quæ rem clariorem & certiorem efficient, introſpiciamus: & primùm quidem conſiderabimus *animalia* ſeu *Cherubinos*.

Ut meliùs intelligamus tum quid fuerint, tum quid ſignificaverint, hæc obſervatione digniſſima ſunt.

I. Manifeſtò diſtinguuntur ab Angelis, *Apocal.* 5: 11. & 7: 11. tum nominibus, tum loco: nam cùm animalia dicantur fuiſſe circa thronum, viginti quatuor Seniores circa animalia, innumerabiles Angeli circa hos ſtetiſſe dicuntur.

II. Inter eos fuerunt quos *Chriſtus* in terris redemit. Vide *Apocal.* 5: 8, 9. ubi animalia, æquè ac 24. Senes, numerant ſe inter eos qui ex variis Gentibus ac populis facti fuerant Reges & Sacerdotes, quod Angelis nullâ ratione adſcribi poteſt.

III. Hæc animalia ſeu Cherubini nunquam memorantur niſi in Viſionibus, & hieroglyphicis, ſi ita loqui licet, deſcriptionibus. In Viſione, ut in locis laudatis in *Ezechiele*, *Iſaja* & *Apocalypſi*: in Hieroglyphicis, ut in Arca, in Cortinis Tabernaculi, & muris Templi. Dicitur quidem *Geneſ.* 3. Deus collocaſſe *Cherubinos* ad portam *Edenis*, quod dictum eſt tantùm, ut faciliùs res intelligeretur, cùm Cherubinorum forma ex Cortinis Tabernaculi populo eſſet notiſſima.

IV. Hæc cùm manifeſtò ſint myſticæ ſignificationis, ut ſolent Viſiones & Hieroglyphica, debent myſticè intelligi, ut & tota hæc Gloria, ſeu univerſum, ut ita dicam, theatrum hujus Viſionis.

Atque ut initium faciamus à quadrata hujus apparitionis figura, de qua anteà diximus, & cui nunc paulò ampliùs immorabimur, clarè quidem ſatis hoc indicat *Ezechiel*, ſed planiùs habetur in *Apocalypſi*, ubi dicuntur quatuor animalia ſtetiſſe circa thronum; quod non potuit fieri, niſi quadratam deſcriberent figuram, uno ſtante ante thronum, altero à tergo, & duobus reliquis à lateribus: quomodò enim aliter circa thronum ſtare potuiſſent? Cùm thronus ibi deſignet Templum, ut anteà oſtendimus, duplex hoc quadratum circa eum agmen in animum nobis revocat duplicia Caſtra quæ erant à quatuor Tabernaculi lateribus, Orientali, Occidentali, Septentrionali & Auſtrali.

Cùm Dominus *Iſraëlitis* ordinem caſtrametationis primùm præſcripſit, I. ſtatuit Tabernaculum ſuum in medio, quippè quod erat centrum, cor, ac vita Congregationis quæ ejus imperia expectabat: quâ etiam ratione Deus declarabat ſe eſſe in medio ipſorum, *Levit.* 26: 11, 12. II. Statuit Tribum *Levi* in quatuor agminibus vicinis quatuor Tabernaculi lateribus: nam cùm eſſent publici cultûs Miniſtri, qui proximè ad Deum pertinebant, inter quem & populum mediatores erant, Dominus juſſit eos proximos Sanctuario, atque inter caſtra populi & ipſum eſſe. III. Extimam caſtrorum partem ad quatuor latera Tabernaculi & Leviticorum caſtrorum occupabat tota Congregatio in quatuor majora agmina diſtributa. Vide *Numer.* 2.

Similis hîc eſt ordo, qui ad illum alludit, & indè explicari debet. In medio erat igneum Tetragonum, atque ad quatuor hujus angulos Cherubinus, & extra ambitum Cherubinorum rotæ ante unumquemque Cherubinum poſitæ. In *Apocalypſi* eſt thronus in medio, quatuor circa illum animalia, & circa animalia viginti quatuor Senes. Itaque apparet ex hac collatione & ſimilitudine tum apud *Ezechielem*, tum in *Apocalypſi*, quatuor animalia ſignificare Sacerdotes & Miniſtros Domini; & rotas apud illum, ac viginti quatuor apud *Joannem* Senes deſignare populum & Congregationem. Atque hoc clarius evadet, cùm eorum ſitum, actiones & deſcriptiones accuratiùs conſideraverimus.

I. Scio quoſdam exiſtimare 24. Senes in *Apocalypſi* viciniores fuiſſe throno quàm Cherubinos: (juxta quam ſententiam ſimili modo intelligi neceſſariò debet *Ezechiel*) ſed contrarium liquet ex hiſce obſervationibus.

Primò, præter id quod dictum eſt ad *verſ.* 15. vir lineis veſtibus indûtus, qui *Ezech.* 10: 6. ſumere ignem jubetur ex ſpatio quod erat inter rotas in medio Cherubinorum, primùm ingreditur rotarum ambitum, deinde Cherubinus ſumit ignem ex medio Cherubinorum, quem ipſi porrigit.

Secundò, clarè ibi iterùm dicuntur *verſ.* 9. *quatuor rotæ vicinæ fuiſſe quatuor Cherubinis*, cùm, ſi interiores fuiſſent rotæ, meliùs dictum fuiſſet Cherubinos propè rotas fuiſſe.

Tertiò, *verſ.* 18. dicitur Gloria Domini inſediſſe Cherubinis, & *Cap.* 1: 22, 26. &c. dicitur thronus Dei fuiſſe directè ſuprà eorum capita; quod non affirmatur de rotis: unde apparet veriſimile non eſſe rotas fuiſſe intra Cherubinos.

Quartò,

Quartò, *Apocal.* 5: 6. ſic ordo deſcribitur: *In medio throni & quatuor animalium, & in medio Senum.* Medio throno proxima ſunt animalia, extra quorum ambitum extimam partem occupant Senes. Ita iterùm *verſ.* 11. &c.

Quintò, *Cap.* 4: 4. dicit *Joannes, circa thronum fuiſſe quatuor & viginti ſedilia quibus inſidebant totidem Senes*; & *verſ.* 6. Καὶ ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου, καὶ κύκλῳ τοῦ θρόνου τέσσαρα ζῶα: quæ verba Græca explicatu difficiliora ſunt propter Ellipſin particulæ, quæ non obſervata, parùm veriſimiles hujus loci peperit interpretationes. *Syrus* Interpres vertit, *In medio throni & circa illum, & ante illum*: plerique alii Interpretes, *In medio throni, & circa thronum*: in quibus verſionibus planum reperire ſenſum difficile eſſet. Particula τοῦ videtur ſubintelligi, quâ expreſſâ hæc eſt hujus loci ſententia: ἐν μέσῳ τοῦ θρόνου καὶ τοῦ κύκλῳ θρόνου, hoc eſt, *inter thronum, & id quod circumdabat thronum* (nempè viginti quatuor ſedilia quibus inſidebant viginti quatuor Senes) *erant quatuor animalia.*

Itaque animalium locus throno erat vicinus; & cùm Levitæ proximi eſſent Sanctuario, hinc apparet Cherubinos hoſce, ſeu animalia denotare Miniſtros, rotis verò & viginti quatuor Senibus deſignari Congregationem. Quod manifeſtius fiet, ſi conſideremus in omni profectione ac expeditione motum emanaſſe ex animalibus, uti primi omnium in cultu publico ſolent agere Miniſtri. Vide *Ezech.* 1. & 10. *Apocal.* 5: 14. & 4: 9, 10.

II. Jam ut ad eorum formam accedamus, & initium ducamus ab eorum vultibus, Judæi agnoſcunt eos variè pictos fuiſſe in quatuor Signis quatuor agminum *Iſraëlis*, quæ quandrangularia caſtra, uti dictum eſt, habebant. *Erant figuræ* (ait *Aben Ezra*) *in unoquoque Signo*; *& Antiqui dicunt in Signo Rubenis fuiſſe pictum Hominem, in Signo Judæ Leonem, in Signo Ephraim Juvencum, in Signo Danis Aquilam, adeò ut eſſent ſimilia Cherubinis ab Ezechiele conſpectis.* Aſſentitur *Ramban*, nec multùm diverſus abit *Jonathan* in ſuo *Thargum*, atque hæc opinio inter antiquas Traditiones habebatur. Quo fundamento hoc nitatur, & quæ eſſet relatio inter Tribum & ſignum quod ad eam pertinebat, non eſt operæ pretium diſquirere.

Aben Ezra in Numer. 2.

Ex hiſce figuris quæ dicuntur fuiſſe in caſtris *Iſraëlis*, quidam collegerunt quatuor animalia quorum iſtæ erant formæ, deſignaſſe Congregationem populi, non verò Levitas aut Miniſtros: quod non ſatis conſentaneum eſt cum ratione, quandoquidem hæc interpretatio quadruplicem formam unicuique Signo tribuit, cùm quatuor Signa ſimul ſumpta hanc formam gererent. Verùm non eſt à ratione alienum quatuor haſce formas tribuere unicuique agmini Levitarum; nam unumquodque eorum, imò unuſquiſque Sacerdos & Levita, ad univerſam pertinebat Congregationem, quatenùs ſuâ ex parte Miniſter erat: & quemadmodum *Aaron* omnes Tribus humeris & pectore gerebat, ita Miniſtri in hiſce animalium ſymbolis deſcribuntur, geſtantes figuras omnium Signorum totius Congregationis, quia pertinebant ad totam Congregationem cui in Templo inſerviebant. Lectori moleſtus non ero recenſione allegoricarum interpretationum horum vultuum, cùm unuſquiſque pro ingenio ſuo hujuſcemodi explicationes invenire poſſit.

Ad reliquum corpus quod attinet horum animalium, obſervatu potiſſimùm dignum eſt ratione alarum & pedum, nam reliqua humani corporis partibus ſimilia erant. Duæ alæ ſemper erant erectæ ſupra eorum capita, & facies obtegebant, unde veluti ſpeculabantur quò eundum eſſet, & Gloriam reſpiciebant. Hoc optimè adumbrat venerationem quâ Miniſtri Domini proſequuntur ejus Gloriam, & myſteria voluntatis ejus. Confer 1 *Pet.* 1: 12. Duabus aliis alis obtegebant pudenda; quod innuit Miniſtros deformitatis ſuæ ſibi conſcios. Duabus denique volabant; quod oſtendit celeritatem & alacritatem in obeundis ſacris miniſteriis. Pedes eorum erant vitulini, & colorem referebant æris lævigati, quomodò & pedes Servatoris noſtri deſcribuntur, *Apocal.* 1: 15. Unuſquiſque, prout libebit, allegoricas hîc aucupabitur ſignificationes. Quidam fortaſſè (ſi cenſeant hiſce animalibus deſignari Miniſtros, uti ego exiſtimo) cùm conſiderabunt horum pedes vitulinos, credent hoc dici quia calcabant triticum Verbi in gratiam populi; & uti trituratio fiebat etiam rotis, ideò rotas hîc quoque deſcribi. Alii fortè conjicient ita eorum pedes deſcribi, ut meliùs adumbrentur ii qui divinum currum trahebant. Fortè & ſibi perſuadebunt pulchritudine & ſplendore pedum illorum deſignari ſanctitatem morum, juſtitiamque fulgentem, atque ardentem zelum. Fortaſſè in animum revocabunt Sacerdotum pedes rubros præ frigore, quia miniſtrantes nudum calcabant nudis pedibus pavimentum, nec videbantur frigus ſentire, uti nec ſentiunt juvencorum pedes: aliaque iſtiuſmodi,

Digitized by Google

quæ facilius eſt unicuique ſibi quàm aliis perſuadere.

Cæterùm hæc animalia toto corpore referebant *prunas*, *& ſimilia erant lucernis*, Ezech. 1: 13. nam fideles Miniſtri Domini ſunt inſtar flammarum, ut *Pſalm.* 104: 4. fulgentque vitâ ac eruditione inſtar lucernarum ac lampadum, *Joann.* 5: 35. *Matth.* 5: 14, 15, 16. & Verbo Domini contumaces abſumentis. Vide *Jerem.* 5: 14.

Ignis qui erat in medio horum animalium, qui inter ea variè movebatur, & unde procedebant tonitrua ac fulgetra, *Ezech.* 1: 14. *Apocal.* 4: 5. poteſt nobis in memoriam revocare Altare ignemque ei impoſitum, ſtanteſque, dum ei inſerviunt, circa ipſum Sacerdotes, (ita apud *Iſajam* unus ex Seraphinis prunam ex Altari deſumit, tangitque eâ Prophetæ labia, *Iſaj.* 6: 6, 7. quemadmodum hæc animalia ſtabant circa quadrangularem ignem qui in eorum medio ſitus erat; vel potiùs denotat Verbum Dei quod eſt inter ejus Miniſtros; & tonitrua, fulgetra, ac voces clarè reſpiciunt revelationem Verbi quæ facta eſt in monte *Sinai:* nec ullâ ratione coacta eſt hæc interpretatio allegorica, cùm frequentiſſimè in Scriptura Verbum Dei igni aſſimiletur, ut *Deuter.* 33: 2. *Jerem.* 5: 14. & 23: 29. & 20: 9. 1 *Cor.* 3: 13.

Talia fuere animalia quæ ſymbolum erant Miniſtrorum Domini. Symbolum populi duplex eſt, *rotæ* apud *Ezechielem*, in *Apocalyſi, viginti quatuor Senes*; quod poſterius ſymbolum priori lucem fœneratur. Ut Arca & Cherubini vocantur *Currus Cherubinorum*, 1 *Paral.* 28: 18. cùm Deus eo nube amictus veluti veheretur, *Ezechiel* currum Dei aliûs formæ hîc deſcribit. Obſervatu dignum eſt quod dicit *Cap.* 10: 4, 18. quod anteà jam memoravimus, *Gloriam Domini aſcendiſſe ab uno Cherubino, & ſtetiſſe ſuper altero:* quo ſignificatur eam Gloriam quæ habitavit ſuper Arca in Loco Sanctiſſimo, indè profectam inſediſſe alteri iſti currui quem deſcripſit, conſtanti ex animalibus & rotis. Atque hoc innuit, quamvis conſpicuum ſymbolum præſentiæ Domini, quod apparebat in glorioſa nube Arcæ incumbente, jam diſceſſerit, tamen eum adhuc eſſe præſentem inter populum ſuum eâ ratione quæ ænigmaticè hoc Emblemate deſcribitur, quatenùs ſcilicet ejus Miniſtri, & populus Verbo ejus ac præceptis obſequuntur, & juxta hæc moventur atque agunt. In deſcriptione harum divinarum Quadrigarum, animalia ſeu Miniſtros poſſumus obſervare iis characteribus inſigniri, ut ſimul ſint ipſe currus, atque agant rotas; nam Dominus inſidet, ut ita dicam, eorum Miniſterio, quod ejus nomen quocunque Deo placet defert. Iiſdem etiam utitur ad trahendum ac movendum populum ad obſequium Verbi ſui. Tùm Dominus veluti triumphabundus vehitur inter populum ſuum, ut videre eſt *Pſalm.* 45: 4. ubi Miniſtri & populus conſentientes Verbum, Nomen & Gloriam Dei extollunt, & aguntur vi præceptorum ejus, Miniſtris præeuntibus prædicatione Verbi, populo verò quieſcente, vel gradiente juxta hujus Verbi directionem.

Quid *Apocalypſeωs* Scriptor ſignificet quatuor & viginti Senibus, ipſe nos aliquatenùs docet *Cap.* 21: 12, 14. ubi loquitur de Portis & fundamentis novæ *Hieroſolymæ*, quorum numerus alludit ad duodecim Tribus *Iſraëlis* & duodecim Apoſtolos Agni. Uti duplex hic duodenarius numerus continet initia, ut ea vocare licet, alter Eccleſiæ ſub Lege, alter verò Eccleſiæ ſub Euangelio; ita uterque hic numerus conjunctus (quem exhaurit Senum *Apocalypticorum* numerus) deſignat Univerſalem Eccleſiam Judæis & Gentilibus conſtantem. Rotæ & animalia oculis plena deſcribuntur, *Ezech.* 1: 18. *Apocal.* 4: 8. propter magnam menſuram cognitionis quâ Deus populum ſuum donavit, atque ad deſignandam Sanctorum curam & attentionem in ambulando coram Domino. Dominus ipſe deſcribitur ſuper ipſis & inter eos habitans fulgore, aliiſque glorioſæ præſentiæ ſymbolis; præterea pingitur circumdatus ſpecie Iridis, *Ezech.* 1: 28. *Apocal.* 4: 3. quæ fuit Emblema fœderis Dei cum populo ſuo. Vide *Geneſ.* 9: 13, 14, 15.

CAPUT XXXIX.

Tranſlationes & Stationes Arcæ & Tabernaculi.

Tabernaculum, quod tùm ſtetit, fuit veluti Templum mobile, illatum in terram *Canaan* à *Joſua*, primùm poſitum eſt *Gilgale*, loco primâ *Iſraëlis* caſtrametatione celebri, *Joſ.* 4: 19. ſed Arca ab eo fuit diſtracta ſtatim ac poſitum eſt, & circumlata cùm *Iſraelitis* in expeditionibus *Canaaniticis*, Joſ. 6: 12. & 8: 33. Dum Tabernaculum *Gilgale* ſtetit, ad quod conſeſſus ſuos habuit *Synhedrium*, validopræſidio in ſui & Tabernaculi tutelam fuit munitum, *Joſ.* 9: 6, 15. & 10: 43.

Maym. in *Beth Habbech.* Perek. 1. & *Ral. Bag.* in *Joſ.* 4.

Eo in loco remanſit Tabernaculum, donec regio ſubacta fuit, & filii *Juda* ac *Joſephi* ſedes repererunt, *Joſ.* 18: 1. hoc eſt,

per

Digitized by Google

Maym. ubi ſuprà, & Seder Olam. per ſeptem annos; quamvis quidam ex Judæis quatuordecim annos numerent: quo tempore, ut ipſi etiam aſſerunt, loca excelſa licita erant, & ubique victimas offerre fas erat, quia *Iſraël* tùm domi non erat, ſed bellis occupatus incertas habebat ſedes. *Thalmud in Zevachim, Per. 14.* *Priuſquàm Tabernaculum primum conſtitutum fuiſſet*, inquiunt, *loca excelſa licita erant, & ſacra fiebant à Primogenito: ſed poſt erectum Tabernaculum, excelſa loca illicita fuerunt, & ſacra à Sacerdotibus facta. Res ſanctiſſimæ comedebantur intra Cortinas, & minùs ſanctæ in qualibet parte caſtrorum Iſraëlis. Cùm venerunt Gilgalem, loca excelſa iterùm fuerunt licita, & res ſanctiſſimæ comedebantur intra Cortinas, & minùs ſancta ubique.*

Monumenta *Gilgale* relicta ei loco famam conciliarunt, & ſubſequentibus temporibus ſuperſtitioni occaſionem dedere: in eo quippè loco Idola conſtituta ſunt, & mactati juvenci, *Hoſ.* 12: 11. *Omnes eorum nequitia erant Gilgale, atque ibi Dominus exoſos eos habuit*, Hoſ. 9: 15. *Kimchi in Hoſ. 9.* *ſeu quia ibi inſtaurarunt Regnum*, 1 Sam. 11: 12. *& noluerunt Deum in ipſos regnare; vel quia Tabernaculum primùm poſitum fuit Gilgale, qui cùm locus eximius eſſet, Prophetæ Baalis perſuaderunt populo ibi conſtituendum eſſe cultum Baalis.*

Cùm regio ſubacta eſſet, & pace frueretur Tabernaculum, *Gilgale* in urbem *Ephraim* tranſlatum eſt, propter jus ejus natalium, atque urbs vocata *Shiloh*, hoc eſt, *pacifica*, quia Dominus ipſis conceſſerat quietem ab omnibus bellis & finitimis hoſtibus. Hìc conſtructa fuit domus lapidea in uſum Tabernaculi, ut exiſtimant Judæi; ſed deſuper non erat laqueari ullo tectum, ſed tantùm cortinis, quibus, cùm primùm factum eſt, obtectum fuit: atque hoc eliciunt ex 1 *Sam.* 1: 9. quia vocatur *Templum*, & 1 *Sam.* 3: 15. quia dicitur habuiſſe Portas.

Tabernaculum ſubſtitit *Silunte* (*Ephrata*, ſeu in Tribu *Ephraim*, *Pſalm.* 132: 6.) à ſeptimo anno *Joſuæ* Præfecturæ ad mortem *Eli* CCCXLIX. annis; intra quod intervallum contigit quicquid habetur in Libro *Judicum*, & tranſlatio Summi Sacerdotii à linea *Eleazaris* ad lineam *Ithamaris*, quæ non memoratur in eo Libro, uti nec cauſa iſtius mutationis.

Zevach. ubi ſuprà. *Hoc tempore loca excelſa prohibita erant: & Silunte nullum erat laquear, ſed tantùm humilis domus lapidea cortinis obtecta, & erat locus quietis. Res ſanctiſſimæ intra Cortinas comedebantur; & minùs Sanctæ ac ſecunda Decima extrà*, &c. Hiſce temporibus mentio fit *Sanctuarii Sichimis* poſiti, *Joſ.* 24: 1. 25, 26. quod tantùm denotat Domum in qua Arca tùm temporis depoſita erat: nam cùm omnes Tribus convenirent *Sichima*, & fœdus contracturæ eſſent cum Domino, eò adferri curarunt Arcam Fœderis, ut præſentia & timor Domini modo magis conſpicuo inter eos eſſet; & locus in quo Arca in id tempus poſita erat vocabatur *Sanctuarium*, ut Tentorium *Moſis* vocabatur *Tabernaculum Congregationis*, quia Gloria Domini ei inſidebat, priuſquàm Tabernaculum Congregationis propriè dictum conſtructum eſſet, *Exod.* 33: 7.

Silunte cum ingenti clade *Iſraël* à *Philiſtinis* affectus fuiſſet, 1 *Sam.* 4. Arca captiva abducta eſt in incircumciſorum regionem, Tabernaculumque in aliam Tribum amotum eſt; atque ita Arca & Tabernaculum diviſa fuere, ut nunquam poſteà coierint, niſi in *Solomonis* Templum.

Tabernaculum avectum fuit *Nobum* civitatem Sacerdotum, 1 *Sam.* 22: 19. in Tribu *Benjamin* ſitam, *Nehem.* 11: 31, 32. & juxta Judæorum Chorographiam adeò *Hieroſolymæ* vicinam, ut indè poſſit proſpici *Hieroſolyma*. *Chaldæus Paraphraſtes*, *Iſaj.* 10: 32. ubi mentio fit hujus urbis, ſic interpretatur: *Chald. Paraphr. in Iſaj. 10.* ***Venit & ſtetit in Nobo urbe Sacerdotum ante mœnia Hieroſolymæ; & reſpondit & dixit exercitui, Annon hæc eſt Urbs Hieroſolyma, propter quam totum meum exercitum luſtravi, & omnes meas milite exhauſi provincias? Ecce minor eſt & infirmior ullâ ex iis urbibus quas ſubegi. Stetit & movit caput ſuum, & concuſſit manum ſuam contra Montem Domûs Sanctuarii. Nam, ait Kimchi, Nobo poterat videre Hieroſolymam; & cùm eam vidit, commovit manum ſuam quaſi eam contemnens.***

Curioſiùs non inquiram utrùm *Nobum* una fuerit ex quatuor urbibus quæ in prima ſortitione ex Tribu *Benjamin* attributæ ſunt Sacerdotibus, *Joſ.* 21: 17, 18. an verò poſteà in eorum manus deveniſſet (ut *Ramah* erat Levitarum, qui fuerunt ex conſanguinitate *Samuelis*, 1 *Sam.* 1: 1.) vel denique an eadem eſſet quæ in enumeratione quatuor illarum urbium vocatur *Almon*, (nam à reliquis manifeſtò diſtinguitur, *Iſaj.* 10: 29, 30. 1 *Paral.* 1: 30.) aut *Bahurim*, quam *Chaldæus Paraphraſtes* conſtanter vocat *Alemeth*, quæ eadem eſt cum *Almon*, 1 *Paral.* 6: 60. Obſervabo tantùm, cùm Tabernaculum avectum fuit ex Tribu *Joſephi* filii *Rachelis*, id tranſlatum fuiſſe in Tribum *Benjaminis* ejuſdem matris alterius filii.

Digitized by Google

Non dubito quin hæc tranſlatio divino m onito, propheticâ aliquâ ratione facta ſit, licèt hoc nullibi dicatur: imò auſim etiam aſſerere, *Gabaonem* indè tranſlatum fuiſſe Tabernaculum divino monito, atque de una tranſlatione ex altera judico. Hæc eſt autem judicii mei ratio, quia cùm *David* Arcam in Civitatem ſuam tranſtulit, & Sacerdotes & Levitas ibi miniſtraturos conſtituit, alios ſimul eadem de cauſa *Gabaone* eſſe juſſit ut ſacra facerent ad Tabernaculum, 1 *Paral.* 16: 39, 40, 41. Quænam enim ratio afferri poſſet quare *David* in Civitatem ſuam Tabernaculum unà cum Arca transferri non curaſſet, potiùs quàm eâ ratione Sacerdotum & Levitarum Miniſterium divideret? niſi quòd ſciret Tabernaculum divino monito *Gabaone* conſtitutum fuiſſe; quod non auſus eſt violare.

Si Tabernaculum *Nobum*, dum Arca captiva abducta eſt, tranſlatum ibi remanſit circiter triginta ſeptem annos, quo tempore *Samuel* ſuperſtes fuit, qui vidit excidium *Siluntis* & *Nobi*, optimè fieri poteſt ut ipſo jubente Tabernaculum *Silunte Nobum*, *Nobo Gabaonem* delatum fuerit. *Eo tempore quo in utroque hoc loco manſit*, ajunt *Thalmudici* loco ſuprà citato, *permiſſa fuerunt excelſa loca, & res ſanctiſſimæ comedebantur intra Cortinas, & minùs ſanctæ in qualibet urbe Iſraëlis.*

Gabaone, quæ alia urbs fuit Tribûs *Benjaminis*, Tabernaculum remanſit ex quo in ea collocatum eſt, donec *Solomon* id in Templum ædificatum tranſtulit. Dum *Gabaone* ſubſtitit, memorandus ultionis divinæ in *Saulem* effectus contigit, ut alia jam omittam: nam cùm interfeciſſet Sacerdotes Domini, & excidiſſet Tabernaculum *Nobo* erectum, ejus filii ſuſpenſi fuerunt ante Tabernaculum ad *Gabaonem*, 2 *Sam.* 21: 9.

Jam ſequamur etiam veſtigia Arcæ, ut Tabernaculi tranſlationes perſecuti fuimus, donec ea ſimul conjungamus. Cùm Arca poſt prælium ad *Aphec* commiſſum in captivitatem fuiſſet abducta à *Philiſtæis*, detenta fuit in eorum regione per ſeptem menſes, potiùs quòd neſcirent quid erga eam facere deberent, quàm quòd ullum auxilium ab ea ſentirent: percuſſit enim ingenti plagâ eorum Deos, populum ac regionem. Denique eam reſtituerunt, & primùm deducta eſt in urbem Sacerdotum *Bethſemes*, *Joſ.* 21: 16. ſed ibi etiam populo funeſta fuit. Hebræi Interpretes anxiè quærunt tum cauſam cædis, tum numeri interfectorum: at non eſt uſque adeò difficilis, cùm Scriptura dicat id contigiſſe, quia in Arcam introſpexerunt; ſed eorum dubitatio nata eſt ex variis vocum interpretationibus. Videtur mirum, *Bethſemes* urbem non magnam potuiſſe ſemel amittere 50070. incolas, quem numerum ſi cum ſuperſtitum numero conjungamus, æquabitur numerus incolarum maximarum urbium. Interpretes memorati obſervantes hoc parùm veriſimile eſſe interpretamento nequaquàm veriſimiliori rem emollire voluerunt: ſeptuaginta homines, inquiunt, quorum unuſquiſque quinquaginta hominum millibus erat æquiparandus. Alii verò eadem difficultate commoti, interpretatione ſuâ multò magis eos extollunt: dicunt enim ſignificari quinquaginta millia hominum, quorum unuſquiſque æquiparandus erat ſeptuaginta *Synbedrii* viris. Scriptura manifeſtò diſtinguit perſonas, cùm dicit, eam *interfeciſſe viros Bethſemitas*, quia introſpexerant in Arcam; *& interfeciſſe ex populo.* Reditus Arcæ ſine dubio ingentem hominum ex finitimis locis concurſum creaverat, præter incolas urbis, (erat tempus feſti Tabernaculorum cùm Arca ad eos aſcendit; unde fortaſſe factum ut ad Arcam reducem plures confluxerint) & Dominus in pœnam temeritatis Sacerdotum & populi, plagâ eos affecit, & tot interfecit millia.

Sacerdotes *Bethſemitæ* qui evaſerant, miſerunt *Kiriathjearimum* ut à ſe Arca aveheretur; quod factum eſt. Quæri non minùs poteſt, quare *Bethſemitæ* qui Sacerdotes erant, accerſiverint alios qui eo munere nequaquàm ornati erant; & quomodò *Kirjathjearimitæ* auſi fuerint Arcam avehere, cognitâ *Bethſemitarum* ſtrage. Sed Dominus tùm reliquit Tribum *Ephraim* ad quam pertinebat *Silo*, & elegit Tribum *Juda*, *Pſalm.* 78: 67, 68. inter cujus urbes præcipuas erat *Kirjathjearim.* Ac utrùm Deus uſus fuerit conſilio *Samuelis*, qui ejus re auctor fuerit populo ad implendum hoc decretum, vel aliâ quâpiam viâ, non liquet; ſed res contigit, & Arca nacta eſt ſedem in Tribu *Juda*, ex qua nunquam poſteà avecta eſt.

Per longum illud tempus quo Arca *Kirjathjearimi* fuit, hæc urbs tenebatur à *Philiſtæorum* præſidio, 1 *Sam.* 10: 5. quod non parùm populi ad eam concurſum potuit impedire, præſertim in eo tepore, vel potiùs frigore erga Religionem, quod inter Judæos tùm fuit. Quicquid ſit, poſt elapſos viginti annos cœperunt emendare mores ſuos, & quærere Deum, Arcam atque Religionem, omiſſis peregrinis Diis; ac tunc temporis Deus ingentem ipſis de *Philiſtæis* largitus eſt victoriam, 1 *Sam.* 7.

Semel

Semel legimus Arcam fuiſſe intra fines Tribûs *Benjaminis* priuſquàm *David* eam transferret *Hieroſolymam*, & quidem cum *Saule Gabaa*, 1 *Sam.* 14: 19. Sed indè relata fuit *Kirjathjearimum*, locum dudùm ei conſtitutum divinâ directione; alioqui æquè benè potuiſſet collocari *Nobi*, ubi tùm ſtabat Tabernaculum.

David circa ſecundum annum Regni ſui *Hieroſolymæ* adminiſtrati *Kirjathjearimo Hieroſolymam* transferri eam curavit, & conſtituit ei ſedem in *Sione*, ubi perpetuò manſit, donec in *Solomonis* Templum delata eſt, niſi ſemel cùm fugit cum *Davide* fugato à filio ejus *Abſalomo*; quod non obſtitit quominùs ſtatim poſteà in ſuum locum referretur, 2 *Sam.* 15. Ante hoc Tabernaculum, in quo Arca in *Sione* erat, *David* exſtruxit Altare, 1 *Paral.* 16: 2. ut offerret victimas eo tempore quo Arca illuc delata eſt, non verò ut perpetuò ibi ſacra fierent. Ibi conſtituit perpetuam Symphoniam Levitarum; ſed Sacerdotes Miniſterio ſuo *Gabaone* fungebantur, ubi erant Tabernaculum & quotidiana ſacrificia.

CAPUT XL.

Status ac fata prioris Templi.

N*Ajothi* in *Ramah*, ubi aliquandiu unà fuerunt *Samuel* & *David*, delinearunt ædificia Templi & rationem Miniſterii. Parùm commodum erat tùm tempus *Davidi* ad res hujuſcemodi animo verſandas, cùm neſciret quò ſe reciperet ad vitandum furorem *Saulis*: attamen tam certum erat promiſſum ei factum, & tam firma ejus fides, ut ab eo tempore cogitaverit de extruendo Templo, diſponendo cultu divino, & omnia eam in rem neceſſaria præparaverit. In omnibus bellis & victoriis ſemper aliquid dedicabat ex ſpoliis ſuis eam in rem, 2 *Sam.* 8: 10, 11. 1 *Paral.* 18: 8. &c. adeò ut moriens ingentem copiam auri, argenti, æris & ferri, & aliarum materiarum huic apparatui neceſſariarum. Atque uti primùm edoctus eſt à *Samuele*, ita à *Gade* & *Nathane* Prophetis ultima accepit monita, 2 *Paral.* 29: 25. diſpoſuit Sacerdotes & Levitas in Claſſes ſuas, accerſivit fabros lignarios & cæmentarios ad opus faciendum, adeòque accuratam omnium deſignaverat *ἰχνογραφίαν*, ut nihil ferè *Solomoni* reliquerit niſi curam exſequutionis.

Undecim vel duodecim annis in conſtruendo Templo laboratum eſt, priuſquàm ad umbilicum adduceretur: nempè quatuor anni in ſecandis lapidibus atque exaſciandis lignis; ſeptem anni & dimidius conſumpti ſunt in ipſo ædificio extollendo. *David* enim poſtremo anno Regni ſui convocaverat omnes regionis Proſelytos, qui numero erant 153000. eoſque operi applicuerat. Hi exindè perpetuò operi incubuerunt uſque ad quartum *Solomonis* annum, cujus menſe ſecundo jacta ſunt Ædis fundamenta, atque octavo menſe undecimi anni opus abſolutum eſt, 1 *Reg.* 6: 38. adeòque in ædificatione conſumpti ſunt ſeptem anni & ſex menſes; quod Scriptura pro integro ſeptennio ſumit.

Annus abiit poſtquàm abſolutum eſt, menſe uno excepto, quo tempore, ut videtur, purgatum eſt retrimentis ut ad dedicationem præpararetur, & tanto temporis intervallo inutile remanſit, divinâ providentiâ res ita moderante, ut eo tempore dedicaretur, quòd myſterium aliquod ac typum ſecum ferret, non minùs ac Templum.

Undecimo anno Regni *Solomonis* menſe *Bull*, qui octavus erat, abſolutum fuit, 1 *Reg.* 6: 38. duodecimo verò anno menſe *Ethanim*, qui ſeptimus erat, conſecratum fuit tempore feſti Tabernaculorum, 1 *Reg.* 8: 2. 2 *Paral.* 5: 3. ſeu decimâ quintâ die ejus menſis. Circa nomen *Ethanim*, quo menſis hic indigitatur, hæc habent interpretamenta Judæi. *Chaldæus* Interpres locum citatum ex Libro *Regum* ſic interpretatur: *Et omnes viri Iſraëlis congregati ſunt ad Regem in antiquo menſe, quem vocabant primum Menſem, ſed qui nunc eſt ſeptimus.* Quidam ex Rabbinis dicunt, *Vocatum eum fuiſſe Ethanim*, (quod *fortem*, vel *fortitudinem* ſignificat) *quia Patres in eo nati erant, qui erant ex mundi potentiſſimis.* *Aruch* in voce אתן Alii, *quia in eo erant maxima feſta*: vel, ut alii ajunt, *quia in eo fructus colligebantur, qui ſunt robur vitæ hominis*, &c. Sed quæcunque ſit nominis etymologia, certè ſingulari obſervatione dignus erat menſis ille, *Lev. Gerſh.* in 1 *Reg.* 8. *Kimchi*, ibid. reſpectu multarum rerum maximi momenti quæ in eo contigerunt, quas alibi enumeravimus. Omnium maximè memoranda eſt nativitas Servatoris noſtri, quæ in hunc menſem (fortè & quindecimam diem quâ Templum conſecratum eſt) incidit; cujus incarnationis & nativitatis quàm vividus typus eſſet Templum ejuſque Dedicatio, non opus eſt me dicere. Ita dedicatum fuit Templum, cultuſque divinus in eo cœpit anno mundi uno & ter milleſimo.

Libri *Regum* & *Paralipomenon* docent nos Tabernaculum Congregationis, omniaque ſancta vaſa quæ in Tabernaculo fuerant in Templum fuiſſe illata, 1 *Reg.* 8: 4.

Digitized by Google

4. 2 *Paral.* 5: 5. Sed quæritur utrùm uſui fuerint, an verò ſine uſu aſſervata? Sunt qui utrumque affirment; & poſterius quidem veriſimilius videtur: nempè vaſa *Moſis* inutilia facta ſunt, poſtquàm ſplendidior & magnificentior factus eſt publicus cultus, quemadmodum omnes ejus cæremoniæ oriente Euangelii luce abolendæ erant.

Quamvis Templum aliquid cœleſte referret, & divinis inſerviret uſibus, quippè quod typus corporis *Chriſti*, Joann. 2: 19. Deique præſentiâ frueretur, 2 *Paral.* 7: 16. & locum publico *Iſraëlis* cultui præberet, *Pſalm.* 122: 4. &c. attamen cùm eſſet terrenum ædificium, obnoxium erat ſorti ac mutationibus omnium rerum terrenarum. Imò vix occurrit ulla Reſpublica, aut locus in ulla hiſtoria, cui tot contigerint mutationes; & vix ullum effluxit Regnum eorum omnium Regum qui regnarunt dum ſtetit Templum, quo facta non fuerit in hoc memoranda aliqua mutatio. Tempore *Solomonis* qui id exſtruxit, eâ injuriâ affectum eſt, ut propè ipſum extructum ſit Idololatricum Templum; unde poſſumus etiam ſuſpicari cultum integrum atque immutatum non remanſiſſe. Tempore filii ejus *Roboami* primùm deſertum fuit à decem Tribubus; & poſteà ab ipſa Tribu *Juda*, quæ in Idololatriam delapſa eſt; denique ſpoliatum fuit à *Seſako* Rege *Ægypti*. Quàm ſæpè etiam ejus Theſauri exhauſti ſint aut ab exteris, aut ab ipſis Regibus; quàm ſæpè pollutum, ut temporibus *Athaliæ*, *Achazi*, *Manaſſæ*; quàm ſæpè cultus publicus in eo fuerit peſſumdatus, aut neglectim adminiſtratus; quot Idola, quot Altaria peregrinis Diis in eo poſita ſint; quomodò effuſus ſit Summorum Sacerdotum ſanguis, corrupti Sacerdotum mores, & Domus Orationis facta latronum ſpelunca; ſæpiùs etiam Templum purgatum quomodò fuerit, cultus inſtauratus, Sacerdotum mores emendati, aliaque reſtituta in priſtinum ſtatum, tam planè, & tam fusè docet Scriptura, ut ſi ſigillatim hæc exponere vellemus, prorſus eſſet deſcribenda. Tandem incenſum eſt, ejuſque pretioſa vaſa *Babylonem* à *Chaldæis* avecta; quo tempore quid Arcæ contigit, Scriptura non docet. Judæi exiſtimant eam occultatam fuiſſe in fornice quopiam, quem datâ operâ in ejuſmodi calamitatem factum à *Solomone* putant, ubi victoris furorem evaſit: ſed hujus rei penès eos ſit fides.

Tempus durationis Templi prioris ab ejus perfectione undecimo *Solomonis* anno ad incendium ejus à *Nebuzardane* excitatum, fuit 420. annorum.

SECTIO I. *Status poſterioris Templi ſub Perſica Monarchia.*

Quamvis inter reditum ex Captivitate *Babylonica*, & extremum excidium *Hieroſolymæ* videri poſſint duo Templa fuiſſe, ſi propriè loqui volumus, Templum nempè *Zorobabelis*, & *Herodis*, qui ex ipſis fundamentis Templum inſtauravit; attamen & Scriptura & Judæi omnes ſummo conſenſu id vocant *Secundum Templum*, numerantes ab eo tempore quo ſub *Cyro* inſtauratum eſt; ut inutilis ac ſupervacanea ſit ejus diligentia, qui hîc aliquam adhibere diſtinctionem voluerit. Nam licèt Templum à *Zorobabele* ædificatum ab *Herode* ſolo ſit æquatum, cùm id exſtruxit quod ad ultima *Hieroſolymæ* fata ſtetit; attamen quia everſum non eſt ædificium ut deſtrueretur, ſed ut inſtauraretur ac magnificentius fieret, non debet cenſeri novum Templum.

A primo anno *Cyri* quo Judæis redire permiſit, & inſtaurationem *Hieroſolymæ* præcepit, ad mortem *Chriſti* fuerunt 490. anni, uti ſupputantur ab Angelo, *Dan.* 9. atque à morte *Chriſti* ad ultimum *Hieroſolymæ* excidium effluxerunt prætereà 40. anni, qui additi prioribus efficiunt 530. annos. In hoc temporis intervallo quæcunque contigerint Templo deſcribere ſigillatim magni eſſet laboris & juſti voluminis argumentum. Ideò præcipua tantùm breviter attingam, diſtributo hoc tempore in varias Periodos, in quarum unaquaque quid maximè memorandum contigerit indicabo.

Prima Perioche complectetur tempus durationis Monarchiæ *Perſicæ*, quæ quanta fuerit, quam Regum ſucceſſionem habuerit, res eſt adeò controverſa, ut de nulla alia magis diſſentiant Chronologi. Numerum & nomina Regum qui in eo ſolio ſederunt, qui in Scriptura nominantur, perſequar.

Danielis 11: 2. occurrunt hæc verba: *Ecce adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide, & quartus ditabitur opibus nimiis ſuper omnes; & cùm invaluerit divitiis ſuis, concitabit omnes adverſus Regnum Græciæ. Surget verò Rex fortis*, &c. *Et cùm ſteterit conteretur Regnum ejus, & dividetur in quatuor ventos cœli, ſed non in poſteros ejus*, &c. In hac Prophetia & *Perſicorum* Regum numero hæc obſervanda veniunt.

I. Hoc dictum fuiſſe *Danieli* tertio anno *Cyri*, Cap. 10: 1. itaque cùm dicitur, *Adhuc tres Reges ſtabunt in Perſide, & quartus,*

tus, &c. intelligi quatuor Reges præter *Cyrum*, qui fundator Imperii fuit; adeòque quoſdam ex Judæis à vero aberrare, cùm per *quartum Regem* intelligunt *Cyrum*.

II. Prophetiam loqui de diuturnitate *Perſicæ* Monarchiæ ad *Alexandrum Magnum* ejus everſorem, quem clarè deſignat *verſ*. 3, 4. ejuſque ſucceſſores, *verſ*. 5. & ſeqq.

III. Fuiſſe igitur juxta Angeli ſupputationem quinque tantùm *Perſarum* Reges, *Cyrus* nempè, & præter eum quatuor.

IV. Hoſce quatuor nomine in Scriptura appellari, I. *Aſſuerum*, Ezr. 4: 6. II. *Darium*, Ezr. 4: 24. & 6: 1. &c. III. *Artaxerxem*, Ezr. 6: 14. IV. *Darium*, Nehem. 12: 22. Quibus addi poteſt ad confirmationem hujus ſupputationis,

V. *Nehemiam* vixiſſe per totam durationem *Perſicæ* Monarchiæ, cùm vir eſſet primo ejus anno, *Ezr*. 2: 2. & viderit *Darium* ultimum Regem, & extrema etiam, ut videtur, ejus tempora, *Nehem*. 12: 22. Imò *Ezras* qui natus erat ante Monarchiam *Babylonicam*, vel primo ſaltem ejus anno, vitam produxit ferè ad finem *Perſicæ*: unde facile eſt colligere quantoperè à vero calculo aberraverint Hiſtoriæ Ethnicæ, quæ in *Perſico* Regno quatuordecim ſucceſſivè Reges enumerant, & ducentos ei durationis annos tribuunt.

Primò anno *Cyri* captivi reduces ædificarunt tantùm Altare, & per ſeptem menſes in eo victimas obtulerunt, cùm nondum haberent Templum; ſed ſecundo menſe anni ſecundi jecerunt fundamenta Domûs, *Ezr*. 3: 8. &c. cujus operis progreſſus ſtatim impeditus fuit à Samaritanis per totum *Cyri* tempus, *Ezr*. 4: 5. ſed non penitùs prævaluerunt.

Hujus anno tertio ad Regnum pervenit *Artaxerxes*, qui vocabatur etiam *Aſſuerus*, Ezr. 4: 6, 7. cui perſuaſerunt mali homines prohibere Templi exſtructionem, quæ toto ejus tempore omiſſa eſt, *Dan*. 10: 1, 2, 3. *Ezr*. 4: 23, 24.

Huic ſucceſſit *Darius* dictus etiam *Artaxerxes*, Ezr. 6: 1. & 7: 1. & ſeqq. Secundo Regni ipſius anno ædificium iterùm inchoatum eſt, & quadriennio poſt abſolutum. Itaque Templum devaſtatum remanſit per ſeptuaginta annos, à 19. *Nebucadnezaris*, quo incenſum fuit, ad ſecundum *Darii*, quo cœpit continuò ædificari, donec abſolutum eſſet, *Zachar*. 1: 12. & 4: 3, 5.

Septimo anno hujus *Darii* poſt abſolutum Templum, *Ezras* aſcendit, *Cap*. 7: 8. & tredecim poſteà annis, nempè vigeſimo hujus *Darii*, (dicti etiam *Artaxerxis*) *Nehemias* ſimiliter *Hieroſolymam* aſcendit, *Nehem*. 2: 11. & uterque operam dederunt mœnibus inſtaurandis, Temploque, Civitati ac populo diſponendis, ac in ſtatum meliorem adducendis, ut fusè apparet ex ipſorum Libris.

Trigeſimo ſecundo ejuſdem *Darii* anno, *Nehemias* abſolutis quæ agenda ipſi fuerant circa ædificationem, ornatum & diſpoſitionem Civitatis, Templi & populi, ad Regem rediit, *Nehem*. 13: 6. Atque hîc deſinit prima particula ſeptuaginta Hebdomadum *Danielis*, nempè ſeptem hebdomades in quibus plateæ & mœnia exſtruenda erant, idque in difficillimis temporibus, *Dan*. 9: 25. Per ſeptem hebdomades intelligit ſepties ſeptem annos, hoc eſt, 49. quorum finis in hæc tempora incidit; nempè tres *Cyri*, quatuordecim *Aſſueri*, & triginta duos *Darii*.

Poſt *Darium* regnavit *Artaxerxes*, vulgò notus in Ethnicis Hiſtoriis nomine *Xerxis*, qui *Græciam* cum ingenti exercitu invaſit. Hic fuit fautor Judæorum, ſaltem aliquandiu, ut apparet ex loco *Ezr*. 6: 14. ubi hic *Artaxerxes* confertur *Cyro* & *Dario* in favore quo Templum proſequutus eſt. Verum quidem eſt opus abſolutum fuiſſe tempore *Darii*, ad ipſum Templi ædificium quod attinet; ſed erant circa illud ædificia quæ aut exſtruenda erant, aut augenda. Huic operi non minùs ac deceſſores ſui favit *Xerxes*.

Attamen infortunium contigit Templo ſub hujus Regis Imperio, quod ſi ejus animum non alieniorem reddidit, ſaltem favorem in Templum minuit apud præcipuum Præfectum Regium in hiſce oris, qui *Bagoſes* vocabatur. Occaſio infortunii hæc fuit. *Jochanan* qui tùm erat Pontifex Maximus, acceptâ aliquâ injuriâ à fratre *Jeſu*, in eum irruit interfecitque in ipſo Templo. *Bagoſes* favebat huic *Jeſu*, & in animo habebat eum ad Summum Pontificatum evehere. Videtur *Jochanan* id reſciviſſe, atque invidiâ commotus rem cæde fratris antevertiſſe. Sed quæcunque fuerit cædis illius cauſa, indè factum eſt ut *Bagoſes* vi Templum oppreſſerit, quod alioqui non feciſſet, & mulctam impoſuerit populo, nempè quadraginta Drachmas in unumquemque agnum immolandum. *Ezras* & *Nehemias* tùm adhuc in vivis erant, & facile eſt conceptu quantoperè impio hoc facinore offenſa fuerit eorum pietas.

Joſeph. Antiq. lib. 11. cap. 7.

Qui

Qui proximè ſucceſſit *Artaxerxi*, & quem Scriptura memorat, fuit *Darius*, *Nehem.* 12: 22. cum quo ſub victricibus *Alexandri* armis cecidit Imperium *Perſicum*. Hoc tempore ex occaſione aliûs fratris Summi Pontificis, non exigua Templo & Genti orta ſunt infortunia. *Manaſſeh* unus ex filiis *Jojadæ* filii *Eljashib* Summi Pontificis, uxorem duxerat *Nicaſſonem* filiam *Sanballati*, propter quod conjugium remotus ab Altari & Sacerdotio, confugit *Samariam* ad ſocerum ſuum. Hi à *Dario* obtinuerunt mandatum, quod etiam ab *Alexandro Magno* confirmatum eſt, ædificandi Templum in Monte *Gerizim*, Joann. 4: 20. quod cùm in contumeliam Templi *Hieroſolymitani* exſtructum eſſet, non parùm ei nocuit: neque enim defectionem tantùm ac factionem creavit in Gente, ſed aſylum etiam fuit in quod confugiebant omnes nebulones qui Judaicas Leges contemnebant.

Ibid. cap. 8. *Nehem. cap.* 13: 28.

In hoc *Dario* finem habuit Monarchia *Perſica*, quæ ſtetit hiſce Regibus ſibi invicem ſuccedentibus; ſed an alii plures fuerint, & quot exactè annis regnaverint, non facile eſt definitu. Quæ evenerint Templo, illis imperantibus, præter eventus memoratos, docebunt in ſuis Libris *Nehemias*, *Ezras*, *Aggæus*, *Zacharias* & *Malachias*.

SECTIO II. *Quæ Templo contigerint regnante Alexandro.*

Joſeph. Antiq. ubi ſuprà.

Alexander Magnus, qui *Dario* victo *Perſicum* evertit Imperium, ipſe *Hieroſolymam* & Templum inviſit, inſtar leonis ad eam profectus, ſed agno ſimilis reverſus. Iratus erat *Jadduæ* Summo Pontifici, *Nehem.* 12: 22. quia ipſi auxilium negaverat dum *Tyrum* obſideret; nam *Jaddua Dario* fidem ſuam obſtrinxerat. Itaque *Alexander* ultima *Hieroſolymæ* minatus, furens ad eam contendebat, donec ad conſpectum Urbis venit. Ibi ipſi occurrit *Jaddua* Pontificalibus veſtibus indutus cum reliquis Sacerdotibus ſacris veſtimentis ornatis, & populo in candidis tunicis. Cùm propiùs acceſſit *Jaddua*, tantùm abeſt ut vim ei inferre voluerit, ut eum reverenter exceperit, & populum benignè ſalutaverit.

Cùm ejus Duces tantam mutationem mirarentur, dixit ſe dum eſſet in *Macedonia*, in ſomnis virum conſpexiſſe iiſdem veſtibus indutum ac Summus Sacerdos erat, qui ipſum hortatus eſt ad invadendum Imperium *Perſicum*, pollicitus ſe ducem futurum ipſius exercitui, atque victorem eum redditurum. Ita cum illis in Urbem ingreſſus in Templo obtulit, & vidit *Danielis* vaticinium de ſe, conceſſiſque variis privilegiis Judæis, diſceſſit.

Quidam Judæi exiſtimant eodem ipſo anno quo *Alexander Hieroſolymam* venit, *Ezram*, *Haggæum*, *Zachariam* & *Malachiam* fato functos eſſe. Quod ſi ſequamur, Ethnicorum Scriptorum ſupputatio prorsùs eſt inepta, quippè quæ nimiùm producit *Perſicæ* Monarchiæ durationem: ſed ſi ſequamur ſupputationem Scripturæ, multò minùs improbabilis evadit, ut oſtendi poſſet, ſi hîc Chronologiam iſtam tradere vellemus. Si quæratur quomodò poſſit fieri ut omnes Hiſtoriæ Ethnicæ quæ agunt de ſucceſſione Regum *Perſarum*, tradant duplò aut triplò majorem numerum Regum quàm reverà fuit; ex tribus hiſce ſimul junctis, aut ſigillatim conſideratis, potuiſſe naſci eam hallucinationem contendimus.

Vide *Juchaſin*, fol. 15.

I. Quia unuſquiſque Regum *Perſarum* duplicem, imò quidam etiam triplicem habuerunt appellationem; quæ nominum multiplicitas incautum Hiſtoricum ad plures enumerandas perſonas inducere potuit.

II. *Perſicum* Imperium duplex fuit, *Medicum* & *Perſicum*, quæ deſignantur duobus brachiis & humeris apud *Dan.* 2. & poſteà Reges *Perſidis* & Præfecti *Mediæ* potuerunt ſumi pro duobus *Perſarum* Regibus.

III. Mos erat Regum *Perſarum*, cùm expeditionem aliquam ſuſcipiebant, creare domi Regem, qui iis abſentibus Regnum adminiſtraret; unde potuit augeri numerus Regum, & ipſa duratio Imperii. Morem hunc *Perſarum* nós docet *Herodotus*. Δεῖ μιν ἀποδείξαντα βασιλῆα κατὰ τὸν Περσέων νόμον οὕτω στρατεύεσθαι. *Oportet eum* (Regem) *nominato Rege juxta Perſarum legem ad bellum proficiſci.* Hinc fit ut tertius *Cyri* annus dicatur primus *Artaxerxis*, licèt *Cyrus* viveret, quia ad externa bella profectus Regem eum domi reliquit.

Herod. Polyhymn. vel lib. 7.

Alexandri in medio ætatis flore, mediiſque victoriis fato functi, ampliſſimum Imperium tam citò ferro partum, æquè ſubitò diviſum eſt, & quidem gladio, inter præcipuos ejus Duces quatuor, juxta Prophetiam *Danelis* 8: 8. & 11: 4. Duo ex illis fuere *Seleucus Nicanor*, qui *Syriam* obtinuit; & *Ptolemæus Lagus*, qui *Ægyptum* invaſit, quorum familiæ (*Domus Septentrionis* & *Domus Auſtri*, Dan. 11.) ut

Digitized by Google

ut ſemper inter ſe diſſenſerunt, ita etiam peſſimos vicinos ſe Judæis præſtiterunt, & ſub earum Imperio populus & Templum variam experta ſunt fortunam, ſed plerùmque pejorem. Hæc autem eſt harum regionum Regum ſeries.

Vide *Euſeb.* in *Chron.* *Strab.* *Geogr.* lib. 17.

REGES SYRIÆ.		REGES ÆGYPTI.	
I. *Seleucus Nicanor*, ann.	32.	I. *Ptolemeus Lagus*, ann.	40.
II. *Antiochus Soter*,	19.	II. *Ptolem. Philadelphus*,	18.
III. *Antiochus Theos*,	15.	III. *Ptolem. Euergetes*,	26.
IV. *Seleucus Callinicus*,	20.	IV. *Ptolem. Philopator*,	17.
V. *Seleucus Ceraunos*,	3.	V. *Ptolem. Epiphanes*,	24.
VI. *Antiochus Magnus*,	31.	VI. *Ptolem. Philometor*,	36.
VII. *Seleucus Philopator*,	12.	VII. *Ptolem. Euergetes*,	29.
VIII. *Antiochus Epiphanes*,	11.	VIII. *Ptolem. Phyſcon*,	17.
IX. *Antiochus Eupator*,	2.	IX. *Ptolem. Alexander*,	10.
X. *Demetrius Soter*,	22	X. *Ptolem. Lathyrus*,	8.
XI. *Alexander*,	11.	XI. *Ptolem. Dionyſius*,	30.
XII. *Demetrius*,	3.	XII. *Cleopatra*,	22.
XIII. *Antiochus Sedetes*,	9.		
XIV. *Demetrius* iterùm,	4.		
XV. *Antiochus Grippus*,	12.		
XVI. *Antiochus Cyzicenus*,	18.		
XVII. *Philippus*,	2.		

SECTIO III. *Brevis deſcriptio ſtatûs Templi tempore horum Regum.*

Si ſcriberemus hiſtoriam Urbis & Populi, quemadmodum Templi, hîc nobis latiſſimus ſe aperiret campus; nam hiſtoria *Hieroſolymæ* & *Judææ* eſt mirum in modum immiſta hiſtoriæ horum Regum: ſed quoniam nos intra ambitum Templi incluſimus, breviores erimus, quia peculiares relationes quas de Templo habemus paucæ ſunt & exiguæ præ univerſa Civitatis & Gentis hiſtoria.

Joſeph. Antiq. lib. 12. cap. 3. *Seleucus Nicanor*, vel, ut à quibuſdam vocatur, *Nicator*, primus horum *Syriæ* Regum magnus fuit Judaicæ Gentis fautor; eis enim jus civitatis omnium *Syriæ* urbium conceſſit, imò etiam ipſius *Antiochiæ* Metropolis, & donaria Templo dedit magnificentiſſima.

Id. in 2. *lib. Macc.* Cap. 3. *2 Macc.* 3: 3. Sed *Ptolemæus Lagus Ægypti* Rex ejus coævus æquè infenſus erat Judæorum Genti, ac *Seleucus* ei favebat. Cùm haberet exercitum in regione, malignè uſus eſt quiete quam die Sabbati obſervabant Judæi, & ſimulans ſe velle ingredi in Urbem ad ſacra facienda, eam occupavit, & ut videtur, Templum profanè ingreſſus eſt, ac denique multa captivorum millia ſecum abduxit.

Ariſteas & *Joſ.* ubi antè. Ejus filius ac ſucceſſor *Ptolemæus Philadelphus* æquè favit Judæis ac ipſe infenſus fuerat. Accerſivit LXX. Seniores ad vertenda Biblia, & maxima donaria ad Templum miſit, de quibus anteà jam ſeſe obtulit occaſio dicendi.

Tempore *Ptolemæi Euergetæ* ſucceſſoris *Philadelphi*, cupiditas *Oniæ* Summi Pontificis iram Regis Judæis concivit, quæ Urbi & populo calamitatem aliquam creaſſet; ſed eum ſapienter placavit *Joſephus Onias* ſororis ejus filius.

Ab eo tempore quo *Ptolemæus Lagus* adeò turpiter *Hieroſolymam* occupaverat, Regibus *Ægypti* ſubdita fuit, donec *Antiochus Magnus* eam liberavit, vel potiùs ei *Syrorum* jugum impoſuit. Seu fuerit benevolentiâ ac pietate, ſeu potiùs aſtu politico ut ſibi conciliaret Judæorum animos, in magnis bellis quos geſſit, præſertim cum Romanis, multa beneficia in populum contulit, & liberalibus donis Templum ornavit, privilegiiſque munivit, præſertim eo Edicto quo interdixit *ne peregrinus ullus intra ſpatium Templi prohibitum ingrederetur:* unde poſſunt primùm natæ eſſe Inſcriptiones inſculptæ columnis ad ingreſſum τῦ *Chel*, de quibus loquuti ſumus. *Ne quis peregrinus huc ingreditor; qui ſecùs faxit, capite plectitor.* *Appian.* in *Syriacis.*

Ei ſucceſſit *Antiochus Epiphanes*, (niſi quòd *Seleucus Philopator* Regnum inter eos duodecim annis obtinuit, quem monſtrum an hominem vocare debeam, neſcio. De hoc ejuſque impiis actionibus extant vaticinia apud *Daniel.* 7: 21, 25. & 8: 10, 11, 12, 24, 25. & 11: 28. & ſeqq. 12: 1. & ſeqq. & *Ezech.* 38. & 39. Cœpit regnare juxta ſupputationem Libri *Maccabæorum*

 anno

Digitized by Google

anno 137. Regni *Seleucianæ* Familiæ, 1. *Macc.* 1: 10. anno verò 143. juxta ſupputationem tum hujus Libri, tum *Joſephi*, aſcendit *Hieroſolymam*, invitatus à factione *Oniæ*, ſeu *Menelai* Summi Pontificis, cujus auxilio Urbem occupavit, & multos ex contrariis partibus trucidavit, onuſtuſque vaſibus ſacris ac ingentibus ſpoliis *Antiochiam* rediit. Hoc fuit initium bis mille & trecentorum dierum quorum meminit *Daniel*, 8: 13, 14. ſeu dierum deſolationis quibus Sanctuarium conculcatum eſt. Biennio pòſt, adjectis aliquot menſibus, nempè 145. anno, rediit, & pacem prætexens *Hieroſolymam* ingreſſus, eam expilavit, Templum ſpoliavit, combuſſit & evertit ædificia Urbis, mœnia ſolo æquavit, aliquot interfecit ex iis qui ipſum vocaverant, multa millia captivorum cepit, Temploque & Urbi *Syriacum* præſidium impoſuit. Hoc fuit initium 1290. dierum quorum meminit *Daniel*, 12: 11. *Temporis quo quotidianum ſacrificium ſublatum fuit, & abominatio deſolationis erecta:* quod ſpatium vocatur *tempus, tempora*, & *dimidia pars temporis*, complexumque eſt triennium & dimidium annum, & duodecim aut tredecim dies.

Joſeph. Antiquit. lib. 12. cap. 6. 1 *Macc.* 1: 21. &c.

Dici non poſſunt calamitates quas Tyrannus hic Templo, Genti & Religioni creavit; quomodò vetuerit infantes circumcidi, cultum divinum aboleverit, combuſſerit Libros Legis, perſecutus fuerit veritatem, occiderit eam profitentes, pollueritque Sanctuarium omni abominationum genere, ita ut Spiritus Sanctus difficillimis hiſce temporibus hunc characterem addiderit, *Et veniet tempus quale non fuit ex quo Gentes eſſe cœperunt uſque ad tempus illud*, Dan 12: 1. Atque hîc cœpit hiſtoria & gloria *Mattathiæ Maccabaicæ* Gentis Principis, qui ſeſe hiſce contumeliis ac ſceleribus oppoſuit; ſed obiit anno ſequente, nempè 146. Regni *Seleucidarum*.

1 *Macc.* 2: 70.

Judas Maccabæus zelo ejus & Imperio ſucceſſit, & tot victorias retulit de Ducibus à Tyranno conſtitutis, *Apollonio*, *Gorgia* & *Lyſia*, ut anno 148. ipſe cum populo Templum purificaverit, novum Altare erexerit, cultum divinum inſtauraverit, & feſtum Dedicationis octo diebus celebraverit atque anniverſarium conſtituerit. *Atque inde ad hæc noſtra tempora*, ait *Joſephus*, *celebramus id feſtum, & vocamus id* φῶτα, *lucem, indè, uti opinor, quia hæc liberatio nobis inexpectata illuxit.* Hoc feſtum honeſtatum præſentiâ *Chriſti* refert *Joannes*, *Joann.* 10: 23. Quâ verò ratione celebraretur hæc ſolemnitas, præſertim accenſione multarum lampadum, alibi deſcripſimus.

Joſephus & Liber *Maccabæorum* triennium integrum interponunt inter pollutionem Altaris ab *Antiocho* factam, ejuſque inſtaurationem. Alter tantùm dicit pollutionem incepiſſe quindecimâ die menſis *Ciſleu*, 145. anno Regni *Seleucidarum*; alter verò vigeſimâ quintâ die ejuſdem menſis & anni. Sed uterque conſentit in alliganda purgationi Altaris 25. die ejuſdem menſis anni 148. unde diſcimus quæ diſtinctio facienda ſit in loco memorato *Danielis*, Cap. 12: 11. nempè tempus quo nullum fuit quotidianum ſacrificium fuiſſe 1290. dierum, ſeu trium annorum & dimidii, adjectis pauculis diebus; ſed tempus quo abominatio deſolationis erecta fuit, hoc eſt, Idolum in Templo poſitum, & Idoli Altare ſuper Altari Domini, fuiſſe tantùm trium annorum. *Antiochus* obiit in *Perſide* quadraginta quinque diebus poſt reſtaurationem Templi, ut *Dan.* 12: 12. ſignificari videtur, cùm dicitur is beatus fuiſſe qui venit 1335. die; tùm enim potuiſſe eum videre Tyranni mortem. Ejus filius *Antiochus Eupator* qui ei ſucceſſit, vocatus fuit à Judæis quibuſdam Apoſtatis ut opprimeret *Judam Maccabæum*, qui tùm obſidebat *Syriacum* præſidium quod *Hieroſolymam* tenebat. Venit cum magno exercitu, *Judamque* vi in Templum compulit, ubi eum obſidione cinxit. Sed penuriâ annonæ vexabatur, & cùm accepiſſet motus excitari in Regno ſuo, oblatis obſeſſis conditionibus honorificis, eos ad deditionem adegit. Sed cùm arcem illam ingreſſus eſſet, conſpectis ejus munimentis, timuit ne ad turbas iterùm excitandas inſerviret, infractiſque legibus ac jurejurando, ſolo æquavit murum qui ſacrum ſolum circumdabat. Ita infelix *Judas* & Templum in pejore ſtatu quàm anteà fuerunt: nam præſidium Urbi ab *Antiocho Epiphane* impoſitum, quod eos qualibet datâ occaſione vexabat, non modò abductum non fuit, ſed Templum munimentis denudatum inſultibus ejus obnoxium factum eſt.

1 *Macc.* 1: 54. *Joſeph.* ubi ſuprà.

Hic *Antiochus Menelaum* Summum Sacerdotem occidit, juſtâque mercede propter vocatum *Antiochum Epiphanem* patrem donavit, ac in ejus locum ſubſtituit *Alcimum*, qui nullâ ratione pertinebat ad Summorum Pontificum ſtirpem. Hinc factum ut *Onias*, qui proximè quidem Summo Sacerdotio ſuccedere debebat, in *Ægyptum* fugerit,

atque

Digitized by Google

atque ibi beneficio *Ptolemai Philometoris* conſtruxerit Templum *Hieroſolymitano* ſimile. Ita hæc habuit duas Ædes æmulas, *Garizitanam Samariæ* ad Septentrionem, *Ægyptiam* verò ad Auſtrum. Templi hujus ab *Onia* in *Ægypto* ædificati frequens mentio occurrit apud Scriptores Thalmudicos. Loquuntur in Tractatu *Succah* de Magna Synagoga vel *Synhedrio* hîc temporibus *Alexandri Magni* conſtituto, in quo ajunt fuiſſe ſeptuaginta Sellas aureas, & Congregationem ad id pertinentem, quæ duplò major erat numero *Iſraëlitarum* qui exierunt ex *Ægypto*. Addunt Alexandrum eos internecione deleviſſe, & adduxiſſe in eos maledictiones quas pronunciaverat *Jeremias* adverſus eos qui in *Ægyptum* deſcendebant, *Jerem.* 44. & maledictionem iis Lege intentatam qui violaturi eſſent hoc præceptum: *Vos eò* (in *Ægyptum*) *ampliùs non redibitis.*

Succah, Per. 5.

Attamen *Onias* auſus eſt ibi Templum ædificare, idque eò audaciùs, quòd diceret ſe obſequi huic vaticinio *Iſaj.* 19: 19. *Erit Altare Domino in terra Ægypti*, &c. in quem locum hoc habet Scholium *R. Solomon: Legimus in Seder Olam, poſt Sennacheribi cædem, Ezechiam ſurrexiſſe, & dimiſiſſe omnem multitudinem quam ſecum adduxerat ex Ægypto & Cus, & illos ſuſcepiſſe Regnum cœlorum, & rediiſſe in ſuum locum; ut dicitur,* Illâ die erunt quinque Civitates in terra *Ægypti*, &c. *Iverunt & erexerunt Altare Domino in terra Ægypti, & oblationes Domino obtulerunt ad implendum quod dictum erat,* Illâ die erit Altare Domino in terra *Ægypti*, &c. *Sed quidam ex noſtris Doctoribus in Tractatu Menachoth, id intelligunt de Altari Oniæ filii Simeonis Juſti, qui fugit in Ægyptum & conſtruxit ibi Altare.*

Joſeph. Antiq. lib. 13. cap. 6. *Juchaſin*, fol. 14. *R. Solom.* in *Iſaj.* 19.

Ultimo capite Tractatûs *Menachoth*, quem Rabbinus noſter citat, *Thalmudici* quædam habent effata de Templo hoc *Oniæ*, atque hæc inter alia: *Aliquis dicit, Ecce ſuſcipio offerre holocautoma, hunc oportet offerre in Sanctuario, & ſi offerat in Templo Oniæ, non eſt ſolutus. Si dicit, Suſcipio offerre in Templo Oniæ, debet offerre in Sanctuario; ſed ſi obtulerit in Templo Oniæ, ſolutus eſt. Si dicat, Suſcipio eſſe Nazaræus, debet radere caput ſuum in Sanctuario; & ſi raſerit in Templo Oniæ, ſolutus non eſt. Sed ſi dicat, Volo radi in Templo Oniæ, radatur in Sanctuario; attamen ſi radatur in Templo Oniæ, ſolutus eſt. Sacerdotes qui miniſtrant in Templo Oniæ, non miniſtrabunt Hieroſolymæ in Sanctuario.* Hinc apparet ſacrificia oblata, alioſque ritus celebratos in Templo hoc *Ægyptio*, non minùs ac in Templo *Hieroſolymitano*. *Stetit in ſumma gloria per ducentos annos juxta ſententiam Rambam. Sed videtur* (ſunt verba Auctoris) *ſtetiſſe toto tempore Sanctuarii: nam Joſhuah filius Perahiah eò confugit, & ita tempore Hillelis: & obſequuti ſunt Sapientibus Hieroſolymitanis, & obtulerunt oblationes, & ita adduxerunt ſponſalia uxorum ſuorum ſcripta ad Hillelem,* (*ajebant enim eos eſſe ſpurios*) *& probavit ea: & ibi erat magna Congregatio duplo major numero iis qui ex Ægypto exierunt, etiam poſt everſionem ſecundi Templi, cùm Adrianus Imperator aſcendit contra eos, & omnes interfecit tempore cladis Bitterianæ*, &c. De numeroſiſſima hac Judæorum colonia judicato cùm legeris *Matth.* 2: 13, 14.

Menachoth, Per. 13. — *Juchaſin*, ubi ſuprà.

Verùm ab hoc *Ægyptio* Templo redeamus ad *Hieroſolymitanum*, de quo agendum nobis eſt. *Alcimus* Summus Sacerdos, cujus illegitima electio *Oniam* permovit ad id faciendum quod fecit, cùm *Antiochianæ* Familiæ cliens eſſet, ſe ei obſequentem omni ratione præſtitit, etiam cum pernicie Religionis & populi inter quem erat Pontifex Maximus. Adjuvit *Demetrium*, qui tamen ipſius fautorem *Antiochum* trucidaverat, in invadenda *Judæa*, & tentavit evertere murum interioris Atrii Sanctuarii, ſed ſubitò cœleſti plagâ percuſſus obiit.

1 *Macc.* 9. *Joſeph. Antiq.* lib. 12. cap. 17.

Nicanor Præfectus *Demetrii* coegit *Judam Maccabæum* committere ſeipſum præſidio *Hieroſolymitano*. Cùm aſcendiſſet *Hieroſolymam*, in Templum honorificè exceptus à Sacerdotibus, qui ipſi blandiebantur, oſtendendo victimas quas dicebant ſe offerre pro Domino ejus Rege, loco excidium minatus eſt, niſi *Judas* ipſi traderetur: ſed haud multò poſt hic minabundus jactator victus & interfectus eſt.

Jonathan frater & ſucceſſor *Judæ Maccabæi* adeò expertus eſt favorem *Alexandri* ſucceſſoris *Demetrii*, & *Demetrii* iterùm ſucceſſoris *Alexandri*, & *Antiochi* qui ipſi ſucceſſit, ut quamvis aliquando inter eos turbæ excitarentur, attamen Templum, quod theatrum eſt cujus ambitu nos incluſimus, toto hujus tempore non multùm paſſus fuerit. Pari tranquillitate fruebatur tempore *Simonis* fratris & ſucceſſoris, imò etiam primo anno obtinuit populi privilegia ac jura, *Antiochianum* præſidium muris quibus ſe tutabatur deſtituit, locum purificavit, eam diem in anniverſarium feſtum conſtituit, & regioni plenam pacem ac proſperitatem reſtituit.

Hyrcanus filius & ſucceſſor *Simonis* arctâ obſidione *Hieroſolymæ* ab *Antiocho* cinctus, petiit inducias ad celebrandum feſtum Tabernaculorum, quas non modò obtinuit, ſed

Digitized by Google

ſed etiam eximias ab *Antiocho* victimas; quæ *Antiochi* generoſitas effecit ut *Hyrcanus* pacem quæſiverit, unde obſidio ſoluta eſt. Dicitur audiviſſe vocem in Templo dum offerret Thymiama, quæ ei retulit victoriam ejus filiorum qui tùm prœlium conſerebant cum *Antiocho Cyziceno*; quod egreſſus populo nuntiavit. *Joſephus* non veretur eum vocare Regem, Sacerdotem & Prophetam: aut ſaltem haud multò minùs dicit, cùm ait *Deum dignatum eum eſſe tribus maximis honoribus, gubernandi Gentem, Summi Sacerdotii, & Prophetiæ.* Hic *Syrorum* jugum excuſſit.

Id. ibid. lib. 13. cap. 18.

Alexander ejus filius ingentibus contumeliis à propria Gente affectus eſt, tantoperè à Judæis contemptus, ut feſto Tabernaculorum in eum citrea ſua mala conjecerint; quo factum eſt ut ſex eorum millia interfecerit, & patriam per ſexennium bellis civilibus turbaverit. Statuit neminem in Atrium Sacerdotum, niſi Sacerdotem, ingreſſurum, ne turbæ à populo excitarentur.

Ariſtobulus & *Hyrcanus* filii hujus *Alexandri* litigati ſunt de adminiſtratione Reipublicæ, atque exteros ad auxilium vocarunt; ut primùm *Aretam* Regem *Arabiæ*, qui *Ariſtobulum* in Templo obſedit; deinde *Pompejum*, qui Urbem & Templum expugnavit, Gentem *Romano* jugo ſubdidit, quod nunquam excutere potuere *Judæi*, qui & à *Romanis* Templum & Urbem incendi viderunt.

Sectio IV. *Status Templi ſub Romanis.*

Quæ paſſum eſt Templum à *Romanis*, ſtatim ac ſubegerunt *Judæam*, omina fuerunt calamitatum quas poſteà ipſi crearunt. Cum *Pompejus Hieroſolymam* veniſſet, & occluſæ ei fuiſſent Portæ, ſtatim eam obſidione cinxit. *Sed ad eam capiendam*, ait *Dion Caſſius*, *magno labore opus non fuit; admiſſus enim eſt à factione Hyrcani. Sed Templum quod invaſerat factio Ariſtobuli non ſine aliquo labore expugnatum eſt. Situm erat in alto colle, & proprio muro munitum. Nec, ſi qui id defendebant, quotidiè id pariter ſervaſſent, captum fuiſſet: ſed cùm in munimentis non ſtarent ſeptimâ die quâ non laborant, Romani occaſionem opportunam habuerunt oppugnandi muri. Et cùm obſervaſſent hanc conſuetudinem obſeſſorum, non multùm operis per totam hebdomadem fecerunt, donec iterùm ſeptima dies rediret, quâ iterùm eum oppugnarunt, atque ita tandem non reſiſtentes Judæos oppreſſerunt ac ſubdiderunt.* Magna cædes facta eſt ab irruentibus *Romanis*, cùm duodecim millia *Judæorum* interfecta ſint juxta ſupputationem *Joſephi*; & tamen in media illa cæde Sacerdotes, ut idem refert, æquè tranquillè ad Altare miniſtrari acceſſerunt, ac ſi nihil tale contigiſſet, donec gladius ad ipſos perveniret. *Pompejus* victor cum multis aliis ingreſſus eſt Templum uſque ad Sanctiſſimum Locum, viditque omnem ejus ſplendorem & divitias; nec minùs vetuit ne vis ulla loco inferretur, juſſitque purgari, & cultum divinum denuò inſtaurari.

Dion Caſſ. lib. 36.

Joſeph. Antiq. lib. 14. cap. 8.

Verùm ea quibus pepercerat *Pompejus*, *Craſſus* haud multò pòſt abſtulit, ſpoliato ingentibus divitiis Templo, cùm ad *Parthicam* expeditionem iret. *Parthicum* bellum aggreſſus erat, ut ait *Dion*, cupiditate potiùs quàm ulla legitima de cauſa; atque eum expertus eſt eventum, qui talibus initiis dignus fuit.

Id. ibid. cap. 12.

Initio Regni *Herodis*, quod non multò pòſt cœpit, Urbs & Templum iterùm obſeſſa, & capta fuere ab eo & *Soſio*, & Templum ſpoliationis periculum ſubiit; quod quantum potuit impediit *Herodes*. Denique *Antigonus*, *Ariſtobuli* filius, *Aſmonæorum* ultimus, interfectus eſt ab *Antonio*.

Herodes anno Regni ſui 18. cœpit inſtaurare Templum ab imis fundamentis, & dimenſiones ejus auxit, formamque ac ſtructuram addidit quam hactenùs deſcripſimus.

Novem aut decem annis circiter poſtquàm abſolutum fuit, *Dominus* venit ad Templum ſuum, imò Angelus Fœderis quem tot votis expetebant, *Mal.* 3: 1. oblatus ibi à matre quadraginta dies natus, à *Simeone* & *Anna* agnitus eſt. Duodecim pòſt annis iterùm in Templo inter Doctores unius ex *Synhedriis*, vel in uno ex eorum Conſiſtoriis, aut ἐν τῷ *Midrash*, ſedit, & admirandam præbuit divinam ſuam ſapientiam. Non opus eſt à nobis memorari quæ reſpectu *Chriſti* & Apoſtolorum Templo contigerint, ut quomodò tentandus *Chriſtus* à Diabolo in pinnaculum fuerit delatus, quomodò primo ſuo & ultimo Paſchate flagris mercatores expulerit, quomodò conſtanter id frequentaverit quoties fuit *Hieroſolymæ*; prædictionem excidii quam è regione ejus in Monte *Oliveti* pronuntiavit paulò ante mortem; Apoſtolorum concurſum in eum locum divini cultûs cauſâ, opportunitatem prædicandi in hominum frequentia Euangelii, curationem claudi, & multorum millium converſionem; Pauli conjectionem in carcerem, quòd perperam crederetur adductis Genti-

Gentilibus polluiſſe Templum, aliaſque circumſtantias, quas cum fusè narraverint Euangeliſtæ, ſupervacaneus eſſet labor enumerare lectoribus, eas indè, ſi modò velint, petituris.

Cætera quorum non meminit Scriptura, ſed *Joſephus* & alii, ut Sacri Theſauri exhauſtio à *Pilato* ad conſtruendum Aquæductum, *Petronii* conatus ad illuc inferendam *Caligulæ* imaginem, tumultus creati *Romanorum* militum irreverentiâ, *Agrippæ* ſacrificia & anathemata, *Vitellii* benevolentia erga Templum & populum, contumelia loco illata à *Samaritanis*, turbæ à ſeditioſis excitatæ, cædes *Zachariæ* in eo perpetrata, denique incendium à *Romanis* immiſſum, ultimumque Urbis excidium, ampliorem requirerent diſſertationem, quàm quæ uno Capite & Paragrapho poſſit contineri. Poterunt fortaſſe alio Opere plenè tractari, ideòque ea tantùm hîc indicanda breviter cenſuimus.

Finis Deſcriptionis Templi Hieroſolymitani.

INDEX

Capitum & Sectionum Tractatûs de Templo Hieroſolymitano.

CAPUT I. *De ſitu Montis Moriah:* הר הבית. Pag. 553
CAP. II. *Menſura ſoli Montis Templi.* Ἀνωτάτω χθαμαλόν. 554
CAP. III. *Orientalis Porta Montis Domûs,* שושן *Shushan Porta. Proſpectus Montis Oliveti, & partis Urbis è regione ejus ſitæ.* 555
CAP. IV. *De duabus Meridionalibus Portis:* שערי חולדה, *Portis Huldah.* 557
CAP. V. *De Occidentalibus Portis Shallecheth vel Coponii, Parbar, Aſuppim.* 558
SECT. I. *Porta Shallecheth vel Coponii.* ibid.
SECT. II. *Porta Parbar,* 1 Paral. 26: 18. 559
SECT. III. *Duæ Portæ, & Domus Aſuppim.* 560
CAP. VI. *Porta Septentrionalis* טדי *Thedi* vel *Tadde.* 562
CAP. VII. *Turris ANTONIA,* Βάρις. 563
CAP. VIII. *Septa quæ in interiore hujus muri parte erant.* סטיו. ibid.
CAP. IX. *Tabernæ. Magni Synhedrii ſedes haud remota.* 565
CAP. X. *Dimenſiones & forma Templi Solomonis, ejuſque quod à reducibus ex Captivitate exſtructum eſt.* 567
CAP. XI. *Dimenſiones &* ἰχνογραφία *Templi, quale erat Servatoris noſtri tempore.* 570
CAP. XII. *Latitudo, Conclavia, & Gradus Templi.* 573
CAP. XIII. *PORTICUS.*
SECT. I. *Gradus ad Porticum.* 576.
SECT. II. *Duæ Columnæ JACHIN & BOAZ.* 577
SECT. III. *Conclavia in quæ recondebantur mactationis inſtrumenta,* בית החליפות. 580
SECT. IV. *Aurea Vitis in Porticu: Aureum Candelabrum: Marmorea atque Aurea Menſa.* 581
CAP. XIV. *Sanctuarium ſeu Sanctus Locus.*
SECT. I. *Janua Templi.* ibid.
SECT. II. *Velum.* 582
SECT. III. *Sanctuarium ipſum.* 583
SECT. IV. *Candelabrum.* 584
SECT. V. *Menſa Panum Propoſitionis.* 585
SECT. VI. *Altare Thymiamatis.* 586
CAP. XV. *Adytum ſeu Sanctiſſimus Locus.*
SECT. I. *Spatium quo Sanctuarium ab Adyto ſeparabatur.* Τάραξις, טרקסין. ibid.

Sect. II. *Velum.* 587
Sect. III. *Adytum ipſum ſeu Locus Sanctiſſimus.* 588
Sect. IV. *Cherubim & Arca.* ibid.
CAP. XVI. *Atria Templi.* 590
CAP. XVII. *Spatium intermurale* חל *Chel.* 591
CAP. XVIII. *Atrium Mulierum.* 592
CAP. XIX. *De Gazophylaciis vel Theſauris.* 597
CAP. XX. *De Porta Nicanoris, vel de Orientali Porta Atrii.* 600
Sect. I. *Miraculum credibile editum in Ænea Porta.* 604
Sect. II. *Conſeſſus Synhedrii in hac Porta.* ibid.
CAP. XXI. *De Portis & Ædificiis quæ erant in muro Atrii ad Orientem & Auſtrum.* 606
CAP. XXII. *Conclave Gazith, Magni Synhedrii ſedes.* 608
Sect. *Præſides Synhedrii à Captivitate ad ejus diſſolutionem.* 610
CAP. XXIII. *Conclave Putei,* לשכת הגולה. 612
CAP. XXIV. *Porta Aquæ* שער המים. *Conclave Abtines,* עליית בית אבטנס. 613
CAP. XXV. *Conclave Ligni,* לשכת עץ, *& Conclave Parhedrin,* לשכת פרהדרין. 615
CAP. XXVI. *Porta Primitiarum, ſeu Primogenitorum.* 616
CAP. XXVII. *Porta* חדלק *Hadlak, vel Accenſionis Ignis.* 618
CAP. XXVIII. *Portæ & Ædificia in muro Atrii in Septentrionali latere.* 619
CAP. XXIX. *Beth Mokadh,* בית המוקד. 621
CAP. XXX. *De Porta Beth Mokadh ſeu Porta Corban. De alia Porta Corban aliter dicta Porta Mulierum.* 622
CAP. XXXI. *Conclavia Salis, Parvah, & Lavacri.* 624
CAP. XXXII. *Porta & Domus Nitſots* ניצוץ. *Conclave lapideorum Vaſorum.* 625
CAP. XXXIII. *Atrium Iſraëlis & Sacerdotum. Pulpita in quibus canebant Levitæ.* 626
CAP. XXXIV. *De Altari Holocautomatum.* 630
CAP. XXXV. *Quæ eſſent in Atrio inter Altare & Septentrionale illius latus, atque inter Altare & Auſtrale latus.* 638
CAP. XXXVI. *Spatium inter Altare & Porticum.* 641
CAP. XXXVII. *De Vaſibus & Utenſilibus Templi.*
Sect. I. *LAVACRUM,* כיור. 643
Sect. II. *Solomonis decem Lavacra,* 1 Reg. 7. 644
Sect. III. *MARE ÆNEUM.* 647
Sect. IV. *Lances, Patinæ, Paropſides,* &c. *Regis Ptolomæi & Reginæ Helenæ Menſæ, ac Tabulæ.* 648
Sect. V. *VESTES SACERDOTUM.* 650
Sect. VI. *OLEUM AD INUNGENDUM.* 651
CAP. XXXVIII. *Symbolum divinæ Gloriæ in Templo,* Ezech. 1. Iſaj. 6. Apocal. 4. &c. *explanatum.* ibid.
CAP. XXXIX. *Tranſlationes & ſtationes Arcæ & Tabernaculi.* 658
CAP. XL. *Status ac fata prioris Templi.* 661
Sect. I. *Status poſterioris Templi ſub Perſica Monarchia.* 662
Sect. II. *Quæ Templo contigerint regnante Alexandro.* 664
Sect. III. *Brevis deſcriptio ſtatûs Templi tempore horum Regum.* 665
Sect. IV. *Status Templi ſub Romanis.* 668

Finis Indicis.

MINISTE-

MINISTERIUM
T E M P L I

Quale erat tempore

NOSTRI SERVATORIS,

Deſcriptum ex

S C R I P T U R A

& Antiquiſſimis

JUDÆORUM MONUMENTIS.

Digitized by Google

L E C T O R I.

CUpiebam & ſperabam hunc Tractatulum ſolum in luminis auras exiturum non eſſe, ſed habiturum comitem, qui conceptus, natus, & auctus unà cum eo fuerat, etiam ad id uſque tempus quo edendus erat: ſed tùm impegit limini, ac præ claudicatione coactus eſt domi remanere. Conſilium mihi fuit cùm ejuſmodi Opus de Templo aggrederer, deſcribere primùm locum Templi, ejuſque σκιαγραφίαν tradere, tum quædam circa Miniſterium dicere. Itaque non ſine magno labore ac ſtudio ex Scriptura & antiquiſſimis Judæorum Monumentis hauſi amplum Tractatum, & in maxima Tabula plenam, integram atque accuratam (ſi ita mihi de Opere meo loqui liceat) Deſcriptionem Templi Hieroſolymitani, quale erat iis temporibus quibus Servator Noſter in humana carne id ingreſſus eſt, pinxi. Deſcripſi ſitum, dimenſiones, ἰχνογραφίαν, architecturam tum introrsùm, tum extrorsùm; Muros, Januas, Atria, Clauſtra, Conclavia & ædificia quæ circa erant poſita; Altare, Lavacra, Stationes, loca ad immolandas victimas, & reliqua huc pertinentia; additâ illuſtratione omnium, vel plerorumque locorum utriuſque Teſtamenti in quibus eò reſpicitur, vel partis alicujus mentio fit. Tam plena eſt ac copioſa ea Deſcriptio omnium partium ſancti illius Soli, ut ſi in lucem erumpere potuiſſet, non dubitaſſem Lectoris judicio & cenſura eam exponere, ut judicium hac de re ejuſque uſu ferret, atque an aliquod hinc percipi beneficium poſſet videret.

Sed ita felix hic Tractatus non fuit, ut optatam lucem videre poſſet, quia Schema Templi ædificiorumque circa poſitorum quæ pinxi in Tabula, & eorumdem deſcriptio quam in ipſo Tractatu verbis peregi, ſibi mutuam lucem fœnerantur, (Tabulâ multùm conferente ad intelligendum Librum, Libro ſpectatorem Tabulæ ad varias ejus partes rectè percipiendas juvante) nec poſſunt ſeorſim edi, ſed ſi quando publici juris fiant, debent ſimul excudi. Ideòque diu expectavi poſtquàm perfeci Librum & Tabulam, imò & multos menſes, priuſquàm permitterem hunc Tractatum prælo ſubjici, donec reperiretur Sculptor qui æri inſculperet Tabulam ut excudi poſſet: qui ſi repertus fuiſſet, uterque Tractatus unà editus fuiſſet uti cupiveram & putaveram futurum. Sed tantùm abeſt ut tam longâ expectatione compos voti fieri potuerim, ut hoc ipſo tempore nulla mihi ſpes ſit repertum iri qui Tabulam æri incidat, nec ullatenùs conjectura aſſequi poſſim quando ei operi manus admoveri poterit. Igitur utrumque hactenùs ſuppreſſi, ut alterum alterius editionem, ſi quando futura eſt, expectet, & videam ſortem eorum quæ nunc emittuntur, & quæ fortè æque benè domi delituiſſent cum reliquis, quàm in publicam lucem audacter jam prodeunt. Atque hoc pendet ex benignitate, vel cenſura Lectoris; nec tamen utar multis verbis ut hujus favorem ambiam, aut illius iram deprecer. Erudita ingenuitas pro comitate habebitur, quamvis ſit ſine adulatione: ſuperba vel indocta moroſitas incommodo eſt, niſi iis qui canum ritu alios allatrare amant, quos licèt etiam imitarer, aliorum acres reſponſiones non effugerem. Dicam tantùm quicquid feci id me feciſſe publici boni cauſâ; labori non peperci; per aſperrimas ac parùm tritas vias inceſſi, nec proindè ſicubi impegerim aut aberraverim mirum debet videri: via ſcatebat difficultatibus, ego humanâ imbecillitate laborabam. Multa autem reliqui hìc non explanata, quæ fortè Lector explanari cupiiſſet, quia credebam, dum huic Operi incumbebam, alterum Tractatum ſimul cum hoc editum iri, in quo quæ hìc deſunt pleniùs deſcribuntur ac ſupplentur.

Londini 30. Maji 1649.

J. L.

MINI-

Digitized by Google

MINISTERII TEMPLI,

ſeu

FUNCTIONUM SACRARUM IN TEMPLO HIEROSOLYMITANO

tempore SERVATORIS noſtri DESCRIPTIO

Ex Scriptura & Antiquiſſimis Judæorum Monumentis.

CAPUT I.

De varia diverſarum Templi partium ſanctitate.

Kelim, Per. 1. *Maym.* in *Beth Habbechirah*, Per. 1.

GRadus ſanctitatis inter Judæos, juxta ipſorum ſupputationem, undecim numerabantur.

I. *Terra Iſraëlis erat ſanctior reliquis regionibus.* Ne varias recenſeam prærogativas quas *Judeæ* tribuunt præ cæteris Orbis terrarum oris, ut cùm dicunt Spiritum Prophetiæ, Ordinationem, Conſtitutionem Neomeniarum, &c. alibi non fuiſſe; hæc duo aut tria præſertim obſervant ei ſoli propria, nempè *Omer*, vel Manipulus primùm maturarum frugum, ac Primitiæ quorumvis aliorum fructuum quæ offerri debebant, & duo Panes Propoſitionis, quos perpetuò ante faciem Domini eſſe oportebat, non poterant deſumi, aut fieri ex frugibus aliûs ullius regionis ſub cœlo, præter *Judeam*; ſed in ea neceſſe erat eas fruges creviſſe.

R. Solom. in *Jon.* 1. *Maym.* in *Sanhedr.* Per. 4. *Id.* in *Kiddush Hhodesh*, Per. 1. & 5.

II. *Civitates mœnibus cinctæ ſanctiores erant reliquo ſolo.* Nam primò, in iis Leproſis degere non licebat; ex iis expellebantur, 2 *Reg.* 7: 2, 3. quæ expulſio vocabatur שלוח *Shilluah*: atque indè fortaſſe duxit nomen fons *Siloam*, cùm eſſet extra Urbem, atque eò miſeri hujuſcemodi homines ablegarentur. Secundò, cadaver mœnibus exportatum non poterat rursùs in Urbem inferri: מסבבים בתוכה ש מה שירצו, pro lubitu poterat per Urbem circumferri; ſed ſi ſemel portis elatum eſſet, rursùs inferre haud licebat. Tertiò, nullum cadaver intra mœnia ſepeliebatur, *Luc.* 7: 12. *Nec ullus*, ait R. *Nathan*, *ſepultus fuerat intra mœnia Hieroſolymæ, præter Reges ex Familia Davidis, & Prophetidem Huldam.*

Maymon. in *Beath Mikdash*, Per. 3.

Avoth R. Nathan, Per. 34.

III. *Quod erat intra Hieroſolymæ pomœrium ſanctius erat ſolo quod erat intra mœnia reliquarum urbium.* Nam ibi licebat Pacificas Oblationes, Primitias, & ſecundam Decimam edere, quod in omnibus aliis interdictum erat urbibus. Et dum *Hieroſolymam* tenuere *Hebræi*, in ea tantùm paſcha celebrarunt.

Rambam in *Kelim.*

IV. *Mons Templi ſanctior erat ipſâ Hieroſolymâ*: nam זבים וזבות נדות ויולדות, viri, vel mulieres fluxu laborantes, & fœminæ menſtruis ſuis pollutæ, aut etiam puerperio, indè arcebantur, quamvis tales plurimæ perpetuò *Hieroſolymæ* eſſent.

Digitized by Google

Atque ideò quidem ipſis accedere eò non licebat, quia *polluebant rem quamcunque cui inſidebant aut incumbebant, imò & locum in quo ſtabant*; quæ pollutio hac in occaſione major erat pollutione quæ fit per cadaver: etenim cadaver, ſi ita res ferret, eò poterat importari, (ut ſi viri illuſtris cadaver ab injuria aliqua tuendum eſſet; cujus rei exemplum petunt à *Moſe*, qui detulit ſecum oſſa *Joſephi*, etiam in mediis Levitarum caſtris) ſed nemini ſupradictis modis polluto eò patebat aditus.

Maymon. ubi ſuprà.

V. חיל *Chel*, *ſeu ſpatium intermurale, erat ſanctius Monte Domûs:* nam *Exteri*, & qui erant cadavere polluti eò ingredi non poterant, licèt in Montem quidem venire ipſis liceret. Per *Exteros* hìc non intelligimus Proſelytos, qui circumciſi erant & baptizati; hi enim in omnibus erant inſtar *Iſraëlitarum:* ſed eos ex aliis Gentibus qui eò uſque ſe Judaicæ Religioni non accommodaverant, quales erant *Proſelyti Portæ*, & Exteri propriè dicti. Infrà enim obſervabimus, Gentiles nondùm Proſelytos, imò etiamnum Idololatras, potuiſſe offerre, & aliquando attuliſſe oblationes ſuas ad Templum, & ita potuiſſe venire in *Montem Domûs*; unde à Chriſtianis Scriptoribus dici ſolet *Atrium Gentilium.* Sed quamvis hi poſſent in Montem Domûs venire, attamen non poterant ingredi הַחיל, ſeu ſpatium intermurale, cùm Gentilibus eò ingredientibus conſtituta eſſet mortis pœna, quod diſcere poterant ex inſcriptionibus quæ erant in columnis in ipſo introitu poſitis, uti ſuo loco obſervatum eſt.

Indè ortus eſt tumultus adverſus *Paulum*, *Act.* 21. qui cùm eſſet cum aliis quatuor in Atrio Mulierum ut purificaretur abraſione capitis & combuſtione capillorum in Conclavi *Nazaræorum*, & aliis ritibus, quibus utebantur ii qui voti damnates facti fuerant, natus eſt inter Judæos ſtrepitus, quaſi unus ex quatuor illis Gentilis fuiſſet, & *Trophimus* quidem *Ephеſius* quem viderant cum *Paulo* in urbe ambulantem. Indè orta Judæorum indignatio, quaſi *Paulus* duxiſſet Exterum intra הַחיל *Chel.*

VI. *Atrium Mulierum ſanctius erat quàm* הַחיל: nam טבול יום, *Tibbul jom*, eò non poterat venire, hoc eſt, qui eâ pollutione erat inquinatus, in qua eum oportebat ablui, & expectare Solis occaſum ut purus eſſet. Licèt enim ſe abluiſſet antequàm Sol occidiſſet, indè arcebatur.

VII. *Atrium Iſraëlis ſanctius erat Atrio Mulierum:* nam interdictum erat הַמחוסרי כפורים, iis nempè qui pollutione quidem ſoluti erant, ſed qui nondùm purificationis obtulerant ſacrificium: *quorum erant quatuor genera, Leproſi, viri fluxu laborantes, mulieres quæ in ſeparatione fuerant, & quæ pepererant.* Et mulieribus quidem nullatenùs licebat in Atrium ingredi, niſi cùm ſacrificium aliquod oblaturæ eſſent: ſed viri qui aliàs eò intrare poterant, indè arcebantur, donec purificationis ſacrificium obtuliſſent.

Id. ubi ſuprà, & *Kelim*, Per. 1.

Id. in *Mechoſere Kapparah*, Per. 1. *Joſeph. de Bell. Jud.* lib. 5. cap. 14. *Toſaphta* in *Erachim*, Perek. 2.

VIII. *Atrium Sacerdotum ſanctius erat Atrio Iſraëlis:* nullus enim *Iſraëlita* eò venire poterat, niſi urgente neceſſitate, quæ tribus hiſce occaſionibus naſci poterat; ſi eſſent manus imponendæ capiti victimæ quæ immolanda erat, ſi eſſet mactanda, aut denique mactatæ victimæ pars agitanda.

Piske Toſaph. ad *Midd.*

IX. *Spatium inter Porticum & Altare ſanctius erat inferiore parte Atrii:* neque enim licebat eò venire ipſis Sacerdotibus, ſi aliqua eſſet in iis labes, aut nudo capite, hoc eſt, ſine cidari, aut velo; nam caput obvelabant, iſque ritus adhibebatur quaſi ſolenniſſimus in majoribus cæremoniis, ut poſteà oſtendemus.

X. *Templum ſanctius erat ſpatio illo*; cùm nemo in hoc poſſet intrare niſi ablutis manibus & pedibus; quod non erat neceſſarium ingredientibus Atrium, modò nullam obirent functionem ſacram.

XI. *Oraculum, ſeu quod erat intra Velum ſpatium, omnium partium Templi ſanctiſſimum erat*; quia nemini licebat eò ingredi niſi ſoli Summo Pontifici, & quidem ſemel in anno.

Itaque varii erant ſanctitatis gradus in ea regione, iiſque locis; quæ à pluribus ſæculis ad totidem, ac multò plures calamitatis ac pollutionis gradus pervenere. Gens occæcata Judæorum, dum ipſam ſubſtantiam ac medullam rerum ſanctarum, unde honor ac ſanctitas eorum locorum fluebant, ſpernit, omnia iſta & ſanctitatem ipſam amiſit.

Solent illi conferre *Hieroſolymam* & Templum Caſtris *Iſraëlitarum* in deſerto, & Tabernaculo, ſervatis hiſce proportionibus: *A Portis Hieroſolymæ uſque ad Montem Templi erant caſtra Iſraëlitarum: A Porta Montis Domûs ad Portam Nicanoris caſtra Levitarum: A Porta Nicanoris introrſùm caſtra divinæ Gloriæ.*

R. Salom. in *Kelim*, Per. 1. *Maymon.* in *Beth Habbech*, Per. 7.

SECTIO I. *Quomodò polluti arcerentur Templo.*

Circa perſonas quibus prohibebatur Templum, ne id pollerent, duo ſunt ordine conſideranda quæ huc pertinent: primum eſt, quâ ratione indè arcerentur polluti: alterum, quâ pœnâ plecterentur

ii

ii qui cùm polluti eſſent, eò tamen venire auſi fuerant.

Prius haud ita facilis eſt ſolutionis ac poſterius, quia innumeri eò venire poterant, qui non erant in eo ſtatu in quo par erat eos eſſe qui in ea loca veniebant, nec poterat reſciri abſque incivilitate ac immodeſtia quo in ſtatu unuſquiſque eſſet, niſi fortè adhiberetur jusjurandum. Erant quidem Janitores ac Excubitores ad Portas; ſed innumeri polluti poterant eos præterire, quorum diſpoſitionis certiores fieri non poterant, niſi ab ingredientibus juramentum exegiſſent; quod tamen in mentem nunquam veniſſe credo ulli ex Scriptoribus qui de moribus Judæorum egerunt. Viri ſanguinis vel ſeminis effluvio laborantes, ac mulieres menſtruis vel extraordinariis fluxibus pollutæ non poterant vultûs inſpectione dignoſci, nec invenimus ullum eorum examen inſtitutum, ac multò minùs adjuratos vel inſpectos fuiſſe. Poterant quidem certè Janitores repellere eos qui ſigno conſpicuo oſtendebant ſe pollutos eſſe, ut Leproſos, vel eos qui aliquid ſecum geſtabant quod non licebat inferre Templo; poterant arcere eos qui limites ſibi poſitos tranſilire conabantur; poterant eos obſervare quos ſuſpicabantur veniſſe ut explorarent vel diſturbarent Sacrum Miniſterium; poterant increpare quos videbant immodeſtiùs ſe gerentes, aut dum ingrederentur, aut cùm ingreſſi eſſent; poterant eos monere qui loci conſuetudines ignorabant, & docere quomodò ſe deberent gerere; aut denique ipſos admonere ingredientes, caverent ne intrarent, ſi eſſent polluti: verùm non videntur arcuiſſe omnes qui aliquâ pollutione tenebantur, ac locum polluere poterant; nec concipimus quî id potuiſſent. Poterat quis tetigiſſe cadaver, attigiſſe mulierem in ſeparatione ſua, paſſus eſſe Gonorrhœam noctu, & plurimis aliis rationibus pollutus fuiſſe, & tamen Templum ſubire, cùm nullus mortalium ſcire poſſet quo eſſet in ſtatu, præter ipſum, quod nullâ ratione poterat dignoſci niſi Spiritu Prophetiæ, aut adhibito jurejurando; quam poteſtatem habuiſſe Janitores non legimus, nec ullâ ratione ſupponere poſſumus.

Itaque Templum immune conſervabatur ab ejuſmodi pollutionibus potiùs ſeveritate pœnarum, quibus ſuberant qui deprehenſi fuerant tale quid commiſiſſe, quàm curâ aliquâ aut cautione quæ arceret pollutos. Atque uti ſeveritate legum & punitione reorum in omnibus aliis criminibus, crimina certè impediuntur; ita & in hoc negotio eadem viâ obviam ibatur pollutionibus.

SECTIO II. *Pœnæ quibus obnoxii erant polluti qui in Templo deprehendebantur. Mors per manum Cœli, & Exciſio.*

Quatuor pœnarum genera (quidni enim omnia iſta pœnas appellemus?) indicta erant, quorum duo denunciabantur, duo reverà infligebantur iis qui pollutione ſuâ loci ſanctitatem ac cultum divinum violare auſi fuerant, juxta varios criminis gradus. Hæc autem erant,

מיתה ביד שמים *Mors per manum Cœli.*
כרת *Exciſio.*
מלקות *Flagellatio.*
מכות מרדות *Rebellionis Verbera.*

Prima eſt, pœna cujus ſæpiſſimè meminerunt Judæi, cui obnoxii erant variorum generum rei, ut illi exiſtimant, ac inter alios quidam ex iis de quibus jam loquimur, qui cùm pollutos ſe eſſe noſſent, attamen in Templum ire volebant. Eam vocant *Mortem per manum Cœli*, hoc eſt, Dei; vulgò enim Deum vocant *Cœlum*. Vide
Pollutus, ait *Maymonides*, *qui miniſtrat in* *Eli. Lev.*
Sanctuario, prophanat ejus Miniſterium, eſt- in *Tisbi* in
que reus Mortis per manum Cœli, quamvis שמים. In *Biath*
ibi non ſubſiſtat. Iterùm. *Sacerdos*, inquit, *Mikdash*,
qui miniſtrat, nec lavat manus ac pedes ma- Perek. 4.
nè, eſt reus Mortis per manum Cœli. Rur- *Ibid.* Perek. 5.
sùs. *Viri*, inquit, *vel mulieres fluxu la-* *Ibid.*
borantes, mulieres in ſua ſeparatione ac puer- Perek. 4.
peræ, pollutus propter reptile vel cadaver, aut quippiam ſimile, non poſſunt miniſtrare, nec ingredi Atrium: ſed ſi nihilominùs id faciant, ſunt rei Exciſionis propter ingreſſum, & Mortis per manum Cœli propter Miniſterium. Alia ſunt exempla ac caſus in aliis peccatis & criminibus, quibus denunciatur *Mors per manum Cœli* tanquam pœna propria, quæ etiam poſſent huc afferri, ſed hæc ad inſtitutum noſtrum ſufficiunt.

Altera eſt, cujus etiam frequens eſt mentio, imò & frequentior apud Judæorum Scriptores, pœna cui obnoxii erant variorum generum rei, & inter alios ii de quibus jam nobis eſt ſermo, qui ſe pollutos ſcientes in Templum ibant. Eam vocabant כרת *Chereth*, id eſt, *Exciſionem*. *Thalmudiſtæ* in Tractatu *Cherithuth*, qui nomen ex hoc ipſo argumento habet, enumerant triginta ſex crimina, quibus hæc pœna, ſi quis ea prudens ac ſciens committeret, conſtituta erat. Rem paulò fuſiùs ipſorum verbis diducere erit operæ pretium, præſertim cùm non hîc tantùm ad negotium noſtrum faciat, ſed infrà etiam

etiam cùm loquemur de oblationibus pro peccato, quæ partem divini cultûs faciebant, & quæ, ut ex ipſis verbis quæ hîc afferemus videbimus, aliquam habent connexionem cum materia de *Exciſione*. Hæc autem ſunt verba.

Cherithoth, Perek. 1.

Sunt triginta ſex Exciſiones in Lege. Qui concubuit cum matre ſua, vel uxore patris ſui, vel nuru, vel mare, vel beſtia; vel mulier quæ concubuit cum beſtia; vel vir qui concubuit cum muliere & ejus filia, vel cum uxore aliûs viri, vel cum ſua ſorore, vel ſorore patris ſui, aut ſorore matris ſuæ, aut ſorore uxoris ſuæ, vel uxore fratris ſui, vel uxore patrui, vel muliere in ſua ſeparatione; vel qui blaſphemavit, vel commiſit Idololatriam, vel dedit ſemen ſuum Molecho, vel uſus eſt Magiâ, vel profanavit Sabbatum, vel comedit res ſacras dum pollutus eſſet, aut venit in Sanctuarium etiam pollutus; vel qui comedit lardum, vel ſanguinem, vel quod ſupereſt ex ſacrificio, vel quippiam aliud immolatum non oblatum in ſuâ tempeſtate; qui mactavit vel obtulit victimam extra Atrium, vel qui comedit fermentum in Paſchate, qui aliquid edit die Expiationis, vel etiam opus aliquod fecit; vel qui fecit oleum aut thymiama ſimile ſancto, vel unxit oleo ſancto; qui diſtulit Paſcha, aut Circumciſionem, quæ præceptis affirmativis jubentur: hæc omnia ſi à prudente ac ſciente committuntur, plectuntur Exciſione; ſi verò ab imprudente, oblatione conſtitutâ pro peccato expiantur: ſed ſi ignotum ſit an fecerit necne, tenetur ab oblationem pro delicto, ut, ſi fortè commiſerit, id expietur: præter eum ſolum qui polluit Sanctuarium & ejus res ſacras; hic enim tenetur ad oblationem quæ aſcendit & deſcendit.

Jam autem ut meliùs intelligamus quid ſit *Mors per manum Cœli*, & *Exciſio*, obſervandum eſt primò, neutram fuiſſe pœnam quæ infligeretur manu, vel judicio hominum, ſed tantùm reatum fuiſſe qui iram ac vindictam Domini reis variis modis conſciſceret. Judæi ſemper de *Exciſione* loquuntur, tanquam de maximo divinæ ultionis gradu: cujus rei ne plura afferamus argumenta, quæ nobis abundè ſuppetunt, hic locus *Maymonidæ* obſervatu dignus ſufficiet. *Poteſtne Sacerdos qui miniſtrat in ſua pollutione, tam exiguo tempore in Atrio remanere,* שלא יתחיים כרת אלא מיתה ביד שמים בלבד, *ut non fiat reus Exciſionis, ſed tantùm Mortis per manum Cœli?* Præcedentia verba ſic ſonant: *Pollutus qui miniſtrat in Sanctuario profanat ejus cultum, atque eſt reus Mortis per manum Cœli, licèt ibi non remanſerit:* tùm ſequuntur allata verba, *Poteſtne Sacerdos*, &c. Quibus conſtat eam *Exciſionem* fuiſſe maximum ultionis ac indignationis divinæ gradum.

Maymon. in *Biath Mikdash*, Perek. 4.

Itaque per *Mortem per manum Cœli* juxta illos eſt intelligenda ſubita aliqua ultio Dei, qualem exercuit adverſus *Nadab* & *Abihu*, aut *Ananiam* & *Sapphiram*, quos repentè è medio ſuſtulit. Atque hoc etiam meliùs colligere eſt ex duabus obſervationibus, quæ ſæpiùs apud Rabbinos occurrunt hoc in negotio. Prima eſt, peccatum Sacerdotum, qui vinum bibebant priuſquàm ad miniſtrandum accederent, (quod notandum eſt crimen fuiſſe *Nadab* & *Abihu*) punitum fuiſſe *Morte per manum Cœli*; quod oſtendit eos intelligere ſimilem ultionem ei quâ ambo illi ſunt oppreſſi. Secunda eſt, quotieſcunque Lex aliquid jubet *Aaronem*, ejus filios, ac populum, quod pertinet ad Sanctuarium, *Sic facient*, vel *Sic non facient*, *ne moriantur*; hanc comminationem intelligendam eſſe de *Morte per manum Cœli*.

Ibid. Perek. 1.

Sed quid ſignificetur per *Exciſionem*, non ita inter eos convenit. *Kimchi* tanquam ex Doctoribus dicit, *Mortem ante annum quinquageſimum eſſe mortem per Exciſionem*. (confer *Joann.* 8: 57.) *R. Solomon* dicit idem eſſe ac *orbum liberis mori*, *& quidem prematurâ morte*. *Baal Aruch* hoc diſcrimen eſſe vult inter *Exciſionem*, & *Mortem per manum Cœli*, quòd *Exciſio ſit ipſius qui peccavit & ejus liberorum*; *Mors* verò *per manum Cœli ſit ejus quidem*, *ſed non liberorum*. Verùm quodcunque horum volueris eligas, vel omnia ſimul conjungas, aut quod haud abſimile eſt vero, per *Exciſionem* intelligas ejectionem ex vita ſæculi futuri; conſtat & per hanc pœnam, & per *Mortem per manum Cœli*, à Judæis, qui paſſim earum meminerunt, non intelligi pœnas aliquas ab hominibus inflictas, ſed imminentem Dei vindictam, perpetuumque periculum ac metum ne ira divina reum ſubitò opprimeret. Erat *Anathema Maran Atha*, ſive obnoxius maledictioni, donec Dominus ad eum plectendum veniret, ut *Joann.* 3: 18, 36.

Kimchi in Iſaj. 8.

R. Solom. in *Geneſ.* 17.

SECTIO III. *Pœna pollutorum in Templo deprehenſorum. Flagellatio, & Rebellionis Verbera.*

Non levis metus injiciebatur populo, ne pollutus Sanctuarium ingrederetur, dum perpetuò ipſi inculcabatur, eos qui id

id tentarent, & corpus & animam periclitari, atque *ipſo facto* terribilem Dei indignationem ſibi conſciſcere, & certum horrendi judicii periculum ſubire.

Sed an ita dimittebant reum, utpotè qui ſe reum feciſſet *Mortis per manum Cœli*, vel *Exciſionis*, ita ut nihil jam ſibi ampliùs eſſet cum illo, ſed eum relinquerent juſtitiæ Dei, qui eum, quando videretur, eſſet puniturus? At multi ſcelerati hoc flocci feciſſent; & quia ſententia ſtatim executioni mandata non fuiſſet, idem peccatum rursùs committere in animum inducere potuiſſent, ut *Eccleſ.* 8: 11. Ideòque non permittebant ſontem effugere, ſed ſtatim ac iræ divinæ obnoxius factus fuerat, hominum manu plectebatur. Atque hæc duplex erat pœna, vel מלקות, vel מכות מרדות, *Flagellatio* ex ſententia Judicum, aut *Verberatio* à populo.

I. Erat pœna *Flagellationis* ex ſententia Judicum, juxta Legem *Deuter.* 25: 2. ubi reus damnatur quadraginta ictibus: ſed Traditio unum detraxerat, & triginta novem tantùm conſtituerat, 2 *Cor.* 11: 24. Cujus rei ratio hæc erat, quia nempè limites Legi præfigere volebant; & cùm juſſiſſet ne ſonti ſupra quadraginta plagas infligerent, *ne frater ipſis vilis videretur*, ipſi unam detraxerunt, ut intra modum certum remanerent. Modus ac ratio eorum *Flagellationis* fusè deſcribuntur in Tractatu *Maccoth*, his verbis: *Quot plagas ei infligunt? (ait Miſnah) Triginta novem: quemadmodum dictum eſt certo numero, quadraginta plagæ, hoc eſt, numerus accedens ad quadragenarium. Rabbi Juda dicit, Verberatur quadraginta ictibus; & ubi habet ictum imparem ſupra triginta novem? Inter humeros ſuos. Non definiunt numerum ictuum; ſed ita ut poſſint triplo plures infligi, definiunt ei quadraginta: is verò poſtquàm accepit aliquot, dicunt illum non poſſe ferre quadraginta; tum dimittitur: definiunt ei octodecim ictus, & dum flagellatur, dicunt eum ferre poſſe quadraginta; attamen dimittitur. Quomodò eum flagellant? Ejus manus vinctæ ſunt duabus columnis, & Carnifex apprehendit ejus veſtes, quas diſſuit, vel lacerat, prout libet; eas detrahit donec denudaverit brachium ejus. Jam autem erat lapis ponè Carnificem, in quo ſtabat cum flagello ex corio albo in manu ſua cum quatuor plicis, unde pendebant duo lora; manubrium erat palmare, & flagellum ſeu lorum palmare etiam, & finis ejus ad ventrem illius pertingebat. Tertiam partem ictuum infligebat ei in anteriorem partem, in ventrem nempè; duas partes in poſti-*

Maccoth, Perek. 3.

cam. Eum verberabat nec ſtantem, nec ſedentem, ſed incurvatum; ut dicitur, Judex proſternet eum: *& verberabat eum unâ manu quantùm poterat. Intereà unus ex adſtantibus legit vel recitat has Scripturæ particulas,* Niſi cuſtodieris & feceris omnia verba Legis hujus, &c. Augebit Dominus plagas tuas & plagas ſeminis tui, &c. *Deut.* 28: 58, 59. Quapropter ſervabitis verba hujus Fœderis, &c. *Et definit hiſce verbis,* Sed cùm ſit miſericors, condonat iniquitatem, nec deſtruit, *Pſalm.* 78: 38.

Hæc erat ratio eorum Flagellationis, quæ erat ſevera admodùm pœna. Infligebantur tredecim ictus lori, flagello quod tribus loris conſtabat, quæ illa per tria multiplicatione, efficiebant triginta novem ictus; vel ſi numerus ictuum minor definitus fuerat, tantus tamen erat, quantum à reo ferri poſſe judicabant.

II. Erat pœna quam vocant מכות מרדות, *Rebellionis Verbera*, cùm populus non expectatâ Judicis ſententiâ, abſque modo ac miſericordia aliquem verberabat. Si quis alicujus peccati palàm reus deprehenderetur, populus abſque mora aliquando in eum irruebat cum fuſtibus ac lapidibus, atque abſque modo eum contundebat, ſæpiſſimè ad mortem uſque. Ita hanc pœnam deſcribit *R. Nathan* in *Aruch. Verberatio juxta Legem eſt eorum qui transgreſſi ſunt negativa præcepta, quæ fit juxta certum modum, & admonitionis causâ, flagello conſtante triplici loro: ſed qui affirmativa præcepta tranſgreſſus eſt, eum verberant uſque ad mortem, non flagello triplici loro conſtante. Similiter quicunque peccaverit in verba Sapientum, eum verberant abſque numero & modo, & vocant hoc* מכות מרדות. *Rebellionis Verbera, quia rebellis fuit contra verba Legis, & contra verba Scribarum. Ratio hujus verberationis,* ait alius Judæus, *eſt quia tranſgreſſus eſt prohibitionem eorum in re quæ eſt fundata in Lege; eſtque* בן מרדות, *Filius Rebellionis.* Huc referri debet quod ſæpè legimus in Novo Teſtamento, de plebe quæ ſuſtulit lapides ab obruendum Servatorem noſtrum, & quæ irruebat in ipſum, *Matth.* 26: 67. in *Stephanum*, Actor. 7: 57, 58. propter blaſphemiam, ut ajebant, & in *Paulum*, Actor. 21: 31. propter pollutionem Templi, ut credebat.

Aruch in ערך

Gloſſ. in *Maymon.* in *Sabbath*, Perek. 1.

Itaque qui peccatum admiſerat, quo obnoxius factus erat vel *Morti per manum Cœli*, vel *Exciſioni*, non evadebat cum ſolo illo reatu, ſed vel flagris cædebatur, vel verberabatur, aut in quibuſdam caſi-

bus,

bus, ex ſententia Judicis capite plectebatur. *Verberabantur*, ait *Maymonides*, *propter unumquodque præceptum negativum*, *cujus tranſgreſſione fiebant rei Mortis per manum Cœli:* ac multò magis qui erant rei *Exciſionis*, quæ major erat pœna. Idem Scriptor enumerat octodecim peccata, quibus contrahebatur reatus *Mortis per manum Cœli*, & propter quæ rei flagris cædebantur: & viginti & unum, quibus contrahebatur reatus *Exciſionis*, & propter quæ etiam flagellabantur rei, nec morte à Judicibus plectebantur.

Maymon. in Biath Mikdash, Perek. 4.

In *Sanh.* Per. 19.

Inter tranſgreſſiones quæ merebantur haſce pœnas, *ingreſſus in Sanctuarium in impuritate* æquè ſeveris, ac aliud ullum peccatum, obnoxius erat. Tædioſum nimis eſſet omnia ſigillatim recenſere; paucula tantùm ſeligemus, ex quibus de reliquis conjectura fieri poterit. Sacerdos, vel quiſquis alius ingrederetur in Atrium dum erat pollutus, fiebat reus *Exciſionis*; ac ſi ibi miniſtrarent in ſua pollutione, Sacerdos quidem ad Altare, alius verò impoſitione manuum capiti victimæ, aut agitatione alicujus ejus partis, fiebant rei *Mortis per manum Cœli*. Si in hac culpa deprehenderetur Sacerdos, nunquam ad *Synhedrium* deducebatur, *ſed juniores ex Sacerdotibus extra Atrium eum trahebant*, *& cerebrum ei fuſtibus excutiebant*. Ita & alios malè mulctabant. Leproſus qui ingreſſus erat Montem Templi, octoginta ictibus flagellabatur. Qui cadavere pollutus fuerat, aut in totam diem pollutus aliquâ qualibet de cauſa, ſi ingrederetur Atrium Mulierum, plectebatur *Verberatione Rebellionis*. Idem patiebatur qui eò veniebat poſtquàm ediſſet, vel bibiſſet aliquid impuri, vel qui poſt ſeptem dies pollutionis veniebat in Atrium *Iſraëlis*, priuſquàm eſſet admiſſus. Qui attulerat vas, vel venerat indutus veſtibus, quas pollutus quiſpiam cadavere tetigerat, flagris cædebatur. Ne plura exempla peculiaria addam, quicunque pollutus venerat intra Sanctum Solum, obnoxius erat reatui *Exciſionis ipſo facto:* at ſi id deprehenderetur, & res per teſtes comprobaretur, nunquam effugiebat flagrum, aut etiam *Rebellionis Verbera*, quorum prius horrendum erat ſupplicium, poſterius ſæpè cum morte conjunctum erat. Eſt certè tritum illud dictum apud *Thalmudicos* Scriptores, propter ejuſmodi peccata, *licèt aliquis non cædatur flagris*, *excipitur tamen Rebellionis Verberibus*; quaſi poſterior pœna mitior eſſet. Verùm hoc ita non intelligunt; ſed hæc eorum mens eſt: quamvis hæc pœna in Lege expreſſa non ſit, cùm Lex flagellationem tantùm conſtituat; attamen Sapientum decreta, quæ ab ejuſmodi reo ſunt violata, verberibus eum damnare. *Quicunque factus eſt reus Exciſionis*, *poſtquàm flagris cæſus eſt*, *à reatu eſt abſolutus: quemadmodum dicitur*, *Ne frater tuus ſit vilis in oculis tuis*. *Ecce poſtquàm fuit virgis cæſus*, *eſt iterùm frater tuus*. Sed *Verbera Rebellionis* ſæpiſſimè mors inſequebatur.

In *Biath Mikdash*, ubi ſuprà. *Thalmud* in *Sanhedr.* Perek. 9.

Thalmud in *Maccoth*, Perek. 3.

Atque eâ ratione Templum ab omni pollutione ac profanatione tutum præſtabatur; pœnis nempè quibus certò ii plectebantur quorum pollutio deprehendebatur, quique cùm ſe pollutos noſſent, tamen audacter Templum ingreſſi fuerant. Imò qui hanc ſuam pollutionem ignorabat, ſi eò veniret, non prorsùs ignorantiâ ſuâ excuſabatur, ſed ſtatim ac noverat ſe in eo fuiſſe ſtatu, tenebatur offerre ſacrificium pro hoc ſuo peccato; atque hoc etiam in aliis peccatis (quæ qui ſcientes ac prudentes commiſerant, *Exciſionis* rei erant) fieri debebat ab omnibus qui præ ignorantia peccaverant. Qui comederat lardum vel ſanguinem, nec noverat quid comediſſet, aut venerat in Sanctuarium in pollutione ſua, nec noverat ſe pollutum fuiſſe; aut admiſerat quodpiam ex ſuprà memoratis peccatis, quod ſe commiſiſſe ignorabat, conſtituta erat ei oblatio ad expiandum ipſius peccatum, quam ſtatim debebat afferre ex quò cognoverat ſe peccaſſe. Sed pro eo qui prudens ac ſciens in ejuſmodi peccata lapſus fuerat, nullum erat ſacrificium quod peccata ejus expiaret, ſed obnoxius fiebat indignationi ac vindictæ divinæ, humaniſque pœnis dum Deus iram ſuam in eum effunderet. Atque eò Apoſtolus ſcribens ad *Hebræos*, quibus hæc omnia notiſſima erant, alludit hiſce verbis: *Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hoſtia*; *terribilis autem quædam expectatio judicii*, &c. *Hebr.* 10: 26, 27.

CAPUT II.

De variis ordinibus Sacerdotum & variis Templi Miniſtris.

SAcerdotes qui Miniſterio Templi inſerviebant in hoſce varios ordines ac gradus diſtincti erant.

I. Erat Summus Sacerdos, qui notiſſimus & paſſim occurrit in Scriptura.

II. Sa-

Vide Maymon. in Kele Hammikdaſh, Perek. 4.

II. *Sagan*, ſeu ſecundus à Summo Sacerdote, ut *Jerem.* 52: 24. ubi *Chaldæus Paraphraſtes* utitur voce *Sagan*; quæ vox hoc ſenſu apud omnes Judæos Scriptores ſæpè occurrit, & deſignat Vicarium Summi Sacerdotis, aut aliquem ex ſequentibus ipſi ſubſtitutum.

III. Erant duo *Catholici*, קתוליקין, qui erant ſubſtituti *Sagani*, ut ipſe *Sagan* Summo Pontifici.

IV. Erant ſeptem *Amarchalin*, אמרכלין, quâ voce ſæpiſſimè utuntur *Paraphraſtæ Chaldæi*.

Thalm. in Shekalim, Per. 5.

V. Erant tres *Gizbarin*, גזברין, ſeu *Theſaurarii*, qui erant aliquatenùs ſub memoratis *Amarchalin*.

VI. Erat ראש המשמר, *Præcipuus Sacerdos uniuſcujuſque Claſſis*, quæ conſtanter redeunte ſuâ hebdomade miniſtrabat.

VII. ראש בית אב, *Caput Familiæ* quæ in ea Claſſe miniſtrabat.

VIII. Denique erat כהן הדיוט, *Ordinarius Sacerdos*, qui inferioris ſortis ad nullum ſuperiorum ordinum pertinebat.

Jam autem hi gradus uti ſunt recenſiti, alii aliis erant ſuperiores. Summus Sacerdos erat ſupra *Saganem*, *Sagan* ſuprà *Catholicos*, *Catholici* ſupra *Amarcalos*, *Amarcali* ſupra *Gizbaros*, *Gizbari* ſupra Capita Claſſium, Capita Claſſium ſupra Capita Familiarum.

Hi varii ordines, & præſertim quidem quinque primi, erant inſtar perpetui Concilii quod regebat negotia ad Miniſterium Templi pertinentia, aliaque quæ iis connexa erant.

Hi vocantur *Beth din shel Cohanim*, *Conſeſſus*, ſeu *Conſiſtorium Sacerdotum*, de quo in *Thalmude* Tract. *Chetuboth* hæc leguntur verba:

Perek. 1.

אחת אלמנת ישראל ואחת אלמנת כהן כתבתה מנה בית דין של כהנים היו גובין ת׳ זוז לבתולה ולא מחו חכמים בידם, *Perinde eſt an ſit vidua Iſraëlitæ, an vidua Sacerdotis, ejus dos & Muneh. Conſiſtorium Sacerdotum petit 400. Zuzim pro virgine, nec Sapientes ipſis contradicunt.* Hoc poteſt confirmari loco *Maymonidæ*, qui referens quomodò mulieres poſt fluxus & puerperium afferrent pecuniam ad emendas turtures aut columbos, quam ponebant בשופר in Theſauro, ait,

In Mechoſere Chapparah, Perek. 1.

אין בית דין של כהנים עומדים משם עד שיכלו, &c. *Conſiſtorium Sacerdotum indè non diſcedebat donec ſumpſiſſet totam pecuniam, & obtuliſſet turtures ac columbos juxta ſummam pecuniæ.*

Hos etiam credibile eſt eſſe eoſdem cum iis qui dicuntur זקני כהונה, *Seniores Sacerdotii*, quibus Summus Sacerdos trade-

Joma, Per. 1.

batur à *Synhedrio*, ut eum præpararent Miniſterio obeundo die Expiationis. Atque hi erant בולווטי *Conſiliarii* Templi, de quibus alibi egimus.

Vide Shekalim, Perek. 6. Maymon. in Kele Hammikdaſh, Per. 7.

Præter hoſce erant quindecim *Inſpectores*, ממונין, vel Præfecti quindecim Collegiis, quorum varia erant miniſteria.

I. ממונה על זמנים, *Præfectus Temporibus*. Hic, aut aliquis ex ejus delegatis, cùm tempus erat inchoandi cultûs divini, altâ voce clamabat: *O Sacerdotes, ad Miniſterium veſtrum. O Levitæ, ad veſtrum Pluteum* (ad canendum.) *O Iſraëlitæ, ad veſtram ſtationem*: quâ voce auditâ, unuſquiſque quod ſui erat officii præſtabat.

II. על נעילת שערים, *Præfectus claudendis januis*; juxta cujus mandata aperiebantur & claudebantur; & tubâ canebat cùm aperirentur. *Amarcali* aliquem huic curæ præficiebant; nam ſeptem *Amarcali* habebant claves januarum ſeptem Atriorum.

III. על השומרים, *Præfectus Cuſtodum*. Hic vocabatur איש הר הבית, *Vir Montis Domûs*. Unaquâque nocte circumibat Excubias Levitarum, ex quibus ſi quem dormientem deprehenderet, fuſtibus eum verberabat, & tunicæ ejus ignem injiciebat.

IV. על המשוררים, *Præfectus Cantorum*. Hic Cantores & Tubicines uniuſcujuſque diei deſignabat.

V. על הצלצל, *Præfectus Cymbalorum*. Ut præcedens præfectus erat Vocibus, Tubis, ac majoribus inſtrumentis; hic curam gerebat Concentûs muſici, in quo Cymbala adhibebantur, qui erat alterius generis, ut poſteà oſtendam.

VI. על הפיסות, *Præfectus Sortium*, qui ſortibus unaquaque die tempore matutino deſignabat Sacerdotes, variaque eorum ad Altare miniſteria.

VII. על הקינים, *Præfectus Avium*. Hic proſpiciebat de turturibus & columbis, ut parati ſemper eſſent omnibus qui eos præſenti pecuniâ erant empturi, atque Theſaurariis rationem acceptæ pecuniæ reddebat.

VIII. על החותמות, *Præfectus Sigillorum*. Hæc Sigilla erant inſtar Teſſerarum quæ hodie in aliquibus locis iis ſolent dari qui ad S. Cœnam admittuntur. Erant quatuor genera Sigillorum, vel Teſſerarum, & inſcripta iis erant quatuor vocabula: uni עגל *Vitulus*, alii זכר *Maſculus*, alii גדי *Hædus*, alii חוטא *Peccator*.

Shekalim Per. 5.

Sic autem Sigillis iſtis utebantur. Qui oblaturus erat ſacrificium, cui opus erat libamine, ibat ad Præfectum Sigillorum, qui

Digitized by Google

qui inſpiciens quodnam eſſet ſacrificium, videbat quodnam libamen lege ei conſtitutum eſſet. Tùm dabat ei Sigillum ſive teſſeram, cujus inſcriptio conveniebat victimæ; & ſi foret Aries, dabat ei teſſeram cum voce זכר *Mas*: ſi foret oblatio pro peccato, tùm tradebat teſſeram cui inſcriptum erat חוטא *Peccator*; & ſic de cæteris. Pro teſſera autem accipiebat pretium libaminis quod requirebatur, alter verò acceptâ teſſerâ abibat ad

IX. ממונה על הנסכים, *Præfectum Libaminum*, cui curæ erat parata habere omnis generis libamina, quæ unicuique ſtatim traderet juxta teſſeram quam afferebat; indè enim videbat quodnam foret ſacrificium, & quod requireretur libamen, quod conveniens ſacrificio illicò ſuppeditabat. Veſperi Præfectus Libaminum & Præfectus Sigillorum rationem unà inibant, ut viderent quid alter dediſſet, alter verò accepiſſet.

X. על החולין, *Præfectus Ægris*. Sacerdotum Miniſterium circa Altare pedibus nudis, & veſtes quas gerebant leves, copiaque carnium quas comedebant, quod in iis regionibus admodùm gratum non erat, efficiebant ut obnoxii eſſent Rheumatibus, Colicis doloribus, aliiſque morbis. Eapropter conſtitutus erat vir Medicinæ peritus qui ægrorum curam gereret, & medicamenta ipſis præberet.

XI. על המים, *Præfectus Aquis*. Hujus erat curare ut Putei, Ciſternæ & Aquæductus fierent ac conſervarentur, ne in Templo & *Hieroſolymæ* unquam eſſet aquæ penuria; ac præſertim ne deeſſet tribus feſtis cùm totus *Iſraël* eò conveniret. *Nicodemus*, ſi idem ſit *Nicodemus* de quo in *Thalmude*, videtur hujus rei curam geſſiſſe; mira enim de eo in hanc rem refertur hiſtoria. *Avoth R. Nathan, Per. 6. Taanith, fol. 19.*

XII. Præfectus eorum qui conficiebant Panem Propoſitionis.

XIII. Præfectus eorum qui conficiebant Thymiama.

XIV. Præfectus Artificum qui Vela conficiebant.

XV. Præfectus qui curam gerebat Veſtium Sacerdotalium.

CAPUT III.

De Summo Sacerdotio.

SUmmum Sacerdotium ſemper ad primogenitum hæreditate perveniebat. *Eleazar* enim factus eſt *Aaronis* primogenitus morte *Nadabi & Abibu*: quod benè obſervat *R. Solomo* in *1 Paral.* 24: 1. *Nadab & Abibu mortui ſunt ſine filiis; ideòque Eleazar & Ithamar Sacerdotio functi ſunt: nam*, ait ille, *ſi Nadab & Abibu reliquiſſent filios, hi habuiſſent Summum Sacerdotium, potiùs quàm Eleazar & Ithamar. Ita cum Jozedek & Ezra eſſent filii Serajæ Summi Pontificis, ſolus Jozedek ei ſucceſſit, non Ezra, quia Jozedek erat primogenitus.* *R. Solom. in 1 Paral. 24.* Itaque primogeniti ſucceſſivè & rectâ lineâ erant Summi Sacerdotes in Familia *Aaronis*, quemadmodum ante Legem primogenitus uniuſcujuſque Familiæ vel Tribûs ſolebat eſſe Sacerdos: unde *Chaldæus Interpres* in *Geneſ.* 49: 3. verba *Jacobi* ſic in Paraphraſi ſua exprimit: *Ruben, tu es meus primogenitus, & ad te pertinent tres portiones, Jus primogenituræ, Sacerdotium, & Regnum.* Ideòque cum *Simeon Juſtus* haberet duos filios *Shimei* & *Oniam*, & vellet *Shimei* Summo Pontificatu excludere, ejuſque loco *Oniam* ſubſtituere, voti compos fieri non potuit, ſed *Shimei* jus ſuum obtinuit; *Onias* verò in *Ægyptum* fugere coactus eſt, ubi magnificentiſſimum & celeberrimum ædificavit Templum. *Juchaſin, fol. 15.*

Hac ſucceſſionis neceſſitate aliquando contigit Summum Sacerdotem minùs fuiſſe aptum ei muneri, ut apparet tum ex aliis argumentis, tum ex eo loco Codicis *Joma*, ubi narrantur ante Expiationis diem quidam Seniores fuiſſe conſtituti qui Summo Sacerdoti adeſſent, & qui dicerent ei, *Domine Sacerdos Magne, ante lege ore tuo, fortè oblitus es, aut fortè non didiciſti.* Paulò pòſt ſequitur: *Si Sapiens erat, exponebat; ſi non, Diſcipuli Sapientum exponebant coram eo. Si legendi peritus erat, legebat; ſi non, legebant coram eo.* *Per. 1.* Atque huc facit Proverbium vel Problema illud: ממזר ת״ח חשוב מכנ״ עם הארץ, *Eruditus licèt nothus, majoris eſt pretii quàm Summus Sacerdos ignarus.* Hinc liquet munus ipſum potiùs typicum fuiſſe, quàm perſonam. *Maym. in Thalm. Thorah, Per. 3.*

II. Summus Pontifex inaugurabatur in munus ſuum à *Synhedrio* quod inungebat eum; vel cùm defuit oleum, quod nullum fuit ſub ſecundo Templo, veſtiebat eum ſacris Summi Sacerdotis veſtibus. Si inungeretur, inungebatur per ſeptem dies continuos: ſi non inungeretur, quod omiſſum eſt cum ſacrum defuit oleum, induebatur octo veſtibus Sacerdotalibus per ſeptem dies continuos, atque hæc cæremonia vocabatur, כרובה בגוים, *Inauguratio per veſtimenta.* *Id. in Kele Mikdaſh, Per. 4.*

Veſtes autem hæ erant.

I. כתונת, *Tunica*. Hæc erat proxima cuti, & conſtabat ſubtili lino, eratque operis teſſellati, inſtar veſtis ſtriatæ; unde vocabatur כתונת תשבץ, *Tunica teſſellata*, Exod. 28: 4. ut *Saulis* chlamys vocatur

tur שׁבץ, 2 *Sam.* 1: 9. Talem unuſquiſque ex Sacerdotibus gerebat dum miniſtraret, abſque ullo diſcrimine, & ipſe Summus Sacerdos geſtaverat antequàm ad eam dignitatem perveniſſet, cùm ex ordinariis tantùm eſſet Sacerdotibus. Cùm iſtæ horum Sacerdotum tunicæ lineæ adeò eſſent detritæ, ut iis ampliùs uti non poſſent, eas lacerabant, atque indè conficiebant ellychnia in uſum lampadum Candelabri Aurei.

Thalm. Hieroſ. in Succah, Per. 5.

II. מכנסי בד, *Femoralia linea*, Exod. 28: 42. Cùm dicitur teſſellata Tunica fuiſſe proxima cuti, id intelligendum eſt de humeris & ſuperiore corporis parte; neque enim ordinarii Sacerdotes veſtimentum gerebant craſſius teſſelato iſto induſio, ſic enim lineam iſtam Tunicam vocare poſſumus. Sed habebant prætereà femoralia linea quibus inferiorum corporis partium tegeretur nuditas. Cùm detrita erant, ea etiam lacerabant, indèque conficiebant ellychnia candelis quibus diebus feſtis utebantur, vel funes ad aquam hauriendam feſti Tabernaculorum magnâ & poſtremâ die. Eidem etiam uſui adhibebant detrita Cingula.

III. אבנט, *Cingulum*. Erat longa faſcia linea; quâ ſæpiùs corpus cingebant tum ſupra, tum infra mammas, partim ne frigerent, partim etiam ut eorum latera firmiora eſſent, ſi quod miniſterium difficilius eſſet obeundum. Summus Sacerdos par habebat reliquis Sacerdotibus cingulum.

IV. מעיל, *Pallium Ephodi*. Hanc veſtem ſolus Pontifex Maximus gerebat; & vocabatur *Pallium Ephodi*, quia *Ephod* id cingebat. Non habebat manicas, ut Induſium teſſelatum, ſed conſtabat duobus præcipuè ſegmentis, quorum unum ante pectus pendebat, alterum à tergo. Collare hujus *Ephodi* erat ſimile collari totius loricæ, & caput ei inſerebatur. A collari inferiùs ſegmenta illa erant diviſa, ac Sacerdos inter ea hinc indè brachia exerebat. In infima ora ſegmentorum illorum erant in unoquoque triginta ſex tintinnabula aurea, cum Malis granatis operis Phrygii inter unumquodque crepitaculum, hoc eſt, ſeptuaginta duo crepitacula. Hoc Pallium erat ὑακίνθινος, ut tum *Joſephus*, tum *Philo* teſtantur; ac ſic vertitur vox תכלת, ex qua materia, ut *Maymonides* ait, totum conſtabat, quam *Philo* vertit etiam ἀέρος ἐμφαί-γειον, *Colorem Aëris.*

Joſeph. Antiq. lib. 3. cap. 8. *Philo de Vita Moſis*, lib. 3. pag. apud me 519.

V. אפוד, *Ephod*. Hujus latitudo erat latitudo dorſi ab uno humero ad alterum, & pendebat à tergo ab axillis uſque ad pedes. Sub axillis erant duæ faſciæ quæ ad mammas uſque adducebantur, ubi connectebantur, quæque vocabantur חשב, hoc eſt, *artificioſum cingulum Ephodi*, quia iſtæ faſciæ, non ſecùs ac *Ephod*, erant arte eximiâ ſubtili filo & auro confectæ. Erant etiam duo humeralia, quæ ambibant humeros Sacerdotis & ab antica parte cingulo, à poſtica *Ephodo* erant connexa, quod à tergo pendebat, quemadmodum vela mulierum, & ad pectus aliquatenùs accedebat, ut ſemicinctia quorundam opificum, quæ ab humeris ad pectus uſque pendent. Duobus hiſce humeralibus erant inſerti duo berylli auro conſtricti, quibus erant inſculpta duodecim Tribuum nomina, ſex in dextro, ſex verò in ſiniſtro, quorum etiam literæ ita æqualiter diviſæ erant, ut in alterutro humerali eſſent viginti quinque, ideòque nomen *Joſeph* ſcriptum erat *Jehoſeph*, ut eſſet par numerus literarum; atque ita ſcribitur *Pſalm.* 81: 6.

Hiſce humeralibus impoſiti erant duo clavi aurei, unde pendebant duæ catenulæ, quæ Pectorale annectebant *Ephodo*, & tam arctè quidem, ut per ſe non poſſent ſeparari; ſi quis verò ea datâ operâ ſeparaſſet, flagris cædebatur.

VI. חושן, *Pectorale*. Hoc erat aureum, quadratum, palmaris latitudinis, & duplex. Huic inſertæ erant duodecim gemmæ quatuor ordinibus, ita ut tres eſſent in unoquoque ordine. Hæ vocabantur *Urim & Thummim*, Exod. 28: 30. quorum ſæpè meminit Scriptura, & quæ reſponſis Dei, cujus voluntas per ea inquirebatur, erant celebria; quod quâ ratione fieret, alibi diximus. In Templo ſecundo fecerunt quidem Pectorale, & *Urim* ac *Thummim*, ſeu poſuerunt quidem gemmas in Pectorali, ſed nunquam Deum per eas conſuluerunt, quia Spiritus Prophetiæ tùm diſceſſerat.

Maym. ubi ſuprà. Perek. 10.

VII. מצנפת, *Tiara*, vel *Mitra*, ut vertit Græca verba *Philonis* Interpres *Anglus*, ubi dum loquitur de veſtibus Summi Sacerdotis, inter alia, οὐδέποτε, inquit, ἀπο-μιτρώσει, *that in the ſervice he never went without the Miter*, nunquam Mitram deponet. Erat autem Πῖλος ἄκωνος οὐ διικνούμενος εἰς πᾶσαν κεφαλήν, ἀλλ' ἐπ' ὀλίγον ὑπερβεβηκὼς μέσης. *Tiara*, ait *Joſephus*, *ſine coronæ, quæ per totum caput non porrigebatur, ſed tantùm paulò ſupra medium caput, quam capiti imponebat inſtar coronæ. Conſtabat lino; eratque veluti longa faſcia, quâ circum involvebat caput.* Circumplicabatur inſtar Tiaræ Turcicæ, ſed carebat eâ parte quæ ſummitatem capitis tegit, quà erat aperta, cingens tantùm tempora, veluti corolla florea.

Philo de Profug. pag. apud me 364. *Joſeph. Antiq.* ubi ſuprà.

Digitized by Google

VIII. ציץ, *Lamina aurea*, Exod. 28: 36. Hæc erat alligata fronti Tiaræ, eique hæc erant inſculpta verba, SANCTITAS DOMINO. *Atque inter hanc Laminam & Tiaram ponebat*, auctore *Maymonide*, *ſua Phylacteria*.

Ubi ſuprà, Perek. 10.

Ita Summus Sacerdos ſplendidiſſimis & pretioſiſſimis veſtibus indutus erat; munus ejus etiam eminentiſſimum & ſummæ dignitatis. Sed dignitas muneris in eo præſertim ſita erat, quòd eſſet typus *Summi Sacerdotis futuri*; cujus typi & antitypi explicatio tam copioſè expreſſa eſt in Scriptura, & præſertim quidem in Epiſtola ad *Hebræos*, ut ei immorari neceſſe non ſit. Addemus tantùm teſtimonium viri alieni ab Euangelio, aut etiam adverſarii Euangelii, qui tamen hac in re mirè cum eo conſentit. Is eſt *Philo Judæus*, quem anteà laudavimus, qui poſtquàm varia de Maximo Pontifice dixit, ſic orationem ſuam claudit: Λέγομεν γὰρ τὸν Ἀρχιερέα, οὐκ ἄνθρωπον, ἀλλὰ θεῖον λόγον εἶναι, πάντων οὐχ ἑκουσίων μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀκουσίων ἀδικημάτων ἀμέτοχον. *Dicimus Summum Sacerdotem non eſſe tantùm hominem, ſed Verbum etiam Dei, omnium non voluntariorum duntaxat, ſed & involuntariorum peccatorum expertem.* Si quis cupiat videre quàm allegoricè interpretetur ſignificationem variarum partium veſtium Pontificis Maximi de variis partibus Mundi, Aëre, Terrâ, Aquâ, Igne, poteſt eum adire fusè, pro more, de hiſce omnibus diſſerentem, Libro 3. *De Vita Moſis*, pag. apud me 519, 520, 521. ubi poſtquàm multa inania fudit verba, tandem dictum hoc aureum profert, præferendum mille voluminibus, refertis cogitationibus quas anteà edidit. Ἀναγκαῖον ἦν τὸν ἱερώμενον τῷ τοῦ κόσμου πατρὶ παρακλήτῳ χρῆσθαι τελειοτάτῳ τὴν ἀρετὴν υἱῷ πρός τε ἀμνηστίαν ἁμαρτημάτων καὶ χορηγίαν ἀφθονωτάτων ἀγαθῶν. *Neceſſe erat ſacra facientem Patri mundi, perfectiſſima virtutis Filio ejus uti tanquam Mediatore, vel Advocato, ad obtinendam remiſſionem peccatorum, & largitionem copioſiſſimorum bonorum.*

Philo, ubi ſuprà.

Id. pag. 521.

Qui ſemel inauguratus fuerat Summo Sacerdotio, eo munere per totam vitam fungebatur: Οὐ γὰρ ἄλλως γέ τις ἀφῃρέθη τὴν τιμὴν ἅπαξ παραλαβών. *Nemo enim exauctorabatur, ex quo ſemel eum honorem obtinuerat*, hoc eſt, nullâ exauctoratione legali. Sed tandem pecuniâ & gratiâ everſum eſt id privilegium, cùm intruderentur ac ejicerentur Summi Sacerdotes, prout alter alteri prævaleret: cujus rei *Gemara* in Tractatu *Joma* meminit, & *Joſephus* variis in locis exempla profert.

Joſeph. Antiq. lib. 15. cap. 3.

Summus Sacerdos in quibuſdam nullo peculiari privilegio à populo diſtinguebatur. *Poterat eſſe teſtis in cauſis, & teſtimonium adverſus eum ferri poterat, non ſecùs ac contra quemlibet alium. Poterat eſſe Judex, & judicio ſubjici, ut alius quilibet.* Imò כ״ג שעבר עבירה שחייב עליה מלקות מלקים אותו בב״ד של ע״א כאשר מחייבי וחזר לגדולתו, *Si commiſiſſet peccatum, quod juxta Legem flagrum mereretur, Magnum Synhedrium eum flagellabat, & poſteà ſuæ dignitati reſtituebatur.* Ejus calceus exuebatur cùm noluit ſuſcitare ſemen fratri ſuo, quamvis per Legem hoc ei non liceret, quippè quæ vetabat Summum Sacerdotem ducere viduam; ejus uxor etiam abſque liberis relicta poterat exuere calceum proximi affinis; & multa alia memorantur, in quibus Summus Pontifex in iis quæ ad Legis obſervationem pertinebant, nullo privilegio præ cæteris gaudebat, ſed quibus non immorabimur, quia ad inſtitutum noſtrum non faciunt.

Sanhedr. Per. 2.

Maym. in *Beth Mikdaſh*, Per. 4.

Sed erant etiam quædam in quibus diſtinguebatur à reliquo populo, non tantùm reſpectu dignitatis muneris ſui, (quo à reliquis Sacerdotibus diſtinguebatur) ſed etiam reſpectu rerum quarumdam civilium. Quicunque ex ſuis mortuus eſſet, non licebat ei proſequi funus, nec lacerare veſtes propter mortuum: non poterat eſſe obvelatus, ſi alii obvelati eſſent; nec retectus, ſi alii eſſent retecti, ſed contrarium ſemper obſervare debebat: dum alii ſolo inſiderent, ipſe ſedili inſidebat. Alia ſunt multa ſimilia quæ recenſere tædioſum eſſet.

Differebat à reliquis Sacerdotibus, quòd eſſet ſupra eos omnes poſitus, quòd inungeretur, & indueretur ſplendidiſſimis veſtibus, & die Expiationis peculiare obiret Miniſterium.

CAPUT IV.

De Succeſſione Summorum Sacerdotum.

SECTIO I. *De Succeſſione uſque ad ædificationem Templi.*

CAtalogus, ſeu Succeſſio Summorum Pontificum à prima Sacerdotii inſtitutione ad poſtrema tempora quorum meminit Vetus Teſtamentum, ita in Scriptura nobis exhibetur.

1. *Aaron*; Levit. 8: 7. *&c.*
2. *Eleazar*, Numer. 20: 28.
3. *Phinehas*, Numer. 25: 13. *Jud.* 20: 28. Hunc *Eliam* fuiſſe pertinaciter contendunt Judæi.

4. *Abiſ-*

4. *Abiſhua*,
5. *Bukki*,
6. *Uzzi*, } 1 Paral. 6: 5, 6.
7. *Zerujah*,
8. *Merajoth*. Hîc Summum Sacerdotium à linea *Eleazaris* ad lineam *Ithamaris* tranſlatum eſt.
9. *Eli* ab *Ithamare* oriundus, 1 *Sam*. 1:9. & 2: 35, 36.
10. *Phinehas*, 1 Sam. 4.
11. *Abitub*, 1 Sam. 14: 3. & 22:20.
12. *Abimelech*, vel *Abijah*, ibid.
13. *Abiathar*, 1 Sam. 22: 20. Hic ejectus fuit Summo Sacerdotio à *Solomone*, 1 Reg. 2: 26.

Temporibus horum Summorum Sacerdotum ex Familia *Ithamaris*, hæc fuit ſucceſſio in linea *Eleazaris*.

Amarjah, 1 Paral. 6: 7.
Abitub, } 2 Sam. 8: 17.
Zadok,

Cùm porrò dicatur in hoc ultimo loco, *Zadok filius Abitub*, & *Abimelech filius Abiathar erant Sacerdotes*, id debet intelligi ut quod habetur 1 *Sam*. 1: 3. *Hophni & Phineham fuiſſe Sacerdotes Domino*, hoc eſt, Principes Sacerdotum, & præcipuos præfectos Miniſterio Sanctuarii, dum eorum pater *Eli* erat Summus Sacerdos. Sic initio Regni *Davidis Abiathar* erat Summus Sacerdos, eratque ex Familia *Ithamaris*; & cùm Pontifex Maximus non poſſet perpetuò quotidiani cultûs curam gerere, ideò *Zadok Eleazaris* nepos, & *Abimelech Ithamaris*, erant ſub eo Principes Sacerdotum.

Sectio II. *Summi Sacerdotes ab ædificatione Templi ad Captivitatem.*

Statim ac ſolio inſedit *Solomon*, exegit Sacerdotio *Abiatharem*, utpotè reum conſpirationis *Adonijæ*, ejuſque loco ſubſtituit *Zadokum*; ac linea *Eleazaris* tùm recuperavit Sacerdotium.

Zadoki filius fuit *Abimaaz*, 2 *Sam*. 15: 36. Hujus filius *Azarjah*, qui filium habuit *Johanan*, 1 *Paral*. 6: 9. Hi ſex omittuntur ab *Ezra* in recenſione lineæ Sacerdotalis, *Ezr*. 7. cujus omiſſionis hanc poſſumus conjicere cauſam fuiſſe, quòd nempè à tempore *Amarjæ* domus *Eli* cœperit fungi Summo Sacerdotio, & ad tempus *Azarjæ* filii *Johananis* non cœperit Miniſterium Sacrum in Templo *Solomonis*.

Filius *Johananis* fuit *Azarjah*. *Hic functus eſt Sacerdotis munere in Templo quod Solomon ædificavit Hieroſolymæ*, 1 *Paral*. 6: 10. Sed quæritur quo tempore cœperit; an ſtatim ac perfectum fuit Templum, an verò poſteà. Judæi vulgò contendunt hunc eſſe *Azarjam* qui ſe oppoſuit *Uzziæ*, cùm in Templum ingreſſus eſt ut Thymiama offerret, 2 *Paral*. 26: 17, 21. Et quia hic tam fortiter pro honore Sacerdotii contra Regem ſtetit, de hoc ſolo dici eum *functum eſſe Sacerdotis munere in Templo*.

Ulteriùs etiam procedit *Kimchi*, qui dicit hunc *Azarjam* qui ſe *Uzziæ* oppoſuit, natum eſſe *Solomonis* tempore; adeò ut vitam ei tribuat ad minimùm ducentorum annorum, quæ illis temporibus tam longæva eſſe non ſolebat. Sed ſi conſideremus tempora Summorum Sacerdotum qui ei ſucceſſerunt ad Captivitatem uſque, ſatis liquebit hunc *Azarjam* filium *Johananis* fuiſſe Summum Sacerdotem *Solomonis* tempore, & fato functum ac putrefactum multis annis antequàm naſceretur *Uzzias*.

Hic *Azarjah* genuit *Amarjam*, ut diſcimus ex 1 *Paral*. 6: 11. *Amarjah* autem hic fuit Summus Sacerdos temporibus *Jehoſaphati*, 2 *Paral*. 19: 11. *Amarjah* genuit *Abitub*, 1 *Paral*. 6: 11. Hic *Abitub* idem fuit ac *Jehojada*, 2 *Paral*. 23: 1. &c. & vocatur *Abitub Rector Domûs Dei*, 1 *Paral*. 9: 11. *Nehem*. 11: 11. propter auctoritatem quam oſtendit in evehendo ad ſolium Rege *Joaſo*, & in Reformatione inſtituenda.

Abitub generavit *Zadokum*, 1 *Paral*. 6: 12. qui fuit ſocer Regis *Uzziæ*, 2 *Paral*. 27: 1. *Zadok* autem non fuit immediatè filius *Abitubi*, ſed tantùm nepos; nam *Zadok* fuit filius *Merajoth*, filii *Abitubi*, 2 *Paral*. 9: 11. qui *Merajoth* optimè poteſt cenſeri idem ac *Zecharjah*, filius *Jehojadæ*, qui fuit lapidibus obrutus in Atrio Templi, 2 *Paral*. 24. & dictus hîc *Merajoth* propter magnam illam rebellionem populi contra Deum, Prophetam ejus & Templum; & omiſſus in linea Sacerdotum, 1 *Paral*. 6. quia non conſiderabatur tanquam Summus Sacerdos, cùm Sacerdotium ejus non fuerit longum, & mortuus ſit tanquam Propheta.

Zadok genuit *Shallum*, 1 *Paral*. 6: 12. vel *Meshullam*, 1 *Paral*. 9: 11. quorum alteruter, ſeu pater, ſeu filius, ſeſe oppoſuit *Uzziæ* cùm voluit Thymiama offerre: ſed potiùs crediderim hoc feciſſe *Zadokum* Regis ſocerum, qui in ea hiſtoria vocatur *Azarjah*, non ſecùs ac

Rex ipſe. Aut ipſe, aut *Shallum* vocatur etiam *Urijah*, 2 *Reg.* 16: 10.

Shallum genuit *Hilkiam*, 1 *Paral.* 6: 13. Hic *Hilkiah* reperit Manuſcriptum *Moſis* tempore Regis *Joſiæ*, 2 *Paral.* 34: 14.

Hilkiah genuit *Azarjam*, 1 *Paral.* 6: 13. & 9: 11. *Ezr.* 7: 1.

Azarjah genuit *Serajam*, 1 *Paral.* 6: 14. Hic *Serajah* genuit *Jozedek* & *Ezram*, *Ezr.* 7: 1. Horum poſterior fuit interfectus à *Nebucadnezare* cùm expugnavit *Hieroſolymam*, 2 *Reg.* 25: 18.

Jozedek major natu filiorum *Serajæ* abductus fuit *Babylonem*, 1 *Paral.* 6: 15. unde nunquam rediit. Atque ſic habemus Summos Sacerdotes ad Captivitatem uſque. Jam ſi retrò oculos flectamus in ea tempora quæ percurrimus, non difficile erit colligere eum *Azarjam* qui dicitur *functus munere Sacerdotis in Solomonis Templo*, 1 *Paral.* 6: 10. functum eo fuiſſe cùm primùm Templum ædificatum fuit, vel primâ ſtatim vice quâ in eo ſacra facta ſunt, vel cùm inſtauraretur cultus divinus, poſtquàm *Solomon* Apoſtaſiæ ſuæ pœnitentiam egit.

Sectio III. *Summi Sacerdotes ſub Templo ſecundo.*

Acturi de Summis Sacerdotibus poſt reditum ex Captivitate uſque ad everſionem Templi, primo ſtatim limine priuſquàm ulteriùs procedamus, afferendus nobis eſt locus *Thalmudis Hieroſolymitani*, quod

Thalm. Hieroſ. Perek. 1. *Joma.* aliquid hac de re habet. *In primo Templo*, ait in *Joma*, *Summi Sacerdotes miniſtrabant, filio ſemper patri ſuccedente; & illi fuere octodecim numero: ſed in ſecundo Templo conſtituebant Summum Sacerdotem pro pecunia; & quidam dicunt eos ſe invicem interfeciſſe veneficiis, adeò ut quidam dicant fuiſſe octoginta Sacerdotes in eo ſpatio temporis, quidam unum & octoginta, alii duos & octoginta, alii tres & octoginta, alii quatuor & octoginta, alii quinque & octoginta.*

Ne immoremur in expendendo illo *octodecim* Sacerdotum numero, (qui aliquatenùs convenit cum ſuprà à nobis me-

R. Solom. in 1 *Paral.* 6. morato, licèt *R. Solomon* putet legendum eſſe *octo*) obſervabimus duntaxat indè nos in promptu habituros excuſationem, ſi nequeamus tam accuratè recenſere perſonas poſt Captivitatem, quandoquidem, fatentibus ipſis Judæis, numerus ille adeò varius eſt & incertus, ut Doctores de eo inter ſe non conſentiant, ſed in varias abeant opiniones.

I. JOSHUA filius *Jozedek*, (qui, *Ezr.* 2: 2. juxta *Syriacam* pronuntiationem, vocatur *Hagg.* 2: 2. etiam *Jeshua*) patre mortuo, rediit ex Captivitate cum *Zorobabele*, & cœpit ac promovit ædificationem ſecundi Templi, & reſtitutionem populi in priſtinum ſtatum. Hic fuit Summus Sacerdos toto tempore *Cyri* & *Ahaſueri*, & ſub annis aliquot Regni *Darii*. Summum Sacerdotium, quod tum humile ac miſerum videbatur, inſtauratum, ac in ſplendore conſtitutum, ei in viſione oblatum eſt, *Zachar.* 3. Atque uti eodem nuncupabatur *Hagg.* 1: 1. &c. nomine, ita etiam figura erat Domini *Jeſu*.

II. JOJAKIM, *Nehem.* 12: 10.

III. ELJASHIB, *Nehem.* 12: 10. *Joſeph. Antiquit.* lib. 11. cap. 5.

IV. JOJADA, *Nehem.* 12: 10. *Joſephus* eum vocat *Judam*.

V. JONATHAN, vel JOHANAN, *Antiquit.* lib. 11. cap. 7. *Nehem.* 12: 11, 22. *Joſephus* vocat eum Ἰωάννην, & refert quomodò interfecerit fratrem ſuum *Jeſum* in Templo, quem *Bagoſes* Præfectus *Artaxerxis* Junioris volebat conſtituere Summum Sacerdotem: propter quod factum facinus *Bagoſes* irru- *Id. ibid.* pit in Templum, & tributum impoſuit quadraginta Drachmarum in unumquemque agnum qui in quotidiano ſacrificio offerebatur.

VI. JADDUA, *Nehem.* 12: 11, 12. Habuit fratrem, cui *Manaſſes* nomen fuit. Is uxorem duxit *Sanaballetis* filiam; & propterea ejectus Sacerdotio, ac profugus, occaſionem dedit ædificationi Templi in Monte *Gerizim*. *Jaddua* verò *Alexandro* occurrit ſacerdotalibus indutus *Id. ibid.* veſtimentis, eumque iratum ad delen- *cap.* 8. dam *Hieroſolymam* venientem ſolo adſpectu placavit.

VII. ONIAS filius *Jadduæ*. *Id. ibid.* propè finem, & lib. 12. cap. 2.

VIII. SIMON vel SIMEON *Juſtus*. Frequentiſſima eſt hujus viri mentio apud Scriptores Hebræorum, & res maximæ de ipſo feruntur; ut, quòd fuerit *Id. ibid.* vigeſimus tertius qui Traditiones accepit; *Juchaſin*, fol. 1. & fol. 13. quòd duas Vaccas rufas combuſſerit ut faceret luſtrales cineres; quòd fuerit ultimus ex CXX. viris Magnæ Synagogæ *Ezræ*; quòd totius ſui Sacerdotii tempore unam tantùm acceperit *Nazaræi* oblationem; quòd unoquoque die Expiationis Angelus unà cum ipſo ingreſſus fuerit in Sancta Sanctorum, & cum ipſo egreſſus fuerit, præter ultimam vicem quâ eò ingreſſus eſt, & quâ Angelus ingreſſus cum eo non exiit, unde cognovit ſe eo anno moriturum; quòd eo moriente ignis Altaris valdè elanguerit, &c. Ajunt eum

eum reliquiſſe duos filios, *Shimei* & *Oniam*, & voluiſſe ſucceſſorem habere in Summo Sacerdotio *Oniam*, qui fugatus à fratre, profugit *Alexandriam*, ubi celeberrimum illud ædificavit Templum, &c.

Quidam putant hunc *Simeonem Juſtum* eundem fuiſſe cum *Jaddua*, & patrem habuiſſe *Joſuam* vel *Jeſum*, qui fratrem ſuum interfectorem habuit *Jonathanem*: verùm hac de re diſceptationem inſtituere animus non eſt.

[*Joſeph. Antiquit.* lib 12. cap. 2.] IX. ELEAZAR. Hic fuit *Simeonis* frater. Hic *Eleazar* miſit Septuaginta Seniores, qui Legem in Græcam linguam verterent, ad *Ptolemæum Philadelphum*.

[*Id. ibid.* cap. 3.] X. MANASSES *Eleazaris* patruus.

[*Id. ibid.* ad fin.] XI. ONIAS filius *Simeonis Juſti*, vir avarus, & qui cupiditate ſuâ ſibi iram *Ptolemæi Euergetæ* conſcivit.

XII. SIMON filius *Oniæ*.

[*Id. ibid.* cap. 4. ad fin.] XIII. ONIAS filius *Simonis*.

[*Id. ibid.* cap. 6.] XIV. JESUS frater *Oniæ*; nam *Onias* reliquit quidem filium, ſed puerum. Hic *Jeſus* ſemet ipſum indigitavit *Jaſonem*.

XV. ONIAS frater *Jaſonis* vel *Jeſu*, qui ſe vocavit *Menelaum*. Hic contendens cum fratre *Jaſone*, advocavit *Antiochum Epiphanem*, & ipſe valedixit Legibus & Religioni patriæ ſuæ. *Antiochus Hieroſolymam* ingreſſus, evertit omnes Leges ac Religionem, & tantis calamitatibus affecit *Iſraëlem*, ut ſimiles ex quo populus erat nunquam ſenſiſſet ad id uſque tempus, *Dan.* 12: 1. Vide & 11: 31, 32. 1 *Macc.* 1: 44, 45. [*Joſeph. Antiquit.* lib. 12. cap. 7. *Id. ibid.* cap. 8. 1 *Macc.* 2: 1.]

XV. Hæc deſolatio quam *Epiphanes* induxit in Templum & Religionem effecit ut MATTATHIAS ex Claſſe *Jojarib*, quæ prima erat ex viginti quatuor Claſſibus, cùm jam ſenex eſſet, ſurgeret ad defenſionem Religionis, & liberationem patriæ ſuæ. *Chaldæus Paraphraſtes* vocat eum Summum Sacerdotem, *Cant.* 6: 6.

Hîc cœpit ſe extendere nomen ac fama Familiæ *Aſmonæorum*, quæ apud omnes adeò celebris eſt Auctores. Huic Familiæ applicat *Chaldæus Paraphraſtes* dictum illud *Annæ*, 1 *Sam.* 2: 4. *Infirmi accincti ſunt robore. Anna*, inquit, *prophetat de Græcorum Regno, cùm dicit, Arcus fortium fractus eſt; & de Familia Aſmonæorum, quæ erat debilis, & in cujus gratiam ſigna & prodigia facta ſunt, cùm dicit, Infirmi accincti ſunt robore.* Ita etiam *Thargum Cantici Canticorum* applicat ſeptimum verſum *Cap.* 6. ejus Libri, eidem Familiæ: *Sicut fruſtum mali Punici ſunt tua tempora. Regnum*, inquit, *Aſmonæorum Familiæ fuit plenum judiciis, ut malum Punicum*, &c.

Jam ne inquiramus originem vocis; quam reperimus *Pſalm.* 68: 32. & quam Judæi magno conſenſu interpretantur *Summos Duces ac Principes*, *Mattathias* non diu prorogavit vitam, poſtquàm pro devaſtata patria arma ſumpſit, & curam belli reliquit filiis ſuis: inter quos

XVII. JUDAS (cognomine dictus *Macchabæus* ex initialibus hiſce literis quæ in vexillo ejus legebantur, מכבי, hoc eſt, מי כמכה באלים יהוה, *Exod.* 15: 11. *Domine, quis ſimilis eſt tibi inter potentes?*) ſuſcepit tuenda jura populi ſui, Legem, Religionem ac Fœdus; quod magnis victoriis obtinuit: ſed tandem fuit interfectus. [*Joſeph. Antiquit.* lib. 12. cap. 9, 10. &c. 1 *Macc.* 3. & 4. &c.]

Hiſce temporibus cùm omnia perturbata eſſent tum in regione, tum in Religione, quidam ALCIMUS geſſit nomen Summi Sacerdotis; & ex Sacerdotali quidem prole oriundus erat: cæterùm criminibus & impietate ſimilior Ethnico quàm Summo *Iſraëlis* Sacerdoti, multa perpetravit ſcelera, & horrendâ tandem morte abſumptus eſt. [*Id. ibid.* cap. 15, 16, 17. 1 *Macc.* 7: 12, 13, 14. &c. & 9: 1, 5, 55. 1 *Macc.* 9. & 10. & 11. & 21.]

XVIII. JONATHAN. Succeſſit fratri ſuo *Judæ* in imperio exercitûs, & factus Summus Sacerdos ab *Alexandro* filio *Antiochi*, multa egregia edidit facinora, & tandem à *Tryphone* eſt trucidatus. [*Joſeph. Antiquit.* lib. 13. ad cap. 11.]

XIX. SIMON frater ei ſucceſſit, vir etiam fortiſſimus, & inſtar fratrum, commodorum populi ſtudioſiſſimus; ſed per inſidias à genero ſuo è medio ſublatus eſt. [1. *Macc.* 14. & 15. & 16. *Joſeph.* ubi ſupr. cap. 11, 12, & 13.]

XX. JOANNES, dictus etiam *Hyrcanus*, vel *Hyrcanus Jannai*. Expugnavit *Samariam*, & diruit Templum *Gerizitanum*; interfecit multos Sapientes *Hieroſolymæ*; fuit Summus Sacerdos per octoginta annos, ac *Sadducæorum* ſententiam amplexus eſt. [*Joſeph.* ubi ſupr. cap. 18. *Juchaſin*, fol. 14.]

XXI. ARISTOBULUS ejus filius. Primus nomen Regium aſſumpſit. [*Joſeph.* ibid. cap. 9.]

XXII. ALEXANDER. Geſſit etiam Regium nomen, multa confecit bella, ac denique obiit febri quartanâ, quâ per tres annos vexatus fuerat. [*Ibid.* cap. 22, 23.]

XXIII. HYRCANUS ejus filius Summus Sacerdos factus eſt: ſed ejus mater *Alexandra Phariſæorum* auxilio Regnum adminiſtravit. [*Ibid.* cap. 24.]

XXIV. ARISTOBULUS junior frater *Hyrcani* poſt mortem ipſorum matris *Alexandræ*, bellum fratri intulit, è ſolio eum ad privatam vitam deturbavit, Regnumque ac Summum Sacerdotium aſſumpſit. Uterque conabatur ſibi conciliare auxilium *Romanorum*, [Lib. 14. cap. 4, 5, 6.]

rum, *Scauri*, & *Pompeii.* *Ariſtobulus* provocato quâdam petulantiâ *Pompeio*, ei occaſionem dedit expugnandæ *Hieroſolymæ*, & Judæorum *Romano* jugo ſubjiciendorum, quod nunquam poſteà excutere potuerunt. *Pompeius* reſtituit Summum Sacerdotium *Hyrcano*, & abduxit *Ariſtobulum* filiumque ejus *Antigonum*, & duas filias, captivos *Romam.*

Ibid. cap. 10. XXV. ALEXANDER filius *Ariſtobuli* manus *Pompeii* effugit cùm patrem & fratrem captivos *Romam* abduceret, atque in *Judæa* varios excitavit tumultus; & cùm Regnum affectaſſet, à *Romano* Duce *Gabinio* bis oppreſſus eſt.

Ibid. cap. 11. & 15. XXVI. ANTIGONUS, alter *Ariſtobuli* filius, *Româ* elapſus venit in *Judæam*, & primùm auxilio Regis *Tyri*, poſtmodùm *Parthorum*, Summum Sacerdotium ac Poteſtatem *Hyrcano* eripuit, eumque in carcerem conjecit, aurem ei abſcindi curavit, eâque mutilatione ineptum eum Summo Sacerdotio reddidit. Sed ut *Hyrcanus* auribus mutilatus fuerat, tandem *Antigonus* capite obtruncatus eſt *Antiochiæ* ab *Antonio* ſecuri percuſſus, cùm eum primùm crucifigi, & virgis cædi juſſiſſet. (Lib. 15. cap. 1. *Dion Caſſius*, lib. 49.)

Joſeph. lib. 15. cap. 2. XXVII. ANANELUS inferior Sacerdos *Babylone* ejectus factus eſt Summus Sacerdos ab *Herode*. Hinc iram concepit *Alexandra* filia *Hyrcani*, & uxor *Alexandri* filii *Ariſtobuli*; imò & *Mariamne Herodis* uxor, quæ erat *Alexandræ* filia, quòd inferioris ſortis Sacerdos prælatus fuiſſet *Ariſtobulo Mariamnes* fratri & *Alexandræ* filio. Hæ mulieres variis artibus ac importunitate obtinuerunt Summum Sacerdotium *Ariſtobulo*, atque exauctorationem *Ananelis*. (*Ibid.* cap. 2.)

Ibid. cap. 3. XXVIII. ARISTOBULUS, juvenis raræ pulchritudinis, factus eſt Summus Sacerdos, cùm annum ætatis decimum quintum non excederet: ſed poſtquàm Sacerdotio per annum aut paulò ampliùs potitus eſſet, *Herodes* curavit eum ſuffocari, cùm lavaretur. Tùm *Ananelus* iterùm Summum Sacerdotium conſequutus eſt.

Ibid. cap. 12. XXIX. JESUS filius *Faventis*. Eum brevi exauctoravit *Herodes*.

Ibid. XXX. SIMON filius *Boëthi*. Erat tantùm Sacerdos; ſed cùm *Herodes* duxiſſet ejus filiam raræ pulchritudinis puellam, conſtituit eum Summum Sacerdotem.

Lib. 17. cap. 6. XXXI. MATTHIAS filius *Theophili*. *Herodes* exauctoravit ſocerum ſuum *Simonem*, quia putabat eum, ejuſque filiam uxorem ſuam, ſociare conſilia cum filio ſuo *Antipatro*.

Ibid. 8. XXXII. JOZARUS, filius *Simonis*, frater uxoris *Herodis*, *Matthiâ* ab *Herode* exauctorato.

XXXIII. ELEAZAR factus eſt Summus Sacerdos à Rege *Archelao*, exauctorato *Jozaro*. *Ibid.* cap. 15.

XXXIV. JESUS filius *Sie* expulit *Eleazarum*. *Ibid.*

XXXV. JOZARUS ſecundùm. Eum locum occupabat cùm deſcripta eſt *Judæa* à *Cyrenio*, Luc. 2. eo tempore quo *Chriſtus* natus eſt; & cùm populus jam jam eſſet rebellaturus, potiùs quàm tributa *Romanis* penderet, perſuaſionibus ſuis eum in officio continuit. Lib. 18. cap. 1.

XXXVI. ANANUS, remoto *Jozaro*, factus eſt Summus Sacerdos à *Cyrenio*. *Ibid.* cap. 3.

XXXVII. ISMAEL promotus à *Valerio Grato*, ejecto *Anano*.

XXXVIII. ELEAZAR filius *Anani*, pulſo *Iſmaële*, ab eodem *Grato* promotus, functus eſt Summo Sacerdotio anno unico. *Ibid.*

XXXIX. SIMON filius *Kamith* ab eodem *Grato* conſtitutus eſt. *Thalmud Hieroſolymitanum* vocat eum בן קמחית, & refert hanc de eo hiſtoriam. *In præparatione diei Expiationis, cùm exiiſſet ut Regem alloqueretur, aliquantulùm ſalivæ in veſtes ejus decidiſſe, eumque polluiſſe; ideòque Judam ejus fratrem die Expiationis ejus loco vices Summi Sacerdotis obiiſſe, atque ita matrem eorum Kamith vidiſſe duos filios ſuos Summos Sacerdotes unâ die.* Habuit ſeptem filios, qui omnes Summo Sacerdotio functi ſunt; unde ortum eſt Proverbium: כל קמחא קמחא וקמחא קמחית כולת, *Omnis farina eſt farina; ſed farina Kamchith eſt pollis*, in *Joma*, Per. 1.

XL. CAJAPHAS, qui etiam vocabatur *Joſeph*. Erat etiam ex iis quos promovit *Gratus*, qui omnes iſtas mutationes intra undecim annos fecit. Jam autem pervenimus ad tempora mortis Servatoris noſtri, atque ad facinoroſum hominem qui ejus criminis pars magna fuit *Annas* vel *Ananus*, qui ante quartam mutationem fuerat Sacerdos ante ipſum, dicitur fuiſſe Summus Sacerdos cum ipſo, *Luc.* 2. *Ibid.*

XLI. JONATHAN filius *Anani*, factus Summus Sacerdos à *Vitellio* loco *Cajaphæ*, quem exauctoravit. *Ibid.* cap. 6.

XLII. THEOPHILUS frater *Jonathanis*, remoto *Jonathane*, ab eodem *Vitellio* factus eſt Summus Sacerdos. *Ibid.* cap. 7.

XLIII. SIMON, dictus etiam *Kantherus*, conſtitutus eſt Summus Sacerdos ab *Herode Agrippa*, *Theophilo* remoto. Hujus *Simonis* filiam duxit *Herodes*, & in mutationibus, quæ ab his temporibus tam frequentes fuerunt, exauctoratus eſt. Lib. 19. cap. 5.

XLIV. JONATHAN filius *Anani*, *Ibid.* cap. 6.

iterùm

Digitized by Google

iterùm reſtitutus ab *Agrippa*: ſed optavit ſibi ſubſtitui fratrem *Matthiam*, ut qui aptior eſſet Summo Sacerdotio quam ipſe; quod fuit inſtar portenti eo tempore, quo ambiebatur tantâ cupiditate Summum Sacerdotium.

XLV. MATTHIAS, ſubſtitutus *Jonathani*.

XLVI. ALIONEUS, vel *Eliœnai* ab *Agrippa* conſtitutus loco exauctorati *Matthiæ*. *Ibid. cap.* 7.

XLVII. JOSEPHUS filius *Kanei*, promotus ab *Herode* Rege *Chalcidis*. Lib. 20. cap. 1.

XLVIII. JONATHAN trucidatus inſidiis Præſidis *Felicis*. *Ibid. cap.* 6.

XLIX. ISMAEL filius *Fabi*. *Ibid.*

L. JOSEPHUS filius *Simonis*. *Ibid.*

LI. ANANUS filius *Anani* ſuprà memorati. Hic erat *Sadducæus*. Interfecit *Jacobum* fratrem Domini noſtri. Dicitur *Ananias* paries dealbatus, quem *Paulus* non agnovit pro Summo Pontifice, *Actor.* 23: 3, 5. *Ibid. cap.* 2.

LII. JESUS ab *Agrippa Chalcidis* Rege *Anano* ſubſtitutus. Fuit filius cujuſdam *Gamalielis*. *Ibid.*

LIII. MATTHIAS filius *Theophili*. Atque hic cœperunt bella Judæorum, quæ tandem eos peſſumdederunt. *Ibid.*

Hoc tempore tumultus & ſeditiones tantam confuſionem induxerunt in Summum Sacerdotium, dum hic aut ille eligitur, vel exauctoratur, juxta libidinem factionum quæ potentiores erant, ut is confuſum opus aggrederetur, qui ſuſciperet Summorum Sacerdotum horum temporum Catalogum edere. Itaque cùm perduxerimus eorum ſeriem ad ea tempora, quibus nullus ampliùs fuit tum in Eccleſia, tum in Republica ordo, & dignitas ac reverentia tanti muneris pedibus conculcata fuerit; contenti erimus eo numero quem retulimus, & ab ulteriori ſuperſedentes inquiſitione, tranſibimus ad alios ordines Sacerdotum, de quibus ex inſtituto noſtro agere debemus.

CAPUT V.

Sagan, Katholikin, Immarkalim, & Gizbarin.

SECTIO I. SAGAN, סגן.

VOx *Sagan* rarò occurrit in Scriptura; ſed & nomen & dignitas notiſſima & frequentiſſima ſunt apud Rabbinos. Palàm eſt eum fuiſſe proximum dignitate Summo Sacerdoti, vel ejus Vicarium; ſed in quibus & quâ ratione vices ejus obiret, quæritur, & *Abraham* quidem *Zaccuth* diſceptationem ex profeſſo ea de re inſtituit. Conjectura duci poteſt circa hoc negotium ex Traditione quæ memoratur in Codice *Joma*; nempè imminente die Expiationis, quo Summus Sacerdos in Sancta Sanctorum ingreſſurus erat, מתקינין לו כהן אחר תחתיו שמא יארע בו פסול, *ſubſtituebant ei alium Sacerdotem, ſi quod vitium ei contingeret. Rabbi Jehuda dicit, Subſtituunt etiam aliam uxorem, ſi uxor ejus moriatur; quia dicitur, Et expiabit pro ſe, & pro domo ſua, id eſt, uxore ſua.* Jam autem quidam putant eum Sacerdotem qui conſtituebatur ut paratus eſſet, ſi quid contingeret Summo Sacerdoti quod eum ei Miniſterio inidoneum redderet, ad vices ejus obeundas, vocatum fuiſſe *Sagan*. *Joſephus* ſuppeditat nobis exemplum, quo liquet Miniſterium diei Expiationis à Vicario peractum fuiſſe: ſed hæc opinio uſum τȢ *Sagan* unâ tantùm anni hebdomade inducit, cùm conſtet ex Judæorum monumentis, eum per totum annum munere ſuo functum eſſe. Ideò alii conjiciunt, τὸν *Sagan* fuiſſe eum qui proximus erat Pontifici Maximo, ejuſque munus fuiſſe veluti Candidati Summi Sacerdotii. Ita *R. Solomo* vocat *Eleazarem* filium *Aaronis*, τὸν *Sagan*. Et *Thalmud Hieroſolymitanum* obſervat, neminem perveniſſe ad Summum Sacerdotium, niſi anteà fuiſſet *Sagan*. Sed ſunt duo argumenta quibus ea opinio oppugnatur. Primum eſt, Summos Sacerdotes, præſertim poſt *Herodis* tempora, ita conſtitutos fuiſſe ex arbitrio Præſidis *Romani*, ut credibile non ſit tùm obſervatum fuiſſe num qui creabatur *Sagan* fuiſſet necne. Alterum eſt, in toto Veteri Teſtamento, ubi ſucceſſio ad Sacerdotium ordine fiebat & juxta Legem, & notum ſemper erat quis futurus eſſet Summus Sacerdos, nunquam occurrere mentionem aut nominis, aut muneris τȢ *Sagan*, ſed tantùm 2 *Reg.* 25: 21. & *Jerem.* 52: 24. ubi mentio fit *Zephaniæ ſecundi Sacerdotis*, quem *Chaldæus Paraphraſtes* vocat *Sagan*. Jam autem niſi hic eſſet filius *Serajæ*, quod nemo hactenùs, quem equidem noverim, affirmavit, nunquam poterat ad Summum Sacerdotium pervenire, etiamſi Templum evaſiſſet flammas, & deſolationem *Babyloniorum*.

Ut inveniamus quid eſſet iſte *Sagan*, & quâ in re ſitum ejus munus eſſet, obſervandum eſt eum vulgò vocari סגן הכהנים, *Sagan Sacerdotum*; quo titulo *Paraphraſtes Chaldæus* ornat duobus locis citatis *Zephaniam*. Sic *Thalmud* in duobus locis Tractatus *Shekalim*, loquitur de *Anania qui erat Sagan Sacerdotum*. Alibi in eodem *Thalmude*, & aliis Scriptoribus Hebræis, hæ duæ

Juchaſin, fol. 57.

Joma, Per. 1. ab initio.

Joſeph. Antiq. lib. 17. cap. 8.

R. Solomo in *Numer.* 19.

Aruch in *Sagan*, & *Juchaſin*, ubi ſuprà.

Shekal. Per. 3. & 6.

Digitized by Google

duæ voces conjunguntur, סגן הכהנים, *Sagan Sacerdotum*. Quæ locutio videtur indicare inter ejus munus, & inferiores ipſo Sacerdotes, æqualem, ſi non majorem, fuiſſe relationem, quàm inter id, & Summum Sacerdotem, qui erat ſupra ipſum dignitate conſtitutus. Nec video quâ ratione meliùs intelligi queat id munus, quàm ſi concipiamus τὸν *Sagan* fuiſſe Vicarium Summi Sacerdotis, qui eo abſente præeſſet, vel præſenti adjutor eſſet in negotiis ad Templum pertinentibus, & Miniſterio Sacerdotum. Nam licèt verum ſit ejus officium in quibuſdam reſpexiſſe perſonam Summi Sacerdotis, ut in tribus circumſtantiis memoratis in *Thalmude Hieroſolymitano*; attamen reſpiciebat etiam Sacerdotes ipſo inferiores: unde *Maymonides* ait, כל הכהנים תחת יד סגן, *Omnes Sacerdotes ſunt ſub manu τῦ Sagan.* Cùm Summo Pontifici præcipuè incumberet munus & cura rerum ſacrarum, idque eſſet maximi ponderis, cogebatur adjutorem aliquem habere qui id onus ſecum ferret, (imò etiam aliquando imbecillitas ac vecordia Summi Sacerdotis neceſſarium prorsùs id munus efficiebat) cui etiam Sacerdotes inferiores eundem honorem, eandemque reverentiam exhiberent, ac Summo Sacerdoti ipſi. Vocabatur ſpeciatim *Memoneh*, ſeu *Præfectus* quatuordecim Ordinum, de quibus anteà diximus, quia tanquam Vicarius Summi Sacerdotis præerat toti Miniſterio; & de hoc Præſide nobis erit aliqua occaſio loquendi, cùm de ipſo Miniſterio verba faciemus.

Thalmud Hieroſ. Perek. 3. In *Kele Mikdaſh*, Perek. 4.

Id. ibid.

Similiter anteà obſervavimus, *Zadokum*, & *Abimelechum* dici fuiſſe Sacerdotes diebus *Abiatharis* Summi Pontificis, qui primus erat Præſes, dum illi ſub ejus auctoritate inferioribus præeſſent. Atque an *Cajaphas & Annas* poſſint hoc ſenſu dici fuiſſe Summi Sacerdotes ſimul, *Luc.* 3: 2. ita ut *Cajaphas* propriè dictus eſſet Summus Sacerdos, *Annas* verò ejus *Sagan*, (qui *Hananiah Sagan Sacerdotum* dicatur in *Thalmude*, ut anteà notavimus) Doctorum eſto arbitrium. Fui, fateor, in alia ſententia, atque exiſtimavi *Annam* vocari Summum Sacerdotem, utpotè Sacerdotem & Principem *Synhedrii*; quâ in re nimiùm credidi *Baronio*, viro Antiquitatum Chriſtianarum multò peritiori quàm Judaicarum. Sed jam inveni neminem unquam ejus nominis fuiſſe Principem *Synhedrii*; ideòque eò inducor ut credam hunc *Annam* vocatum Summum Sacerdotem, quia re ipſâ eò munere functus fuerat, licèt tùm exauctoratum, & obtinentem munus τῦ *Sagan* ſub *Cajapha*.

In Harmon. Euang. in Not. ad *Luc.* 22.

SECTIO II. KATHOLIKIN, קתוליקין

Aut ipſe *Maymonides*, aut ejus Librarius, duplicem exhibuit hujus vocis lectionem. Nam in Opere quod inſcripſit *Jad Hazakah*, legimus קתיקולין *Kathikolin*; in ejus verò Commentario in *Thalmudis* textum, legimus קתילוקין, *Kathilokin*; atque ad hanc poſteriorem lectionem magis accedit *Thalmud Hieroſolymitanum*, aliique Judæi, qui vocem ſic efferunt, קתוליקין, *Katholikin*, *Catholici*. *Gloſſa* interpretatur, ממנים על אוצרות, *Præfectos Theſauris*. Et apud alios quidem Auctores occurrit aliquando ad ſignificandum *præcipuos Theſaurarios*, aliquando verò *præcipuos Miniſtros*, ſeu amicos Principis. *R. Tanchuma* confert *Moſem & Aaronem*, reſpectu Dei, duobus *Kathlikin* (ſic enim ſcribit קתליקין) Regis alicujus. Nam dum verba facit de mandatis Dei ad *Moſem & Aaronem*, quibus juſſi ſunt ire in montes *Hor* & *Nebo*, atque ibi mori, hanc profert Parabolam. *Cui rei hoc negotium eſt ſimile? Eſt ſimile Regi qui habet duos* Catholicos, *qui nihil faciunt præter voluntatem Regis. Unus eorum habet aliquam litem cum Rege; at Rex opus habet illo. Rex dicit, Quamvis hic ſit in mea poteſtate, non contendam cum illo, ſed id ipſe cognoſcet. Ita ſanctus benedictus Deus dicit, Hi duo juſti viri nihil unquam fecerunt quod non eſſet voluntati meæ conſentaneum, eos jam e medio tollam, ſed volo ejus rei eos certiores facere.* In hac comparatione ſumit *Katholikin* pro præcipuis Principis Miniſtris, ſeu iis qui maximè apud eum gratiâ valent; ſed non ſignificat munus quo illi fungebantur. Sed alii Scriptores Hebræi Ærarii Præfectos fuiſſe ajunt, ut *Bamid Bar Rabba*, qui dicit, *Korah erat Catholicus Regis Ægypti, & habebat claves ejus theſaurorum.* Imò idem *Tanchuma* in alia Parabola hac voce juxta iſtam notionem utitur: dicit enim, *Eſt quemadmodum Rex qui fecit amicum ſuum Katholicum, & præfecit eum ſuis theſauris. Katholiciani* olim apud Juriſconſultos dicebantur *Rationum præfecti*, ut obſervatum eſt ab eruditiſſimo *Buxtorfio*.

Kele Mikdaſh, Perek. 4. *Gloſſ.* in *Thalmud. Shekel.* Per. 5. *Ibid* in *Gemara.*

Jelammedenu, fol. 83. col. 1.

Vide *Buxtorf. Lexic. Thalmud.* in voce.

Aruch in voce.

Non opus eſt nos curioſiùs in eorum munus inquirere. Duo erant viri qui ampliſſimo munere in Templo fungebantur, & quibus ſuperiores erant tantùm duo alii, nempè *Summus Sacerdos*, & *Sagan*. Et cùm eſſent tres præfecti Gazophylacio Templi, ut ſtatim videbimus, hi duo erant præcipui præfecti Ærario, qui rationem

repe-

Digitized by Google

repetebant à tribus illis; quod non eſt abſimile mori *Perſarum*, apud quos cùm eſſent 120. Provinciis totidem præfecti *Satrapæ*, erant tres ſummi Præſides ſupra alios conſtituti, quibus inferiores illi rationem adminiſtrationis ſuæ reddebant, *Dan.* 6: 1, 2. *Maymonides* brevem hanc tradit deſcriptionem horum *Catholicorum.* ממנין קתיקולין להיות לסגן כמוהכנן לכ״ג, *Conſtituebant Cathikolin ut eſſent τῷ Sagan, quod ipſe Sagan erat Summo Sacerdoti*, Vicarii nempè ejus, adjutores, & dignitate ac honore proximi. Negotia Templi hæc duo præcipua erant, viz. *Miniſterium Sacerdotale, & Adminiſtratio Theſauri*, ſeu pecuniæ quæ propter oblationes, aut aliis de cauſis in Gazophylacium afferebantur. Jam autem uti erant ordinarii Sacerdotes, qui quotidianum obibant Miniſterium; ita erant inferiores Theſaurarii, qui accipiebant oblationes, & quicquid afferebatur in publicum Ærarium Templi. Quatuor viri autem, Summus Sacerdos, *Sagan* & duo *Catholici* utriſque præerant, & curabant Theſaurum ita adminiſtrari, ut nihil deeſſet Templi Miniſterio, Miniſterium verò illud convenienter obiretur.

Kele Mikdaſh, Perek. 4.

Sectio III. Immarcalin, אמרכלין.

Hiſce poſſumus adjungere ſeptem *Immarcalin*, (neque enim plures vel pauciores eſſe poterant) quorum qua in re ſitum eſſet munus, æquè difficile eſt invenire, ac eorum de quibus jam egimus: hoc enim duntaxat ſuffragiis conſentientibus ipſis tribuitur, quòd geſtarent claves ſeptem Portarum Atrii, nec ullus poſſet eas aperire abſque reliquis. Quidam addunt, *fuiſſe ſeptem Conclavia ad ſeptem Portas, in quæ recondebantur ſacra vaſa ac ſacræ veſtes, quorum hi ſeptem viri ferebant claves, & curam gerebant.*

Thalmud, in Shekal. Perek. 5. *Maym.* ubi ſuprà.

Vide *Toſaph.* ad *Shekalim*, cap. 5. & *R. Solom.* in 2 *Reg.* 12.

Chaldæus Paraphraſtes in Legem, qui ſub nomine *Jonathanis* editus eſt, utitur voce אמרכול in *Numer.* 1. & 7:11. ad deſignandos Principes, ſeu Capita duodecim Tribuum, qui viri *Moſi* aderant in cenſu populi faciendo, quique obtulerunt dona ſua ad dedicationem Altaris. At *Levit.* 4: 15. eam adhibet ad ſignificandos Seniores Tribuum, qui manus impoſuerunt capiti victimæ pro peccato, quæ totius Congregationis nomine offerebatur. Similiter quicunque ſit auctor *Paraphraſis Chaldaicæ* in *Canticum*, voce hac, *Cant.* 4: 3. ſignificavit Principem vel Dynaſtam Regi dignitate proximum: nam hunc verſum, *Labia tua ſunt ſimilia filo coccineo, & eloquium tuum gratioſum. Tempora tua ſunt ſimilia fragmini mali Punici intra comam tuam,* ſic παραφράζει, *Labia Summi Sacerdotis fortia erant in precibus die Expiationis ante Dominum, & earum abundantia immutabat peccata Iſraëlis, quæ erant ſimilia filo coccineo, eaque inſtar puræ lanæ dealbabat. Rex verò, qui erat Caput ſuper eos, erat plenus judicio, quemadmodum malum Punicum,* בר מן אמרכליא וארכונין, *præter Nobiles & Rectores qui erant juſti, nec erat malum in ipſis.*

Tharg. in *Cant.* 4:3.

Similiter etiam in aliis locis *Chaldæi Paraphraſtæ*, vox ea aliquoties uſurpatur ad ſignificandum virum in eximia aliqua dignitate conſtitutum; ſed aliquando etiam deſignat munus aliquod peculiare. Sic *Jonathan*, cujus extat Paraphraſis in Prophetas, vertit Sacerdotes, Janitores, 2 *Reg.* 12: 10. כהניא אמרכליא, *Sacerdotes, Amarcalin*: quem in locum hæc obſervat *David Kimchi:* שומרי סף, *Cuſtodes liminis, ſignificat Cuſtodes vaſorum Domûs; nam* סף *eſt nomen generale vaſorum ſacrorum. Jonathan interpretatur id Amarcalin: hi autem erant præcipui Theſaurarii, qui aliis præerant. Sic Onkelos vertit hunc locum, Eleazar filius Aaron erit Caput ſuper Capita Levitarum,* Numer. 3: 32. אמרכלא דמכנא, *Amarcal præfectus Principibus Levitarum.*

Kimchi in 2 *Reg.* 12: 10.

Ad rem noſtram parùm conducit obſervatio variæ ſcriptionis & lectionis hujus vocis; quæ aliquando ſcribitur *Marcol*, (& præſertim in *Hieroſolymitano Thalmude*, in quo haud rarum eſt א *Aleph* è quibuſdam vocibus tolli, unde pro *Eleazar* conſtanter habet *Lazar*) juxta quam ſcriptionem *Aruch* ejus etymologiam & ſignificationem ex his vocibus deducit, מר על כל, *Dominus ſuper omnia.* Aliquando ſcribitur *Amarcol*, aliàs *Immarcol*, vel *Immarcal*, quod à *Gemara* Thalmudica exponitur *Inſpector omnium*, ſeu is juxta cujus mandata negotia Templi adminiſtrabantur. Verùm quærimus quanam in re ſitum eſſet ejus munus; quod ſcriptio, vel notatio vocis nos nequaquàm docet.

Conſentiunt omnes *Amarcalorum* numerum ſeptenarium fuiſſe, eoſque geſtaſſe ſeptem claves juxta ſeptem Portas Atrii. Sed hic naſcitur quæſtio, utrùm nempè eorum eſſet munus perpetuum, an verò unaquaque hebdomade mutarentur, quemadmodum Claſſes Sacerdotum. Varia hæc utrinque afferri poſſunt argumenta. Si eis in perpetuum id muneris impoſitum non eſſet, quare numerantur inter Miniſtros Templi, quaſi Miniſtri perpetui? Nam

Digitized by Google

in mutatione Claſſium *Princeps Claſſis* numeratur quaſi præcipuus; illi verò duobus gradibus ſupra illum conſtituuntur. Si verò erant perpetui Miniſtri qui perpetuò clauderent & recluderent Portas Atrii, quid reſpondebimus huic loco Tractatûs *Middoth*, ubi affirmantur *Claves Portarum fuiſſe in cuſtodia Seniorum Domûs Patrum ſuorum*, in Claſſibus quæ per vices miniſtrabant?

Midd. Perek. 1.

Itaque, ut medii inter hæc duo incedamus, concipiemus hos ſeptem *Amarcalos* fuiſſe Miniſtros perpetuos, non ſecùs ac erat Summus Sacerdos, *Sagan*, & *Katholikin*; & claves quidem Atrii fuiſſe eorum arbitrii, ſed curam commiſiſſe delegatis quibuſdam claudendarum & aperiendarum Portarum Atrii, & ſpeciatim nonnullis ex Senioribus uniuſcujuſque Claſſis quæ vicem ſuam obibat; eoſque non tantùm haſce claves in poteſtate ſua habuiſſe, verùm etiam claves Veſtiariorum Templi, & Conclavium, in quibus aſſervabantur varia vaſa; præfectos denique hiſce omnibus fuiſſe, & in uſum Templi ea adminiſtraſſe.

SECTIO IV. *GIZBARIN*, גזברין.

Maymon. in Kele Mikdash.

Conſtans erat Traditio: אין פחתין משלשה גזברין, *Gizbarin non erant pauciores quàm tres, erantque veluti Vicarii Immarcalorum.*

Vox גזבר occurrit in Hebraico Textu, *Ezr.* 1: 8. & in Chaldaico, *Ezr.* 7: 21. quibus in locis utrobique habet *Anglica* noſtra Verſio *Treaſurers*, hoc eſt, Theſaurarios. Scopus ac ſenſus prioris loci evidenter oſtendit rectam eſſe Translationem: nam dum agitur de *Cyro* qui vaſa ſacra Templo *Hieroſolymitano* reſtitui curavit, dicitur *ea protuliſſe per manum Mithredath*, τῦ *Gizbar*. Septuaginta Interpretes verterunt Γασβαρηνοῦ, quaſi eſſet nomen proprium, vel Patronymicum: ſed hic idem locus oſtendit ſignificari eum virum qui cuſtodiebat iſta vaſa, ſeu eorum erat Theſaurarius: atque ita interpretatur *Kimchi*, *Erat Præfectus & Theſaurarius*. In poſteriori loco iidem LXX. Interpretes verterunt Γάζαις, non *Theſaurariis*, ſed *Theſauris*: at ſenſus loci oſtendit eâ voce ſignificari Miniſtros Regios; & *Rabbi Solomon* ita interpretatur, המקבלים מסים, *Eos qui accipiunt tributa.*

Kimchi in *Michlol*, in voce.

R. Solom. in *Ezr.* 7.

Jam quod attinet ad Miniſtros Templi de quibus agimus, qui vocabantur *Gizbarin*, *Maymonides* loco paulò anteà laudato ita eos deſcribit: *Exigebant quicquid fuerat conſecratum, & redimebant quicquid erat redimendum.* Sed in Scholiis ſuis ad Thalmudicum Tractatum *Shekalim*, pleniùs mentem ſuam exprimit hiſce verbis: *Gizbarin erant qui præfecti erant Sacro Gazophylacio, & omnibus conſecratis rebus: & redimebant quicquid ſanctificatum fuerat,* (הקדשות, *Levit.* 27: 14. &c.) *& quicquid erat devotum,* (חרם, *Numer.* 18: 14.) *& quamlibet perſonam*, vel rem *æſtimatam* (ערכים, *Levit.* 27: 2.) *& ſecundam Decimam.*

Maym. ubi ſuprà.

Thalmudicus etiam Textus in eo Tractatu *Shekalim* loquitur de *Gizbarin* accipientibus Semi-ſiclum, tributum capitationis; & de *Gizbarin* aperientibus Theſaurum vaſorum conſecratorum. In Tractatu *Megillah* mentio fit *Gizbarorum accipientium lignum*, &c. Itaque erant ii de quibus loquimur, primùm Receptores & Theſaurarii omnium rerum debitarum vel dicatarum Theſauro Templi, qualis erat Semiſiclus ab unoquoque *Iſraëlita* debitus, qualia erant vaſa quæ cultui divino obeundo offerebantur, quæ vota vel devota fuerant, aut pecuniâ redimi debebant. Hi æſtimabant redemptionis pretium, & pecuniam accipiebant: erant autem, ut ita dicam, Subcollectores, & inferiores Theſaurarii; nam omnium quæ accipiebant, debebant rationem reddere ſeptem *Immarcalis*, & unà cum *Immarcalis* τοῖς *Katholikin*, qui omnes erant ſubjecti Summo Pontifici & τῷ *Sagan*.

Atque hæc erat propriè *Beth Din*, *Domus Judicii*, ſeu *Conſiſtorium Sacerdotum*, cujus anteà meminimus, & quod adminiſtrabat negotia Sanctuarii. Nullam dicebat ſententiam, aut pœnam infligebat, vel mulctam pecuniariam vel corpoream indicebat Fratribus aut aliis; ſed membra ejus erant בוליוטי βυλευταὶ, *Conſiliarii Templi*, qui curam gerebant debitorum, Gazophylacii, Theſauri, vaſorum, veſtium, inſtaurationis ac Miniſterii Templi, & omnia denique, juxta uſus quibus erant deſtinata, adminiſtrabant. Conſeſſus eorum ſedebat in Conclavi *Parhedrorum* vel *Palhedrorum*, de quo diximus, cùm eam ædificii Templi partem deſcripſimus. Melioribus temporibus vocabantur Βυλευταὶ, *Conſiliarii*, quia reverà conſilia conferebant in utilitatem Templi: ſed poſtquàm corrupti ſunt, & privatas tantùm utilitates quæſiverunt, vocati fuerunt Πάρεδροι, vel *Aſſeſſores*. *Joſephus Arimathæenſis* dicitur βυλευτὴς τίμιος, *Conſiliarius honoratus*, *Marc.* 15: 43. Videtur fuiſſe Sacerdos qui hujus Societatis Aſſeſſor erat, ſed qui reliquos integritate

tegritate ac probitate multùm ſuperabat. Ita & *Thalmud* meminit *R. Simeonis* τῦ בולויטרה, *Conſiliarii.*

Thalm. Hieroſ. in *Taanith*, Per. 4.

CAPUT VI.

Sect. I. *De viginti quatuor Claſſibus Sacerdotum.*

Id. ibid. Per. 4. *Maym.* in *Kele Mikdaſh*, Per. 4. *Kimchi* in 1 *Paral.* 24. *R. Salom.* ibid.

RECepta eſt inter Hebræos Doctores opinio, Claſſes Sacerdotum primùm à *Moſe* inſtitutas fuiſſe; & præſertim quidem, ut ajunt nonnulli, quatuor Claſſes *Eleazaris*, & quatuor *Ithamaris*; ſed, ut alii ajunt, octo utriuſque. Qui contendunt *Moſem* conſtituiſſe tantùm octo Claſſes, exiſtimant *Samuelem* octo alias addidiſſe, adeò ut eſſent ejus tempore ſexdecim; denique *Davidem* additis iterùm octo, numerum ad viginti quatuor auxiſſe. Sed qui exiſtimant *Moſem* ſexdecim conſtituiſſe Claſſes, putant *Davidem* & *Samuelem* junctis conſiliis octo alias addidiſſe. Neceſſe non eſt, nec operæ pretium ut noſmet hiſce tricis induamus, & diſquiramus utri rectiùs ſentiant, quandoquidem quamprimùm Scriptura mentionem injicit harum Claſſium, ait eas fuiſſe viginti quatuor, & *Davidem* eas conſtituiſſe ac diſtribuiſſe. Ille Spiritu divino numerum earum definivit, & divinis ſortibus ordinem conſtituit.

Ut meliùs poſſimus eas Claſſes, ac Miniſterium Sacerdotum, qui juxta earum ordinem in Templo miniſtrabant, intelligere, ante omnia Sacerdotum ætatem, tempus quo in Miniſterium ingrediebantur, ritus quibus Miniſterio initiabantur, ac denique rationem ac conditionem Claſſium quas conſtituebant, nos conſiderare oportet.

I. Frequentiſſima eſt apud Judæorum Scriptores mentio τῶν פרחי כהונה, *Juvenum Sacerdotii*; ſic enim poſſumus rectè vertere, vel *germina Sacerdotii*, hoc enim propriè vox ſignificat: quemadmodum dicitur in Tractatu *Joma*: *Nocte quæ præcedit diem Expiationis, ſi Summus Sacerdos incipiebat dormire, οἱ* פרחי כהונה *percutiebant eum digitis, ut excitarent.* Ubi *Scholiaſtes* habet, *Juvenes quorum barba tùm primùm eſfloreſcere incipiebat.* In Tractatu *Thamid*, dicuntur *Seniores Domûs Patrum ſuorum jacuiſſe in ſcamnis*; ſed פרחי כהונה, *germina Sacerdotii jacuiſſe in ſolo:* ubi etiam Scholia eandem habent interpretationem ac in ſuperiori loco. Sed *R. Nathan* interpretatur *filios Sacerdotum qui jam tùm ſunt idonei Miniſterio:* quidam alii ſimiliter exponunt, שהגיעו לעבודה, *qui tùm primùm ad Miniſterium venerunt*, qui ibidem in *Miſhnah* vocantur רבים *Juvenes.*

Joma, Per. 1. *Tham.* Per. 1. *Aruch* in פרח. Vide *Gloſſ.* in *Miſhnah*, & *Gemar.* in *Tham.* in loc. citat.

II. Jam autem ætatem Sacerdotum, cùm Miniſterio initiarentur, invenimus triplicem, vel triplici ratione expreſſam in Scriptura. Nam prima lex circa ætatem Sacerdotum, cùm miniſtrare inciperent, definit trigeſimum annum, *Numer.* 4: 3. ac ſimiliter Levitarum, *verſ.* 23, 30, 35. Sed eſt alius locus qui dicit Levitas à viginti quinque annis, & ſuprà, miniſtraturos, *Numer.* 8: 24. Tertius loquitur de Levitis quaſi miniſtrantibus à vigeſimo anno & ſuprà, 1 *Paral.* 23: 24, 27. Verùm in hac varietate nulla eſt contradictio, ſed mutatio quædam juxta varios reſpectus. Definita ætas erat annus trigeſimus, (atque ita typo reſpondit Servator noſter, qui eâ ætate Miniſterium ſuum ingreſſus eſt, *Luc.* 3.) ſed anno vigeſimo quinto erant Candidati, & quædam miniſteria quidem obire poterant, ait *Aben Ezra*, ſed non omnia: nam poterant quidem inſervire Tabernaculo, ſed non poterant ferre Arcam. Ideòque cùm Arca poſita fuit in Templo, jam non ampliùs hinc indè circumferenda, *David* divino monitu definivit initium eorum Miniſterii anno vigeſimo: & tùm erant tantùm פרחי כהונה, *germina Sacerdotii*, incipientibus tùm illis inferioribus genarum partibus eſfloreſcere. Miniſterium *Samuelis* in Tabernaculo quod *Silunte* tùm erat, fuit caſus extraordinarius, & id tantùm faciebat quod erat Tyronis vel Candidati, ut diſceret rationem miniſtrandi ac canendi.

Aben Ezra in *Numer.* 8. *Kimchi* in 1 *Paral.* 23. *Id.* in 1 *Sam.* 2.

III. Ratio eorum initiationis ac admiſſionis ad Miniſterium hæc fuit. *Magnum Synhedrium* quotidiè ſedebat in Conclavi *Gazith*, ad judicandum de Sacerdotibus qui ad ætatem pervenerant inchoandi Miniſterii, ad videndum num illi verè ex Sacerdotali prole eſſent, necne. Si probaſſent, tùm diſquirebant an nullum eſſet in iis vitium. Si non probaſſent verè & plenè ſe ex Sacerdotali progenie eſſe, induebantur veſtibus pullis, atque abibant, nec quicquam *Synhedrio* cum iis ampliùs negotii erat. Sed ſi probaſſent ſe ex Sacerdotum quidem proſapia oriundos, at aliquod in iis deprehenderetur vitium ex vitiis centum & quadraginta, totidem enim numerant; tùm præficiebatur ſeparando verminoſo ligno, de quo loquuti ſumus in deſcriptione Atrii Mulierum. Sed ſi probaſſet ſe eſſe ex Sacerdotali ſanguine rectâ oriundum lineâ, nec ullum eſſet in ipſo vitium; tùm candidis veſtibus induebatur, & inter Sacerdotes

Midd. Per. 5. *Maym.* in *Beath Mikd.* Per. 6. *Id. ibid.* Per. 8.

 reliquos

Digitized by Google

reliquos conſcriptus ingrediebatur in Atrium, ut inſerviret Altari quemadmodum reliqui: atque ad hanc conſuetudinem alluſum puto *Apocal.* 3: 5. in hiſce verbis, *Qui vicerit veſtietur veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de Libro Vitæ.*

At hîc non eſt indigna quæ referatur hiſtoria quam memorat *Suidas*, licèt digna non ſit quæ credatur.

Suidas in voce Ἰησοῦς.

Theodoſius quidam Judæus tempore *Juſtiniani* Imperatoris narravit *Philippo* cuidam Chriſtiano, qui eum ad Chriſtianam fidem adduxerat, tanquam grande inter Judæos arcanum, ac nonniſi paucis notum: cùm adhuc Templum ſtaret, & *Chriſtus* privatam vitam ageret, quendam Sacerdotem obiiſſe *Hieroſolymæ*, principes verò Sacerdotum conveniſſe ad alium ejus loco eligendum: & dum varii varios nominarent, quendam Sacerdotem ſurrexiſſe, & nominaſſe *Jeſum* filium *Joſephi* fabri lignarii, quippè cujus ſingularis ſapientia atque integritas ipſis notæ eſſent. Et cùm nonnulli objeciſſent, *Joſephum* non eſſe ex Tribu *Levi*, ſed *Juda*, nec proindè ejus filium Sacerdotio idoneum eſſe: reſponſum fuiſſe, eum ortum ex ea ſtirpe quæ adeò Leviticæ commiſta erat, ut poſſet admitti; ac tandem omnium ſuffragiis in demortui Sacerdotis locum ſucceſſiſſe. Jam autem cùm ſolerent eorum nomina qui ad Sacerdotium admiſſi fuerant in publicas tabulas referre cum nominibus conſanguineorum, advocarunt matrem *Jeſu*, (obierat enim *Joſephus*) ut conſanguinitatem ejus notam faceret: quæ cùm dixiſſet ipſis, eum non habere in terris patrem, ſed conceptum fuiſſe ex Spiritu Sancto, & dixiſſet quot fuiſſent teſtes qui ſuo partui aderant, ſed ſe adhuc virginem eſſe; ipſi verò vocaſſent quoſdam teſtes ex iis qui ejus adfuerant puerperio, & teſtimonium accepiſſent ab aliis mulieribus à quibus curaverunt eam inſpici, ipſam adhuc virginem eſſe, nomen & conſanguinitatem *Jeſu* in Commentarios publicos retuliſſe hiſce verbis: *Tali die talis obiit Sacerdos, filius talis viri & talis mulieris; ac communibus ſuffragiis ejus loco electus eſt Jeſus filius Dei Viventis ac Virginis Mariæ.* Atque hic Commentarius, ajebat hiſtoriæ narrator, cùm *Hieroſolyma* capta eſt, conſervatus eſt curâ atque induſtriâ alicujus ex Judæorum primariis, & *Tiberiade* aſſervatur. Et hanc hiſtoriam, inquit *Suidas*, habeo ab aliquo qui eam audivit à *Philippo*, cui relata fuerat.

Hanc hiſtoriam non expendemus, eam qualem invenimus narraſſe contenti; ſed redibimus ad Claſſes Sacerdotales. Judæi exiſtimant, nec prorſùs ſine fundamento, ex viginti quatuor Claſſibus quæ inſerviebant Templo primo, quatuor tantùm rediiſſe ex Captivitate *Babylonica*; nempè Claſſes *Jedajæ*, *Harim*, *Paſhur*, *Immer*. Has tantùm *Thalmud Hieroſolymitanum*, & *Thoſaphoth ad Taanith*, recenſent ex *Ezr.* 2: 36, 37, 38, 39. Sed *Thalmud Babylonicum* loco *Harim* nominat *Jojarib*; & Scholia in eum locum meritò hunc ſcrupulum movent, quomodò *Paſhur* facta fuiſſet una ex Claſſibus, cùm inter eas anteà non fuiſſet.

Thalm. Hieroſ. ubi antè. *Thoſaph.* ad *Taanith*, Perek. 4. *Thalm. Babylon.* ibid.

Sed quomodò hæ quatuor Familiæ poterant efficere viginti quatuor Claſſes, juxta primam diſtributionem & Propheticam ac divinam conſtitutionem. Prophetæ, ajunt iidem Scriptores, qui erant inter filios Captivitatis, hanc invenerunt rationem eas in tot Claſſes diſtribuendi.

Fecerunt viginti quatuor ſortes, & inſcripſerunt eis nomina viginti quatuor Capitum Claſſium illarum, & in pyxidem eas conjecerunt. Jedajah *eduxit quinque, quibus ipſe additus ſex effecit.* Harim *eduxit quinque, quibus ipſe additus ſex effecit.* Paſhur *eduxit quinque, quibus ipſe additus ſex effecit.* Immer *eduxit quinque, quibus ipſe additus ſex effecit. Et hoc cum ipſis inierunt pactum Prophetæ, quamvis* Jojarib *rediret ex Captivitate, tamen eum non ejecturum Claſſem quæ ante ipſum erat.*

Hic autem eſt hujus Traditionis ſenſus: eos in educendis ſortibus quibus inſcripta erant nomina Principum veterum Claſſium, hoc tantùm in animo habuiſſe, quæ nomina Claſſium ex unaquaque quatuor iſtarum Familiarum eſſent educenda videre, non verò ordinem Claſſium immutare, ſed antiquam earum ſeriem intactam relinquere. Claſſis duntaxat *Jojarib* quæ anteà prima erat, tùm locum ceſſit *Jedajæ*; cujus rei hæc eſt ratio, quòd *Jedajah* eſſet ex Summorum Pontificum Familia, oriundus à *Joſhua filio Jozedeki*; atque eapropter primus locus ei eſt attributus, *Ezr.* 2: 36. *Gloſſa* quidem in *Thalmud Babylonicum* hanc dicit fuiſſe rationem: *In hac ipſorum nova conſtitutione unuſquiſque Claſſem ſuam ſumere debebat, prout ſors ejus trahebatur; & juxta ordinem quo ſortes in manus extrahentium veniebant, ſuis hebdomadibus miniſtrabant.* Sed ſi hæc eſſet ratio, quomodò *Jojarib* æquè non extraxiſſet ſortes, ac *Jedajah*, cùm eum præſentem fuiſſe Sacri Commentarii teſtentur? Si parùm adeò intereſſe putabant, quis ordo eſſet inter

Gloſſa, ibid.

inter Claſſes, quomodò in numero adeò conſuetudinis obſervantes fuere, quandoquidem in prima Claſſium inſtitutione unum æquè ac alterum conſtitutum divinâ directione fuit? Cùm *Lucas* Euangeliſta dicit *Zachariam* patrem *Joannis Baptiſtæ* fuiſſe *ex Claſſe Abiæ*, Cap. 1: 5. reſpexit ſine dubio ad ordinem Claſſis *Abiæ* prout conſtituitur, 1 *Paral.* 24: 10. tum enim *Abiæ* Familia non numerabatur ampliùs inter Claſſes; neque enim ulla ejus mentio fit inter Sacerdotes qui rediere ex Captivitate: ideòque Euangeliſta ait, non *Zachariam* fuiſſe ex ejus Familia, ſed ex ejus Claſſe, hoc eſt, ex Claſſe quæ nomen ejus gerebat. Verùm ad ordinem Claſſis quod attinet, vel reſpicit locum allatum Scripturæ, qui facilè conſuli poterat, ejuſque verba debent ex eo exponi; vel ejus Claſſis ordo prorſùs reperiri nequit.

Cùm ſic iterùm diviſæ eſſent Claſſes poſt Captivitatem, ſed eodem ordine diſpoſitæ ac olim, & numeroſæ evaſiſſent; על כל משמר ומשמר היה מעמד בירשלים, *unaquaque Claſſis* (ait *Miſhnah* loco citato) *habebat ſtationem Hieroſolymæ.* Quod *Hieroſolymitana Gemara* ita exponit. *Traditio eſt fuiſſe* 2400. *in ſtatione Hieroſolymæ; dimidiam verò ſtationem fuiſſe Hierichunte. Et Hiericho quidem potuiſſet producere integram ſtationem; ſed quia Hieroſolymæ hunc concedere honorem volebat, dimidiam tantùm producebat. Et cùm aliqua Claſſis debebat aſcendere Hieroſolymam, dimidia Claſſis veniebat Hieroſolymam ex provincia extra terram Iſraëlis ſitâ; dimidia verò Claſſis veniebat Hierichunte.* Quod *Gemara Babylonica* ita exprimit: *Erant viginti quatuor Claſſes in terra Iſraëlis, & duodecim Hierichunte.*

Quod non dicitur quaſi eſſent triginta ſex Claſſes, ſed quia viginti quatuor ita erant diviſæ, ut dimidia pars uniuſcujuſque Claſſis perpetuò reſideret *Hieroſolymæ*, ac circa *Hieroſolymam*, ut ſtatim paratæ eſſent ad miniſtrandum, cùm earum redibat ordo; reliquæ verò ſeu dimidia altera pars uniuſcujuſque Claſſis hinc indè ſparſa erat: *Hierichunte* tantùm & in locis vicinis magnus erat numerus uniuſcujuſque Claſſis qui ibi perpetuò degebat, ut alii *Hieroſolymæ*. Cùm tempus eorum Claſſis venerat, aſcendebant *Hieroſolymam* ſeu ut Fratres in Miniſterio adjuvarent, ſeu ut victus ipſis compararent dum miniſtrabant. מתקנים לאחיכם, *Parabant fratribus ſuis*, ait *Gloſſa* quædam in hunc locum; שיספו מים וכזון לאחיכם, *ut Fratres eorum haberent ſatis aquæ & victuum*, ait alia. Ad reliquos ejus Claſſis qui nec *Hieroſolymæ* erant, nec *Hierichunte*, ſed per regionem diſperſi erant, quod attinet, ipſi unà cum Levitis & Stationariis, qui ad eam Claſſem pertinebant, conveniebant in Synagogas ſuas, prout vicini erant, jejunabant, orabant & legebant Legem, & ſupplicationes inſtituebant, ut Fratrum Miniſterium quod jam *Hieroſolymæ* peragebatur acceptum eſſet. ישראל שבאותו משמר מתכנסין לעריהן, *Iſraël qui erat ejus Claſſis* (ait *Miſhnah* loco jam allato) *unà conveniebat in civitates ſuas, & jejunabat* &c. Ubi voce *Iſraël* non intelliguntur *Iſraëlitæ* vel Stationarii ejus Claſſis, quatenùs contradiſtinguuntur à Sacerdotibus & Levitis; ſed intelliguntur omnes Sacerdotes, & Levitæ, & Stationarii ejus Claſſis, qui ſparſi erant per terram *Iſraëlis*, quatenùs diſtinguuntur ab iis qui miniſtrabant *Hieroſolymæ*.

Ut unaquæque Claſſis erat diviſa reſpectu loci & Miniſterii; ita unaquæque etiam in varios gradus erat diſtincta.

I. Erat ראש המשמר, *Princeps Claſſis*, qui omnibus præerat, & repræſentabat virum illum eximium ex quo Claſſis nomen ſumpſerat. Dubium non eſt quin plerique horum Principum eſſent Adſeſſores *Magni Synhedrii*; & quamvis in negotiis ad Templum pertinentibus *Sagan*, *Katholikin*, *Immarcalin* & *Gizbarin*, de quibus jam dictum eſt, ſupra ipſos eſſent, in hoc tamen Summo Senatu omnes æquales erant; atque hi omnes ſimul juncti iidem ſunt quorum ut Adſeſſorum ejus Conſeſſûs, ſub nomine *Principum Sacerdotum* tam frequens mentio occurrit in Euangeliis.

II. Erat ראש בית אב, *Princeps Domûs Patris:* nam Præfectus Claſſis ita eam dividebat in Domus Patrum, ut unaquæque Domus, vel Familia ſuâ die miniſtraret. Qui autem erant in variis Familiis ſub Principe Domûs Patris, vocabantur כהנים הדיוטם, *ἱερεῖς ἰδιῶται*, *Sacerdotes privati*. *Maymon.* in *Kele Mikdaſh.*

Hæ Claſſes Miniſterium ſuum inchoabant Sabbati die, & die Sabbatum proximum ſequente abibant, 2 *Reg.* 11: 7. 2 *Paral.* 23: 4. miniſtrantes per unicam hebdomadem continuam; adeòque Miniſterium earum bis intra annum redibat.

Miniſterium uniuſcujuſque Claſſis ita erat diviſum. *Thalm. Hieroſ.* & *Thoſaph.* ubi ſuprà.

In Claſſe quæ habebat quinque Domus Pa-

 trum,

trum, tres miniſtrabant per tres dies, duæ verò per quatuor.

In Claſſe quæ habebat ſex Domus Patrum, quinque miniſtrabant quinque dies, una per biduum.

In Claſſe quæ habebat ſeptem Domus Patrum, unaquæque ſuâ die miniſtrabat.

In Claſſe quæ habebat octo Domus Patrum, ſex ſerviebant per ſex dies, duæ verò unâ die.

In Claſſe in qua erant novem Domus Patrum, quinque ſerviebant per quinque dies, quatuor verò per biduum.

Thoſaph. ibid. *Dum aderant, licebat Sacerdotibus Claſſis vinum bibere noctû, non verò interdiù, quia poterat fieri ut Miniſterium Fratrum eſſet gravius quam ut ab eorum Familia ferri poſſet: quod ſi eveniret, neceſſe illis erat his ſuppetias ferre; quod non potuiſſent ſi bibiſſent vinum. Sed ei Familiæ quæ miniſtrabat, non licebat vinum bibere, nec noctû, nec interdiù. Quicunque noverat Claſſem ſuam & Familiam, arcebatur à vino, eâ tantùm die quâ Familia ad quam pertinebat miniſtrabat. Qui noverat ſuam Claſſem, non verò Familiam,* (quæ diuturnitate temporis intercidiſſe potuerat) *is arcebatur à vino totâ hebdomade.*

In quibuſdam neceſſitatibus Sacerdotes miniſtrare poterant, licèt eſſent immundi. *Maym. in Biath Mikdash.* *Omnis oblatio, ſeu pro Congregatione, ſeu pro privato quopiam, cujus tempus conſtitutum eſt, diſpenſat à Sabbato, & ab immunditia, ſed quæ mortuo tantùm contracta eſt. Exempli gratiâ, tempus conſtitutum ſacrificio cuipiam veniſſet, maxima autem pars Congregationis quæ offerret illud, eſſet mortuo polluta, ut* 2 Paral. 30: 17. *vel Congregatio quæ offerret eſſet munda, ſed Sacerdotes qui deberent offerre eſſent mortuo polluti; vel utrique eſſent mundi, ſed vaſa Miniſterii ita polluta, attamen in hac immunditia offerri ſacrificium oportuiſſet, ac mundi & immundi ex æquo adhiberi poſſent, omneſque Atrium ingredi. Sed qui ſunt immundi aliâ quapiam pollutione, ut profluvio, tactu reptilis, ſceleti, vel ſimili, non poſſunt adhiberi Miniſterio, nec Atrium ingredi.*

CAPUT VII.

De Levitis.

SECTIO I. *De Janitoribus & Cuſtodibus Templi.*

1 Paral. 25. & 26. LEvitæ diviſi erant in Janitores & Cantores; quæ officia mutare non licebat; nec aliorum conſequi munera, aut Sacerdos fieri poterat ullus eorum.

Erachin, Per. 2. in Gemara. Diſtributio Janitorum in viginti quatuor Claſſes non tam clarè habetur in Scriptura, ac ejuſmodi diſtributio Sacerdotum & Cantorum: horum enim Claſſes numerantur ac nomine appellantur, illorum non item. Attamen duo loca 2 *Paral.* 8: 14. & 1 *Paral.* 26: 17, 18. rem faciunt adeò probabilem, ut ferè æquè certò indè poſſit elici, ac diſtributio Sacerdotum & Cantorum ex iiſdem Libris colligitur: *Et conſtituit juxta diſpoſitionem David patris ſui officia Sacerdotum in miniſteriis ſuis, & Levitas in ordine ſuo ut laudarent, & miniſtrarent coram Sacerdotibus, juxta ritum uniuſcujuſque diei; & Janitores in diviſionibus ſuis per portam & portam.* In poſteriore verò loco Principes Janitorum totidem numerantur, quot Principes aliarum Claſſium, nempè viginti quatuor. *Inter omnes Janitores,* ait *David Kimchi, erant viginti quatuor juxta numerum reliquarum Claſſium; ſex ad latus Orientale, ſex ad Septentrionale, ſex ad Meridionale, in Aſuppim duo & duo, hoc eſt omninò quatuor; quatuor ad Occidentale, & duo in Parbar; ecce quatuor & viginti. Rabbini noſtri eos diſtribuerunt in viginti quatuor loca,* &c. *Kimchi in 1 Paral. 26.*

Munus Janitorum primùm erat aperire & claudere Portas *Montis Domûs*, & Atrii Mulierum, (diximus enim Sacerdotes curam in ſe ſuſcepiſſe aperiendarum & claudendarum Januarum alterius Atrii) & adſtare per totam diem ad Portas illas, ne quid parùm Templo conveniens contingeret, aut quod officeret puritati, conſervationi ac tranquillitati loci & Miniſterii. Secundò, munus quodpiam Theſaurarii Scriptura Janitoribus imponit, cùm eſſent ad Januas quas ſervabant quædam Gazophylacia de quibus fusè locuti ſumus, ubi egimus de Portis & Ærariis. Ad eam partem quod ſpectat eorum muneris, cujus aliquando meminerunt Rabbini, & quam deſcribunt hiſce vocibus לחניף דלתורת, ſeu ſita eſſet in verrendis Portis & conſervandis nitidis, ſeu in vertendis clavibus in Januis minoribus, cùm Valvæ majores erant clauſæ; ea ita coincidit cum continua Portarum cuſtodia, ut ſit tantùm hujus muneris pars, nec opus ſit eam quaſi ſeparatum munus conſiderare.

Præter eam diurnam curam Janitorum ad Valvas Templi, alia erat æquè magna aut etiam major ad Valvas & alia loca in Excubiis ad ſervandum Templum faciendis,

Digitized by Google

Maym. in Beth Habbech. Perek. 8. dis, quæ loca erant viginti quatuor. *Cuſtodia Sanctuarii*, ait *Maymonides*, *erat præceptum affirmativum, quamvis non timerent nec hoſtes, nec fures: & præceptum de hac cuſtodia præcipiebat eam fieri noctù. Qui autem ſervabant erant Sacerdotes & Levitæ; ut dicitur, Tu & filii tui tecum ante Tabernaculum Congregationis*, &c. Jam an Levitæ qui has agebant Cuſtodias eſſent Janitores tantùm, non verò etiam Cantores uniuſcujuſque Claſſis, cùm ordo ejus redibat, poſſet quidem optimè diſputari, ſi operæ pretium eſſet in id inquirere: ſed ſive eſſent, ſive non eſſent, Excubiæ erant viginti quatuor numero, quæ fiebant in viginti quatuor locis, tres erant Sacerdotum, una & viginti Levitarum. Primò erant Excubiæ ad unamquamque Portam Montis Domûs; una ad Orientalem Portam *Shushan*, una ad Septentrionalem *Tedi*, duæ ad duas Meridionales Portas *Huldah*, una ad Occidentalem Portam *Coponii*. Erat etiam Cuſtodia ad quatuor angulos magni ſpatii quadrati, adeò ut novem eſſent in eo muro qui ambibat ſanctum ſolum. Tres aliæ Portæ in latere Occidentali, una *Parbar*, & duæ *Aſuppim*, non habebant, ut reliquæ, nocturnos vigiles, quamvis interdiù haberent Janitores; vel quia præceps earum deſcenſus eas ſecuras præſtabat, vel quia aliquâ aliâ ratione earum ſecuritati conſulebant. Secundò, circa murum qui Atria includebat erant duæ Excubiæ in duobus Orientalibus angulis, & Occidentalibus, omnes extra murum Atrii. Quinque etiam erant ad quinas Januas ex ſeptem. Duæ illæ quæ Leviticas Excubias non habebant, erant *Janua Aquæ*, ſuper qua erat Cuſtodia Sacerdotum in Conclavi *Abtines*; & ſuperior Janua τῦ *Corban*, prope quam Sacerdotes in Conclavi *Beth Mokadh* excubias agebant. Erat prætereà Cuſtodia Levitarum in Conclavi τῦ *Corban*, è regione Sancti Loci; alia in latere Meridionali è regione Veli; & alia ponè Sanctiſſimum Locum. Janua *Nitſots* habebat Excubias Sacerdotum & Levitarum admodùm vicinas. Quæ omnia loca faciliùs perciperentur inſpectione Tabulæ Templi, ejuſque ædificiorum, quam adornavimus, ſi unquam poſſet in lucem prodire.

Id. ibid. Erat qui unaquaque nocte circumiret omnes iſtas excubias, qui dicebatur *Vir Montis Domûs. Si quem inveniret in pedibus non ſtantem*, dicebat ei, *Pax tibi ſit: ſed ſi quem opprimebat dormientem, eum verberabat, & poterat ejus veſtibus ignem injicere; adeò ut dicerent, Quis ſtrepitus hic eſt in Atrio? Eſt ſtrepitus Levitæ vapulantis, & cujus veſtes uruntur, quia obdormivit in Excubiis. R. Eliezer filius Jacob dicit, Aliquando invenerunt avunculum meum dormientem, & ejus veſtes uſſerunt.* Porrò ſeu hic *Vir Montis Templi* eſſet ὁ *Sagan*, ut quidam parùm veriſimiliter exiſtimant, vel quiſpiam ex Claſſe excubias agente, eam in rem conſtitutus, ut putant *Maymonides* & *Bartenora*, ſeu quivis *Ubi antè. In Middoth.* alius, videtur hæc combuſtio veſtium ejus qui obdormiebat lucem fœnerari *Apocal.* 16: 15. *Beatus qui vigilat & cuſtodit veſtimenta ſua.*

Sectio II. *De Cantoribus & Muſica Templi.*

Jam ne immoremur ordini & diviſioni Cantorum & Claſſium ipſorum, quarum fuſa eſt deſcriptio 1 *Paral.* 25. nec Muſicæ Templi in Lege fundamenta quæramus, quod *Gemariſtæ* multis inquirunt in Tractatu *Erachin*; agamus paucis de *Erachin. fol.* 11. perſonis Cantorum, eorumque Cantu, ſeu Muſica.

Maymonides nos docet Cantores fuiſſe *Maymon. in Kele Mikdash, Perek.* 3. Levitas & Iſraëlitas ſimul, מהן לויין ומהן ישראלין מיוחסין המשיאין לכהונה שאין עולה על דוכן אלא מיוחס. Dixit in præcedentibus verbis Cantum Templi fuiſſe propriè altarum vocum, non inſtrumentorum, quia *fundamentum Cantûs* iſtius, quo colebatur Deus, fiebat altâ voce: עיקר שירה בקול, quod axioma ſæpiſſimè in *Thalmude* occurrit: attamen concludit alios voce, alios inſtrumentis ceciniſſe. *Et quidam ex iis*, inquit, *erant Levitæ, quidam illuſtres Iſraëlitæ, qui affinitate erant conjuncti Sacerdotibus; nemo enim in pluteum Cantorum ire poterat niſi vir illuſtris.*

Miſnah in Tractatu *Erachin* anteà citato eadem utitur diſtinctione, & ita quidem quaſi *Iſraëlitæ*, de quibus Rabbinus noſter, partem aliquam ſuſtinuiſſent in inſtrumentorum Muſica, non in vocum. Nam cùm meminiſſet cantûs Tubarum, & Muſicæ aliorum inſtrumentorum, & rationis qua adhibebatur, ita concludit: *Hi autem* (nempè qui variis canebant inſtrumentis, de quibus proximè præcedentibus verbis locutus eſt) *erant ſervi Sacerdotum. Verba R. Meir. R. Joſe ait, Erat Familia Pegarim, & Familia Tſipparjah* מעמעוס *ex Emmaunte, quæ ad Sacerdotium aſſumebantur. R. Haninah, filius Antigoni, dicit, Erant Levitæ. Gloſſa* in hunc

Digitized by Google

hunc locum: *Erant Familiæ illuſtres, quarum filias duxerant Sacerdotes.* Tractatus

Succah, Perek. 5. in *Gemara*.

Succah loquitur de iiſdem Familiis, & dicit: *Erant ex Ai & Emmaunte:* (ſcriptum hic eſt אמאס) & *Gloſſa: Erant illuſtres Iſraëlitæ, quorum filiæ ac viduæ poterant nubere Sacerdotibus.*

Itaque diſceptatur utrùm ad Muſicam adhiberentur ſoli Levitæ; ſed ſi qui alii adhiberentur, debebant quàm proximè eſſe propinqui Sacerdotio, affinitatibus & aliis diſpoſitionibus, & cùm quàm poterant proximè ſeſe Sacerdotibus conjunxerant, non admittebantur ad jungendas voces Muſicæ Vocali, quæ propriè conſtituebat cantum & cultum divinum, ſed tantùm ad Inſtrumentalem Muſicam. Si quis vir probus & pius, vel affinitate Sacerdotibus conjunctus, deditus Muſicæ, & orationibus ad Deum ſic fundendis (quod uſitatiſſimum erat) obtuliſſet ſe ad conjungendam peritiam & devotionem ſuam Choro Templi, non rejiciebatur, ſed licebat ipſi cum inſtrumento ſuo inter eos eſſe qui inſtrumentis canebant; at non poterat ſeſe iis adjungere qui altâ voce utebantur; hoc enim pertinebat ad ſolos Levitas. Ita dicitur 2 *Sam.* 6: 5. *David autem & omnis Iſraël ludebant coram Domino in omnibus lignis fabrefactis, & citharis, & lyris, & tympanis, & ſiſtris, & cymbalis.*

Ad numerum Cantorum altâ voce canentium quod attinet, nunquam erat minor duodenario; talis enim erat numerus uniuſcujuſque Claſſis, cùm diviſi ſunt in Claſſes ſuas, 1 *Paral.* 25. ſed poterat numerus quantùm libebat augeri, juxta diſertam Traditionis regulam:

Erachin, ubi ſuprà.

Non oportet eſſe pauciores duodecim Levitis in pluteis: ſed ei numero ſemper addebant. Et cùm filiis Levitarum nullâ aliâ occaſione liceret Atrium ingredi, licebat tùm cùm Levitæ canerent, & unà cum illis canere, modò non aſcenderent in pluteos, nec ſuperiora aſpicerent, ſed ſtarent in pavimento ad pedes parentum ſuorum.

Gloſſa, ibid.

Hujuſce rei mandatum deſumebant ex hiſce verbis, *Ezr.* 3: 9. *Tum ſtetit Joſhua cum ſuis filiis, Kadmiel & filii ejus, &c. Et canebant ſimul per Claſſes, &c.* Hoc etiam hac ratione firmant,

Gemar. ibid.

דהני קטי קליהו והני עב קליהו, *quia vox horum erat exilis, aliorum verò altior; hi acutum tonum, alii graviorem ſequebantur, quâ ratione pleniorem & ſuaviorem efficiebant Muſicam.*

Inſtrumenta quibus utebantur vel flatilia erant, vel pulſatilia. Primum inſtrumentum flatile conſiderandum, erat Tuba, cujus miniſterii ad Altare mentio fit 2 *Paral.* 7: 6. & 29: 26. & variis aliis in locis, in quibus ejus uſus tribuitur Sacerdotibus, non Levitis: nam certè non pertinebat ad Concentum, ſed audiebatur cùm finiebat Concentus, ut ſtatim videbimus.

Numerus Tubarum non erat *infra binarium, nec ſupra centum & viginti.* Ratio ob quam non erant pauciores duabus, petita eſt ex præcepto, *Numer.* 10: 2. *Fac tibi duas Tubas.* Nec erant plures centum & viginti, quia plures non fuerant cum inchoaretur cultus divinus in Templo, 2 *Paral.* 5: 12.

Dominus juſſerat *Numer.* 10: 10. *Si quando habebitis epulum & dies feſtos, & Calendas, canetis tubis ſuper holocauſtis,* &c. Hinc petebatur mandatum & neceſſitas Muſicæ Templi, cujus hæc erat ratio.

Qui Tubis canebant erant Sacerdotes; talis enim fuerat prima inſtitutio, *Sacerdotes filios Aaronis Tubis uſuros*, Numer. 10: 8. 1 *Paral.* 15: 24. Nec cùm hac parte Sacri Miniſterii fungebantur, Levitis juncti erant in pluteis, vel ipſis proximi, ſed ad alterum latus Altaris ſtabant, & Tubis canebant, facie ad inferiora Atrii converſâ, ut Levitæ contrà faciem ad ſuperiora obverſam habebant, ſed ita ut utrique reſpicerent Altare. *Duo Sacerdotes ſtabant ad Menſam Adipis*, שולחן חלבים, *manu gerentes duas argenteas Tubas*, ut ait *Miſnah Thalmudica* in loco citato in margine.

Tamid, Perek. 7.

Duorum meminit Sacerdotum, quia erat minimus Tubarum numerus quo ſolerent uti: ſi verò plures eſſent, ſtabant in eodem loco amplius occupantes ſpatium, ſcilicet in Occidentali latere graduum Altaris; ibi enim, ut ſuo loco obſervatum eſt, collocata erat *Menſa Adipis*.

Cantus Tubæ primùm erat unius tenoris & longus, deinde fractus & tremulus, tum iterùm longus & uniformis ſonitus. Hos ſonitus Judæi vocant תקיעה תרועה תקיעה, quod in compendiis ſcripturæ ſic exprimunt תת"ת.. Sacerdotes juxta *Mishnam* modò laudatam, תקעו והריעו ותקעו, *canebant, fractum ſonum edebant, canebant*; liceat enim ſic ea verba vertere, donec pleniùs oſtendam quid ſignificent.

Sacerdotes nunquam Tubâ canebant quin tres hoſce ſonitus exprimerent, atque indè orta eſt diſputatio quæ aliquoties in *Thalmude* occurrit; quot circiter vicibus Tuba caneret quotidiè ad Altare. Sic habet generalis Traditio: אין פוחתין מכ"א תקיעה במקדש ולא מוסיפין על מ"ח,

Erachin, Perek. 2. in Mish. & Succah, Perek. 5. Gemara, ibid. Thalm. Hieroſol. in Succah, Perek. 5. & Gemar. Babylon. in Erach. Perek. 2. Thalm. Babylon. in Succah, ubi ſupr. in Gemar. fol. 53. & Gloſſ. ibid. & Gloſſ. in Erachin, ubi ſuprà.

מ״ח, *Nunquam paucioribus vicibus canunt in Sanctuario quam viginti unâ, nunquam pluribus quàm unâ & quadraginta.* Sed quidam rem ita exprimunt, *Nunquam eos cecinisse minùs quam ſeptem vicibus, nunquam magis quàm ſexaginta.* Ratio autem hujus diſcriminis, quod reverà nullum eſt, hæc eſt, quòd alii habeant tres iſtos diſtinctos Tubæ ſonitus pro uno, & alii exiſtimaverint tres eſſe diverſos.

Judæi exprimunt tres iſtos diverſos ſonitus, quos uno flatu edebant, hiſce vocibus: תרועה באמצין ופשוטה לפניה ולאחריה, *Claſſicum in medio,* (*Anglica* enim noſtra Verſio תרועה, *Numer.* 10: 5. vertit *an Alarm*, *Vatablus* verò *Vocem infractam*) *atque antè & pòſt ſonitus uniformis:* quod Chriſtiani Scriptores ſæpè exprimunt voce *Taratantara*, quamvis hæc vox videatur fractum ſonum antè & pòſt collocare, in medio planum, contra ordinem deſcriptionis Judæorum.

Secundum flatile inſtrumentum erat חליל *Chalil*, vel אבוב *Abub*, Fiſtula, Lituus, vel quodpiam ſimile inſtrumentum, de quo non multùm laborarim. Judæi in hac hiſtoria ita illud aliquatenùs deſcribunt. *Rabbini noſtri tradiderunt fuiſſe Abub vel Fiſtulam in Sanctuario.* (*Gloſſa* ſignificat *Abub* & *Chalil* idem fuiſſe inſtrumentum) *Erat levis, tenuis, ex arundine, & erat ibi à diebus uſque Moſis. Rex juſſit illam auro obtegi; ſed tùm ſonus ejus tam ſuavis ac anteà non erat: at aureo tegmine ablato, ſonus aequè ſuavis ac anteà evaſit.*

Gemar. in Erachin, ibid. & Aruch in אבוב.

Hac autem *Fiſtulâ*, ſeu quodcunque aliud inſtrumentum volueris, non canebant quotidiè ad Altare, ut Tuba & aliis inſtrumentis quæ memoravimus, ſed duodecies in anno eâ utebantur. *Non erant pauciores duabus Chalil, vel Fiſtulis*, ait Thalmudica Traditio, *nec plures erant duodecim. Duodecim autem anni diebus canebant fiſtulâ ad Altare, nempè cùm immolabatur primum Paſcha*, (vel Paſcha in primo menſe) *& cùm immolabatur ſecundum Paſcha*, (ſecundo menſe) *primo die feſto hebdomadis Paſchalis, feſto Pentecoſtes*, (Levit. 23: 21.) *& octo diebus feſti Tabernaculorum. Canebant autem fiſtulâ non æneâ, ſed arundineâ, quia ſuavis erat hujus ſonus. Et unicâ tantùm fiſtulâ Concentûs clauſula conſtabat, quia ejuſmodi clauſula eſt jucundiſſima. Nam unicâ fiſtulâ* (ait *Gloſſa*) *clauſulam canebant, poſtquam reliqua deſiiſſent; etenim ea fuit melior methodus, quàm ſi omnes ſimul finiiſſent. Hæc Muſica cum Chalil adhibebatur tempore oblationis; ac Levitæ quidem canebant τὸ Hallel altâ voce, omnibus memoratis diebus duodecim; ſed aliis diebus alia adhibebant inſtrumenta, & ordinariam Muſicam.*

Erachin, ubi ſuprà, in Miſhn.

Illa alia inſtrumenta, quibus perpetua & quotidiana Muſica conſtabat, erant hæc tria, נבל כנור צלצל, *Nebhel*, *Kinnor*, & *Tſeltſel*; & hæc variè erant diſtributa inter filios trium Muſices Magiſtrorum, *Aſaph*, *Heman*, & *Jeduthun*, 1 *Paral.* 15: 19, 20, 21. Hæc tria inſtrumenta ſimul memorantur (niſi quòd loco צלצל eſt vox מצלתים, quæ idem ſignificat) 1 *Paral.* 16: 5. & 25: 1. *Nehem.* 12: 27. &c. 2 *Paral.* 29: 25.

In inquirendo accuratè cujuſnam generis eſſent hæc inſtrumenta, & recenſendis variis circa illa Scriptorum ſententiis multùm temporis conſumeremus, ac omnibus tentatis, tandem in conjectura acquieſcere nos oporteret, & concludere tantùm poſſemus, fieri poſſe ut hoc hujus generis eſſet, illud alterius; audacius enim & difficilius eſſet quicquam certò definire. Itaque eorum deſcriptionem deſumemus tantùm ex *Joſepho*, qui ſine dubio ſæpiſſimè Muſicæ Templi adfuit, & qui ea inſtrumenta ita deſcripſit, ut ſatis ſuperque iis ſatisfacturus ſit, qui potiùs quærunt tempus, ordinem ac rationem hujus Muſicæ, quàm Concentum ipſum.

I. נבל vertit Νάβλα, & ſic definit: Ἡ δὲ Νάβλα δώδεκα φθόγγους ἔχουσα τοῖς δακτύλοις κρούεται. *Nabla duodecim tonis conſtans digitis pulſatur.* Joſeph. lib. 7. cap. 10. pag. apud me 116.

II. כנור ait eſſe Κιννύραν, quam ſic deſcribit: Ἡ μὲν Κιννύρα δέκα χορδαῖς ἐξημμένη τύπτεται πλήκτρῳ. *Cinnyra decem chordis aptata pulſatur Plectro.*

III. צלצל vel מצלתים vertitur ab eo Κύμβαλον, de quo genere inſtrumenti hæc habet: Κύμβαλά τε ἦν πλατέα καὶ μεγάλα χάλκεα. *Cymbala ſunt lata & magna inſtrumenta ænea.*

In quæ hæc obſervare poſſumus, I. נבל & כנור, quæ *Anglica* noſtra Tranſlatio conſtanter vertit *Harps* & *Pſalteries*, fuiſſe fidibus conſtantia inſtrumenta, quæ flatu non commovebantur, ut ea de quibus anteà diximus.

II. Quamvis fides in utroque inſtrumento eſſent, fuiſſe aliquod inter ea diſcrimen: primò, quòd alterum arcu ſeu plectro pulſaretur, ut noſtræ *Violæ* ſolent; alterum verò digitis, ut *Pandura* & *Luta*: ſecundò, quòd *notæ* ſeu toni alterius interpunctionibus diſtinguerentur, alterius verò variis fidiculis; ſic enim voces φθόγγοι & χορδαὶ intelligi & diſtingui debent:

bent: tertiò, quòd Nablium haberet duodecim chordas quæ efficiebant duodecim varios tonos, (ut in *Clavecymbalis* noſtris toni non fiunt interpunctionibus, ut in *Lutis*, ſed unaquæque chorda eſt diverſi toni.) Cinnyra verò haberet quidem decem chordas, ſed toni varii fierent interpunctionibus. Itaque juxta hanc *Joſephi* deſcriptionem, ſi modò admittatur, transferam *Nebel* Anglicè *an Harp*, *Lyram*, quia variæ chordæ ſuos varios tonos faciunt, & pulſatur digitis; quâ in re cum *Harpis* noſtris convenit. *Kinnor* aſſimilabo noſtris *Violis*, quæ punctis diſtinctæ ſunt, & pulſantur arcu ſeu plectro, transferamque *Violam*. *Rabbi Juda dicit*, *Kinnor Sanctuarii habuit ſeptem chordas, ſed diebus Meſſiæ habebit octo: ut dicitur, Magiſtro in Sheminith, vel in octava chorda mundi futuri.*

Gemar. in *Erach.* ubi ſuprà.

III. צלצל, quod *Anglica* noſtra Verſio, *oi* LXX. in *Pſalm.* 150. *Joſephus* in verbis allatis, vertunt *Cymbala*, videtur nec flatile, nec pulſatile fidibus inſtrumentum fuiſſe, ſed magnum inſtrumentum æneum cujus verberatione ſonitus audiebatur ut Tympanorum. *Erat magnum & latum inſtrumentum æneum*, ait *Joſephus*. Ac *Thalmudici* hanc de ſuis Cymbalis habent hiſtoriam. *Erat Cymbalum* צלצל *in Sanctuario, & conſtabat ære, ejuſque ſuavis erat ſonus. Fractum eſt, & Sapientes advocarunt Artifices Alexandriâ, qui id refecerunt; ſed ſonus non erat tam ſuavis ac anteà. Suſtulerunt quod additum fuerat ut reficeretur, & ſonitum edidit æquè ſuavem ac anteà.* Non poterant eſſe plura in Odeo uno Cymbalo, atque hoc videtur graviſſimum ſonum edidiſſe, quippè quod capacius eſt & magis ſonorum. Ad hoc inſtrumentum alludit Apoſtolus, 1 ad *Cor.* 13: 1.

Ibid. fol. 10. & *Thalm. Hieroſ.* in *Succah*, fol. 55.

Maymon. in *Kele Mikd.* Perek. 3.

Non erimus curioſiores in inquirenda forma & natura hujuſcemodi inſtrumentorum Muſicorum, quandoquidem diſquiſitio noſtra verſatur circa ipſum cantum; hoc tantùm addam, Nablia non potuiſſe pauciora eſſe duobus in Odeo, nec plura ſenis; Cinnyras, vel Violas, non fuiſſe pauciores novenis, ſed plures pro arbitrio potuiſſe addi. Itaque Odeum ad minimùm habebat novem Violas, duas Harpas, & unum Cymbalum. Jam Muſicam ipſam audiamus.

Erach. Perek. 2. in *Miſhn.* *Thoſaph.* in *Erach.* Perek. 2.

I. Tubæ canebant ſuum תת״ת *Taratantara* (ſic enim cum aliis loquemur) unoquoque tempore matutino, cùm Atriorum Januæ aperirentur, præſertim Valvæ Orientales, ſeu *Nicanoris*. Hoc autem quamvis non niteretur literali aliquo præcepto, tamen juſtâ ratione fiebat, ut Levitæ & Stationarii cognoſcerent tempus eſſe veniendi ad ſuos pluteos, & miniſteria; utque audiens populus *Hieroſolymæ*, poſſet venire in Templum: Tubæ enim idem præſtabant ac Campanæ ad eos ad cultum divinum vocandos. Poſteà non ampliùs audiebantur Tubæ ad ſacrificium uſque matutinum.

Succah, Perek. 5. in *Miſhna.* *Maymon.* ibid. *Gloſ.* ibid.

II. Concentus non inchoabatur uſque ad effuſionem liquoris oblationis. Eſt notiſſima inter Rabbinos Regula Traditionis, quæ ſic habet: אין אמר שירה אלא על היין, *Nullus dicit canticum niſi poſt vinum oblationis: nemo enim canit niſi præ lætitia cordis; quapropter non canunt niſi tempore oblationis, & quidem poſt effuſionem vini, quod Deum & Hominem lætificat*, ut *Jud.* 9: 13. Ita in Tractatu *Thamid* ubi quotidianus cultus deſcribitur, narratur Summus Pontifex, cùm ſacrificium offerre vellet, veniſſe ad gradus Altaris unà cum *Sagane* dextræ adſtante; cùm erat in media graduum parte, *Sagan* eum dextrâ prehendens ſurſùm trahebat; tùm primus qui allaturus erat partes ſacrificii, ejus caput & pedes attingebat, ſecundus ejus humeros, reliqui reliquas partes, & ipſe pro arbitrio ipſis imperabat, &c. Cùm circumiturus eſſet Altare, ut ejus cornua ſanguine adſpergeret, incipiebat ab angulo qui Euro-notum reſpiciebat, indè ibat ad Euro-aquilonarem, indè ad eum qui Caurum ſpectabat, & in Auſtrali deſinebat. *Dabant ei vinum oblationis, quod effundebat. Sagan erat ad cornu Altaris mantile manu gerens. Duo Sacerdotes ſtabant ad Menſam Adipis, geſtantes duas argenteas Tubas quibus canerent. Veniebant & ſtabant ad Ben Arza, alter à dextra, alter à ſiniſtra. Ille* (Summus Sacerdos) *ſe inclinabat ut effunderet vinum oblationis, & Sagan commovebat ſuum mantile; tùm Ben Arza pulſabat ſuum Cymbalum, & Levitæ Cantum incipiebant.* Hinc poſſumus intelligere locum illum 2 *Paral.* 29: 27. *Et cùm cœpit Holocauſtum, Cantus Domini cœpit cum Tubis & inſtrumentis*, nempè cùm vinum ſacrificii effuſum fuiſſet; nam eò uſque imperfecta erat oblatio, quia unumquodque Holocauſtum debebat habere oblationem placentæ & vini, alioqui non erat ritè peractum, *Numer.* 15: 5. Atque hæc poteſt eſſe ratio ob quam, quicquid narrent Judæi, Muſica non inciperetur ante oblationem vini: nempè illi expectabant donec perfecta eſſet oblatio; eâ verò perfectâ inchoabant.

Erachin in *Gemar.* ubi ſuprà, fol. 11. *Gloſſ.* ibid. *Gloſſ.* in *Peſachin*, cap. 6. fol. 64. *Thamid*, Perek. 7.

III.

Digitized by Google

Thamid, ubi ſuprà. *Roſh Haſh.* fol. 31. *Maym.* in *Thamid*, Perek. 6.

III. Pſalmi qui ordinariè canebantur hi erant. Primâ hebdomadis die, *Pſalm.* 24. *Terra eſt Domini*, &c.

Secundâ die, *Pſalm.* 48. *Magnus eſt Dominus*, &c.

Tertiâ, *Pſalm.* 82. *Deus ſtetit in congregatione potentum*, &c.

Quartâ, *Pſalm.* 94. *Deus ultionum Dominus*, &c.

Quintâ, *Pſalm.* 81. *Exaltate Deo adjutori noſtro*, &c.

Sextâ, *Pſalm.* 93. *Dominus regnavit*, &c.

Die Sabbati canebatur *Pſalm.* 91. cujus titulus eſt, *Pſalmus Cantici die Sabbati.*

Hi erant ordinarii & conſtituti Pſalmi, quos canebant Cantores & Muſici unaquaque die hebdomadis. Rationem electionis variorum Pſalmorum in varios dies hebdomadis, tradit *Gemara* in Tractatu *Roſh Haſhanah*, & *Gloſſa* in Tractatu *Thamid* in hunc ſenſum.

Primâ die hebdomadis canebant Pſalmum, *Domini eſt terra*, &c. *Quia primâ die hebdomadis Creationis, Deus poſſedit mundum, eum poſſidendum dedit, & gubernavit.*

Secundâ die canebant Pſalmum, *Magnus eſt Dominus*, &c. *Quia eâ die Dominus diviſit ſua opera, aquas, & regnavit in ea.*

Tertiâ die canebant Pſalmum, *Deus ſtetit in congregatione potentum*, &c. *Quia eâ die terra apparuit, ſuper quâ ſunt judicium & judices; & ſuâ ſapientiâ retexit terram, & conſtituit mundum ſuâ intelligentiâ.*

Quartâ die canebant Pſalmum, *Deus ultionum Dominus*, &c. *Quia quartâ die fecit Solem, Lunam & Stellas, & ultionem de iis ſumet qui illa colunt.*

Quintâ die canebant Pſalmum, *Exultate Deo adjutori*, &c. *Propter varietatem creaturarum quæ factæ erant eâ die ad laudandum nomen ejus.*

Sextâ die canebant Pſalmum, *Dominus regnavit*, &c. *Quia ſextâ die Deus finem impoſuit operibus ſuis, fecit hominem, qui intelligit gloriam Creatoris, & Deus gubernavit omnia ſua opera.* Hæc habent illi.

IV. Cæterùm Cantores dum canerent hos Pſalmos, unumquemque dividebant in tres partes, & Pauſas inter eas ſatis longas faciebant, poſt quas rursùs incipiebant canere. Has Pauſas *Thalmudici* vocant בנעימת קול פרקים, & dicunt eas fuiſſe להפסיק, *intermiſſiones in vocali Muſica; & cùm ceſſarent voces, inſtrumenta etiam ceſſaſſe, & ita in unoquoque Pſalmo Muſicam feciſſe tres intermiſſiones.*

V. In iſtis intermiſſionibus Tubæ canebant, & populus colebat Deum על כל פרק תקיעהועל כל תקיעה השתחויה, *In unaquaque Pauſa*, ait *Thalmud*, *erat ſonitus Tubæ, & ad unumquemque ſonitum proſtratio.* Sonitus Tubæ, ut antè diximus, erat *Taratantara*, quandoquidem ita eum vocare placuit, nec unquam aliter Tubâ canebant: primò erat ſonitus clarus & ſimplex, deinde infractus, ac tandem clarus & ſimplex. Ita ſemel ſupra vigeſies Tuba audiebatur; ter cùm aperirentur Atriorum Portæ, novies in oblatione matutina, & novies in veſpertina; nempè ter canebat in tribus Muſicæ Pauſis, & tres erant memorati ſonitus quoties audiebatur. Videmus itaque Tubam nunquam ſe Odei Concentui conjunxiſſe, ſed tùm tantùm ceciniſſe cùm ſilebat Odeum.

Hic erat Cantus, & hi fuere Pſalmi qui ordinariè per totum annum canebantur; ſed quibuſdam diebus erant peculiares Pſalmi & Cantus, ac Tubæ etiam extra ordinem audiebantur, præter ſonitus memoratos.

I. In Præparatione Sabbati Tubæ bis canebant præter ordinem, nempè ſemel, editis ſemper tribus ſonitibus τῶ *Taratantara*, ut populus moneretur abjicienda eſſe omnia opera; atque iterùm ad diſtinguendum diem profeſtum à feſto quod tùm inchoabat. *Succah*, Perek. 5.

II. Sabbatis adjiciebatur alterum ſacrificium quotidiano, juxta mandatum *Numer.* 28: 9, 10. Tempore adjectitii hujus ſacrificii Levitæ canebant *Moſis* Canticum ex *Deuter.* 32. *Audite cæli*, &c. ſed totum unâ vice non canebant, verùm dividebant in ſex partes, quarum unam unoquoque Sabbato canebant, & ita intra ſex Sabbata illud abſolvebant, atque iterùm eodem modo incipiebant. Sic canebant matutino tempore cùm adjectitium offerretur ſacrificium; ſed veſpertini ſacrificii horâ canebant Canticum *Moſis* petitum ex *Exod.* 15. Atque hæc obſervatio de Canticis *Moſis* unoquoque Sabbati die decantatis, facit ad illuſtrationem *Apocal.* 15: 3. ubi Sancti dicuntur *canere Canticum Moſis ſervi Dei*, quia tùm pervenerunt ad æternum Sabbatum, *victoriâ reportatâ de Beſtia, deque ejus imagine & charactere, & numero ejus nominis, geſtantes manibus citharas Dei.* *Maym.* in *Thamid*, Perek. 6.

Præterea tempore adjectitii ſacrificii, & Cantionis Sabbati, Sacerdotes tribus vicibus Tubâ canebant, ut in ordinaria Muſica facere ſolebant; & Cantores intereà, ut aliàs, Pauſam faciebant. *Succah*, ubi ſuprà. *Roſh Haſhan.* ubi ſuprà & *Maym.* ubi ſuprà.

III. In ſacrificio adjectitio, quod in primam anni diem inſtitutum fuerat, *Numer.*

mer. 29: 1, 2. &c. quæ vocabatur Feſtum Tubarum, quia tùm Tubæ ſignificabant initium anni. Levitæ canebant Pſalmum 81. *Exultate Domino adjutori noſtro*, &c. Si autem prima dies anni incideret in quintam hebdomadis, quâ juxta inſtitutum ordinem is Pſalmus cani debebat, bis eum recitabant, ſemel in quotidiano ſacrificio, ſemel in addititio; ſed in alterutro incipiebant à *verſ.* 6. *Removi humerum ejus ab onere*, &c.

IV. Veſpertino ſacrificio primâ anni die canebant Pſalmum 29. *Vox Domini concutiens deſertum*, &c. Si prima dies anni in Sabbatum incideret, Pſalmi primæ diei anni canebantur, & erant loco Pſalmorum Sabbati.

V. Paſchate & aliis temporibus, uti dictum eſt, canebant τὸ *Hallel*, cujus deſcriptionem ad eum locum ubi de Paſchate agendum nobis erit, differemus.

SECTIO III. *De Stationariis, vel Iſraëlitis Stationem in Templo agentibus.*

Ut erant viginti quatuor Claſſes Sacerdotum, totidemque Janitorum & Cantorum; ita erant viginti quatuor Claſſes *Iſraëlitarum ad agendam Stationem*. Hoc quidem eſt nomen ignotum Scripturæ, res verò ipſa non videtur fundamento ex Scriptura petito carere, nec ipſi Stationarii inſtitutione indidem hauſta.

Erant duo Axiomata circa ſacrificia, ex quibus tanquam præmiſſis concluſio de Stationariis deducitur: hæ nempè. I. Nullius offerri poterat ſacrificium, niſi ipſe adeſſet & adſtaret; quod in utroque *Thalmude* tanquam indubitatum Axioma habetur: אין אפשר שיהיה קרבנו של אדם קרב והוא אינו עומר על גביו, *Nullius poteſt offerri ſacrificium, niſi ipſe adſit.* (Vide *Thalmud* utrumque in *Taanith*, Perek. 4. *Maym.* in *Kele Mikdaſh*, Perek. 6. *Thoſaph.* in *Erach.* Per. 2.) Atque hinc fiebat ut cùm mulieribus aliàs ſemper interdictum eſſet ingredi Atrium *Iſraëlis*, attamen cùm mulier quæpiam ſacrificium habebat offerendum pro ſeipſa, admitteretur in Atrium, cogente neceſſitate ſacrificii: אין נרי את אשה בעור אלא בשעת מרבנו ברכד, *Nulla mulier conſpiciebatur in Atrio, niſi tempore oblationis ſuæ*; tùm ea poterat in eo eſſe, imò etiam ſacrificio eam adeſſe oportebat. Cujus rei ratio petitur ex eo præcepto, quo is qui habebat Holocauſtum offerendum, tenebatur ipſe illud adducere ad Sanctuarium; ſi autem eſſet Aries, vel Agnus, oportebat ejus ipſum capiti manus imponere, *Levit.* 1: 3. & 3: 2, 8. (*Aben Ezra* in *Levit.* 1.)

II. Erant quædam ſacrificia totius *Iſraëlis*, ſeu univerſæ Congregationis, & præſertim תמירין קרבניהן של כל ישראל, *perpetua ſacrificia erant totius Iſraëlis*, ideòque Agni quotidiani ſacrificii publicis ſumptibus ex Theſauro Templi comparabantur pro tota Congregatione. (*Thalmud Hieroſ.* in *Peſach.* Per. 3.)

Jam autem impoſſibile erat totum *Iſraëlem* adeſſe ſacrificiis quæ fiebant pro toto *Iſraële*; adeòque neceſſarium erat quoſdam eligi qui alios repræſentarent, qui loco totius *Iſraëlis* adeſſent unicuique ſacrificio, quod offerendum erat pro tota Congregatione. Et quia tales perpetuò debebant adeſſe quotidiano ſacrificio quod ejus generis erat, & moleſtum fuiſſet iiſdem hominibus ſemper adeſſe; conſtituerunt viginti quatuor Claſſes iſtorum אנשי מעמד, *Stationariorum*, æquè ac Sacerdotum & Levitarum, ut præſentia vicibus hujuſcemodi ordine ſuccedentibus facilior & tolerabilior eſſet, cùm alii etiam Miniſtri Templi eadem de ratione in Claſſes eſſent diviſi. Judæi exiſtimant ejuſcemodi Stationes ab antiquis Prophetis inſtitutas fuiſſe. *Antiqui enim Prophetæ*, ait *Maymonides*, *juſſerunt eligi ex Iſraële viros probos ac religioſos, eoſque Nuntios eſſe Iſraëlis, ut adſint ſacrificiis; atque hi vocantur* אנשי מעמד, *Viri Stationis: & diviſerunt eos in viginti quatuor Claſſes, juxta numerum Claſſium Sacerdotum & Levitarum; & unicuique Stationi erat Præfectus aliquis quem vocabant Præfectum Stationis.* (*Maymon.* ubi ſuprà.)

Hi Sationarii in unaquaque Claſſe imitabantur Sacerdotes & Levitas. (*Taan.* Perek. 4. *Maym.* ubi ſuprà.) Qui degebant *Hieroſolymæ*, aut in vicinia, cùm ipſorum venerat hebdomas, præſto erant ut Stationi ſuæ adeſſent; qui verò longiùs diſtabant, congregabantur in varias Synagogas ſuas, jejunabant & orabant, ac legebant aliquam Legis particulam; quia licèt nimiùm diſtarent, volebant tamen conjungere cultum ſuum cum cultu Fratrum qui *Hieroſolymæ* erant Miniſterio ſuo occupati, & pro iis Deum orare. Jejunabant ſecundâ, tertiâ, quartâ & quintâ die hebdomadis, & ſex diebus legebant Hiſtoriam Creationis quæ *Geneſ.* 1. & 2. continetur, in partes diviſam, quarum unam quotidiè legebant. Nolebant jejunare primâ hebdomadis die, quia nolebant ex hilaritate Sabbati continuò in jejunium decidere; nec volebant ultimâ hebdomadis ante Sabbatum die jejunare, ne hilaritatem Sabbati immediatè præcederet jejunium. Sed ei ſolenni officio impendebant quatuor dies intermedios, ad proſperitatem Fratribus ſuis qui erant *Hieroſolymæ*, & eorum Miniſterio obtinendam.

Sta-

Digitized by Google

Stationarii qui erant *Hieroſolymæ*, perpetuò cultui divino aderant in Templo, cùm peragendus erat, exceptis quibuſdam temporibus, quibus aliquandiu abeſſe ipſis licebat. Propter duos fines præſertim aderant.

Primò; erant Congregatio repræſentativa pro toto populo, cùm offerretur quotidianum ſacrificium, quod erat totius *Iſraëlis*, & cùm publicus cultus ac cæremoniæ peragerentur. Adeò erant Judæi circa hoc negotium, de habenda ſufficiente Congregatione ſacris præſente, ſeduli, cùm publicæ adminiſtrarentur cæremoniæ, ut
Megillah, Perek. 4. *Maym.* in *Tephillah*, Per. 11. in Synagogis ſuis nollent habere publicas preces, aut Legem legere, niſi ſaltem decem adeſſent. Multò magis requirebatur ſufficiens Congregatio quæ adeſſet Templi Miniſterio, quod totum populum reſpiciebat, eique peragebatur, præter Sacerdotes qui eo fungebantur. Erat ibi ſacrificium bis in die; bis etiam ad minimùm Lex legebatur, Preces quater fundebantur; & conveniens fuiſſet, ſi fieri potuiſſet, totum adeſſe populum: quod quia fieri non poterat, conſtituerunt has Claſſes Stationariorum, qui eſſent Deputati totius populi, & univerſam repræſentarent Congregationem. Fuiſſet manifeſtus ſacrarum cæremoniarum contemptus, ſi cùm quotidiè adminiſtrarentur, nemo ex populo adfuiſſet: ut fortaſſe contigiſſet ut tandem negligerentur à populo, ſi ejus arbitrio relictum fuiſſet adeſſe, vel abeſſe, prout viſum eſſet. Ideòque ad antevertendum manifeſtum illum contemptum, qui indè provenire poterat, & ut ſemper eſſet aliqua populi Congregatio, hæ Stationariorum Claſſes conſtitutæ ſunt; adeò ut ſi pietas alios ex populo ad Templum non alliceret, ſaltem hi certò adeſſent repræſentativi homines. ועמידתן שם לתפלה ולתחנה ולבקשה ולקרות בתורה נקרא מעמד, *Atque hæc eorum præſentia precibus, ſupplicationibus & orationibus, & lectioni Legis vocabatur Statio.*

Secundum eorum munus, vel ſaltem quorundam ex ipſis, erat curare; quatenùs populum repræſentabant, ut ii ex populo qui immundi fuerant, & jam puri veniebant ut expiationem ſuam haberent, brevi expedirentur, & negotium cujus cauſâ venerant. Hoc obſervatur in Tract. *Thamid*,
Thamid, Perek. 5. ubi refertur, cùm pulſaretur *Migrephah* (de quo poſteà) ab iis qui in Sacrum Locum venerant ad offerendum Incenſum, Præfectus Stationis eos duxiſſe ad Portam *Nicanoris*, ut eorum expiatio fieret.

Quidam exiſtimant hos Stationarios homines, quatenùs totam Congregationem repræſentantes, manus impoſuiſſe quotidiano ſacrificio quod offerebatur pro toto populo. Aliquando & ipſe in hac fui ſententia; ſed poſteà comperi Judæos affirmare *neminem impoſuiſſe manum victimis totius Congregationis, duobus caſibus exceptis. Unus erat cùm emittendus erat Hircus emiſſarius; alter cùm imponenda erat manus Juvenco qui immolabatur pro tota Congregatione, cùm præ ignorantia peccaverat, & res fugiebat totam Congregationem. Tùm juxta Traditionem ipſius Moſis, manus imponebantur hiſce victimis pro tota Congregatione.* *Maym.* in *Corban.* Perek. 3. Itaque erant varia ſacrificiorum tempora, quibus licebat Stationariis abeſſe, licèt ſacra fierent pro tota Congregatione. *Illi nunquam Stationem agebant tempore ſacrificii matutini per octo dies feſti Dedicationis; nec veſpertino ſacrificio, iis diebus quibus quotidiano additum erat alterum ſacrificium.* *Id. ibid.* *Thalmud* in *Taan.* Perek. 4.

Hi Stationarii eâ hebdomade non poterant à Tonſore tonderi, aut lavare veſtes ſuas, quia priuſquàm Miniſterium ſuum inchoarent, hoc factum eſſe oportuit.

CAPUT VIII.

De Judæorum Sacrificiis & Oblationibus.

Ritûs ſacrificiorum varii hi fuerunt fines.

I. Fuerunt inſtituti ut eſſent typi & μνημόσυνα magni illius ſacrificii *Chriſti*, quod ſemel offerendum erat pro peccatoribus.

II. Ut oſtenderent quid commeruiſſent peccatum & peccator, mortem nempè & ignem, dum mortem & combuſtionem victimæ oculis ingerebant.

III. Ut agnoſcerent *Iſraëlitæ* omnia ſua bona à Deo manare, dum tenebantur ex omnibus facultatibus ſuis aliquid ei offerre.

IV. Ut iis temporibus ritum ſeu cæremoniam ſacram conſtituerent, quâ omnes teſtarentur ſe à Deo pendere, & verorum credentium fides ad *Chriſti* deducerentur perpeſſiones.

V. Ut eſſent ſigna pœnitentiæ, & expiationis pignora.

Oblationes porrò erant animalium, vel aliarum rerum.

Animalium tantùm hæc quinque genera offerebantur, Juvencus, Agnus, Hircus, Turtur, Columbus. Aliæ oblationes erant Decimæ, Primitiæ, Similago, Vinum, Oleum, Thymiama, Sal, &c.

Sacrificia animalium erant vel קדשי הקדשים, *Sanctiſſima Sacrificia*, vel קדשים קלים

קלים, *Sacrificia inferioris ſanctitatis*, juxta diſtinctionem Judæorum. Quæ *Sanctiſſima* vocabant, erant *Holocauſta*, *Oblationes pro peccato*, *Oblationes pro delicto*, & *Pacifica Sacrificia* totius Congregationis. *Inferiora Sacrificia* erant Pacifica Sacrificia privatorum, Agni Paſchales, Primitiæ, & Decimæ.

Quædam oblationes erant זבחי חובה *Sacrificia debiti*, quibus tenebantur; aliæ זבחי נדבה *Sacrificia voluntaria*, quia ſponte ſua offerebant.

Sectio I. *Holocauſta*. עולות.

Quæritur inter eruditiſſimos Judæorum, quænam eſſet occaſio Holocauſtorum, & quam ob cauſam deberentur. Atque hanc omnem litem huc redire comperi: ea nempè fuiſſe ad expiandas impias animi cogitationes, ut oblationes pro peccato & pro delicto actiones ipſas malas expiabant: vel ad expiandas violationes affirmativorum præceptorum, quemadmodum aliæ expiabant violationes negativorum. *Rabbi Akibah rogatus quid Holocauſtum expiaret. Ea quibus conſtituta erat aliqua pœna*, &c. *ſeu pertinerent ad affirmativa, ſeu ad negativa præcepta ad quæ aliquod affirmativum referretur.* Et *corpus beſtiæ*, ait *Aben Ezra*, *quod offertur ad expiandum id quod in cor aſcendit*, *vocatur* עולה, *ut oblatio pro peccato, vel pro delicto vocatur* חטאת & אשם. Quem in ſenſum etiam *Jonathanis* Paraphraſis habet in verba hæc *Levit*. 6: 9. *Hæc eſt lex Holocauſti*, &c. *Hæc eſt lex Holocauſti, quod adhibetur ad expiandas cogitationes cordis.* In quæ verba Hebraica *Gloſſa* Marginalis hoc habet interpretamentum: *Scriptum eſt in Vajikrah Rabbah, Holocauſtum adhibitum non fuiſſe, niſi propter cordis cogitationes:* atque hoc innuitur hiſce verbis: העולה על רחכם היה לא תהיה, *Quod aſcendit in animum veſtrum non erit.*

Thoſaph. in *Menachoth*, Perek. 10.

Ab. Ezr. in *Levit.* 1.

Holocauſta erant ex quinque memoratis animalibus, eaque offerendi hæc fuit ratio.

Si Holocauſtum eſſet Juvencus, poterat ſumi ab octo diebus & ſuperiùs, uti etiam fieri poterat in Agnis & Hœdis. Oportebat eum eſſe maſculum, quia Holocauſtum cùm eſſet nobiliſſima omnium oblatio, juxta *Aben Ezram*, requirebat nobiliorem ſexum.

Ibid.

I. *Debebat adduci in Atrium* ab eo qui pro ſe offerri cupiebat: Lex enim diſertè eum jubet *offerre oblationem ſuam coram Domino*, Levit 1: 3. Jam autem phraſis *coram Domino*, intelligebatur à Porta *Nicanoris* introrsùm. Et adducere victimam intra Atrium tam ſeveræ ac inviolabilis erat obligationis, ut mulieres, quæ alioquin omninò arcebantur Atrio, ſi victimam adducerent, neceſſe haberent in hoc ingredi, ut jam anteà innuimus.

Thalm. Hieroſ. in *Sotah*, Perek. 1. *Thoſaph.* in *Erach.* Perek. 2.

II. *Offerentem oportebat manum imponere capiti victimæ dum vivebat*, Levit. 1: 4. *Omnibus victimis quæ à quopiam privato offerebantur, ſeu deberentur, ſeu ſpontaneæ eſſent, oportebat ipſum imponere manum dum vivebant, exceptis tantùm Primitiis, Decimis, & Paſchate.* Hæc impoſitio manuum ritus erat quo hominis peccata veluti tranſmittebantur in victimam pro ipſo morituram; & cujus morte imminente, agnoſcebat ſe mortem commeruiſſe; eratque adeò typus impoſitionis peccatorum noſtrorum *Chriſto*, & emblema pœnitentiæ.

Maym. in *Corbanoth*, Perek. 3.

Circa impoſitionem manuum varias habent Traditiones, ut I. *Eam fieri debuiſſe in Atrio*, adeò ut ſi manus impoſuiſſet victimæ qui eam adducebat, antequàm eſſet in Atrio, impoſitionem iterari oporteret; ſi verò offerens eſſet extra Atrium, ſed intrò manus protenderet, & victimæ intra Atrium manus imponeret; id ſufficeret: quod etiam circa Leproſum obſervabatur in Porta *Nicanoris*. II. *Dominus victimæ manus ipſe imponere debebat*, nec licebat id per alium facere: quod eſt intelligendum de ſingulorum victimis; nam in quibuſdam ſacrificiis pro tota Congregatione, erant Deputati, ſeu Vicarii, qui iis manus imponebant, ut modò obſervatum eſt. III. *Si plures unà ſacrificium idem offerrent*, (ut fieri poterat) *oportebat unumquemque ſigillatim manus victimæ imponere.* IV. Quæritur inter Doctores Hebræos, num imponerent ambas manus, an verò alterutram, nec deſunt qui in utramque partem abierint: ſed omnes eò deveniunt, ut dicant ſeu una, ſeu utraque imponeretur, offerentem *eas totis viribus* & ſummo conatu *imponere debuiſſe. Thargum Jonathanis*, qui unam tantùm manum impoſitam fuiſſe contendit, habet, *Imponet dextram omnibus viribus: Maymonides* verò qui utramque vult impoſitam fuiſſe, *Debebat*, inquit, *imponere ambas manus*, *idque quam maximâ vi poterat.* V. Locus in quo ſtabat offerens ordinariè, erat locus in quo victimæ immolabantur ad locum Annulorum, adeòque hac occaſione *Iſraëlita* poterat & debebat ingredi Atrium Sacerdotum. VI. Hoc autem ſic fiebat: victima

Id. ibid. & *R. Solom.* in *Levit.* 1.

Digitized by Google

Thoſaphoth in Menachoth, Perek. 10. & Maym. ubi ſuprà.

ctima ita collocabatur, ut offerens facie Occidenti obverſâ manus ei imponeret inter cornua: confitebatur peccatum ſuum ſuper oblatione pro peccato, delictum ſuum ſuper oblatione pro delicto, & ſuper Holocauſto fatebatur tranſgreſſionem ſuam contra affirmativa ſimul & negativa præcepta, ejuſque confeſſio hiſce vocibus conſtabat: *Peccavi, perverſè feci, rebellis fui, ſic & ſic feci; ſed pœnitet me coram te, atque hoc ſit mea expiatio.* Statim editâ confeſſione, victima immolabatur.

III. Immolatio victimæ ordinariè & juxta leges, erat muneris Sacerdotalis; ſed tamen ab alio etiam aliquando fieri poterat: vel ſi ab alio facta fuiſſet, legitima habebatur. Nam cùm Lex dicat, *Immolabit Juvencum coram Domino, & Sacerdotes filii Aaronis offerent ſanguinem, & aſperſionem ex eo facient*, Levit. 1: 5. quaſi diſtinguens eum qui interficit Juvencum, & Sacerdotes qui ſumunt ſanguinem, Hebræi Doctores non ineptè obſervarunt, שחיטת הקדשים כשרה בזרים אפי׳ קדשי הקדשים, *Immolatio victimarum à peregrinis licita erat, imò etiam ſanctiſſimorum ſacrificiorum, cùm erant privati cujuſpiam, vel totius Congregationis.* Et in hæc verba: *Et Sacerdotes filii Aaronis afferent ſanguinem*, Traditio docet recepta, hinc propriè munus Sacerdotale incepiſſe. Vide 2 *Paral.* 30: 16, 17.

Maym. in Beath Mikdaſh, Perek. 9. & in Corbanoth, Per. 5. & R. Solom. in Lev. 1.

IV. Excoriatio immolatæ victimæ non erat ita Sacerdotali muneri annexa, ſed peregrinus, vel qui non erat Sacerdos, eam peragere poterat. Hoc *Maymonides* loco laudato affirmat. *Excoriatio victimæ*, inquit, *diviſio ejus in partes, & comportatio ligni ad Altare à peregrinis licita erant.* Hoc præſertim fiebat Paſchatis tempore, & in aliis feſtis, cùm Agni Paſchales & aliæ victimæ tot erant, ut Sacerdotes pares non eſſent iis immolandis & excoriandis; ſed quicunque eas immolaſſet aut excoriaſſet, ſemper ſoli Sacerdotes adſperſionem ſanguinis faciebant.

Cùm numerus victimarum excoriandarum nimius non erat, eas cruribus appendebant ex uncis affixis inferioribus columnis, quas alibi deſcripſimus, & trabi huic rei aptatæ: ſed tempore Paſchatis, cùm plures eſſent victimæ quàm ut eo loco contineri poſſent, duo viri accipiebant craſſiorem baculum, cujuſmodi plures erant eo in loco in uſum hunc, eoque humeris impoſito indè ſuſpendebant Agnum, quem inter duos illos viros ſtantes excoriabant. *R. Eliezer* dicit, *Si Paſcha incideret in Sabbatum*, (quâ die non ita licebat baculos geſtare) *quiſpiam manus imponebat humeris alterius, alter verò ſimiliter ejus humeris manus imponebat, atque ex eorum brachiis pendebat Agnus, quem ita excoriabant.* Omnes pelles ſanctiſſimorum ſacrificiorum, hoc eſt, Holocauſtorum, Oblationum pro peccato, Oblationum pro delicto, pertinebant ad Sacerdotes, & Sacerdotes quidem Claſſis miniſtrantis eas hebdomade [illegible] ſale condiebant, atque inter ſe præparatione Sabbati dividebant: ſed pelles aliarum victimarum pertinebant ad offerentes, ſeu dominos victimarum.

Ibid. ſect. 9.

V. Adſperſio ſanguinis fieri debebat antequàm victima eſſet excoriata; hæc enim erat conſuetudo, & quidem conſentanea legi, אין מפשיטין אותן עד שיזרק הדם, *Non excoriabant eas priuſquam ſanguis eſſet adſperſus*: nam in Lege priùs mentio adſperſionis ſanguinis fit, quàm excoriationis, *Levit.* 1: 5, 6. Ritus hujus adſperſionis ſanguinis in Altare plures, ejuſque circumſtantiæ variæ erant; earum præcipuas ordine commemorabimus.

Primò, ſanguis qui adſpergendus erat, vaſe vel diſco ſacro excipi debuiſſe, non alio quovis cujuſpiam vaſculo, conſtantiſſimum eſt & juſtiſſimum Axioma: קבול דמן בכלי שרת, *Exceptio ſanguinis debet fieri vaſe cultui divino conſecrato.*

Vide Zevach. Per. 5. per totum.

Secundò, varia hominum genera non poterant excipere ſanguinem adſpergendum; & ſi exciperent, pollutus fiebat, I. Exterus, vel qui non erat Sacerdos. II. Sacerdos lugens, אונן, in cujus Familia aliquis illâ die mortuus erat; nam *quicunque habebat mortuum in ſuis ædibus, totâ illâ die quâ mors contigerat vocabatur lugens*, אונן. III. Qui pollutus fuerat, ita ut teneretur eâ die abluere veſtes antequàm Sol occidiſſet. IV. Qui in longiori pollutione fuerat, & cujus expiatio nondum ritè peracta erat. V. Sacerdos qui non habebat omnes veſtes ſacras quas gerere tenebatur. VI. Incircumciſus. VII. Immundus. VIII. Qui ſederat vel ſteterat in re quapiam dum exciperet ſanguinem, aliâ à pavimento Atrii; nam dum erant in Sacro Miniſterio non licebat ipſis ſtare in ullo vaſe, pelle, vel pede ſocii, ſed debebant ſtare in ſolo pavimento. IX. Qui manu ſiniſtrâ ſanguinem exceperat, à quibuſdam illicitum feciſſe cenſetur, quamvis aliter alii ſentiant.

Ibid. Per. 2. ab init.

Gloſſ. in Miſnajoth, ibid.

Tertiò, cùm in medio Altari inter baſin & ſummas partes eſſet linea rubra, ſan-

Zevach. ibid.

ſanguis quorundam ſacrificiorum debebat infra lineam effundi, quorumdam ſupra; ſi autem qui ſupra adſpergi debebat infra adſperſus eſſet, aut contrà eveniſſet, illicitum putabatur contigiſſe.

Maymon. in *Corbanoth*, Perek. 5.

Quartò, adſperſio ſanguinis Holocauſtorum, Oblationum pro delicto, & Pacificarum, fiebat eodem modo, hoc nempè modo: Sacerdos qui ſanguinem ad Altare ferebat, debebat eo Altare adſpergere infra lineam rubram, & quidem *juxta figuram Græci Gamma*, ſeu hanc formam Γ. Ita habet Traditio in *Gemara* Tract. *Zevachin* modò laudati: atque hoc ſignificat *Maymonides*, cùm dicit debuiſſe hoc eſſe כמין גם. Sic interpretantur Scholia marginalia *Thalmudis: Debebat ire ad angulum Altaris, & ita jacere ſanguinem, ut ſimul duo latera Altaris tingeret; & ita ex vaſe ſanguinem effundere, ut duo latera Altaris ſimul madefaceret:* quod modò laudatus Scriptor ſic planiùs exprimit:

Maimon. ubi ſuprà.

Debebat ſanguinem illum duabus adſperſionibus ex vaſe effundere in duo latera Altaris, nempè ad angulum Euro-aquilonarem, & oppoſitum qui Libanotum reſpiciebat; eumque oportebat cavere ut ita angulo ſanguinem adſpergeret, ut utrumque ſimul latus Altaris attingeret tanquam Gamma, (ſic Γ.) ita ut ſanguis duabus adſperſionibus quatuor tingeret Altaris latera. Hoc nempè vult, Sacerdotem ſtantem ad Orientale latus Altaris prope Euro-aquilonare latus, & ita è vaſculo emittere ſanguinem, ut pars ejus tingat Orientale latus ad quod ſtat, pars alia Septentrionale. Idem faciendum ipſi erat cùm ſtaret ad Occidentale latus prope latus quod Noto-zephirum reſpicit, nempè ita projicere ſanguinem, ut latus Occidentale ad quod ſtabat, & Auſtrale madefierent. Sic exiſtimabant ſe paruiſſe præcepto, quo jubebantur *ſanguinem adſpergere circa Altare*, Levit. 1: 5. & 3: 8. Quod reliquum erat ſanguinis effundebant in baſin Altaris ad Auſtrale latus. Hinc poteſt intelligi obſcura illa phraſis, quæ frequentiſſimè occurrit in Judæorum Scriptis, cùm loquuntur de adſperſione ſanguinis victimarum: *Hoc vel illud ſacrificium debet habere duas adſperſiones, quæ ſunt quatuor:* רמן טען שתי מתנות שהן ארבע. Adſperſionem ſanguinis vocant מתנה *Dationem*; & ſanguis quarumdam victimarum debebat habere ארבע מתנות, *quatuor Dationes*, vel aſperſiones, in quatuor nempè Altaris angulos: aliarum verò duas tantùm habere debebat, cùm duo anguli Altaris tingebantur, ut diximus: ſed hæ duæ adſperſiones æquivalebant quaternis, quia omnia latera adſpergebantur, eâ ratione quam modò deſcripſimus.

Statim agemus de adſperſione ſanguinis quæ in ſacrificiis pro peccato in cornua Altaris fieri ſolebat, deque extraordinaria allatione ſanguinis Agni Paſchalis ad Altare, ubi ad Tractatum de Paſchate devenerimus.

VI. Agnus immolandus, ut ex quotidiano ſacrificio exemplum mutuemur, vinciebatur ita ut anteriora & poſteriora ejus crura colligarentur, & ita jacebat capite ad Meridiem obverſo, facie verò ad Occidentem. Qui eum immolabat ſtabat ad Orientale ejus latus, facie Occidentem reſpiciente. Interficiebat eum, alius verò excipiebat ſanguinem, eumque adſpergebat; & tùm ſuſpendebat eum ex uncinis humilium columnarum, ubi incipiebat vellus detrahere. Eum excoriabat uſque ad pectus, quò cùm pervenerat, caput ipſi abſcindebat, & dabat id alteri, qui ei accipiendo conſtitutus erat, & ad Altare deferebat. Abſcindebat crura, eaque dabat alteri; deinde eum prorſùs excoriabat. Tùm cor è corpore evellebat, & ſanguinem eo contentum abjiciebat; ſecabat duos humeros, & eos tradebat ei qui id miniſterium obire debebat; abſcindebat dextrum crus unà cum teſticulis; aperiebat prorſùs corpus Agni, & adipem educebat, ac deponebat in loco mactationis; evellebat viſcera, atque ea lavanda cuipiam dabat; qui primùm ea probè lavabat in Conclavi Ablutionis, & iterùm ea nonnihil abluebat ad Menſam Marmoream; tùm accipiebat cultrum, & dividebat pulmones & jecur, ſed nondum avellebat; pectus abſcindebat, illudque ei dabat qui auferre debebat; pergebat per dextrum latus quod dividebat, atque indè deſcendebat ſecundum ſpinam dorſi, & renes abſcindebat, ſicque ad alias particulas procedebat. Quâ ratione hæc omnia fierent, fusè habetur in Tractatu & Capite ſuprà in margine laudatis; ſed non eſt inſtituto noſtro adeò neceſſaria, ut in eam tempus & laborem noſtrum impendamus. Eruditus lector eam in ipſis fontibus leget, quæ hîc non erudito tædioſa nimis videretur.

Thamid, Per. 4.

VII. Varii Sacerdotes manibus gerentes varias diviſæ victimæ partes, veniebant ad gradus Altaris, atque ibi depoſitas partes illas ſaliebant. Hoc enim disertè Lex juſſerat, *Levit.* 2: 13. *Cum omnibus tuis oblationibus offeres ſalem. Atque hoc mandatum ſedulò obſervabatur: nihil enim quod non ſalſum erat, veniebat ad Altare, niſi*

Maymon. in *Corban.* Perek. 6.

Id. in *Iſſure Mizbeahh*, Perek. 5.

vinum

vinum oblationis, ſanguis adſpergendus, & lignum quod comburebatur. *Atque in tribus locis ſale utebantur; in Conclavi Salis ſaliebant pelles victimarum; in gradibus Altaris earum membra ſaliebant; & in ſumma Altaris parte ſaliebant ſimilam, oleum & thus*, Levit. 2: 2. *& pleraque Holocauſta, & Holocauſta avium.* Phraſi ex hac typica lege ſumptâ utitur Servator, ad ſignificandum unumquemque debere eſſe conditum Verbo Dei, quod vocat *ſaliri igne*, Marc. 9: 49. nam Verbum vocatur *ignis*, Deuter. 33: 2. *Jerem.* 5: 14. & 20: 9. & 23: 29. 1 *Cor.* 3: 13. &c. Et cùm dicit, *Unuſquiſque ſalietur igne, non prædicit aliquid futurum, ſed oſtendit quid ab omnibus requiratur, nempè ut Verbo incorrupto conditi ſeſe Deo conſecrent*, *Beza* in locum.

Membra victimæ ſalita Sacerdos qui erat oblaturus tollebat & in Altare ferebat, & confusè ea projiciebat in ignem. Primùm reſecabat nervum qui contrahitur, & miſcebat eum cineribus; tum omnia membra in cumulum abſque ordine in ignem conjiciebat. Nam quamvis Lex juberet membra ordine igni imponi, *Levit.* 1: 8. & quamvis ſolerent ita in igne victimam collocare, ut ſervarent membra ejus eundem ſitum qui inter ea erat dum viveret, quantùm fieri poterat, nempè capite omnibus præpoſito, additis ponè humeris & anterioribus partibus, & reliquis ordine ſuo; attamen cùm primùm in ignem ea conjicerent, exiſtimabant ſe aliquid in Lege reperiſſe quo jubebantur carnem ſpargere, quemadmodum adſperſerant ſanguinem; ideòque confusè membra primùm projiciebant, deinde ea ordine collocabant, atque ita comburi curabant.

Sectio II. *Oblationes pro peccato.* חטאת.

Lex de oblationibus pro peccato non diſtinctiùs deſcribit occaſionem eorum, niſi quòd dicit eas oblatum iri *pro peccatis ex ignorantia commiſſis adverſus præcepta Domini, circa res quæ non debent fieri*, Levit. 4: 2, 13, 22, 27. unde patet eas oblatas fuiſſe pro peccatis ignorantiæ adverſus præcepta negativa. Sed Hebræi Doctores eas ad ea peccata ignorantiæ adverſus præcepta negativa, quæ ſi commiſſa fuiſſent à ſciente & prudente, commeruiſſent Exciſionem, plerique reſtringunt. אין חטאת באה אלא על שזדונו לאו וכרת ושגגתו חטאת, *Oblatio pro peccato non offerebatur*, ait *R. Solomo*, *niſi pro re quæ ſi à ſciente & prudente commiſſa fuiſſet, merebatur Exciſionem; ſed ex ignorantia commiſſa requirebat oblationem pro peccato.* *R. Solom.* in *Levit.* 4. Ita in Thalmudico Tractatu *Kerithuth*, poſtquàm enumeratæ ſunt triginta ſex violationes ejuſmodi præceptorum, quibus contrahitur reatus Exciſionis, ſic concluditur: כל אלו היבים על זדונם כרת ועל שגגתו חטאת, *Hæc omnia à ſciente ac prudente commiſſa merentur Exciſionem; ſed admiſſa præ ignorantia requirunt ſacrificium pro peccato.* *Kerithuth*, Perek. 1. *Quicunque ex ignorantia*, ait *Maymonides*, *tranſgreditur aliquod negativum præceptum, in quo eſt actio quâ contrahitur reatus Exciſionis, tenetur offerre oblationem pro peccato; & qui tranſgreditur affirmativum præceptum, quo jubetur offerre oblationem pro peccato, propter ſuum errorem; & quævis tranſgreſſio cujus voluntaria commiſſio meretur Exciſionem, commiſſa præ ignorantia requirit oblationem pro peccato.* *Maymon.* in *Shegag.* Perek. 1. Ulteriùs aliquantò procedit *Aben Ezra*; ſed quantùm comperio, ſolus: dicit enim oblationem pro peccato fuiſſe *pro peccato ignorantiæ contra negativum præceptum; quod ſi à prudente & ſciente commiſſum fuiſſet, merebatur Exciſionem, vel Flagellationem.* *Ab. Ezra* in *Levit.* Non video reliquos ejuſdem Gentis Scriptores cum eo ſentire circa illud additamentum *Flagellationis*; varia enim erant peccata quæ non Exciſione, ſed Flagellatione ſolùm plectebantur: omnes enim uno conſenſu aſſignant oblationem pro peccato iis ignorantiæ peccatis, quorum voluntaria perpetratio puniebatur Exciſione. Ratio hujus eorum limitationis reſpicit naturam tranſgreſſionis: nam cùm numerent 365. præcepta negativa, juxta numerum dierum anni, attamen numerum oblationum pro peccato exæquant quadraginta tribus præceptis, iis ignorantiæ peccatis oblationem pro peccato præſcribentes, quæ proxima erant iis peccatis quæ ſummè erant periculoſa, ſed quæ ignorantiâ emolliebantur. *Maymon.* in Præf. ad *Jad Chazach.* *Id.* in *Shegag.* Perek. 1.

Verum quidem eſt eſſe quaſdam oblationes pro peccato quæ nominatim præſcribuntur, quæ non poſſunt propriè referri ad id genus de quo loquimur, qualis fuit oblatio pro peccato in conſecratione *Aaronis*, *Levit.* 9: 2. pro muliere cùm purificaretur, *Levit.* 12: 6. pro Leproſo cùm mundaretur; vix enim haſce oblationes poſſumus adſcribere peccato cuipiam ignorantiæ adverſus negativum aliquod præceptum, cujus ſpontanea violatio mereretur Exciſionem. Sed videntur potiùs oblata fuiſſe hæc ſacrificia ad majorem cautionem; ut, ſi fortè ei peccato ſubjacerent ignari, ut fieri poterat, expiare-

Digitized by Google

piaretur. Itaque erant admodùm affinia *oblationibus pro delicto*, quo nomine oblatio pro peccato venit, *Levit.* 5: 6. Sed ubi Lex præſcribit regulas circa oblationes pro peccato, nulla nominatur peculiaris tranſgreſſio, ſed hæc tantùm generalis præceptio traditur, eas oblatum iri pro iis qui imprudentes adverſus negativum aliquod præceptum peccaſſent: itaque ad eas oblationes peculiaribus peccatis præſcribendas, conſentaneum rationi erat eas imponi iis peccatoribus ex ignorantia, quorum peccatum, ſi ſpontaneum fuiſſet, inter Deum & Hominem maximum creaſſet diſſidium, cujus ſublatio finis erat Sacrificii. Unum atque alterum ſumamus exemplum, ut meliùs intelligantur quæ dicta ſunt: deinde ad varia veniemus genera *oblationum pro peccato*.

Merebatur Excidium voluntaria violatio hujus præcepti, *Non operaberis ſeptimâ die. Quinam eſt reus propter opus factum die Sabbati? Si prudens ac ſciens hoc fecit præ ſuperbia, reus eſt Exciſionis; ſique teſtes id manifeſtum facerent, debebat lapidibus obrui: ſed ſi præ ignorantia hoc feciſſet, tenebatur præſcriptam pro peccato oblationem offerre, cùm ipſi poſteà quid feciſſet innoteſcebat. Et per totum Tractatum de Sabbato*, verba ſunt *Maymonidæ*, *quotieſcunque dicitur, Quicunque hoc vel illud fecit eſt* חייב ἔνοχ☉ *reus, ſignificatur* חייב כרת, *reus Exciſionis: ſi adſit teſtis, & res manifeſta ſit, reus eſt lapidationis: ſed ſi præ ignorantia hoc fecit,* חייב חטאת, *reus eſt ſacrificii pro peccato.*

Id. in Shabbath, Perek. 1.

In immunditia ingredi Sanctuarium aliud erat peccatum quod Exciſionem merebatur, & contrarium erat frequenti illi prohibitioni, ne quis immundus eò veniret. Si quis immundus prudens ac ſciens eò iret præ ſuperbia, fiebat reus Exciſionis. Si adeſſet teſtis qui teſtaretur illum ſuperbè & ſcienter hoc feciſſe, mulctabatur Verberibus Rebellionis, ut obſervatum eſt. Si verò imprudens hoc feciſſet, tenebatur afferre ſuam oblationem; quæ oblatio aliquatenùs quidem differebat ab oblatione pro peccato quæ aliàs offerri ſolebat, ſed tamen ejus occaſio conſentanea erat occaſioni cæterarum oblationum, quarum quælibet erat חטאת קבועה, *præſcriptum ſacrificium pro peccato* alicujus beſtiæ, vel alterius rei; illa verò erat קרבן עולה ויורד, *Oblatio aſcendens & deſcendens*, hoc eſt, majoris vel minoris pretii, juxta facultates ejus qui eam offerebat; ſi dives eſſet, aliquam pecudem adducebat; ſi pauper, turtures, vel columbos, vel *Ephæ* partem decimam ſimilæ afferebat. Hiſce exemplis ſatis apparet quomodò ſe gererent in reliquis triginta ſex, vel quadraginta quatuor (in totidem enim dividuntur triginta ſex) circa voluntariam Legis violationem, pœnamque ei conſtitutam; & circa imprudentem tranſgreſſionem, eique præſcriptam oblationem.

Kerithuth, Perek. 1. *Gloſſa*, ibid.

Jam, ut veniamus ad diſtinctionem oblationum pro peccato, erant vel oblationes pro tota Congregatione, vel pro privatis, *Levit.* 4: 3, 13, 22. Sed cùm loquimur de oblatione pro tota Congregatione, poteſt eſſe aliqua in terminis æquivocatio; utrùm nempè intelligatur totius populi corpus, an verò ſolum *Synhedrium Magnum*, quod totum *Iſraëlem* repræſentabat. Huic difficultati reſpondemus, eâ voce utrumque ſignificari.

Primò enim, Hircus qui pro peccato offerebatur Expiationis die, offerebatur pro tota Congregatione, *Levit.* 16: 15. de quo poſteà agemus; atque hoc poſſumus ſumere pro toto populo individuè ſumpto.

Secundò, Juvencus offerebatur pro peccatis totius Congregationis, cujus mentio fit *Levit.* 4: 13. qui à Judæis vulgò vocatur *Juvencus pro re occulta* העלם דבר, quia in Textu allato dicitur, *Et res ſit abſcondita oculis Congregationis.* Hoc in negotio *Synhedrium* & populus unà comprehenduntur; & ita quidem, ut *Synhedrium* priùs per ignorantiam peccaſſet, populus verò poſterior ejus errore in peccatum delapſus eſſet. *R. Solomon* rem ita exprimit. *Per Congregationem Iſraëlis ſignificatur Synhedrium, & per rem abſconditam ſignificatur illud erraſſe in docendo circa Exciſionem aliquam in Lege, hanc vel illam rem eſſe licitam, ut juxta ejus decretum egerit Congregatio.* Sed *Maymonides* rem fuſiùs & clariùs ſic explicat. *In aliqua re per ignorantiam commiſſa homines tenebantur offerre oblationem pro peccato conſtitutam, ſi Magnum Synhedrium erraſſet in ſuo decreto, & docuiſſet id eſſe licitum quod interdictum erat, & populus erraſſet per ejus determinationem, & rem commiſiſſet eâ determinatione nixus, & poſteà cognoſceret Synhedrium ſe erraſſe. Ecce Synhedrium tenetur offerre oblationem pro peccato propter errorem ſuum in decreto ſuo, quamvis ipſum rem non commiſiſſet; quia actiones Synhedrii dijudicantur non ex eo quod facit vel non facit, ſed ex ejus decretis. Et ad reliquum quidem populum quod attinet, oblatione expiabatur, quia nitebatur Synhedrii decretis. Jam quodnam offerebatur ſacrificium? Si erraſſent circa aliquam Exciſionem,*

R. Solom. in *Levit.* 4.

Maymon. in *Shegagah*, *Perek.* 14

Digitized by Google

nem, (exceptâ Idololatriâ) *unaquaque Tribus Juvencum offerre debebat:* ita unuſquiſque abſolvebatur, & unus Juvencus pro tota Tribu oblatus eam expiabat, & *Synhedrium* etiam quod omnes repræſentabat Tribus. Ad ſimile quippiam reſpiciebat *Thargum Jonathanis*, cùm verſum quarti Cap. *Levitici* quindecimum ſic vertebat.
Tharg. Jonath. in *Levit.* 4. *Duodecim Seniores Congregationis qui regendis duodecim Tribubus præpoſiti ſunt, imponent manus ſuas capiti Juvenci.* Ubi *Gloſſa* marginalis reprehendit *Rab* & *Rabbi Solomonem*, quòd exiſtimarent pauciores impoſuiſſe manum capiti Juvenci. *Non ſum* *Gloſſ. marg. ibid.* *in ſententia*, inquit, *vel &* *Rab, vel Rabbi Solomonis, quorum unus dicit tres, alter verò quatuor impoſuiſſe manus: res enim manifeſta eſt ex eo quod ſcriptum eſt*, Et Seniores Congregationis imponent manus ſuas; *quod ſignificat Seniores totius Congregationis: reſque etiam indè apparet, quia tota Congregatio peccavit; quare autem tres aut quinque tantùm manus ſuas imponerent? Sed erant duodecim, ſcilicet uniuſcujuſque Tribûs unus.* Quibus in verbis licèt videatur dicere unum fuiſſe Juvencum, ut & *Thargum*, in quod hoc ſcriptum eſt Scholium, de uno tantùm loquitur; attamen apparet ex aliis ejuſdem Gentis Scriptoribus, fuiſſe duodecim Juvencos; & quo fundamento eos ad eum numerum augeant, cùm Scriptura de uno tantùm loquatur, mox dicemus.

Tertiò, ſi *Synhedrium* erraſſet in negotio Idololatriæ, deque ea aliquid decreviſſet quod non licebat jure, & populus juxta ejus pronunciata egiſſet, ac etiam erraſſet; tùm Juvencus & Hircus offerebantur pro peccato uniuſcujuſque Tribûs, cùm contingebat errorem cognoſci: atque hoc colligunt ex *Numer.* 15: 24. hac
R. Solom. in Numer. 15. ratione: Si erraveritis, nec obſervaveritis hæc omnia præcepta. *Quodnam eſt illud peccatum quod violat omnia præcepta? Eſt nempè Idololatria, rumpit jugum, tranſgreditur fœdus, & aperit faciem*, vel eſt impudens in peccato. Et cùm dicatur *Levit.* 4: 14. *Tum Congregatio offeret* הקריבו הקהל, hæc verba diſtributivè interpretantur, tum hoc in negotio, tum in ſu-
Maymon. ubi ſuprà. periori: *Unaquæque Congregatio offeret*, hoc eſt, unaquæque Tribus; atque ita in allato caſu erant duodecim Juvenci, in hoc verò poſteriori præter Juvencos, duodecim Hirci. Hi vulgò vocantur in Judæorum Scriptoribus, שעירי עבודה זרה, *Hirci Idololatriæ*; Juvenci verò, *Juvenci Holocauſti:* non quòd alii Juvenci, qui alias ob cauſas, præter Idololatriam, offerebantur, non comburerentur; ſed quia hac ratione diſtinctio fiebat inter פר העלם דבר הצבור, *Juvencum Congregationis propter rem abſconditam*, & פרים נשרפים, *Hircos Congregationis propter Idololatriam.*

Sanguis horum Juvencorum mactatorum vel pro peccato occulto, vel pro Idololatria, deferebatur in Locum Sanctum, atque ibi Sacerdos immiſſo in ſanguinem digito, cum ſepties adſpergebat verſus Velum. Tùm exibat, & eo Altaris cornua tingebat, reliquum ad Altaris baſin effundebat. Adipem comburebat in Altari; ſed pellem, caput, crura, inteſtina & ſtercus comburebat extra Caſtra. Eodem modo ſe gerebat erga Hircos. *Thoſaph. in Corban Per. 6.*

Chriſtus victima noſtra, qui ſemetipſum in expiationem peccati obtulit, frequenter in Scriptura comparatur victimæ quæ pro Congregatione offerebatur, quia mortuus eſt pro toto ſuo populo; & victimæ quæ mactabatur pro peccato, quia obiit ad averruncandam maledictionem & exciſionem. Vocatur *Agnus Dei*, *Joann.* 1: 29. ubi fit alluſio ad Agnum quotidiani ſacrificii, quod pro tota Congregatione offerebatur. Dicitur *factus peccatum pro nobis*, id eſt, oblatio pro peccato, *quamvis peccatum non noſſet*, 2 *Cor.* 5: 21. Aſſimilatur etiam iis ſacrificiis ubi ſanguis victimæ pro peccato fuſus inferebatur in Sanctuarium, & corpus comburebatur extra Caſtra, *Hebr.* 13: 11. Hæc combuſtio victimarum extra Caſtra non modò erat figura paſſionis *Chriſti* extra Portam, ut obſervat Apoſtolus; ſed & victimæ combuſtio & *Chriſti* paſſio extra Portam, ſignum fuit eum mori pro populo quem habebat inter Gentiles, qui erant veluti extra *Iſraëlis* Caſtra; allatio verò ſanguinis in Sanctuarium ſignificabat eum appariturum, & perpetuò coram Domino oblaturum meritum ſanguinis ſui in expiationem peccatorum Congregationis ſuæ.

Oblationes pro peccatis ſingulorum hæc erant. I. Oblatio pro peccato Summi Sacerdotis, Juvencus die Expiationis, *Levit.* 16: 6. cujus ſanguis deferebatur intra Velum, *verſ.* 14. & caro extra Caſtra comburebatur, *verſ.* 27.

II. Juvencus Summi Sacerdotis, propter aliquid quod fieri non debebat commiſſum ex ignorantia, *Levit.* 4: 3. Sanguis hujus Juvenci inferebatur in Sanctuarium, ejus verò caro & pellis, &c. comburebantur extra Caſtra, *verſ.* 11. Hic Juvencus vocatur ab Hebræis Scriptoribus, פר הבא על כל המצוות, *Juvencus qui offerebatur propter omnia præcepta.* *Et quidam dicunt ejuſmodi oblationem pro peccato quotan-* *Maym. ubi ſupr. Ab. Ezr. in Levit.*

 nis 4-

nis offerri debuiſſe, quæ ut erat expiatio pro ipſo, ita, ut obſervat *Baal Turim*, animum reliquis addebat ad confitenda peccata ſua. *Lex præcipit*, inquit, *oblationem pro peccatis Summi Sacerdotis publicè in loco cinerum comburi, ne quiſquam præ pudore refugeret fateri peccatum ſuum: ecce enim Summus Sacerdos peccaverat, confitebatur peccatum ſuum, & oblationem pro peccato offerebat.*

Baal Turim in *Levit.* 4.

III. Erat oblatio pro peccato Principis, *Levit.* 4: 22. Hœdus, *verſ.* 23. Cornua Altaris ejus ſanguine tingebantur, adeps comburebatur in Altari, & caro comedebatur, *verſ.* 25. &c.

IV. Erat etiam oblatio pro peccato privati cujuſpiam, *Levit.* 4: 27. Ovis vel Capella. Ungebantur ejus ſanguine cornua Altaris, adeps comburebatur, & caro comedebatur à Sacerdotibus.

¶ Hæc erant varia ſacrificia pro peccato quæ offerri debebant, quædam ex diſerto Legis mandato, alia ex generali regula expiandi peccati involuntarii, quotieſcunque innoteſceret. Jam autem ut plenius intelligantur ritus ac cæremoniæ oblationum pro peccato, varias haſce earum circumſtantias obſervare poſſumus.

I. Locus & ratio offerendi, mactandi, & imponendarum manuum victimæ eadem erant ac in Holocauſtis.

II. Circa ſanguinem qui inferebatur in Locum Sanctum, ſic ſe Sacerdos gerebat. *Juvenci qui comburebantur, & Hirci qui comburebantur extra Caſtra, dum mactabantur, & adſpergebatur eorum ſanguis*, (in Altare Holocauſtorum) *Sacerdos intrabat, & ſtabat intra Altare Aureum & Candelabrum. Altare erat ante ipſum, immittebatque in ſanguinem digitum ſuum, & ſepties adſpergebat ſanguinem verſùs Sancta Sanctorum; & quoties digitum immittebat ac adſpergebat, ſanguine etiam Altaris cornua inungebat.*

Thoſaph. ubi ſuprà.

III. Sanguis qui non inferebatur in Sanctuarium madefaciebat cornua Altaris Holocauſtorum, & aliqua etiam pars ejus ſanguinis qui referebatur ex Sanctuario: cujus rei hi erant ritus.

Maym. ubi ſupr. Per. 5. *Thalm.* in *Zevach.* Per. 5.

Sacerdos aſcendebat per gradus Altaris, & dextrorſùm circumibat Altare, incipiens à cornu quod Euro-notum reſpiciebat, immergebat indicem dextræ in ſanguinem qui vaſculo continebatur, eumque adſpergebat verſùs cornu; deinde abſtergebat digitum in margine diſci, & ſanguinem qui remanebat in digito ſic tollebat; deinde veniebat ad cornu Euro-aquilonare, atque eandem cæremoniam repetebat, & idem faciebat in reliquis duobus cornubus. Atque hîc erat ſanguis qui effundebatur ſupra rubram lineam quæ medium Altare circumibat; & ſolus quidem ſanguis oblationum pro peccato digito adſpergebatur.

IV. Cùm dicitur reliquus ſanguis *effuſus fuiſſe ad baſin Altaris*, intelligendum id factum fuiſſe ad Meridionale vel Septentrionale latus, quia in angulo qui Noto-zephyrum reſpiciebat erant duo foramina in quæ influebat ſanguis, de quibus diximus in deſcriptione Altaris. Quidam ita diſtinguunt ſanguinis effuſionem, ut dicant quod effundebatur in Sanctuario id effuſum fuiſſe ad Occidentale latus; quod verò ibi effuſum non fuerat, effundi ſolitum ad Meridionale. Sed R. *Simeon* dicit *utrumque effuſum fuiſſe ad Occidentale latus, & effluxiſſe per canalem ſubterraneum, quo deducebatur ad Vallem Cedron, & vendi ſolitum hortulanis*, qui ſolum inde pinguius reddebant. *Sed R. Meir aſſerit Sapientes dicere, nullum ejus fuiſſe uſum.*

Thoſaph. ubi antè.

V. Hirci & Juvenci qui extra Caſtra comburebantur, in partes ſcindebantur cum pelle, & injiciebantur in ignem, iiſdem adhibitis ritibus quibus Holocauſta igni Altaris imponebantur.

Maim. ubi ſup. Per. 1.

VI. Oblationes pro peccato quæ non comburebantur extra Caſtra, comedebantur à Sacerdotibus, poſtquàm adeps in Altari oblatus fuerat, *Levit.* 6: 25, 26. & 10: 17. & edebant quidem in Atrio. Corruptis temporibus incuſantur Sacerdotes, quòd in Miniſterio ſuo nullam pietatis rationem haberent, ſed tantùm ventrem implerent, quem inſtar Dei colebant. *Comedunt peccatum* (id eſt, oblationes pro peccato) *populi mei, & ponunt corda ſua in iniquitate eorum*, Hoſ. 4: 8.

SECTIO III. *Oblationes pro Delicto.* אשם.

Ita oblationes pro delicto, tum quoad rem ipſam, tum quoad oblationis cauſam & occaſionem, conſimiles erant oblationibus pro peccato, ut gemellæ videantur, & ſubtilior ſit ac difficilior earum diſtinctio. Nam ut ſacrificia pro peccato offerebantur propter aliquid commiſſum in præceptum negativum; ita & hæc: ut illa offerebantur pro peccatis ex ignorantia commiſſis; ita & hæc: ut illa reſpiciebant periculum Exciſionis; ita etiam hæc. Eſt tamen aliquod inter ea diſcrimen, & tale quidem, ut oblationes pro delicto eſſent tantùm gradu diſtinctæ à prioribus.

Erant duum generum: erat אשם תלוי, *Oblatio pro peccato dubio*, & אשם ודאי, *Oblatio pro peccato certo*. Et ita quidem vocabantur non reſpectu oblationis ipſius, quaſi dubitaretur

Maym. in *Corban.* Per. 9.

Digitized by Google

dubitaretur an eſſet oblatio, necne; ſed quia in cauſa oblationis poterat eſſe dubitatio aliqua, vel certitudo.

אשם תלוי, *Oblatio dubia*, vel *ſuſpenſa*, hæc enim eſt propria vocis Hebraicæ ſignificatio, creditur à quibuſdam Judæis Scriptoribus ita vocata fuiſſe, quia ſuſpendebat ei qui delictum commiſerat pœnam *Gloſſa in Miſnajoth, in 8.* debitam: לפי שתלה ומגין עליו מן היסורים, *quia ſuſpendebat & tutum præſtabat eum à debitis caſtigationibus.* Quod licèt verum ſit, attamen vera phraſeos etymologia ex generaliori ſenſu petenda eſt; quia nempè eſt ſuſpenſio judicii & dubitatio circa rem propter quam eſt oblatio. Eſt hiſtoria in Trac- *Kerithuth, Per. 6. ſect. 3.* tatu *Kerithuth*, de *Baba Ben Buta, eum quotidiè, excepto poſtridie diei Expiationis, per totum annum obtuliſſe dubiam hujuſcemodi oblationem pro delicto. Et aliquando dicebat, Per hoc Templum, ſi mihi liceret, talem oblationem eâ etiam die offerrem: ſed dicunt mihi, Expecta donec veneris in aliquam dubitationem. Et Sapientes dicunt, Non offertur* אשם תלוי, *ſuſpenſa oblatio, niſi pro tali delicto, quod ſcienter ac prudenter commiſſum merebatur Exciſionem, & imprudenter requirebat oblationem pro peccato.*

Conſonat poſtremis hiſce verbis alius ejuſdem Tractatûs locus, ubi enumeratis triginta ſex tranſgreſſionibus quæ merebantur Exciſionem, ſic concluditur. *Unum horum commiſſum prudenter ac ſcienter meretur Exciſionem; ſi imprudenter, oblationem pro peccato requirit; ſi ignotum ſit, dubiam oblationem pro delicto.*

Hiſce teſtimoniis apparet *oblationes pro peccato*, & has *dubias oblationes pro delicto* adeò affines fuiſſe, ut poſterior deberi non exiſtimaretur, niſi & altera debita cenſeri poſſet; ut una offerretur pro re commiſſa imprudenter, altera verò pro re imprudenter commiſſa & ignota. Præcipua earum differentia hac in re ſita erat: oblatio pro peccato erat pro re imprudenter commiſſa adverſus unum è negativis præceptis, & tùm demùm cognita; oblatio verò pro peccato erat pro re commiſſa quidem, ſed ita ut dubitaretur an præceptum eſſet eâ actione violatum. Qui adhuc ignorabat utrùm tranſgreſſus eſſet necne, attamen tenebatur offerre oblationem pro delicto, quæ, ut anteà dictum eſt, tutum eum præſtaret à pœna Exciſionis. Quod ſi ſemel reſciret ſe violaſſe præceptum aliquod, quod Exciſionis pœnâ ſancitum eſſet, tùm tenebatur offerre ſacrificium pro delicto. *Thalmudiſtæ* in hoc caſu hæc proferunt exempla.

Ibid. Per. 2. Thoſaphoth in *Qui comedit adipem*, (adipem ſcilicet inteſtinorum, qui in omnibus ſacrificiis offerri debebat) *ſi id fecerit prudens ac ſciens, debebat excidi; ſi imprudens, debebat offerre ſacrificium pro delicto ſtatim ac noſcebat quid feciſſet.* Sed caſus de quo quæritur hic eſt: *Kerithuth, Per. 2.* vir quiſpiam menſæ accumbens, cui appoſitus erat adeps quem comedi nefas erat, & alius adeps qui comedi poterat; poterant enim comedere adipem bovinum, vel vervecinum, licèt non liceret inteſtinorum adipem comedere: vir, inquam, ille comedit ex uno adipe, nec novit ex quo: credit ſe comediſſe ex eo adipe quem fas eſt comedere; ſed fieri poteſt ut comederit ex eo quem deguſtare non licet. Quia autem fieri poteſt ut ſit reus violati præcepti, tenetur offerre ſuſpenſam oblationem אשם תלוי, quamvis ignoret an peccaverit, necne.

Qui prudens & ſciens concubuerat cum ſorore, debebat excidi; qui verò imprudens, debebat offerre oblationem pro peccato ſtatim ac noverat quid feciſſet. Verùm hic eſt caſus de quo agimus: cujuſpiam uxor & ſoror ſunt *Gloſſ. in Miſnaj. ubi antè.* unà in eodem lecto. Ille concumbit cum una ex iis, credens eſſe uxorem ſuam; ſed fieri poteſt ut fuerit ſoror. Propterea tenetur offerre oblationem pro delicto dubiam, quia dubium eſt an tranſgreſſus fuerit. Atque hoc oblationis genus hoc reſpectu vocatur *dubium* vel *ſuſpenſum*, quia dubitabat qui eam offerebat, utrùm foret reus, necne: ideòque reatus & pœna quibus obnoxius eſſe poterat veluti pendebant.

Varia hujuſcemodi exempla poſſunt afferri; ſed unum tantùm atque alterum addemus verbis Auctoris *Thoſaphtæ. Sunt duo viri ſimul; Thoſaphth ubi ſuprà.* *unus eorum peccat, ſed uter ſit ignoratur. Rabbi Joſe dicit, utrumque debere dubiam oblationem pro delicto offerre, & confiteri. Qui comedit fruſtulum adipis inſtar oleæ, vel fruſtulum carnis inſtar oleæ, quæ tamdiu ſervata eſt antequàm ſacrificaretur, ut fœteret; vel fruſtulum reliquum ex ſacrificio inſtar oleæ, vel fruſtulum inſtar oleæ cibi immundi imprudens, debet offerre ſacrificium pro peccato. Sed ſi dubitat num comederit necne, tùm tenetur oblationem pro delicto offerre. Qui concumbit cum ſua ſorore, vel patris, vel matris, vel uxoris ſorore, vel fratris, vel patris uxore, vel muliere ſeparata, tenetur offerre ſacrificium pro peccato:* ספק בא ספק לאבא מביא אשם תלוי, *ſed ſi dubitet num fecerit necne, debet offerre dubiam oblationem pro peccato. Viri uxor & ſoror ſimul ſunt, & ipſe concumbit cum alterutra, ſed utra ſit ignorat. Habet duas uxores, una earum eſt in ſua ſeparatione, altera non item; concumbit cum alterutra, ſed utra fuerit ignorat. Ipſi apponitur adeps, & aliquid reliquum ex ſacrificio; comedit ex alterutro, ſed utrum fuerit ignorat. Eſt Sabbatum*

Digitized by Google

eum & dies Expiationis; laborat alterutrâ, ſed utra fuerit neſcit. R. Eliezer judicat eum offerre debere ſacrificium pro peccato; ſed R. Joſhua eum abſolvit. Jam verò R. Joſe dicit, quamvis R. Joſhua ipſum ab oblatione pro peccato abſolvat, tamen eum cenſet offerre debere dubiam pro delicto oblationem.

Hiſce exemplis ſatis apparet, quidnam eſſet אשם תלוי, ſi audiamus Doctores Hebræos: ſed ut res manifeſtior fiat, poſſumus unà cum illis ulteriùs procedere. Quiſpiam comperiebat fieri poſſe ut peccaſſet, quamvis prorsùs incertum eſſet ipſi utrùm peccaviſſet necne; tamen conſcientiâ tenebatur dubiam hanc oblationem pro delicto offerre, quia fieri poterat ut peccato teneretur, ut in exemplis allatis videre eſt. Sed hîc non ſubſiſtunt: ſi teſtis adeſſet qui diceret certò eum comediſſe ex adipe interdicto, concubuiſſe eum cum uxore ſua dum ſeparata eſſet, aut cum ſorore, vel quippiam ſimile; nondum convictus erat rem ita ſe habere, ſed adhuc dubitabat, atque in ea dubitatione tenebatur offerre *dubiam oblationem pro delicto*; quia licèt certum eſſet eum peccaſſe, adhuc tamen ipſi dubium erat: ſed quotieſcunque convinceretur ſe reverà deliquiſſe, tùm tenebatur offerre *ſuam oblationem pro peccato.* Itaque *dubia oblatio pro delicto* gradu differebat ab *oblatione pro peccato*, & reſpiciebat ea præcepta quæ Exciſione ſancita erant; ſed cùm dubium erat utrùm delictum eſſet commiſſum, hæc dubia ſeu ſuſpenſa oblatio debebat offerri ut vitaretur Exciſio, cujus imminebat periculum. Vide *Levit.* 5: 17.

אשם ודאי, *Certa*, vel *manifeſta oblatio pro delicto* ita vocatur, quia Lex diſertè eam præcipit, tum reſpectu victimæ, tum reſpectu perſonarum & occaſionum propter quas offerri debebat; hæque erant quinque.

Thoſaph. ubi ſupra. Thalm. in *Zevachim*, Per. 5. *Maym.* in *Shegagah*, Per. 9.

I. אשם גזילה, *Oblatio propter rem ſubreptam*, vel injuſtè partam, aut poſſeſſam, cujus fit mentio *Levit.* 6: 2, 3, 6.

II. אשם מעילה, *Oblatio pro ſacrilegio*, cujus eſt mentio *Levit.* 5: 16.

III. אשם שפחה חרופה, *Oblatio propter ſervam*, de qua lex extat *Levit.* 19: 20, 21.

IV. אשם נזיר, *Oblatio Nazirai*, *Numer.* 6: 12.

V. אשם מצורע, *Oblatio Leproſi*, *Levit.* 14: 12.

Ibid. in *Corban.* Per. 9.

Ritus porrò horum ſacrificiorum iidem erant ac ritus *ſacrificii pro peccato.* Victimæ mactabantur, excoriabantur, viſcera educebantur, abluebantur, ſaliebantur, & comburebantur, ut victimarum pro peccato oblatarum; & caro comedebatur à Sacerdotum filiis in Atrio. In adſperſione duntaxat ſanguinis aliquod erat diſcrimen: nam cùm ſanguis oblationis pro peccato imponeretur cornubus Altaris, in ſanguine horum erant שתי מתנות שהן ארבע, *duæ adſperſiones, quæ erant quatuor*, hoc eſt, ut ſuprà diximus, in duos angulos Altaris, juxta figuram literæ *Gamma.* Victimarum pro peccato oblatarum ſanguis adſpergebatur ſupra lineam rubram quæ medium Altare circumambibat; harum verò infrà, ut ſanguis Holocauſtorum. Inter reliqua *Naziræorum* Aries pro delicto oblatus, ex minimorum ſacrificiorum numero habebatur, vel קדשים קלים, cum reliqua omnia venirent in cenſum קדשי קדשים, *ſanctiſſimarum oblationum*; & cùm hæc mactarentur ad Septentrionale Atrii latus, illud in Meridionali mactabatur. Priora à filiis duntaxat Sacerdotum comedebantur in Atrio; poſterius ab aliis & in Urbe ipſa poterat comedi.

Zevach. ubi ſupra.

Comeſtio ſanctiſſimarum oblationum in Atrio vulgò vocatur à Judæis אכילת לפנים מן הקלעים, *Comeſtio intra Cortinas*; in qua loquutione reſpiciunt ad Atrium Tabernaculi, quod Cortinis undique cingebatur. Nam, ut intra Cortinas illas erat ſpatium quod vocabatur *Caſtra Domini*; (Caſtris *Levi* extrà poſitis) ita à Janua *Nicanoris* introrsùm quicquid erat Caſtra Domini reputabatur; Caſtra verò Levitarum ſpatium illud quod erat à Janua illa uſque ad Portam Montis Templi. Erat autem diſertum mandatum, quo oblationes omnes comedere jubebantur Sacerdotes unà cum filiis in Loco Sanctiſſimo, id eſt, in Atrio, *Numer.* 18: 10. *Ezech.* 42: 13. *David Kimchi* in poſteriorem locum hæc verba habet: *Sanctiſſimæ oblationes edebantur intra Atrium Iſraëlis interiùs, atque hoc vocabatur emphaticè Atrium; & erat ille Sanctus Locus ad comedendas res ſanctiſſimas, ſi ita ferret animus. Sed in Atrio Sacerdotum, quod erat intra Atrium Iſraëlis, erant Atria Sacerdotum, & ibi comedebant res ſanctas.* Quo in loco rerum ſanctiſſimarum comeſtionem intra arctiores limites cogit, quàm vel neceſſe eſt, vel reliqui ejus Gentis Doctores faciunt. Invenit etiam ædificia & Conclavia Sacerdotibus intra Atrium Sacerdotum, quæ niſi ſint Conclavia Templo annexa, concipi non poſſunt, nec à quoquam ibi unquam deprehenſa ſunt. Ut præceptum coërcebat Sacerdotes intra circuitum Atrii, dum res ſanctas comederent; ita optimè videatur locus cibi capiendi

Kimch. in *Ezech.* 42.

juxta

juxta tempeſtatem anni, & commoditatem conſtitutus fuiſſe, æſtûs tempore intra clauſtra quædam ſub dio, frigoris verò in Conclavibus quæ erant intra Atrium, ut *Gazith*, *Mokadh*, *Nitſots*, vel in aliquo ex Conclavibus Templo annexis.

Apparet ex Traditione circa eorum comeſtionem, eos ad res ſacras comedendas non accubuiſſe menſæ, niſi noctu, nec ullum tempus prandio conſtitutum fuiſſe, ſed cœnæ tantùm באכלים עד חצות. Hinc commune natum eſt *Thalmudiſtarum* dictum: *Poterant comedere ex iis uſque ad mediam noctem*; ſeriùs illicitum erat. In Tractatu *Berachoth*, notatur id tempus quaſi hora quâ tenebantur Sacerdotes reci-
Berach. Per. 1. Sect. 1. tare veſperi Phylacteria ſua. *A quo tempore repetebant veſperi Phylacteria ſua?* Reſpondetur, *A tempore quo Sacerdotes ibant ut comederent ſuas oblationes.* Utrùm autem Sacerdotes eò uſque jejunarent necne; utrùm Chriſtiani in *Agapis* ſuis conſuetudinem conviviorum Templi ſint imitati; utrùm eorum jejunium coram Domino eſſet figura beatæ ſocietatis Sanctorum in cœlis, qui vident faciem Dei, non hîc diſquiram, ſed lectori diſcutiendum relinquam.

Inter haſce oblationes quarum meminimus, Juvencorum, Hircorum, Arietum & Agnorum, omittendum non eſt ſimiles fuiſſe avium oblationes. Atque ex omnibus quidem avibus duo tantùm genera licita erant, Turtures & Columbi, & eorum ſemper paria offerebantur. In lingua Thalmudica vocantur קינים, *Nidi*, de quo titulo & argumento eſt Tractatus in Thalmudico Codice; atque ordinariè emebantur in Templo, *Joann.* 2: 14. Mulieres præſertim, quamvis non ſolæ, hoc oblationis genere delectabantur. Nam caſus circa earum immunditiem, effluvium ſanguinis, partus & abortiones tam frequentes erant, (præter vota & libera dona) ut ejuſcemodi oblationes ad incredibilem numerum excreſcerent. Unum exemplum inſtar omnium nobis erit.

Keritbuth, Per. 1. *Mulier*, ait Tractatus *Keritbuth*, *quæ dubitat de quinque partibus* (ſimul) *& quinque fluxibus, tenetur offerre unam oblationem, & poteſt comedere ex ſacrificio, nec ulla prætereà oblatio pro ea debita eſt. Habet quinque partus certos, & quinque fluxus certos, tenetur offerre unam oblationem, & poteſt edere ex ſacrificio; ſed debet pro reliquis.*
Juchaſin, fol. 60. *Hoc aliquando contigit: Columbæ Hieroſolymæ veniebant uno denario auri. Rabban Simeon filius Gamalielis dixit, Per hoc Templum, nolo dormire hac nocte donec argenteo denario veneant. Ivit in Synhedrium, & hoc decretum fecit: Mulier quæ habet quinque apparentes partus, & quinque apparentes fluxus, tenetur unam oblationem afferre, & poteſt comedere ex ſacrificiis; & nihil debet pro reliquis. Ita eâ die pretium columbarum ad ſemi-denarium devenit.*

Zevach. Per. 6. Ratio offerendarum harum avium hæc fuit. Si in Holocauſtum venirent, Sacerdos aſcendebat per gradus Altaris, & illud circuibat, atque ad angulum qui Euronotum reſpiciebat caput illis avellebat, eas aperiebat, & ſanguinem ad latus Altaris effundebat; ſaliebat capita quæ avulſerat, & jaciebat in ignem; extrahebat viſcera, & ea conjiciebat in acervum cinerum; ſaliebat aves, & eas in ignem projiciebat. Si afferrentur in oblationem pro delicto, avellebat eis caput, ad latus Altaris ſanguinem adſpergebat, & reliquum ad baſin effundebat; nec quicquam aliud peragendum ſupererat, ſed Sacerdos eas aves ſibi ſumebat ad eas comedendas. Verùm in adſperſione ſanguinis harum avium, ſeu in Holocauſtum offerrentur, ſeu in oblationem pro peccato, ritu utebantur planè diverſo & contrario ritui quem adhibebant in ad-
Kinnim, Per. 1. ſperſione ſanguinis pecudum: nam ſanguis pecudum adſpergebatur infra lineam rubram quæ Altare circuibat in Holocautomatibus; in ſacrificiis verò pro peccato, ſupra lineam: ſed ad haſce aves quod attinet, ſanguis earum, cùm offerebantur in Holocauſtum, ſuprà adſpergebatur; cùm in oblationem pro peccato, infrà.

SECTIO IV. *Pacificæ Oblationes.* שלמים.

Non opus eſt nos diu quærere rationem & etymum nominis ſacrificiorum pacificorum, (ut quidam fecerunt, qui exiſtimarunt ea ſic dicta eſſe, quòd eſſent *cau-*
R. Solom. in *Levit.* 3. *ſa pacis Mundo, Altari, Sacerdotibus, & Offerentibus*) ſi tantùm ea opponamus κατ' ἀντίθεσιν iis oblationibus de quibus antehàc diximus; nomenque eorum à natura per ſe manifeſta fient. Holocautomata, oblationes pro peccato & delicto offerebantur pro peccatis commiſſis, & reatu quopiam cui offerens ſubjacebat, vel ſubjacere poterat: ſed pacifica ſacrificia propter ejuſmodi reatum, peccatum, aut ſuſpicionem, non offerebantur, ſed propter duo meliora & innocentiora, ſcilicet propter beneficium aliquod à Deo impetratum, vel propter votum ac liberam devotionem.

Atque huc fortè reſpiciebant Septuaginta Interpretes, cùm שלמים tranſtule-

Digitized by Google

runt θυσίας σωτηρίας, *ſacrificia liberationis*, vel ſalutis.

Vox שלום, unde venit שלמים *Pacifica Oblationes*, ſignificat, ut notum eſt, vel *pacem*, vel *proſperitatem*, & ad hanc duplicem ſignificationem poſſunt referri ſacrificia pacifica. Quædam enim ex iis offerebantur præ pietate, & tanquam liberæ oblationes, ad conſervandam, vel ambiendam pacem cum Deo; aliæ verò inſtar gratiarum actionis, propter proſperitatem, vel beneficia jam impetrata; aliæ inſtar votorum, ad proſperas res ac beneficia in poſterùm obtinenda. Atque hæc diviſio pacificorum ſacrificiorum in *oblationes ad gratias agendas*, *ſpontaneas*, *& votivas*, nititur lege *Levit.* 7.

Primùm agemus de quibuſdam pacificis ſacrificiis extraordinariæ naturæ, & veluti heteroclitis. Hæc erant *pacifica ſacrificia Ethnicorum*, quæ in ipſo Templo offerebant. Mons Domûs vulgò vocatur à Chriſtianis Scriptoribus *Atrium Gentilium*, ut anteà dictum eſt; nam in eum poterant venire Ethnici, & afferre ſecum oblationes quæ offerebantur, non ſecùs ac ipſorum *Iſraëlitarum* ſacrificia. Huc alluditur in *Apocalypſi*, ubi Angelo metienti Templum, præcipitur ne metiatur exterius Atrium, ſed illud relinquat, quippè quod conceſſum erat Gentilibus, *Apocal.* 11: 2. De hiſce ſacrificiis ab Ethnicis oblatis hanc nobis Traditionem profert *Maymonides*: *Accipiebant tantùm ab Ethnicis Holocautomata; quia dicitur, A manu filii exteri non offeretis panem Dei veſtri. Accipiebant etiam Holocautomata avium ab Ethnicis, quamvis etiam eſſent Idololatræ; ſed non accipiebant ab iis pacificas oblationes, nec farinam, nec oblationes pro peccato ac delicto. Similiter etiam Holocautomata non accipiebant ab Ethnicis, niſi offerrentur inſtar ſpontaneorum, vel votivorum ſacrificiorum. Cùm Ethnicus afferebat oblationem pacificam, offerebant eam tanquam Holocautoma, quia Ethnicus quendam habet affectum erga Cœlum*, id eſt, Deum. *Si voviſſet pacifica ſacrificia, & daret ea Iſraëli, ut Iſraël per ea expiaretur, Iſraëlitæ ea comedebant non aliter ac ſi forent ſacrificia Iſraëlitæ; ſi ea daret Sacerdotibus, ea comedebant Sacerdotes. Ab Apoſtata Judæo qui in Idololatriam delapſus erat, & datâ operâ profanaverat Sabbatum* (בפרהסיה, ἐν παῤῥησίᾳ) *nulla accipiebant ſacrificia, nequidem Holocautoma quod accepiſſent ab Ethnico.*

Maym. in *Corban.* Per. 3.

Hac in relatione videtur quidem ſibi contradicere, cùm ait & negat eos accepiſſe ſacrificia pacifica ab Ethnicis; ſed manifeſtò apparebit eum optimè ſibi conſtare, ſi hæc obſervemus. I. Eos non recuſaſſe accipere ſacrificium ab Ethnico, quia eâ oblatione oſtendebat ſe benè affectum eſſe erga Deum לבו לשמים, & aliquam in ſe eſſe pietatem. II. Tamen nolebant ab eo accipere oblationem pro peccato, aut pro delicto, quia non ſubjacebat iis legibus quibus ejuſmodi oblationes innitebantur. III. Nec etiam volebant oblationem farinæ, aut pacificam oblationem ab eo accipere, eo ſenſu ſumptam, ſeu tanquam pacificam oblationem, quia oportebat offerri cum ea panem; prohibitum autem erat offerri ab extero panem Dei. IV. Sed quodvis ſacrificium quod offerebat Ethnicus, offerebatur ab ipſo alterutrâ harum notionum quibus ſubjacet oblatio pacifica; erant ſcilicet vel ſpontaneæ oblationes, vel vota: ſed non poterat offerri tanquam pacifica oblatio, ſed tantùm tanquam Holocautoma, quia offerebant illud ad teſtandam pietatem ſuam in Deum, non ut comederetur ab *Iſraëlitis*. V. Sed ſi præ amore *Iſraëlis*, ad cupiendam ei proſperitatem afferret pacificum ſacrificium propriè ſic dictum, hunc in finem, ut eſſet expiatio inter Deum & *Iſraëlem*, tùm fiebat pacificum ſacrificium *Iſraëlis*, & poterat offerri tanquam oblatio pacifica, & comedi ab *Iſraëlitis*: vel ſi præ amore Sacerdotum tunc miniſtrantium afferret illud ut eſſet expiatio inter Deum & illos Sacerdotes, tùm mutabatur natura ſacrificii, & fiebat oblatio pacifica Sacerdotum, qui eam offerre & comedere poterant.

Jam ut redeamus ad oblationem pacificam *Iſraëlitarum*, erat vel totius Congregationis, vel privati cujuſpiam. Oblationes pacificæ totius Congregationis erant tantùm duo Agni, qui ſemel quotannis offerebantur, & quidem tempore Pentecoſtes, *Levit.* 23: 19. Hi mactabantur, excoriabantur, ſanguis eorum adſpergebatur, viſcera comburebantur, & caro edebatur à filiis Sacerdotum in Atrio, uti oblationes pro peccato: nam hæ tantùm oblationes pacificæ cenſebantur קדשי הקודשים, *ſanctiſſima ſacrificia*, cùm reliquæ eſſent קדשים קלים, *ſacrificia minùs ſancta*.

Id. ubi ſuprà, Per. 1.

Id. ibid. Per. 9. & *Thalm.* in *Zevach.* Per. 5. Vide *R. Salom.* in *Levit.* 23: 20.

Pacificæ oblationes privatorum triplices erant. I. *Pacificæ oblationes quæ offerebantur ſine pane*; tales erant oblationes quæ offerebantur pro *Hagigah* & *Simchah*, vel in lætitiæ ſignum, tribus ſolennibus anni feſtis. Quamvis autem offerrentur ſine pane, & Ethnicis propriæ videantur, quippè quæ non violarent illam exceptionem Legis, quâ vetabatur panis exteri offerri;

Digitized by Google

ferri; attamen ab Ethnico non poterant offerri, quia non tenebatur tria ſeſta obſervare, nec in iis lætitiam teſtari.

II. *Pacificæ oblationes quæ offerebantur cum pane*, quarum mentio fit *Levit.* 7. ubi ampla earum habetur deſcriptio. Hæ pacificæ oblationes potuerunt eſſe Juvenci, Hœdi, Agni vel Oves, & Capræ, *Levit.* 3. Occaſio hujus oblationis, ut anteà dictum eſt, erat vel gratiarum actio, vel ſpontanea pietatis teſtificatio, vel votum. *R. Solomon* eam reſtringit ad gratiarum actionem propter occaſiones quales memorantur in *Pſalm.* 107. præſertim liberationem ex tempeſtate inter navigandum, ex periculis itineris in deſerto, ex morbo & carcere, על נס שנעשה לו, *in teſtimonium miræ alicujus vel illuſtris liberationis, ac gratiæ acceptæ*; vel, ut loquitur *Aben Ezra*, propter liberationem ex aliquo periculo. Quo in Commentario oblationes actionis gratiarum reſtringunt ad ſingulares & extraordinarias occaſiones, quia oblatio Decimarum, Primitiarum, &c. erant gratiarum actiones propter ordinarias ac communes gratias. Nec tamen abnuo quin pacificæ oblationes aliquando reſpexerint communes omnibus gratias & proſperitatem, putà valetudinem, conſolationem in liberis, ſucceſſum in negotiis, & ſimilia. Ad pacificas oblationes quod attinet, quæ offerebantur ex voto, vel ſpontanea pietate, ut variis nitebantur fundamentis, aliæ nempè merâ pietate, aliæ verò conditione quâpiam; ita Judæi obſervant ſi oblationes votivæ mortuæ eſſent, vel ſurreptæ, alias earum loco debuiſſe offerri: ſepoſitæ verò ad ſpontaneum ſacrificium, ſeu mortuæ eſſent, ſeu ſurreptæ, eos qui eas ſepoſuerant non obligatos fuiſſe ad ejuſmodi ſubſtitutionem.

R. Solom. in *Lev.* 7.

Aben Ezr. ibid.

Kinnim, Per. 1.

Hæ oblationes pacificæ de quibus nobis ſermo eſt, immolabantur in parte aliqua Atrii, ſed plerùmque in Meridionali latere, & ſanguis earum adſpergebatur ut ſanguis Holocautomatum, שתי מתנות שהן ארבע, nempè bis in formam τῶ Gamma, quod duabus adſperſionibus fiebat in quatuor Altaris latera. Pectus victimæ pacificæ, & dexter humerus debebantur Sacerdoti qui eam offerebat, ut & pars aliqua panis vel placentarum quæ unà offerebantur. Atque hoc vulgò vocatur à Rabbinis מורם, *Muram*, hoc eſt, quod ſibi ex ſacrificio Sacerdotes ſumebant. Pectus agitabatur coram Domino, & ad hunc ritum offerentem oportebat ingredi in Atrium Sacerdotum, ut manum ſuam ritui conjungeret. Ratio verò agitationis hæc erat: Sacerdos deponebat pinguedinem in offerentis manibus, atque adipi imponebat pectus & dextrum humerum; hiſque rursùs imponebat renes, & reticulum jecinoris, ac ſi eſſet oblatio gratiarum actionis, omnibus imponebat aliquantum panis; tum ſupponebat manus ſuas manibus offerentis, & eas commovebat huc illuc, ſursùm & deorsùm, & ſemper quidem versùs Orientem. Poſt hanc agitationem ſaliebat viſcera, & in Altari ea comburebat; & Sacerdos quidem ſibi ſumebat pectus & humerum agitatum, reliqua verò habebat poſſeſſor victimæ, quæ comedi debebant. Licitum erat ei qui adduxerat victimam pacificam, partem ſuam comedere in quocunque vellet *Hieroſolymæ* loco: atque ita *Thalmudicorum* dictum, quod hoc in negotio ſæpè occurrit, debet intelligi: נאכלין בכל העיר, *reliqua comedebantur* (non in omni civitate, ſed) *per totam Civitatem*. Atque hoc eſt unum ex privilegiis quibus *Hieroſolyma* præ cæteris urbibus gaudebat, quòd res minùs ſanctæ poſſent in ea comedi, non in ulla alia. Plerùmque elixabant pacificas ſuas oblationes in Templo ipſo, & in angulo quidem quopiam Atrii Mulierum, ubi in deſcriptione Templi obſervavimus fuiſſe locum elixationis hanc in rem. Vide 2 *Paral.* 35: 13. Idem anteà factitabant *Silunte*; qua in re filii *Eli* malitiam ſuam oſtenderunt, qui cùm debuiſſent contenti eſſe pectore & humero, induxerant conſuetudinem immittendæ furculæ tridentis in lebetem in quo elixabantur pacificæ oblationes, & ſumere quicquid educeret, 1 *Sam.* 2.

Zevach. Per. 5. Sect. 5.

Piſk. Toſaph. in *Midd.*

Kelim, Per. 1. Sect. 8.

Pacifica oblatio gratiarum actionis comedebatur ipſâ die; ſed votiva, vel ſpontanea poterat craſtinâ die comedi, *Levit.* 7: 1, 10. atque hac in re Sacerdos & offerens eidem ſubjacebant legi, & tota utriuſque familia, uxores, liberi, ſervi, poterant ex ea comedere. Et offerens quidem, ſi vellet, partem ſuam poterat in Templo comedere; Sacerdos, ſi ita liberet, *Hieroſolymæ*. Ethnici etiam haſce oblationes pacificas & comeſtiones in Templo imitabantur, 1 *Cor.* 8: 10.

III. Erat tertia oblatio pacifica privati, nempè איל נזיר, *Aries Naziræi*, ut vulgò vocatur, de quo lex habetur *Numer.* 6: 17. Cujus oblationis hi erant ritus. Mactabatur, ſanguis adſpergebatur, educebantur viſcera, dexter humerus & pectus ſeparabantur, & reliquam carnem *Naziræus* elixabat in angulo Atrii Mulierum, in loco dicto *Conclave Naziræorum*. Deinde ſumebat Sacerdos elixatum humerum Arietis, & decimam partem panis qui ſimul

Digitized by Google

oblatus fuerat, & agitatum humerum, ac pectus, & viſcera, quæ omnia imponebat manibus *Nazirai*, quibus ſuas ſupponebat, atque iterùm omnia agitabat; quæ in ipſius uſum tanquam pars ſua cedebant, exceptis ſolis viſceribus, quæ in Altari comburebantur, *Naziræus* reliqua habebat.

SECTIO V. *Oblationes Panis & Oblationes Vini.* מנחה & נסך

Maymon. in Corban. Per. 2. Thalmud in Menachot, Perek. 6.

ERant duodecim genera oblationum farinæ vel panis: tria totius Congregationis; & novem privatorum. Tria totius Congregationis hæc erant.

I. *Duodecim Panes Propoſitionis*, qui unoquoque Sabbato coram Domino ponebantur, *Exod.* 25: 30. *Levit.* 24: 5, 6, 7. & ablati à Sacerdotibus comedebantur.

II. *Homer primitiarum meſſis*, Levit. 23: 10. Erat hordei, quod ex fructibus omnibus primum maturum erat. Atque inter duodecim erat tantùm una alia oblatio hordeacea, reliquæ omnes erant frumenti. Hic manipulus huc illuc, ſurſùm ac deorſùm agitabatur coram Domino; deinde partim offerebatur, partim comedebatur. *R. Solomon* hanc rationem affert hujus agitationis, ſi modò admitti poteſt.

R. Solom. in Levit. 23.

Unaquaque agitatio, inquit, *& huc illuc, ſurſùm, deorſùm: & agitatio quidem huc illùc erat ad averruncandos malos ventos; agitatio verò ſurſùm & deorſùm erat ad cohibendos malos rores.*

III. *Duo panes agitati*, qui offerebantur feſto Pentecoſtes, *Levit.* 23: 17. Novem oblationes panis privatorum hæ erant.

I. חבתין, *Quotidiana oblatio Summi Sacerdotis.*

II. מנחת חנוך, *Oblatio initiationis*, quam unuſquiſque Sacerdos manu ſuâ offerebat cùm primùm munere fungebatur.

III. מנחת חוטא, *Oblatio peccantis.* Hæc erat oblatio pauperis, qui debuiſſet quidem oblationem pro peccato offerre, ſed præ paupertate non poterat. Non poſſum non obſervare locum in *Miſnah* & in *Thoſaphta*, ubi ſermo eſt de *oblatione peccantis, pauperis Sacerdotis*, מנחת חוטא של הכהנים, qui nempè præ paupertate non poterat afferre oblationem pro peccato; unde apparet quàm pauperes quidam ex ipſis eſſent, licèt alii divites eſſent & opulenti.

IV. מנחת קנאות, *Zelotypiæ oblatio* mulieris ſuſpectæ, *Numer.* 5: 15. Erat hæc ex hordeo.

V. מנחת סולת, *Oblatio pollinis non cocti.*

VI. מנחת המחבת, *Oblatio cocta in patella.*

VII. מנחת המרחשת, *Oblatio cocta in ſartagine.*

VIII. מנחת מאפה תנור, *Oblatio cocta in furno.*

IX. רקיקין, *Liba.*

Jam autem præter hæc nomina, legimus etiam מנחת גויים ונשים מנחת נסכים, quæ ſunt tantùm diverſa nomina oblationum quas memoravimus; res enim ipſæ non differunt. Cùm Ethnicus quiſpiam offerre volebat oblationem panis vel farinæ cum cautionibus allatis, erat oblatio illa una ex jam memoratis; oblatio etiam quæ cum vino offerebatur, erat una ex iis quas modò diximus: ſed diſtinguuntur hiſce nominibus, tantùm propter haſce circumſtantias, non propter rei ipſius diſcrimen.

Ad conficiendas ac offerendas haſce panis vel farinæ oblationes, hæ fuerunt præcipuæ & generaliores regulæ.

I. Nullam oblationem conſtituram minori farinæ copiâ quàm eſt decima pars *Epha*, quæ non multùm differebat à decima parte noſtri modii, (Anglicè *Bushel*) & Logo olei, hoc eſt, paulò plus quàm triginta unciis. Porrò tot decimæ partes *Ephæ* poterant offerri quot vellet offerens, ita ut non eſſent plures quàm 60. in uno vaſe, & unicuique conjungeretur Logus olei; ſed nullam oblationem oportebat eſſe infra decimam farinæ partem quam *Ephah* continet, nec infra Logum. Hæc decima pars *Ephæ* vocabatur *Homer*, Exod. 16: 37. *Maym. ubi ſuprà, Perek. 13.*

II. Cùm oblatio erat ex quatuor coctilium generibus, utplurimùm faciebant decem placentas ex una decima parte *Epha*, quæ ſi plures eſſent, ex unaquaque decima parte totidem faciebant placentas. Summi duntaxat Sacerdotis oblatio in duodecim placentas dividebatur; & cùm hæ placentæ coctæ erant, unaquæque earum in duo fruſta dividebatur, & duodecim partes offerebantur matutino, duodecim veſpertino tempore. *Id. ibid.*

III. Quædam oblationes requirebant ſimul & oleum & thus; quædam oleum, non verò thus; quædam thus, non verò oleum; aliæ nec thus nec oleum. Quæ requirebant ſimul thus & oleum hæ fuerunt: oblatio ex ſimila non cocta, quatuor genera coctilium, oblatio Summi Sacerdotis, oblatio initiationis Sacerdotum, *Homer* primorum fructuum, oblationes Ethnicorum & mulierum. Oblatio panis vel farinæ conjuncta cum oblatione vini, requirebat oleum, ſed non thus. Panis Propoſitionis requi- *Thalm. in Menach. Perek. 5.*

Digitized by Google

requirebat thus, ſed non oleum: at peccatoris oblatio, & oblatio ſuſpectæ uxoris neutrum habebant.

Ibid. Perek. 6. Sect. 3. IV. Omnes oblationes quæ fiebant in vaſe, habebant tres effuſiones olei in orbem: oblatio ſimilæ non coctæ מנחת כורת, non immittebatur vaſi, niſi priùs injectum fuiſſet oleum; poſteà iterùm in farinam effundebatur oleum, & unà miſcebantur; quo facto in vas ſacrum conjiciebantur, in quo ad Altare afferebantur. Ibi oleum iterùm infundebat, & omnibus ſuperinjiciebatur thus. Ita in oblationibus quæ patellâ vel ſartagine coctæ fuerant, oleum in vas injiciebatur, poſteà ſimila, oleum denuò; atque hæc inter ſe commiſta & cocta in fruſta dividebantur, in quæ effundebatur tertiò oleum, & denique injiciebatur thus. Quæ fiebant & coquebantur inſtar liborum, oleo inungebantur, & unctio illa fiebat כמין כי, *juxta figuram literæ Chi*, & loquitur textus Thalmudicus, cùm *Gloſſa* habeat, *juxta formam Græci Kappa, & Hebraici Theth; qualis eſt diviſio inter pollicem & indicem: hoc eſt, ita infundebat oleum in eas, ut fluens hinc & illinc, in duas partes dividerentur.*

Ibid. Sect. 1, 2. V. Ex quibuſdam oblationibus Sacerdos farinâ manum implebat, eamque conjectam in Altare comburebat, reliquam verò ſibi habebat comedendam. Quædam oblationes hujuſcemodi prorsùs comburebantur, nec ex eis quicquam ad Sacerdotem redibat. Hæ autem ſunt ex quibus ſublato pugillo, reliqua Sacerdotis erant: oblatio ex ſimila non cocta, cocta in furno oblatio Ethnicorum & mulierum, *Homer* primorum fructuum, oblatio peccatoris, & oblatio zelotypiæ. Sed ex oblatione Summi Sacerdotis, & initiationis Sacerdotum, & oblatione quæ offerebatur cum viro, nihil auferebat Sacerdos; omnia Altare conſumebat.

Thoſaph. in Menac. Perek. 1. VI. Ratio offerendarum harum oblationum hæc erat. Afferebatur oblatio in argentea vel aurea patina, in qua miſcebatur, unde Sacerdos eam imponebat vaſi ſacro, ubi eam conſecrabat, & adſpergebat oleo & thure. Tùm abibat, eamque ferebat ad cornu Altaris quod Euro-notum reſpiciebat, ſtans ad Meridionale latus ejus anguli. Cùm poſuiſſet thus ad alteram partem, manum implebat ex altera in quam oleum infuderat, & ponebat in medio alio vaſe ſacro; tùm colligebat thus & ſuperimponebat, ferebatque id ad ſummum Altare, ubi ſalitum conjiciebat in ignem, reliquis ſibi ſervatis.

Oblatio ejuſmodi quæ offerebatur cum quotidiano ſacrificio, conjunctam habebat oblationem vini, quod & fieri ſolebat in variis aliis ſacrificiis, *Numer.* 15. Porrò vini oblati copia major vel minor erat juxta ſacrificium, ut ibi præſcribitur. Hoc neque *R. Solom. in Numer. 15.*
miſcebatur, neque infundebatur igni, ut oblatio farinæ vel panis in eum conjiciebatur; ſed effundebatur ad baſin Altaris, ut ſanguis. Et cùm vinum oblationis quæ quotidiano conjuncta erat ſacrificio, effuſum erat, tùm incipiebat Muſica Templi, ut obſervavimus.

Erat oblatio farinæ quæ quotidiè matutino ſacrificio conjungebatur; attamen obſervandum eſt tempus veſpertini ſacrificii duntaxat vocari *Minchah*, (quo nomine oblatio farinæ aut panis vocabatur) non verò tempus matutini ſacrificii, 1 *Reg.* 18: 29. Rursùs tempus ſacrificii potiùs deſignatur nomine oblationis farinæ aut panis, quàm nomine ſacrificii ipſius, *Dan.* 9: 21. cujus rei ratio non caret difficultate, quæ etiam non minor eſt ferè in inveniendo aliquo qui conjecturam aliquam hanc in rem attulerit. An prius eſſet quòd privatorum oblationes ſolerent horis pomeridianis offerri, vel quòd Thymiama veſpertinum offerretur eodem tempore quo oblatio, quod in matutino ſacrificio non fiebat; an verò poſterius eſſet propter varietatem rerum quæ erant in oblatione, non in ipſo ſacrificio; vel quòd completum non eſſet ſacrificium, donec oblatio addita fuiſſet, judicandum erudito lectori relinquimus.

Habemus jam ergò brevem deſcriptionem naturæ & rituum ſacrificiorum Hebræorum: nam quod attinet ad oblationem Primitiarum & Decimarum, non erat adeò diverſa à memoratis, ut neceſſe ſit ſeorſim de iis agere; de Paſchali autem ſacrificio mox agemus. Duo tantùm ſuperſunt inquirenda circa ſacrificia; nempè primùm, quomodò hæc ſacrificia pro peccato, & pro delicto, atque Holocautomata ſolverentur, uti vidimus quibus de cauſis deberentur. Nam fortè reus poterat eos ſumptus detrectare, quamvis probè noſſet ſe debere ſacrificia pro quopiam peccato vel delicto, & velle parcere ſumptui Agni vel Hædi; denique exiſtimare meliùs eam ſervari pecuniam quam pendi, modò ſervando pecuniam periculum omne evaderet. Duæ in hoc negotio erant cautiones, *Conſcientia*, & *Pœna*, quorum ſi prior non valeret, poſterior ſuccedebat, modò notum eſſet peccatum. Qui aliquos conſcientiæ ſtimulos ſentiebant, & Religione aliquâ ducebantur, vel ſui ipſorum rationem habebant,

bant, nullo alio ad offerendum ſacrificium egebant incitamento, cùm noverant ſe peccaſſe. Et duplex quidem ratio eos urgere poterat; prima, obedientia erga divina mandata quæ id præcipiebant; ſecunda, expiatio peccati ſui, quam qui parebant, eo ſacrificio obtinebant. Sed ſi reus nec conſcientiâ, nec Religione duceretur, ſed mallet pecuniæ ſuæ parcere, quàm Deo obſequentem ſe gerere aut expiare peccata; ſi teſtes prodirent, & dicerent eum hoc commiſiſſe peccatum vel delictum, tùm non poterat meliùs ſibi conſulere quàm ſeponendo ſacrificium; alioquin erat obnoxius pœnæ, donec expiaretur reatus. Si peccaſſet præ ignorantia adverſus negativum aliquod præceptum, cujus ſpontanea violatio eum ſubjeciſſet Exciſioni, & poſteà certior factus peccati ſui, hoc ſacrificium offerre abnueret, quod propter tale peccatum debebatur, contemptus hic & recuſatio graviorem reddebant offenſam, ita ut voluntarium jam videretur peccatum, cùm recuſabat propter ignorantiæ peccatum expiationem quærere. Si vocaretur in judicium ut hujus rei rationem redderet, & teſtis adeſſet qui eum convinceret, oportebat eum ſe purgare, vel ad oblationem damnari. Confer *Matth.* 8: 4. Sed quantùm quidem hoc ab ipſorum libera pietate pendebat, quæ ſi vera in quopiam eſſet, non opus erat ulteriore incitamento, hæc Gens tanto rituum ſuorum zelo flagrabat, & peccata quæ merebantur Exciſionem tam arcto ambitu claudebantur, tam manifeſta erant, tamque erat difficile adverſus ea præ ignorantia peccare, ut omiſſio debitorum ſacrificiorum ferè ſemper præcaveretur alterutrâ harum rerum, zelo, aut manifeſtâ peccati deſignatione, præſertim ſi adjiciatur, quæ vulgò obtinuit, opinio de expiatione peccatorum per ſacrificia *ex opere operato*. Litera Legis dicebat *eum qui ſponte ſuâ offerret*, Levit. 1: 3. & tamen *Rabbi Solomon* in locum illum obſervat, *docere quod urgeret eum* כופין אותו, *an vellet, annon. Sed Textus dicit, Oportet eum id facere ſponte ſuâ. Quomodò ergò? Urgebant eum donec diceret, Volo.*

R. Solom. in *Levit.* 1.

Secundum dubium circa hæc ſacrificia reſpicit tempus quo offerebantur. Eum qui procul *Hieroſolymâ* vivebat quid oportebat facere cùm in peccatum lapſus erat quod requireret ſacrificium? An oportebat eum ſtatim illuc contendere, ut offerret ſacrificium illud? An oportebat eum omnibus relictis, magnis ſumptibus, præter victimæ ſumptus, iter *Hieroſolymam* ſuſcipere? Cautio in hoc negotio hæc erat, eum qui reus oblationis alicujus erat poſſe ſolutionem ejus differre ad proximum feſtum ex tribus illis ſolennibus, quibus omnes oportebat apparere coram Domino *Hieroſolymæ*. Itaque & labor & ſumptus itineris refundebantur in id generale præceptum, ſe ter in anno ſiſtendi coram Domino, nec neceſſe erat ſingulos propter privatas occaſiones eò contendere. Hoc unum conſtituebant ex 248. præceptis affirmativis, quæ ex Lege hauriebant: להביא כל הקרבנות שיש על האדם בחוב או בנדב ברגל ראשון שפגע בו, *Hominem allaturum omnes oblatione quas debet, vel ſponte vovit, proximo ſolenni feſto.* Itaque uti Dominus conſtitutis ſolennibus feſtis Vere & Æſtate commoditatem populi in eo univerſali cultu reſpexit; ita hac lege unicuique cavebatur ad peculiarem devotionem & pietatem quod attinet. Atque hujus praxeos & præcepti conſtituebant fundamentum *Deuter.* 12: 5,6. *Ad locum quem elegerit Dominus Deus veſter de cunctis Tribubus veſtris, ut ponat Nomen ſuum ibi, & habitet in eo, venietis. Et offeretis in illo Holocauſta & victimas veſtras*, &c. *Octo*, ait *Baal Hatturim*, *nominantur hîc, prout octies occurrunt voces*, coram Domino, *in Lege de tribus feſtis.* Atque ita conatur exponere hunc locum juxta eum ſenſum de quo hîc nobis ſermo eſt, per Maſſoræ collectionem Arithmeticam ſolet: ſed qui ſeriò agunt, referunt itinera illa ad offerendas privatas victimas, ad univerſalia illa totius *Iſraëlis* itinera, exponuntque hoc præceptum, *quærendi & videndi habitationem Domini*, de præcipuis illis & diſertè mandatis itineribus. Juxta hanc expoſitionem & praxin *Chaldeus Paraphraſtes* intelligit quod dicitur *Elcanah* ex urbe ſua veniſſe *Siluntem* ad adorandum & ſacra facienda, מימים ימימה, *1 Sam.* 1: 3. reddidit enim hæc verba, מזמן מעד למעד, *à tempore feſti ad feſtum alterum.* Quæ autem hoc in negotio eſſent exceptiones, an & quibus de occaſionibus ſacrificia iſta debita poſſent differri poſt proximum feſtum; an verò qui erant viciniores *Hieroſolymæ*, poſſent, ſi vellent, venire aliis temporibus cum ſuis donis, non tanti ſunt ut inquirendo immoremur.

Maym. in *Præf.* ad *Jad.*

Baal Hattur. in *Deuter.* 12.

CAPUT IX.

Modus & adminiſtratio quotidiani Sacrificii.

AD Septentrionale latus Atrii Templi prope angulum qui Caurum reſpiciebat, uti ſuo loco obſervavimus, amplum erat

Digitized by Google

erat ædificium quod vocabatur *Beth Mokadh*, *Conclave Ignis*, vel *Domus Combuſtionis*. Ratio nominis hæc erat, quòd in eo Conclavi hyeme perpetuus eſſet focus noctù & interdiù. Interdiù quidem in gratiam Sacerdotum, ut ſe calefacerent, cùm Miniſterio ſuo functi fuerant; noctù verò propter Excubias quæ ibi agebantur; hîc enim erat præcipuus locus ex tribus in quibus erant Cuſtodiæ Sacerdotum. Hîc excubias agebant Seniores Domûs Patrum ſuorum, & pendentes gerebant Atrii claves ipſis commiſſas ab *Amarcalinis*. Si aliquantulùm dormire cuperent, erant ſcamna Conclavi circumpoſita, in quibus cubare poterant & dormire. Juniores verò Sacerdotes qui ibi erant cum illis, (ſemper enim nonnulli aderant) cùm volebant dormire, cubabant in ipſo ſolo, & ſacras veſtes in quibus miniſtrare ſoliti erant, capiti inſtar pulvinaris ſupponebant, & in ordinariis veſtibus dormiebant.

Verùm circa tempus matutinum, cùm Præfectus Miniſterio venturus erat, abluebant ſe aquâ, & ſacras veſtes induebant, & paratos ſe venienti ſiſtebant. Hoc habebant Axioma circa ablutionem ad Miniſterium obeundum: אין אד' נכנס לעזרה לעבודה אפי' טהור עד שיטבול, *Hominem, quamvis eſſet mundus, attamen non potuiſſe in Atrium ire ad miniſtrandum, donec ſemet ipſum aquâ abluiſſet.* Hanc in rem habebant ſua balnea in variis Conclavibus, quædam in uſum Summi Sacerdotis, quædam in uſum aliorum Sacerdotum, quæ omnia in deſcriptione noſtra obſervavimus. Cùm ſemel ſe tempore matutino abluiſſent, non opus erat ablutionem iterari eâ die, niſi foricas peterent; ſed manus & pedes tantùm abluebant, cùm urinam emiſerant; & quotieſcunque venirent in Atrium ad miniſtrandum, id repetebant, quantumvis ſæpè exirent & redirent. Ad hanc conſuetudinem videtur alludere Servator, *Joann.* 13: 10. *Qui lotus eſt non indiget niſi ut pedes lavet, ſed eſt mundus totus.* Tandem Præfectus veniens pulſabat oſtium, quod ipſi aperiebant. Quiſnam hic eſſet, ſeu Præfectus Sortibus, ſeu ipſe *Sagan*, non diſceptabimus. *Maymonides* ait fuiſſe Præfectum Sortibus: ſed *Thalmudici* diſputant de tempore quo veniret; quæ diſputatio notatu indigna non eſt. *Quâ horâ*, ait Tractatus *Thamid*, *veniebat Præfectus?* Sic reſpondetur: *Non ſemper eodem tempore: aliquando tempore Gallicinii, aliquando circa id tempus, antè vel poſt.* Quæ incertitudo

Thalm. in *Jom.* Perek. 3.

Maymon. in *Thamid*, Perek. 6.

Tham. Perek. 1.

temporis, & promptitudo Sacerdotum qui ſemper ad eum excipiendum parati erant, adeò accedunt ad verba Servatoris, *Marc.* 13: 35. ut ſi non ad hanc conſuetudinem alluſit, attamen poſſint optimè hinc illuſtrari.

Ex hoc Conclavi *Beth Mokadh* ibant per oſtium minus in Atrium, manibus gerentes candelas: & ſtatim ac ingreſſi fuerant, ſe dividebant, & dimidia quidem eorum pars ibat circa Templum per ſpatium muris clauſum, ad Occidentale & Meridionale latus Atrii, altera verò circa Septentrionale & Orientale latus: & utraque conveniebat in *Piſtorum Conclave*, quod erat ad ſiniſtram *Portæ Nicanoris*, quò cùm conveniſſent, quærebant à ſe invicem, *an ſatis rectè omnia:* ac reſpondebant, *Rectè*. Deinde vocabant *Piſtorem* ad ſuum munus, ut faceret חביתן *placentas* in oblationem Summi Sacerdotis.

Ibid.

Sectio I. *Modus quo jaciebant ſortes ut ſuum unicuique aſſignaretur munus.*

Deinde Præfectus vocabat eos ad jaciendas ſortes, ad conſtituendum quodnam unicuique aſſignandum foret munus. Hoc faciebant in ædificio *Gazith*, in eo nempè Conclavi quod erat intra Atrium. Pars enim ædificii erat intra Atrium, atque hæc ſæpè erat inſtar *Cappellæ Templi*; altera verò erat intra חל *Chel*, & hîc ſedebat *Magnum Synhedrium*.

Cùm eò veniſſent omnes in orbem ſtabant, & numerum miniſtraturorum pro arbitrio definiebant, ut quadraginta, ſexaginta, centum virorum, prout videbatur. Tùm Præfectus Sortibus ſumebat pileum alicujus ex iis, eique iterùm imponebat, atque hinc dicebat, *Incipiam numerare. Nunc tollite digitos veſtros.* Tunc attollebant alii digitos ſuos, unum, duos aut tres, ut libebat: deinde incipiebat ex eo cujus pileum ſumpſerat, & numerabat digitos qui in orbem erecti erant. Is cujus digitis numerus reſpondebat, is erat in quem ſors incidiſſe exiſtimabatur, atque ipſi incumbebat id peculiare miniſterium, propter quod ſortes jactæ fuerant.

Maymon. in *Tham.* Perek. 4.

Prima ſortium jactio erat ad definiendum quis Altare Holocautomatum eſſet cineribus purgaturus. Solebant currere & certatim id miniſterium arripere; & qui primus adeſſe poterat Altari, primus id aggrediebatur. Sed præterquàm quòd ea conſuetudo irreverens eſſet, aliquid quod aliquando contigit effecit ut *Synhedrium* conſtituerit ordinem ut id reverentiùs

Joma, Perek. 2.

tiùs

Digitized by Google

tiùs & tranquilliùs fieret. Nempè Sacerdos quidam qui nimiùm morabatur in hoc negotio, dejectus fuit à gradibus Altaris ab alio, & ſibi crus effregit. Hinc decreverunt ſortes definituras quiſnam id eſſet facturus; atque hoc fuit primum munus quod ſortibus deſignabant; is cui numerus conveniebat, eo fungebatur.

SECTIO II. *Purgatio & præparatio Altaris Holocautomatum.*

Maymon. in Tam. Perek. 2. Qui ſorte acceperat munus purgandi Altaris Holocautomatum, quæ ſors prima omnium jaciebatur, ut miniſterium illud ante omnia obiretur, ſocios ſuos relinquebat in Conclavi *Gazith*, & priùs ablutis ad Lavacrum manibus & pedibus, ad miniſterium ſuum abibat.

Id. ibid. Perek. 2. Struebantur perpetuò tres ignes ſuper Altari. Primus erat magnus ignis, qui fiebat ad conſumendas victimas: ſecundus minor, qui ad latus ejus ſtruebatur, unde accipiebant prunas deferendas in Locum Sanctum ad comburendum Thymiama: tertius nullam aliam in rem fiebat, niſi ut in Altari ignis conſervaretur perpetuus. Rationem afferunt hujus numeri ignium, cui non immorabor. Jam autem qui Altare cineribus purgaturus erat, primò ſumebat ignitabulum argenteum, quod in hunc uſum reponebatur ad latus Occidentale Altaris, & ad ſummum Altare iens, hinc indè diſpergebat carbones, & ſuum ignitabulum implebat prunis, & deſcendebat cum hiſce ad pavimentum, quò cùm veniſſet, obvertebat faciem ſuam ad Septentrionem, & ſic converſus ibat uſque ad latus Orientale graduum Altaris, & ibi deponebat prunas in cumulum ad gradus, in loco in quo etiam deponebant viſcera avium, & cineres quibus purgatum erat Altare Aureum.

Cùm Sacerdotes videbant eum deſcendiſſe ex Altari, feſtinabant, & abluebant manus & pedes, & ſumentes uncinos in eum uſum deſtinatos, invertebant partes heſterni veſpertini ſacrificii, ſi quid nondum eſſet conſumptum, ad latera Altaris; quæ ſi non poſſent illas continere, in gradibus Altaris eas reponebant. Deinde undique cineres converrebant ad medium Altare, congerebantque eos in magnum cumulum, atquè inde implebant, quantum poterat, magnum vas quod dimidium *Homer* continebat, & vocabatur פסכתר *Peſachthar*; deinde hos cineres amovebant, relicto tamen modico cinerum cumulo, quem vocabant *Tappuahh*. Cùm magnum illud vas cinerum demiſerant, alii Sacerdotes in minoribus vaſibus eos avehebant extra Civitatem, eoſque deponebant in loco quopiam, in quo quàm minimè poſſent à vento diſpergi: atque hi cineres in nullum uſum adhiberi poterant.

Hanc Altaris purgationem quotidiè incipiebant ſub Auroram, ſed in tribus ſolennibus feſtis multò citiùs incipiebant, & die quidem Expiationis à media nocte. Ablatis cineribus ignem ſtruebant, & primùm ſtruebant maximum ignem ad comburendas victimas, quem vocabant מערכה גדולה, *ſtruem magnam*, idque nonnihil ad Orientale latus Altaris. Secundus ignis qui accendebatur ad parandas prunas propter Thymiama, conſtabat tantùm lignis ficulnis, & ad angulum Meridionalem exſtruebatur, ut quàm proximus eſſet loco in quo Sacerdos in gradibus Altaris ſtabat, & prunæ commodiùs auferri poſſent. Ad tertium ignem quod ſpectat, qui accendebatur ut perpetuus ignis in Altari conſervaretur, in quavis parte Altaris ex æquo ſtruebatur. Præter autem lignum quod maximo igni imponebant, addebant duos ſtipites, quam in rem ſingularem afferunt Traditionem, cùm victima Altari impoſita erat, quæ matutino quidem tempore ferebatur & imponebatur ab uno Sacerdote, in veſpertino verò ſacrificio à duobus. Ita ſtructo igni imponebant iterùm partes heſterni ſacrificii veſpertini: atque ita deſcendebant & redibant ad Conclave *Gazith*; ubi Præfectus iterùm eos ad ſortes jaciendas vocabat.

Erant prætereà tredecim miniſteria peculiaria, quæ ſingulis viris erant aſſignanda, ut immolatio victimæ, adſperſio ſanguinis, purgatio Altaris Aurei, præparatio Lucernarum, translatio membrorum victimæ ad gradus Altaris, &c. quorum primum ſorte attribuebatur, eadem ratione quam anteà deſcripſimus; reliqua ordine eis tribuebantur qui juxta ipſum ſtabant, prout erant circa ipſum diſpoſiti. Illi ergò alium numerum colligebant iterùm, tollebant digitos ſuos, & ipſe numerabat. Is cujus digitis convenit numerus, I. Conſtituitur ad mactandam victimam. II. Qui ſtat juxta ipſum, ad excipiendum & adſpergendum ſanguinem. III. Proximus, ad purgandum Altare Thymiamatis. IV. Sequentem oportet parare Candelabrum & Lucernas. V. Sequentem afferre caput & crura victimæ ad gradus

gradus Altaris. VI. Sequentem afferre geminos humeros. VII. Sequentem uropygium & pedes. VIII. Sequentem pectus, gurgulionem, & exta. IX. Sequentem duos renes. X. Sequentem inteſtina. XI. Sequentem oblationem farinæ vel panis. XII. Sequentem oblationem Summi Sacerdotis. XIII. Sequentem oblationem vini. Ita tredecim hæc diverſa munera tredecim viris attribuebantur, primum ſorte, reliqua juxta ordinem quo ſtabant. Atque hæc erat ſecunda ſortitio.

Utebantur præterea duabus ſortitionibus, ſcilicet ad attribuendum munus offerendi Thymiamatis, & transferendorum membrorum victimæ à baſi Altaris ad ſummum Altare, & igni imponendorum; ſed hæ ſortitiones paulò ſeriùs fiebant. Ratio autem ob quam numerabant digitos aut manus in ſua ſortitione, hæc fuit; quia nempè exiſtimabant non oportere *Iſraëlitas* numerari in ſuis perſonis, ſed aliquo alio modo: cujus opinionis etiam rationem afferunt, ſed quam hîc proſequi non patitur inſtitutum noſtrum.

Qui dimittebantur, nec ſorte, nec ſtandi ordine accipiebant ullum ex memoratis muneribus, deponebant Sacerdotales veſtes, exceptis tantùm lineis femoralibus, & occupabantur in ſervilibus miniſteriis, qualia ſunt depromere vaſa quæ uſui eſſe debebant, auferre cineres quibus purgata fuerant Altaria, & ſimilia.

Sectio III. *Mactatio matutini Sacrificii. Lucernarum, & Altaris Thymiamatis præparatio.*

Thalm. in *Tham.* Perek. 3. & in *Jom.* Perek. 3. Deinde Præfectus dicebat ipſis: *Ite & videte num ſit tempus mactandi quotidiani ſacrificii.* Unus aut alter ibant ad faſtigium alicujus ex ædificiis quæ erant circa Templum, & cùm dicerent eſſe plenam diem, ברקאי, *Eſt plena dies. Sed*, inquiebat Præfectus, *an cœlum ſplendeſcit in Hebron?* Reſpondebant, *Splendeſcit.* Tùm reponebat, *Ite & quærite Agnum ex Conclavi Agni.* Obſequebantur, & quamvis anteà luſtratus fuiſſet Agnus, ut ſciretur an ullo vitio laboraret, illum iterùm ad candelæ lucem expendebant; ſed non poterant eum mactare niſi ad lumen diurnum. Semel tamen ut, referunt *Thalmudici*, decepti fuerunt luce Lunæ, & crediderunt eſſe diem, adeòque matutinam victimam noctu mactarunt.

Is qui ſorte acceperat munus mactandi Agni, & cum eduxerat ex *Conclavi Agni*, eum adducebat ad *Locum Annulorum*, ubi ſolebant victimæ mactari, & reliqui qui debebant adſpergere ſanguinem, ac ferre membra ad Altare, eum ſequebantur, & expectabant tempus exſequendi muneris ſui. Alii petebant Conclave in quo aſſervabantur vaſa ſacra, & indè depromebant nonaginta tria vaſa aurea & argentea, quæ omnia eâ die uſui eſſe debebant; in quorum uno aquam bibendam Agno porrigebant, quia exiſtimabant indè fieri ut meliùs excoriaretur.

Seniores qui geſtabant claves Portarum Atrii, cùm videbant adeſſe tempus, curabant eas aperiri; & cùm utriuſque Atrii ultima aperiretur Porta, tuba canebat & monebat Levitas & Stationarios officii ſui. Tandem valvæ Templi ipſius aperiebantur, ut ingredi poſſent bini illi viri quibus impoſita erat cura parandi Altaris Aurei, & reficiendarum Lucernarum, qui eam in rem ſecum ſumebant duo aurea vaſa, quorum alterum vocabat טני *Teni*, & alterum כוז *Choz*.

Statim ac auditus erat ſtrepitus qui in aperiendis Templi valvis edebatur, is qui debebat mactare victimam eam mactabat: & quantùm fieri poterat, qui purgabat Altare Thymiamatis, id purgabat dum victima immolabatur. Et dum adſpergeretur ſanguis, qui reficiebat Lucernas, quaſpiam tùm parabat.

Ratio purgandi Altaris Thymiamatis hæc erat. Sacerdos ſumebat patinam auream *Teni*, eamque deponebat ante Altare, & manus cineribus & carbonibus plenas in eam exonerabat, ac reliqua etiam in eam converrebat. Relinquebat ibi patinam, & exibat.

Sic verò reficiebantur Lucernæ. Erat magnus lapis poſitus ante Candelabrum, in quo cæſi erant tres gradus, per quos aſcendebat qui Lucernas erat refecturus. Earum Lucernarum quæ extinctæ erant ſumebat ellychnium & oleum, & alia reponebat, accendebatque eas ad alias Lucernas quæ nondum extinctæ erant. Eam tantùm quam vocabant *Occidentalem Lucernam*, ſi extincta eſſet, oportebat accendi ab igne deſumpto ex Altari victimarum.

Occidentalis Lucerna נר מערבי non erat ea ex ſeptem Lucernis quæ Occidentem maximè ſpectabat, ſed omnium media: atque ſic vocabatur, quòd ita diſpoſita erat ut Occidentem reſpiceret verſùs *Sancta Sanctorum*; reliquæ verò ſex ad hanc converſæ eſſent.

Ad Lucernas quod attinet, quæ etiamnum accenſæ erant, eas reſecabat, reficiebat,

Digitized by Google

bat, & augebat novo oleo. Et ſic quidem faciebat in quinque Lucernis hoc diei tempore, neque enim ſeptenas omnes ſimul reficiebat. Quod cùm peregiſſet, deponebat auream patinam *Choz* in ſecundo gradu in quem aſcenderat, & ſic exibat.

Intereà temporis adſpergebant ſanguinem, pellem detrahebant victimæ, eam in partes varias diſſecabant, quas varii qui conſtituti erant ad eas ad gradus Altaris deferendas, eò devehebant, & ſalitas ibi relinquebant; quo peracto, redibant ad Conclave *Gazith*, quod erat ipſis quaſi *Cappella* ad preces fundendas.

SECTIO IV. *Publicæ Preces, Phylacteria.*

Tham. Per. 4. *Maym.* in *Tham.* Per. 6. *Seder Thephilloth.*

Poſteà Præfectus eos vocabat ad preces, quos ſic incipiebant. *Tu amaſti nos, Domine Deus noſter, æterno amore. Magnâ & multâ miſericordiâ nos proſequutus es, ô Pater noſter & Rex noſter, propter Patres noſtros qui fiduciam in te poſuerunt, & quos docuiſti ſtatuta vitæ. Eſto etiam in nos gratioſus, ô Pater noſter, ô Pater miſericordiarum, ô ſummè miſericors, miſerere noſtri. Pone in cordibus noſtris cognoſcere, intelligere, parere, diſcere, docere, obſervare, facere & implere omnia verba Legis tuæ in amore; illumina oculos noſtros Lege tuâ, & fac ut corda noſtra adhæreant tuis præceptis; unito corda noſtra amori & timori Nominis tui.*

Recitatis hiſce precibus, recitabant decem præcepta, deinde verò ſua Phylacteria.

Meminit Scriptura Phylacteriorum, *Matth.* 23: 5. & ea conſtabant quatuor Sectionibus Legis inſcriptis geminis Pergamenis, quæ Pergamenæ perpetuò ab ipſis circumferebantur, quaſi *μνημόσυνα* obſervationis Legis, & ſigna manifeſta pietatis. Ideòque vocabantur Græcè *Phylacteria*, ἀπὸ τοῦ φυλάττειν, *ſervare, obſervare*, Hebraicè *Thephillin*, ſeu *Preces*.

Hæ autem Sectiones Legis iis erant inſcriptæ.

I. *Exod.* 13: 3, 4, 5, 6, 7, 8, 9, 10.
II. *Exod.* 13: 11, 12, 13, 14, 15, 16.
III. *Deuter.* 6: 4, 5, 6, 7, 8, 9.
IV. *Deuter.* 11: 13, 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21.

Vido *Maym.* in *Thephillin*, Per. 1. & 2. & *Buxtorf. Lex. Thalm.* in פלל.

Ratio & cautiones adhibendæ in ſcribendis hiſce ſententiis in variis columnis, Pergamena, atramentum quibus utendum erat, fuſè docet Auctor citatus in margine; nec eâ deſcriptione hîc lectori faſtidium creabo. At non poſſum omittere, rationem propter quam hæ Legis ſententiæ ſcribebantur, potiùs quàm aliæ, quæ nempè hæc fuit; quia in unaquaque harum Sectionum occurrunt hæc dicta: *Hæc verba erunt Totaphoth*, ſeu *frontalia inter oculos eorum*, ſeu *memoriale inter oculos eorum*, aut, *vincient ea ſuper manibus ſuis*. Itaque locus in quo geſtabant binas haſce Pergamenas erat ſincipitis inferior pars quæ eſt interciliis proxima, & lævum brachium: unde *Thanchuma* occaſionem ſumpſit explicandi juramenti Dei *per validum ſuum brachium*, de juramento per *Phylacteria*. *Tanchuma*, fol. 6. col. 3.

Dubito utrùm univerſa Gens hiſce Phylacteriis uſa fuerit, an verò ii ſoli qui *Diſcipuli Sapientum* vocabantur, qui jactabant majorem cognitionem, zelum, ac ſtudium Legis quàm vulgus. Ajunt Judæi Scriptores, licèt *Sadducæi* non admitterent *Juchaſin.* *Phariſæorum* Traditiones, eos tamen geſtaſſe Phylacteria æquè ac *Phariſæos*, & tantùm ab hiſce de loco diſſenſiſſe in quo geſtari deberent. Sed ad quæſtionem quod attinet, utrùm agricolæ, opifices, & reliqua plebs geſtarent Phylacteria, æquè ac Legis Studioſi & Doctores, eſt inter alia argumenta locus *Maymonidis* qui rem dubiam reddere poſſit. Verba faciens de iis quæ cuipiam licitum facere poſſunt tranſire juxta Synagogam dum preces habentur, nec tamen in eam ingredi, hoc inter alia habet: *Si in ipſo cernerentur Phylacteria, tùm ſignum erat eum non neglexiſſe Legem*; & quamvis *Maym.* ubi ſuprà. tùm propter aliquam rationem prætergrederetur Synagogam, Phylacteria ejus oſtendebant id eum non facere præ pietatis defectu, ſed quopiam negotio aliò trahi.

Licèt vulgus hujuſmodi Phylacteria non ferret ut eruditi, attamen tum eruditi, tum ineruditum vulgus tenebantur recitare quotidiè matutino tempore & veſpertino quæ Phylacteriis continebantur ſententias. *Imò opifices qui erant in cacumine arboris, vel* *Thalm.* in *Berachoth*, Per. 2. *in faſtigio ſtructuræ cujuſpiam*, (domum erigentes vel reparantes) *tenebantur ibi ad hanc recitationem cùm tempus diei venerat.*

Hæc recitatio vulgò vocatur ab Hebræis קריאת שמע, *Keriath Shema*, *Lectio Shema*, quia harum Sectionum una incipiebat hiſce vocibus, שמע ישראל, *Schema, audi Iſraël*, &c. *Deuter.* 6: 4. quæ quamvis prima inter quatuor non occurrat in Libro Legis, nec prima omnium in iſtis Pergamenis ſcripta eſſet, prima tamen recitabatur: cujus rei ratio hæc affertur; quia continet primum & fundamentum omnium officiorum, nempè *amorem Dei*.

Tempus τοῦ *Keriath Shema*, ſeu recitationis matutinæ ſententiarum quæ Phylacteriis continebantur, ita in Traditionibus Judæorum

Digitized by Google

Ibid. Per. 2. dæorum definitur: *Quo tempore diei recitabant horis matutinis Phylacteria ſua? Nempè ab eo tempore quo quis diſtinguere poteſt inter cæruleum & album.* R. Eleazer *dicit*, *Inter cæruleum & viride, imò uſque ad Solis ortum.* R. Joſua *dicit*, *Uſque ad tertiam horam. At quo tempore ea recitant veſperi? Nempè ab eo tempore quo Sacerdotes ibant ad comedendas oblationes ſuas uſque ad finem primæ Cuſtodiæ*, &c.

Porrò præter haſce recitationes veſpertinas & matutinas, quibus tenebantur omnes ex Traditionibus, putabant magnæ pietatis eſſe eas recitare horâ mortis. Ita dicitur unus ex decem Martyribus Regni (ſic enim vertere liceat הרוגי כלכות) recitans Phylacteria ſua interfectus & canibus objectus. Utque de poſterioribus temporibus lo- *Lib. 1. ad ann. 1096.* quamur, *Joſephus* Sacerdos in varia Hiſtoria *Turcarum*, *Judæorum* & *Chriſtianorum*, Libro rariſſimo, deſcribens ſtragem ortam à militibus *Rubræ Crucis* qui ſub *Gothofredo Bullionenſi* ad ſacrum bellum profecti erant contra Judæos in *Germania*, ſæpiùs dicit hoſce vel illos Judæos moribundos, imò infantes in matrum ſuarum ulnis, recitaſſe ſuum *Keriath Shema*, ſeu Phylacteria, & ea recitantes expiraſſe.

SECTIO V. *Thymiamatis combuſtio, & reliquæ Preces.*

Joma, Per. 3. Circa tempus offerendi Thymiamatis extat hæc Traditio: קטורת של שחר היתה קריבה בין דם לאיברים של בין הערביים בין איברים לנסכים. *Manè inter ſanguinem & membra ſufficiebat, veſperi inter membra & libamina.* Ad hoc officium offerendi Thymiamatis iterùm ſortes jaciebant, ad eum deſignandum qui illo fungi deberet; & idem etiam faciebant ad deſignandum eum qui ex aſcenſu ad Altare membra victimæ delaturus ea ibi deponeret.

Qui ſortitione acceperat munus offerendi Thymiamatis, accipiebat diſcum argenteum cui impoſitum thuribulum thure plenum: alius ſumebat alium diſcum, atque ad faſtigium Altaris ibat, unde aliquot prunis acceptis deſcendebat. Hoſce duos oportebat ingredi Templum, & quà ibant vas erat ingens, aut inſtrumentum, aut quocunque alio nomine vocemus, (*Migrephah* מגרפה appellabant) quod pulſatum edebat ſonitum tantum, ut hyperbolicè dicant Judæi, neminem audiri potuiſſe loquentem *Hieroſolymæ* cùm pulſabatur. Erat inſtar campanæ quâ notum faciebant quid tùm ageretur. Et *Tham. Per. 5.* tribus quidem hiſce inſerviebat ejus pulſatio. I. *Quicunque Sacerdos ſonitum ejus audiebat, cognoſcebat Fratres ſuos mox ad celebrandum cultum divinum ingreſſuros, feſtinabatque & veniebat.* II. *Quicunque Levita eum audiebat, cognoſcebat Fratres ſuos Levitas ire ad canendum.* III. *Princeps Stationis audiens ſonitum ejus, adducebat eos qui cùm immundi fuiſſent nondum purificationem acceperant, ad Portam Nicanoris ut ibi purificarentur.*

Porrò duo viri ingreſſuri in Templum ad offerendum Thymiama, pulſabant τὸ *Migrephah* cùm propè tranſirent, erat enim inter Altare & Porticum; ut omnibus miniſtraturis indicarent jam tempus eſſe inchoandi Miniſterii. Cùm aſcenderent gradus, duo illi qui priùs deſignati fuerant ad purgandum Altare Thymiamatis & reficiendas Lucernas, præcedebant. Qui purgaverat Altare ingrediebatur, & ſumebat ſuum diſcum *Teni*, Deoque adorato abibat. Qui anteà refecerat quinque Lucernas, duas reliquas reficiebat, ſumebat ſuum diſcum *Coz*, adoratoque Deo abibat. Qui ingreſſus erat cùm prunis poſt præſtitum leve miniſterium in diſponendo thure, altero relicto exibat.

Qui ibi ſolus relictus erat ad offerendum Thymiama, nondùm id accendebat, donec Præfectus Miniſterii clarâ voce ex Atrio moneret eum incipiendum eſſe: imò etiamſi eſſet ipſe Summus Sacerdos, attamen non incipiebat donec audiviſſet vocem Præfecti clamantis, *Offer*; & ſtatim ac ſignum hoc datum erat, quicunque erant in Atrio à Templo recedebant, & reliquas fundebant preces.

SECTIO VI. *Reliquæ Preces.*

Præter recitationem Decalogi & Philacteriorum, de quibus anteà egimus, habebant tres aut quatuor orationum formulas, quas recitabant matutini Miniſterii tempore. Primam vocabant אמת *Tham. ubi ſuprà.* ויציב, *Emeth & Jatſib*, quia incipiebat duobus hiſce vocabulis, & referebatur ad Phylacteria. Hæc autem erat. *Veritas & ſtabilitas, firmum & tutum, rectum & fidum, & amatum, & amabile, & delectabile, & reverendum, & terribile, & glorioſum, & ordinatum, & acceptum, & bonum & pulchrum eſt Verbum tuum in ſecula ſeculorum. Veritas æterni Dei, Regis noſtri, Rupis Jacobi, clypei ſalutis noſtræ in ſecula ſeculorum. Firmus eſt, Nomen ejus eſt firmum, & ejus thronus ſtabilitus, & ejus Regnum & veritas conſtituta in æternum*, &c.

Secunda vocatur à *Thalmudicis*, עבודה *Ibid. & Maym. ubi ſuprà.* *Avodah*, ſed à *Maymonide*, רצה *Retſeh*, qui

Digitized by Google

qui tamen conſentiunt in ipſa oratione; unum duntaxat ex hiſce nominibus deſumptum eſt ex prima voce, alterum verò ex præcipua quapiam. Hæc autem fuit formula: *O Domine Deus noſter, acceptus tibi ſit populus tuus Iſraël, ejuſque preces. Inſtaura Miniſterium ad oraculum Domûs tuæ. Accipito Holocautomata Iſraëlis & eorum preces in amore, cum complacentia; & cultus Iſraëlis populi tui perpetuò ſit tibi gratus.* Denique hæc orationis erat clauſula: *Laudamus te qui es Dominus Deus noſter, & Deus Patrum noſtrorum, Deus omnis carnis, noſter Creator, Opifex omnis creationis, benedictio & laus ſit magno & ſancto Nomini tuo, quia tu protexiſti & conſervaſti nos: protege & conſerva nos, & captivitatem noſtram fac reducem ad Atria Sanctitatis tuæ*, &c.

Tertia oratio ita concepta erat: שים שלום, *Da pacem, benignitatem & benedictionem, gratiam, miſericordiam & commiſerationem nobis & univerſo populo tuo Iſraëlis. Benedicito nobis, ô Pater noſter, imò nos omnes inſtar unius viri, luce vultûs tui; nam in luce vultûs tui, tu, ô Domine Deus noſter, dediſti nobis Legem vitæ, & miſericordiam amoris, & juſtitiam, & benedictionem, & commiſerationem, & vitam, & pacem. Placeat tibi benedicere populo tuo Iſraëli omni tempore. In libro vitæ, cum benedictione & pace, & ſuſtentatione fac ut memoremur & ſcribamur coram te, nos & omnis populus tuus Domûs Iſraëlis.*

Quarta oratio recitabatur die Sabbati inſtar benedictionis, pronuntiatæ ab ea Claſſe quæ exibat, erga eam Claſſem quæ ingrediebatur, hiſce verbis: *Qui facit habitare Nomen ſuum in hac Domo, faciat habitare inter vos pacem, fraternitatem, amorem & amicitiam.* Confer 2 *Cor.* 13: 10.

Cùm autem videatur inter Thalmudicos Scriptores eſſe aliqua dubitatio circa tempus harum precum, incertum aliquatenùs relinquunt an recitarentur immediatè ante Thymiamatis oblationem, vel ipſo oblationis tempore; ſed rem clarè docet *Lucas* Euangeliſta, qui dicit *multitudinem preces fudiſſe ipſo tempore Thymiamatis*, Cap. 1: 10. Ipſa etiam *Thalmudis* Scholia ajunt preces haſce fuiſſe *preces populi*; exceptâ duntaxat ultimâ.

Poſtquàm hæ preces abſolutæ erant, is qui ſorte debebat membra victimæ ad Summum Altare ferre, eaque ibi deponere, hoc officio fungebatur eo modo qui anteà indicatus fuit; nempè primò ea ſine ordine in ignem projiciens, deinde ea iterùm ſumens & ordine diſponens.

Hiſce peractis, Sacerdotes, præſertim qui fuerant in Sanctuario, (gerentes vaſa ſacra quibus uſi fuerant) ſtantes in iis gradibus quibus aſcendebatur in Porticum, elatis manibus benedicebant populo. Confer *Luc.* 1: 22.

Ne immoremur longis Judæorum diſceptationibus de illa manuum ſublatione, benedictio quæ pronuntiabatur ea erat quæ extat *Numer.* 6: 24, 25, 26. Attollebant manus ſupra capita expanſis digitis, atque unus verbo tenùs hanc benedictionem recitabat, quam alii repetebant poſt eum, & pro una benedictione omnes haſce recitationes habebant, (ſed in Synagogis tres numerabant) & poſtquàm abſolverant, populus reſpondebat, *Benedictus Dominus Deus, Deus Iſraëlis, ab æternitate in æternitatem.*

Taanith, Perek. 4. *Maym.* in *Thephill.* & *Beracoth Cohanim*, Per. 14. & 15.

Poſt hanc benedictionem offerebatur farinæ oblatio, quam ſequebantur חביתין placentæ Pontificis Maximi, & denique libamen, ſeu vinum. Tùm incipiebat Muſica ac Symphonia de qua ſuprà diximus; & quotieſcunque intermittebatur, canebant Tubæ, & populus inclinato corpore Deum adorabat, & poſt ultimam pauſam Muſicæ abibat.

Hi erant divini cultûs in Templo matutinis & veſpertinis horis ritus, niſi quòd veſperi leve erat diſcrimen; nempè quòd non ſortirentur varia munera, ſed ii quibus matutino tempore obtigerant, iis fungerentur. Ad oblationem duntaxat Thymiamatis jaciebant ſortes inter eos ex Familiâ quæ eâ die miniſtrabat, qui nunquam hactenùs Thymiama obtulerant: ſed ſi contingeret omnes eo munere functos fuiſſe, tùm qui manè id ſorte obtinuerat, eo etiam veſperi fungebatur. Similiter veſpertina Thymiamatis combuſtio paulò ſeriùs fiebat quàm matutina, ut anteà innuimus: fiebat enim inter depoſitionem membrorum victimæ ſupra Altari, & oblationem vini; ita ut combuſtio Thymiamatis & publicæ preces coinciderent τῇ *Mincha*, ſeu farinæ oblationi. Sacerdotes etiam inter benedicendum populo, quibuſdam diebus in veſpertino Miniſterio non attollebant manus, ut matutino; & ratio quare id non facerent affertur, argumentumque diſceptatur initio *Cap.* 4. Tract. *Taanith*; ſed majus lectori tædium, quàm emolumentum pareret.

CA-

Digitized by Google

CAPUT X.

Ratio quâ in Templo Deum colebant.

SAnctitas loci & æquitas hujus legis, *Vos reverebimini Sanctuarium meum*, meritò requirebant ab iis qui eò adoraturi veniebant, ut ſanctè ac piè ſe ibi gererent: unde quemadmodum Lex omnem impuritatem indè arcuerat, ita Magiſtri Traditionum multa vetuerant quæ Lex non nominavit; qua in re, ut alibi ſolent, percolarunt culicem, & deglutiverunt camelum. Nulla erat ipſis religio facere & permittere ut Domus precum eſſet forum mercatorium & ſpelunca latronum; & tamen minoris momenti peccata ſeverè interdicebant. Juxta hanc in minutiis ſeveritatem,

Beracboth, Perek. 9. *Zavim*, Perek. 1. *Gemara*. *Maym.* in *Beth Habbechirah*, Per. 7.

I. לא יכנס אדם להר הבית במקלו, *Nemo poterat ingredi Montem Domûs cum ſuo baculo.* Videbatur indecorum inferre arma in locum illum pacis, aut eo uti tanquam loco itineri deſtinato, qui debebat eſſe quietis; aut in eo loco inniti ullo baculo, in quo Deo innitendum erat. Ex hac conſuetudine factum eſt ut Dominus vendentes & ementes ex Templo fuſte non expulerit, ſed flagro funiculorum, cùm non liceret eò fuſtem inferre. Atque hæc erat mira contradictio in ea Religione, quòd liceret ad mercatum in Templi Montem pecus deducere, non liceret verò eò baculum inferre. Attamen *Vir Montis Domûs* per totum Montem ire poterat cum baculo ſuo, nam חבט במקלו percutiebat baculo, ut ait *Maymonides*, Levitas quos in excubiis ſuis dormientes offendebat.

Ibid.

II. או במנעל שברגליו, *Nec quiſquam ingredi poterat cum calceis in pedibus ſuis.* Hanc prohibitionem deducebant ex hiſce verbis ad *Moſem* & *Joſuam*, *Exod.* 3. *Joſ.* 5. *Detrahe pedibus tuis calceos*, &c. Sub hac prohibitione & praxi continetur ea doctrina quæ exprimitur à *Paraphraſta Chaldæo*, Eccleſ. 5. *Attende ad pedes tuos cùm ingrederis Domum Dei. Tu, fili hominis, attende ad pedes tuos cùm ingrederis Sanctuarium Domini ad orandum, ne illuc eas cum peccatis tuis pœnitentiâ non ablutis*, &c. *Ne ſis inſtar ſtultorum qui offerunt pro ſuis peccatis, nec à malis operibus convertuntur.*

Targ. in *Eccl.* 5: 1.

Erach. Per. 2. in *Gemara.*

Licebat Montem Domûs ingredi cum Sandaliis, licèt cum calceis vetitum eſſet: ſed Levitæ ad ſua pulpita ad canendum, nec Sacerdotes ad miniſtrandum in Atrium ire poterant niſi nudis omninò pedibus.

III. או באפונדתו, *Nec quiſquam poterat ingredi Montem Domûs cum ſua pera circa ſe.* Vox אפונדה vel פונדה à quibuſdam exiſtimatur veſtimentum levius quod reliquis ſuperinjiciebatur, quod Græcis, à quibus deſumptam vocem putant, vocatur ἐπενδύτης, *Joann.* 21: 7. ſed verti eam *peram*, ad clariorem hujus prohibitionis explicationem, quibuſdam rationibus adductus, quas poſteà afferam, cùm unam aut alteram prohibitionem recenſuero.

IV. או באבק שעל רגליו, *Nec poterat quiſquam ingredi cum pulvere pedum ſuorum*; ſed oportebat eum aut ablui, aut excuti, *& ingredientem reſpicere ad pedes ſuos cùm ingrediebatur Domum Dei.* Hac prohibitione includi doctrinam omnium cogitationum & affectuum mundanorum exuendorum, cùm colendus eſt Deus, nemo non videt.

V. או במעות הצרורין בסדינו, *Aut cum pecunia ei alligata in crumena.* Verba Servatoris noſtri cùm miſit Apoſtolos ad concionandum, ſunt adeò hiſce prohibitionibus affinia, ut plus quàm probabile ſit eum huc alluſiſſe, *Matth.* 10: 9, 10. Ideòque verti אפונדה *peram*, & סדין *crumenam*, quia hæc duo vocabula quibus utitur Servator noſter, non modò ea aptè exprimunt, ſed datâ operâ hanc in rem adhibita videntur. Atque ad defendendam prioris vocis interpretationem, duo nobis ſuppetunt argumenta. I. Quia vox תרמלה, quâ *Syrus* Interpres utitur ad vertendam vocem Græcam Πήρα in loco citato, aliquando à *Thalmudicis* uſurpatur conjunctim cum iis vocibus, quibuſcum conjuncta hîc eſt vox אפונדה: ut במקלו ותרמילו, *cùm baculo ſuo & pera*; מקלו מנעלו ותרמילו, *Shabb.* Per. 2. fol. 31.
baculus ejus, calcei & pera. II. *R. Nathan* hoc modo interpretatur hanc vocem: *Jevamoth*, fol. 122. *Aruch* in אפונדה.
Erat genus veſtis quæ reliquis ſuperinjiciebatur, in qua erant multa loca conſuta, in quibus ponebant aliquid quo uterentur cùm ſeſe offerret occaſio. Itaque erat genus quoddam ſemicinctii, in quo erant varii loculi, ſeu ſacculi, in quibus neceſſaria recondebant, uti nunc in ſacculis noſtris recondimus; & quod facilè aſſumere aut ponere poterant, prout occaſio ferebat. Et quemadmodum in eo ſemicinctio erant ſacculi; ita in zona quâ cingebant tunicas ſubjectas, habebant ſuam crumenam, *Matth.* 10: 9. Eorum zonæ ordinariè erant ex lino, quod ſignificat vox

 סדין;

Digitized by Google

סדין ; (extraordinarium enim erat cum zona ex corio incedere, uti factitarunt *Elias* & *Joannes Baptiſta*) atque in hiſce zonis ſolebant aſſervare pecuniam quam ſecum gerebant cùm iter faciebant, vel negotii cujuſpiam cauſâ, in quo pecunia requireretur, exibant. Verùm ingredientibus Montem Templi non licebat in ea pecuniam gerere. Itaque non licebat eò venire cum ullo mundano apparatu, ſed quicquid ejuſmodi erat, dum ibi commorabantur, ſeponi oportebat, quippè qui eſſent in loco in quo (utpotè piæ cuipiam lectioni incumbentibus) omnes cogitationes ac occupationes mundanæ abjiciendæ erant. Hinc facilè intelligimus quàm miſerâ arte vitam ſuſtentaret Claudus ille qui eleemoſynam petebat ad *pulchram* Templi *Portam*, Actor. 3. cùm ibi nulla gereretur pecunia; & cùm *Petrus* & *Joannes* reſponderunt, *Aurum aut argentum non habemus*, videntur idem dixiſſe quod omnes qui illàc tranſibant dicebant. Verùm multa pecunia inferebatur in Templum, licèt in crumena non geſtaretur; dabant enim pecuniam ſuam Sacerdotibus, qui eos adjuvabant in emendis pecuniâ illâ victimis; vel dabant pecuniam Gazophylacio pauperum, ſed eam manu gerebant. Atque fieri poteſt ut ad hanc conſuetudinem alludat phraſis Hebraica notiſſima, Offeret *prout manus ejus inveniet*.

VI. Ingreſſos Montem Domûs à quatuor hiſce cavere oportebat.

Maym. ubi suprà.

1. אסיר לרוק בכל הר הבית, *Interdictum erat ſpuere in toto Monte Domûs: ſed ſi cui neceſſariò ſpuendum eſſet, eum oportebat in aliquo veſtis ſuæ angulo expuere.* Nec tamen religioni ſibi duxerunt ſpuere in faciem ejus qui major erat Templo, *Matth.* 26: 67. Erat via *Hieroſolymæ* quæ vocabatur *Via ſuperior*, in qua immundum habebatur exſcreare, quod nullo alio in loco *Hieroſolymæ* obtinebat.

Shekal. Perek. 8.

2. לא יקל את ראשו כנגד שער מזרחי, *Ullo geſtu irreverentiam monſtrante, uti non licebat*, præſertim *ante Portam Nicanoris*; nam è regione oppoſita erat frontiſpicio *Templi:* atque illiciti irreverentiæ actus habebantur ridere, jocari, laſciviùs colloqui, ac multò magis ſi qui immodeſtiores eſſent.

Maym. in Thephilla, Perek. 1.

3. לא יעשה הר הבית קפנדריא, *Non licebat Montem Domûs facere locum per quem tranſiretur*, ad eundum aliò; quod nec licebat facere in Synagoga. Ita ſi negotiorum cauſâ ab una parte Urbis ad alteram tranſeundum eſſet, non licebat tranſire per Montem Templi, quamvis illàc via brevior eſſet, ſed circumeundum erat; eò enim non licebat ire אלא לדבר מצוה, *niſi ex occaſione Religionis.*

4. הנכנס בעזרה יהלוך בנחת, *Ingredientem in Atrium oportebat lento paſſu ire* ad eum locum in quo ſubſtiturus erat, ibique oportebat eum ſe gerere, quaſi in præſentia Domini, in omni reverentia & timore.

VII. אין מתפלל אלא מעומד, Ingreſſum jam ad orandum & ad ſpectandos ritus ſacros qui fiebant in Atrio, I. *Oportebat ſtare*, nec ſedere, aut jacere, aut ulli rei inniti: nam præter legem illam quâ cavebatur ne quis ſederet in Atrio, quam mox conſiderabimus, non tantùm erat conſuetudinis, ſed officii etiam ſtantem orare ubicunque preces funderentur. Vide *Matth.* 6: 5. ubi *Chriſtus* eos arguit quòd *amarent ſtantes orare in Synagogis, & in angulis viarum.* Ipſæ eorum Traditiones hæc verba confirmant tum quoad locum, tum quoad geſtum. *Sunt octo*, ait *Maymonides* in loco ſuprà in margine citato, *quæ ſcire oportet orantem, ut ea obſervet; nempè, ſtare, faciem versùs Templum obvertere, componere corpus, componere veſtes, locum ſuum aptare, vocem ſuam regere, inflexo corpore adorare. Non debet orare niſi ſtans;* (exceptis ægris aut infirmis) *& ſi ſit in navi, vel in curru, ſtet ſi poſſit.* Undecimo Capite ejuſdem Libri loquitur de precibus in viis fuſis tempore jejuniorum, vel quibuſdam aliis diebus cùm Synagogâ non admitterentur. II. Quod attinet ad compoſitionem corporis inter orandum, hanc legem eorum Traditio præſcribit. *Debet ſtare pedibus juxta ſe invicem æqualiter poſitis, oculos dejicere, cor verò ſursùm tollere, manibus pectori impoſitis, ita ut ſiniſtra ſit ſub dextra: & oportet eum ſtare tanquam ſervum coram Domino ſuo, cum omni reverentia & timore.* Quod oculos dejicerent, id ſumpſerunt ex iis Scripturæ locis, ubi præ pudore quis negat ſe audere oculos in cœlum attollere propter peccata. Ad has conſuetudines reſpicit Parabola Publicani, *Luc.* 18: 13. Imò ipſi Sacerdotes populo benedicentes, nec in cœlum oculos attollebant, nec populum intuebantur, ſed oculos in humum demittebant; uti nec populo licebat eos contrà intueri.

Id. ibid. Per. 5.

VIII. אין ישיבה בעזרה אלא למלכי בית דוד בלבד, Quantumvis diu ſteriſſent, ac ſtando defeſſi eſſent, attamen non licebat in Atrio ſedere aut Sacerdotibus, aut populo. Notiſſimum eſt apud

Scri-

Scriptores Hebræos Axioma: *Nemini licuiſſe ſedere in Atrio, niſi ſolis Regibus Domûs Davidis.* Quamvis *Kimchi* quoſdam citet qui hoc privilegium Regibus eximunt, & tribuunt Summo Sacerdoti. *Midras Tillin* ingenioſè accommodat hanc ſeſſionem ſolius Regis, & reliquorum omnium ſtationem, diſpoſitioni Congregationis cœleſtis, *ubi magnus Rex ſedet, omnes præſentes ſtant ejus imperiis attenti.* Sed alii Rabbini ineptè ajunt hoc creaſſe maximum metum *Jeroboamo*, eumque ita apud ſe loquentem inducunt: *Certum eſt nullam eſſe Sellam in Atrio, niſi Regibus ex Domo Davidis: ideòque ſtatim ac videbunt Roboamum ſedentem, me autem ſtantem, indè colligent, ſi eſſem Rex, me ſeſſurum,* &c. Propter hanc receptam Traditionem, *Magnum Synhedrium* quod convocabatur in Conclave *Gazith*, quod erat in Auſtrali muro Atrii, non ſedebat in ea Conclavis parte quæ erat intra Atrium, sed in altera parte quæ erat ἐν τῷ *Chel.* Fusè ſuo loco hoc Conclave ejuſque ſitum deſcripſimus.

Kimch. in 1 *Sam.* 1. & *Lev. Gerſhom,* ibid. *Midras Tillin* in *Pſalm.* 1. ab initio. *R. Solom.* & *D. Kimch.* in 1 *Reg.* 12. *Maim.* in *Beth Habbech.* Perek. 5.

IX. לא יעמוד בראש מגולה, *Non licebat orare capite aperto. Nec Sapientes, eorumque Diſcipuli,* ait Auctor noſter, *unquam orabant niſi capite tecto.* Ita *R. Nathan* referens hiſtoriam *Nicodemi* orantis & petentis pluviam in magna neceſſitate; & narrans quomodò bis ea de cauſa oratum iverit, hujus circumſtantiæ disertè meminit: התעטף, *Velum ſuum ſumpſit,* atque ingreſſus oravit. Judæi conferunt apparitionem Domini in Monte *Sinai* nube involuti, cum *Angelo Eccleſiæ*, vel Miniſtro Congregationis *velo ſuo obtecti*, כשליח צבור עטוף. Sacerdotes tiaras ſuas conſtanter gerebant dum erant Miniſterio occupati, unde non videntur illo capitis tegumento contenti cùm oraturi erant, ſed alterum prætereà integumentum capiti injeciſſe. Hanc eorum conſuetudinem docet Apoſtolus, 1 *Cor.* 11:4.

Id. in *Thephillah,* ubi ſuprà. *Avoth R. Nathan,* Perek. 6. *Maymon.* in *Joſedeh Thorah,* Perek. 1.

X. Situs corporis cùm Dominum adorarent, erat vel כריעה, *inflexio genuum*, vel השתחוה, *proſtratio in humum.* De hoc poſteriori geſtu corporis ſæpiùs Hebræi loquuntur, cùm tamen juxta ſtrictam vocis ſignificationem rarò eſſet in uſu. Solebant quidem aliquando in humum procumbere; ſed pro hoc geſtu corporis plerùmque adhibebant magnam corporis inflexionem: hoc enim habebant Axioma, *Eam proſtrationem non convenire unicuique, ſed iis tantùm qui ſe viros juſtos eſſe noſſent, ut Joſue.*

Id. ubi ſuprà.

XI. Abſoluto cultu ſuo, abeuntes nefas ducebant Altari tergum obvertere, ideòque retrorsùm ibant donec exiiſſent Atrio; & cùm pervenerant ad eam partem quæ dicebatur *Mons Domûs*, non ſibi fas eſſe putabant per eandem Portam exire per quam ingreſſi erant: qua de re alibi egimus.

Id. in *Beth Habbech.* Per. 7.

CAPUT XI.

De Populi comparitione in tribus Feſtis.

MAgnum *Synhedrium* toti Genti notas faciebat Neomenias, quibus poſſent ſcire quo die celebranda eſſent menſtrua feſta, & anniverſaria. Quamvis autem *Magnum Synhedrium* ſatis eſſet peritum ad cognoſcendam noctem quâ Nova Luna apparitura erat, attamen de re nullum judicium ferebant, niſi priùs haberent teſtimonium duorum virorum qui ſignificarent ſe vidiſſe Novam Lunam; ab ejus enim apparitione inchoabant menſem. Hinc fiebat ut multi *Hieroſolymæ* eam in rem invigilarent, qui conſpectâ Novâ Lunâ, abibant ut teſtimonium ejus rei perhiberent. Erat locus in Urbe dictus בית יעזק, *Beth Jaazek*, Atrium lapideo muro circumdatum, in quo excipiebantur, examinabantur, & ad convivium vocabantur, ut animus iis adderetur, qui tam neceſſarium perhiberent teſtimonium. Non pertinet ad inſtitutum noſtrum curioſè inquirere in ea quæ in iis quorum admittebatur teſtimonium requirebantur, quomodò & quando venirent, an poſſent teſtari ſe Lunam vidiſſe eo tempore quo à membris *Synhedrii* conſpici poterat, & quomodò ipſi *Synhedrii* Aſſeſſores Novæ Lunæ teſtimonium inter ſe perhiberent, aliaque ejuſcemodi. Ideòque iis prætermiſſis, obſervabimus tantùm quemadmodum Atrium illud deſignatum erat ad ſtatuendas & declarandas Neomenias, ita etiam eos ſemet ipſos conſtrinxiſſe, ut judicium non ferrent, niſi auditis duobus teſtibus, ut etiam in aliis judicialibus negotiis.

Maymon. in *Kidd. Hhodeſh,* Per. 1. *Roſh Haſh.* Per. 2. *Aruch* in עזק. *Gloſſ.* in *Maymon.* in loc. cit.

Duo primi teſtes, ſi validum eſſet eorum teſtimonium, eâ vice inſerviebant, nec ulteriùs inquirebant; (etiamſi cum omnibus teſtibus collocuti ſint, volebant enim in eam obſervationem iis animos addere) vel ſi duo primi non eſſent fide digni, cùm alii duo auditi credebantur, currebant, ut tota regio quamprimùm Neomeniæ diem cognoſceret.

Itaque hoc primùm faciebant. Noctù (poſtquàm ex teſtimonio duorum iſtorum

 definie-

Digitized by Google

definierant diem ante quem nocte præcedente conſpecta fuerat Nova Luna) jubebant aliquem curriculo contendere ad Montem *Oliveti* cum faſciculo ligni maximè combuſtibilis, & aliâ materiâ, quam ibi accendebat & variè agitabat, donec alium videret ſimiliter facientem in aliquo colle; & ſic reliqui. Ita per totam regionem res brevi ſpargebatur. *Roſh Haſhan.* ibid. *Imò*, ajunt *Thalmudici*, *ibat à Monte Oliveti ad Sartaba, à Sartaba ad Gryphena, à Gryphena ad Chevaron, à Chevaron ad Beth Baltin; atque hîc non deſinebat tædam agitare, donec videret totum locum Captivitatis ſimilibus refertum.*

Incolæ regionis, conſpectis hiſce tædis, cognoſcebant Novam Lunam apparuiſſe nocte præcedente, & *Synhedrium* definiiſſe diem præteritam eſſe primam Lunæ, atque hinc poſteà numerabant. Verùm videntur experientiâ didiciſſe eam rationem ſatis tutam non eſſe, quandoquidem poterant decipi, & reipsâ decepti aliquando fuerant מקלקלי האפיקורסים והכותים, *à prophanis Epicuræis & Cuthæis*, aut aliis Gentis hoſtibus, qui ſimiles tædas aliquando incendebant ut eos fallerent. Ideòque aliam viam quæſiverunt ad Neomenias ſignificandas, *Ibid. Per. 1.* miſſis nempè per totam regionem nuntiis; quo labore eos liberaſſet accuratum Calendarium, quod æquè certò, & certiùs etiam Neomenias deſignaſſet, quàm ipſi hac ratione faciebant aut facere poterant, propter ejus in variis incertitudinem.

Nuntii propterea mittebantur tantùm ſeptem anni menſibus, nempè

I. Menſe *Niſan*, ut populus ſciret veram diem Paſchatis.

II. Menſe *Ijar*, propter ſecundum Paſcha, vel Paſcha ſecundi menſis.

III. Menſe *Ab*, propter feſtum nonæ diei.

IV. Menſe *Elul*, propter initium anni quod in menſem ſequentem incidebat: nam *Elul* plerùmque erat *menſis vacuus*, ſeu viginti novem dierum; atque ita cognitâ primâ die menſis *Elul*, poterant obſervare trigeſimam diem tanquam primam *Tiſri*, ſeu anni. Si verò trigeſimam diem nec Lunâ conſpectâ, nec *Magni Synhedrii* decreto comperirent eſſe primam menſis, ut tutiùs agerent, ſequentem eligebant diem.

V. Menſe *Tiſri*, propter diem Expiationis, & feſtum Tabernaculorum.

VI. Menſe *Ciſleu*, propter feſtum Dedicationis.

VII. Menſe *Adar*, propter feſtum *Purim*.

Sparſâ per totam regionem definitione trium dierum ad celebranda feſta Paſchatis, Pentecoſtes, & Tabernaculorum, Lege tenebantur conſtitutis temporibus *Hieroſolymam* ire, ut feſtum ibi celebrarent. Comparitio eorum vocabatur ראיה *Raajah*; feſtum verò, ſeu publica hilaritas, vocabatur חגיגה *Chagigah*. Se ſiſtebant in Atrio Templi primâ feſtæ hebdomadis die, & tenebantur offerre victimas pro ſua comparitione; pacificas verò oblationes pro *Chagigah*, ſeu feſto, quæ vocabantur שלמי שמחה, *Pacificæ Oblationes lætitiæ.*

Quidam hujus comparitionis immunes *Chagigah, Per. 1.* erant, & ſervi nondum manumiſſi, ſurdi, muti, amentes, mutili, immundi, incircumciſi, decrepiti, ægri, debiliores, & qui pedibus iter facere nequibant, & infantes qui non poterant aſcendere in Montem Domûs manu à parente deducti.

Et quemadmodum providentia non ſine miraculo eorum Familias tutabatur cùm ad feſta abierant, (& reliquerant domi tantùm mulieres, pueros & aliquot ſervos) ita res non erat multò miraculo minor, quòd tanta hominum multitudo victus & hoſpitia *Hieroſolymæ* reperire poſſet. Atque hoc *Thalmudici* quaſi portentum aliquod obſervant, de quo hoc habent. *Decem miracula*, *Aboth R. Nathan, Per. 34.* inquiunt, *oſtendebantur Patribus noſtris in Sanctuario. Nulla mulier abortum fecit propter odorem carnis victimarum. Nemo unquam Hieroſolymæ ceſpitavit: nec unquam cecidit quiſquam Hieroſolymæ: nec unquam contigit abortus Hieroſolymæ: nec quiſquam unquam alteri dixit, Non inveni Hieroſolymæ ignem ad quem torrerem Agnum meum Paſchalem: nec dixit unquam quiſquam alteri, Non inveni lectum Hieroſolymæ in quo cubarem: nec unquam quiſquam dixit alteri, Meum hoſpitium eſt nimis arctum Hieroſolymæ*, &c.

CAPUT XII.

De ritibus celebrationis Paſchatis.

MAgnum & myſticum Paſchatis Sacramentum tam copioſè deſcribitur, hiſtoriaque ejus inſtitutionis tam fusè habetur *Exod.* 12. ut ad hanc quidem quod attinet ſupervacuum ſit quicquam dicere. Sed poſtremis temporibus, iis præſertim quibus Servator vixit, tantoperè auctæ erant Traditiones, & tantoperè differebant ritus ab illis qui in *Ægypto* præſcripti erant, eoſque multitudine ſuperabant; ut longâ opus ſit deſcriptione & inveſtigatione, ut accuratè deſcribantur. Itaque hîc ex Traditionibus & monumentis Judæorum ſigillatim

eos

eos perſequemur; idque eò libentiùs, quòd varia Novi Teſtamenti loca alludant ad circumſtantias quas addititias vocamus.

Primùm igitur incipiemus à diſcrimine quod obſervant Judæorum Doctores inter Paſcha in *Ægypto*, & poſtremis temporibus Reipublicæ celebratum, quod *Thoſaphta* in Tractatum *Peſachin* ita deſcribit.

Thoſaphta in Peſach. Per. 8.

Paſcha Ægyptiacum ſumpſerunt decimâ die, mactaverunt decimâ quartâ, nec propterea fuerunt rei Exciſionis: poſterioribus temporibus propterea rei fuiſſent Exciſionis.

De Paſchate Ægyptiaco dicitur, Ipſe & vicinus ſumant Agnum: ſed non eſt ſic dictum de Paſchate in poſterioribus generationibus. Sed dico, inquit R. Simeon, dictum eſt de Paſchate in futuris temporibus; idque quia homo non ſinet proximum vicinum Paſcha ſumere cum altero: nam dicitur, Melior eſt vicinus proximus, quàm frater remotus.

In Paſchate Ægyptiaco non tenebantur adſpergerè ſanguinem & pinguedinem in Altare: ſed aliter ſe res habet in Paſchate poſteriorum temporum.

De Paſchate Ægyptiaco dicitur, Imponetis ex ſanguine duobus poſtibus, & ſuperiori limini: ſed ſic res ſe non habet in poſterioribus Paſchatibus.

In Paſchate Ægyptiaco dicitur, Nemo veſtrûm limine ædium ſuarum exibit ad matutinum tempus: ſed ſic non fuit in ſequentibus generationibus.

Paſcha in Ægypto ab unoquoque domi mactatum fuit: ſed poſteriora Paſchata uno in loco mactavit Iſraël.

Ubi comederunt Paſcha in Ægypto, ibi etiam pernoctare debuerunt: ſed poſterioribus temporibus comedebant id in uno loco, & pernoctabant in alio.

Attamen Paſcha in Ægypto celebratum, & ſequentia unum fuerunt Paſcha: quicunque habebat ſervos incircumciſos, & ancillas non baptizatas, non licuit iis Paſcha comedere: ſed dico, ait R. Eliezer filius Jacobi, Scriptura loquitur duntaxat de Paſchate in Ægypto.

In hiſce Paſcha in Ægypto, & ſequentibus temporibus celebrata ſimilia erant.

Paſcha Ægyptiacum erat in tribus domibus: ita & ſequentia Paſchata.

Paſcha Ægyptiacum erat Agnus electus ex grege, maſculus ſine macula, anniculus: ſequentia etiam talia erant.

De Paſchate Ægyptio dictum eſt, Nihil ex eo relinquetis ad matutinum tempus: idem etiam ſequentibus temporibus obſervabatur.

R. Joſi Galilæus dicit, Dico fermentum in Ægypto interdictum tantùm fuiſſe in unam diem. Paſcha Ægyptiacum requirebat Canticum: ita & Paſchata poſterioribus temporibus.

Ita Judæi conferunt primum Paſcha cum ſequentibus: quo in loco, priuſquàm ad alia veniamus, hæc obſervanda occurrunt.

I. Ubi dicitur, ad Paſcha *Ægyptiacum* quod attinet, nullum fuiſſe Exciſionis reatum, hoc dicitur conferendo relationem inſtitutionis primi Paſchatis in *Ægypto*, *Exod.* 12. cum renovatione præcepti Paſchatis in deſerto, *Numer.* 9. Nam cùm Deus inſtituit primum Paſcha, fit quidem aliqua mentio Exciſionis, *Exod.* 12: 15. ſed non dicitur diſertè, *Qui non obſervabit Paſcha exſcindetur*; quod diſertè habetur in iteratione præcepti illius, *Numer.* 9: 13.

II. Ubi dicitur, *Paſcha in Ægypto fuiſſe in tribus domibus, & ſimiliter etiam Paſcha poſterioribus temporibus*; id non debet ita intelligi, quaſi ita Agnus dividi deberet, ut in tribus ædibus pars ejus aliqua comederetur, hoc enim eſt contrarium præcepto, *Exod.* 12: 46. ſed plures Familias potuiſſe convenire ad comedendum Agnum, idque tum in *Ægypto*, tum poſterioribus temporibus.

Primum præceptum circa hanc anniverſariam cæremoniam erat, *ſumere Agnum decimâ die, & ſervare eum uſque ad decimam quartam*, Exod. 12: 3, 6. Quod an perpetuum foret præceptum, an verò in ſolum tempus Paſchatis *Ægyptiaci*, quæritur. *Aben Ezra* dicit eſſe rem dubiam: ſed *R. Solomon* diſertè definit, id reſpexiſſe tantùm tempus *Ægyptiaci* Paſchatis: quod licèt in quapiam circumſtantia verum eſſe poſſit, an ſit prorſùs verum, diſputari poteſt. Dubium quidem non eſt, quin poſterioribus temporibus unuſquiſque Agnum ſuum ſumpſerit, ut in *Ægypto* factum fuerat; ſed aliquatenùs dubium eſt, utrùm hoc eodem modo fieret. Probabile admodùm eſt, quemadmodum Sacerdotes ſumebant agnos in quotidianum ſacrificium quatuor ante diebus quàm offerrentur; ita etiam eos curaſſe populo agnos ſuppeditari, & ſumpſiſſe eos in foro quatuor ante diebus, ac ſelegiſſe aptos & convenientes præcepto. Nam cùm Lex diceret, eos carere debere maculâ, & eorum Traditiones adeò accuratè enumerent ea vitia, quæ ajunt eſſe ſeptuaginta tria; non potuiſſet fieri quin Lex, & Traditiones, quas pluris faciebant quàm ipſam Legem, violarentur, ſi unuſquiſque ſumpſiſſet ſine examine Agnum ſuum in foro *Hieroſolymitano*. Sacerdotes hiſce temporibus intulerunt mercatum ovium & boum in Templum, ubi poſtquàm priùs ele-

Aben Ezra in Exod. 12. R. Solom. ibid.

Maym. in Iſſure Mizbeah.

Digitized by Google

elegiſſent ex foro agnos & juvencos ſacrificio aut Paſchati idoneos, cariùs eos vendebant; atque ita populo inſervientes emolumento ſuo ſtudebant: unde Servator noſter inter cauponationes quas iis exprobrat, dicit *eos feciſſe Domum Orationis ſpeluncam latronum.* Ita quicunque vellet poterat ſecum afferre Agnum ſuum *Hieroſolymam*, aut cùm huc pervenerat emere. Utrùm fecerit Servator noſter ultimo ſuo Paſchate, non dicunt Euangelia: ſed poſterius feciſſe probabile eſt. Vide *Luc.* 22: 8. *Joann.* 13:29.

Idem in *Corb. Peſach.*

Exiſtimant quidam Judæi, eos qui ſumebant Agnum decimâ die, & ſervabant ad decimam quartam, illum alligaſſe ad pedem lecti, ut ſemper oculis eorum obverſaretur ad videndum num eſſet legitimus, & ad animum revocandum quod erant acturi. Sed quicquid eſſet in hoc negotio, aliiſque memoratis circumſtantiis, non debemus omittere obſervare, quàm benè *Agno Dei*, vero Paſchati, cujus ſanguini æterna deberetur liberatio, reſponderet hæc figura Agnorum decimâ die ſumptorum; quandoquidem eâ ipſâ die aſello inſidens *Hieroſolymam* ingreſſus eſt, & obtulit ſemet ipſum ut ſumeretur in illud ſacrificium, cujus ſex poſteà diebus fuit victima ad expianda peccata noſtra. Vide *Joann.* 12: 1, 12.

Vide *Abarban.* in *Exod.* 12.

Sectio I. *Inveſtigatio Fermenti.*

Proxima cura quæ iis incumbebat ad Paſcha quod attinet, erat ut abſtinerent ab omni uſu fermenti Paſchatis tempore, ita ut eo tempore quo Agnus Paſchalis mactabatur, nullum intra ipſorum ædes inveniretur. Lex in hoc præcepto ſeveriſſima erat, quippè quæ Exciſionem id violantibus denunciabat. Vide *Exod.* 12: 18, 19. & 13: 7. *Levit.* 23: 6. *Numer.* 28: 17.

Relationem quæ intercedebat huic legi cum liberatione *Ægyptiaca Abarbanel* ita exponit. Dicit nempè, eam in hoc ſitam fuiſſe, quòd ſignificaret feſtinationem quâ exierant ex *Ægypto*, ita ut ſatis temporis eis non fuiſſet ad expectandum panis fermentationem, *Exod.* 12: 39. Addit prætereà, *in calidis illis regionibus panem plus quàm diem unum ſervari non potuiſſe, niſi fermentatus eſſet*; adeò ut id præceptum panis azymi eos poſſet docere quomodò à divina providentia pendendum eſſet, quandoquidem jubebantur omittere ordinariam & notam rationem conſervandi panis, & ſe extraordinariæ ac incertæ rationi committere, duntaxat propter præceptum divinum, ita Verbo Dei homines vivere edocendi.

Abarban. in *Exod.* 12. fol. 151.

Judæi ut ſeverum hoc obſervarent interdictum, אור לארבעה עשר בודקין את החמץ לאור הנר. *Decimâ quartâ, dum erat adhuc aliqua lux, curabant inquiri fermentum ad lucem candelæ.* Hæc eſt eorum Traditio, in qua per *lucem decimæ quartæ diei* Scholiaſtæ dicunt intelligendam eſſe *decimam quartam diem ſub veſperam, cùm nox appetebat & candelæ accendendæ erant.* Titulus de Paſchate Hebraicè & Hiſpanicè etiam, ſed literis Hebraicis, interpretatur, אין אינטראדה די קאטורזי דיל מיז די ניסן, *En entrada di quatorze del mez de Niſan: Initio decimæ quartæ diei menſis Niſan quærebant fermentum in omnibus iis locis in quibus uti ſolebant fermento*, (in horreis & ſtabulis, aliiſque ſimilibus locis non opus erat quæri) *etiam in foraminibus, idque non ad lucem Solis aut Lunæ, aut lampadis, ſed cereæ candelæ:* הנר של שעוה, *id eſt*, קון קנדילה די סירה, *con candela di cera.* Ac ratio ob quam utebantur candelâ potiùs quàm alio lumine, erat quia aptior erat ad quærendum in foraminibus & angulis, & quia Scriptura loquitur de inquirenda *Hieroſolyma* cum candelis.

Thalm. in *Peſachim*, Per. 1.
R. Salom. & *Gloſſ.*
R. Alphes in *Peſach.* Pereck. 1.
Maym. in *Hhamets umatſab.* Per. 2.
Seder Haggadah. Shel. Peſach. fol. 1.
R. Alphes, ubi ſuprà.
Toſaphot. in *Peſach.* Per. 1.

Cùm aderat veſpera decimæ quartæ diei, quæ ab occaſu Solis incipiebat, quicquam eis facere non licebat, nequidem ſtudere Legi, donec hanc perquiſitionem abſolviſſent. Itaque Lectiones Sacræ multæ non erant eâ veſperâ, ne id operis impedirent.

Seder Haggadah, ubi ſuprà.
Maymon ubi ſuprà.

Priuſquàm quærere inciperent, brevem hanc fundebant oratiunculam: *Benedictus eſto tu, ô Domine Deus noſter, Rex æterne, qui ſanctificaſti nos tuis præceptis, & juſſiſti nos ejicere fermentum.* Nec poſt recitatam hanc oratiunculam licebat colloqui, ſed inquiſitio ſtatim incipienda erat: tùm quicquid inveniebatur fermenti in pyxidem aliquam conjiciendum erat, vel ſuſpendendum in ejuſmodi loco ad quem nullus mus poſſet accedere. Deinde hæc verba recitabat, quibus nullum eſſe fermentum declarabat כל חמירא דאיכא ברשותי דחמיתיה וולא חמיתיה ליטבל ולהיות כעפרא דארעא. *Omne fermentum quod eſt intra poſſeſſionem meam, quod vidi, vel non vidi, nullum ſit, aut ſit tanquam pulvis terræ.*

Ibid. ubi ſuprà, cap. 3. & *Seder Haggadah*, ubi ſuprà.

Sectio II. *Quæ fierent pomeridianis horis diei Paſchatis.*

Diem ipſam Paſchatis Novi Teſtamenti Scriptores vocant *Diem primam Azymorum*; Judæi verò, ערב פסח, *Paſchatis Præparationem.* Hanc aliqua pars populi totam feſtam

feſtam habebat, & ab omni corporeo opere per totam abſtinebat; alii ad meridiem laborabant, reliquas horas feſtas agebant. *Thalmudici* referunt in *Galilæa* totam diem feſtam actam fuiſſe, nullo opere facto à matutinis horis uſque ad veſperam; ſed in *Judæa* ad meridiem uſque laboraſſe incolas: quod mirum videri queat in hominibus Paſchatis adeò obſervantibus, & *Galilæis* negligentioribus obſervatoribus Legis. Sed ratio ejus rei eſt, quia qui in *Galilæa* illâ die erant, nihil circa Paſcha agendum habebant, niſi quòd de eo meditabantur, & in honorem ejus à labore abſtinebant. Sed qui erant in *Judæa* matutinis horis *Hieroſolymam* aſcendere poterant, vel aliquod opus habebant ad Paſchatis apparatum pertinens, vel aliquid expediendum, ut Paſchalem hebdomadem commodiùs tranſire poſſent.

Thalmud in Peſach. Per. 4.

In loco *Thalmudis* modò allato eſt diſceptatio circa quietem obſervandam eâ die, de qua jam nobis ſermo eſt, unde apparet diſſenſiſſe Scholas *Shammai* & *Hillelis*, utrùm & nocte præcedente quieſcere deberent: ſed tandem eò res redit, ut dicatur licitum eſſe abſolvere ea quæ incepta fuerant decimâ tertiâ die ut decimâ quartâ abſolverentur; imò etiam laxior licentia conceditur, nempè ubi mos eſſet per totam diem à labore abſtinere, ibi quieſcendum eſſe; & ubi obtinebat conſuetudo laborandi uſque ad meridiem, ibi conſuetudini obſequendum.

Sed quicquid hac in occaſione facerent, ſeu quieſcerent ante meridiem, ſeu operi incumberent, hoc non erat omittendum, nempè ædibus ſuis fermentum ejicere; quod uti quæſitum oportuerat nocte præcedente, ita non licebat hac die domi habere. Lex quidem circa hunc laborem indicat decimam quintam diem ad eum ſuſcipiendum, quaſi ſatis eſſet eo defungi ſub veſperam decimæ quartæ diei, Exod. 12: 18, 19. Sed Judæi non ineptè obſervant, ejectionem fermenti lege fieri debere antequàm id adeſſet tempus quo id comedere nefas erat. *Nam cùm dicitur, Primâ die fermentum ædibus veſtris ejicietis; Traditione docentur primâ die intelligi decimam quartam. Atque hujus rei argumentum deſumitur ex eo quod in Lege ſcriptum eſt, Non mactabis ſanguinem ſacrificii mei cum fermento; hoc eſt, non mactabis Paſcha dum adhuc supereſt fermentum: jam autem mactatio Paſchatis erat decimâ quartâ die tempore pomeridiano.*

Maymon. in Hhamets umatſah, Per. 2.

Itaque hac decimâ quartâ die matutinis horis poterant comedere panem fermentatum, & tradere avi cuipiam aut pecudi, aut peregrino vendere; ſed accurata definitio certi temporis non eſt ſine controverſia: *R. Meir dicit, Poterant comedere quinque primis horis fermentum, ſed debebant comburere ſextâ ineunte. R. Judah dicit, Poterant id comedere totis quatuor horis, & debebant ſuſpendere per totam quintam, ſextâ verò comburere.* Quam controverſiam ita dirimit *Maymonides. Licebat comedere fermentum decimâ quartâ die uſque ad finem quartæ horæ, ſed non licebat comedere quintâ; attamen eo uti poterant. Verùm qui comedebat horâ ſextâ, cædebatur Verberibus Rebellionis; & qui comederat initio ſeptimæ, virgis cædebatur.*

Peſach. Per. 2. in Miſhn.

Ibid. Perek. 1. in Gemara.

Ubi ſupra Perek 1.

Mirum igitur fuit ſpectaculum circa horam duodecimam, quando unuſquiſque conſpectus fuit, aut comburens, aut demergens, aut in ventum ſpargens fermentum; (hiſce enim rationibus utebantur ad id ædibus ſuis ejiciendum, atque hoc præceptum & conſuetudo per totam regionem obtinebant) cui hiſce verbis veluti valedicebant. *Omne fermentum quod eſt intra meam poſſeſſionem, quod vidi, vel quod non vidi, quod ejeci, vel quod non ejeci, nullum eſto, ſit tanquam pulvis terræ.*

Seder Haggadah, ubi ſuprà.

Sectio III. *Tempus mactationis Paſchatis.*

Circa diem celebrationis Paſchatis, multis verbis non opus eſt ad eam conſtituendam; tam clarè enim conſtituta eſt decima quarta dies poſt Novilunium, ut nihil poſſit eſſe clarius: ideòque cùm aggredimur agere de tempore mactationis Paſchatis, non eſt animus verba facere de die menſis, quæ notiſſima eſt, ſed de tempore diei, quod non eſt ita perſpicuè notatum.

Thoſaphta quidem in Tractatum *Peſachin* refert *Cuthæos aliquando Paſcha ſuum obſervaſſe unâ die antequàm Iſraëlitæ id facerent, aliquando unâ die pòſt*: ubi vox *Cuthæos* eſt ambigua, cùm apud *Thalmudicos* modò *Samaritanos*, modò *Chriſtianos* ſignificet. Verùm huic rei non immorabimur. Nec deſunt Chriſtiani qui exiſtimaverint, *Chriſtum* ejuſque Diſcipulos unâ die Paſcha Judaicum antevertiſſe, propter id quod habetur *Joann.* 18: 28. ubi cùm *Chriſtus* ad *Pilatum* in Prætorium deductus fuiſſet, (quod contigit poſtquàm *Chriſtus* Paſcha comederat, ut ſatis teſtantur reliqui Euangeliſtæ) dicuntur Judæi non auſi ingredi Prætorium, *ne polluerentur, ſed ut poſſent comedere Paſcha.* Huic hallucinationi hîc nihil reponam præter verba *Maymonidis*

Thoſ. in Peſach. Perek. 1. ad med.

monidis; occaſionem enim erroris animadvertere poſteà poterimus. *Eſt affirmativum præceptum*, inquit, *mactare Paſcha decimâ quartâ die menſis Niſan tempore pomeridiano: mactabant autem hanc in rem duntaxat agnos, aut hædos, & quidem maſculos anniculos; & mulieres, aquè ac viri, huic præcepto ſubjiciebantur. Qui præ ſuperbia hoc præceptum violaverat, & prætermiſerat decimam quartam diem ſine oblatione, niſi immundus eſſet, aut longinquo itineri implicitus, erat reus Exciſionis: ſed ſi præ ignorantia præceptum violaſſet, abſolvebatur. Non mactabant Paſcha niſi in Atrio, ut & reliquas oblationes ſanctas: imò iis temporibus quibus licita erant excelſa loca, non offerebant Paſcha in privato loco excelſo, ſed in publico,* (hoc eſt, in Templo) *& qui in privato offerebat virgis cædebatur.* Ex quibus verbis ſi obſervetur pœna quâ afficiebantur qui prætermittebant decimam quartam diem, & quæ obligatio eſſet mactandi Paſchalis Agni in Atrio, abſurdiſſimum apparebit cogitare ullum *Iſraëlitam* ante conſtitutam diem celebrare Paſcha aggreſſum eſſe. Quid facerent *Samaritani* in Monte ſuo *Gerizim* non quæritur; ſed cuipiam Judæo celebrare Paſcha *Hieroſolymæ* (nullibi enim niſi hoc in loco celebrari poterat) ante proprium ac conſtitutum tempus, non licuiſſet ſine manifeſto periculo, cùm hoc è diametro pugnaret cum Lege & Traditionibus; nec videmus *Chriſtum* unquam ullâ ratione accuſatum fuiſſe quaſi Paſcha illegitimâ die celebraſſet.

Maymon. in *Corban. Peſach.* Perek. 1.

Verùm ut hoc omittamus, quod certè nimis manifeſtum eſt quàm ut in controverſiam vocari poſſit, (vide *Luc.* 22: 7, 8.) & veniamus ad tempus diei quo Paſcha mactabatur, hæc duo præmittenda ſunt Axiomata. I. *Non licuiſſe mactare Paſcha ante meridiem:* cujus rei ratio facilis eſt, nempè quia Lex disertè jubet id mactari inter duas veſperas, *Exod.* 12: 6. II. *Quotidianum ſacrificium veſpertinum mactandum fuiſſe antequàm inciperent mactare Paſcha:* cujus rei ratio hæc eſt, quòd extraordinarius ritus ordinarium & conſtantem antevertere non deberet. *Poſtquàm combuſſerant Thymiama veſpertini ſacrificii, & poſtquàm refecerant Lucernas, tùm incipiebant mactare Paſcha, & purgabant ad finem uſque diei. Horas autem ſic dividebant: mactabant quotidianum ſacrificium horâ octavâ & dimidiâ: ſed in præparatione Paſchatis id mactabant horâ ſeptimâ & dimidiâ, & offerebant horâ octavâ & dimidiâ, ſeu dies eſſet profeſta, ſeu Sabbatum. Si præparatio Paſchatis incideret in præparationem Sabbati, quotidianum ſacrificium mactabatur horâ ſextâ & dimidiâ præteritâ, & offerebatur ſeptimâ horâ & dimidiâ præteritâ, & Paſcha poſt ipſum.*

Id. ibid.

Id. ibid.

Thalm. in *Peſach.* Per. 5.

Præceptum erat tum circa Paſcha, tum circa veſpertinum ſacrificium, ea immolatum & oblatum iri בין הערבים, *inter duas veſperas*, Exod. 12: 6. & 29: 39. מלה קשה, *Dura expreſſio*, ait *Aben Ezra*, qui molliorem interpretationem non affert. Exiſtimat enim unam veſperam eſſe cùm Sol occidit, alteram verò cùm nox planè advenit, quod contingit, ut ait, poſt unam horam & quadraginta quinque minuta à Solis occaſu. Itaque vult quotidianum ſacrificium hoc tempore mactatum fuiſſe: & quamvis omnes Agni Paſchales non poſſent intra hoc ſpatium mactari, putat tamen præceptum fuiſſe mactari eos *inter duas veſperas*, quia plerique tùm mactabantur, licèt omnes non poſſent. Non immorabor oſtendendo quàm parùm veriſimilis ſit hæc opinio, quandoquidem is qui eam protulit tandem cogitur redire ad vulgarem ſententiam, quâ prima veſpera dicitur incipere cùm Sol à verticali puncto ad occaſum declinat, altera verò ab ipſo occaſu Solis. Juxta hanc interpretationem mactabant & offerebant veſpertinum ſacrificium exactè in medio tempore pomeridiano (ſcilicet in Æquinoctio hoc fiebat) à dimidia hora poſt ſecundam, ad dimidiam poſt tertiam; adeòque duæ horæ & dimidia elabebantur poſtquàm Sol declinare cœperat, ad tempus quo mactabant, & duæ horæ & dimidia à tempore quo offerebant uſque ad occaſum Solis.

Ab. Ezra in *Exod.* 12.

Extraordinaria ſacrificia aliquando mutationem aliquam efficiebant in quotidiani tempore; nam cùm hoc ſemper prius offerri deberet, ut tempus ſufficeret aliis offerendis, aliquando citiùs ſolito id offerebant unâ horâ, aliquando duabus, ut ex Traditionibus citatis videre eſt. Atque hoc præſertim fiebat Paſchatis causâ, cùm ingens agnorum numerus mactandus eſſet. Ordinarium igitur tempus incipiendæ mactationis Paſchatis, erat circiter poſt elapſam à ſecunda dimidiam horam per reliquum tempus pomeridianum. Si autem Paſcha incideret in præparationem Sabbati, (hoc eſt, in diem Sabbatum præcedentem) horâ unâ citiùs incipiebant, ut faciliùs expedirent negotium ſuum antequàm Sabbatum inciperet.

Sectio IV. *Paſchales Societates.*

Priuſquàm mactarent Agnum Paſchalem, conſtituebant numerum eorum qui eum unà comeſuri eſſent: nam אין שוחטין את הפסח

Digitized by Google

Maym. in Corban. Peſach. Per. 2.

הפסח אלא למנוין, *non mactabant Paſcha niſi in numerum certum perſonarum.* Atque hæc cautio nitebatur *Exod.* 12: 4. Itaque dum adhuc viveret Agnus, certò conſtituebant qui & quàm multi ſimul conjungendi eſſent ad eum comedendum; nec poterat cædi, niſi in certam & conſentientem ſocietatem. Si quis ex ſocietate quapiam cujus numerus jam conſtitutus erat, ſe ſubducere vellet, oportebat id eum facere priuſquàm mactaretur Agnus; poſteà enim integrum non erat. Unaquæque harum ſocietatum vocabatur חבורה, *σύναξις* vel *φρατρία*, nec numerus certus erat, ſed aliquando major, aut minor juxta comeſtionem, ſecundùm præceptum, *Unuſquiſque juxta comeſtionem ſuam.* Ubi ſenes erant, aut ægri, aut homines non multi cibi, plures erant; alioqui pauciores. Is cui ultimum fruſtum tradebatur, ad minimùm tantum carnis quanta eſt olea accipere debebat; alioquin in numero comedentium non cenſebatur: ſed poterant tot convivæ ſimul convenire, quot erant partes in Agno oleæ magnitudinem æquantes; hoc enim ſufficiebat.

R. Solom. in Exod. 12.

Licèt porrò mulieres directè Lege non tenerentur ter in anno, ut maſculi, ſe ſiſtere coram Domino, attamen quædam miniſteria tùm eas obire oportebat, quibus fiebat ut illuc cum viris irent, præſertim ad celebrationem Paſchatis, ad quam diſertis præcepti verbis obſtringebantur: *Tota Congregatio Iſraëlis id mactabit:* ואחד איש ואחד אשה חייבי במצוה זו. *Et viri & mulieres ex æquo tenebantur hoc præcepto.* Jam autem in formandis ejuſcemodi ſocietatibus ad comedendos Agnos, cavebant ne totæ conſtarent mulieribus & ſervis, aut ſervis & pueris, ne quid levius aut indignum gravitate ritûs illius committeretur: aut ne conſtarent tantùm ſenibus, vel ægris, ne ſupereſſent reliquiæ contra præceptum, *Nihil ex eo relinquetis uſque ad matutinum tempus:* aut ne conſtarent Proſelytis, vel pueris tantùm, quia non poterant pro rei gravitate loqui de memorandis illis rebus quæ in Paſchate commemorari debebant. Sed ſocietas poterat conſtare tantùm mulieribus, aut tantùm ſervis; ſed ordinariè integræ Familiæ conjungebantur, viri, uxores, liberi, ſervi, omnes ſimul. Societas Servatoris noſtri ipſo & duodecim Diſcipulis conſtabat, *Matth.* 26: 20. *Luc.* 22: 14.

Maym. ubi ſuprà.

Sectio V. *Mactatio Paſchatis.*

Peſachin. Per. 5.

Paſchales Agni in tribus Congregationibus mactabantur, הפסח נשחט שלש כתות. Hujus moris & praxis fundamentum quærunt in verbis hiſce inſtitutionis: *Totus cætus Congregationis Iſraëlis eum mactabit:* ubi quia tria ſunt vocabula *Cætus*, *Congregatio*, *Iſraël*, mactationem Paſchatis in tres Congregationes dividebant.

Vide Gemar. ib. in Thalmude utroque. R. Solom. in Exod. 12.

Non pauciores eſſe debebant in unaquaque Congregatione triginta hominibus: attamen invenerunt rationem ex quinquaginta hominibus, ſi plures non eſſent, faciendarum trium triginta hominum Congregationum. Nempè ex illis quinquaginta viris triginta ingrediebantur Atrium, in quo ſolo licebat Paſcha mactare; deinde cùm Agnos ſuos mactaverant, decem ex iis exibant, & decem ex iis qui foris ſteterant ingrediebantur; quò iterùm facto, dum Agni mactarentur ſemper aderant triginta.

Maym. in Corban. Peſach. Per. 1. Gemar. Babyl. in Peſach. fol. 64.

Verùm hæc cautio erat tantùm neceſſitatis causâ inventa, nempè ſi ejuſmodi caſus contingeret ut eſſent tantùm quinquaginta Agni offerendi, vel præſentes tantùm quinquaginta viri; nam unaquæque Paſchalis ſocietas per unum tantùm ex convivis mactandum mittebat Agnum, qui non mactabatur niſi ad minimùm adeſſent quinquaginta; ſed plerumque unaquæque trium iſtarum Congregationum implebat Atrium.

Prima Congregatio ingrediebatur donec Atrium plenum eſſet; poſteà Portæ claudebantur, & dum Agnorum mactatione occupati erant, Levitæ & Tubicines canebant. *Eſt Traditio*, ait *Hieroſolymitanum Thalmud*, *Cùm quotidianum ſacrificium oblationem liquidam conjunctam haberet, tempore oblationis liquidæ tubâ canebant: ſed in Paſchate quod non habebat liquidam oblationem, tubâ canebant cùm mactabatur.* Hoc etiam Scholia *Babylonici Thalmudis* diſertiùs exprimunt. *In mactatione Paſchatis vigeſies ſepties canebant tubâ, nam Paſcha in tribus Congregationibus mactabatur*, &c.

Thalm. Hieroſ. in Peſach. Per. 5.

Gloſſ. in Succah, fol. 54.

Hic porrò Cantus qui fiebat inter mactandum Agnum, vocabatur *Hallel* הלל, ut Scholia ad eundem locum teſtantur; & *Maymonides* fuſiùs, *Toto tempore quo mactabant & offerebant, Levitæ recitabant τὸ Hallel: ſi abſolverant τὸ Hallel, nec Congregatio perfecerat, iterabant illud; & ſi ſecundâ vice abſolviſſent, antequàm Congregatio perfeciſſet, tertiò id inchoabant.*

Maym. ubi ſuprà.

In Judæorum Scriptis ſæpiſſimè mentio occurrit hujus *Hallel* ſeu *Hymni*, ſic enim vertere poſſumus ex *Matth.* 26: 30. & diſtinguunt in *majorem*, & *minorem* ſeu *communem Hallel.* Poſterius hoc vocant etiam *Ægyptiacum Hallel*, quia ſpecialiùs canebatur in memoriam liberationis ex *Ægypto*, conſtabatque Pſalmis 113. & ſequentibus

Digitized by Google

ad 118. incluſivè. De quorum uſu & electione tres aut quatuor eorum Traditiones afferemus.

Thalmud Hieroſ. in *Peſach.* Per. 5.

I. *Hieroſolymitanum Thalmud* habet hanc in Tractatu *Peſachin* narrationem. *R. Jacob Bar Aba nomine R. Jaſa dixit, Vis eſt data voci Moſis, & vox ejus per totam Ægyptum ad iter quadraginta dierum pervenit. Et quid dixit? Una Congregatio ex tali loco ad talem locum, & altera Congregatio ex tali loco ad talem locum. Et hoc mirari non debes: nam ſi pulvis, cujus non eſt natura eundi, dicitur iviſſe per totam Ægyptum,* Exod. 9: 9. *multò magis poteſt vox diffundi, cujus eſt natura eundi. R. Levi dicit, Et quemadmodum vis data fuerat voci Moſis, ita etiam vis data eſt voci Pharaonis, quæ pervenit per totam Ægyptum ad iter quadraginta dierum. Et quid dixit? Surgite, abite à populo meo; nam uti tempore præterito fuiſtis Pharaonis ſervi, ab hoc tempore vos oportet eſſe ſervos Domini. Indè eâ horâ dicunt,* Laudate vos Dominum, laudate eum vos ſervi Domini, *Pſalm.* 113. *nec ampliùs ſervi Pharaonis.*

Maymon. in *Megillah*, &c. Perek. 3. & *Gloſſ.* in *Succ.* fol. 38.

II. *Maymonides* in ſuo Tract. *Megillah & Chanuchah*, ſeu de feſto *Purim* & *Dedicatione*, dicit: *Conſuetudo dicendi τὸ Hallel diebus primorum Sapientum ſic erat: Princeps eorum qui debebat legere τὸ Hallel poſt recitatam precem ſic incipiebat, Hallelujah; & univerſus populus reſpondebat, Hallelujah. Pergebat & dicebat, Laudate, ſervi Domini; & populus reſpondebat, Hallelujah,* &c. *Et ſic deinceps, donec reſpondiſſent centum viginti tribus vicibus, qui eſt numerus annorum Aaronis. Cùm porrò qui legebat venerat ad initium Pſalmi cujuſpiam, ut cùm legebat,* Cùm Iſraël exiit ex Ægypto; *populus repetebat & dicebat,* Iſraël, &c. *Sed cùm dicebat,* Et domus Jacob ab externo populo; *populus reſpondebat, Hallelujah; & ita deinceps, donec veniſſet ad hæc verba,* Amo Dominum, quia audivit vocem meam, *quæ populus repetebat,* &c.

Maymon. ubi ſuprà. Vide *Kimch.* in 1 *Paral.*

III. Hæc recitatio τȣ̃ *Hallel* creditur à Judæis inſtituta fuiſſe à Scribis; & ratio ob quam hi Pſalmi eligebantur, fuit quia inchoantur vel finiuntur per laudes Dei; & quia non modò ingentia teſtimonia Dei benignitatis in *Iſraëlem*, ut indicatur loco laudato *Hieroſolymitani Thalmudis*, ſed etiam varia alia maximi momenti continent: nam *Hallel*, ut ajunt, *quinque res memorat, exitum ex Ægypto, diviſionem maris, legiſlationem, reſurrectionem mortuorum, & ſortem Meſſiæ.*

Thalm. in *Peſach.* fol. 118. *Maymon.* ubi ſuprà, & *Thalm.* utrumque in *Succah.*

IV. *Hoc Hallel dicebatur octodecim diebus in anno & unâ nocte, nempè dum mactaretur Paſcha, feſto Pentecoſtes, octo diebus feſti Tabernaculorum, & octo diebus feſti Dedicationis, & nocte Paſchatis.* Cum ejus recitatione & τοῖς *Hallelujah* à populo repetitis confer *Apocal.* 19: 1, 3, 4, 6.

Præter hoc *Hallel*, quod *Ægyptiacum* vocabant, occurrit frequens mentio *Hallelis magni* הלל גדולה, de quo hæc hiſtoria habetur in Tract. *Thaanith.* *Conſtituerant feſtum in Lod*, (vel *Lyddæ*, Actor. 9: 35. idque propter pluviam quâ maximè egebant) *& pluvia decidebat pro illis ante meridiem. R. Tarphon dixit ipſis, Ite, comedite ac bibite, & feſtum diem agite. Ibant, comedebant, bibebant, & veniebant veſperi, & recitabant magnum Hallel.* Poſtmodò obſervabimus, eos conſtanter inter comedendum Paſcha *Hallel* vulgò ſic dictum recitare ſolitos, & aliquando etiam *magnum* adjeciſſe. Cùm agemus de tempore quo hoc recitabatur, tùm quid fuerit *magnum Hallel* obſervabimus.

Thaanith. Perek. 3.

Jam, ut redeamus ad mactationem Paſchatis, cùm *Hallel* à Levitis tertiâ vice cantatum eſſet, plerùmque abſoluta erat mactatio, nec iterùm Hymnum illum inchoabant. Itaque hæc verba quæ ſæpè occurrunt apud Judæos de hoc argumento agentes, אם שנו שלושו אף על פי שלא שלשו מימיהם, debent ſic exponi, *Si iterùm cecinissent, tertiò incipiebant, quamvis non abſolverent tertiam vicem, in omnibus ſuis diebus;* nam priuſquàm abſolviſſent, abſolutum erat negotium, & tùm illi deſinebant.

Peſach. Perek. 5.

Cùm prima Congregatio abſolverat, exibat ex Atrio cum mactatis & pelle denudatis Agnis, (quomodò iis pellem detraherent mox obſervabitur) & aliquandiu manebat *in Monte Domus.* Hac eadem ratione reliquæ duæ mactabant Agnos ſuos.

Non modò mactabantur Agni in Atrio, ſed etiam ſanguis à Sacerdotibus adſpergebatur, qui à mactationis loco uſque ad Altare ordine ſtabant, & mactatorum Agnorum ſanguinem alter alteri tradebant, qui ſic ſine ulla confuſione ad Altare ocyùs deferebatur, ubi ſupra Altaris baſin effundebatur. It quorum erant Agni iis pellem detrahebant, quos ex vecte duorum virorum humeris impoſito ſuſpendebant, ſibi viciſſim id officii præſtantes. Detrahebant viſcera, excrementiſque ablutis, ea diſco imponebant, ſaliebant & in ignem Altaris conjiciebant. Denique expeditis tribus hiſce Congregationibus,

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotes, quod valdè neceſſarium erat, Atrium abluebant.

Si Paſchatis mactatio incideret in diem Sabbati, non abſtinebant tamen ab ullo horum operum, nequidem ab Atrio abluendo; habebant enim Axioma à Traditione: שאין אסור שבות במקדש, *Nulla eſt prohibitio circa quietem Sabbati in Sanctuario:* h. e. ad quietem ad cujus obſervationem alii tenebantur, Sacerdotes in Templo obſtrictos non fuiſſe: quò reſpicit Servator, *Matth.* 12: 12. Jam autem quamvis interficerent, excoriarent, atque aperirent Paſchales Agnos die Sabbati, non licebat tamen eos in hoſpitia *Hieroſolymam* deferre niſi exacto Sabbato. Sed cùm prima Congregatio quod agendum habebat in Atrio abſolverat, exibat & morabatur in Monte Domûs; ſecunda egreſſa ſtabat ἐν τῷ *Chel*; & tertia in Atrio manebat ad finem uſque Sabbati, quo exacto, ad ſocietates ſuas Agnos deferebant. Cujus rei ratio hæc fuit, quia mactatio & oblatio Paſchatis nitebantur diſerto Legis præcepto, quo certum tempus iis conſtitutum erat, quod prætermittere non licebat, quamvis eſſet dies Sabbati; ſed portatio Agni in hoſpitium non adeò urgebat, quin poſſet differri donec Sabbatum finitum eſſet.

CAPUT XIII.

Ritus Judæorum in comedendo Paſchate.

EST quidem extra fines quos nobis præſcripſimus, id quod populus domi agebat redux è Templo, intra cujus ambitum hanc noſtram diſſertationem continere voluimus: attamen quia comeſtio horum Agnorum tam ſanctus erat ritus, & hiſtoria ultimi Paſchatis à Domino obſervati, omnium animos convertit ad conſiderationem rituum qui tùm adhibebantur, non dubito quin lector facilè hanc mihi condonaturus ſit digreſſionem, in qua magnæ illius cæremoniæ circumſtantias varias & multiplices ſigillatim referam.

Thalm. in *Peſach.* Per. 7.

I. Ut omittamus in torrendo Agno ſupervacaneos ritus, ut quòd eum veru ex ligno mali granati transfigerent, quod in os immiſſum per poſteriora exibat, primam circumſtantiam quæ in ejus comeſtione occurrit haurire poſſumus ex hac Traditione: ערבי פסחין סמוך למנחה לא יאכל ארכם עד שתחשך, *Veſperi ſtatim à Mincha, nemo comedet Paſcha, donec tenebreſcat.* Hinc duo diſcimus. Primùm, Paſchale convivium initum non fuiſſe ante noctem: quæ conſuetudo videtur niti Lege quæ præcipit *comedi carnem Agni eâ nocte*, Exod. 12. Ita etiam debent intelligi verba hæc, *cùm veniſſet veſpera*, ſedit cum duodecim Diſcipulis, in hiſtoria Paſchatis à Servatore obſervati. Secundò, eos jejunaſſe per aliquantulum ſpatium antequàm ad convivium accederent. *Circa tempus Minchæ*, ajunt Scholia in hanc Traditionem, *ſignificat paulò ante veſpertinum ſacrificium, & ab eo tempore non licebat quicquam edere, ut poſſent edere Azymum panem præceptum cum appetitu, in honorem præcepti.*

Ibid. Perek. 10.

R. Alphes & R. Solom. & R. Sam. in locum.

II. Non comedebant Paſcha niſi ſedendo: עני שבישראל לא יאכל עד שיסב, *Ne pauperrimus quidem Iſraëlis comedet donec ſederit. R. Simeon* (in *Hieroſol. Gemara*) *nomine R. Joſua filii Levi dicit, Licèt quantitas carnis ad magnitudinem olivæ accedens ſufficeret ad obſervandum præceptum ei qui Paſcha comedere debebat, hunc tamen oportuiſſe ſedentem comedere* מיסב: hinc dicitur *Jeſus ſediſſe* cum duodecim Diſcipulis. Porrò non ſedebant tunc temporis, quemadmodum menſæ aſſidemus hodie, aut quemadmodum ipſi aliàs ſedere ſolebant; ſed peculiarem tùm corporis ſtatum obſervabant. Attamen ſolent de eo loqui quaſi ſederent. *Quàm differt*, inquiunt, *hæc non ab omnibus aliis noctibus? nam omnibus aliis noctibus comedimus* בין יושבין בין מסובין, *aut ſedentes, aut jacentes; ſed hac nocte omnes ſedemus jacentes.* Hic duæ voces יושבין & מסובין, quæ ſignificant *aſſidere menſæ*, in tam diverſa notione ſumuntur, ut ſibi invicem opponantur. Simili modo opponuntur in Tract. *Berachoth*: *An aſſidebant menſæ* היו יושבין? *Unuſquiſque gratias agebat pro ſe.* היסבו *An jacebant? Unus gratias agebat pro omnibus. R. Nathan* putat diſcrimen quod intercedit inter duas haſce voces in horum alterutro ſitum eſſe, quòd היסבו ſignificet ſedentes in orbem circa cibum; ſed ישבו ſignificare unumquemque rectâ lineâ ſediſſe. *Vel hæc altera interpretatio*, inquit, *poteſt afferri, eoſ ſediſſe propter aliquod aliud negotium*, (non propriè cœnandi causâ) *& cibus tùm ipſis apponebatur, ut unuſquiſque pro ſeipſo gratias ageret. Sed* היסבו *ſignificat eos ſediſſe eo animo ut comederent, non alterius cujuſpiam negotii causâ; & tùm unus pro omnibus gratias agebat.* Verùm apparet ex *Maymonide*, aliiſque *Thalmudiſtis*, diſcrimen fuiſſe in ratione ſedendi, non in occaſione. *Ratio ſedendi quæ vocatur* היסבה *Haſibba*,

Thalm. ubi ſuprà. *Gemar. Hieroſ.* in *Peſach.* in loc.

Maymon. in *Noſ. Hagg.*

Berachoth, Per. 6.

Aruch in סב.

Maym. in *Hhamets umatſ.*

Digitized by Google

jeſibba, non requiritur à muliere; ſed ſi ſit mulier nobilis, tùm ab ea requiritur. Atque hæc ratio ſedendi requiritur in Paſchate à filio coram patre, & à ſervo coram hero; ſed Diſcipulum coram Doctore non oportet ſedere, niſi Doctor hoc ei permittat. Status autem corporis jacentis in latus dextrum, aut in collum, aut in faciem, non eſt hic corporis ſtatus. Sed jacebant in latus ſiniſtrum, ut ipſe alibi ſignificat, ubi dicit: *Oportet eum exhaurire calices ſuos vini jacentem in latus ſiniſtrum.* Thalmudici Scholiaſtæ ſic breviter ſtatum illum corporis deſcribunt: במיטה ועל השולחן, *in lecto & ad menſam.*

Vulgò menſæ in lectis jacentes accumbebant, & in aliis quidem conviviis ſedebant ut nos ſedemus erecto corpore; vel cùm liberiùs convivari volebant & expeditiores eſſe, inſidebant lectis, & cubito ſiniſtro menſæ impoſito jacebant, atque hoc ſtatu corporis, aut quovis alio indifferenter utebantur. Sed nocte Paſchatis putabant ſe teneri cœnare eo jacentium ſtatu; cujus rei hanc rationem reddunt ipſi: *Utebantur hac* הישבה, *ſeu hoc jacentis ſtatu, in memoriam libertatis ſuæ. Et R. Levi dicit, Quia mos eſt ſervorum ſtantes comedere, ideòque nunc edunt* מסובין *ſedentes & jacentes, ut oſtendant ſe eſſe ex ſervitute aſſertos in libertatem.* Et alibi: *In unaquaque generatione tenetur unuſquiſque ſe gerere in Paſchate, quaſi ipſe liberatus fuiſſet ex ſervitute Ægypti,* &c. *Ideòque inter cœnandum eâ nocte tenetur edere, bibere, ſedere in ſtatu libertatis.*

R. Solom. *in Peſach.* Perek. 10. *Thalm. Hieroſ.* ibid. in *Gemara.*

Miſhnah ibid. & *Maymon.* ubi ſuprà.

Propter hanc rationem aliàs ſæpè eo modo diſcumbebant, ſed neceſſariò ad eum tenebantur eâ nocte; qui tamen corporis ſtatus valdè differebat ab eo qui præceptus & obſervatus fuerat primo Paſchate in *Ægypto*, quo ederunt *renibus cinctis, pedibus calceis indutis, ſcipionibus in manu, & feſtinanter*, Exod. 12: 11. Atque uti putabant libertati ſuæ convenire ita jacere, quieſcere, cubitoque capite ſubnixo menſæ ſecurè incumbere; ita etiam ut idem expreſſiùs ſignificarent tibias ita diſponebant, ut iis inſiderent pedibus à tergo prominentibus, ut *Luc.* 7: 38. & quantùm poterant eum ſtatum corporis obſervabant qui remotiſſimus eſſet à ſervorum miniſteriis paratorum ſtatu, & libertati quàm maximè conveniret. Ex hac conſuetudine accumbendi interpretabimur locum illum de dilecto *Jeſu* Diſcipulo, *qui in gremio Jeſu jacebat*, Joann. 13: 23. & *ad pectus Jeſu*, Joann. 13: 25. & 21: 20. eſt enim manifeſta differentia in phraſibus Græcis, *ἀνακείμενος ἐν κόλπῳ*, & *ἐπιπεσὼν* vel *ἀναπεσὼν ἐπὶ τὸ στῆθος*: quod cùm Tranſlationes quædam neglexerint, aut non expreſſerint, lectori craſſas injecerunt cogitationes, *quaſi Joannes in ipſius ſinu contra omne decorum ſterteret, ut ab imperitis pingi accubitus ille conſuevit.* Sed hac ratione diſcumbebant. *Jeſus* menſæ incubabat capite ſiniſtro cubito ſuffulto, facie & pectore à menſa ad latus obverſis; *Joannes* verò ſecundùm *Jeſum* eodem corporis ſtatu diſcumbebat, dorſo obverſo *Jeſu* pectori vel gremio, cui tamen adeò vicinus non erat ut dorſo tangeret pectus *Jeſu*, ſed tanto intervallo relicto, quanto opus erat *Jeſu* ut poſſet commodè dexterâ uti, eâque cibos in menſa appoſitos ſumere. Reliqui eodem modo diſcubuerant. Hoc in negotio ſine ulla ratione quidam exiſtimarunt eos in longa ſerie lecto ita incubuiſſe, ut alter alterius pectori inniteretur; aut ſi accubuerunt menſæ ita denſos diſcubuiſſe, ut unius dorſum alterius pectus tangeret, quod obſtitiſſet quominus uti poſſent manu ad capiendos cibos. Relicta erat inter eos commoda diſtantia, ac Diſcipulus Domino amatus admodùm propriè dicitur jacuiſſe in ejus gremio, quia jacebat ante pectus ejus, ita ut quotieſcunque *Chriſtus* brachium attolleret, intra ejus, ut ita dicam, amplexum eſſet. Sed cùm *Petrus* ei ſigno innuit ut quæreret quis futurus eſſet proditor, tùm *ἀνέπεσεν ἐπὶ τὸ στῆθος*, ita dorſo incubuit, ut ejus humeri pectori *Jeſu* inniterentur; qui ſtatus corporis commodiſſimus erat ad colloquendum ſubmiſsâ voce.

Vide *Bez.* in *Joann.* 21.

III. Poſtquàm ita diſcubuiſſent, unuſquiſque calicem vini bibebat, ut diſcimus ex eorum Libris Ritualibus. *Ordo obſervandarum rerum in decimam quintam noctem præceptarum,* ait *Maymonides, hic erat: primò miſcebant calicem unicuique, & unus gratias agebat, ac bibebant.* Qua in re ſequitur Thalmudicum textum, qui in Tractatu *de Paſchate*, loco ſupra in margine citato, idem refert eodemque ordine.

Maymon. ubi ſuprà, Perek. 8.

Inter varios cibos qui unà comedebantur cum Agno Paſchali, de quibus ſuo ordine loquemur, præcipui erant *panis* & *vinum*, quos hoc in negotio quanti facerent hac in re oſtendebant, quòd quomodocunque in reliquo convivio corpus diſpoſuiſſent, inter bibendum vinum & comedendum panem neceſſariò ratione deſcriptâ (quæ emblema libertatis fuit) ſe componebant. Hoc docet Scriptor modò laudatus in hac Traditione: איכתו צריכין

Id. ibid. Perek. 7.

צריכין היסבה כשע' אכילת כזית מצה ובשתי ית ד' כוסות, *Quando neceſſarium eſt eos uti Hajeſibbâ? Eo ipſo tempore quo comedunt azymum panem ad magnitudinem olivæ, & bibunt tres ſuos calices vini. Reliquo tempore convivii cùm alia ederent aut biberent, ſi eo corporis ſtatu jacerent, hoc quidem laudabile erat, ſed ad Paſchatis eſſentiam non pertinebat.* Quod *Gemariſtæ*
Gloſſa, ibid. & Scholia ita interpretantur: *Panis azymus requirit Hajeſibbam, ſed herbæ amaræ non requirunt:* אמרי לה תרי כסי קמאי צריך היסבה תרי כסי בתראי לא צריך, *Dicunt enim de hac re duos priores calices requirere Hajeſibbam, duos poſteriores non item.*

Diſerto mandato tenebantur ad comeſtionem panis azymi hoc tempore, *Exod.* 12: 18. ſed potum vini adjecerunt gene-
Thalm. Hieroſ. ubi ſuprà. rali principio nixi: *Quia oportebat virum lautè excipere uxorem & liberos ut in hoc convivio hilares eſſent. Qua autem re eos exhilarabat? Vino.* Atque adeò erant in
Thalm. Hieroſ. ubi ſuprà. *R. Sam.* ibid. hoc negotio ſeveri, *ut vel pauperrimus Iſraëlis teneretur bibere quatuor calices vini hac nocte*, etiamſi eleemoſynis victitaret: ac *ſi non poſſet aliter tantùm vini ſibi comparare, vel ſi ſatis eleemoſynarum non acciperet ad habendos quatuor calices, oportebat eum vendere vel oppignerare tunicam ſuam, aut operam ſuam conducere pro quatuor vini calicibus. Gemariſtæ* inquirunt quare quatuor calices requirantur potius quàm alius numerus? atque rem ita dirimit *Hieroſo-*
Thalm. Hieroſ. ubi antè. *lymitanum Thalmud: Quodnam eſt fundamentum quatuor calicum? R. Jochanan nomine R. Benajah dicit, Ut pari numero ſint cum verbis quæ adhibentur in Iſraëlis redemptione:* והוצאתי והצלתי וגאלתי ולקחתי, *Et eduxi, & liberavi, & redemi, & ſumpſi. R. Joſuah filius Levi dicit, Ut pares eſſent numero calicibus Pharaonis, de quibus in hiſce locis:* Pharaonis calix erat in manu mea, &c. *Geneſ.* 40: 11. *R. Levi dicit, Ut eſſent pares numero quatuor Monarchiis*, Dan. 7. *Et noſtri Rabbini dicunt, Ut eſſent pares numero quatuor calicibus ultionis quos ſanctus benedictus Deus propinabit Gentibus mundi.* Vide *Jerem.* 25: 15. & 51: 7. *Pſalm.* 75: 9. *Pſalm.* 11: 6. *Similiter Deus propinabit Iſraëli quatuor calices conſolationis*, *Pſalm.* 16: 5. & 23: 5. & 116: 13.

In hiſce quatuor vini calicibus ſedulò obſervabant certam quandam menſuram
Maym. in *Hbamets umatſ.* Per. 7. & *Gloſſ.* ibid. & mixturam. *Proportio vini non poterat minor eſſe* רובע רביעית, decima ſextâ parte Hini, præter aliquantulum aquæ quod miſcebatur; ſi enim non admiſcuiſſent aquam, credidiſſent aliquid eſſe omiſſum in rectâ hujus cæremoniæ obſervatione: ארבע כוסות האלו צריך למזוג, *Hoſce quatuor calices*, ait Auctor in margine laudatus, *oportebat neceſſariò miſceri.* Thalmudicus Titulus ubi de hoc ritu agitur, quotieſcunque loquitur de quopiam ex quatuor hiſce calicibus vini delato ad eum qui inſerviebat ἐν τῇ *Haggadah*, *Peſachin*.
utitur hac phraſi: מוזגין לו, *Ipſi miſcebant.* ubi ſuprà.
Eſt inter eos Axioma receptiſſimum quod à *Rabh* in Gemara traditur: שתאן חי ידי יין יצא ידי חידות לא יצא; *Quicunque bibit quatuor hoſce calices ex mero, officio quidem functus eſt circa potum vini, ſed non functus eſt circa libertatis ſignificationem:* neque enim temperabant vinum ſobrietatis causâ, æquè ac ut vinum gratius redderent. Atque hæc ratio à *Maymonide* aſſertur, cùm dicit *Vinum oportere miſceri, nempè ut ejus potus gratior eſſet, & quidem juxta generoſitatem vini, atque animum potoris.* Itaque ſignum aliquod libertatis ſe tùm putabant edere, quam tunc temporis oſtentare conabantur bibendo vinum mixtum, quod gratius erat.

Cùm ad eos ferretur primus quatuor calicum poſtquàm diſcubuiſſent, unus ex ſocietate (Paterfamilias ſi unica eſſet familia; vel ſi plures eſſent, idoneus aliquis eam in rem electus quem vocabant קורא הגדה, *Recitatorem Haggadæ*, vel verborum Paſchalium) gratias agebat ſupra vinum, & id exhauriebat. Gratiarum actio vinum & diem reſpiciebat. Scholæ *Hillelis* & *Shammai* diſceptabant de horum duorum ordine, utrum nimirùm antecedere deberet. Sed quodcunque prius eſſet, (neque enim operæ pretium eſt iſtam diſputationem proſequi) ita erat
concepta gratiarum actio de vino: *Bene-* *Thalm.* in *Berachoth*,
dictus eſto tu, ô Domine, qui creaſti fru- Perek. 6.
ctum vitis; & ad diem quod ſpectat, hæc *Maymon.*
adhibebantur verba: *Benedictus eſto propter* in *Birk.*
hanc bonam diem, & propter hanc ſanctam *Maz.*
convocationem, quam dediſti nobis ad lætitiam & recreationem. Benedictus eſto tu, ô Domine, qui ſanctificaſti Iſraëlem & tempora.

IV. Deinde unuſquiſque convivarum *Id.* in
abluebat manus; in quem ritum Recita- *Hbamets*,
tor *Haggadæ* hæc dicebat verba: *Bene-* &c. ubi
dictus eſto tu, ô Domine Deus noſter, qui antè.
ſanctificaſti nos præceptis tuis, & præcepiſti nobis ablutionem manuum. Solebant hac nocte bis manus abluere, cùm aliàs ſemel tantùm manus abluerent; ac debebant extraordinarios hoſce ritus obſervare, & de iis colloqui dum cœnarent, utentes hiſce

verbis

Digitized by Google

verbis inter alia: *Quantoperè differt hæc nox ab omnibus aliis noctibus! aliis enim abluimus tantùm ſemel, hac verò bis.* Utuntur voce מטבילין *mergentes*, ad exprimendam hanc manuum ablutionem, hac enim ratione tunc ſe abluebant. Tractatus *Jadajim*, & *Thoſaphta* ibi nos docent duplicem eos habuiſſe abluendarum manuum rationem, *Netiſa*, & *Tebilah*, vel affuſâ manibus aquâ, vel immiſſis manibus in aquam. Atque duas haſce ablutiones, præter allatum, duobus diſcriminibus diſtinguunt; *quòd qui immiſiſſet manus in aquam non teneretur eas exſiccare, cùm teneretur qui aquam iis affuderat: hunc oportebat attollere manus, ita tamen ut aqua non deflueret ſupra ejus carpum, nec in manus rediret ne eas immundas redderet:* (ſed guttatim decidebat, quod vocatur πυγμῇ νίψαι, *Marc.* 7: 3.) *Sed qui immiſerat manus ſuas in aquam non opus habebat eas tollere*, &c. Hic dicebatur מטביל את ידיו, *immergens manus ſuas*; qui effundebat aquam in manus, נוטל את ידיו, *lavans manus*: attamen ſæpè utraque hæc ablutio eodem nomine appellatur נטילת ידים, *Netilath jadajim*.

Thalmud in *Jadajim*, Perek. 2. *Thoſapht.* ibid.

V. Poſtquam abluerant, dapes in cœnam paratæ menſæ imponebantur, erantque variorum generum; nam præter Agnum Paſchalem, & panem azymum, & amaras herbas, quæ diſertè comedi præceperat Deus, ad minimùm duas alias patinas habebant, aliquando tres, quas ex Traditionis præſcripto adjecerant. Omnes haſce patinas ſigillatim luſtremus.

I. Erant duo vel tres placentæ azymi panis, de numero enim non conſtat, quarum comeſtionem adeò neceſſariam exiſtimabant, ut infantes & ægri ad eam tenerentur; qui ſi non poterant ſiccum panem deglutire, liquore aliquo eum imbuebant, ut tantum ſaltem quanta eſt oliva comederent. Sani verò & valentes per totam diem non multùm debebant comedere, ut poſſent veſperi azymum avidè deglutire, & multi quidem propterea per totam diem jejunabant. Abſtinere præſertim eos oportebat ab azymo, ut in Paſchali cœna eum orexi comederent; qui ſecùs feciſſet, *Rebellionis Verberibus* obnoxius erat.

Vide *Gloſſ.* ad *Maymon.* ubi antè.

II. Herbæ quibus utebantur erant quinque generum: חזרת *lactuca*, עלישין *intyba*, תמכא *cichoreum*, חרחבינה *beta*, מרור *marrubia*, aliæque ſimiles, quarum quædam oxybapho aptæ, aliæ amaræ. Poterant eſſe aut virides aut ſiccæ, ſed neque elixæ, neque ſale conditæ. Generalis & genuina ratio ritûs hujus erat, ut in memoriam revocarent amaram ſervitutem quam in *Ægypto* ſervierant. Sed conjectura cujuſdam *Hiſpani* Judæi quem citat *Aben Ezra*, ſingularitate ſuâ digna eſt quæ huc transferatur. *Unus*, inquit, *ex Sapientibus Hiſpaniæ dicit, Optimè notum eſt humiditatem magnam eſſe in terra Ægypti propter aquas fluvii; & quia non habent ibi pluvias, ideò aër perpetuò eſt humidus. Quod cùm ita ſit, ſolebant in omnibus paſtionibus edere herbas amaras & ſinapi. Et quamvis Ægyptius habuiſſet tantùm unum fruſtum cibi, habebat tamen ſemper in menſa herbas amaras in quas immitteret cibum ſuum, quod erat remedium contra aëris humiditatem. Sed adhærebimus judicio Veterum Patrum noſtrorum, qui expoſuerunt nobis haſce herbas amaras eſſe memoriale iſtius loci,* Faciebant eorum vitas amaras, *Exod.* 1.

Vide *R. Solom.* in *Exod.* 12.

Ab. Ezra in *Exod.* 12.

III. Paſchalis Agnus toſtus apponebatur; femora, viſcera, ut cor, jecur, &c. à quibuſdam putantur corpori immiſſa unà cum eo toſta fuiſſe: ſed alii aliquâ ratione corpori annexa fuiſſe exiſtimant, adeò ut extra eum torrerentur.

Peſach. ubi ſuprà.

IV. Præter tres haſce patinas panis, carnis & oxybaphi, à Lege diſertè præſcriptas, quoſdam alios cibos apponi ſibi curabant, priuſquàm inciperent Paſchalem Agnum comedere, ut ad ſatietatem uſque ederent. Putabatur enim eſſe *præceptum, ut quiſque ex Paſchate comederet ad ſatietatem; ideòque ſi quis pacificas oblationes decimâ quartâ die obtuliſſet, ex iis primùm comedebat, & poſteà comedebat carnem Paſchatis, ut eâ ſe ſatiaret. Tùm ſi non ampliùs comediſſet quàm quanta eſt oliva, officio ſuo functus erat.* Hæ *decima quarta diei oblationes pacificæ* ita vocantur, ut diſtinguantur à pacificis *Hagigæ*, vel hilaritatis feſti; ad haſce enim oblationes Lege tenebantur, & ordinariè debebant offerri poſt comeſtionem Paſchatis: illæ verò erant gratiarum actionis & votorum cauſâ, aut oblationes ſpontaneæ, quas in hoc tempus offerre differebant, ut poſtquàm Altare & Sacerdotes quod ſuum erat acceperant, aliquid haberent quo convivium Paſchale inchoarent. Itaque hîc erat diſcus unus præter eos qui à Lege fuerant præſcripti. *Thalmudici* duas alias memorant patinas, quæ ſi Templo ſtante adhibebantur, videntur fuiſſe loco oblationum pacificarum in iis ſocietatibus à quibus nullæ oblatæ fuerant. Vocabant has patinas שני תבשילין, *duas elixas dapes*. *Miſhnah* in eo Capite Tractatûs *Peſachin* toties laudati, habet: *Apponebant ipſi panem azymum, amaras herbas, charoſeth & cibos elixos in duabus patinis;*

Maymon. in *Corban. Peſach.* Per. 8.

tinis; nec diſtinguit harum tempus ab aliarum tempore quas ſimul memorat, licèt diſtinctum eſſet ſine dubio iis temporibus de quibus loquimur. In *Gemara* hanc in rem ſunt hæc verba: *Eſt præceptum apponere ipſi herbas amaras, azymum, & duos cibos elixos. At hi duo cibi elixi quinam erant? R. Hona dicit, Juſculum & oryſa. Ezechias dicit, Piſces & ova. R. Joſeph dicit, Duo genera carnis requirebantur, unum in memoriam Paſchatis, alterum in memoriam Hagiga.* Cum hoc poſtremo conſentit *Maymonides*, nam utitur iiſdem verbis; ſed addit, בזמן הזה, *Hoc tempore menſa imponebant duo genera carnis*, &c. quibus verbis innuit dubium eſſe an hæc conſuetudo Templo ſtante obtineret, an verò poſteà invecta fuerit. Rem anxiè non inveſtigabo. *Thalmudici*, quantùm video, & Legis periti putant eam Templo ſtante obtinuiſſe; nec videtur *Maymonides* verbis allatis tam ſignificare poſt excidium Templi hanc conſuetudinem invectam fuiſſe, quàm tunc temporis libenter alias patinas non appoſuiſſe Judæos. Nam dum ſtetit Templum, pacificæ oblationes erant in uſu, & adhibebantur in Paſchali cœna, duo verò cibi elixi tum apponebantur cùm prorſùs carebant pacificarum victimarum carne, quod rarum erat. Sed poſteà ubi nullæ ampliùs fuerunt oblationes, coacti fuerunt duas haſce patinas adjicere. Lector ipſum adeat in *Hhamets*, &c. Per. 8. neque enim res eſt tanti, ut multùm interſit quæ verior videatur ſententia.

Aruch in חרוסת. *Maymon. Corb. Peſach.* Per. 8. *Haggadah Shel. Peſach.*

V. Habebant etiam patinam cujus craſſum erat condimentum, quam vocabant חרוסת, *Charoſeth*, plenam dulcibus & amaris cibis, ut *dactylis*, *ficubus*, *uvis*, *aceto*, &c. in memoriam argillæ quæ eorum Patres in *Ægypto* occupaverat. *Utebantur Charoſeth*, ajunt *Thalmudici*, *quamvis præceptum non eſſet. R. Eliezer ex R. Zadoko ait, Eſt præceptum. Præceptum! quare? R. Jochanan dicit, Eſt in memoriam argillæ, ideòque miſcent varia genera dulcium & amararum rerum cum aceto, ut argilla ex omni rerum genere mixta erat.* Patina in quam *Chriſtus* immiſit fruſtum quod *Juda* porrexit, à multis creditur fuiſſe hoc condimentum *Charoſeth*: quod admitti facilè poſſet, ſi probatum fuiſſet eam cœnam Paſchalem fuiſſe; quod affirmatum quidem eſt, ſed nunquam probatum.

Maym. in *Hhamets*, ubi ſuprà.

VI. Menſâ inſtructâ, Recitator *Haggadæ* aliquantulum ex herbarum oxybapho ſumebat, & poſtquàm benedixerat Deo propter creationem fructuum ſoli, in aliquam patinam (quæ fuerit non conſtat) id immittebat & ad minimùm olivæ magnitudinem comedebat; quod faciebant & reliqui convivæ. Hæc autem immerſio & comeſtio herbarum non cenſebatur illa comeſtio herbarum amararum quam Lex præcipit, ideòque tantùm adhibebatur hic ritus ut pueri mirarentur extraordinarium hoc convivii initium, & excitarentur ad quærendum unde ortum duceret. Utque admiratione magis percellerentur convivæ, vix hoc oxybaphum deguſtaverant, cùm omnes patinæ ſtatim amovebantur à Recitatore, & ſecundus calix vino plenus ipſi offerebatur. Hic pueri rituum rationem inquirere incipiebant; vel ſi non eſſent liberi, uxor percunctabatur: ſed nemine interrogante, ſponte ita ordiebatur: *Quàm hæc nox differt ab aliis omnibus noctibus! Nam aliis omnibus fermentatum & azymum panem ex æquo comedimus; hac verò tantùm azymum. Omnibus aliis comedimus quaſlibet herbas, hac verò herbas amaras: Aliis omnibus comedimus carnem aut toſtam, aut in operta olla coctam, aut elixam; hac verò tantùm toſtam. Omnibus aliis ſemel tantùm manus lavamus; hac verò bis. Omnibus aliis edimus aut ſedentes, aut jacentes, prout videtur; hac verò jacentes ſedemus.* Tunc juxta ætatem pueri eum alloquebatur. Si eſſet valdè juvenis, nec poſſet res paulò difficiliores intelligere, ei dicebat: *Eramus omnes ſervi ut hæc ancilla vel ſervus qui adſtat; ſed hâc nocte Deus nos redemit & in libertatem aſſeruit.* Sed grandiori puero, & reliquis convivis narraviſſet omnia miracula in *Ægypto* facta, & rationem liberationis, & omnia Dei in Gentem beneficia, ut paucis docent *Thalmudici*: מתחיל בענות ומסיים בשבח ודורש מארמי אובד אבו עד כל הפרשה כלה, *Incipiebat ab eorum calamitatibus, & exponebat ab eo loco*, Syrus periturus erat Pater meus, *uſque ad finem Sectionis*; hoc eſt, juxta Scholia, ab Idololatria *Terah*, & tempore quo Patres eorum erant trans flumen; deinde narrabat eorum ſervitutem in *Ægypto*, miracula in eorum liberationem facta, Legis lationem à Deo, & conſecrationem *Iſraëlis* in populum Dei; præſertim immorabatur *Deuter.* 26: 5, 6. locumque fuſiùs diducebat, & qui prolixior erat majorem laudem accipiebat.

Gloſſ. ibid.

Peſach. ubi ſuprà.

Tum patinæ quæ ab eo remotæ fuerant, iterùm apponebantur, & dicebat: *Hoc eſt Paſcha quod edimus, quia Dominus tranſiit ſupra domos Patrum noſtrorum in Ægypto.* Et manu herbas amaras attollens: *Hæ ſunt*, inquiebat, *amaræ herbæ quas comedimus, ut recordemur Ægyptios vitas Patrum noſtrorum in Ægypto amaras feciſſe.* Et manu ſimiliter.

ibid.

[illegible]iter azymum tollens : *Hic eſt azymus panis*, inquiebat, *quem comedimus, quia maſſa Patrum noſtrorum non habuit tempus fermentandi, antequàm Dominus ſeipſum revelaret, & nos redimeret à manu Ægyptiorum. Ideòque tenemur ei gratias agere, eum glorificare, laudare, extollere, honorare, magnificare qui fecit propter Patres noſtros & propter nos omnia hæc miracula, qui nos à ſervitute ad libertatem, à triſtitia ad hilaritatem, à luctu ad feſtum, à tenebris ad magnam lucem, ab afflictione ad redemptionem tranſtulit. Ideòque nos oportet ei dicere Hallelujah, Laudate Dominum, laudate ſervi Domini, laudate nomen Domini*, &c. Inde recitabat 113. & 114. Pſalmos, & hac oratione claudebat recitationem : *Benedictus eſto, ô Domine Deus noſter, Rex æterne, qui redemiſti nos & redemiſti Patres noſtros ex Ægypto, & deduxiſti nos ad hanc noctem ad edendum azymum panem & amaras herbas.* Tunc ille & tota ſocietas ſecundum vini poculum bibebant.

Maymon. ubi ſuprà. VII. Hoc peracto, iterùm manus abluebat, recitatâ brevi illâ oratione de qua anteà. Deinde capiebat duas azymas placentas, alteramque in duo fruſta fractam integræ imponebat, additis gratiarum actionibus ad Deum *qui educit panem ex terra.* Non ἐυλογήσας ἔκλασε, gratiis actis frangebat; (juxta ordinem quem *Chriſtus* obſervat *Matth.* 26: 26. *Marc.* 14: 22. *Luc.* 22: 19. 1 *Corinth.* 11: 24. tùm enim *Chriſtus* ulteriùs in cœna proceſſerat quàm jam proceſſimus) ſed κλάσας ἐυλόγησε, poſt fractionem gratias agebat. Neque enim poterat juxta Judæorum Traditionem integris, ſed tantùm fractis placentis gratias agere; cujus rei hanc rationem reddunt, quòd eſſet panis paupertatis & afflictionis; pauperes autem non habeant integrum panem ad gratias agendas, ſed ſatis habent eas agere ſuper fragmentis. Hinc originem ducere videtur phraſis *Panem frangere.*

Hîc non proſequar diſputationem quæ eſt inter Hebræos Scriptores de numero harum placentarum, an eſſent duæ vel tres: quidam enim ſtant pro uno ex hiſce numeris, alii pro altero. Crediderim utramque ſententiam eſſe veram, modò de variis temporibus ſtatuantur: nam ante Templi excidium, de qua ætate jam agimus, duæ tantùm erant in uſu, ut poteſt ex optimis ævi monumentis colligi; ſed poſterioribus temporibus, ſeu reſpicerent triplicem Gentis diviſionem, in Sacerdotes, Levitas & Laïcos, ſeu tres placentas quas captivus liberatus propter libertatem ſuam offerre tenebatur, *Iſraël* autem Paſchate ex ſervitute liberatus fuerat.

Vide *Maymon.* ubi ſuprà. Vide *Buxtorf. Lex. Thalm.* in אפיקמן. *Gloſſ.* in *Maym.* loc. citat.

Majoris eſt momenti breviter inquirere quid vocarent אפיקומן, *Aphicomen*: circa quam vocem duas contrarias ſententias ab Hebræis defendi credi poſſit. *Mishnah* Thalmudica hanc habet Traditionem : אין מפטירין אחר הפסח אפיקומן, *Non dimittebant ſocietatem poſt Paſcha cum Aphicomen.* Attamen pervulgatum eſt inter eos dictum: אחרת פורס לשנים ושאר חצירה לאפיקומן, *Frangebat unam placentarum in duo fruſta, & dimidiam relinquebat ad Aphicomen.* Verùm hæc ἐναντιοφανεία inter duo hæc Axiomata conciliabitur, ſi referantur ad diverſa tempora, quemadmodum anteà ad numerum placentarum quod attinet fecimus. Vox *Aphicomen* in eorum dialecto ſignificat ultimam patinam quæ ipſis in conviviis apponebatur refertam nucibus, pomis aliiſque bellariis quibus claudebant cœnas ſuas cùm videbatur; ſed talibus non utebantur in cœna Paſchali: cujus rei ratio erat, quia ultimum cibum ſibi eſſe volebant Paſchalis Agni carnem, quâ tanquam præcipuo cibo convivium clauderent. *Poſtremò*, ait *Maymonides*, *edebat carnem Paſchalis Agni ad minimùm magnitudine olivæ, & poſteà nullum prorſus deguſtabat cibum. Sed nunc edit ex pane azymo ad magnitudinem olivæ, & nihil poſteà deguſtat*: hoc eſt, dum Templum ſtabat & habebant Paſchales Agnos quos comederent, hic erat ultimus cibus quem deguſtabant; ſed poſterioribus temporibus, cùm non uterentur Agnis, claudebant convivium azymo pane loco Agni, & poſteà nihil poterant edere. Idem in ſequentibus confirmat hiſce verbis. *Eſt ex verbis Scribarùm, quòd nihil edunt poſt azymum, nec cruſtula, nec nuces, nec quicquam ſimile; ſed ſi comedant azymum panem, & poſteà alios cibos, aut fructus, eos oportet redire & comedere azymum poſtremum ad magnitudinem olivæ, atque ita claudunt cœnam.*

Peſach. Per. 10. Halac. 8. *Gloſſ.* in *Maymon.* ubi ſuprà.

Cùm omnium poſtremus azymus panis comedebatur, fractæ in duas partes placentæ pars aſſervanda cuipiam ex ſocietate tradebatur πρὸς τὸ *Aphicomen*, ſeu ultimum fruſtum : ונותנה תחת המפה, *& eam mantili ſupponebat.* Sed & altera dimidia pars, & (ſi illa ſatis non eſſet) altera etiam placenta aſſervabatur. Si verò non aſſervarent τὸ *Aphicomen*, Præſes convivii, ſeu *Haggadæ Recitator*, fruſtum ſumebat, idque involvebat herbis amaris, & in craſſum condimentum immittebat, ac gratias agens, *Benedictus eſto*, inquiebat, *tu, ô Domine Deus noſter, Rex æterne, qui ſanctificaſti nos præceptis tuis, & præcepiſti nobis comeſtionem azymi*

Maym. ubi antè.

Digitized by Google

azymi panis: quibus dictis edebat, ut & reliqui convivæ. Eſt aliqua diſceptatio inter Traditionis Magiſtros, utrùm panis & herbæ deberent ſeparatim comedi, an verò ſimul convoluta; & memorant quidem aliquem hac de re diſſenſum inter *Hillelem*, ejuſque ſequaces: ſed controverſiæ diremtio nullius eſt momenti. Si ea ſeparatim edebant, ſeparatim gratiæ agebantur; ſi ſimul, gratiarum actiones memoratæ ſufficiebant.

Id. ibid. VIII. Poſteà veniebant ad comeſtionem carnis, cùm eò uſque nihil comediſſent præter panem & herbas. Primùm Præſes convivii gratias agebat: *Benedictus eſto tu, ô Domine Deus noſter, Rex æterne, qui ſanctificaſti nos tuo præcepto, & præcepiſti nobis comedere ſacrificium.* Hac recitata oratiunculâ, comedebant decimæ quartæ diei *Hagigam*, aut pacifica quæ eâ die obtulerant, & hiſce quidem conſtabat præcipua pars convivii. Deinde iterùm gratiæ agebantur: *Benedictus eſto tu, ô Domine Deus noſter, Rex æterne, qui ſanctificaſti nos tuo præcepto, & præcepiſti nobis comeſtionem Paſchatis.* Tùm comedebant carnem Paſchalis Agni, unuſquiſque ad minimùm magnitudinem olivæ: quo peracto, Præſes iterùm manus abluebat, & gratias, quaſi pòſt cœnam, agebat ſuper tertio calice quem hauriebant hoc tempore. Atque hoc in momento contigit prima actio *Chriſti*, de qua mentio fit poſtremo ejus Paſchate. *Matthæus* & *Marcus* quidem meminerunt ejus verborum dum ederent: *Unus veſtrûm prodet me*, &c. *Imò unus ex duodecim qui mecum manum in diſcum immittit*, &c. *Matth.* 26: 21. ad 25. *Marc.* 14: 18. ad 21. (hoc omninò videtur factum eo tempore quo azymum & amaras herbas immiſerunt in craſſum condimentum *Charoſeth*) Et *Lucas* refert etiam hæc verba, *Deſiderio deſideravi comedere hoc Paſcha vobiſcum*, &c. *Luc.* 22: 15, 16. ſed prima ejus peculiaris actio cujus mentio fiat, eſt quæ habetur *Luc.* 22: 17. Hic erat tertius calix Cœnæ; ſed eſt prætereà alius cujus mentio poſteà in eadem hiſtoria occurrit.

Traditiones Judæorum quod hoc in tempore in convivio fiebat ſic exprimunt: ואחר נוטל ידיו ומברך ברכת המזון על *Id. ibid.* כוס שלישי ושותהו, *Et poſteà* (cùm comederat carnem Agni Paſchalis) *abluebat manus ſuas*, & *recitabat benedictionem cibi* (ſeu quaſi poſt cœnam gratias habebat) *ſuper tertio calice, & hunc exhauriebat*; vel breviùs: מזגו לו כוס שלישי ומברך על מזונו, *Miſcebant ei tertium calicem, & gratias agebat ſuper eo.*

Hic porrò calix vocabatur ab iis *Calix benedictionis*, ut apparet hiſce aliiſque loquutionibus quæ in Traditionum Magiſtris ſæpè occurrunt: *Multi ex noſtris eruditis* גאונים *putant unumquemque horum quatuor calicum requiſiviſſe peculiarem benedictionem vel gratiarum actionem: ſed quidam alii putant benedictionem tantùm neceſſariò adhibendam fuiſſe in primo calice, & Calice benedictionis.* Gloſſ. in Maym. ubi ſupr. Ita habet *Scholiaſtes* in *Maymonidis* Tractatum ſæpiùs laudatum in hac Paſchalium rituum deſcriptione, in initium Cap. 8. Sub finem Scholiorum in idem Caput afferuntur verba eruditi cujuſpiam, quibus juvamur ad intelligendum quinam ex quatuor calicibus eſſet *Calix benedictionis*. Ejus hæc ſunt verba: אסור למיכל מידעים אחר מצה ולא למשתי לבי כסא דברכה וכסא דהלילה, *Interdictum eſt quicquam comedere poſt panem azymum*, (nempè iis temporibus quibus nulli ampliùs Agni comedebantur) *ſed non bibere ullum poculum præter poculum benedictionis, & poculum Hallel*: quæ verba paulò clariùs explicat hiſce haud multò pòſt ſequentibus: *Ibid.* שתי ב׳ כוסות של יין אחר המצה כסא דברכת המזון וכסא דהלילה, *Bibit duos calices poſt azymum panem, calicem benedictionis poſt cibum, & calicem Hallel, & tertium calicem, ſi velit, magni Hallel.* R. Alphes: כמה מעלות טובות כוס הברכה, *Variæ eximiæ prærogativæ in Calice benedictionis.* R. Alphes in Peſach. R. Mordecai: כוס הברכה צריך שיעור, *Calix benedictionis neceſſariò habet menſuram ſuam.* R. Mordecai in Peſach. Perek. 10.

Ratio propter quam tertius calix nomine *Calicis benedictionis*, potiùs quàm cæteri, inſigniebatur, eſt partim quia erat ברכת המזון, *Benedictio*, vel *gratiarum actio poſt cibum*, quaſi claudens convivium; at præſertim ut diſtingueretur à primo calice, nam ſuper utroque peculiares gratiarum actiones recitabantur. Magna eſt diſputatio inter Thalmudicos Doctores, utrùm ſuper quatuor calicibus ex æquo recitaretur gratiarum actio; quæ tamen tandem eò redit, ut maxima pars ſuffragiorum conſtituat, *gratias peculiariter actas ſuper primo calice, & ſuper Calice benedictionis, ſuper primo calice & tertio*, ut alibi vocatur. Piſk. Peſach. fol. 137. Vide & *Gemaram* in Caput multoties laudatum, ubi ſæpiùs fit mentio hujus calicis in Parabola quæ ibi habetur. Ibid. fol. 138.

Apoſtolus utitur hac phraſi, *Calix benedictionis*, de calice Cœnæ Dominicæ

verba faciens, 1 *Cor.* 10: 16. ubi non tantùm alludit ad conſuetudinem & loquutionem de qua jam nobis ſermo eſt; ſed etiam ex eo quod dicit in hoc & ſequenti Capite, videntur Chriſtiani judaizantes in Eccleſia *Corinthia* Paſchalem hunc ritum valdè inſequuti fuiſſe cùm Sacramentum acciperent; ut quòd anteà cœnarent, & tantùm vini biberent, ut quidam ebrii eſſent, 1 *Cor.* 11: 21, 22. Atque in convivii fine habebant panem & vinum Cœnæ Dominicæ, ut in Paſchali convivio habebant panem azymum, & Calicem benedictionis.

Quemadmodum Apoſtolus ad eorum conſuetudinem & loquendi modum ibi alludit; ita etiam Servator noſter convenienter eorum praxi loquitur, cùm ſumpto tertio hoc calice, ſeu *Calice benedictionis*, jubet Apoſtolos cum *inter ſe diſtribuere.* Nam quatuor calices qui hauriebantur in Paſchali cœna ebibebantur à viris, fœminis, pueris omnibus ex æquo. *Rabbini noſtri*, ajunt *Gemariſtæ*, *tradunt quatuor hoſce calices debere continere quartam partem menſuræ Hin, pariter viris, mulieribus & pueris.* Et quoniam modò diximus in Eccleſia *Corinthia* quoſdam ebrios fuiſſe antequàm Sacramentum acciperent, unum atque alterum locum Thalmudicum obſervemus qui lucem aliquam huic rei fœnerari poſſunt, licèt contraria primo adſpectu continere videantur. Habent Traditionem hiſce verbis conceptam: בין כוסות הללו אם רוצה לשתות ישתה. *Si quis velit bibere inter hoſce calices, poteſt, modò non bibat inter tertium & quartum. Hieroſolymitana Gemara* diſceptans quare id liceat inter primum & ſecundum, vel ſecundum & tertium, non verò inter tertium & quartum; quæſtionem hac ratione ſolvit, nimirùm factum id fuiſſe *ne inebriarentur.* Sed indè iterùm validiſſima naſcitur objectio, quomodò hoc inebriationem impedire poſſet? Huic miſerum hoc reponunt reſponſum, *Quia vinum inter edendum non inebriat hominem, ſed tantùm poſt convivium.* Niſi Religio obſtitiſſet ne experimentum hujus Axiomatis capere vellent, non dubitarem quin multi ebrii fuiſſent in Paſchalibus cœnis, ubi calices erant exhauriendi, æquè ac in Euchariſtica Cœna Eccleſiæ *Corinthiæ.* Et cautio quidem quam iidem Traditionis Magiſtri afferunt paulò pòſt, rem valdè ſuſpectam reddit: *An aliquis dormit in Paſchali convivio, & iterum expergiſcitur? Experrectus non poterat iterùm edere. An plures ex ſocietate dormiunt? Poſſunt iterùm edere experrecti. An omnes dormiunt? Non poſſunt edere. R. Joſe dicit, Si tantùm capite nutent aut dormitent, poſſunt excitati comedere; ſed ſi in ſomnum prorsùs ſoluti fuerint, non poſſunt.*

Peſach. ubi ſupr. in *Gemara.*

Thalm. Hieroſ. ibid. in *Gemara.*

I X. Jam devenimus ad quartum calicem qui vocabatur כסא דהלילה, *Calix τῦ Hallel*: גומר עליו את ההלל ואומר עליו ברכת השיר, *nam finiebat Hallel ad eum, & tùm dicebat benedictionem Cantici.* Inceperat τὸ *Hallel* Convivii Præſes ad ſecundum calicem, nam abſolvebat *Haggadam*, ſeu liberationis narrationem, recitatione 113. & 114. Pſalmorum. Confer 1 *Cor.* 11: 26. Nunc incipiebat recitationem Pſalmorum 115. ad 118. hos enim ſex Pſalmos complectebatur τὸ *Hallel*, ut modò obſervatum eſt.

Peſach. ubi ſuprà in *Miſhna.*

Benedictio Cantici erat Oratio ſeu Benedictio quam recitabant poſtquàm τὸ *Hallel* abſolutum fuerat, de qua eſt aliqua diſputatio inter *R. Judam* & *R. Jochanan* in *Gemara*, altero contendente eam fuiſſe quandam Orationem cujus nomen edit, altero aliam. Sed *Scholiaſtæ* in hunc locum docent eos non tam contendere de ipſis precibus, quàm de earum ordine, ſeu utra prior recitaretur. Ipſi has fuiſſe contendunt, & hoc ordine recitatas.

Ibid. in *Gemara.*

O Domine Deus noſter, omnia opera laudent te, & Sancti tui, & juſti qui faciunt voluntatem tuam, & populus tuus Domus Iſraël, omnes cum clamore. Laudent te, benedicant, magnificent & glorificent & canant nomen gloriæ tuæ cum honore & celebratione, ad memoriam Regni tui; nam bonum eſt laudare te, amabile eſt canere Nomini tuo. E ſeculo in ſeculum Deus es. Benedictus eſto tu, ô Domine Rex, qui debes extolli laudibus. Amen.

Hæc denique erat clauſula: *Animæ omnium viventium benedicant Nomini tuo, ô Domine Deus noſter; & ſpiritus omnis carnis glorificet & extollat memoriam tuam. Nam in ſeculum tu es Deus, & præter te non habemus Regem, Redemptorem, aut Servatorem*, &c.

Hic ordinariè finis erat totius convivii. (vide *Matth.* 26: 29.) Attamen habent Judæi Traditionem, ſi velint poſſe bibi quintum calicem, eâ lege ut ſuper eo magnum *Hallel* recitetur. Sed quid erat *magnum Hallel? R. Juda* dicit, *A verbis, Confitemini Domino*, &c. *ad hæc, Super flumina Babylonis*, &c. hoc eſt, *Pſalm.* 136. *R. Jochanan* dicit, *A Cantico graduum ad verba hæc, Super flumina Babylonis;*

Ibid.

nis; hoc eſt, à *Pſalm*. 120. ad 137. *R. Ahabar Jacob* dicit, *A verbis*, *Nam Dominus elegit ſibi Jacob*, Pſalm. 135: 4. ad *Super flumina Babylonis*, &c. Pſalm. 137: 1. Ita diſputant in *Gemara* in Tract. *Peſachin*: & in Tract. *Erachin* videntur ulteriùs procedere, & addere huic Cantico Pſalmum 105. adeòque, ut eruditiſſimus *Buxtorfius* obſervavit, aliquando longius, aliquando brevius id faciunt.

Jam ut in pauca verba ritûs hujus deſcriptionem contrahamus, ſedebant quaſi jacentes, incipiebant bibere calicem vini, quo ſanctificabant diem; abluebant manus: menſa inſtruebatur; primò oxybaphum aliquod comedebant; porrigebatur ſecundus calix, ſuper quo recitabatur *Haggadah*, & *Pſalm*. 113. & 114. deinde calicem ebibebant. Iterùm abluebant manus; azymus panis frangebatur & benedicebatur: quidam comedebant herbas amaras cum ſalſo condimento; deinde edebant carnem pacificarum victimarum, & carnem Agni. Poſteà abluebant manus, accipiebantque tertium calicem vini, ſeu Calicem benedictionis, ſuper quo gratias (quaſi poſt cœnam) agebant, quibus actis eum ebibebant. Denique quartum accipiebant vini calicem, ſuper quo recitabant τῦ *Hallel*, quod ſequebatur una aut altera oratiuncula; ac ſic peractus erat ritus.

Hæ ſunt cæremoniæ ſolennis iſtius Cœnæ, quas ſi lector conferat cum actione Servatoris noſtri in ultimo Paſchate, facilè videbit primùm occurrere mentionem tertii calicis ſeu *Calicis benedictionis*, quem jubet Diſcipulos inter ſe dividere. Deinde aliquantulum azymi panis ſumit, gratiis actis eum frangit, & dat comedendum inſtar ſui corporis ab eo tempore, eodem ſenſu ac Paſchalis Agni caro quam modò comederant, eo uſque corpus ejus fuerat. Et qui ordinariè vocabatur *Calix τῦ Hallel*, hunc ſumit & jubet eſſe calicem Novi Teſtamenti in ſuo ſanguine; canit cum Diſcipulis *Hymnum*, ſeu *Hallel*, & hoc decantato abit in Montem *Oliveti*.

CAPUT XIV.

SECTIO I. *De ſolennitate & ritibus primæ diei in hebdomade Paſchali. De Hagigah & Pacificis Sacrificiis hilaritatis.*

DIes proximè ſequens Paſchalem feſta erat, & ſine opere ſervili inſtar Sabbati tranſigebatur, & vocabatur etiam Sabbatum, *Levit*. 23: 6, 7, 15. Eâ omnes maſculi ſe ſiſtere debebant in Atrio Templi, & ſecum Holocautoma offerre pro illa comparitione, duplicem verò victimam pacificam, alteram in ſolennitatem, alteram in temporis hilaritatem. Oblatio pro comparitione vocabatur *Corban Raajah*, quam debitam fuiſſe colligunt ex verbis *Exod*. 23: 15. quæ tamen ſi negligeretur à quopiam, id conſcientiæ ejus permittebatur, nec ulla pœna ipſi infligebatur; quia licèt violaſſet præceptum negativum, attamen nihil propriè commiſerat, ſed omiſerat tantùm quod ſui officii erat.

Thalm. in *Hagigah*, Perek. 1. *Maym.* in *Hagigah*, Perek. 1.

Pacificæ oblationes in ſolennitatem vocabantur *Hagiga*, & debebant eſſe ex pecudibus, juvencis aut ovibus. Ideò 2 *Paral*. 30: 24. & 35: 7, 8. mentio fit *juvencorum & boum ad Paſcha*; & *Deuter*. 16: 2. extat præceptum *de immolando Paſchate de ovibus & de bobus*: quod non poteſt intelligi de eo quod erat comedendum decima quartâ die, nam diſertè dicitur debere eligi ex agnis, vel hœdis, *Exod*. 12: 5. ſed debet explicari de iis pacificis oblationibus offerendis propter temporis ſolennitatem. Atque hoc eſt quod *Joannes* Euangeliſta vocat *Paſcha*, Cap. 18: 28. comederant enim Paſchalem Agnum nocte præcedente.

Exiſtimabant ſe Lege teneri tum apparere tribus ſolennibus feſtivitatibus, & ſolvere oblationes tunc debitas, tum etiam hilariter ſe gerere & conviviis ſe invicem excipere, propter id quod dicitur, *Lætaberis coram Domino*, &c. *Deuter*. 16: 11, 14. &c. Ideòque utebantur vino in Paſchali cœna, uti anteà obſervatum eſt, & offerebant alias oblationes pacificas præter *Hagigam* in ſolennitate Paſchatis, & vocabant eas שלמי שמחה, *Pacificas Oblationes lætitiæ*. Et oblatione quidem duorum horum generum pacificarum oblationum videntur exiſtimaſſe ſe ſimul ſolvere oblationem pro comparitione debitam; hiſce enim oblatis non poterant cenſeri vacui coram Domino comparuiſſe. Ita *Levi Gerſhom* interpretatur locum de *Elkana*, *veniſſe eum quotannis ab urbe ſua Siluntem ad ſacrificandum Domino*, de ejuſmodi pacificis victimis.

R. Lev. Gerſhom in 1. *Sam.* 1.

Tempus oblationis harum victimarum proprium exiſtimabant primam diem feſti, & conabantur eâ expediri ut citiùs domum redire poſſent; attamen perindè habebatur quacunque die offerretur.

Primâ hac die feſti, cùm deberent eſſe occupati ſuâ comparitione, & oblatione

 horum

Digitized by Google

horum ſacrificiorum ad feſtum celebrandum & teſtificationem lætitiæ dandam, oſtenderunt ultimo Domini Paſchate ſe in aliis animum habuiſſe; hac enim die Dominum vitæ cruci affixerunt.

Circa hæc judicia, condemnationes & ſupplicia, quamvis aliquatenùs ſint à noſtro argumento remota, liceat mihi per lectorem duas aut tres eorum Traditiones afferre.

Maym. in *Sanhedr.* Per. 6. I. אין מתחילין את דינין בלילה, *Non poterant incipere ulla judicia eâ nocte, nec admittebant ullos teſtes eâ nocte; ſed judicia debebant interdiù duntaxat haberi.*

Thalm. in *Sanhedr.* Per. 1. II. *Judicium falſi Prophetæ pertinebat tantùm ad Magnum Synhedrium* 71. *virorum.* Hinc *Hieroſolymæ* blaſphemè accuſarunt Servatorem noſtrum quaſi Pſeudo-Prophetam, *Joann.* 18: 19. *Luc.* 23: 2. Atque huc referuntur Domini verba, *Luc.* 13: 33.

Ibid. Per. 1. III. *Non plectebant morte Seniorem qui peccaverat contra determinationem Magni Synhedrii, nec in Synhedrio quod erat in ejus urbe, nec in eo quod erat Jabneæ; ſed eum deferebant ad Magnum Synhedrium Hieroſolymitanum, & ſervabant eum uſque ad feſtum proximum, quo eum plectebant; juxta id quod dicitur, Ut omnis populus videat & timeat,* &c.

SECTIO II. *Secunda dies Paſchalis hebdomadis. Collectio & oblatio τοῦ Homer Primitiarum.*

Prima & ultima dies hujus feſtæ hebdomadis vocabantur ימים טובים, *Bona Dies*, nec earum obſervatio multùm differebat ab obſervatione Sabbati. Vide *Levit.* 23: 7, 8. &c. Medii dies vocabantur מועד קטן, *Moed Katon*, ſeu *Minor Solennitas*; in quibus licèt tam arcta abſtinentia ab omni opere non obſervaretur, ac *diebus bonis*, attamen inter eos & reliquos dies ordinarios aliquod conſtituebatur diſcrimen, & varia Traditiones illicita faciebant quæ aliàs licita erant. Ad Miniſterium quidem Templi quod attinet, ordinariè plus erat operis faciendum & plura ſacrificia offerenda, quàm ordinariis diebus, propter pacificas oblationes debitas, aut ad id tempus reſervatas, quæ non poterant omnes aliis diebus expediri, ſed maximam partem hiſce diebus offerebantur, adeò ut Sacerdotes majorem tùm haberent circa Altare occupationem.

Thalm. in *Moed Katon*, Per. 1. &c.

Hac die de qua jam nobis ſermo eſt, ſecundâ nempè Paſchalis hebdomadis, quantacunque eſſet oblationum copia, nunquam omittebatur oblatio & agitatio manipuli Primitiarum coram Domino. Lex hujus rei extat *Levit.* 23: 10, 11. *Cùm ingreſſi fueritis terram quam ego dabo vobis, & meſſueritis ſegetem, feretis manipulos ſpicarum primitias meſſis veſtræ ad Sacerdotem, qui elevabit faſciculum coram Domino, ut acceptabilis ſit pro vobis alterâ die Sabbati, & ſanctificabit illud.* Ubi per vocem *Sabbati* non eſt intelligendum Sabbatum propriè dictum, ſed primam diem Paſchalis hebdomadis, de qua diximus, quæ adeò ſolennis erat ac feſta. Ita *Paraphraſtes Chaldæus* & varii alii Judæi interpretantur.

Ritus circa collectionem & oblationem Primitiarum Manipuli fuſè deſcribitur in *Thoſaphta ad Menachoth: R. Iſmaël dicit, Homer vel Manipulus primitiarum, ſi incideret in diem Sabbati,* (propriè nempè ſic dictam, ut contigit eâ die quâ Dominus noſter in ſepulcro remanſit) *veniebat in tribus Seah: ſed ſi in aliam diem, in quinque. At Sapientes dicunt, Seu Sabbato, ſeu aliâ die, perindè erat, veniebat in tribus Seah. Aba Saul dicit, Sabbati die colligebatur ab uno viro, & unâ falce, atque in uno cophino: ſed aliâ die metebatur à tribus viris in tribus cophinis, & tribus falcibus. Primitiarum Manipulus veniebat ex Valle Cinerum ad torrentem Cedron,* &c. *Cùm dies ejus agitationis incidebat in Sabbatum, diſpenſatio Sabbati dabatur ad eum metendum. At quomodò hoc fiebat? Quos Synhedrium eam in rem miſerat, ii exibant ſub veſperam feſti,* (primæ diei Paſchalis hebdomadis) *capiebant cophinos & falces,* &c. *Exibant die feſtâ cùm tenebreſcere inciperet, & multi unà cum iis exibant. Cùm nox planè advenerat, unus iis dicebat, Hoc Sabbato, hoc Sabbato, hoc Sabbato; in hoc Cophino, in hoc Cophino, in hoc Cophino. R. Eliezer filius Zadock dicit, Hac Falce, hac Falce, hac Falce. Unumquodque ter repetebatur. Et reſpondebant ipſi, Rectè, Rectè, Rectè, metam; & tùm jubebat eos metere. Et quare ſic faciebant? Propter Baithuſæos,* (Sadducæos) *qui dicebant collectionem Manipuli primitiarum non eſſe in fine feſtæ diei. Eum metebant, & injectum in cophinum ferebant in Atrium, & agebant per ignem, ut obſervarent præceptum farris toſti. Verba R. Meir: Sed Sapientes dicunt id non ita intelligendum eſſe, ſed fuiſſe vas concavum plenum foraminibus, ita ut ignis poſſet id penetrare in Atrio, & ventus in hoc flabat;* (in quo ponebant ſtatim triticum, ut exſiccatum poſſet molâ conteri) *& ponebant triticum in mola, ut decimam partem indè educerent,* &c. *Aliquis ſumebat decimam partem, & infundebat in eam oleum & thus, & miſcebat atque agitabat ea, & ſumptum Manipulum imponebat Altari; & reliqua erant Sacerdotis ad ea comedenda.*

Thoſapht. ad *Menachoth*, Per. 10.

medenda. Statim ac Homer oblatum erat, exibant & inveniebant plateas Hieroſolymæ plenas farinâ & toſto tritico: quod non erat ex mente Sapientum. Verba R. Meïr: Sed ſapientes dicunt fuiſſe hoc ex mente Sapientum; nam ſtatim ac Homer oblatum erat, novum far licitum erat.

Sectio IV. *Feſtum Pentecoſtes.* עצרת.

Ab hac die & cæremonia, oblatione nempè τῶ *Homer* Primitiarum, incipiebant numerare ſeptem hebdomadas Pentecoſtes. Hæc dies prima numerabatur, & proxime ſequens ſeptem hebdomadas completas, quæ quinquageſima erat, erat Pentecoſte, ut ipſum nomen docet. Initium numerabatur ab oblatione Primitiarum tritici, quia huic feſto intercedebat aliqua relatio cum altero. Oblatio primi Manipuli meſſem veluti auſpicabatur; feſto verò Pentecoſtes abſolutâ meſſe gratias Deo agebant novis oblationibus: illâ ipſis licitum fiebat falcem in ſegetes immittere; in hac verò oblationes offerebant ex farre collecto & in horrea conjecto. Ideòque hæc ſolennitas aliquando vocatur in Scriptura *Feſtum Meſſis*, Exod. 23: 16. aliquando *Feſtum Hebdomadum*, Deuter. 16: 10. propter numerationem ſeptem hebdomadum à Paſchate ad hoc feſtum; aliquando *Pentecoſte*, quia erat quinquageſima dies à Paſchate, *Actor.* 2: 1. ut etiam à Judæis vocatur יום חמשים, *quinquageſima dies.*

Maymon. in *Thalm.* Per. 8. *R. Solom.* in *Levit.* 23. *Abarban.* in *Levit.* 3.

Sed plerùmque in ſuis Scriptis hoc feſtum vocant עצרת, *Atſereth*, ut *Chaldæus Paraphraſtes*, Numer. 28: 26. licèt *Abarbanel* obſervet hoc ſolum feſtum in Scriptura non vocari *Atſereth.* Vox propriè ſignificat *interdictionem* ſive *prohibitionem*; & ab hac ſignificatione deſumpta eſt notio *feſti*, quippè quo interdictum eſt omne opus, 2 *Reg.* 10: 20. *Joel.* 1: 14. *Amoſ.* 5: 21. Verùm an hoc feſtum ita à Judæis κατ' ἐξοχὴν vocetur, quia eo tempore *detinebantur pluviæ*, cùm media eſſet meſſis tempeſtas; an quia *oblatio Primitiarum interdicta erat* ad id tempus; vel quia *feſta hilaritas meſſis adhuc coërcebatur*, nec adhuc plena erat; vel aliqua alia de cauſa, anxiè non diſquiram. Attamen quidam Rabbini nonnulla habent quæ videntur pro alterutra poſteriorum rationum facere. *Maymonides* enim refert, *nullas Primitias oblatas fuiſſe ante* עצרת *Pentecoſten, quia dicitur,* Feſto meſſis Primitiæ laborum tuorum. *Si quis afferret Primitias, eas non admittebant, ſed ſeponebant uſque ad Pentecoſten.* Baal Hatturim: *Nullus erat ſermo de Hilaritate in Paſchate, quia primi fructus erant adhuc in agro; ſed in* עצרת *ſeu Pentecoſte, cum triticum maturum erat, & vinum in racemis, mentio fit Hilaritatis*, Deuter. 16: 11. *ſed in feſto Tabernaculorum, cùm omnia in apothecas collecta eſſent, tùm bis mentio fit Hilaritatis*, Deuter. 16: 14, 15.

Maymon. in *Biccur.* Per. 2.

Baal Turim. in *Deuter.* 16.

Hæc autem fiebant ſolenni ritu in hoc feſto. I. Omnes maſculi comparebant coram Domino, ut in feſto Paſchatis & Tabernaculorum. II. Debebant offerre duas placentas coctas cum fermento ex novis frugibus. Et ſi quæratur quare tùm adhiberetur fermentum, quod in Paſchate adeò disertè interdictum erat; quidam Hebræi idoneam hanc proferunt rationem, quia hæ placentæ offerebantur propter panem quem ordinariè comedebant; (erant enim hæ Primitiæ frumenti) ſed Paſchalis panis erat in commemorationem feſtini diſceſſûs ex *Ægypto*, quo tempore non potuerant expectare donec fermentaretur maſſa. *In Paſchate poterant tantùm dicere,* הילך מצה, *Hic eſt azymus panis:* ובעצרת הילך מצה וחמץ, *Sed in Pentecoſte, Hic eſt panis azymus,* (propter oblationem placentarum ordinariarum) *& fermentatus etiam,* propter oblationem duarum placentarum Pentecoſtalium, ut loquuntur *Gemariſtæ* hac de re. Hæ poſteriores placentæ quadratæ fiebant, longæ ſeptem palmos, latæ quatuor, & craſſæ quatuor.

Exod. 23: 16. *Jerem.* 23: 16, 17. *Abarban.* ubi ſuprà. *Thalmud Hieroſ.* in *Succah*, Per. 5.

III. Cum hiſce offerebantur etiam ſeptem agni, unus juvencus, & duo arietes in Holocautomata, hœdus unus in oblationem pro peccato, & duo agni in pacificam oblationem. Hi duo agni erant ſolæ oblationes pacificæ quas offerebat Congregatio, & ſolæ recenſebantur inter oblationes ſanctiſſimas.

Cùm hi agni eſſent *oblationes pacificæ*, debebant agitari; nam in hanc rem diſertum eſt præceptum, *Levit.* 23: 20. & ritus hi adhibebantur. Sacerdos primùm agitabat agnos vivos; deinde eos mactabat, & pelle detractâ, pectus & humeros eorum ſumebat, & prope placentas ea deponebat, ſubmiſſâque manu omnia ſimul ſurſùm, deorſùm, hinc indè & versùs Orientem agitabat. Poſteà comburebat eorum viſcera, & Sacerdotes reliquam carnem comedebant. Ad placentas quod attinet, Summus Sacerdos unam ſumebat, & altera dividebatur inter omnes Claſſes quæ tùm aderant.

Maymon. ubi ſuprà.

Non tam multitudo aut ſolennitas ſacrificiorum hujus diei, licèt multa & ſolennia eſſent, populum univerſum alliciebat, quàm com-

Digitized by Google

commemoratio rei quam feſtum ſecum involvebat, nempè Legis quæ eo tempore ex Monte *Sina Iſraëli* tradita fuerat.

Hac die canebatur τὸ *Hallel*, ut anteà obſervatum eſt, & magnum illud linguarum donum Diſcipulis *Chriſti* conſpicuo miraculo conceſſum eſt.

CAPUT XV.

De Miniſterio diei Expiationis,

INſtitutionis hujus feſti, de quo fusè agitur *Levit.* 16. occaſio fuit quòd *Moſes* hac ipſâ die, poſt tria diverſa quadraginta dierum jejunia, deſcendit ex Monte, impetratâ Dei in *Iſraëlem* pace & reconciliatione, attulitque ſecum novas Tabulas, & plenam inſtructionem ad erigendum Tabernaculum, & publicum cultum inter *Iſraëlitas* conſtituendum.

Jom. Perek. 1. Septem diebus ante diem Expiationis, jubebant Summum Sacerdotem ſecedere ex propriis ædibus in Conclave פרהדרין *Parhedrin*, ne fortè contingeret ejus uxorem in ſua ſeparatione eſſe, eumque indè fieri immundum per ſeptem dies, adeòque illius diei Miniſterio fungi nequiret. (*Maymon.* in *Jom. haccipur.* Per. 1.)

Alium etiam conſtituebant Sacerdotem ejus vices obiturum, ſi fortè aliquâ immunditie fieret ut munere ſuo eâ die fungi non poſſet, ne divinus cultus non obiretur.

Unaquaque die ex hiſce ſeptem imponebant ei munus adſpergendi ſanguinis quotidiani ſacrificii, comburendorum ejus membrorum, offerendi Thymiamatis, reficiendarumque Lucernarum, ut meliùs aſſuefactus eſſet illis miniſteriis cùm illa dies veniſſet.

Tertiâ die & ſeptimâ eum adſpergebant cineribus Vaccæ rufæ, ne fortè imprudens mortuo pollutus eſſet.

Conſtituebant ei aliquot Seniores *Synhedrii* qui ipſi prælegerent titulum & ordinem Miniſterii ejus diei, & dicebant ei, *Domine Pontifex Maxime, lege tu ipſe; poteſt fieri ut oblitus fueris, vel ut non didiceris.*

Præparatione diei Expiationis, hoc eſt, die præcedente matutinis horis eum deducebant ad Portam Orientalem Atrii, atque ibi juvencos, arietes, & agnos coram ipſo tranſire curabant, ut meliùs quid ſui eſſet officii videret.

Poſteà Seniores *Synhedrii* eum tradebant Senioribus Sacerdotibus, qui deducebant eum in Conclave *Abtines*, ut ibi diſceret quomodò tractandum eſſet Thymiama. Tùm eum ita adjurabant: *Domine Pontifex Maxime, nos ſumus nuntii Synhedrii, tu es noſter & Synhedrii nuntius, te adjuramus per eum qui fecit Nomen ſuum habitare in hac Æde, ut nihil quicquam mutes in iis quæ tibi diximus.* Atque ita illi flentes abibant.

Ratio hujus ſolennis adjurationis erat, quia *Sadducæi* invenerant doctrinam, & quidam auſi fuerant uti praxi contrariâ Traditioni Veterum, nempè incendere Thymiama, & fumans extra Velum ita inferre Loco Sanctiſſimo. *Adjurabant eum* (inquit *Thalmud Hieroſolymitanum*) *propter Baithuſæos, qui dixerunt, Thymiama incendatur extrà, deinceps intrò inferatur. Quidam ita fecit; & quum exiiſſet, aliquis Patrem alloquebatur hiſce verbis, Vos quidem omni vita tempore hunc ritum quæſiviſtis, nunquam tamen ritè illum peregiſtis, antequàm hic ita peregerit. Ille reſpondit, Quanquam jam diu quæſivimus, tamen juxta Sapientum placita fecimus, & mirabile erit, ſi iſte qui taliter fecerit, poſteà diu vivat. Et ferunt illum brevi poſteà mortem obiiſſe: nempè intra triduum.* (Vide *Thalmud Hieroſolym.* in *Joma*, Perek. 1. *Juchaſin*, fol. 15.)

Cùm adveniſſet veſpera, non permittebant ei edere niſi admodum parcè, ne copia cibi ſoporem nimium ei conciliaret, neque enim licebat dormire metu nocturnæ pollutionis; ſed per totam noctem, ſi eruditus erat, legebat & interpretabatur Scripturam iis qui aderant; ſi eruditus non eſſet, quiſpiam alius hoc præſtabat, præſertim ex *Ezra*, *Jobo*, *Daniele* & *Paralipomenis*, ea loca quæ apta erant ad eum afficiendum & parandum ad hoc Miniſterium. (*Gloſſ.* in *Jom.* in *Thalmud. Babyl.* Perek. 1.)

Cùm dies illucebat, (quo tam arctum erat jejunium, ut quicunque ederet aliquid, aut opus quodpiam faceret, Exciſionis pœnæ obnoxius eſſet) Summus Sacerdos ſe ad Miniſterium comparabat. Primùm ordinarias veſtes deponebat, & aquâ ſe abluebat; quod fiebat hac die in Conclavi *Happarvah*. Linteum inter eum & populum ne ab hoc cerneretur, pendebat, ſe mantili abſtergebat, ac ſacras Summi Sacerdotii veſtes induebat; lavabat manus ac pedes, mactabat quotidianum ſacrificium, comburebat ejus membra, offerebat Thymiama, peragebat totum Miniſterium ordinarium diei illius. Idem præſtabat reſpectu juvenci & ſeptem agnorum extraordinarii ſacrificii. Hiſce peractis, iterùm manus ac pedes abluebat. (*Kerithoth*, Per. 1. *Midd.* Perek. 5. *Maymon.* ubi ſuprà Per. 4.)

Deinde iterùm deponebat veſtes ſacras, in balneo ſe abluebat, lineas induebat veſtes conſtitutas *Levit.* 16: 4. & peculiaribus diei Miniſteriis defungebatur: ac primùm quidem ibat ad proprium ſuum juvencum,

Levit.

Digitized by Google

Levit. 16: 6. qui erat inter Templum & Altare, impoſitiſque capiti ejus manibus, edebat hanc confeſſionem: *Ah! Domine, peccavi, perverſe feci & transgreſſus ſum coram te, ego & domus mea. Oro te, ô Domine, expies peccata, perverſitates & tranſgreſſiones, in quibus peccavi, perversè feci & tranſgreſſus ſum, ego & domus mea; ut ſcriptum eſt in Lege Moſis ſervi tui, dicendo, Nam hac die expiabit vos, purgabit vos ab omnibus peccatis veſtris coram Domino, ut ſitis mundi.*

Id. ibid. Perek. 3. Deinde ibat conjectum ſortes in duos Hircos, ad Euro-aquilonarem partem Atrii infra Altare. Sortes erant ordinariè duo nummi aurei ejuſdem craſſitiei, quorum alteri inſcriptum erat *in Dominum*, alteri *in Azazel.* Hæ in pyxidem injiciebantur, in quam Sacerdos poterat geminas manus immittere, & quæ vocabatur קלפי. Duo Hirci coram eo collocabantur, unus ad dextram, alter ad ſiniſtram. Ad dextram ejus ſtabat *ò Sagan*, ad ſiniſtram paternæ Familiæ Princeps. Immiſſis manibus in pyxidem, indè extrahebat ſortes; apertiſque manibus, ſi ſors Hirci emiſſitii in ejus dextram veniret, *ò Sagan* ei dicebat, *Attolle manum dextram*; atque ita Hircus qui ad dextram erat fiebat emiſſitius. Si contrà ſors ejus in ſiniſtra inveniretur, Princeps Familiæ paternæ ei dicebat, *Attolle ſiniſtram*; atque ita Hircus qui erat ad ſiniſtram deſignabatur ut eſſet ἀποπομπαῖος. Tùm alligabat purpuream vittam capiti hujus Hirci, eumque illo in loco collocabat ex quo emittendus erat; & alterum Hircum eò mittebat ubi eum oportebat mactari.

Hæc vitta purpurea vulgò vocatur à Rabbinis לשון זהורית, *Lingula coccinea*, quia inſtar linguæ lata erat & formata. Et expectabant ex quo capiti Hirci alligata erat, donec fieret alba. Atque ita dicunt factum tempore *Simeonis Juſti*, & ſortem Hirci emiſſitii ſemper in ejus dextram veniſſe. Atque hoc fulciunt *Iſaj.* 1: 18.

Joma Perek. 4. in *Gemara.* *Juchaſin*, fol. 15. col. 1.

Ita diſpoſitis Hircis ut parati eſſent cùm eorum adeſſet tempus, redibat ad ſuum juvencum quem reliquerat, impoſitiſque iterùm ejus capiti manibus, alteram confeſſionem edebat iiſdem verbis conceptam ac priorem, niſi quod poſtquàm dixerat, *in quibus peccavi, perversè feci & tranſgreſſus ſum coram te, ego & domus patris mei*, addebat: *& filii Aaronis, ſanctus tuus populus, ut eſt ſcriptum in Lege Moſis*, &c.

Poſteà mactabat juvencum, capiebat ſanguinem, & dabat eum agitandum cuipiam ne concreſceret. Ipſe ſumebat thuribulum plenum prunis ex Altari, & imponebat id ſcamno in Atrio, atque ex vaſe ad ipſum allato implebat manus Thymiamate quod injiciebat diſco. Thuribulum prunarum manu dextrâ capiebat, (quia erat calidum & grave, alioqui manu ſiniſtrâ geſtaſſet) & diſcum Thymiamatis ſiniſtrâ. Ita ingrediebatur Sanctum Sanctorum, & ad Arcam accedebat, quo in loco deponebat prunas ſuas, effundebat Thymiama in manus ſuas, id imponebat prunis, & expectabat donec totum Conclave fumo repletum eſſet; tùm retrorſùm recedebat ex Adyto facie ad Arcam obverſâ. Egreſſus brevem hanc fundebat oratiunculam: *O Domine Deus, placeat tibi ut hic annus habeat tempeſtivas pluvias,* (ſi eſſet ariditas) *nec patere Sceptrum tuum diſcedere à Juda, nec populum tuum Iſraëlem carere victu, nec preces tranſgreſſorum venire coram te.* Quo peracto exibat.

Tùm capiebat ſanguinem juvenci qui eo abſente agitatus fuerat ne concreſceret, & eum inferebat Loco Sanctiſſimo, atque adſpergebat octies, ſemel ſuperiùs, ſepties inferiùs, inter vectes Arcæ. Hoc facto abibat, & reliquum ſanguinem lanci in Loco Sancto injiciebat, & exibat.

Deinde mactabat Hircum, inferebat ſanguinem ejus in Locum Sanctiſſimum, & octies adſpergebat, ut in ſanguine juvenci fecerat. Egreſſus eum in loco ſancto deponebat, ſumptumque juvenci ſanguinem octies adſpergebat ante Velum, idemque in ſanguine Hirci faciebat. Poſteà iis miſtis adſpergebat altare Aureum, incipiens ab Euro-aquilonari Angulo, & abſolvens in angulo Euro-noto obverſo. Circumitis angulis, corpus ipſum Altaris adſpergebat, atque exibat, reliquumque ſanguinem effundebat ad Occidentale latus baſis Altaris Holocautomatum.

Hiſce ritè peractis, ibat ut emitteret *Hircum emiſſitium.* Primùm manus ei Imponebat, atque hanc confeſſionem recitabat: *Ah! Domine, populus tuus, domus Iſraël, peccavit & perversè fecit, & tranſgreſſus eſt coram te. Oro te nunc, ô Domine, expies peccata, perverſitates & tranſgreſſiones in quibus Domus Iſraël, populus tuus, peccavit, fecit perverſe & tranſgreſſus eſt coram te; ut ſcriptum eſt in Lege Moſis ſervi tui: Nam hac die expiabit vos, ad purgandos vos ab omnibus veſtris peccatis, ut ſitis puri coram Jehovah.* Statim ac Sacerdotes & populus qui erant in Atrio audiebant eum pronunciantem vocem *Jehovah*, proſtrato corpore adorabant, & dicebant: *Benedictum eſto nomen*

men glorioſi regni ejus in ſecula ſeculorum. Tunc emittebatur Hircus.

Joma, Perek. 6. in *Miſchnah*, *Ramb.* ibid. *Bartenor*, ibid. & *Aruch* in voce.

Diſtabat circiter duodecim milliaribus *Hieroſolymâ* præceps & altum promontorium, quod vocant nomine צוק, quod quidam putant ei proprium fuiſſe, alii commune omnibus altioribus rupibus. Inter *Hieroſolymam* & hanc rupem erant decem Tentoria, uno milliari diſtantia à ſe invicem, ita ut proximum *Hieroſolymâ* milliari uno diſtaret. Tradito Hirco ei qui eum in deſertum abducturus erat, eum comitabantur uſque ad primum Tentorium, atque hinc quidam erant parati ad eum comitandum ad vicinum uſque Tentorium, atque ita uſque ad ultimum. In unoquoque Tentorio quærebant à viro qui Hircum deducebat, an vellet edere vel bibere.

Ab ultimo Tentorio eum prorsùs non comitabantur ad ipſam rupem, ſed in aliqua diſtantia ſubſiſtebant, ut viderent quid facturus eſſet. Cùm eò pervenerat, detrahebat coccineam vittam à capite Hirci ex interſtitio cornuum, eamque in duas partes dividebat. Dimidiam partem alligabat rupi, alteram iterùm cornibus Hirci revinciebat. Denique Hircum impellebat in præcipitium, qui priuſquàm ad fundum perveniſſet, in varias partes diſcerpebatur. Ita munere ſuo defunctus redibat ad proximum Tentorium, ubi ſubſiſtebat donec nox adveniſſet.

Intereà temporis Pontifex Maximus poſt emiſſum Hircum ad ſuum munus redierat, & dividebat in partes juvencum & hircum quem mactaverat, & cujus ſanguinem intra Velum intulerat. Imponebat eorum viſcera Altari ut comburerentur, ſed membra cuipiam tradebantur ut aveherentur extra *Hieroſolymam*, ubi comburebantur, *Levit.* 16:27.

Tandem dicebant Pontifici Maximo: *Hoc tempore Hircus pervenit in deſertum.* Et tùm ibat in Atrium Mulierum, ubi in Pulpito legebat unam aut alteram Sectionem Legis, ut *Levit.* 16. Caput totum, & *Cap.* 23: 27. ad 32.

Porrò ſi quæratur quomodò conjicere poſſent ipſum tempus quo Hircus in deſertum pervenerat: erant tres rationes conjiciendi quibus utebantur. I. *Miſhnah Thalmudica* dicit fuiſſe varias pilas lapideas in ea via diſpoſitas, & viros in eorum faſtigio ſtetiſſe cùm lineis linteis. Cùm autem Hircus in deſertum pervenerat, qui ibi ſtabat in vicina pila ſursùm, deorsùm agitabat linteum ſuum, & ſic reliqui ordine uſque ad Urbem, quò ſic res momento deferebatur. II. *Rab. Iſmaël* dicit, Erat vitta coccinea alligata valvis Templi, & ſtatim ac Hircus in deſertum pervenerat, alba fiebat.

Conſideratu dignus eſt locus in *Gemara Thalmudis Babylonici*, in quo ſeu de hac vitta agatur, ſeu de ea quæ Hirco inter cornua alligabatur, non multùm intereſt, quandoquidem erant ejuſdem naturæ. Ajunt *Thalmudici*, *per totos quadraginta annos ante deſtructionem Hieroſolymæ vittam rubram nunquam albam evaſiſſe*: nam cùm immutatio hæc ſignum eſſet remiſſionis peccatorum, ut ipſi eam interpretantur ex *Iſaj.* 1: 18. ita ſe morte dignos reddiderant effuſo ſanguine *Chriſti* exactè quadraginta annis ante Urbis excidium, ut optimè eorum ipſorum teſtimonium admittere poſſimus, quo conſtat eorum crimen, cujus veniam conſequi non potuerunt. *R. Judah* dicit, Diſtabat tribus milliaribus בית הדודה, *Beth Haduda*, quæ erat in limbo deſerti eâ parte quâ ibat Hircus; & ad metiendum temporis ſpatium quo quis eò pervenire poterat cum Hirco, quidam viri milliare unum procedebant extra Urbem, & redibant abſque ulla mora; ac cùm redierant, expectabant adhuc per tantum temporis ſpatium, quantum requirebatur ad aliud milliare peragrandum, atque indè colligebant eo tempore virum illum cum Hirco in deſertum perveniſſe.

Roſh Haſhanah fol. 31.

Pontifex Maximus perlectis Sectionibus ſuis Legis, & recitatis prætereà octo precibus, abluebat manus & pedes, exuebat lineas veſtes, in balneo ſe lavabat, ſacerdotales veſtes induebat, abluebat iterùm manus & pedes. Offerebat arietem unum pro ſe, alterum verò pro populo, & ſeptem agnos in addititias diei oblationes. Tùm offerebat quotidianum ſacrificium veſpertinum.

Cùm hæc peregiſſet, manus & pedes iterùm abluebat, ſacras veſtes exuebat, in balneo corpus lavabat, induebat lineas veſtes, manus & pedes abluebat. Ingreſſus Adytum indè repetebat thuribulum & diſcum quæ ibi repoſuerat.

Poſteà ablutis manibus & pedibus, exutis lineis veſtibus, in balneo, loto corpore, induebat Sacerdotales veſtes, abluebat manus & pedes, ingreſſuſque in Sanctuarium offerebat veſpertinum Thymiama, refectiſque Lucernis exibat.

Denique ablutis manibus ac pedibus, exutiſque Sacerdotalibus veſtimentis, ordinaria aſſumebat, & ad ædes ſuas abibat univerſo proſequente populo. Atque hanc diem fauſtam habebat, quia ſibi incolumi ex Sanctiſſimo Loco exire licuerat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVI.

Ritus Feſti Tabernaculorum.

Dies Expiationis non erat adeò ſolennis, feria, ac laborioſa, præſertim Summo Sacerdoti, ac *Feſtum Tabernaculorum* jucundum erat, hilare ac feſtum populo univerſo. Quinque diebus priori poſterius erat, incipiens decimâ quintâ die menſis *Tiſri*, & per dies octo continuos durans, *Levit.* 23: 34, 35, 36. *Numer.* 29: 12, 35. 2 *Paral.* 7: 8, 9, 10. *Nehem.* 8: 17, 18. In hoc feſto major erat hilaritas quàm in ullo alio, & pluribus ritibus varia ſolennitas.

Primus ritus, ſeu circumſtantia, erat quòd habitarent ſub Tabernaculis, unde hoc feſtum nomen ſuum deduxit. Incipiebant ſub iis eſſe primâ die feſtâ, & pergebant per totum feſti tempus, quo non licebat extra hæc Tabernacula edere, bibere, aut dormire. Eorum Tabernacula conſtabant ramis arborum, in quorum conſtructione, ad altitudinem, latitudinem, locum, formam quod attinet, infinitum eſſet minutias eorum Traditionis perſcrutari; præterquàm quòd id extra ambitum Templi eſt, intra quem nos incluſimus. Quatuor duntaxat rerum genera in hoc feſto obſervabimus.

I. *Varietatem Sacrificiorum.*
II. *Palmarum & Salicum ramos.*
III. *Mala citrea.*
IV. *Effuſionem aquæ & Hilaritatem.*

SECTIO I. *Varia Sacrificia in Feſto Tabernaculorum.*

Hieroſolymitanum Thalmud paucis complectitur omnes ritus qui unaquaque feſti die in Miniſterio Templi adhibebantur. *Primùm matutino tempore oblatum ibant quotidianum ſacrificium, poſteà addititia, poſteà votivas & ſpontaneas oblationes; exindè ad cibum & potum,* (vel pranſum) *deinde ad ſtudium Legis, deinceps ad oblationem veſpertini ſacrificii, denique ad hilaritatem effuſionis aquæ.* *Thalm. Hieroſ. in Succah, Per.* 5.

Ordinaria ac quotidiana ſacrificia eadem erant omnibus diebus feſti ac omnibus aliis, Agnus nempè matutino & veſpertino tempore. Sed addititia ſacrificia non modò erant numero ſuo obſervatu digna, (quandoquidem quotidianis conjuncta annos per quos *Iſraël* fuit in *Ægypto* ducentos quinquaginta, victimis æquabant) verùm etiam propter hanc mutationem, quia juvencus quotidiè numero juvencorum præcedente die oblatorum detrahebatur, quamvis idem numerus arietum, agnorum & hircorum quotidiè ſervaretur. Primâ enim feſti die tredecim juvenci offerebantur, ſecundâ duodecim, & ſic deinceps, ut cerni poteſt *Numer.* 29. attamen unaquâque die duo arietes, quatuordecim agni, unus hircus abſque ulla mutatione immolarentur, uti apparet ex eodem loco.

Ratio hujus imminutionis juvencorum conjici potiùs, quàm certò indicari poteſt, ac varias aliorum conjecturas, quàm definitionem noſtram afferre proclivius eſt. Utrùm hoc eſſet ad reducendum univerſum numerum juvencorum ad ſeptuaginta, *ut figura eſſent ſeptuaginta Gentium quæ perpetuò minuendæ erant, dum Iſraël ſimilis numero arietum, agnorum & hircorum, idem remanebat:* *R. Solom. in Numer.* 29. vel ad ſignificandos ſeptuaginta annos ætatis humanæ, quæ quotidiè declinat, &c. anxiè non inquiram. *Abarban. ibid.* At non debeo prætermittere ſine obſervatione rationem offerendorum horum ſacrificiorum, quæ tanto numero & tam varia erant.

Quotidianum ſacrificium juxta morem ſolitum à Claſſe eâ hebdomade miniſtrante offerebatur. Levitæ τὸ *Hallel* intereà canebant, de quo anteà dictum eſt.

Ad ſacrificia addititia quod attinet, rationem invenerant quâ unaquæque Claſſis ex viginti quatuor, quæ tùm aderant omnes, ſuas partes haberet in offerendis victimis: quod hoc modo conſtitutum erat.

Primâ die erant 13. juvenci, 2. arietes, 1. hircus, omninò 16. victimæ, quæ offerebantur à 16. Claſſibus. Supererant 14. agni 8. Claſſibus, ſex quarum offerebant unaquæque geminos agnos, reliquæ verò duæ unaquæque unum. *Succah, Per.* 5. & *Maym. in Tam. Per.* 10.

Secundâ erant 12. juvenci, 2. arietes, 1. hircus, omninò 15. victimæ quæ offerebantur à 15. Claſſibus: tùm reliqui 14. agni 9. Claſſibus erant offerendi, quinque quarum offerebant unaquæque duos agnos, quatuor verò unum duntaxat.

Eadem proportio deinceps ſervabatur, donec ad ſeptimam diem deventum eſſet, in qua 7. juvenci, 2. arietes, 1. hircus, 14. Agni à viginti quatuor Claſſibus ita offerebantur, ut unaquæque ſuam haberet victimam.

SECTIO II. *Palmarum & Salicum rami.* ערבה ולולב.

Præceptum erat Legis, *Sumetis vobis die primâ fructus arboris pulcherrimæ, ſpatulaſque palmarum, & ramos ligni denſarum frondium, & ſalices de torrente, & læta-*

Ab. Ez. in *Levit.* 23.

lætabimini coram Domino Deo veſtro per ſeptem dies, Levit. 23: 40. In quæ verba erat diſputatio inter *Phariſæos* & *Sadducæos*, cui fini hi rami & frondes præciperentur. *Sadducæi* exiſtimabant deſignari ad conſtructionem Tabernaculorum: ſed *Phariſæorum* ſententia erat fuiſſe ramos & fructus arborum deſignatos ut hoc feſto manibus geſtarentur; eoſque reipsà gerebant.

Maym. in *Succah*, Perek. 7.

Itaque primâ die feſti parabant ramos Palmarum, Salicum & Myrtorum, eoſque colligabant funiculis aureis aut argenteis, vel aliis vittis, & totâ primâ feſti die manibus geſtabant. Manè quis ædibus exiens habebat ſuum *Lulabb*, ſic enim hunc ramorum faſciculum vocabant; nec ullo tempore ſeu oraret, ſeu eſſet in Synagoga, &c. manu eum dimittere licebat, nec reliquis feſti diebus unquam ſine eo ad Templum veniebat.

Thalm. in *Succah*, Per. 4. *Thoſaph.* in *Succah*, Per. 7.

Erat locus paulò infra *Hieroſolymam*, qui vocabatur *Motſa*, & videtur fuiſſe ad ripas torrentis *Kidron*, unde unuſquiſque ſibi duos ramos ſumebat, unum in ſuum *Lulabb*, ſeu ad eum colligandum cum ramis Palmarum & Myrtorum; alterum verò Altari. Semel unaquâque die feſti cum hiſce circumibant Altare, unumque ibi relinquebant. Initio mos erat primâ die feſti ramos Templo inferre, ibique in ſequens matutinum tempus relinquere, eos infigendo circa Periſtylium quod Montem Domûs ambibat, & eo tempore eos reſumere. Verùm hoc contentiones excitabat, dum unuſquiſque ſuum ramum habere vellet; unde factum eſt ut *Synhedrium* decreverit unumquemque ramos ſuos domum reportaturum, & indè ſequente die relaturum ſecum.

Cùm igitur ſibi τὸ *Lulabb* comparaverant, & ramum ſalignum Altari, quotidiè Atrium ingrediebantur, & circumeuntes Altare, ramoſque versùs id porrigentes, clamabant *Hoſanna*, vel, *Serva, quæſo, ô Domine. O Domine, rogo te, mitte nunc proſperitatem*, Pſalm. 118: 25. Interim tuba canebat, & ſeptimâ die ſepties circumibant Altare, vocabaturque id *magnum Hoſanna*. Quotidiè cùm abibant, clamabant, יופי לך מזבח יופי לך מזבח, *Pulchritudo tibi, ô Altare; pulchritudo tibi, ô Altare.*

Obſervatio hujus conſuetudinis lucem fœneratur *Matth.* 21: 8, 9, 15. *Joann.* 12: 12, 13. & *Apocal.* 7: 9, 10.

Sectio III. *Mala Citrea.* אתרוג.

Nullo Scripturæ loco res hæc niti videtur, ſed Traditionis Magiſtri eam deduxerunt ex loquutione quæ extat loco modò allato: *Sumetis vobis* פרי עץ הדר, *fructum arboris pulchræ*, ut verterunt *Angli* noſtri, non multùm à Septuaginta Interpretum Verſione abeuntes. At hæc verba variè enarrant *Thalmudici*. *Scriptum eſt*, inquiunt, פרי עץ הדר, *hoc eſt, arbor cujus fructus eſt pulcher, & cujus lignum eſt pulchrum. Quænam autem eſt niſi Malus Citrea? Si dicas eſſe Malum Punicum; fructus ejus eſt pulcher, ſed lignum non eſt pulchrum. Si dicas Carrubium; lignum ejus eſt pulchrum, ſed fructus non eſt pulcher. R. Simeon Ben Jochai dicit, Arbor cujus fructus eſt pulcher, & ejus lignum pulchrum, ſapor ejus fructûs ſimilis ſapori ejus ligni, ejus lignum ſimile ejus fructui, & ejus fructus ſimilis ejus ligno, quænam eſt hæc arbor? Malus Citrea. Vocatur* עץ הדר, *ait R. Levi* שדר, *quia manet in arbore ab uno anno in alterum. R. Tanchuma, dicit Aquila, vertit* הדר *voce* הידר, *nam eſt arbor quæ creſcit ad aquas. R. Abbu dicit, Ne legas* הדר, *ſed* הדור, *nam in Græca lingua vocant aquam* הודור ὕδωρ. *Jam autem quænam arbor eſt quæ creſcit ad omnes aquas? Malus Citrea.* Juxta hanc receptam interpretationem *Chaldæus Paraphraſtes* verſum illum loci laudati ſic vertit: *Sumetis vobis fructum Mali Citreæ*, quod admittitur ab omnibus Judæis.

Thalm. Hieroſ. in *Succ.* fol. 3. col. 2. & *Thalm. Babylon.* in *Succah*, fol. 35. & *Aruch* in הדר *R. Solom.* & *Baal Turim* in *Levit.* 23.

Atque hoc apud omnes adeò receptum erat, ut quemadmodum faſciculum ramorum alterâ manu in Tabernaculorum feſto gerebant, ita etiam alterâ malum citreum geſtabant, & hoc præceptum eſſe non minùs diſtrictè putabant, ac prius. De hoc rituali Malo Citreo, ut ita eum vocem, tædioſum eſſet huc transferre quæ curioſiùs definierunt Rabbini, de ejus magnitudine, aliiſque circumſtantiis requiſitis. De eo duntaxat hiſtoriam referam obſervatu non prorsùs indignam. Dicitur nimirùm in *Baithuſæum* vel *Sadducæum*, cùm omiſiſſet aliquam partem Miniſterii ſui ad Altare in feſto Tabernaculorum, (de quo Miniſterio mox loquemur) nec eâ functus eſſet ut par erat, tota Congregatio inſurrexiſſe, & impetiiſſe eum (*Thalmudici* habent *lapidaſſe*) malis ſuis citreis. Quam in rem Rex *Jannai*, qui & ipſe *Sadducæus* erat, gladium in Templum inferri juſſit, & varios ex Sapientibus interfecit. Utrùm hic eſſet Rex *Jannai* de quo eſt hiſtoria notatu digna in Tract. *Sanhedrin* loco in margine citato, quæ huc aliquatenùs referri poteſt, tempus ac locus inquirere non ſinunt.

Succah, ibid. *Thoſaph.* ibid.

Juchaſin, fol. 15. *Thalm. Babyl.* in *Sanhedr.* Per. 2. in *Gemar.* Hal. 2.

Sectio

SECTIO IV. *Effuſio aquæ*, נישוך המים *& deſcriptio Miniſterii Sacri unaquaque die.*

Ritus & conſuetudines hujus feſti, quæ jam ſunt memoratæ, aliquomodò miræ erant; ſed quæ omnium maximè mira eſt ſupereſt adhuc dicenda, nempè *hauſtio & effuſio aquæ*, & magna Judæorum proptereà Hilaritas. Quotidiè aquâ effundebatur, & tanta erat populi lætitia, ut in toto hoc feſto & reliquis totius anni feſtis nulla eſſet ſimilis. Quæ ut meliùs intelligatur, ut & totius feſti ratio, poſtquàm oſtendimus quinam eſſet in eo virorum ornatus, ordine deſcribemus uniuſcujuſque diei varia & peculiaria miniſteria & circumſtantias, prout nobis occurrent.

Primùm manibus ramos & citrea gerentes mala ad ordinarium matutinum ſacrificium veniebant, atque expectabant ita donec oblatum eſſet. Poſtquàm membra hujus victimæ impoſita fuerant Altari, tùm fiebat hæc effuſio aquæ, ſed vino mixtæ, in Altare hac ratione. Sacerdos quiſpiam cum aureo cantharo ibat ad fontem vel Piſcinam *Siloam*, eumque aquâ implebat. Redibat in Atrium per eam Portam quæ *Porta Aquæ* vocabatur, & quam ſuo loco luſtravimus, atque ingrediente eo, tuba canebat. Conſcendebat aſcenſum Altaris, ubi erant duo lances, in quorum altero erat vinum, in alterum verò aquam infundebat, ac poſteà utrumque miſcebat. Deinde ſenſim effundebat, quâ actione dum occupabatur, populus clamabat ad eum, *Attolle manum tuam*: cujus admonitionis ratio erat, quia hic *Baithuſæus*, vel *Sadducæus*, cujus jam meminimus, dum hac libatione occupatus eſſet, cùm debuiſſet vinum procul à ſe effundere, id effudit in pedes ſuos, quo factum eſt ut Congregatio eum malis ſuis citreis impetierit.

Thoſaphot. in *Succah*, Perek. 3. *Thalm.* ibid. Perek. 4.

Dum fieret hæc libatio, Melodia & Symphonia incipiebant, & canebatur quidem omnibus feſti diebus in quotidiano ſacrificio τὸ *Hallel*, *renovatum quotidiè*, ait *Hieroſolymitanum Thalmud*, *ut eorum Lulabb quotidiè renovabatur.* Cùm inter canendum τὸ *Hallel* veniebant ad initium *Pſalm.* 118. *Confiteamur Domino*, &c. omnis Congregatio concutiebat ramos ſuos; quod repetebat cùm venerant ad hæc verba, *Hoſanna*, &c. *Serva nunc, quæſo, Domine*; & ad hæc, *O Domine, oro te mittas nunc proſperitatem*; denique ad ultimum verſum illius Pſalmi, qui ultimus erat verſus τοῦ *Hallel*, *Confiteamur Domino*, &c.

Thalm. Hieroſ. in *Succah*, Perek. 5.

Poſtquàm ritè peractum erat quotidianum ſacrificium, tùm incipiebant offerre additit ias victimas jam memoratas; quod dum fieret, Muſici iterùm canebant peculiarem aliquam partem Pſalmi cujuſpiam:

Primâ die, *Pſalm.* 105.
Secundâ, *Pſalm.* 29.
Tertiâ, *Pſalm.* 50. ad *verſ.* 16.
Quartâ, *Pſalm.* 94. ad *verſ.* 16.
Quintâ, *Pſalm.* 94. ad *verſ.* 8.
Sextâ, *Pſalm.* 81. ad *verſ.* 6.
Septimâ, *Pſalm.* 82. ad *verſ.* 5.

Maymon. in *Tham.* Perek. 10.

Cùm additit ia hæc ſacrificia etiam oblata fuiſſent, populus pranſurus domum redibat, cantato priùs τοῦ *Hoſanna* circa Altare, ut diximus, niſi qui votivas aut ſpontaneas victimas oblaturi, expectabant. A prandio ibant aliquantiſper in Scholas Theologicas, ſeu Legis ſtudio incumbebant; & cùm tempus aderat, ad veſpertinum ſacrificium, quod matutino ſimillimum erat.

Sub veſperam incipiebant שמחת בית תשואבה, *Hilaritatem propter effuſionem*, vel *hauſtionem aquæ*, quam in multam noctem producebant unaquâque feſti die; & tantoperè lætabantur, ut dicant, מי שלא ראה שמחת בית תשואבה לא ראה שמחה מימיו, *Qui nunquam vidit hilaritatem hauſtionis aquæ, nunquam vidit hilaritatem omnibus diebus ſuis.* Eo tempore quo aqua hauriebatur ex *Siloam*, & effundebatur in Altare, non licebat populo lætitiæ fræna laxare, propter gravitatem ac ſolennitatem iſtius ritûs; ſed abſolutis totius diei cæremoniis, cùm nox advenerat, tùm in lætitiam effundebantur, quæ æquè mira eſt tum ad rationem ejus, tum ad cauſam quod attinet. Hæc autem erat ejus ratio.

Succah, Perek. 5.

Ibant in Atrium Mulierum, & mulieres quidem ibi ſe collocabant in altioribus porticibus circa Atrium, viri autem ſtabant in medio Atrio. Erant quatuor Candelabra (vel potiùs quatuor ſpeculæ) ingentis craſſitiei, & tantæ altitudinis, ut Atrii muros ſuperarent, & Montem Domûs magno intervallo. Ad unumquodque Candelabrum (erant poſita ad quatuor Atrii latera) erat ſcala per quam quatuor juvenes Sacerdotes aſcendebant cum multo oleo, & ellychniis confectis ex Sacerdotum veſtibus & cingulis detritis, curabantque flammæ non deeſſe alimentum.

Ibid. & *Maymon.* in *Succah Velulabb*, Perek. 8.

Fiſtula Templi incipiebat canere, & multi

multi Levitæ cum inſtrumentis ſuis ſtantes in quindecim gradibus quibus deſcendebatur ex Atrio *Iſraëlis* in Atrium Mulierum; & quicunque ex Sacerdotibus Muſicæ peritus erat, tum voce, tum inſtrumento, ſe iis conjungebat. Intereà Magnates, & præcipui ex populo, ut membra *Synhedrii*, Archiſynagogi, Doctores Scholarum, viri quique celeberrimi ſeu munere, ſeu pietate, ſaltabant, tripudiabant & canebant, quantum poterant, ſpectantibus mulieribus & vulgo; atque in hiſce ludicris maxima noctis pars abibat. Et quò magis humiliarent ſe, ut *David* coram Arca fecerat, ſaltando, eò majori laude dignos ſe cenſebant.

Denique intempeſtâ nocte duo Sacerdotes ſtantes ad Portam *Nicanoris*, tubis ſuis canebant; deinde deſcendebant ad decimum gradum, atque iterùm ibi canebant; & in Atrium ipſum venientes tertiâ vice canebant, pergebantque canere per totum Atrium, donec ad Orientalem ejus Portam veniſſent; ac tandem vultu converſo ad Templum dicebant; *Patres noſtri qui hoc in loco fuerunt, dorſa ſua obvertebant Templo Domini, & facies ſuas versùs Orientem; ſed ad nos quod attinet, ſumus ad eum converſi, & oculi noſtri eum reſpiciunt.*

Thalm. Hieroſ. in *Succah*, fol. 55. & *Thalm. Babyl.* ibid. fol. 5.

Quidam ex Magnatibus dum ſaltarent, dicebant, *Benedicta eſto tu, ô mea juventus, quæ ſenectutem meam pudore non affeciſti.* (אילו אנשי מעשה, Hi vocabantur *Viri Operis*) *Alii verò dicebant, Benedicta eſto tu, ô mea ſenectus, quæ juventuti meæ contradixiſti.* (Hi erant *Chaſidim*, & pœnitentiam egerant) *Et utrique dicebant, Beatus qui non peccavit, & is cui in peccatum lapſo condonatum eſt peccatum.*

Tandem laſſitudo, ſomnus & ſatietas, uſque ad alteram noctem, imponebant finem feſtivitati, & ſic abibant, quidam in Tabernacula ſua, alii verò noctù foris ſtabant, מנמנמי אכתפא דהדרי, donec ſtantes aut ſedentes dormitarent, innixi alterius humero, donec proxima eſſet Aurora.

Jam ad inquirendam cauſam miræ hujus & extraordinariæ hilaritatis, non difficile erit oſtendere quare lætiores eſſent in feſto Tabernaculorum quàm in aliis; nempè quia jam omnes ſuos fructus in horrea collegerant, unde hoc feſtum vocabatur *Feſtum Collectionis in fine anni*, Exod. 23: 15, 16. Sed mirum videtur quare tantam lætitiam teſtati fuerint in hauſtione & effuſione aquæ memoratæ, nec facile eſt hujus rei rationem afferre.

R. Akiba effuſionis aquæ hanc cauſam profert. *Lex dicit*, inquit, *Offerto Homer hordei in Paſchate, quia tùm erat tempeſtas hordei, ut tritico benedicatur. Offerto triticum & Primitias in Pentecoſte, quæ erat tempeſtas arborum, ut fructui arborum benedicatur. Offerto* נכוך המים, *libationem aquæ, ut imbribus benedicatur. Ideòque dicitur, Quicunque nolet venire ad feſtum Tabernaculorum, pluviâ cariturus.* Tùm enim erat tempeſtas ultimarum pluviarum, *Joël.* 2: 23. *Thoſaph.* ubi ſuprà.

Maymonides hanc tradit lætitiæ cauſam, quia lætitia erat propter obſervationem Legis, cui nulla alia conferri poteſt. Ideò dicit, *Vulgus & quicunque vellent in hac lætitia actores non fuiſſe;* nunquam enim aut ſaltabant, aut canebant: *erant tantùm ſpectatores; actores erant viri magni in Sapientia & Religione.* *Maym.* ubi ſuprà.

Verùm notatu dignus eſt *Hieroſolymitani Thalmudis* locus in hanc quæſtionem. *R. Levi* dicit, *Quare nomen ejus vocatur* בית השואבה, *Hauſtio aquæ?* שמשם שואבים רוח הקודש, *Propter hauſtionem vel effuſionem Spiritûs Sancti; juxta id quod dicitur, Cum hilaritate haurietis aquas ex puteis ſalvationis*, Iſaj. 12: 3. *Thalm. Hieroſ.* ubi ſuprà.

Quæcunque fuerit iſtius rei cauſa, hiſce ritibus feſtum celebrabant, & hac de occaſione. Cujus rei obſervatio nos juvat ad illuſtrandum locum *Joann.* 7: 37, 38. qui planè videtur alludere ad hanc conſuetudinem. Nam Servator noſter ultimâ & magnâ die hujus feſti, (vide *verſ.* 2.) cùm per ſeptem dies hilaritatem magnam teſtati fuiſſent propter hanc hauſtionem & libationem aquæ ex Piſcina *Siloam*, (quæ, quibuſdam fatentibus Judæis, reſpicit effuſionem Spiritûs Sancti) *ſtetit & clamavit dicens, Si quis ſitiat, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ex ejus ventre fluent rivi aquæ vivæ: dicens hoc de Spiritu*, &c. Quaſi nempè iis dixiſſet: Tantâ lætitiâ hauritis aquam ex *Siloam*, eamque effunditis, quæ tantùm eſt typus effuſionis Spiritûs Sancti? Ille ego ſum qui poſſum vobis dare aquas vivas; in eum qui credit in me tanta copia Spiritûs Sancti effundetur, ac ſi rivi aquæ vivæ perpetuò eſſent ex ejus ventre effluxuri. Atque ut hæc dicta ſua miraculo confirmaret, illicò viſum reſtituit cæco nato, jubens ut ablueretur in Piſcina *Siloam*, *Joann.* 9: 7.

Hi erant ritus quotidiani feſti Tabernaculorum. Quotidiè populus veniebat cum ſuis ramis ad Templum, *Hallel* canebatur, hauriebatur aqua ex *Siloam*, in Altare

Digitized by Google

tare vino mixta effundebatur, circumibant Altare, canebant τὸ *Hoſanna*, & nocte lætabantur propter hauſtionem aquæ. Hoc erat tantùm diſcrimen inter feſti dies, quòd nocte præcedente Sabbatum quod in feſtum incidebat, & nocte antecedente octavam diem, quæ ſancta erat, non ſaltarent ac canerent; ſeptimâ verò die ſepties circumirent Altare, eaque nocte omiſſis ſaltationibus, die octavâ iidem redirent ritus, comederentque ſua mala citrea, quod anteà non licebat, feſtumque magnâ hilaritate in Atrio Mulierum concluderent. Ideòque hæc dies ab Euangeliſta non modò vocatur *ultima*, ſed etiam *magna dies feſti*, tum quia ſancta erat, tum quia finem feſto imponebat.

SECTIO V. *De Feſtis Tubarum & Dedicationis.*

De feſtis Tubarum & Dedicationis multa dicenda non habemus, quia non magis ad Templum pertinebant quàm ad univerſam regionem, niſi quòd ſonitui Tubarum in Templo quædam addebantur extraordinaria ſacrificia die primâ *Tiſri*, quæ totius anni prima erat; quam in rem extat præceptum, *Numer.* 29: 1, 2, 3.
Maym. in *Succah*, *Perek.* 1. Hæc tantùm Traditio in eam praxim irrepſit, quòd cùm in aliis locis initio anni caneret Tuba ex cornu arietis aut ovis facta, adhiberentur duæ Tubæ argenteæ, & Levitæ canerent eâ die Pſalmum 81.
Thalm. in *Roſh Haſhanah*, fol. 31. Feſtum Dedicationis, cujus mentio fit *Joann.* 10: 22. originem duxit ab inſtauratione Templi, Altaris & Miniſterii, quæ polluta & interrupta fuerant à *Syro-Græcis* Tyrannis. Inſtituit feſtum hoc *Judas Maccabeus*, *ejus fratres & tota Congregatio* à 25. die menſis *Ciſleu* per octiduum; quod incidebat in Decembris noſtri initium. (*1 Macc.* 4: 52, 59.) Hoc habebat maximè peculiare in Miniſterio Templi, quòd quotidiè caneretur τὸ *Hallel*. In aliis locis accendebant unaquâque veſperâ candelas, quas januis ædium ſuarum per totam noctem comburendas imponebant: (*Maymon.* in *Channucah*, Per. 1.) atque hoc lapſu temporis aucto, quot erant capita in familia, totidem apponebantur candelæ; imò quidam ſecundâ veſperâ alterâ parte augebant numerum candelarum, & ſemper primum numerum ſummæ adjiciebant, adeò ut ſi primâ nocte fuiſſent decem, octavâ octoginta fuiſſent futuræ.

Ratio hujus ritûs affertur ab Auctore modò in margine laudato, hiſce verbis: (*Id. ibid.*) *Cùm Iſraël vicit & delevit hoſtes ſuos, erat 25. menſis Ciſleu, & iverunt in Templum, nec ullum ibi invenerunt purum oleum præter unam phialam; nec plus erat in ea olei quàm neceſſe erat ad alendam Lucernarum flammam per unam diem: attamen eo Lucernas accenderunt.* Atque hìc, ut ajunt Scholia, *editum eſt in eorum gratiam miraculum; nam aluit flammam Lucernarum per octo noctes: unde Sapientes ejus generationis conſtituerunt ſequente anno hoſce octo dies fore dies feſtos & gratiarum actionis, ac candelas ad januam ædium accenſum iri.* (*Gloſſ.* ibid.)

CAPUT XVII.

Partes quædam peculiares Miniſterii.

SECTIO I. *Lectio Legis ad quam Rex tenebatur.*

Est hoc præceptum *Moſis*: *Poſt ſeptem annos remiſſionis, in ſolennitate Tabernaculorum, convenientibus cunctis ex Iſraël ut appareant in conſpectu Domini Dei tui in loco quem elegerit Dominus, leges verba Legis hujus coram omni Iſraël, audientibus eis.* (*Deuter.* 31: 10, 11.) Circumſtantias loci, temporis, & perſonæ quæ Legem legeret, ſic deſcribunt Judæi. Lector debebat eſſe ipſe Rex, locus Atrium Mulierum, & tempus circa finem primæ diei feſtæ feſti Tabernaculorum. (*Thalm.* in *Sotah*, Per. 7. *R. Solom.* in *Deuter.* 31. *Maym.* in *Hagigah*, Per. 1.) Tùm pulpitum ligneum collocabatur in medio Atrio Mulierum, eò enim & mulieres & pueri venire poterant ad audiendum, (quòd etiam ipſis præcipitur ibidem, *verſ.* 12.) nam non licebat ipſis ſuperius Atrium ingredi. Rex autem veniebat in pulpitum, & ſedebat *Miniſter Congregationis*, חזן כנסת, tollebat Librum Legis, & tradebat Principi Congregationis vel Synagogæ, ראש הכנסת; Princeps Congregationis vel Synagogæ (tùm enim eodem modo ſe gerebant, ac ſi fuiſſent in Synagoga) tradebat τῷ *Sagan*, *Sagan* Summo Sacerdoti, Summus Sacerdos Regi; Rex verò ſtans eum accipiebat, & priuſquàm legeret concipiebat preces, quibus orabat Deum, ut unuſquiſque id obſervaret quod mox in Lege lecturus erat coram omnibus: tunc, ſi videretur, poterat ſedere & legere; ſed ſi ſtans legeret, majoris hoc reverentiæ credebatur; atque ita ajunt Regem *Agrippam* feciſſe, cùm hoc fungeretur officio.

Incipiebat legere initio *Deuteronomii*, & legebat ad *verſ.* 10. *Cap.* 6. Hinc tranſibat ad *verſ.* 13. *Cap.* 11. & legebat uſque ad *verſ.* 22. ejuſdem *Capitis*. Ibi rurſus

ſùs prætermiſſis ſequentibus, tranſiliebat ad *verſ.* 22. *Cap.* 14. & legebat ad *verſ.* 2. *Cap.* 29. Exiſtimabat enim ſatis eſſe modò legeret eas tantùm portiones quæ graviſſimæ erant, & prægnantioribus conceptæ verbis commovere populum poterant & incitare ad obſervationem mandatorum, atque confirmare manus ejus in Lege veritatis. *Thalmud* infert Regem *Agrippam*, cùm hoc fungeretur officio, & perveniſſet ad *Deuter.* 17: 15. *Unum ex fratribus tuis conſtitues tibi Regem: non poteris alterius Gentis hominem qui non ſit frater tuus, Regem facere*, illachrymaſſe, cùm meminiſſet ſe non eſſe ex ſanguine Judæorum: ſed populum, ut illum conſolaretur, ter inclamaſſe, *Ne timeas, Agrippa, frater noſter es.*

Ea lectio vocatur פרשת המלך, *Sectio Regis*, atque enumeratur à Judæis inter illa octo quæ neceſſariò Hebraicâ linguâ efferri debebant. Ea autem octo hæc ſunt.

I. Verba ejus qui offerebat Primitias, *Deuter.* 26: 5.

II. Verba mulieris quæ calceum exuebat, *Deuter.* 25: 7, 8, 9.

III. Benedictiones & maledictiones, *Deuter.* 27. & 28.

IV. Benedictio Sacerdotum, *Numer.* 6: 24, 25, 26.

V. Benedictio Summi Pontificis die Expiationis.

VI. Hæc lectio Regis.

VII. Verba Sacerdotum hortantium ad prælium, *Deuter.* 20: 3.

VIII. Verba Seniorum ſuper juvenca cæſa, *Deuter.* 21: 7, 8.

SECTIO II. *Combuſtio Vaccæ ruſæ à Sacerdotibus.*

Lex circa conſumptionem Vaccæ ruſæ in cineres, & uſum iſtorum cinerum ad purificationem eorum qui cadavere polluti fuerant, fusè traditur ac deſcribitur *Numer.* 19. & ſignificatio hujus ritûs aliarumque aſperſionum perſtringitur *Hebr.* 9: 13. Ratio quâ peragebant hanc magni momenti cæremoniam, (talis enim haud immeritò habeatur, cùm eam adhiberent ad homines purificandos ex maxima pollutione) erat ultra modum anxia, & tantâ hoc in negotio circumſpectione utebantur, ut in nullo ritu plures adhiberent cæremonias.

Ne jam memorem anxietatem in eligenda Vacca quæ huic rei apta eſſet, & cautiones ac ſcrutinia quæ tùm adhibebant, & quæ ſubtiliter diſcutiuntur in duobus primis Capitibus Tractatûs *Parah*: ne diſquiſitionem jam inſtituam, utrùm hæc combuſtio pertineret tantùm ad Summum Sacerdotem, utrùm verò ritè à quovis alio peragi poſſet; cùm eo uſque devenerant, ita ſe gerebant.

Vide *Juchaſ.* fol. 13. *R. Solom.* in *Numer.* 19.

Septem diebus antequàm Vacca comburéretur, Sacerdos qui eam combuſturus erat, ſeorſim detinebatur in Templi Conclavi, quod erat in angulo Euroaquilonari Atrii *Iſraëlis*, & quod vocabatur בירת האבן, *Domus Lapidea*, hoc eſt, in qua erant vaſa lapidea, uti oſtendimus in ejus deſcriptione. Ratio autem hujus ſeparationis hæc erat, nempè ut certus eſſe poſſet ſe purum fuiſſe toto illo tempore omnis pollutionis ex cadavere, aut funere contractæ. Nam cùm cineres iſtius Vaccæ eſſet magna & unica luſtratio illius pollutionis, ejus erat diligenter cavere, ne ipſe qui eam combuſturus erat, & aſperſurus ejus cineres, ſuſpectus eſſet pollutionis.

Thalm. in *Parah*, Per. 3. in *Mishnah*, & *Joma*, Per. in *Gemara*.

Cùm dies combuſtionis venerat, Sacerdos qui cæremoniam erat peracturus, & qui ei adfuturi erant, exibant ex Orientali Porta Montis Templi, quæ vocabatur etiam *Shushan*, & reſpiciebat Vallem *Cedron*, versùs Montem *Oliveti*, & ibant ad cacumen collis, qui erat è regione Portæ ex qua exierant, & ante Templum. Via autem quæ erat ſupra Vallem, erat ſtrata, & duplici fornici impoſita, hoc eſt, ita ut arcus unus duobus inniteretur, quâ ratione via facta fuerat plana, & ad perpendiculum per totum illud ſpatium. Ratio autem tantorum ſumptuum & tam anxiæ cautionis hæc erat, ut certi eſſe poſſent ſe non calcaſſe latens aliquod ſepulcrum, quo tranſeuntes pollui potuiſſent; neque enim lapidei fornices ſinebant ibi defodi aliquod cadaver. Similes Arcus, propter eandem cautionem, obſervavimus ſuo loco fuiſſe ubique ſub Atriis Templi; atque ejuſdem etiam ſecuritatis gratiâ locus Montis *Oliveti*, in quo Vacca comburebatur, erat fornici impoſitus.

Middoth, Per. 1.

Maymon. in *Parah*, Perek. 3. *Shekalim*, Per. 4. & *Thalm.* in *Parah*, ubi ſuprà.

Seniores populi ante Sacerdotem incedebant, omneſque qui aderant per viam iſtam ſtratam, ad locum combuſtionis; & cùm eò devenerat Sacerdos, imponebant ei manus ſuas, & eum monebant ut ſe lavaret, erat enim ibi locus eam in rem paratus; quod faciebat. Poſteà aſtruebatur pyra in quâ comburebatur, cui vinctis ſune cruribus imponebatur Vacca, ita ut caput ejus ad Auſtrum eſſet ſitum,

&

Digitized by Google

& facies Occidentem reſpiceret. Sacerdos ſtans ad Orientale ejus latus, facie ad Occidentem obverſâ, jugulabat eam manu dextrâ, & lævâ ſanguinem ejus accipiebat.

Erat autem cautum Lege, ut aſperſio ſanguinis ejus *fieret rectà versus Tabernaculum Congregationis, & quidem ſepties*, Numer. 19: 4. Cui mandato ut ſatisfieret, Sacerdos jugulatæ Vaccæ ſanguinem toties adſpergebat versùs Templum, reſpiciens Portam *Shushan* ſupra Porticum Templi: cujus Portæ lorica ſuperior ideò humilior erat loricis aliarum Portarum, quæ erant circa Sanctuarium, ut ſupra eam poſſet videre faciem Porticûs, quamvis eò pertingere non poſſet.

Adſperſione ſanguinis Vaccæ peractâ, ignem ſubjiciebat pyræ, eamque incendebat; & dum ureretur, ſumebat lignum cedrinum, & hyſſopum, & lanam purpuream, & iſta oſtentans dicebat adſtantibus, *Hoc eſt cedrinum lignum*, *Hoc eſt cedrinum lignum*, *Hoc eſt cedrinum lignum*, ter repetitis iiſdem vocibus, populo ter reſpondente, *Benè*, *Benè*, *Benè*. Similiter dicebat, *Hæc eſt hyſſopus*, *Hæc eſt hyſſopus*, *Hæc eſt hyſſopus*. *Hæc eſt lana purpurea*, *Hæc eſt lana purpurea*, *Hæc eſt lana purpurea*, ter reſpondente populo utrique huic voci. Tùm iſta in ignem conjiciebat, & unà cum Vacca comburebantur.

Cùm omnia eſſent combuſta; ſumebant cineres, quos ponderabant & cribrabant, & aliquam eorum partem relinquebant in loco quopiam Montis *Oliveti* ad populum adſpergendum. Altera pars tradebatur viginti quatuor Claſſibus ad aſperſionem Sacerdotum. Tertia reponebatur ἐν τῷ *Chel*, ſeu ſpatio intermurali Atrium ambiente, ubi memoriæ causâ aſſervabatur. Novem hujus generis Vaccæ combuſtæ fuerunt inter tempus quo primùm Lex circa hunc ritum data eſt, & poſtremam Templi deſtructionem: una tempore *Moſis*, altera combuſta ab *Ezra*, duæ à *Simeone Juſto*, duæ à *Jochanane* patre *Matthiæ*, una ab *Elioenai* filio *Hakkoph*, una ab *Hananeele Hammizri*, una ab *Iſmaële* filio *Fabi*. Judæi decimam expectant diebus *Meſſiæ*: qua in re ὡς ἐν παρόδῳ, obſervare poſſumus, quàm auctæ fuerint pollutiones eorum Traditionibus: nam duæ ejuſmodi Vaccæ inſervierunt uſque ad *Ezræ* tempora per ſpatium pluſquàm mille annorum; tempore verò ſequente, quod non eſt dimidium præcedentis, ſeptem conſumptæ ſunt.

Juchaſin, fol. 16.

Cùm porrò Lex ad purificationem polluti hominis juberet *hominem mundum eos cineres ſpargere*, Numer. 19: 18. eorum Traditio hoc ita interpretata eſt, ut intellexerint virum qui per totam vitam nunquam cadavere pollutus fuiſſet; erantque fornices *Hieroſolymæ* rupi inædificati, quibus ædes impoſitæ erant, ut ejuſmodi viri mundi poſſent reperiri. Atque eò tanquam ad locum ſepulcrorum expertem, quædam deducebantur mulieres gravidæ quarum inſtabat partus, quæ ibi decumbebant. Eorum filii ibi perpetuò educabantur ad hoc ſolum officium, ut parati eſſent, ſtatim ac poſſent, & ſeſe offerret occaſio, ad ſpargendos hoſce cineres. Quod cùm aliquis ex illis facturus erat, ibat inſidens dorſo bovis, primùm ad Piſcinam *Siloam*, ubi deſcendebat in aquam, ibi enim nullum eſſe exiſtimabatur ſepulcrum quod eum polluere poſſet; & impletâ lagenâ indè aſcendebat, equitabat ad Montem *Oliveti*, adſpergebat eos qui erant purificandi, & ſemper dorſo bovis ad ſuam cellulam redibat.

SECTIO III. *Examen ſuſpectæ Uxoris.*

Lex de zelotypia, & examine Uxoris ſuſpectæ, quæ lex habetur *Numer.* 5. intelligebatur & obſervabatur à Judæis juxta haſce Conſtitutiones & Traditiones.

Si vir quiſpiam coram duobus teſtibus uxorem ſuam monuiſſet, dicens, *Vide ne iſtum virum alloquaris*; licèt non pareret uxor, erat tamen inculpabilis apud virum. Sed ſi in locum privatum cum iſto homine ſeceſſiſſet, & aliquantulùm ibi cum eo manſiſſet, tùm fidem fregiſſe viro exiſtimabatur, eamque deducebat ad vicinum *Synhedrium*. *Synhedrii* verò illius membra mittebant cum eo & uxore duos Diſcipulos Sapientum ad *Magnum Synhedrium Hieroſolymitanum*, ne ille cum ea in itinere concumberet. Cùm ibi eſſet, eam terrebant aſperis ac minacibus verbis, ut culpam ſuam fateretur. Si ſe corruptam fuiſſe fatebatur, lacerabat matrimoniale Inſtrumentum ſuum, atque ita erat repudiata. Sed ſi negando perſtaret, & ſe purgare vellet, *eam deducebant per Orientales Portas*, (ajunt *Thalmudici*) *quæ ſunt ante Portam Nicanoris*. Quod *Rambam* in eum locum ita interpretatur, quaſi *eam traherent, & delaſſarent aſcendendo & deſcendendo per gradus Portarum iſtarum Orientalium, ut præ infirmitate & delaſſatione ad confeſſionem adduceretur*. Si nondùm

Thalm. in *Sot.* Per. 5.

dùm confiteretur, ſed ſe innocentem eſſe contenderet, tùm collocabatur in Porta *Nicanoris*, quæ erat Porta Orientalis Atrii. Tùm Sacerdos qui examini ejus præfuturus erat, apprehenſam ejus veſtem lacerebat, adeò ut mammas ejus denudaret uſque ad regionem cordis. Si eſſet induta albâ veſte, nigra ei imponebatur, & coma ejus ſolvebatur ita ut circa humeros penderet. Si haberet annulos, vel gemmas, ei detrahebantur, & fune cingebatur ſuper mammas. Et quicunque eam cupiebat videre, poterat eò venire, præter ejus ſervos. Atque huc facit Thalmudica obſervatio. *Quâ menſurâ quis metitur*, ajunt Doctores, *metiantur ei vice versâ. Ea ſe ornavit ad tranſgrediendum, ſed Deus polluit ejus ornatum; ſe retexit ad peccandum, Deus retegit ejus infamiam; ſtetit in januâ ut ſe oſtentaret, eſt poſita in porta ad oſtendendum ſuum probrum; extendit velum ſupra caput ſuum, Sacerdos pedibus ejus id ſuppoſuit; vinxit ſuam comam, Sacerdos eam ſolvit; cinxit ſe cingulo venuſto, Sacerdos eam cingit cingulo afflictionis; faciem ſuam ornabat, ſed ſputis conſpurcatur; ornabat oculos ſuos, oculi ejus jam prominent; faciebat ſigna digitis ſuis, ejus ungues exſecti ſunt; ejus femur cœpit peccare, & poſteà ejus venter, ideòque femur ejus primùm punitur, deinde ejus venter, nec totum ejus corpus evadit.*

Ibid. & *R. Abbuhab in Menorah*, Per. 1.

Ejus oblationem, quæ erat vaſculum farinæ hordeaceæ, Sacerdos in manum ei tradebat, juxta mandatum Legis, *Numer.* 5: 15, 18. Tùm ille teſtam accipiebat, & nonnihil aquæ ex Lavacro ei infundebat, & ingreſſus intra januam Templi, ſumebat aliquantulum pulveris ſub lapide, qui ea de cauſa cœmento adſtrictus non fuerat, (ubi eſſet diximus ſuo loco) & hunc pulverem immiſcebat aquæ. Deinde denuntiabat maledictionem, & ſcribebat hæc verba in Libro, *Numer.* 5: 19, 20, 21, 22. *Si non dormivit vir alienus tecum, & ſi non polluta es*, &c. *Sin autem declinaſti à viro tuo*, &c. *Det te Dominus in maledictionem*, &c. *Ingrediantur aquæ maledictæ in ventrem tuum, & utero tumeſcente putreſcat femur.* Et fœmina reſpondebat, *Amen*, *Amen.* Poſteà expungebat Sacerdos maledictionem ex libro aquâ amarâ, & tradebat ei bibendam. Si denunciatione maledictionum ita terrebatur ut non auderet bibere, ſed ſe corruptam fateretur, Sacerdos effundebat aquam, & oblationem ejus diſpergebat per cineres; ſed ſi negaret, nec vellet bibere, eam cogebant; ac ſi parata foret ad evomendam aquam, eam abducebant, ne pollueret locum. *Operatio hujus aquæ*, ajunt Rabbini, *poſteà ſequebatur, licèt aliquando non appareret niſi poſt duos aut tres annos; nam intereà non pariebat liberos, ſed malè ac languidè ſe habebat, & eâ morte è medio tollebatur.*

Sectio IV. *Expiatio pro Leproſo purgando.*

In angulo Atrii Mulierum ad Caurum obverſo, erat ædificium quoddam quod vocabatur לשכת המצורעים, *Conclave Leproſorum*, quò veniebant Leproſi poſtquàm ruri, vel domi purificati eſſent. Atque hìc ſentio me alibi hallucinatum eſſe; quem meum errorem, bona cum lectoris venia, hîc retractare conſtitui. Dixi in Notis ad *Joann.* 2: 15. Leproſos fuiſſe inſpectos in hoc Conclavi à Sacerdote, adeòque illis non fuiſſe interclusum aditum Montis Domûs, & cultûs publici qui Deo in Templo exhibebatur. Verùm quidem eſt Leproſos adire potuiſſe Synagogas, ſeu loca in quibus publicè Deus colebatur, in iis urbibus quæ mœnibus cinctæ non erant, modò ſeorſim & in loco à cæteris remotiori ſtarent; ſed oblationem inferre Templo interdictum iis erat, additâ pœnâ graviſſimâ, ut anteà à me oſtenſum eſt; imò ab omni urbe mœnibus cincta excludebantur. Eorum ergò examen ruri fiebat, ubi purificabantur à Sacerdote variis adhibitis cæremoniis; & poſtquàm purificati fuerant, ſeptimâ die iterùm ſe offerebant conſpiciendos Sacerdoti, ut & anteà fecerant, & corpore aquâ abluto, poterant *Hieroſolymam* venire. Octavâ die aſcendebant in Montem Domûs, & adducebant ſecum tres agnos in holocauſtum, in oblationem pro peccato, & delicto, & ſeabluebant in eo Conclavi quod erat in angulo Atrii Mulierum, quod indè vocabatur *Conclave Leproſorum.*

Thalm. in *Middoth*, Per. 2.

Maym. in *Tephill.*

Idem in *Tum. tſar.* 11.

Thalm. in *Neg.* Per. 11.

Cùm *Migrephah*, vel Tintinnabulum (ſic enim vocare liceat) movebatur ab iis qui intrabant in Templum, ad offerendum Thymiama, Præfectus eorum qui tùm Templo inſerviebant, exibat & ipſum conveniebat, ut & omnes qui anteà immundi fuerant, & veniebant ut purificarentur, eoſque ſiſtebat ad *Portam Nicanoris*. Sed erant hìc duo præcepta contraria, quibus quomodò ſatisfieri poſſet diſquirendum erat: nam nec Leproſo licebat calcare ſolum Atrii priuſquàm expiatio ejus facta eſſet, nec poterat ſanguis oblationis pro delicto Atrio efferri; attamen oportebat eo lini auriculam Leproſi, pollicem & hallucem, *Levit.* 14: 14. Ut hæc contraria conciliarentur, veniebat Leproſus intra Portam quàm proximè

Tam. Per. 5.

Ibid. & *Sotah*, Per. 1.
Maym. in *Mechoſ. capp.* Per. 4. & *Gloſſ.* in *Sotah.*

Digitized by Google

mè poterat, ut tamen in ipſo Atrio non eſſet. Eò oblationem pro delicto ad ipſum deducebat Sacerdos, extendebatque Leproſus manus intra Atrium, eaſque imponebat victimæ. Cùm erat jugulata, Sacerdos afferebat ſanguinem, & dum ipſe ſtabat intra Atrium, Leproſus extendebat collum, & caput Atrio inſerebat, Sacerdos verò auriculam ejus dextram ſanguine tingebat; ſimiliter Leproſus manum & pedem intra Atrium porrigebat, & poſtquàm Sacerdos illeviſſet ſanguine pollicem & hallucem ejus, mundus habebatur. Purificatio aliorum pollutorum, ut eorum qui effluvio laborabant, & mulierum poſt partum, fiebat in eodem loco, & ferè eadem ratione, niſi quòd auricula & digiti manûs ac pedis ſanguine non tingerentur. Itaque non opus eſt ut peculiarem de his tractationem aggrediamur.

Sectio V. *Quâ ratione afferrent ac offerrent Primitias.*

Ne immoremur recenſendis variis rerum generibus in quibus Primitiæ ſolvi debebant, aut explicandæ rationi quâ eas domi ſeponebant, de quibus ſunt amplæ diſceptationes in *Thalmude*, cùm hæc ſint extra inſtituti noſtri limites, quippè quæ longiùs fuerint à Templi finibus remota; ritus ac cæremoniæ quibus utebantur in afferendis ad Templum Primitiis, ibique adeò offerendis,
Thalm. in *Biccur.* Per. 3. & *Maym.* ibid. propiùs pertinent ad noſtrum inſtitutum. Hæc autem hac ratione fiebant. Omnes urbes quæ ad tractum aliquem pertinebant, conveniebant ad præcipuam ejus tractûs urbem, atque in plateis pernoctabant. Conveniebant autem, quia volebant turmatim ire, juxta id quod dicitur, *Multitudo populi eſt Regis decus*; & pernoctabant quidem in plateis, ne ingrediendo in ædes polluerentur. Matutino autem tempore Præſes, ſeu præcipuus inter illos, his verbis eos excitabat, *Surgite, ac eamus Sionem ad Dominum Deum noſtrum:* quâ voce auditâ, viam capeſſebant. Ante eos ibat taurus cornibus auratis, & oleæ ramo coronatus. Præcedebat etiam Tibicen tibiâ canens donec eſſent vicini *Hieroſolymæ*; tùm ſæpiùs repetebant hoc dictum: *Lætus eram cùm dicebant, Eamus Domum Domini.* Confer *Pſalm.* 30: 29. Diebus quibus iter facere licebat, iter faciebant tantùm per duas diei partes, ne laſſitudine vitiaretur feſtivitas. Cùm erant vicini *Hieroſolyma*, mittebant Nuntium, qui eos adventare referret, & floribus ornabant ſua vaſa, & aliquot fructus ex recentiſſimis oculis exponebant. Cognito eorum adventu, præcipui ex Sacerdotibus ipſis obviam ibant, & cùm ingreſſi erant urbem, repetebant hæc verba: *Pedes noſtri ſtabunt intra Portas tuas, ô Jeruſalem*; omneſque artifices qui erant tunc in officinis ſurgebant, & ſalutabant eos: *O fratres noſtri hujus vel illius loci, fauſtus & felix ſit veſter adventus.* Tibicen tibiâ ſuâ ante eos canebat donec venirent ad Montem Domûs; & cùm eò perveniſſent, unusquiſque, אפיל אגריפס המלך, *etiamſi fuiſſet ipſe Rex Agrippa*, ait Traditio, debebat vaſculum ſuumhumero imponere, & ita incedere donec perveniſſet in Atrium, ac recitare *Pſalm.* 150. *Laudate Dominum, laudate Deum in ſuo Sanctuario*, &c.

Cùm erant in Atrio, Sacerdotes incipiebant canere *Pſalm.* 30. *Exaltabo te, Domine, quoniam ſuſcepiſti me, nec delectaſti inimicos meos ſuper me.*

Tum unusquiſque caniſtrum ſuum humero geſtans dicebat: *Confiteor hodie coram Domino Deo tuo, quòd ingreſſus ſum in terram pro qua juravit Dominus Patribus noſtris, ut daret eam nobis*, Deuter. 26: 3. & dum inciperet dicere, *Syrus periturus erat pater meus*, &c. dejiciebat humero caniſtrum ſuum, & tenebat illud limbo, dum Sacerdos ſubjiceret manum, idque agitaret; & dicere pergebat: *Syrus periturus erat pater meus, & deſcendit in Ægyptum, & peregrinatus eſt ibi in pauciſſimo numero*, &c. uſque ad mediam decimi verſûs partem; quibus recitatis, deponebat caniſtrum ſuum ad latus Altaris, & inclinabat ut effunderetur quicquid in eo erat. Utebantur poſteà caniſtris ſuis ad continendos turtures ac columbos qui offerendi erant; at Primitiæ ipſæ fructuum pertinebant ad Claſſem Sacerdotum quæ tùm miniſtrabat. Oportebat autem eos qui eos attulerant *Hieroſolymæ* pernoctare, ſed ſequente die licebat ipſis matutino tempore domum redire. Non poterant offerre Primitias ſuas ante feſtum Pentecoſtes, (confer *Actor.* 2. & *Rom.* 8: 23.) nec poſt feſtum Dedicationis.

Sectio VI. *Collectio ligni ad Altare.*

Deus diſertis verbis ac diſtrictè juſſerat ignem Altaris perpetuò ali, ut nunquam extingueretur, *Levit.* 6: 13. Divina providentia, ut obſervant Judæi, concurrebat ad conſervationem ignis: ajunt enim *pluvias* *Thalm* in
è cælo nunquam ignem extinxiſſe; ac homi- *Avoth*,
nes etiam curabant ut continuò flammaret, Per. 5
pœnâ flagri ei indictâ qui eum extingueret, *Maym.* in *Tam.*
& ligni copiâ quod perpetuò in Templum *Umus.*
ferri curabant ut aleretur ignis. Loquitur *Jo-* Per. 2.
ſephus de eorum *Xylophoriis*, ſeu quadam anni tempeſtate, in qua populus in eam rem lignum eò deferebat. Hæc ejus ſunt verba:

 Tῶν

Τῶν ξυλοφορίων ἑορτῆς οὔσης, ἐν ᾗ πᾶσιν ἔθος ὕλην τῷ βωμῷ προσφέρειν ὅπως μήποτε τροφὴ τῷ πυρὶ λίποιτο, διαμένει γὰρ ἄσβεστον ἀεί. *Cùm eſt feſtum Ligni deferendi, quo ſolent omnes materiam ad Altare afferre, ne unquam igni alimentum deſit; ſemper enim inextinctum manet.* Joſeph. de Bell. lib. 2. cap. 31. Thalmudicus Tractatus *Thaanith* numerat novem præſertim dies anni ei rei conſecratos, atque id opus attribuit novem peculiaribus Familiis, ex iis quæ memorantur ex Captivitate rediiſſe. Per. 4. *Tempora ligni ferendi*, ait, *Sacerdotibus & populo erant novem. Primâ die Niſan, Filii Arah, qui fuit filius Judah. Vigeſimâ Thammuz, filii Davidis, qui fuit filius Judah. Quintâ Ab, filii Paroſh, qui fuit filius Judah. Septimâ ejuſdem, filii Jonadab Rechabitæ. Decimâ ejuſdem, filii Senaah, qui fuit filius Benjamin. Decimâ quintâ ejuſdem, filii Zatte, qui fuit filius Judah, & cum illis Sacerdotes & Levitæ, & quicunque non noverant ſuam Tribum,* &c. *Vigeſimâ ejuſdem menſis, filii Pahath Moab, qui fuit filius Judah. Primâ Thebeth, filii Paroſh id officii iterabant. Et primâ quidem Thebeth non erat Statio*, (quæ obiretur à Stationariis) *quia canebatur Hallel eâ die, & erat addita oblatio, & allatio ligni.*

Lignum hac ratione ad Templum allatum primùm deponebatur in eo ædificio quod erat in Euro-aquilonari angulo Atrii Mulierum, quod vocabatur לשכת העצים, *Conclave Lignorum, ubi Sacerdotes immundi*, ideòque inepti ad ſerviendum Altari, *vermes in lignis perſcrutabantur; omne enim lignum in quo vermis inveniebatur*, immundum erat, ideòque Altari ineptum. Thalm. in Midd. Per. 2. Quod vermium expers reperiebatur, atque adeò Altari aptum exiſtimabatur, ferebatur in aliud Conclave, quod vocabatur etiam *Conclave Ligni*, vel *Conclave Parhedrorum*, quod erat in Auſtrali latere Atrii *Iſraëlis*, atque ibi proximum Altari & paratum uſui quotidiano. Id lignum quod continebat vermes, proptereàque Altare attingere non poterat, uſui erat ad elixandas, coquendas vel frigendas oblationes quæ elixabantur, coquebantur vel frigebantur, vel ad ſtruendum ignem Sacerdotibus & Levitis miniſtrantibus, vel excubias hyemali tempore agentibus.

Finis Deſcriptionis Miniſterii Templi.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Capitum & Sectionum Tractatûs de Miniſterio Templi.

CAPUT I. *De varia diverſarum Templi partium ſanctitate.* Pag. 673

SECT. I. *Quomodò polluti arcerentur à Templo.* 674

SECT. II. *Pœnæ quibus obnoxii erant polluti qui in Templo deprehendebantur. Mors per manum Cæli, & Exciſio.* 675

SECT. III. *Pœna pollutorum in Templo deprehenſorum. Flagellatio, & Rebellionis Verbera.* 676

CAP. II. *De variis ordinibus Sacerdotum & variis Templi Miniſtris.* 678

CAP. III. *De Summo Sacerdotio.* 680

CAP. IV. *De ſucceſſione Summorum Sacerdotum.* 682

SECT. I. *De ſucceſſione uſque ad ædificationem Templi.* ibid.

SECT. II. *Summi Sacerdotes ab ædificatione Templi ad Captivitatem.* 683

SECT. III. *Summi Sacerdotes ſub Templo ſecundo.* 684

CAP. V. *Sagan, Katholikin, Immarkalin, & Gizbarin.* 687

SECT. I. *SAGAN*, סגן. ibid.

SECT. II. *KATHOLIKIN*, קתוליקין. 688

SECT. III. *IMMARKALIN*, אמרכלין. 689

SECT. IV. *GIZBARIN*, גזברין. 690

CAP. VI. SECT. I. *De viginti quatuor Claſſibus Sacerdotum.* 691

CAP. VII. *De Levitis.* 694

SECT. I. *De Janitoribus & Cuſtodibus Templi.* ibid.

SECT. II. *De Cantoribus & Muſica Templi.* 695

SECT. III. *De Stationariis, vel Iſraëlitis Stationem in Templo agentibus.* 700

CAP. VIII. *De Judæorum Sacrificiis & Oblationibus.* 701

SECT. I. *Holocauſta*, עלות. 702

SECT. II. *Oblationes pro Peccato*, חטאת. 705

SECT. III. *Oblationes pro Delicto*, אשם. 708

SECT. IV. *Pacificæ Oblationes*, שלמים. 711

SECT. V. *Oblationes Panis & Oblationes Vini*, מנחה & נסך. 714

CAP. IX. *Modus & adminiſtratio quotidiani Sacrificii.* 716

SECT. I. *Modus quo jaciebant ſortes ut ſuum unicuique aſſignaretur munus.* 717

SECT. II. *Purgatio & præparatio Altaris Holocautomatum.* 718

SECT. III. *Mactatio matutini Sacrificii. Lucernarum & Altaris Thymiamatis præparatio.* 719

SECT. IV. *Publicæ Preces. Phylacteria.* 720

SECT. V. *Thymiamatis combuſtio, & reliquæ Preces.* 721

SECT. VI. *Reliquæ Preces.* ibid.

CAP. X. *Ratio quâ in Templo Deum colebant.* 723

CAP. XI. *De Populi comparatione in tribus Feſtis.* 725

CAP. XII. *De ritibus celebrationis Paſchatis.* 726

SECT. I. *Inveſtigatio Fermenti.* 728

SECT. II. *Quæ fierent pomeridianis horis die Paſchatis.* 729

SECT. III. *Tempus mactationis Paſchatis.* ibid.

SECT. IV. *Paſchales Societates.* 731

SECT. V. *Mactatio Paſchatis.* ibid.

CAP. XIII. *Ritus Judæorum in comedendo Paſchate.* 733

CAP. XIV. SECT. I. *De ſolennitate & ritibus primæ diei in hebdomade*

made Paſchali. De Hagigah & Pacificis Sacrificiis hilaritatis. 741

SECT. II. *Secunda dies Paſchalis hebdomadis. Collectio & oblatio τῦ Homer Primitiarum.* 742

SECT. III. *Feſtum Pentecoſtes.* עצרת. 743

CAP. XV. *De Miniſterio diei Expiationis.* 744

CAP. XVI. *Ritus Feſti Tabernaculorum.* 747

SECT. I. *Varia Sacrificia in Feſto Tabernaculorum.* ibid.

SECT. II. *Palmarum & Salicum rami.* ibid

SECT. III. *Mala Citrea.* אתרוג. 748

SECT. IV. *Effuſio aquæ*, ניסוך המים, *& deſcriptio Miniſterii Sacri unaquaque die.* 749

SECT. V. *De Feſtis Tubarum & Dedicationis.* 751

CAP. XVII. *Partes quædam peculiares Miniſterii.*

SECT. I. *Lectio Legis ad quam Rex tenebatur.* ibid.

SECT. II. *Combuſtio Vaccæ rufæ à Sacerdotibus.* 752

SECT III. *Examen ſuſpectæ Uxoris.* 753

SECT. IV. *Expiatio pro Leproſo purgando.* 754

SECT. V. *Quâ ratione afferrent & offerrent Primitias.* 755

SECT. VI. *Collectio ligni ad Altare.* ibid.

Finis Indicis.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO IN QUARTUM ARTICULUM SYMBOLI APOSTOLICI

Deſcendit in Infernum.

HIc Symboli Articulus nititur *Actor.* 2:27 *Non relinques animam meam in Inferno.* Quare ſit inſertus Symbolo poſteà videbimus. Obſcurus eſt & peperit multas diſputationes, imò ejus tranſlatio in linguam Anglicam, ***Thou wilt not leave my ſoul in Hell***, nonnullos offendit. Durum enim videtur, dicere animam *Chriſti* deſcendiſſe in Infernum, ***into Hell***, quâ voce in Anglico noſtro ſermone ſignificatur locus damnatorum, qui nullo modo videtur aptus excipiendæ animæ *Chriſti*, cùm ab ejus corpore diſceſſit. An ipſe & proditor *Judas* in eundem convenirent locum? Is qui morte ſuâ Cœlum aliis acquiſivit, ipſe in Infernum poſt mortem deſcenderet? Nullum aliud fidei noſtræ caput magis indiget explicatione, ut communi rationi, vel Analogiæ fidei accommodetur.

Hanc methodum in eo explicando ſequar, ut primùm illud vindicem à ſenſibus ineptis & qui offendere poſſunt, atque ab interpretationibus parùm veriſimilibus; deinde proponam proprium & genuinum ejus ſenſum.

I. I. Vulgò hunc Articulum in Eccleſia Romana interpretantur, quaſi *Chriſti* anima verè ac propriè deſcenderit in locum cruciatuum, ſed alio fine; nempè, ut ipſi loquuntur, *ut liberaret Patriarchas & omnes juſtos qui in ſervitute detinebantur uſque ad ejus mortem.* Ita *Rhemenſes* in *Actor.* 2: 17. Cui rei applicant *Epheſ.* 4: 9. *Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?* Ubi iidem *Rhemenſes* habent, *Significat præſertim deſcenſum ejus in Infernum.*

Huc quoque trahunt 1 *Pet.* 3: 19. *In quo etiam prædicavit Spiritibus in carcere.* Atque hoc in loco ulteriùs progreſſi, dicunt *Chriſtum* etiam concionatum eſſe in Inferno, & quoſdam indè abduxiſſe, qui ibi fuerant uſque à temporibus *Noë*. Quidam qui boni quidem fuerant, ſed noluerunt credere *Noë* prænuntianti diluvium; donec diluvium adveniſſe viderent, quo tempore crediderunt, & ſe erraſſe doluerunt, adeòque, mortui licèt diluvio, in ſtatu ſalutis erant; hi in altera vita incredulitatis ſuæ pœnas luerunt, & deſcenſu *Chriſti* in Infernum liberati ſunt.

Annon videtis manifeſtò quò iſta omnia tendunt? Nempè ut probent Purgatorium ſuum, & lucrum quod indè ad ipſos redit conſervent. Huc redit eorum doctrina. Quidam morientes non ſunt tam mali, ut damnentur; nec etiam tam boni, ut Cœlum conſequantur. Hi in Purgatorium mittuntur, ut igne & cruciatibus ipſorum peccata purgentur; & quidam poſt centum, quidam poſt ducentos annos, &c. in Cœlum admittuntur. Sed Papa poteſtate ſuâ, & Sacerdotes canendo Miſſas & Litanias, citiùs indè eos educere poſſunt, quàm alioquin exirent. Hinc tanti reditus conflati ipſorum Monaſteriis atque Capellis, eum in finem iis tributi, ut Sacerdotes Miſſas & Litanias canerent, quibus Fundatorum animas Purgatorio eriperent.

Itaque hunc conſtituerunt Articulum de *Chriſti* deſcenſu hoc modo intelligendum, potiùs utilitatis causâ, quàm fidei; pecuniæ, quàm ædificationis. Ac niſi indè utilitatem & mundana perciperent commoda, non tantoperè contenderent ad defendendum dogma, quale hoc eſt, rationi & Religioni contrarium.

Quidam Proteſtantes tuentur localem

deſcen-

deſcenſum, ſed alio ſenſu: nempè ajunt *Chriſtum* eò iviſſe, ut triumpharet de Diabolis & damnatis. Circa quam opinionem, ſcilicet deſcenſum localem, ut generatim loquar, rationeſque peculiares quibus nititur, primùm expendamus duos poſteriores locos allatos, ad primum poſteà deventuri.

Epheſ. 4: 9. *Quod autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in partes inferiores terræ?* Ubi primùm obſervandum eſt, indè eos colligere Infernum eſſe ſub terra, vel intra terram; quod fuit ſomnium Poëtarum Ethnicorum, aliorumque, qui crediderunt locum cùm cruciatuum, tum felicitatis, eſſe ſub terra. Hi didicerunt ex Scriptura locum beatitudinis eſſe in Cœlo, ideòque rejiciunt eam Ethnicæ opinionis partem, ſed alteram de Inferno ſubterraneo retinent. Sed quo argumento hoc probare poſſent? Certè nec rationi eſt conſentaneum, nec Scripturæ. Non rationi, quâ nequaquàm imaginari poſſumus locum ſubterraneum deſtinatum eſſe Mentibus vel Spiritibus, qui tantoperè abſunt à terrena ſubſtantia. Nec Scripturæ, quæ nos docet „ *Epheſ.* 2: 2. *Diabolum eſſe Principem aëris*, adeòque non degere ſub terra: quæ teſtatur *Apocal.* 14: 10. *Damnatos cruciari coram Angelis & coram throno Agni*, non in telluris centro. Aderit aliquando tempus quo nulla ampliùs erit terra; tùm ubi erit Infernus? Non poſſumus quidem ſcire ubi ſit; ſed abſurdum certè eſt, & rationi contrarium, cenſere id eſſe ſub terra hac.

Sed ut veniamus ad verba Apoſtoli, loquitur de *Chriſti aſcenſu* & *deſcenſu*. Unde autem *Chriſtus* aſcendit in Cœlum? Non certè ex Inferno, ſed ex terra, *Actor.* 1. Quid verò ſignificat ejus deſcenſus, niſi deſcenſum è Cœlo in terram? Cùm dicit *in partes inferiores terræ*, comparat terram Cœlo, non terram ipſam ſecum; quaſi diceret: deſcendit è Cœlo ad inferiores haſce terræ partes, ut habitaret inter homines; quo ſenſu ubique Scriptura deſcenſum ejus interpretatur.

1 *Petr.* 3: 19. *In quo veniens prædicavit Spiritibus in carcere.* Manifeſtum eſt *Petrum* hîc loqui de *Chriſti* prædicatione per Spiritum ſuum, ore & miniſterio *Noë* agentem, ut alicubi locum hunc expoſui.

Hiſce locis, quibus probare volunt *Chriſtum* deſcendiſſe in Infernum ut prædicaret, ac liberaret animas, excuſſis, jam eorum opinionem in partes varias diviſam conſideremus.

Et primò quidem obſervandum eſt, quàm abſurda, ridicula, & parùm pia ſit ea opinio juxta quam putant Patriarchas in Limbo fuiſſe. *Dato uno abſurdo, multa ſequuntur:* ita hoc conceſſo, craſſæ hæ ſequuntur abſurditates.

I. Ferè quatuor annorum millia effluxiſſe priuſquàm ulla anima eſſet in Cœlo. *Chriſtus* mortuus eſt anno Mundi MMM DCCCC LX. adeò ut deſint tantùm quadraginta anni quatuor millibus. Annon eſt abſurdum, exiſtimare Cœlum per totum illud ſpatium vacuum fuiſſe? In Creatione terra, aër, aquæ impleta fuere incolis, Cœlum verò intereà domicilium inane fuiſſet? Oportuiſſet Deum durum fuiſſe Patronum, qui tamdiu neminem inquilinum admittere voluiſſet.

II. Abſurdum eſt credere, primum, qui Cœlum ingreſſus eſt, fuiſſe Latronem; nam juxta hanc opinionem, pius Latro primus omnium ingreſſus eſt. Domum remanſiſſe vacuam tamdiu; Latronem verò, quem animam agentem peccatorum pœnituit, primum omnium admiſſum fuiſſe, *Abrahamum* autem, *Iſaacum* & *Jacobum* nondùm cœlo exceptos. *Publicani & meretrices*, ait *Chriſtus*, *ante vos intrabunt*, imò ante vos, ô *Scribæ* & *Phariſæi*, qui januam Regni Cœlorum vobiſmet ipſi occludebatis: ſed *Abrahamum*, & *Moſem*, & reliquos Prophetas, ac pios qui Cœlum per totam vitam adipiſci conati ſunt, indè excludi, Latronem verò ac Furem priorem admitti, id demùm parùm decet ut concipiamus.

III. Abſurdum eſt exiſtimare, *Abrahamum*, dum vixit, amicum fuiſſe Dei, cum Deo verſatum, Deum menſâ ſuâ excepiſſe; poſt mortem verò factum eſſe veluti ignotum, ac depulſum in ſpeluncam, ubi nec eſt viſio Dei, nec communio cum ipſo: *Moſem* etiam, qui cum Deo de facie in faciem loquutus eſt, dum viveret, cùm fato functus eſt, omni prorsùs communione cum Deo privatum fuiſſe. Quàm inconſolabilis iviſſet ad Montem *Nebo*, ut ibi moreretur, ſi crediſſet, ut jam Pontificii, oportuiſſe ipſum detineri in Limbo, & per tot ſæcula à Dei fruitione arceri, donec *Chriſtus* eò ingreſſus ipſum educeret!

Cùm apparuit in gloria, *Luc.* 9: 31. putatiſne ipſum ex Limbo ad eam deveniſſe gloriam? Cùm *Abrahamus* inducitur loquens in Parabola ante *Chriſti* mortem, *Luc.* 16: 22, 23. putatiſne eum induci quaſi eſſet in Limbo, vel quaſi in Cœlo?

IV. Abſurdum eſt putare virum ſanctum,

ctum, qui per totam diem Deo ſervierit, & debuit ſub veſperam mercedem ſuam accipere, ea defraudari. Deus vetat ne mercede ſuâ defraudetur operarius; & ipſe non donaret præmio ſuos ſervos, niſi mille, aut bis mille annis poſtquàm opus ſuum perfeciſſent? *Abel*, fidus Dei ſervus, pro eo ejuſque veritate mortuus eſt; ſed cùm expectaret præmium ſuum in Cœlo, excluſus indè fuit, & depulſus in Limbum, quò ne maligna quidem lux è Cœlo pervenit, & ubi eum abſque conſolatione à Deo per ter mille & quingentos annos remanere oportuit.

David Pſalm. 23. dicit, *ſe velle manere in Domo Dei in perpetuum*, in Templo quod erat in hiſce terris, poſtmodùm verò in Cœlo. Falleris, ô *David*, dicet Pontificius, te oportet mille annos eſſe in Limbo, priuſquàm ad Cœlum venias. Heu crudelem herum! qui non meliùs remuneratur ſervos ſuos, quos poſtquàm ei hîc omnia præſtiterunt officia, cùm accedunt ut fruantur laborum ſuorum mercede, tam longè à ſe depellit, & præmio defraudat propter quod laborarunt.

Ea eſt Pontificiorum doctrina, & eas perſuadet plebeculæ abſurditates, quibus utiliſſimum ſibi Purgatorii commentum inædificent. Nec duntaxat abſurda, ſed pietati etiam contraria eſt.

I. Quòd velint credi in *Chriſto* divinam ac ſpiritualem poteſtatem ad ſalutem non fuiſſe, niſi corporeâ adeſſet præſentiâ; Spirituique & potentiæ *Chriſti* ex ejus præſentia limites imponant. Tribuunt præſentiæ *Chriſti* corporeæ quod nunquam ei tribuit Deus. Virginem *Mariam* ſanctitate & beatitudine mirum in modum ſupra omnes extollunt, quia *Chriſtum* utero tulit; quaſi id tantùm, non verò fides & gratia ad eum ſanctitatis & beatitudinis gradum eam extuliſſent.

Superſtitio eſt quaſi citra vel ſupra rem quampiam ſtatio; prætermittit enim verum ac proprium ſanctitatis officium, & aliis immoratur quæ ad ſanctitatem non pertinent. Ita circa *Chriſtum*, homines opiniones quaſdam & ritus ſupervacaneos, cultuique & amori *Chriſti* nequaquàm neceſſarios, docuit ſuperſtitio. Talis eſt cultus Crucis, quia in ea paſſus eſt *Chriſtus*; talis opinio, quâ putant ea loca reliquis ſanctiora eſſe in quibus ſemel fuit, ut præſepe, ſepulcrum *Chriſti*, &c. Atque huc pertinet quod nimiùm tribuunt præſentiæ corporeæ *Chriſti*, & omittunt efficaciam ac operationem Spiritûs ejus. Hujus generis eſt *Tranſſubſtantiatio*, & ea de qua loquimur, præſentia, ſine qua negant Patriarchas divinâ ejus poteſtate ac Spiritu ſervari potuiſſe; ſed contendunt *Chriſtum* corpore adeſſe debuiſſe; ut eos in Cœlum deduceret.

II. Negant gratiam ſufficientem eſſe ad ſervandos homines, ſed aliquid prætereà accedere voluit; nempè Purgatorium ignem ad purganda ea peccata quæ non purgat, aut purgare non poteſt gratia. *Paulus* ait 2 *Corinth.* 12:9. ſibi à Deo dictum eſſe, *Gratia mea tibi ſufficiat*: illi contrarium aſſerunt, & Purgatorium ignem ad gratiam ut ſit ſufficiens accedere volunt. Dicunt rarum eſſe quemquam ita purum fato fungi, ut ſtatim in Cœlum eat, ſed anteà aliquâ opus eſſe purgatione.

Atque hoc conſideratu dignum eſt, non ut indè Purgatorium aliquod poſt hanc vitam eliciamus, ſed ut indè ad officio noſtro hîc fungendum incitamenta quæramus.

Dubium non eſt quin mori in aliquo peccato damnabile ſit. *Moriemini in peccatis veſtris*; quaſi diceret, Cùm moriemini, damnabimini, quia moriemini in peccato. Vide *Joann.* 8:21. *Moriemini in peccatis veſtris. Quò ego vado non poteſtis venire.* Qui moritur in peccatis ſuis, in aliquo peccatorum ſuorum, nunquam poteſt venire ubi eſt *Chriſtus*. Si quis omnibus peccatis ſuis valedixit, niſi uni, cui etiam moriens adhæret, unum illud peccatum eum æquè damnabit ac omnia. Supponamus quempiam nolle alicui condonare injuriam quâ ab eo affectus eſt; ea malignitatis macula ipſum è cœlo arcebit, non ſecùs ac ſi quibuſcunque peccatis ſuis immerſus etiamnùm eſſet. Imò ut inferiùs deſcendamus, ſit aliquis mundo nonnihil addictus, & haud libenter à voluptatibus & commodis terrenis avellatur; an poteſt in Cœlum admitti, qui præoptaret eſſe in terris? Rurſùs, ut ad infimum locum deveniamus, ſit aliquod peculiare peccatum, quod memoriâ cuipiam exciderit, adeò ut ejus pœnitentiam non agat; an cum illo cœlum conſequi poterit?

Hactenùs Pontificii nobiſcum conſentiunt, quòd non datur ulli animæ aliquâ maculâ peccati pollutæ adire Cœlum: verùm hac in re diſſentimus, quòd contendunt hominem poſſe exire ex mundo multis pollutum peccatis, & poſteà tamen cùm in Purgatorio purgatus iis maculis fuerit, ad Cœlum pervenire. Nos verò dicimus cum Scriptura, poſt mortem non dari redemptionem; hoc tempus vitæ eſſe *tempus acceptum & diem ſalvationis*; ſi ſol peccatoris nubibus obnubiletur ſemel, tenebricoſum ipſi in æternum fore; ſi quis

moriatur in peccato, eum eſſe in ſtatu damnationis, nec ullam ſpem poſteà eſſe indè evadendi. *Iſaj.* 22: 14. *Certè iniquitas veſtra non purgabitur donec moriamini*; id eſt, nunquam purgabitur.

Atque hujus rei has habemus rationes.

Primò, quia unum peccatum quod amatur, nec purgatur pœnitentiâ, æquè damnat ac plures, juxta regulam à *Jacobo* traditam, *Cap.* 2: 10, 11. *Quicunque totam Legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus. Qui enim dixit, Non mœchaberis, dixit &, Non occides. Quòd ſi non mœchaberis, occides autem; factus es transgreſſor Legis.*

Secundò, quia alter mundus eſt mundus æternitatis; in æternitate autem nulla eſt mutatio. Qui in eum ingreditur peccato inquinatus, nunquam mutari poteſt.

Tertiò, quia impium eſt quicquam in hominis ſalute conjungere cum ſanguine & gratia *Chriſti*: *Servamur ejus ſanguine & gratiâ.* Non opus eſt igne purgatorio, niſi illa non ſufficiant.

Object. Sed an fieri poteſt ut aliquis ſine ullo adhærente peccato moriatur? Originale peccatum adhæret; & poteſt quis oblitus eſſe agere pœnitentiam actualis cujuſpiam peccati; poteſt aliqua impatientiâ, vel affectu aliquo commotus fuiſſe; nunquam ſumus ſine aliqua infirmitate.

Reſp. I. Quæram etiam, quis audeat mori cum peccato ſibi adhærente? Tu malignus es; an ſic mori ſuſtineas? Superbus es ac cupiditatibus deditus; an eo in ſtatu mori auſis? Quis tantoperè ignarus eſt doctrinæ ſalutis, ut ejuſmodi periculo ſeſe exponere velit? *Balaam* amabat mercedem, mercedem, inquam, *iniquitatis*; attamen optabat *mori morte juſtorum*, Numer. 23: 14. Ipſa conſcientia teſtimonium perhibet huic veritati, in peccato aliquo mori damnabile eſſe.

Sed quomodò fieri poteſt, ut aliquod non adhæreat peccatum, etiam optimo mortalium? Reſpondeo II. Verum eſſe neminem vivere ſine peccato; ſed duo hîc ſunt diſtinguenda.

Primò, diſtinguendum eſt inter peccatum, & reatum. Si rem attentè expendamus, peccatum ipſum immediatè non damnat, ſed reatus tantùm peccati. Fur ſuſpenditur, licèt *furti* peccatum jam ſit præteritum; ſed *reatus* eum ad patibulum deducit: ita quamvis præterierit actus, remanet reatus. Jam autem eſt aliquod peccatum, quod hominem ita reatui non ſubjicit ut condemnetur, *Pſalm.* 32: 2. *Beatus cui Dominus non imputat peccatum*: eſt quidem peccatum, ſed homo reatu ejus non premitur. Quodnam autem eſt peccatum illud? Reſpondere poſſem talia eſſe omnia peccata quæ jam ſunt condonata, quantacunque fuerint, *Rom.* 8: 33. *Quis criminabitur electos Dei? Deus eſt qui juſtificat.* Verùm loquimur de peccatis quæ adhærent momento mortis.

Ideòque ſecundo loco diſtinguimus inter adhæſionem peccati ad carnem, & adhæſionem ad cor. Sancti habent peccatum adhærens carni, non cordi, *Rom.* 7: 25. *Mente ſervio Legi Dei, carne verò Legi peccati.* Si morbum animo expulerimus, non eſt lethalis; nec Sancti, peccato corde expulſo, eo damnati ſunt. Illud oderunt, ſed adhæret ipſorum carni. Itaque talia peccata ſemper condonantur, quia Sancti ſemper orant, & pugnant adverſus ea. *Non ego ſum, ſed peccatum in me.* Non animus meus, aut conſenſus, ſed peccatum in carne mea, quod non vult egredi, nec quieſcere. Uno verbo, peccatum moriens non poteſt morientem hominem occidere. Peccatum jam dudum mortificatum eſt: ſi in mortis articulo ſentiatur, nihilominùs eſt moribundum, adeòque occidere non poteſt.

Atque hæc hactenùs ad hunc Symboli Articulum liberandum hoc errore, *Chriſtum* deſcendiſſe in Infernum ut indè educeret animas in Cœlum, quibus aliquid adhuc deerat ut eò pervenire poſſent.

II. Secunda opinio eſt eorum, qui II.
putant *Chriſtum* localiter deſcendiſſe ut triumpharet de Dæmonibus & damnatis. Quæ quidem interpretatio ſenſum commodiorem & innocuum inducere videtur, ſed non minùs abludit à vero Articuli ſenſu. Ut eam expendamus, primò quædam ſunt animadvertenda circa animam *Chriſti* cùm fuit à corpore ſejuncta.

1. Dubium non eſt quin ſtatim poſt mortem in Cœlum iverit; nec quiſquam poſſit contendere eam in Infernum iviſſe, niſi ejus rei evidentia ex Scriptura, vel ex Ratione ſaltem afferat argumenta. Dixit *Chriſtus* in cruce pendens Latroni, *Hodie mecum eris in Paradiſo*, Luc. 23: 43. extremaque ejus ad Deum verba hæc fuerunt, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, verſ. 46. Jam autem quis dubitet quin ſtatim poſteà in Cœlo fuerit, ejuſque anima cum Deo? Quandò & quomodò iviſſet in Infernum? *Chriſtus* mortuus fuit tantùm per triginta ſex horas: ſi autem anima ejus intra id tempus fuiſſet in cruce, in Cœlo & in Inferno, opor-

Digitized by Google

oporteret eam hinc indè commeaſſe; quod niſi nobis dicat ipſe Spiritus *Chriſti* in Scriptura, quomodò credemus? Ex cruce ad Cœlum eam iviſſe disertè teſtatur Scriptura; ſed eam à Cœlo in Infernum tranſiviſſe nullibi reperimus. *Quæretis me, nec invenietis.* Certè juxta hanc opinionem, neſcimus ubi quæri deberet, aut poſſet reperiri intra id tempus. Si ipſa ejus verba propriè intelligas, *Luc.* 23: 46. *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Joann. 17: 11, 13. *Jam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Nunc autem ad te venio*; certò concludere poteris, intereà temporis, dum anima à corpore ſejuncta fuit, eam fuiſſe cum Deo. Sed eam fuiſſe in Inferno ullo ejus temporis momento, nullus eſt locus Scripturæ qui perſuadere poſſit, præter *Actor.* 2: 27. *Non relinques animam meam in Inferno*; & hunc Articulum, cujus longè alium eſſe ſenſum oſtendemus.

II. Quomodò fieri potuit ut anima *Chriſti* è Cœlo in Infernum migraret? Hoc certè non poſſunt animæ Sanctorum, quæ gloriam adeptæ ſunt; & dubito an *Chriſtus* potuerit, necne. Vide *Luc.* 16: 26. *Inter nos & vos magnum firmatum eſt chaos, ut hi qui volunt hinc tranſire ad vos non poſſint.* Ubi duo obſervo. I. Quod ſignificatur per *magnum chaos,* nempè tranſitum ab uno loco in alterum prorsùs impoſſibilem eſſe. II. Hæc præſertim verba; *Hi qui volunt hinc tranſire ad vos.* Suntne in Cœlo qui unquam velint tranſire in Infernum? Hoc voluit olim Diabolus. Sed dubito an tunc temporis æquè benè ac hodie quid ſit Infernus intellexerit. Nunquam quidem beatæ animæ hoc volunt, aut velle poſſunt; nimiùm delectantur beatâ Dei fruitione, quàm ut eſſe in Inferno præoptent. Sed *Chriſtus* hac Parabolâ oſtendere vult, quàm impoſſibile ſit animam, quæ ſemel eſt in Cœlo, indè ire in Infernum; adeò ut ſi ſupponeretur aliquam animam cœlitem id cupere, fieri id non poſſet. An autem id magis quàm aliæ queat anima *Chriſti*? An potuit cupere felicitatem Cœli relinquere, ut iret in Infernum?

III. Nulla eſt ratio, nullus Scripturæ locus qui nos doceat animæ *Chriſti* quicquam faciendum fuiſſe, ad opus Redemptionis quod attinet, dum ſeparata fuit à corpore. Quam in rem eſſet hic *Triumphus*? Fuitne pars aliqua Redemptionis vel Mediatorii muneris? Si non fuit, quid ergò fuit? Si fuit, quare eâ non eſt defunctus *totus Chriſtus*? *Chriſtus* implevit Legem univerſam ut *totus Chriſtus*, hoc eſt, totâ ſuâ humanâ naturâ, mente & corpore conſtante. Fuit in cruce ut *totus Chriſtus*; reſurrexit, aſcendit in Cœlum, ſedit ad dextram Dei ùt *totus Chriſtus*, mente & corpore. Tenemur credere *toti Chriſto*, hoc eſt, ut Redemptori, Mediatori ac Deo; ſic & perfecto homini mente & corpore compoſito. Certè incongrua eſſet fidei pars, credere rem tantam, quanta eſt quam feciſſe exiſtimatur in Inferno, factam tantùm eſſe à parte *Chriſti*; ejus enim anima pars tantùm ipſius fuit.

Sed ſecundo loco aliquid dicamus de hoc *Triumpho*.

I. Hæc opinio, ut puto, alludit ad conſuetudinem *Romanorum*. Quos ceperant in bello, ducebant in Triumpho, præcedente curru Triumphatoris, captivis verò ſequentibus, & quidem vinctis catenis. *Cleopatra* maluit ſibi violentas manus inferre, quàm Triumphum ſequi. Quid autem aliud erat Triumphus, quàm pompatica, ſuperba ac vana oſtentatio? Et cui uſui eſſet hic *Chriſti* Triumphus? Nulli, niſi oſtentationi. Quid enim egiſſet in hoc Triumpho? Quis aliud quicquam divinare queat, niſi ut ſemet ipſum oſtentaret? An ſubjecit ſibi Infernum? Si ſubjecit, quo inſtrumento uſus eſt? Quid fecit ejus anima ad ſubjiciendum ſibi Infernum? Quomodò ſubjecerit Infernum & Mortem morte & reſurrectione ſuâ, dicere poſſumus; ſed quomodò anima ejus ſolo ſuo in ea loca adventu id peregerit, quis dixerit?

An auxit cruciatus Dæmonum & damnatorum? At non opus erat, nec certè fieri potuit, ut poſteà oſtendam. Quid ibi fecit anima *Chriſti* in iſto Triumpho, niſi quòd conſpecto Inferno eum ſubjecit, adeò ut *venerit, viderit, vicerit? Natura nihil facit fruſtrà,* multò minùs Deus naturæ; nec *Chriſtus* dum in hiſce terris vixit, nunquam quicquam fruſtrà fecit, loquutus eſt, aut cogitavit. Atque indecorum eſt cogitatu, animam ejus poſt mortem è ſinu Patris egreſſam in Inferos iviſſe, ut neſcio quid faceret, quod nemo indicare queat. Quis enim dixerit quid fecerit in iſto Triumpho?

II. Nonne *Chriſtus* fuit ſub humiliatione ad reſurrectionem uſque? Nonne eo in ſtatu fuit, dum remanſit in ſepulcro? Hoc ipſe ita intelligit, *Pſalm.* 16: 10. *Non patieris*, dum anima mea erit ſeparata, *corpus meum videre corruptionem*, conculcari à morte, triumphari à Satana,

Digitized by Google

dum ibi erit. Si concipiamus ejus animam tum triumphaſſe, vel ferociiſſe in Inferno, (neque enim quid ibi facere potuerit, niſi ferocire, capio) nonne Satanas poterat è contrà ferocire? O anima Jeſu, an veniſti ut hìc triumphares? Propter quam rem geſtam, quæſo? Annon triumphavi de te? Annon ei mortem conſcivi? Annon te ex ejus corpore expuli, ipſum verò corpus in ſepulcrum conjeci? Et venis ut hìc triumphes? Priùs videamus num ſeſe ex morte expediet, quàm loquamur de Triumpho ejus in eum qui habet poteſtatem mortis.

Itaque ſi concederemus *Chriſtum* iviſſe ſine neceſſitate in Infernum, ut de eo triumpharet, certè intempeſtivum fuiſſet eò illum ire, cùm nondùm eum ſubjeciſſet, ſed corpus ejus adhuc eſſet ſub morte, ac proindè ſub poteſtate Satanæ. Fuiſſet hoc ſanè Triumphus ante victoriam; qualis fuit jactantia *Benhadadi* adverſus *Achabum*, à quo hoc reſponſum accepit, *Ne glorietur qui adhuc gladium accinctum habet, æquè ac is qui eum exuit.*

Initium Regni *Chriſti* fuit ejus reſurrectio; tùm enim ſubjecerat mortem, eumque qui mortis poteſtatem habet, Diabolum. Sic ubique ſtatuit Scriptura, nec opus eſt niſi unum aut alterum laudari dictum. *Matth*. 26: 29. *Non bibam à modo ex hoc fructu vitis, uſque in diem illum, cùm illud bibam novum in Regno Patris mei:* hoc eſt, poſt reſurrectionem meam, cùm ſubdidero hoſtes Dei, ejuſque Regnum ſtabilivero. Et *Cap*. 28: 18. *Et accedens Jeſus loquutus eſt eis dicens, Omnis poteſtas mihi data eſt in cælo & in terra:* quod dixit poſt reſurrectionem. Verùm an convenit Triumphum canere ante Victoriam? & *Chriſtum* triumphare priuſquàm Regno potiatur? Ut *Eſther*. 5: 3. *Tertiâ die induit Regnum*, (ſic enim habet Hebraicus Textus) præcedentibus diebus in jejuniis, mœſtitiâ & humiliatione tranſactis, cùm non eſſet tempus regaliter ſe gerendi ac triumphandi; ita tertiâ die *Chriſtus* reſurrexit & Regnum induit ſuum, cùm diebus antecedentibus mortem & humiliationem ſummam ſubiiſſet, quo tempore nullo modo conveniens erat animam ejus triumphare.

III. Ad Triumphum *Chriſti* de Diabolis quod attinet; ejus victoria de Satana ſita non fuit in ſui inter eos terribili oſtentatione, aut ferociori ad eos allocutione: quid enim aliud facere potuiſſet ejus anima iſto apud Inferos Triumpho? Dicitur *Hebr*. 2: 14. *per mortem deſtruxiſſe eum qui habebat mortis imperium, hoc eſt, Diabolum.* Deſtruxiſſe eum? Quomodò autem? Poſſumus de eo dicere, quod ille dicebat de Proditore, *Vivit, etiam in Senatum venit.* Itane deſtructus eſt Diabolus? Vivit, vagatur, furit, gubernat. Ambulabat per terram ante *Chriſti* mortem, *Job*. 1. ita etiam poſteà ambulavit, 1 *Petr*. 5: 8. *Adverſarius veſter Diabolus, tanquam leo rugiens, circuit quærens quem devoret. Fuit homicida ab initio* uſque ad *Chriſti* mortem, *Joann*. 8: 44. Idem exindè fuit; circuit quærens quem devoret, & reipsà devorat. Operabatur anteà in filiis inobedientiæ, & etiamnum operatur, *Epheſ*. 2: 2. Quomodò ergò *Chriſtus* eum ſubjecit ac deſtruxit? Victoria & Triumphus *Chriſti* de Diabolo non tam ipſius deſtructionem ſignificat, quàm ejus operum, 1 *Joann*. 3: 8. *Propterea Filius Dei manifeſtatus fuit, ut deſtrueret opera Diaboli.*

Cùm multa poſſim afferre, duo aut tria tantùm memorabo in quibus victoria *Chriſti* de Diabolo per ſuam mortem ſita eſt.

I. Morte ſuâ acquiſivit ipſa Satanæ mancipia, ſoluto lytro pro toto ſuo populo, *Rom*. 8: 33. *Quis condemnabit electos Dei?* Satanas præſto eſt ad dicendum, Ego eos accuſabo, & mihi vindicabo, nam Dei Legi non paruerunt. Sed *Chriſtus* pro omnibus ipſorum peccatis ſatisfecit, cauſâ cecidiſti, ô Satana, ſolutum eſt debitum. Quàm confunditur Diabolus, cùm videt ſibi ereptam eſſe palmam quam expectabat! Quàm hìc mors & meritum *Chriſti* triumphant! Jam, ô *Goliath*, *David* te provocat; attinge vel unum è caſtris *Iſraëlis*, ſi potes, vel audes. Pro omnibus ſolutum eſt redemptionis pretium; jam tibi cum illis nihil eſt. Et *redempti à Domino venient Sionem cum æterno gaudio. Lætamini, ô Ethnici, nam calumniator eſt ejectus, Chriſtus* juſtitiâ & ſanctitate glorioſè triumphavit, totumque populum ſuum liberavit.

II. Morte ſuâ murum intergerinum ſuſtulit, & Ethnicos intromiſit. Quomodò eos in ſervitute detinuit Satanas? *Pharao dimitte populum meum.* Nequaquàm. *Non novi Dominum, nec eos dimittam.* Sed cogeris, & per mortem Paſchalis Agni, te invito, exibunt. Per duo annorum millia in ejus ſervitute fuerunt; quod in perpetuum futurum exiſtimabat ille. Sed morte pauperis ac deſpecti *Jeſu Hieroſolymis* peractâ, effractæ ſunt carceris fores, omneſque hi captivi liberi abierunt. Lætamini *captivi ſpei*, uti vos vocat *Zachar*. 9: 11, 12.

Digitized by Google

9: 11, 12. In mentem mihi venit quod contigit *Paulo* & *Silæ*, Actor. 16. qui cùm interiore carcere continerentur, pedibus ligno ſtrictis, januis clauſis, & validâ cuſtodiâ; facto terræ motu omnia ſunt aperta, & ſoluti captivi. Quid dicis jam Commentarienſis? Potes jam gladio ſtricto tibimet ipſe violentas manus inferre, omnes tui abierunt captivi.

III. Imò Commentarienſis ipſe includi debes carcere. Expende quod dicitur *Apocal.* 20: 1, 2, 3. *Magnus Angelus* eſt *Chriſtus*; *antiquus Serpens* eſt Diabolus. Ibi *Chriſtus* eum vinctum *magna* Euangelii *catenâ* in carcerem conjicit. Obſervate verba, *Et miſit eum in abyſſum*. Quid? in Infernum in perpetuum? Nunquamne indè egredietur? Imò habes eum rurſùs ſolutum, *verſ.* 7. & ſemper quidem circuivit, 1 *Pet.* 5. ſed eum vincit *ne decipiat Gentes*, verſ. 3. & cùm iterùm ſolvitur, *verſ.* 8. ſolvitur ad decipiendas Gentes.

Obſervate breviter loquutionem, *&* *clauſit eum*, hoc eſt, cohibuit ne deciperet populum. Infernus eſt ac carcer Diabolo non malè facere. Ita *Pſaltes* loquitur de malis Diaboli filiis, *Non dormiunt*, non quieſcunt, *niſi malum fecerint*. Cruciatus eſt ipſis, ſi peccare nequeant. Jam autem quomodò *Chriſtus vinxit Satanam*, *ut non deciperet*? Miſſo Euangelio, quo ab errore revocarentur. Atque hæc eſt victoria *Chriſti* adverſus Diabolum. Ipſa prædicatio mortis ejus ac meritorum ſuperat Diabolum: ipſa vox mortis ejus & reſurrectionis Diabolum ejuſque poteſtatem evertit. Ita ſumi debet 1 *Cor.* 6: 3. *Annon noſtis nos judices fore Angelorum?*

An ergò opus erat animam *Chriſti* ire in Infernum, ut Diabolo iſta nuntiaret, atque ibi de eo triumpharet? Eo ipſo tempore everſionem ædificii Regni ſui ſenſurus erat Diabolus. Non opus fuit *Chriſtum* id ad ipſum nuntium ferre, eumque monere ſe ipſum ſubjeciſſe. Triumphavit *Chriſtus* de Diabolo virtute & efficaciâ mortis ſuæ, non vocali aliquâ declaratione ad Diabolum ab anima *Chriſti*, dum à corpore ſeparata fuit, delatâ.

IV. Ut nullâ re ſimili opus habuit anima *Chriſti* ut triumpharet de damnatis; ita nec quicquam ſimile facere potuit.

Putatiſne *Chriſtum* lætatum eſſe, vel potuiſſe lætari propter exitium damnatorum? *Eſt lætitia in Cœlo cùm peccator ſervatur:* an etiam eſt cùm damnatur. Tenera illa Dei verba, *Vivo ego*, *quòd non delector morte peccatoris*, an vel minimam præbent anſam ſuſpicioni huic, Deum peccatorum damnatione lætari? Tenera illa anima *Chriſti*, quæ ſex vel octo diebus anteà fleverat propter deſtructionem *Hieroſolymæ*, additâ exclamatione, *O ſi hac tuâ die cognoviſſes quæ ſunt pacis tuæ!* an Infernum adierit ut de miſeris damnatorum animis triumpharet, iiſdemque inſultaret? Erat cur triumpharet ac lætaretur propter ſubditos Diabolos; ſed eratne ei eadem ratio gaudendi propter damnatas animas; aut à φιλανθρωπίᾳ ſua impetrare id poterat? Quænam erat ratio triumphandi de Diabolis? An quia tantùm eos ſubjecerat? Cum iis heriliter egerat dum viveret, eos ejecerat, & pro arbitrio iiſdem imperaverat; conjecit eos in Infernum divinâ ſuâ potentiâ, ſtatim ac peccaverunt: ſed ejus de iis triumphus per mortem & reſurrectionem erat in gratiam populi ejus. Non poſſumus dicere eum damnatione ipſorum Diabolorum delectatum fuiſſe, ſed tantùm propter victoriam de iis reportatam lætatum, quia populum ſuum iis eripuerat. Ah! divina *Chriſti* anima, quæ tantâ caritate erga homines flagravit, ut ſe ſacrificium dederit pro peccato, ne homines damnarentur, poteritne gaudere ac triumphare de miſerarum damnatione animarum? Contemplamini amorem tenerrimum quem in hac vita animabus exhibet ne damnarentur, & indè conjicite quàm parùm earum damnatione delectetur. Huc referamus duo hæc loca, *Ezech.* 18: 23. *Nunquid delector morte impii?* & *verſ.* 32. *Non delector morte morientis*. In Hebraico Textu eſt major emphaſis, *morte ejus qui eſt mortuus*. Non gaudeo eum mori, nec delector ejus morte cùm mortuus eſt.

Quid clarius eſt in Scriptura, & in omni Oeconomia Dei, quàm hoc, Deum nolle homines damnari, ſi velint ſalutem amplecti? Quid aliud hæc verba ſignificant, 1 *Tim.* 2: 4. *Qui vult omnes homines ſervari*, *&* *venire ad cognitionem veritatis*. 2. Pet. 3: 9. *Nolens quemquam perire*, *ſed omnes venire ad pœnitentiam?* Certè ſi quicquam aliud, hoc ſatis eſt manifeſtum, Deum malle homines ſervari quàm damnari. Nonne hoc in Scriptura extat aureis veluti literis, ut vel à currente legi poſſit? Nonne hoc ſcriptum eſt ipſo *Chriſti* ſanguine, qui effuſus eſt ne homines damnarentur, ſed quicunque crederet vitam æternam conſequeretur? Nonne hoc inſcriptum gerunt Dei patientia, obteſtationes, ac ſuppeditatio mediorum ad ſalutem neceſſariorum? Non opus eſt ut hoc peculiaribus comprobem exemplis.

Verùm homines nolunt ſervari, mortem

 vitæ

vitæ præferunt. An *Chriſtus* delectatur iis damnandis, cùm eos oportet neceſſariò damnari? An putatis eum, cùm dicit, *Ite, maledicti*, æquè libenter id dicere, ac, *Venite benedicti?* eum triumphare, ac inſultare miſeris peccatoribus cùm damnantur? Legite ejus animum in hiſce verbis, *Geneſ.* 6: 6. *Et pœnituit Dominum quod feciſſet homines in terra, & tactus eſt dolore cordis.* Quare? An quia eos fecerat? Minimè: ſed quia eos à ſe factos oportebat deleri. *Lament.* 3: 33. *Non affligit libenter, nec dolore afficit filios hominum.* Ita nec eos damnat libenter, nec deſtruit. Sed inſtar omnium erunt verba *Iſaj.* 42: 14. *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui; jam clamabo ſicut parturiens, diſſipabo & abſorbebo ſimul.* Clamat, diſſipat, & abſorbet; ſed hoc ipſi grave eſt, inſtar dolorum parturientis.

Atque hæc oſtendere poſſunt quàm parùm rationi conſentaneum, quinimò quàm parùm ſit Chriſtianum, exiſtimare animam *Chriſti* ideò in Infernum iviſſe, ut triumpharet, ac inſultaret miſeris damnatis. Itaque videtis hunc Articulum non poſſe ſignificare deſcenſum animæ ejus in locum cruciatuum, ut triumpharet de Diabolis & damnatis; ac proindè nobis eſſe alium ejus quærendum ſenſum.

III. III. Tertia interpretatio eſt, ſignificari cruciatus quos anima ejus in cruce paſſa eſt. Quidam dicunt *eum paſſum eſſe extremam Dei iram:* quidam, *ipſos inferni cruciatus:* quidam, *eum ad tempus fuiſſe in ſtatu damnatorum.* Non libenter iſta dico, ſed nonnulli ita hunc interpretantur Articulum; & dum conantur extollere amorem *Chriſti*, quòd talia pro hominibus paſſus ſit, ejus perſonam non parùm deprimunt, dum eam huic conditioni obnoxiam faciunt.

Neceſſe eſt nos hunc Articuli ſenſum repudiare, niſi ea velimus dicere & cogitare de *Chriſto* quæ ei non conveniunt. Cariſſimumne animæ Dei ſubjacere graviſſimæ ejus iræ? Dominumne cœli & terræ cruciatibus Inferni torqueri? Ducemne ſalutis noſtræ eſſe in ſtatu damnatorum? Hoc non dicatur in *Gath*, nec prædicetur in viis *Aſcalon.* Ne audiant hoc *Judæi*, nec *Turcæ* ſimile quicquam reſciſcant, ne ampliùs blaſphement Dominum vitæ, quàm jam faciunt.

Color quo opinionem hanc defendere conantur, hic eſt, quia *Chriſtus* in cruce tulit hominum peccata; ac proindè debebat ferre cruciatus, iram ac damnationem quam homines commeruerant. Hanc in rem proferunt hæc loca, *Iſaj.* 53: 6. *Dominus impoſuit ipſi iniquitatem omnium noſtrûm.* 1 Pet. 2: 24. *Qui per ſe tulit peccata noſtra in proprio corpore, in ligno.* Nec aliud ſignificaſſe *Chriſtum* volunt cùm clamavit, *Eli, Eli, Lamaſabachtani. Deus mi, Deus mi, quare dereliquiſti me?*

Ad hæc diſcutienda, duo iſta ſuppono.

I. Impoſſibile fuiſſe ut *Chriſtus* pateretur iram Dei, cruciatus Inferni, & in ſtatu eſſet damnatorum, ſuiipſius cauſâ.

II. Paſſum non fuiſſe, nec potuiſſe pati hæc, quamvis ferret peccata totius populi. Hæc expediam hiſce quinque obſervationibus.

I. In omnibus locis ubi agitur de perpeſſionibus *Chriſti*, nihil invenimus quo conjicere poſſimus eum conſideraſſe Deum tanquam iratum. Incipiamus à precibus ultimæ Cœnæ, *Joann.* 17. An ullum ibi apparet indicium, quo oſtendat ſe dubitaſſe de Dei favore? Eſt regula Apoſtoli, 1 *Tim.* 2: 8. nos debere *tollere manus ſanctas, abſque ira & dubitatione.* Poteſtiſne credere *Chriſtum* unquam dubitantem oraſſe? Conſiderate præſertim eas preces, & videte num ſit ullum dubitationis veſtigium. *Verſ.* 1. *Pater, glorifica Filium:* an tùm ejus animus ſuſpicabatur Deum ipſi eſſe iratum? *Verſ.* 2. *Dediſti ei poteſtatem ſuper omnem carnem, ut daret vitam æternam.* Hæccine ſunt verba hominis qui crederet ſe poſſe ſubjici graviſſimæ iræ divinæ? *Verſ.* 4. *Glorificavi te in terra, perfeci opus quod mihi faciendum dediſti.* Sicne loqueretur qui crederet fieri poſſe ut aliquando præmii vice ſubjiceretur iræ, ac vindictæ & cruciatibus Inferni? *Verſ.* 5. *Nunc, ô Pater, glorifica me eâ gloriâ quam habui apud te priuſquàm mundus eſſet.* Verſ. 13. *Jam, Pater, venio ad te.* Verſ. 21. *Tu, Pater, es in me, & ego in te.* Verſ. 24. *Pater, volo etiam ut quos mihi dediſti ſint ubi ego ſum, ut poſſint videre gloriam meam.* Cùm hæc loqueretur *Chriſtus*, an ſuſpicabatur poſſe fieri ut graviſſimam Dei iram ſentiret?

Dicitur *Cap.* 18: 1. Iviſſe trans *Cedron.* Ibi eſt in agone, ibi orat, *Tranſeat à me hic calix.* Quare? Quid videbat in calice? Amarorem certè multum, ſed ne guttulam quidem fæcis iræ divinæ. Conjecturam faciamus de ejus ſtatu & hominum peccatorum. *Stephanus, Crannerus, Ridleius*, Martyr quilibet ad palum deducitur, calicem manu gerit, eumque amariſſimum; ſed an aliquam in eo vidit iram divinam? Martyres non potuiſſent tam hilares eſſe in morte, ſi in ea amara diſpenſatione Deum iratum

Digitized by Google

iratum vidiſſent. *Chriſtus* tam prompto animo perpeſſiones non ſubiiſſet, ſi ſciviſſet ſe experturum indignationem Dei.

Conſiderate verba ejus in cruce, *Hodie mecum eris in Paradiſo.* Hæcne ſunt ejus qui patitur cruciatus Inferni, qui tam certò Cœlum Latroni promittit? *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum.* An inſtar damnatorum timet iram divinam, qui ita loquitur? Imò hæc verba *Eli, Eli, Lama-ſabachtani*, non oſtendunt eum ſenſiſſe iram Dei, ſed amariorem ſolummodo œconomiam, quâ Deus eum permiſerat doloribus & cruciatibus, ſceleratorumque hominum manibus. Conſiderate etiam circumſtantias mortis *Chriſti*, & quæ eam anteceſſerunt; nec invenietis ullum verbum, aut actionem, quâ *Chriſtus* ſignificarit ſe ullatenùs iræ divinæ objectum eſſe. Totam percurrite Scripturam, ubicunque ſermo eſt de *Chriſto*, multùm abeſt ut exiſtimari poſſit obnoxius iræ divinæ fuiſſe. Eratne *Chriſtus filius iræ, quemadmodum & reliqui?* Scriptura negat, *Iſaj.* 42: 1. *Ecce ſervus meus, ſuſcipiam eum; electus meus, complacuit ſibi in eo anima mea. Dedi Spiritum meum ſuper eum.* Quàm hæc aliena ſunt ab hiſce: Ecce *Chriſtus* eſt iræ meæ obnoxius; ecce cruciatus Inferni patitur! Idem comprobant loca *Matth.* 3: 17. *Ecce vox è cœlo dicens, Hic eſt dilectus meus Filius, in quo complacui mihi*; quæ repetuntur in Transfiguratione *Chriſti*. An unquam Deus ei iratus fuit, quaſi damnato; aut furore ſuo eum oppreſſit, quaſi hominem in Inferno cruciatum? Angor certè animo, cùm ſubit cogitatio, hominem Chriſtianum hanc opinionem de Servatore noſtro foviſſe, & quidem ubi quicquam ejuſmodi excogitare parùm neceſſe erat. Si *Chriſtus* non potuiſſet Redemptionem noſtram perficere, niſi tam gravem pertuliſſet iram, tùm non fuiſſet ita abſurdum rem ſic explicare.

II. Sed in opere Redemptionis *Chriſti* res fuit non cum ira divina, ſed cum Dei juſtitia; non cum ejus ira ad eam ferendam, ſed cum juſtitia ad ei ſatisfaciendum. Magnum eſt diſcrimen inter juſtitiam, & iram; inter ſatisfactionem quæ uni, & alteri exhibetur. Judex reum damnans, eum cædit & cruciat; an ulla ibi eſt ira? Minimè; ſed tantùm juſtitia. Reus ſatisfacit juſtitiæ Legis, non iræ Judicis. Conſiderate quodnam fuit debitum quod homines apud Deum obſtrinxit. Quid debes tu Hero meo? Reſpondebitur, damnationem & æternorum cruciatuum perpeſſionem. Verum id quidem eſt; ſed debitum erat aliûs generis, in obedientia nempè ſitum. Damnatio erat pœna conſtituta in eum qui non præſtaret obligationem; ſed debitum ipſum erat obedientia, quam debebat homo Deo, priuſquàm fieret peccator; debitum quod Deo, quatenùs Deo, debet; quod Lex & Euangelium exigunt. An debet homo damnationem Deo, quatenùs eſt Deus, quatenus eſt Creator, quatenùs eſt Legiſlator? An damnatur homo quatenùs homo? Minimè: Deus potiùs debet & etiam ſolvit damnationem homini quatenùs eſt peccator.

Itaque quod *Chriſtus* propriè ſolvere debebat pro ſuo populo, erat debitum populi propriè dictum, quod ſolvendo populus non erat, nempè obedientiam. Atque hoc teſtatur Scriptura, *Rom.* 5: 19. *Sicut per inobedientiam unius hominis peccatores conſtituti ſunt multi: ita per obedientiam unius multi conſtituentur juſti.* Philipp. 2: 8. *Factus eſt obediens uſque ad mortem.* Jam autem cui factus eſt *Chriſtus* obediens? Certè non iræ Dei, ſed ejus voluntati, quâ eum probare ac tentare voluit; quod fieri potuit ſine ira.

Chriſtus debebat ſatisfacere juſtitiæ Dei; quod ſi omiſiſſet, aliqua ratio fuiſſet Deo ipſi iraſcendi. Juſtitia Dei requirebat obedientiam ab hominibus; alioquin excluſionem è Cœlo minabatur: eos oportebat ſatisfacere, aut in Infernum abjici. Utrique, ait *Chriſtus*, abundè ſatisfaciam. Illi non paruerunt; ecce obedientia eorum inobedientiis omnibus multò pretioſior. Non poſſunt obedire ut oporteret; ecce quod abundè compenſat, nempè obedientia infinita.

III. Certè *Chriſto* res fuit cum ira Diaboli, ſed nullo modo cum ira Dei. Conſiderate tantùm hæc loca, & videte quid præſertim *Chriſto* ſuis perpeſſionibus eſſet faciendum. Primò, *Geneſ.* 3: 15. *Conteres caput tuum; tu verò ei conteres calcaneum:* hoc eſt, O Satana, ſemen mulieris deſtruet te. Hoc explicatur *Hebr.* 2: 14. *Quia ergò liberi participes ſunt carnis & ſanguinis, ipſe ſimiliter participavit iiſdem, ut per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, id eſt, Diabolum.* Videte & 1 *Joann.* 3: 8. *Joann.* 14: 30. *Luc.* 22: 53. *Cùm quotidiè*, ait *Chriſtus*, *vobiſcum fuerim in Templo, non extendiſtis manum in me; ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.* Dum concionabar cohibebamini, quia nondùm venerat hora mea: ſed jam vos & Inferi ſoluti eſtis, jam contra me iram poteſtis explere. *Chriſtus* luctabatur coram Deo, & Angelis. Contra quem? An contra iram Dei? Nequaquàm: pugna erat inter *Chriſtum* & Satanam, totamque hujus potentiam. Quid in hac pugna egit Deus? An luctatus eſt adverſus

Google

verſus *Chriſtum*, æquè ac Diabolus? An ejus ira in *Chriſtum* ferebatur, non ſecùs ac ira Diaboli? An adverſabatur proprio pugili, proprio filio? Minimè: eum tantùm afflictionibus probabat, non obruebat irâ ſuâ. Eum tantùm ſibi reliquit, ut confligeret cum Satana, non adjuvit Satanam ira in proprium pugilem effuſâ.

Paucis videte myſterium magnæ hujus Oeconomiæ. Deus creavit primum *Adamum*, eumque inſtruxit viribus ad ſtandum. Ita inſtructum per ſe ſtare permiſit, & à Satana tentari, qui eum ſuperavit, totumque humanum genus perdidit. Deus excitavit ſecundum *Adamum*, inſtruxitque viribus ad ſternendum Satanam, nec tantùm viribus ad reſiſtendum, ſi vellet, Satanæ, ſed voluntate etiam quâ non poſſet non reſiſtere Satanæ. Eum emiſit ut ei concurreret, eumque ſibi permiſit; ſivit etiam Satanam quàm acerrimè poſſet ei adverſari. Satanas eum vexavit omnibus quas Infernus in eum immittere potuit vexationibus. Intereà annon Deus amabat Filium ſuum, & tenero viſcerum motu complectebatur? Duriſſima certè eſſet opinio eorum qui crederent, quòd *Chriſtus* ſuſcepit pugnare pro Dei honore contra præcipuum Dei hoſtem, quòd voluntati Dei paruit uſque ad mortem, quòd immaculatam ſanctitatem in mediis cruciatibus retinuerit, Deoque infinitam præſtitit obedientiam; duriſſimum eſt, inquam, Deum huic iram præmii loco retribuiſſe, & *Chriſtum* conſideraſſe tanquam ſceleratum ac damnatum. Non: non cum Dei certè, ſed cum Diaboli ira *Chriſto* luctandum erat.

IV. Quamvis *Chriſtus* dicatur tuliſſe peccata, propterea tamen Deus eum ne hilum iracundius adſpexit, ſed è contrà eò benigniùs, quia ferre volebat peccata populi ſui. Nam Deus reſpexit *Chriſtum* non tanquam peccatorem, ſed tanquam victimam; nec ei iratus fuit, ſed eum amavit potiùs quòd vellet ſe offerre in ſacrificium, *Joann.* 10: 17. *Ideò Pater meus amat me, quia depono animam meam.* Iſaj. 53: 12. *Ideò diſpertiam ei plurimos, & fortium dividet ſpolia, pro eo quòd tradidit in mortem animam ſuam.* An hæc Deum arguunt iratum? Nequaquàm: eum maximè amat, ei præmium donat, quia numeratus fuit inter peccatores, cùm eſſet Agnus ſine vitio & maculâ.

Quidam dicunt *Chriſtum* fuiſſe maximum peccatorem, homicidam, &c. quia hujuſmodi hominum peccata tulit. Quæ verba propè accedunt ad blaſphemiam, & præterea ſunt valdè imprudentia ac inconſiderata. Vide *Levit.* 16: 21, 22. *Et Aaron poſitâ utrâque manu ſuper caput ejus Hirci, confiteatur omnes iniquitates filiorum Iſraël, & univerſa delicta atque peccata eorum; quæ imprecatus in caput ejus, emittet illum per hominem paratum in deſertum. Et portabit Hircus omnes iniquitates eorum.* Annon abſurdè diceretur Hircus ille maximus peccator *Iſraëlis*? An aliquanto magis peccator eſt, quia populi peccata ei impoſita ſunt? Idem eſt ferendum judicium de reliquis victimis quibus manus & peccata imponebantur. An Deus iratus erat ſacrificio? Minimè: Deus volebat eum offerri in expiationem peccatorum.

Hoc modo intelligi debent hæc loca *Iſaj.* 53: 6. *Dominus impoſuit ei iniquitates omnium noſtrûm.* 1 Pet. 2: 24. 2 Cor. 5: 21. *Tulit peccata noſtra*, non ut peccator, ſed ut victima. Atque hoc manifeſtum fit ex *Joann.* 1: 29. *Ecce Agnum Dei, qui tollit peccata mundi.* Ut agnus in Templo ferebat peccata populi; ita *Chriſtus* tulit peccata noſtra. Quomodò? Eratne agnus reus, aut peccator? Nullo modo; ſed ſacrificium expiationis. Ita Deus reſpexit *Chriſtum* tanquam victimam ſibi gratam, & nullo inquinatam peccato.

An majori illuſtratione opus eſt? Obſervate illud *Exod.* 28: 36, 38. *Facies laminam de auro puriſſimo, in quo ſculpes opere cælatoris, Sanctum Domino. Hæc imponetur fronti Aaronis, ut portet Aaron iniquitates eorum quæ obtulerunt & ſanctificaverunt filii Iſraël. Erit autem Lamina ſemper in fronte ejus, ut placatus ei ſit Dominus. Sanctum Domino*, quia ferebat iniquitatem? Potiùs non ſanctum fuiſſet, ſi *Aaron* aliquantò major fuiſſet peccator, quia ferebat populi iniquitates. Sed dicitur ferre eorum iniquitates, quia pro munere ſuo eas expiabat. Quomodò Deus conſiderabat Aaronem quatenùs Sacerdotem? An iratus, quia ferebat iniquitatem populi? Imò contrà favens ac propitiùs, quia eximium erat expiationis inſtrumentum. Eſt alius ſimilis locus *Levit.* 10: 13.

Duo aut tria ab hujus opinionis propugnatoribus quæramus.

An *Chriſtus* à Deo puniri vel cum aliquâ veri ſpecie dici potuit? Multò minùs irâ Dei poterat obrui, damnari à Deo. An puniebatur agnus qui offerebatur? Affligebatur, non puniebatur; pœna enim crimen vel culpam antecedentem arguit, *Lam.* 3: 39. *Quid murmuravit homo vivens, vir pro peccatis ſuis?* An triſtes *Chriſti* perpeſſiones ei impoſitæ ſunt tanquam pœnæ? Certè non propter propria peccata; nec propter noſtra etiam. Paſſus eſt pro peccatis noſtris, tulit peccata noſtra; ſed ejus perpeſſiones

non

non fuerunt pœnæ peccatorum noſtrorum. Duo enim obſervantur. Primò, *Chriſtus* meruit perpeſſionibus ſuis. An poteſt commodo ſenſu dici meruiſſe pœnis ſuis? Abſurdo ſenſu dicitur *Chriſtus* meruiſſe ſalutem hominibus, quia pœnas eorum tulit: ſed divino prorſùs, quia paſſus eſt ad eos redimendos. Paſſus eſt tanquàm victima ἱλαςικὴ, non tanquàm peccator qui plectitur. Secundò, an *Chriſtus* mortuus eſt propter aliquid quod Legi deberet? Multò minùs propter ullum debitum quo iræ divinæ teneretur. An Lex reum faciebat aliqua in re *Chriſtum*, aut eum damnabat? Deinde, quomodò concipere poſſumus iram Dei eum reum habuiſſe & damnaſſe? Dicitur quidem *Gal.* 3: 13. *Chriſtus liberavit nos à maledictione Legis, factus maledictio pro nobis; quemadmodum ſcriptum eſt, Maledictus eſt quicunque pendet è ligno.* Verùm an hoc effecit ut malediceretur à Deo? An pius Latro maledictus erat à Deo, cùm pendebat è cruce? Hac phraſi ſignificatur hominum oculis ita viſum fuiſſe. Itaque ut fieri non poterat ut *Chriſtus* eſſet obnoxius iræ divinæ propter proprium aliquod peccatum; ita nec concipi poteſt quomodò propter noſtra fuiſſet.

V. Impoſſibile eſt *Chriſtum* paſſum fuiſſe cruciatus Inferni, aut fuiſſe in damnatorum ſtatu. Nemo Sacerdos Leviticus potuit leprâ laborare; quomodò Pontifex Maximus eſſet in eadem conditione ac damnati? Certè ſi corpus ejus videre non potuit corruptionem, multò minùs ejus anima ſentire potuit damnationem. Si corpus ejus ei rei non erat obnoxium, cui obnoxia ſunt omnia, ſanctiſſimorum etiam corpora; certè ejus anima non potuit ſubire ſtatum damnatorum.

Hoc manifeſtum fieri poteſt conſideratione trium horum, in quibus maximi Inferni cruciatus ſiti ſunt. I. Separationis à Deo, abſque ullo favoris radio. II. Horroris in conſcientia propter reatum. III. Extremæ deſperationis. Jam opus non eſt me oſtendere iſta in *Chriſtum* cadere non potuiſſe.

Atque hæc dicta ſunto ad oſtendendum primùm, qui non ſit ſenſus hujus Articuli.

Ad genuinum ſenſum jam veniamus. Ac poſſum in ipſo diſquiſitionis exordio dicere, ut *Moſes* optabat *omnem Congregationem eſſe Prophetas*, ita me optare Auditores omnes meos ſcire Græcè; tùm enim res facilis eſſet. Symbolum Græcè ſcriptum fuit, atque in interpretatione hujus Articuli non alligamur vulgari ſignificationi Anglicæ vocis *Hell*, ſed debemus potiùs confugere ad ſignificationem Græci vocabuli. Si quis ex iis qui memoratas propugnant opiniones, urgeat vocem *Hell*, adeòque Infernum eſſe intelligendum, quaſi nos retrahere vellet *ad Legem & Teſtimonium:* reſpondebo, confugiendum ad Originalem Textum Græcum, & proprietatem phraſeos quæ in eo eſt. Legimus *Iſaj.* 29: 10. *Dominus effudit in vos ſpiritum vertiginis*; in Græca Tranſlatione, & *Rom.* 11: 8. eſt κατανύξεως, *compunctionis*, ſenſu planè contrario ſenſui Prophetæ. Quid hìc agemus? Non adhærebimus mordicùs ſignificationi Græcæ Tranſlationis, ſed confugiemus ad vocem quæ eſt in Hebraico Textu, & Græcam ex ea intelligemus. Ita Anglica noſtra Verſio videtur dicere voce *Hell*, quod neque Scripturâ, neque ratione defendi queat; ideòque non oportet nos adhærere proprietati vocis Anglicæ, ſed Græcæ potiùs. In Græco Symbolo eſt κατῆλθεν εἰς Ἅδου, quod jam jam vobis interpretabor.

I. Articulus reſpicit animam *Chriſti* poſt ejus mortem: *animam*, inquam; nam quid *corpore* factum ſit, dicitur in Articulo antecedenti, *Crucifixus, mortuus & ſepultus.* Sed quid factum eſt ejus animâ? Κατῆλθεν εἰς Ἅδου, *Deſcendit in Infernum.* Hic Articulus omiſſus eſt in variis Confeſſionibus fidei Patrum, & Symbolis. Vice plurium obſervetur *Nicænum* Symbolum: *Fuit etiam crucifixus pro nobis ſub Pontio Pilato, paſſus & ſepultus eſt. Tertiâ die reſurrexit.* Unde patet ex occaſione additum fuiſſe, & illuſtrationis causâ. Concilia & Patres plerùmque inſeruerunt Articulos quoſpiam Confeſſionibus, reſpicientes ad aliquam hæreſin quæ eorum tempore nata erat. Atque hic Articulus inſertus fuit ad impugnandum aliquem errorem circa perſonam *Chriſti.* Multæ fuerunt hæreſes & hallucinationes circa perſonam *Chriſti*, atque hæc inter alias, quòd non haberet verum corpus, ſed tantùm aërium: ac rurſùs, licèt haberet verum corpus, quòd non haberet mentem humanam, ſed naturam divinam fuiſſe illi vice mentis.

Articuli qui ad mortem *Chriſti* pertinent utrumque horum errorum oppugnant. Habuit verum corpus, nam verè fuit *crucifixus, mortuus & ſepultus*; & veram mentem, ſeu animam, nam mortuo *Chriſto*, ivit in *Haden.* Adverſus priorem errorem ſatis erat dixiſſe, *Mortuus & ſepultus eſt*: ſed adverſus poſteriorem non fuit inutilis iſta additio, ne perperàm intelligeretur Symbolum.

II. Ethnici agnoſcebant alium mundum atque animorum immortalitatem. Quamvis nulla eſſet ipſis revelatio quæ hoc eos edoceret, nihilominùs credebant eſſe alteram vi-

tam poſt hanc mortalem. De ea *Socrates* ante mortem multa loquutus eſt, quæ cùm legiſſet *Cleombrotus*, è turri ſe præcipitem dedit, ut immortalis evaderet. O miram animi commotionem! ô validam perſuaſionem! Sed mirum eſt *Sadducæos* qui Scripturam habebant, hoc negaſſe; & Chriſtianos quibus tam ſæpè altera vita inculcatur, tam parùm eâ affici. *Cicero* affert argumenta unde colligebant Ethnici homines in altero mundo poſt mortem vivere; quorum unum ductum eſt ex mortuorum apparitionibus. Qua in re dum Diabolus nititur eos fallere, ut hominum mortuorum animas putent ipſos Dæmonas ſic apparentes, ipſe deceptus fuit, quippè qui ſic iis perſuaſit vitam eſſe alteram poſt mortem. Quomodò eâ re inducti fuerint ad eam credendam, hic non inveſtigabo; verùm conſtat eos crediſſe poſt mortem defunctos in alio mundo vivere.

III. Hunc locum & ſtatum ἅδην vocabant, hoc eſt, locum obſcurum & inconſpicuum. Atque hæc vox paſſim occurrit. *Achilles* multos ἀΐδι προΐαψεν, *ad Haden præmiſit*. *Sophocles*, Πρὶν εἰς Ἅδου μολεῖν, *Antequàm eamus in Haden*. *Leonides* ad ſuos milites, Δειπνεῖν ἐν Ἅδου, *Cœnare in Hade*, hoc eſt, in altero mundo. Sic autem deſcribebant *Haden*.

I. Credebant locum fuiſſe ſub terra. Cujus rei ratio eſt, quòd nullum in Cœlum ire putarent, præter eos qui futuri erant Dii; alii deſcendebant in *Haden*. Hinc *Ulyſſes* & *Æneas* deſcendunt ſub terram in mundum animorum, ut conſulant amicos quoſpiam defunctos. Hinc fraus Diaboli, adducentis ſpiritus tanquàm aſcendentes ex terra, 1 *Sam*. 28: 13.

II. Hic animorum locus in duas partes diviſus erat; nempè *Elyſium*, & *Tartarum*: inter quæ fluebat profundus fluvius aquæ ſtagnantis; atque ita ut ex una ripa altera poſſet cerni, & colloquia hinc indè miſceri. Juxta hanc communem opinionem *Chriſtus* fingit Parabolam quæ habetur *Luc*. 16: 23. Dives ἐν ἅδῃ, & quidem in loco cruciatuum, trans gurgitem reſpicit, & loquitur cum *Abrahamo*. Ita boni & mali pariter deſcenderunt in Ἅδην; boni quidem in locum quietis ac voluptatis; mali in locum mœroris & pœnarum. Ita Poëta Græcus:

Diphilus. Καὶ γὰρ καθ' ἅδην δύο τρίβους νομίζομεν,
Μίαν δικαίων, χἀτέραν ἀσεβῶν ὁδόν.
Etenim in Hade duos calles eſſe credimus,
Unum quà via eſt juſtorum, alterum impiorum.

Lazarus ivit in *Haden*, & Dives pariter; ſed contrarias ſortes experti ſunt. IV. Hoc ſenſu debet hic Articulus intelligi, juxta communem vocis notionem; *Chriſtum* nempè iviſſe in *Haden*, hoc eſt, in alterum mundum, ad locum quem juſtorum animi petunt, quem Scriptura docet nos eſſe Cœlum.

Vox *Hell* jam ſignificat tantùm locum cruciatuum; ſed olim ſignificatio ejus amplior erat, & æquè patens ac vocis Ἅδης; atque ex Græca voce ejuſque ſignificatione Anglicam exponere debemus. Afferam exemplum ſimilis vocis. Vox *Knave* jam ſumitur tantùm in malam partem; olim verò ſignificabat *Servum*. Ita veteres quædam Verſiones pro *A ſervant of the Lord*, habent, *A knave of the Lord*. Cùm hoc legimus, non debemus ex præſente notione vocis eam interpretari, ſed ex antiqua, & Originali Textu Hebraïco. Ita cùm in hoc Articulo legimus *Hell*, non oportet nos hanc vocem intelligere ex uſu hodierno, ſed juxta antiquam notionem interpretari locum & ſtatum omnium animorum defunctorum debemus. Itaque hic Articulus tria hæc dogmata complectitur.

I. *Chriſtum habuiſſe veram animam humanam, ſimilem animæ reliquorum hominum. Erat ratione prædita, animabat corpus, erat tota in illo; non verò ipſa Divinitas illud animabat & movebat.*

II. *Cùm Chriſtus mortuus eſt, veram ſeparationem mentis & corporis, ut in reliquis hominibus, factam. Mens unà cum corpore non dormivit, ſed fuit ab eo ſeparata. Quamvis reditura eſſet in corpus, illud reliquerat, & ſeparatum extiterat.*

III. *Statim ac anima Chriſti diſceſſit, iviſſe eam in alterum mundum, in quo ſunt animæ: ad locum quem ſanctæ animæ petunt, nempè Cœlum. Ibi remanſit, donec ad corpus rediit. Fuit in Paradiſo per totum illud tempus quo corpus fuit in ſepulcro.*

Object. Eſtne hic ſenſus loci *Actor*. 2: 27. *Non relinques animam meam εἰς ᾅδου*? Si *Hades* ſignificat Paradiſum, quare *Chriſtus* Deum orat ne in eo remaneat? *Caro mea quieſcet in ſpe*, hoc eſt, ſe non relictum iri in *Hade*: nonne etiam ſperabat animam ſuam non relictum iri in *Hade*, quemadmodum ſperabat corpus ſuum non viſurum corruptionem?

Reſponſio. Non ita orat, quaſi anima ejus malè ſe haberet in *Hade*, ſi reſpiciamus ea quibus ibi fruebatur; ſed quòd non benè eſſet, dum erat à corpore ſeparata: hoc enim erat, dum *Chriſtus* eſſet mor-

morti ſubditus. Eſt quaſi diceret, Non me ſines in morte, animâ meâ à corpore ſeparatâ; ſic triumpharet Diabolus.

Obſervate animam *Chriſti* ſuiſſe in gloria, dum ejus corpus eſſet in ſepulcro; attamen eam ad corpus redire vehementer cupiviſſe. Quare? Ut finem imponeret operi à Deo ipſi impoſito ſuâ reſurrectione, & mortem vinceret. Quemadmodum, ut ita dicam, Infernus eſt Diabolo non malè facere; ita *Chriſto* Cœlum eſt voluntati divinæ obſequi. Reliquit ſinum Patris ut veniret in mundum; & cùm ejus anima rursùs in ſinu Patris frueretur ineffabilibus gaudiis, maluit tamen Dei imperiis parere. Petite ab anima quapiam quæ ſit in Paradiſo, an vellet rursùs eſſe in terris? Minimè, inquiet. Sed velleſne eſſe in terris ut mandata Dei exſequereris? Vellem, inquiet. Cœlum eſt Deo obſequi. *Ubi Imperator, ibi Roma:* quocunque loco homo Deo placere potuerit, ei locus ille inſtar Cœli eſt. Felicitas eſt Sanctorum in Cœlo, quod eorum voluntas perfectè conſentanea voluntati divinæ ſit.

Quæritur ubi eſſet anima *Lazari* in quatriduo mortis? Sine dubio erat in Cœlo. Sed objectionis ratio hæc eſt, quia nempè ei fiebat injuria, ac miſeria immittebatur, cùm rursùs è Cœlo in terras dimitteretur. Sancta anima, an ita tibi videtur? Non, inquit; nihil aliud eſt in votis, niſi ut divinæ voluntati paream. Ita quamvis anima *Chriſti* frueretur gloriâ, & ineffabilibus gaudiis, attamen noluiſſet ibi remanere, omiſſo opere quod ei mandaverat Deus. O anima, tibi benè eſt; eſto contenta, in Paradiſo remaneto, corpus in ſepulcro relinquito, malum nullum ſentit. Ah! inquit, Satanas & Mors intereà non vincuntur; Dei cauſa nondùm eſt judicata; id operis priùs perficiatur, & poſteà anima & corpus ſimul gloriâ fruentur.

Orationis meæ & Articuli ſcopus eſt oſtendere, *Chriſtum* habuiſſe humanam mentem noſtræ ſimilem, niſi quòd non erat inquinata peccato; eamque diſceſſiſſe non ſecùs ac aliorum hominum mentes. Quidam Interpretes in *Geneſ.* 1: 26, 27. *Et Deus dixit, Faciamus hominem ad imaginem noſtram*, ajunt Deo *Chriſtum* propoſitum fuiſſe, & homines formatos ad imaginem *Chriſti*; quaſi dicerent, Deus fecit priorem *Adamum* ad imaginem poſterioris; cùm contrarium contendamus, poſteriorem nempè *Adamum* factum eſſe ad imaginem prioris. Ita *Phil.* 2: 7, 8. *Semet ipſum exinanivit, formam ſervi accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*, &c. Homo non fuit primùm creatus ad ſimilitudinem *Chriſti*, ſed *Chriſtus* in mundum miſſus fuit ad hominum ſimilitudinem.

In tribus porrò mens *Chriſti* humanis ſimilis fuit. I. In eo quod infuſa eſt in corpus. II. Quòd exiſtebat in corpore, & movebat corpus. III. Quòd ex corpore exiit. Cernebatur ejus corpus ut reliquorum hominum, atque in eo mens ſeſe exerebat, ut ſolent hominum mentes.

I. Infuſione ſuâ in corpus. Dicetis hîc exemplar eſſe obſcurius, quàm ut quod indè deductum eſt intelligi queat. Controvertitur quomodò mentes injiciantur corpori; & duo ſunt hoc in negotio errores, nempè *Praexiſtentia*, & *Generatio animarum*, qui hinc emendari poſſunt.

Quidam credunt *Praexiſtentiam* animarum, quas creatas omnes putant initio mundi, & poſteà in corpora immiſſas. Atque hoc probare conantur hoc argumento. Deus perfecit Creationem initio; ideòque jam non creat animas. Reſpondeo, Deum perfeciſſe Creationem quæ complectitur *genera ſpecierum*, ſed non perfeciſſe *ſpecies generum*. Cùm immiſit in *Ægyptum* ranas & pediculos, fuit quidem creatio animalium, ſed genus initio creatum fuerat. Idem dicendum de animis. Exemplum *Chriſti* ſumamus. An mens *Meſſiæ* fuit in principio creata? Si ita eſt, quid fecit donec unita fuit corpori? Ubi erat? Annon mens *Chriſti* perpetuò in utilitatem populi ſui operata eſt? Statim ac fuit conjuncta corpori, incepit opus Redemptionis, nempè ſanctificavit naturam noſtram unione humanæ naturæ cum divina. Mens ejus nunc eſt in Cœlo, ubi mediatorio munere pro ſuo populo fungitur. Difficile eſt conceptu, ejus animam ferè per quatuor annorum millia otioſam, nihil feciſſe in hominum ſalutem. Nec poſſumus *Chriſtum* vocare, donec integrâ noſtrâ naturâ præditus eſſet, menteque ac corpore conſtaret. Itaque mens *Chriſti*, ut & noſtræ, immediatâ creatione corpori infuſa eſt; quòd corpus in utero beatæ Virginis ad eam admittendam præparatum fuerat: & quamvis generatione ipsâ in utero nobis ſimile non eſſet, attamen in eo *Chriſtus* ſimilis nobis fuit, quòd mens ejus & corpus in utero matris unita ſint; quod ex ſequentibus clariùs patebit.

II. *Chriſtus* habuit mentem noſtris in omni-

omnibus, excepto peccato, ſimilem. Quæritur *an omnes animæ ſint æquales?* Affirmativæ opinioni aliquod videtur eſſe præſidium in *Pſalm.* 33: 15. *Formavit eorum corda ſimiliter.* Sed reſpondeo primò, locum poſſe ſic intelligi, Deum ex æquo Creatorem eſſe omnium animarum, divitum & pauperum, ſapientium & ſtultorum. Secundò, dubium non eſt quin omnes animæ ſint ſimiles, quod attinet ad eſſentialia; ſunt intelligentes, ſpirituales, immortales omnes. Num ſint ſimiles in uſu & excellentia facultatum iſtarum, non diſceptabo. Sine dubio anima *Chriſti* excellentiſſima fuit, & tamen noſtris in omnibus quæ ad eſſentiam animarum, vel humanam naturam pertinent, ſimilis.

Non neceſſe eſt me loqui de eſſentialibus mentis; habuit infirmitates mentis humanæ quæ peccatum non involvunt. Huc referre poſſum illud *Matth.* 8: 17. *Suſtulit infirmitates noſtras, & portavit morbos noſtros.* Fuit obnoxius triſtitiæ, *Matth.* 26: 38. περίλυπος ψυχή: timori, *Hebr.* 5: 7. *In eo quod timuit:* Joann. 11: 33. *Infremuit ſpiritu & turbatus eſt.* Hæ ſunt naturales infirmitates, vel affectus humanarum mentium. *Adam* in innocentiæ ſtatu, ſi quæ fuiſſet occaſio, talia ſentire potuiſſet.

Apoſtolus ex ſimilitudine mentis *Chriſti* cum noſtris conſolationem duxit, *Hebr.* 4: 15. *Neque enim habemus Summum Sacerdotem qui non poſſit tangi ſenſu infirmitatum noſtrarum, ſed in omnibus tentatus fuit non ſecus ac nos, excepto tamen peccato.* Itaque poteſt Chriſtianus in mœſtitia, metu, fame, perſecutione confugere ad Summum Sacerdotem qui hæc omnia ſenſit.

Non ignara mali miſeris ſuccurrere diſco.

Qualem aditum Deus peccatoribus largitus eſt! Non tantùm admiſit eos ad eum qui ejuſdem eſt naturæ, ſed ipſarum etiam naturæ infirmitatum particeps eſt, excepto peccato. Vel unam afferte cui obnoxius non fuerit. Quanta cum conſolatione pauper quiſpiam moriens, à Satana oppugnatus, dolores pertimeſcens, ad *Chriſtum* poteſt confugere, qui hæc omnia expertus eſt?

III. Mens *Chriſti* reliquis ſimilis fuit in diſceſſu à corpore, & abitu in alium mundum. Atque hoc ad tria capita revocabo.

I. Quamvis cauſa mortis *Chriſti* alia eſſet à ratione propter quam omnes moriuntur; attamen natura ipſa mortis eadem eſt. Quamvis conceptio & nativitas *Chriſti* ab aliis omnibus differrent, attamen natura ejus mortis eadem fuit, quamvis etiam modus mortis differat. Quod habetur *Hebr.* 9: 27. pertinet ad *Chriſtum* æquè ac ad reliquos omnes: *Decretum erat ipſum mori*; ſed propter diverſam prorsùs rationem ab ea propter quam reliqui moriuntur. Obſervatu dignum eſt, mortem *Chriſti* nuntiatam fuiſſe, priuſquàm ipſi *Adamo* mors ſua denunciaretur, *Geneſ.* 3: 15. fit mentio mortis Chriſti; *verſu* verò 19. mortis *Adami.* Unde colligitur *Chriſtum* mortuum non eſſe neceſſitate moriendi, quâ *Adamus* ejuſque poſteritas moriuntur, ſed ejus mortem ex alia origine fluxiſſe. Quamvis *Chriſtus*, poſterior *Adamus*, innocentiâ priorem multùm ſuperaret, reſpectu perfectionis naturæ & perſonæ; attamen reſpectu certitudinis mortis, auſim dicere inferiorem eum fuiſſe. Excellentiâ naturæ tantoperè *Adamum* ſuperabat *Chriſtus*, ut cùm *Adamus* peccato careret, in *Chriſto* ne poſſibilitas quidem peccandi eſſet; ſed circa moriendi certitudinem, res adeò contrario modo ſe habet, ut, cùm *Adamus* potuiſſet non mori, *Chriſtus* mori neceſſe habuerit.

Sociniani dicunt *Adamum* creatum fuiſſe mortalem, quia poterat mori, & reverà mortuus eſt: cùm certè actu creatus fuiſſet immortalis, nec ulla ante peccatum in ſua natura haberet mortalitatis ſemina, vel principia. *Chriſtus* adeò carebat principiis mortalitatis, ut cùm *Adam* innocens duntaxat eſſet, ipſe non poſſet peccare: attamen auſim dicere eum in ſeipſo principia moriendi habuiſſe, ſed non tam in corpore quàm in intellectu; non in ullo naturæ vitio, ſed in propriæ voluntatis deſtinatione. Mors ei non fuit ſtipendium peccati, ut aliis; nec finis peccandi, ut reliquis omnibus: ſed ex contrariis prorsùs manavit principiis, nempè amore hominum, & obedientiâ erga Deum. Mors *Adami* & omnium aliorum hominum manavit ex inobedientia; mors *Chriſti* tantùm ex obedientia. *Adamus* mortuus eſt, quia nec ſe, nec poſteros amavit; *Chriſtus*, quia populum ſuum plúſquàm ſemet ipſum dilexit. Itaque reſpectu mortis *Chriſti*, *Jordanes* retrò properavit, & fluenta verſa recurrerunt contra naturalem rationem propter quam reliqui homines moriuntur. Attamen mortis ipſius natura non alia eſt à morte alio-

aliorum, ut ex ſequenti obſervatione liquet.

II. Definite mortem, quid eſt? Separatio mentis & corporis. O mortalis, te ſemel hujus definitionis veritatem ſentire oportet. Anima illa quæ vivificat corpus, quæ ei colorem, calorem, vitam & motum conciliat, vix abiit cùm omnia hæc evaneſcunt, & corpus mortuum jacet. Eſt diſcrimen inter mortem, & animi deliquium. Deus oſtendit in *Enocho* & *Elia* quid facturus fuiſſet, ſi homo in innocentia perſeveraſſet; tranſtuliſſet nempè eum mente & corpore in gloriam. Sed cùm ingreſſum eſt peccatum, mors etiam ingreſſa eſt, corpus & mens ſejuncta ſunt, corpus corruptioni permiſſum, anima abducta in mundum animarum, ut juxta peccata vel virtutes præmium acciperet, vel pœnas lueret.

Sed quare Deus ita agit ad educendas ex hoc mundo animas? Quare improborum corpora & mentes ſimul ac ſemel in Infernum non mittuntur? Quare Sancti corpore & mente in Cœlum non rapiuntur? Poſſem dicere *Simeonem* & *Levi*, qui in malo operam ſociarunt, diſpergi in *Jacobo*, ne ampliùs malum unà machinentur: mentem & corpus, peccandi ſocios, oportere ſeparari, ne ampliùs in peccando conjungantur. Verùm non opus eſt nos quicquam aliud reſpondere, niſi Deum hanc in peccatum tuliſſe ſententiam; corpus, quod fuerat immortale creatum, moriturum & viſurum corruptionem; mentem & corpus, quæ in hoc mundo conjunctiſſima fuerunt, effractis vitæ vinculis disjuncta, in diverſas raptum iri partes. O quàm amarus eſt hic diſceſſus! Quàm vel ipſa ejus cogitatio terribilis eſſe in mundo debet! *Chriſtus* autem tam verè hanc ſubiit ſeparationem, quàm quivis alius.

Obſervatu dignum eſt momentum quo *Chriſtus* in cruce animam efflavit, tum ad rem ipſam quod attinet, tum ad modum quo contigit. Collatis unà Euangeliſtis rem meliùs intelligemus. *Joannes* videtur hæc ejus ultima verba facere: *Conſummatum eſt*, Cap. 19: 30. Lucas, *Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum*, Cap. 23: 46. Adde & verba Centurionis cùm ejus clamorem audivit, *Marc.* 15: 39. *Certè hic erat Filius Dei.* Omnes dicunt in Anglica noſtra Tranſlatione, *He gave up the Ghoſt*, expiravit; quod *Marcus* & *Lucas* exprimunt voce ἐξέπνευσε, ut ſolent alii qui moriuntur. Sed *Matthæus* & *Joannes* utuntur locutionibus ἐμφατικωτέροις. *Matthæus* habet, ἀφῆκε τὸ πνεῦμα, *dimiſit ſpiritum ſuum*; *Joannes*, παρέδωκε, *tradidit*. *Chriſtus* non potuit mori, imò, inquam, noluit mori, priuſquàm omnia quæ de ejus morte fuerant prædicta impleta eſſent. Ideòque cùm pependiſſet circa tres horas, intelligens ſcriptum eſſe, *Dederunt mihi acetum*, &c. dixit, *Sitio.* Deguſtavit acetum, & dixit, *Conſummatum eſt*, omnia ſunt impleta. Caput inflexit, & ſe ad mortem compoſuit, ac clamavit, *Pater, in manus tuas*, &c. Quo dicto, *ſivit abire* animam ſuam, eamque *tradidit* in manus Dei.

In memoriam revocate quod habetur *Joann.* 10: 17, 18. & videbitis ſenſum harum loquutionum: *Pono animam meam, ut iterùm ſumam eam. Nemo tollit eam à me; ſed ego depono eam à me ipſo. Poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterùm ſumendi eam.* Erat dominus vitæ ſuæ, nec Judæi eam illi eripere poterant, ſed ipſe eam ſpontè dimiſit. *Videns autem Centurio qui ex adverſo ſtabat, quia ſic clamans expiraſſet, ait, Verè hic homo Filius Dei erat.* Sine dubio hic poteſtatem habebat moriendi cùm vellet. Tam validus clamor non eſt hominis cujus vires exhauſtæ ſunt, & morientis naturæ infirmitate; ſed arguit vitam adhuc eſſe in eo, & vires quibus diutiùs vivere poſſet: ideòque non moritur infirmitate naturæ, ſed vitam pro arbitrio demittit.

An magnum hunc eventum vitæ Servatoris noſtri taciti præteribimus? O mortales viri & mulieres, ſi vitæ veſtræ à vobis penderent, an tam promptè, tam libenter eas relinqueretis, & Deo animas veſtras committeretis? At non pendent, & tempus aderit quo, velimus, nolimus, relinquendæ erunt. Servator noſter nos docuit quid facere deberemus, cùm ad mortem vocabimur, ad emittendam libenter animam, & lætè ex hac vita diſcedendum, animâ in Dei manus commiſsâ. Memini verborum illorum viri probi morientis: *Egredere, anima, quid times?* &c. *Serviiſti benigno hero, ne timeas ad ipſum ire.* Difficilis erit lucta, quando corpus & anima erunt divellenda. Opus ergò eſt conatibus ad animæ vincula quaſi laxandum, ut cùm Deus eam vocabit, non illibenter, non ægrè ac difficulter abeat. Perplexus erat qui dicebat antequàm animam efflaret:

Animula, vagula, blandula,
Hoſpes comeſque corporis,
Quæ nunc abibis in loca? &c.

 Ægrè

Ægrè anima proficiſcitur cùm eſt mundo alligata, non ſecùs ac corpori; cùm adhæret mundanis rebus ut corpori ſuo, & ab his etiam avelli debet. Qui verò mortuus eſt mundo, quàm facilè, & quanta cum conſolatione moritur? Cùm animam efflat, nihil aliud ipſi faciendum eſt, quàm ut eam reſtituat ei qui illam dedit.

Itaque quamvis ratio quâ anima *Chriſti* ab ejus corpore diſceſſit extraordinaria ſit, attamen anima & corpus ejus verè ſeparata ſunt morte, ut & reliquorum omnium hominum ſolent.

III. Anima ejus ita relicto corpore ivit in *Haden*, in alium mundum, ad locum in quem ſanctæ animæ poſt mortem contendunt; quod hiſce verbis pio Latroni expreſſit, *Hodie eris mecum in Paradiſo.*

Quid facit anima ſtatim poſt diſceſſum? Quidam dicunt eam peragrare regiones aëreas, & ibi arcana naturæ contemplari. Sed animæ non eunt in alium mundum ut ſtudiis incumbant, ſed ut præmium accipiant. Poſſum dicere de anima quavis diſcedente, quod *Chriſtus* de *Petro*, *Joann.* 21: 18. *Cùm eſſes juvenis, teipſum cingebas, & eò ibas quò volebas; ſed cum conſenueris, extendes manus tuas, & alius cinget te, & ducet quò nolles ire.* Ita dum anima erat in corpore, ibat quò volebat, faciebat quod videbatur, ſui juris & arbitrii erat; ſed relicto corpore, alius eam cingit, ac ſi mala fuerit, eam deducit quò nollet; imò etiam ſi bona ſit, locum aſſignatum habet quò eat, adeò ut non ſit, ut anteà, ſui arbitrii.

In alio mundo eſt locus aſſignatus & certus animarum ſtatus, è quibus non ampliùs excidant aut dimoveantur: ita ut quemadmodum ſtatus animæ, ut hìc, non eſt mutabilis, ita nec anima ipſa eum mutare poſſit, ut hac in vita. Obſervate illud *Eccleſ.* 12: 9. *Tum revertetur pulvis in terram ſuam unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.* Piæ animæ redeunt ad Deum; impiæ etiam redeunt ad Deum, qui eas dedit. Quomodò? Nempè in manus Dei omnimodò deveniunt, ut cum illis agat, juxta id quod fecerunt dum in carne eſſent, & ſtatim eas in Cœlum, vel in Infernum mittat. Hæc eſt dies retributionis. Vide *Luc.* 16: 22, 23. ubi Dives & *Lazarus* ſtatim mittuntur, alter in Infernum, alter in Cœlum. Exemplum etiam deſumere poſſumus à duobus crucifixis Latronibus; pius ſtatim ivit in Paradiſum, alter in ſuum locum; uterque εἰς ᾅδην, quæ eſt vox Symboli noſtri.

Chriſtus commendat animam ſuam in manus Patris, atque abit ea in manus Dei. Quem in finem? Ut Deus cum illa agat, ut videbitur. Quid autem cenſetis Deum feciſſe animæ Chriſti? Quærunt Scholaſtici num *Chriſtus* commeruerit ſalutem *pro ſe*. Ratio quæſtionis eſt, quia quæritur an *Chriſtus* intenderit mereri *pro ſe?* Seu hic ejus animus fuerit, ſeu contrà nihil intenderit mereri *pro ſe*; anima certè ejus, poſt tam ſanctam vitam, non poterat non conſequi ſalutem. Quid enim aliud animæ *Chriſti* agendum erat ad ſervandos homines; aut quid ampliùs ad ſeipſum ſervandum fieri poterat? Cùm omnia perfeciſſet, quid ſupererat aliud, niſi ut in quietem ſuam iret, donec ad corpus excitandum rediret? Ita Scriptura docet pias animas quieſcere ad ultimam diem, quâ eas ad corpora redire oporteret, & poſtea unà cum illis æternâ frui quiete.

Hæc migratio animæ Servatoris noſtri in Cœlum poſt ejus mortem, vocatur ejus migratio in *Haden*, in mundum animarum, & locum ſanctarum animarum, locum mortalium oculis inconſpicuum: quod quamvis durè videatur expreſſum hiſce verbis, *Deſcendit in Infernum*, Anglicè, *into Hell*, debet ex Græca notione vocabuli hoc ſenſu intelligi.

Phraſis Græca docet animas non dormire cum corporibus, nec remanere in terris unà cum hiſce, ſed vivere, dum corpus eſt mortuum, atque ire in alium mundum, ut in æternum vel vivant, vel moriantur. *Chriſti* anima, licèt per triginta ſex tantùm horas à corpore ſejuncta fuerit, attamen in terris non ſtetit, nec cum corpore dormivit, ſed in alium evolavit mundum. *Sadducei*, qui exiſtimabant animam cum corpore mori, parùm inquiſiverant in naturam animæ. An eam, ô Chriſtiane, inveſtigas? An noſti quid ſit? Minimè, inquis, non poſſum eam videre. Sed poſſum dicere, ut ſcriptum eſt *Rom.* 1: 20. *Inviſibilia Dei per ea quæ facta ſunt intellecta, clarè conſpiciuntur:* ita inviſibilia animæ, id eſt, ejus ſpiritualitas & immortalitas, poſſunt ex ejus actionibus intelligi. *Spiritus hominis eſt lucerna Domini*, Prov. 20: 27. Eſt Lucerna Domini, quemadmodum ea quæ erat in Tabernaculo, quæ nunquam extinguebatur, ſed manè & veſperi inſtruebatur, & lucens perpetuùm conſervabatur.

tur. Eſt lucerna Domini *quæ quærit omnia interiora ventris*, quæ poteſt ipſum hominem commonefacere, conſcientiam ejus excitare, cogitationeſque atque affectus commovere: candela quæ inveſtigat naturæ & Dei myſteria.

Comparate hunc ſpiritum cum ſpiritu beſtiæ cujuſpiam, ſuis, bovis; actiones humanæ mentis in ſapientia, eruditione, inventione, cum actionibus brutorum; atque indè colligetis quænam ſit mentis natura. Si autem adeò activa eſt in corpore, ubi carne impeditur, qualem eam putatis futuram, cùm vinculis corporis ſoluta erit?

Atque hoc quidem aliquandò continget, cùm in alium ibit mundum, non ut ſuâ ibi fruatur libertate, ſuique ſit arbitrii. Ad Deum ibit qui cum ea, ut videbitur, aget, eamque vel in Cœlum vel in Infernum mittet. Jam abito cum hac cogitatione, cujus nunquam obliviſcaris: *Aliquandò oportet mentem meam venire in manus Dei, ut debitam accipiat mercedem.*

FINIS.

Digitized by Google

C O N C I O

A D

C L E R U M.

In Eccleſia Sanctæ *Mariæ Cantabrigienſis* habita Jan. 12. 165$\frac{1}{2}$. pro gradu Doctoratûs.

O R E M U S.

Sancte, Sancte, Sancte Domine, Deus Exercituum, Pater noſter qui es in cœlis, qui Dominus es gloriæ, Deus gratiæ, & Pater miſericordiarum, procidimus nos miſelli homunciones ad ſcabellum pedum tuorum, aſpicientes in te Dominum tui ſervi, confugientes ad te Patrem tui filii. At nos, quod ingemiſcimus, longè indigniſſimi, qui vel filii tui nominemur, vel ſervi. Peccavimus enim in te Dominum, peccavimus in te Patrem, calcitrantes in Legem tuam, & officii noſtri immemores, & conculcantes Euangelium tuum, & miſericordiæ tuæ contemptores. Jugum dominationis tuæ à nobis rejecimus, & jugum tui amoris. Ita ut quid nobis reliquum eſſe poſſit, niſi à Domino proſcriptio, à Patre abdicatio, accuſatio à Lege, judicium ab Euangelio, & ab omnibus condemnatio?

Miſerrimè nobis eſt, ô Domine, & à natura noſtra, & ab actionibus noſtris, & à noſtra voluntate. Miſerrimè eſt nobis, & de malis perpetratis, & de bonum non agendo, & de utroque hoc malo non defleto.

Miſereat te noſtri, qui ipſi noſtri non miſeremur. In te ſolo ſpes noſtra, in quem ſolum peccavimus. Et feliciter eſt nobis, quòd ad te confugere habeamus, à quo aufugimus. Trahe nos, Domine, ut ad te accedamus. Quære tu nos, & nos te inveniemus. Duplicetur in nos miſericordia tua, ut & peccatorum noſtrorum nos pœniteat, & peccatorum remiſſione perfruamur. Effluat in nos fons ſanguinis Chriſti, *& tua gratia, & ut ſanemur, & abluamur. Rei ſumus, polluti ſumus, miſeri ſumus; ſed in ſanguine* Chriſti, *& gratia Dei noſtri eſt quo juſtificemur, quo mundemur, quo redimamur. Fiat nobis* Chriſtus *ſapientia, juſtitia, ſanctificatio & redemptio: & ſit nobis gratia tua, quod eſt in ſe ad omnia ſufficiens & efficax.*

Sine te nihil poſſumus, ſine te nihil ſumus; faxit gratia tua atque infinita miſericordia, ut & ſimus, & poſſimus, & velimus, & faciamus quod gratum ſit & acceptum in conſpectu tuo.

Detege te nobis, & nos nobis ipſis, ut & majeſtatem tuam revereamur, & humiliemur de miſeria noſtra. Accendatur lucerna tua in medio intellectûs noſtri. Eluceſcat in mentibus noſtris, atque exoriatur Sol juſtitiæ, quo & illuminentur corda noſtra, & caleſiant.

Expergeſiat conſcientia noſtra, emundetur à mortuis operibus, atque evigilet ad opus ſuum & tuum. Aperiantur oculi noſtri, ut circumſpiciamus, ut

&

Digitized by Google

& animadvertamus, & cognoſcamus ea quæ faciunt ad pacem noſtram & ſalutem. Excute à nobis omnem ſtuporem ſoporemque, ut ſimus ad ſciendum, credendum, ſperandum, faciendum, evitandum quæ oportet habiles, alacres atque expediti.

Eneca in nobis dominium peccati, & elangueſcat indies magis magiſque peccati fomes. Adapta nos ad omne opus bonum & pium, & ſit voluntas noſtra ad tuam voluntatem ita efformata & conformis, ut quod tu vis velimus, quod prohibes deteſtemur, ſequamur quocunque vocas, faciamus quod imperas, & quod pati nos vis miti animo perferamus.

Memores ſimus nos hic advenas eſſe & peregrinantes; & in valle hac lacrymarum itinerantibus ſit facies ſemper verſa Sionem verſùs, & ſurſùm corda elevata. Et manu prehenſos ducas tu nos per hanc eremum in terram promiſſionis; ut nec per infidelitatem noſtram, nec per potentiam, malitiam, aut aſtutiam hoſtium noſtrorum occludamur in deſerto, aut ſperatam hæreditatem amittamus: ſed & per te ducamur ad te, & ad æternam apud te gloriam & felicitatem.

Reſpice benignis oculis & ſereno vultu univerſam tuam Eccleſiam. Miſerere ruderum Hieroſolymitanorum, cinerum Sionis, & diſperſorum Iſraëlis. Congrega in unum per Angelos tuos, Miniſtros Euangelii, per tubam Euangelicam, electos tuos ex quatuor angulis terræ, tum Judæos, tum Gentiles. Elevetur mons Domûs Domini in medio montium, & illuc confluant omnes Gentes.

Exurgat Deus, & inimici Eccleſiæ tuæ diſſipentur. Pereat hæreſis, error, & ignorantia. Obturentur ora omnia blaſphemantium. Diruatur regnum peccati, & conculcetur Satanas ſub pedibus tuorum citò. Evaneſcant Paganiſmus, Mahumetiſmus, Judaiſmus, & Antichriſtianiſmus, & ne ſint amplius.

Propitia ſint conſilia & cogitationes tuæ erga Eccleſias Britannicas: reſuſcita Lazarum, tuum olim dilectum: reedifica vaſtatum Templum, tuum olim habitaculum: redeat pax, veritas & juſtitia, & unitas: & feliciter aſpiret Spiritus tuus, ut reviviſcant oſſa hæc mortua, arida & disjecta, & diſſipata. Curæ tibi ſint Senatores noſtri, & Judices, & Magiſtratus. Curæ tibi ſint Miniſtri & Miniſterium Euangelii, & Sacrorum tuorum. De Prophetis tuis in ſacco & cinere jam prophetantibus, deriſis, depreſſis & conculcatis, commoveantur viſcera tua, & cura tua provideat. Reſurgant è pulvere & luto, exporrectâ benignâ manu Domini, & ne ſint ultra in conculcationem & ludibrium.

Vivant Academiæ & bonæ literæ vigeantque: eaſque tu manu tuâ, & ex miſericordia tua protege & fove, ne in earum ruinam valeant machinationes impiorum & filiorum Babel, confuſionis patronorum molimina, qui dicunt, Diruantur, deſtruantur uſque funditùs. Luceant ſemper radii benevoli vultûs tui in Academiam hanc Cantabrigienſem. Adſis Muſis & Muſæis noſtris. In lumine tuo videamus lucem. Simus omnes docti à Deo & docti ad Deum. Imbue juventutem Academicam cognitione tui, ut memor ſit Creatoris ſui tempore ætatis ſuæ matutino. Imbue nos omnes gratiâ tuâ, ut toti tui ſimus, & ſtudia, actiones, & elucubrationes omnes noſtras ad te & gloriam tuam referamus.

In gloriam tuam cedat quod nunc aggredimur. In nomine tuo huc convenimus: ſanctificetur nomen tuum in hoc cœpto noſtro. Edoce linguam meam, ut veritatem & magnalia tua eloquendo te celebret. Edoce aures haſce, ut patulæ ſint ſemper ad Verbum Divinum, & hoſpitio digno ſermonem tuum excipiant. Edoce omnia corda noſtra, ut vocem magni Paſtoris Chriſti agnoſcant, ament, & ſequantur. Idque per & propter Jeſum Chriſtum, &c.

I CORINTH. CAP. XVI. VERS. XXII.

Εἴ τις οὐ φιλεῖ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ἤτω Ἀνάθεμα Μαρὰν ἀθά.

Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, eſto Anathema Maran atha.

Filiolam ſuam Eccleſiam *Corinthiacam* ægrotantem jam & langueſcentem, paternis affectibus fletibuſque in hac Epiſtola viſitat Apoſtolus, & deplorat: convulſam ſcilicet ſchiſmatibus, *Cap.* 1. decoloratam moribus, *Cap.* 5. phreneticam litibus, *Cap.* 6. in ipſo denique cultu divino incultiſſimam, *Cap.* 11. ac in ſummo articulo fidei infidelem, *Cap.* 15. Ita, ſubitò ſpuriaſcit genuina ac generoſa proles, abſente patre; abſente Medico contabeſcit.

Prima mali labes in hac Eccleſiæ, eademque quæ & fundi noſtri calamitas, infelicia ſchiſmata; miſello populo ſeipſum non ſolùm in fruſta factionum divellicante, ſed friante potiùs & conterente in ipſum pulverem diſcordiarum. Dixerunt ex illis quidam, *Ego ſum Pauli*; alii, *Ego Apollo*; nonnulli, *Ego Petri*; nonnulli, *Ego Chriſti*. Et ſic conciſum eſt miſerum corpus Eccleſiæ in nominalem hanc diſſectionem; quam illicò ſecuta eſt æquè miſera animorum atque affectuum realis diviſio. Huic malo medendo pharmaca adhibet Apoſtolus in quatuor primis Epiſtolæ Capitibus.

Secunda Eccleſiæ hujus labes, (dicam an lepra?) res iſta Inceſtuoſi, de qua Apoſtoli querela, *Cap.* 5. *Auditur inter vos*, inquit, *eſſe fornicationem iſtiuſmodi, qua etiam non nominetur inter Ethnicos; habere ſcilicet quendam uxorem patris.* Triplici ſub reatu capite plectendus fuerat hic nefarius ex legibus *Judæorum*, prout cauſam concubitûs iſtiuſmodi prohibiti determinant *Thalmudici* in Tract. *Sanhedr.* Cap. 7. & *Maymonides* in *Iſſure Biah*, Cap. 1. & 2.

I. Quòd haberet uxorem alienam.

II. Quòd uxorem patris.

III. Quòd uxorem patris etiam nunc viventis. Nam & hoc elici poſſe videtur ex Epiſtolæ ſecundæ Capite ſeptimo, *verſ.* 12. *Scripſi vobis, non propter eum qui fecit injuriam, nec propter eum qui paſſus eſt.*

Quid autem ad hoc facinus *Corinthiaci?* Facinus inter ipſos Ethnicos inauditum: facinus inter ipſos *Judæos* incredulos triplici, ſi fieri poſſet, morte piandum. *At vos*, inquit Apoſtolus, *non luxiſtis*, quod mirum; *imò verò inflati eſtis*, quod monſtrum. Sed talia monſtra parit infelix ſchiſmatizatio. Huic malo contundendo quintum Epiſtolæ Caput impendit Apoſtolus: atque illic, niſi ego acutè fallar, ille acutiſſimè, uti & per totam Epiſtolam, Thalmudizat.

Tertium Eccleſiæ hujus malum eccum vobis *Cap.* 6. litigationes nempè inter ſe vafras, eas tamen acres & feroces, idque coram Ethnico Tribunali.

Dum judaizarent, pro piaculo ab ipſis habebatur, Regi, Magiſtratui, aut Tribunali Ethnico, vel minimum honoris exhibere, vel minimum ſubjectionis præſtare: imò ſumma cum pietate, ut ipſi ſibi perſuaſum voluerunt, contra hæc omnia calcitrabant. Et hoc ipſorum Decretalibus innixi, queis cautum erat, ne Judicem, Regem, aut Magiſtratum agnoſcerent; aut revererentur ullum, niſi qui aut ex Gente eſſet *Judaica*, aut *Judaica* Religione. Hinc illud Apoſtoli *Judæ*, verſ. 8. *Dominationem aſpernantur, & Dignitates inceſſunt maledictis.* Et hinc illud, quod tam iterato molimine, & tam fervido hortamine opus erat Apoſtolis ad doctrinam hanc ſaluberrimam ipſorum animis inſigendam, *Omnis anima Poteſtatibus ſuperintendentibus ſubjecta eſto.*

At jam poſthabito non ſolùm priſtino illo ſuorum Canone, ſed & honore *Chriſtiani* nominis, conculcatâ reverentiâ Euangelii, & vinculo charitatis non tam rupto quidem, quàm in nihilum corrupto, caninâ feritate in ſe invicem ringentes, litigationibus mordacibus ſeſe mutuò exedunt, idque coram Ethnico Tribunali. Duplici argumento, & ſingulari conſilio huic malo occurrit argutiſſimus Medicus, divinus Apoſtolus.

I. Norunt, aut ſaltem noſſe poterant, *Sanctos judicaturos fore mundum*: hoc eſt, ſi mea non hallucinetur conjectura, *Chriſtianos*, fuerint jam licèt preſſi ſub jugo tyrannidis & dominationis Ethnicæ, futuros tamen Magiſtratus, & poteſtatem judiciariam mundi aliquando geſturos. Quod & à temporibus *Conſtantini Magni* conſtat per univerſum *Chriſtianum* orbem. Hoc edocuerat

cuerat longè retrò Propheta *Daniel*, Cap. 7: 27. *Regnum autem & poteſtas, & magnitudo Regni quæ eſt ſubter omne cœlum, detur populo Sanctorum Altiſſimi.*

II. Norunt, aut ſaltem noſſe poterant, *Nonnullos è Sanctis judicaturos Angelos*: hoc eſt, ſi me iterùm non fallat conjectura, Apoſtolos, reliquoſque Sacro-Sancti Euangelii Miniſtros per Euangelii prædicationem Idola, miracula, oracula diabolica ſtraturos, & poteſtatem malorum Angelorum, per quam per tot ſæcula in Ethniciſmo de Gentibus omnibus triumphaverant, debellaturos, ac ſententiam quaſi de ipſis laturos. Hoc edocuerat ab olim Divina Pagina; hoc jam edocuit aſſidua experientia.

Cùm itaque judicia, inquit *Paulus*, *habeatis de iis quæ hanc vitam pertinent*, τοὺς ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἐξουθενημένους *ad judicandum collocate.* Hîc iterùm, ut videtur, Apoſtolus Thalmudizat. Et quicunque apud Scriptores Thalmudicos benè obſervaverit quid fuerit בית דין שלא מומחין, de quo frequentiſſima apud ipſos mentio, hoc eſt, *Conſeſſus*, aut Conſiſtorium, *privatorum hominum ad dirimendas lites*; concinniorem fortaſſis adaptaverit interpretationem vocabulo ἐξουθενημένους, quàm ea quâ vulgò redditur, nempè *contemptibiles*, aut *viliſſimos*.

Quartum Eccleſiæ morbum obſervare eſt *Cap.* 11. eumque complicatum: viros ſcilicet in publicis precibus judaizantes, dum orarent capite & facie velatis: fœminas autem nec judaizantes quidem, nec chriſtianizantes, dum publicis adeſſent precibus faciebus expanſis quaſi & publicatis.

Moris erat apud *Judæos*, ut cùm ad preces ſe accingerent, velamine aut tegmine aliquo cooperirent caput & faciem, pudefactionem coram Deo ac faciei ſuffuſionem hac umbrâ præ ſe ferentes. Hinc illa uſitatiſſima apud Scriptores Judaicos locutio, התעטף והתפלל, *Velavit faciem, & dein oravit.* Cui vicinum eſt illud quod loquitur Salvator de *Phariſæis*, *Matth.* 6: 16. Ἀφανίζουσι τὰ πρόσωπα, *Deturpant, deformant facies ſuas*: nempè pulvere, fimo, aut nigrore aliquo alio vultus ita velarunt quaſi & fœdarunt, ut pudefieri ſe coram Deo ſimularent: certè ut jejunantes coram hominibus manifeſtarentur.

Moris etiam *Judæis* fuit, ut fœminæ in publicum non prodirent, niſi facie velatâ, ואין עליה רדיד, ut loquitur *Maymonides*, *vel ſi non eſſet ſuper ipſam velamentum.* Et hunc morem vocant *Thalmud Hieroſolymitanum* & *Alphesius*, דת יהודית, *Legem Judaicam*, ומנהג צניעות, *Et conſuetudinem verecundam.* At non ea verecundia fœminis hiſce *Corinthiacis* in Eccleſia. Ubi obiter obſervandum, vocem רדיד, quæ *velamen muliebre* ſignificat, *Dominationem* etiam ſonare: quo ſono & ſenſu reddit Apoſtolus, cùm ait, *Mulier debet habere poteſtatem ſuper caput.* At hæ *Corinthiacæ*, utut in plateis, vel alibi palàm non ambularent niſi velatæ, in Eccleſia tamen & cœtibus Eccleſiaſticis ſedent faciebus apertis & nudatis.

Utrumque errorem caſtigat Apoſtolus in iſto Capite; & cautum vult præſertim, ut fœminæ velamenta induant in capita, dum adeſſent publicis precibus & cœtibus; & hoc *propter Angelos*: hoc eſt, ſi liceat mihi conjectari, propter Diabolos, vel Angelos malos, ne ſcilicet retia & laqueos tentationum nectant oculis atque animis virorum inter preces & ſacra, ex expanſa pulchritudine & venuſtate facierum muliebrium.

Quintum Eccleſiæ malum enumerat Apoſtolus eodem Capite, *verſ.* 20. *Cùm convenitis*, inquit, *eodem loci, hoc non eſt Dominicam Cœnam edere. Nam unuſquiſque propriam cœnam præoccupat in edendo; & hic quidem eſurit, ille verò eſt ebrius. Numquid domos non habetis ad edendum & bibendum? Aut Eccleſiam Dei contemnitis, & pudefacitis eos qui non habent?* Prohibitum eſt Canonibus *Judæorum*, ne quis comedat vel convivetur in Synagoga. *Prope autem à Synagoga*, inquiunt, *commune erat quoddam hoſpitium, vel Xenodocheion*, & communis hoſpes, *à quo nomine & ſumptibus Eccleſiæ exciperentur advenæ & peregrinantes.*

Huc forſan referamus illud *Actor.* 18: 7. *Exiit Paulus è Synagoga, & introiit in domum cujuſdam, nomine Juſti; quæ domus erat contigua Synagogæ.* Et illud *Rom.* 16: 13. *Gaius hoſpes meus, & hoſpes totius Eccleſiæ.* Et illud forſan in eodem Capite, *Phœbe, quæ eſt Miniſtra Eccleſiæ in Cenchrais.* Et hoc forſan ſenſu intelligenda ſunt ea loca quæ loquuntur de excipiendis advenis, & de lotione pedum Sanctorum: & ſi per venerandam antiquitatis reverentiam liceret, *Agapas* iſtas, de quibus frequentiſſima eſt mentio & in Scriptura Sacra, & apud Eccleſiaſticos Scriptores, de epulis & hoſpitio ad excipiendos peregrinantes apparatis potiùs intellexerim, quàm de cœna aliqua Euchariſtiæ antecedanea.

Iſtiuſmodi cœnam antecedaneam cœnant quidem *Corinthiaci*; ſed utrùm ex veteri Eccleſiæ totius conſuetudine, an ex præ-

præſenti Eccleſiæ hujus factioſa diſſentione, ſatis obſcurum reliquit Apoſtolus. Cœnam quidem cœnant ante Euchariſtiam, at minimè Cœnam τῆς ἀγάπης, non *charitatis*, non communionis, ſed invidiæ, ſed animoſitatis & acrimoniæ. In Eccleſiam important fercula & dapes, edunt, bibunt, ſaturantur quidam ditiores, & tantùm non inebriantur; dum pauperiores, & tenuioris fortunæ alii aſſident ſpectantes & eſurientes. O furor factioſe! quò adigis? Quare non cœnas domi, ô *Corinthiace?* Quid dapibus tuis cum Synagoga? Quid cum Euchariſtia? Nempè ut videant adverſæ factionis pauperes ac eſurientes comedentem, & famelicâ invidiâ atque invidâ fame contabeſcant & macerentur. Heu qualia monſtra parit infelix ſchiſmatizatio!

Sextus & ultimus Eccleſiæ morbus fuit *Sadducaiſmus*, negantibus quibuſdam reſurrectionem mortuorum. Contra quod diſputat Apoſtolus, *Cap.* 15. Sæpiuſculè apud me ſum meditatus, & cogitabundus adhuc quæro, qualiſnam fuerit fides Apoſtolorum in *Chriſto* jam mortuo & ſepulto, quem non expectarent, non ſperarent reſurrecturum, *Luc.* 24: 11. Cùm diceretur iis à mulieribus illum reſurrexiſſe, *viſa ipſis ſunt verba illarum quaſi deliramenta.* Qualiſnam etiam, obſecro, is Chriſtianiſmus, ubi negatur reſurrectio & futurum judicium, ut à quibuſdam in Eccleſia hac *Corinthiacâ*; & ubi aſſeritur *Phariſaiſmus*, ut in Eccleſia *Hieroſolymitana? Actor.* 15.

Poſſem & hic memorare turbidam iſtam in hac Eccleſia in prophetando ἀταξίαν, quam acriter reprehendit Apoſtolus, *Cap.* 14. Sed de hac re loquendi anſam arrepturi ſumus alibi.

Huc uſque *Corinthiaci* morbi, & ad morbos remedia Apoſtolica. Miſerum, quòd tam citò & tam malè contabuerit nobilis nuperrimè Eccleſia; at felix illud, quòd tam in promptu tabeſcenti adfuerit nobilis hic Medicus.

Eſt, & in verſiculo quem legimus, & quem tractandum elegimus, morbus etiam, iſque morboſiſſimus: eſt & remedium, ſed & illud quaſi abſque remedio. Vidimus anteà morbos, ſed ſanabiles; vidimus vulnera, ſed non deſperanda. At qualis eſt hic morbus *non amare Dominum Jeſum?* Ad priora mala adhibuerat medicamenta & ſummæ utilitatis & ſummæ ſpei; at quàm ſine ſpe & ſine ſolatio quod hic applicatur, cùm vulnus immedicabile enſe ſic reciditur, *Quiſquis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, eſto Anathema?*

Lacrymantem ſe ſcripſiſſe hanc Epiſtolam refert Apoſtolus in Epiſtola ad hanc Eccleſiam ſecunda, *Cap.* 2: 4. *Ex multa*, inquit, *afflictione, & anxietate cordis ſcripſi vobis per multas lacrymas, non ut triſtitiâ afficeremini, ſed ut cognoſceretis charitatem quam habeo erga vos ſummam.* Vulnera omnia lacrymis rigaverat, medicamenta omnia lacrymis miſcuerat, chartam omnem lacrymis maculaverat. At qualeſnam, quæſo, lacrymæ ad hunc verſiculum? Si lacrymæ ad medicinam, quales lacrymæ ad internecionem? Si lacrymatur vulnera contrectans, &, emplaſtra adhibens; oh quales fluunt lacrymæ, cùm vulnerat, cùm interficit, cum damnat!

Diviſa quaſi ſunt viſcera Apoſtoli in medio ſui: hinc urget charitas in homines, illinc zelus in Dominum *Jeſum*: hinc dolor & lacrymæ de perditione peccatorum, illinc ardor & vehementia in hoſtes *Chriſti*: hinc planctus de miſeria incredulorum, illinc triumphus de exitio pervicacium. Amatoribus *Chriſti* ſic optat, *Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit vobiſcum*, verſ. 23. At non amantibus ſic intonatur in verſu noſtro, *Si quis non amat Dominum Jeſum Chriſtum, eſto Anathema Maran atha.*

Tonitrua loquitur Apoſtolus & fulmina: ille cum timore & tremore audiendus, iſta per amorem Domini *Jeſu* evitanda. *Eſto Anathema*; en tonitru. Quid hoc ſibi velit, quærendum primò. *Maran atha*; en fulmen. Quid & hoc ſibi, quærendum ſecundò. Et in quoſnam præcipuè lethalia hæc tela vibrentur atque effulminentur, quæremus tertiò. Et his inventis, ſenſum verſiculi, atque Apoſtoli animum, ut ſpero, enucleaverimus.

Ad primum quod attinet, ſat notum eſt, I.
Interpretes in hunc locum ferè omnes uno quaſi animo conjectari, atque uno ore pronuntiare, Apoſtolum in hac forma loquendi, formam reſpexiſſe Judaicæ Excommunicationis. Unus pro multis audiatur *Cl. Beza.*

Videtur, inquit, *diſtribui Excommunicatio in duas ſpecies, nempè in* נידוי & חרם, *quod eſt Anathema. Et rursùs Anathema in Anathema ſimplex, & Maran atha, ſive Shammatha. Quamobrem etiam Paulus non contentus dixiſſe Anathema, ſubjicit poſteà ſpeciei nomen, hoc eſt, Maran atha.* Hæc ille, & in eundem ſenſum alii quamplurimi.

De duplici, vel triplici, ut vulgò ſupponitur, Excommunicationis ſpecie apud *Judæos* non eſt quod multùm diſſeramus. Fusè de ea diximus anteà. Quandoquidem autem in memoriam hujus rei obiter ſic incidimus,

cidimus, &, ut videtur, ductu ipſius Textûs, liceat paucula de iſta re in clariorem, ſi fieri poteſt, verſiculi explicationem admonere.

Primum quod obſervatum velim hoc eſt, nempè quòd נידוי vel ea Excommunicatio quæ habebatur *Minor*, expulit & ſeparavit ſolùm à conſortio, ſive communione civili; non autem à communione in ſacris. Memorabile eſt illud in Codice *Thalmudico Middoth*. *Finita*, inquit, *& conſummata Liturgia in Templo, vel matutina, vel veſpertina, unâ eademque portâ egreſſus eſt omnis populus, exceptis Lugentibus & Excommunicatis. Quærebatur ab iis, Quare vos viâ & portâ ſeceditis diverſâ? Reſpondent; Ego Lugens; Ego Excommunicatus. Quibus iterùm, Lugenti ſcilicet, Soletur te Deus, qui inhabitat hoc Templum. Excommunicato autem, Dignetur tibi Deus.* Ecce vobis excommunicatum Excommunicatione hac quæ vocabatur נידוי, præſentem ad ſacra in Templo, ſicut & aliquis alius ex omni populo.

Pari modo refert etiam *Maymonides*, vel ipſis Leproſis, qui inter omnes τῷ נידוי Excommunicatos fuerunt excommunicatiſſimi, adeſſe licuiſſe ſacris in Synagoga: hoc tantùm proviſo, quòd primi ingrederentur, egrederentur ultimi; & dum adeſſent, remoti aliquantùm ſederent, vel ſtarent, à reliquo cœtu.

Ex his, & pluribus, quæ adduci poſſent, teſtimoniis liquet ſatis, Excommunicationem iſtam, quâ vocabatur נידוי, ſecluſiſſe tantùm à communione civili; & hoc præcipuè à communione civili *ſancita*.

Fuit inter *Judæos* communio civilis *laxa*, & communio civilis ſolenniter *ſancita*. De qua re copioſè diſſeritur à *Thalmudicis* in Codicibus *Erubhin*, *Baba Kama*, *Baba Mezia*, & *Bava Bathra*.

Communio *laxa* ea fuit quæ interceſſit inter cœtus in nundinis, inter congreſſos & colloquentes in via, inter comedentes ad communem menſam, vel in taberna. Atque in hiſce rebus, & communicationibus, ſtatutum & decretum eſt aliquid, quod fuit Excommunicationis inſtar: quod tamen ritè & rectè dici non poſſet Excommunicatio. Exempli gratiâ, prohibitum erat *Judæo*, ne comederet cum Gentili, nequidem in communi taberna: neu Diſcipulus Sapientum comederet cum aliquo è plebe. Unde iſta in *Petrum* querela, *Actor.* 11: 3. *Introiiſti, & comediſti cum non circumciſis.* Et iſta in Salvatorem frequentiſſima, *Comedit Magiſter cum Publicanis & peccatoribus.* Et hinc illud Apoſtoli, *Cap.* 5. hujus Epiſtolæ, *verſ.* 11. *Cum iſtiuſmodi homine ne comedatis.*

Communionem *pactam* vel *ſancitam* diſtinguunt in שיתוף & עירוב. Utramque videtur Apoſtolus innuiſſe in iſta voce συναναμίγνυσθ in eodem Capite, *verſ.* 11. Communio quæ vocabatur שיתוף, ea fuit Conſociatio quæ fuit inter duos vel plures in uno commercio, negotiatione, aut officina: ea quæ inter dominum & ſervum, inter conducentem operarios, & conductos, inter deputantem in aliquod negotium, & deputatum. Ea quæ vocabatur עירוב fuit inter multos in communi aliqua porticu, aut circa commune aliquod atrium cohabitantes, juris publici in iſta porticu, aut atrio, tàlis participatio, ut etiam totum fieret unicuique quaſi proprium & peculiare. Communionem & participationem hanc ſanxerunt ſolenni ad unam menſam unà comeſtione, unoquoque communicantium vel conſociandorum portiunculam aliquam, & ſymbolum, in commune hoc epulum contribuente, uti accuratè res deſcribitur in locis allegatis.

Hoc, ſi non halluciner, facem præfert verbis Apoſtoli in Capite citato. *Scripſeram*, inquit, vel ſcripturus ſui, *in Epiſtola, ne commiſceamini cum fornicariis*, vel ullis aliis Chriſtianum nomen ſceleribus ſuis deturpantibus: hoc eſt, ne communionem arctiorem cum iis ineatis. At audito hoc *Inceſtuoſi* facinore, jam ſtylum acuo, & laxiorem communionem omninò prohibeo, *Nè ſcilicet cum iſtiuſmodi homine comedatis.*

Talis fuit ea Excommunicatio quæ vocabatur נידוי. Sed hæc in tranſitu. Satis in rem noſtram fuerit, ſi quidnam fuerit apud *Judæos Anathema*, & quidnam ſibi velit *Maran atha* dilucidemus.

Vox *Anathema* idem ſonat quod Hebræis חרם, prout copioſiſſimè videre eſt (ut exempla alia omnia omittamus) apud LXX. Interpretes in Capite ultimo *Levitici* cum Hebræo fonte collatos. Et ſumitur hoc vocabulum triplici potiſſimùm ſenſu in Sacra Scriptura. Quod & non immeritò annotavit Auctor *Toſaphtoth* ad Tractatûs *Thalmudici Erachin* Caput tertium.

I. חרמי כוהנים, *Anathema*, ſeu Devotum, *Sacerdotibus*: hoc eſt, aliquid quod ſacratum Deo, neceſſariò ceſſerit Sacerdotibus, Dei Miniſtris.

II. חרמי גבוה, *Anathema*, ſeu Devotum, *Altiſſimo*: hoc eſt homines qui ſeſe Deo devoverint, uti *Nazaræi* nonnulli: aut qui ab aliis fuerint Deo devoti, ut *Samuel* puerulus à matre: aut pecunia aut do-

na ſacrata in ædificium Templi, aut in miniſterium ſacrorum.

III. חרם אשר יחרם מן האדם, *Anathema quod anathematizatur ex hominibus*. Exempla omnium petas licet ex Capite *Levit.* allegato. *Devotum Sacerdotibus*, verſ. 21. *Anathema*, vel Devotum *Deo*, verſ. 28. Ubi ſic LXX. *Πᾶν ἀνάθεμα ἅγιον ἁγίων ἔσται τῷ Κυρίῳ.* *Omne Anathema*, vel Devotum, *ſanctiſſimum erit Domino. Anathema*, vel Devotum, *ex hominibus*, verſ. 29. Ubi ſic iterùm LXX. *Πᾶν ὃ ἐὰν ἀνατεθῇ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων οὐ λυτρωθήσεται, ἀλλὰ θανάτῳ θανατωθήσεται.* *Omne Anathema*, aut Devotum, *ex hominibus, non redimetur, ſed morte multabitur.*

Quid autem eſt Anathema *ex hominibus?* Reſpondet *Solom. Jarchius: Cùm morti devoverit Iſraëlita ſervum, aut famulam ſuam Canaanaos.* Vel, ut meliùs *Menahemus*, *Cum exitio devoverint bellantes Iſraëlitæ hoſtes ſuos, ſi modò devicerint.* Uti ab illis factum eſt, *Numer.* 21. *Vovit Iſraël votum Deo, & dixit, Si mihi tradideris populum iſtum devictum, anathematizabo ipſum, & civitates ipſius:* (Nam ſic legunt LXX.) *Et vocatum eſt nomen loci illius*, Anathema. Vel ut optimè *Gemariſta*, *Cùm aliquis fuerit mortis reus, & plectendus capite à Synhedrio.* Hinc illud Thalmudicum in Tractatu *Chetuboth*, *Omne Anathema ex hominibus non redimetur: hoc eſt, iſti qui morti ſunt obnoxii à Synhedrio.* Et hoc idem definit Author *Toſaphtoth* in loco anteà citato. כל חרם אשר יחרם מן האדם inquit לא יפדה אלו חייבי מיתות ב"ד: *Omne Anathema devotum ex hominibus non redimetur: hoc eos vult, qui rei ſunt mortis à Synhedrio.* Quod & illuſtratur non longè à loco anteà memorato in Tractat. *Chetuboth*, hiſce verbis. *Eductus eſt aliquis*, inquiunt illìc *Thalmudici*, *capite à Synhedrio damnatus ad ſubeundam mortem. Prodit atque intercedit alter, & dicit, Perſolvam ego precium pro ejus redemptione. At fruſtrà hoc dicit*, inquiunt, *quia ſcriptum eſt, Omne Anathema ex hominibus non redimetur, ſed morte morietur.*

Si ergò primævam & propriam Anathematis de quo agitur in verſiculo hoc noſtro, naturam inquiramus, fuit certa deſtinatio hominis alicujus noxii, per Magiſtratum vel *Synhedrium*, ad certiſſimam mortem & exitium. Hinc illud *Chaldai Paraphraſtæ*, ad Capitis *Iſaja* 43. verſum ultimum, ubi pro eo quod in *Hebræo* habetur, אתנה יעקב לחרם, *Tradam Jacob in Anathema*; vertit ille, אמסר לקטלא, *Tradam ut occidatur.* Et illud *Targumiſtæ* ad *Cap.* 2. *Canticorum*, aſſerentis *Amalekitàs* ab *Iſraëlitis* prælio contoſſos, *Confractos eſſe* בשמתא, *Anathemate.* Et huc pertinet Verſio illa LXX. Seniorum ad Caput *Numerorum* 21. anteà memoratum, *Vovit Iſraël votum Deo*, &c.

Dum ergò in manu *Synhedrii* & populi *Iſraëlitici* adeſſet de rebus capitalibus judicium & authoritas, & vis gladii civilis executiva, nihil aliud tunc temporis fuit Anathema, niſi certa & juſta & judiciaria deſtinatio ſcelerati & noxii capitis ad certam mortem vel internecionem. Cùm autem præ jugo Ethnico enervaretur iſta authoritas, atque è manu *Synhedrii* excuteretur gladius, cùm jam non ampliùs in facinoroſos ferro & fune animadvertere daretur, in Excommunicationem verſum eſt Anathema, & certa ad mortem deſtinatio in Execrationem, & ſeparationem à ſocietate hominum commutatur. Verbale tunc potiùs eſt Anathema, quàm mortale; & quem non datur morte mulctare, maledictione feriunt, privantque humanâ ſocietate, quem non conceditur privare humanâ aurâ.

Nimius eſſem, ſi omnes Anathematis, in formam Excommunicationis jam *μετεμψυχωμένα*, qualitates & miſerias explicare aggrederer. Hæc tria tantùm obſervaſſe ſat erit in cauſam noſtram.

Primò, quòd fuerit totalis ſeparatio à ſocietate hominum.

Secundò, quòd ſeparatio iſta fuerit indicta ſceleſto aut facinoroſo, internecionem ipſam promerito, ſi adeſſet modò authoritas auſis *Synhedrii*.

Tertiò, quòd iſta expulſio à ſocietate viventium, (cùm fieri non poſſet à terra viventium) conjuncta fuerit cum omnimoda execratione, maledictione, & ut ita dicam, rejectione in omnimodum exitium. Quæ omnia à Thalmudicis Scriptis explicari atque illuſtrari poſſent, ſi daretur locus.

Sed plura hìc non accumulabo. Ex his quæ jam dicta ſunt non difficile erit interpretari quid ſibi velit Apoſtolus per *Eſto Anathema:* nempè quòd quiſquis non amat Dominum *Jeſum*, & ſit, & habendus ſit & dignus & reus omnimodæ maledictionis, execrationis, atque exitii; deteſtandus ab hominibus, ſine ſpe veniæ judicandus à Deo.

Atque hæc hactenùs de prima iſta phra- II.
ſeologia, *Eſto Anathema.* Accedimus ad ſecundam, *Maran atha.* Facillimè elicitur horum verborum interpretatio vernacula; ſed non æquè facilis eſt interpretationem iſtam proprio Apoſtoli ſcopo & propoſito adaptare.

Digitized by Google

adaptare. *Maran atha* idem ſonat *Syriacè*, quod *Latinè*, *Dominus noſter venit*. Et ſic in ipſo textu ſuo reddit *Italus* quidam Interpres, *Sia Anathema, Il Signore noſtro venne*. Sed num hoc ſenſu velit Apoſtolus, *Dominus noſter advenit*, hoc eſt, eſt venturus, an iſto, *Dominus noſter jam advenit*, diſputatur à nonnullis; determinandum rejiciemus in ſubſequentia.

Hoc tamen communi ſenſu conſenſuque convenit inter quamplurimos Commentatores, hanc locutionem *Maran atha*, portiunculam quandam eſſe formæ Excommunicationis, eamque non minimam, ſed ſummam, ſed graviſſimam. *Sic ſignatur*, inquit quidam, *ſpecies extremi Anathematis; ac ſi diceretur, Maledictus eſto ad adventum, & in adventu Domini*. Domino quaſi in manus dedatur citra ullam ſpem veniæ. Et huc referunt verba *Enochi*, *Jud.* verſ. 14. quaſi hanc formulam Anathematis præ ſe ferentia, *Ecce venit Dominus cum Sanctis millibus ſuis, ut judicium ferat adverſus omnes*, &c.

Hanc tertiam Excommunicationis apud *Judæos* ſpeciem eſſe aſſerunt, atque idem ſonare cum voce שמתא opinantur.

Liceat mihi bona cum tantorum virorum venia, liberè effari quid in hac re ſentiam.

I. Non uſquam inveni (quæſiverim licèt ſedulò) apud ullos Scriptores Judaicos quos evolvi, ubi ſemel occurrat *Maran atha* pro forma Excommunicationis. Nec memini me inveniſſe apud ullum Scriptorem Chriſtianum, vel minimum indicem aut ſignaculum, quo monſtraretur ubinam loci, aut quo in Authore *Hebræo* inveniretur iſta phraſeologia in tali ſenſu. Imò, ut ulteriùs eloquar quod res eſt, non memini me apud aliquem Scriptorem, vel Thalmudicum, vel Rabbinicum, phraſin hanc *Maran atha* in aliquo omninò ſenſu inveniſſe unquam uſquam.

II. At tacitè fatentur Commentatores Chriſtiani, *Maran atha* quidem ſyllabicè non occurrere omninò apud *Hebræos* Scriptores: at שמתא, quod idem ſonat, occurrere frequentiſſimè. Nam ſic interpretantur, שם אתא, *Deus venit*. Aliud autem etymon ȣ שמתא afferunt *Thalmudici*, quibus vox illa & ſatis trita, & ſatis nota. Quærunt *Thalmudici*, מאי שמתא, *Quid ſignificat Shammatha? Reſpondet quidam, Sham methah, Illîc*, vel in illa, *mors. Reſpondet Shemuel*, שם תהא vel חיתי, *Ibi ſit*, vel *illuc adveniat mors: ſicut ſcriptum eſt*, Veniet in domum furis maledictio, atque ipſam vaſtabit, *Zach*. 5. Hæc illi & alia; at nulla apud ipſos mentio ȣ שם אתא.

III. Porrò quòd vulgò dicatur שמתא tertiam eſſe formam Excommunicationis, eamque graviſſimam; hoc non agnoſcunt omninò *Thalmudici*. Nam apud ipſos confunditur & coaleſcit שמתא cum חרם, imò שמתא cum נידוי frequentiſſimè; ut plurimis demonſtrari poſſet, ſi eſſet opus. Nec diſtinguit *Munſterus* in Lexico ſuo *Chaldaico* inter שמתא, & נידוי, Excommunicationem minorem.

IV. Oritur ferè mihi ſuſpicio vocem hanc שמתא fungi inſtar enatam eſſe è ſtercorario controverſiarum & diſſenſionum quæ agitatæ ſunt inter Diſcipulos *Hillelis*, & Diſcipulos *Shammai*.

Sedet *Hillel* Præſes *Synhedrii*, & *Shammaus* ab illo ſecundus, ad id temporis, cùm naſceretur atque pueritiam ageret Servator noſter. Nam obiit *Hillel*, computo Judaica ad Chriſtianam applicatâ, circa annum à nato *Chriſto* duodecimum. Hi duo (*Synhedrii Magni* Anteſignani & Primates) de tribus in Lege quæſtionibus diſputarunt perpetuò, & diſſenſerunt uſque ad mortem. Hæreditariâ quaſi factione de iiſdem etiam diſſenſerunt eorum Diſcipuli, & à tribus in octodecim quæſtiones excrevit controverſia: & brevi temporis ſpatio eò multiplicatus eſt quæſtionum numerus, & eò perrexit diſceptantium acrimonia, ut pro Proverbio tandem hoc haberetur, *Controverſia inter Diſcipulos Hillelis, & Diſcipulos Shammai, non poteſt dirimere vel ipſe Elias Tisbites*.

Actum & agitatum hîc eſt, uti aliquandò (ſi non vacillet memoria) à *Dominicanis*, & *Franciſcanis* diſceptantibus de peccato originali in Virgine *Maria*. Diſputatum eſt acriter, ſemper & ubique. Deventum eſt non rarò ad pugnas & tumultus: & conceſſit tandem victoria *Hillelianis* ex Oraculo, prout ipſi effinxerunt, divino. De hac re *Thalmud Hieroſolymitanum* in Tract. *Beracoth*, in hæc verba: *Prinſquàm prodiret vox cæleſtis Bath Kol, ex æquo amplecti licuit, vel decreta Scholæ Hillelis, vel decreta Scholæ Shammai. Prodiit tandem Bath Kol, & ſic locuta: Et horum & horum verba ſunt verba Dei Viventis; at certa rei determinatio eſt ſecundùm decreta Scholæ Hillelis. Et exindè quicunque tranſgreſſus fuerit decreta Scholæ Hillelis, reus eſt mortis*. Hæc ibi.

Ex hoc ego aliquantulùm ſuſpicor, *Hillelianos* hanc vocem שמתא ex compoſito efformaſſe in opprobrium Scholæ & Diſcipulorum *Shammai*: quos etiam *Shammothin*

mothin denominarunt, vocabulo, ut videtur, ignominioſo, & voci שמתא valdè affini. In *Thalm. Hieroſol.* Tractatu *Sheviith*, mentio fit cujuſdam *R. Eliezer Shammothi:* hoc eſt, ut interpretatur *R. Nathan*, *Diſcipulus Shammai*.

Utut res evenerit, & vox *Shammatha* fuerit propagata, nullâ authoritate vel grammaticâ, vel hiſtoricâ duci me video, quâ fretus vocem *Maran atha*, vel cum *Shammatha* confundam, vel ullo modo pro forma Excommunicationis agnoſcam.

Quid ergò eſt *Maran atha?* Quo meliùs Apoſtoli mentem in hac phraſi inveſtigemus, imprimis obſervatum velim, quàm magna & terrifica loquatur Scriptura Sacra de tremendo adventu *Chriſti* ad pœnas ſumendas de nequiſſima & execranda *Judæorum* Gente, in excidio ſcilicet *Hieroſolymitano*, & abjectione iſtius Populi *Judaici* omninò abjectiſſimi. Quo nihil ferè per totam Sacram Paginam, vel inſonatur crebriùs, vel intonatur horrendiùs.

Ex multis quæ huc adduci poſſent Scripturæ locis ad hanc cauſam pertinentibus, paucula hæc tantùm enumerabimus: tria nempè quæ hunc adventum nudè eloquuntur; & tria quæ adventûs terrorem etiam depingunt.

Primò, obſervetur illud ad *Hebr.* 10: 37. *Adhuc enim puſillum quantulumcunque, & qui venturus eſt veniet, & non tardabit.* Diſſeruerat paulò antè Apoſtolus, quæ & qualia paſſi fuiſſent fideles & credentes iſti *Hebræi*, ad quos ſcribit, ab *Hebræis* incredulis atque infidelibus. *Poſtquàm fuiſtis illuminati*, inquit, *ingens certamen afflictionum ſubiiſtis*, verſ. 32. *Cum opprobriis & tribulationibus facti fuiſtis ſpectaculum*, verſ. 33. *Direptionem bonorum veſtrorum*, vel eorum quæ vobis ſuppetebant, *cùm gaudio excepiſtis*, verſ. 34. Unde autem hæc omnia? Unde hæc perſecutio, rapina ac opprobrium? 1 *Theſſ.* 2: 14. *Paſſi vos eadem eſtis à contribulibus veſtris, quæ Eccleſiæ in Judæa à Judæis.* Hortatur ergò Apoſtolus, ut bono atque alacri animo perferant quæ patiuntur, patiantur quæ ferunt; hoc inſuper addito ſolamine, quòd *Maran atha*, quod illicò venturus ſit Dominus, vindex & ultor, ad pœnas ſumendas de nequiſſima iſta Gente & perſecutrice.

Cui ſecundò, conſimile eſt illud *Jacob.* 5: 8. *Patientes eſtote, & ſtabilite corda veſtra; adventus enim Domini appropinquat.* Et *verſ.* 9. *Ecce adſtat Judex ante fores.* Et illud quod toties iteratur *Apocal.* 22: 7, 12, 20. *Ecce venio citò.*

Huc etiam tertiò accedit, Salvatoris illa ad *Petrum* de *Joanne* reſponſio, *Joann.* 21: 22. *Si velim eum manere donec veniam, quid id ad te?* Quiſnam hic adventus *Chriſti*, ad quem manſurus *Joannes?* Non adventus ille ad extremum judicium in fine mundi, ut hiſpidè & hirſutè interpretati ſunt quidam; ſed hic, de quo agimus, adventus ſcilicet Domini *Jeſu* ad excidendam execrandam illam Gentem *Judaicam*, & *Hieroſolymas*. *Petro* prædicit futurum ut manibus Gentis hujus nequiſſimæ interficiatur: de *Joanne* autem quòd euſque viveret, donec de hac Gente perfida ultionem videret, & ſupplicium in hoc adventu Domini ad ulciſcendum.

Quò pertinet etiam illud 2 *Petr.* 1: 14. *Scio*, inquit, *citò futurum ut deponam tabernaculum meum, ſicut Dominus noſter Jeſus Chriſtus declaravit mihi.* Benè novit quidem ex verbis iſtis *Chriſti* allegatis, *Joann.* 21. Martyrio ſe depoſiturum tabernaculum ſuum. Sed unde jam novit ſe depoſiturum tam citò? Ex hoc ſcilicet quòd ex ſignis iis, quæ excidium *Hieroſolymitanum* anteceſſura prædixerat Dominus, appropinquare ſciverit adventum Domini ad Gentem *Judaicam* exſcindendum: ad quem adventum victurum ac manſurum *Joannem* pronunciaverat Dominus, non autem *Petrum*.

Hæc hactenùs de hoc adventu, prout nudè & ſimpliciter de eo loquitur Scriptura: *Maran atha* ſcilicet, vel Venturum Dominum *Jeſum* in perditionem *Judaicæ* Gentis ac Urbis, à quibus ipſe crucifixus, & Euangelium ſummo odio conculcatum. Videamus jam quid etiam loquatur de adventûs hujus gloria, majeſtate ac terrore.

Primò, perpendatur illud, quòd hic adventus vocetur *Dies Domini*, & *Dies Domini magnus & terribilis*, Joel. 2: 31. ut clarè interpretatur *Divus Petrus*, *Actor.* 2. Nam quòd nonnulli *Ultima Tempora*, & *Diem Domini* in iſto Prophetæ loco, ad tempora ultima mundi, adhuc ventura, & ad diem ultimi judicii referant, videte quàm malè hoc quadret ſcopo atque animo *Petri* in loco allegato. Effuderat Deus Spiritum Sanctum in Apoſtolos: miratur turba: rem illuſtrat *Petrus* ex *Joele*. Hoc, inquit, eſt, & in hoc completum eſt quod prædixit Dominus per *Joelem*, *In ultimis diebus effundam de Spiritu meo in omnem carnem*, &c. Atque hæc omnia *antequàm veniet Dies Domini magnus & illuſtris*. Non in ultimis diebus mundi, nec antequàm veniat dies extremi judicii. Nam ſi in illo

Digitized by Google

illo ſenſu intelligendus Propheta, quare à *Petro* adducitur ad id temporis quo effuſus eſt Spiritus Sanctus ſexcentenis & ampliùs annis ante finem mundi, & extremum judicium jam elapſis, & qui adhuc ſuperſunt? Sed in ultimis diebus *Hieroſolymarum*, & *Judaicæ* Politiæ, & antequàm veniat Dies Domini magnus & terribilis judicii & ultionis de *Judaica* Gente & perfidia.

Eodem etiam ſenſu atque eadem claritate loquitur Propheta *Malachias*, Cap. 4: 5. *Ecce mittam ad vos Eliam Prophetam*, hoc eſt, *Joannem Baptiſtam*, *antequàm veniat dies Domini magnus & terribilis.* Quiſnam hic dies? Non extremus mundi, ſed extremus *Hieroſolymorum*: aut dies ille quo advenit Dominus, & terram *Judaicam* percuſſit Anathemate; prout dictum eſt in verſu ſequente.

Secundò, qualia & quanta de hoc ſuo die ac adventu loquatur Dominus ipſe, advertite, *Matth.* 24: 29. *Sol obſcurabitur, & Luna non edet ſplendorem ſuum, & ſtellæ cadent è cœlo, & poteſtates cœli concutientur.* Hoc eſt, obſcurabitur, corruet atque evaneſcet Eccleſiæ *Judaicæ* & Gentis gloria, ſerenitas & vita. Nam Scripturam per has loquendi formulas excidium Regnorum, ac ruinam Gentium denotare ſolitam eſſe, tam clarè patet in Prophetis, ut non ſit opus explicatione. Videatur *Iſaj.* 13: 10. *Jerem.* 4: 13. *Apocal.* 6: 12, 13. *Chriſtum* autem de Gentis & generationis iſtius miſerrima everſione loqui, clariùs liquet ex *verſ.* 37. quàm ut negetur. *Amen dico vobis*, inquit *Chriſtus*, quòd *non præterierit hæc generatio*, *donec hæc omnia fiant*. In iſthac ætate, in iſta generatione, hæc omnia occurſura, hoc eſt, in excidio *Hieroſolymitano*. Nam quònam aliò hæc omnia, intra iſtam generationem eventura, referentur?

Liceat ergò totam hanc periocham paulò rimatiùs explorare.

Poſt tribulationem, inquit, *illorum dierum*: hoc eſt, poſt acerrimam perſecutionem quam excitabunt perfidi *Judæi* in credentes. De hac Salvator noſter eodem Capite, *verſ.* 9. *Tùm tradent vos in tribulationem, & interiment vos, & eritis exoſi omnibus Gentibus propter meum nomen.* Hæc *ignea illa exploratio*, de quâ 1 *Petr.* 4: 12. Et *judicium incipiens à Domo Dei*, verſ. 17. & in qua videt *Petrus* ſe periturum, 2 *Petr.* 1: 14. Hæc *tribulatio illa decem dierum*, Apocal. 2: 10. & ut uno verbo omnia hæc valedictoria, ut ita dicam, atque ultima Satanæ in Euangelium impugnatio ac impetus, per Gentem hanc iniquiſſimam *Judæorum* ante ipſorum ruinam.

Poſt tribulationem illorum dierum, *Sol obſcurabitur*, &c. Hoc eſt, jam incipiet evaneſcere & corruere Eccleſiæ & Gentis *Judaicæ* gloria, felicitas, atque etiam vita & exiſtentia, ut dictum anteà.

Verſ. 30. qui tertius eſt Scripturæ locus, quem produco ad terrorem iſtius adventûs ulteriùs indicandum. *Tunc apparebit ſignum Filii Hominis in cœlo, & videbunt Filium Hominis venientem in nubibus.* Cui par eſt etiam illud, *Apocal.* 1: 7. *Ecce venit cum nubibus, & videbit eum omnis oculus, etiam qui eum transfixerunt.* Benè ſcio quàm ridicula hîc comminiſcantur quidam de ſigno crucis, vel de ſigno *Chriſti* crucem geſtantis, in æthere apparente, neſcio quid (ac etiam ipſi neſciunt quid) garrientes: cùm nihil aliud in his verbis ſibi velit beatiſſimus Servator, quàm quòd tremendum & viſibile ſpecimen poteſtatis, gloriæ atque indignationis ſuæ in *Judæos* & *Hieroſolymas*, hoſtes ſuos, ſit editurus ante oculos totius mundi; ut meritò hinc agnoſcendus fiet *Meſſias*, & Filius Hominis, pœnas jam ſumens de ipſum crucifigentibus, atque Euangelium ſuum aſpernantibus. Contempſerunt Filium Hominis, dum eſſet in terris; jam videbunt ſignum Filii Hominis Judicis, Vindicis, Ultoris è cœlo, ut pluribus hic ſenſus confirmari poſſet, ſi eſſet hîc commentandi locus.

Videbunt venientem in nubibus: in imbrem & tempeſtatem omnimodæ calamitatis quaſi collectis, in miſeram iſtam Gentem defluxuræ.

Et tum mittet Angelos ſuos cum vòce tubæ. Dirutâ hac Gente, olim dilecta Deo & ejus Eccleſia, at jam exoſa & exciſa; mittet *Chriſtus* nuncios, vel Miniſtros ſuos cum voce magna tubæ Euangelicæ, qui ex omnibus terræ tractibus & Gentibus electos ſibi congregent in Eccleſiam, & in novum *Iſraëlem* Dei.

Hæc omnia ita intelligenda eſſe de excidio *Hieroſolymitano*, & rejectione *Judæorum*, & Gentium vocatione, perpluribus probari atque illuſtrari poſſet, ſi præſentis eſſet inſtituti. Vereor nè jam fuerim juſto prolixior. Satis eſt ad hujus interpretationem, ut dixi modò, quod dicat ipſe Salvator, *Amen dico vobis, non præteribit hæc generatio, uſque dum hæc omnia fiant.*

Hactenùs de adventu hoc *Chriſti*, & de adven-

adventûs terrore. Jam tertiò obſervetur advenientis judicium in iſthoc ſolummodò *Matthæi* commate 28. Capitis 19. *Dixit* Apoſtolis *Jeſus*, *Amen dico vobis, quòd vos qui me ſecuti eſtis in regeneratione, cùm ſederit Filius Hominis in throno gloriæ ſuæ, ſedebitis & vos etiam in thronis duodecim, judicantes duodecim Tribus Iſraëlis.* Hìc iterùm ſpectaculum neſcio quod fingunt quidam Commentatores ſcenæ vel tribunalis duodecim Apoſtolorum, *Chriſto* aſſeſſorii, ad diem extremi judicii, ſententiam ab eo in improbos latam approbantium. Atque huc adducunt illud Apoſtoli in hac Epiſtola ad *Cor.* Cap. 6. *Nonne noſtis quòd Sancti judicabunt mundum?*

At benè hîc animadverſum velim, quòd in hac *Chriſti* oratione ne ſyllaba quidem unica de *Sanctis* judicaturis mundum, ſed tantùm de duodecim *Apoſtolis* judicaturis duodecim Tribus *Iſraëlis: Chriſto* ſcilicet tremendam ſententiam de *Judæis* ferente, & doctrinâ Apoſtolicâ in judicium cum infideli ac pervicaci iſta Gente exurgente. Ita ut non de *Chriſto* viſibiliter throno inſidente, nec de Apoſtolis perſonaliter & reipsâ *Chriſto* aſſidentibus, intelligendus ſit hic locus, ſed de juſto & viſibili *Chriſti* judicio Gentem iſtam iniquiſſimam exſcindente, & de doctrina ab Apoſtolis prædicata ipſam redarguente & damnante.

Plurima hujus notæ de hoc ſcilicet adventu Domini *Jeſu* in excidium *Judæorum*, occurrunt ſparſim in Scriptura Sacra, quæ recto & proprio ipſorum ſenſu intellecta, & plurimum lucis ſecum ferunt, & plurimum lucis quamplurimis aliis Scripturæ locis præferunt: & de nonnullis ſummæ diſceptationis controverſiis feliciter determinat. Memini iſtius doctiſſimi cujuſdam è noſtratibus, millennium Chiliaſtarum probare intentis. *Dum nos*, inquit, *clariſſimas illas de rebus in ſecundo Chriſti adventu Prophetias ad primum torquemus, Judæi nos deriſui habent, & in infidelitate ſua magis obfirmantur.* Veriſſimè quidem: ſed & hoc liceat etiam retorquere, quòd dum nos clariſſimas illas de ſecundo hoc *Chriſti* adventu, ad perdendam ſcilicet *Judæorum* Gentem & Urbem, Prophetias ad ultimum in extremo judicio adventum torquemus, & riſu digna nonnulla concludimus, & cum *Judæis* infidelibus nimis idem ſentimus.

His omnibus quæ dicta ſunt benè perpenſis, promptius mihi eſt clauſulam hanc *Maran atha*, hoc eſt, *Dominus noſter venit*, ex communi hoc & uſitatiſſimo in Scriptura loquendi modo in hunc ſenſum interpretari, quàm ad Thalmudicam neſcio quam phraſiologiam confugere: quæ & apud *Thalmudicos* (quantùm auguror) omninò quidem non habeatur.

De hoc ergò quod hic dicit Apoſtolus, *Quiſquis non amat*, &c. ut quæ dicta ſunt in manipulum unum colligamus, ſic concludimus.

I. In clauſula prima, *Quiſquis non amat Dominum Jeſum*, omnes licèt *Chriſti* nonamatores comprehendat, in *Judæos* tamen præ omnibus aliis oculos intendat, Domini *Jeſu* oſores ſummos.

II. In clauſula ſecunda, *Eſto Anathema*, omnes Dominum *Jeſum* non amantes, at potiſſimùm *Judæos*, diris devovet; idque ſub forma *Judaicæ* Excommunicationis extremæ.

III. In clauſula tertia, *Maran atha*, adventum hunc Domini in miſeram infidelium iſtorum perditionem ac ruinam comminatur ac denuntiat. Atque hæc omnia in iſtorum perfidorum terrorem, in credentium cautelam, & in omnium hominum commonefactionem.

III. In ſecundum horum articulum ſiſtamus aliquantùm: nempè quò luculentiùs appareat, Apoſtolum in hiſce verbis in *Judæos* incredulos, & *Chriſtum* & Euangelium blaſphemantes, hujus Anathematis & maledictionis aciem atque ictum intendere. Quod ſecundùm penſum mihi propoſitum, tertio loco peragendum. Idque ex hiſce rationibus ego non poſſum non augurari.

I. Quòd linguâ hîc utatur & dialecto Judaicâ, iſtâ nempè clauſulâ *Syriacâ*, *Maran atha*. *Græcè* locutus fuerat per totam Epiſtolam, *Græcè* loquitur per omnes Epiſtolas: quòd hîc autem *Judaicè*, & hic ſolùm, extra omnem controverſiam, ipſum de *Judæis* propriâ ipſorum linguâ loqui, res ipſa clamat.

Pari modò *Jeremias*, Cap. 10. *verſ.* 11. *Chaldaicè* minans & maledicens Idololatriæ, & pariter *Iſraëlitas* (eòdem illicò migraturos) ipſam devitare & deteſtari edocens, *Chaldaicâ* loquitur linguâ & dialecto, quam rursùs non adhibet per totam Prophetiam. Sic noſter Apoſtolus, *Judaicæ* infidelitati & pervicaciæ minans & maledicens, & pariter omnes *Chriſtianos* ipſam devitare & deteſtari edocens, *Judaicâ* loquitur linguâ & dialecto, quam rursùs non adhibet per omnes Epiſtolas.

II. Quòd *Judæi* præ omnibus hominibus non amarent D. *Jeſum*, imò quòd odio

Digitized by Google

odio ſummo proſequerentur. Dominum *Chriſtum* amare quidem præ ſe ferunt, ſed oderunt Dominum *Jeſum*. *Meſſiam* vel *Chriſtum*, quem adhuc venturum præſtolantur, maximi faciunt, dum interim *Jeſum Chriſtum*, verum quidem *Meſſiam*, deteſtantur. Probatione hoc non eget; ſatis hoc legas ubique locorum.

III. Anathemate digniſſimo percutit *Judæos* Apoſtolus ob non amatum *Jeſum*, par pari referens: nam & ipſi *Jeſum* dixerunt Anathema. Obſervetur locus iſte Capitis 12. hujus Epiſtolæ, *verſ.* 3. *Nemo per Spiritum Dei loquens dicit Jeſum Anathema: & nemo poteſt dicere Jeſum Dominum, niſi per Spiritum Sanctum.* Arrogarunt *Judæi* ſibi nunc temporis dona Prophetica vel ſpiritualia: & hinc tam multi inter ipſos ſub nomine Prophetico ſeductores, de quibus frequentiſſima hiſtoria apud *Judæorum* Hiſtoricos. Et non ſolùm ſibi hæc dona arrogarunt, ſed & *Gentiles* iſtiuſmodi donorum omninò incapaces, & non compotes eſſe ſtatuerunt. Notus eſt, & notabilis, & virulentiâ plenus, tritus iſte ipſorum Aphoriſmus, *Spiritus Sanctus non requieſcit ſuper Gentilem.*

In iſto igitur Capite & verſiculo determinat Apoſtolus de ſpiritualibus hiſce donis, & hæc concludit: *Judæos* ſcilicet, jactentur licèt de iſtis donis, & Spiritu Sancto, Spiritûs Sancti tamen non eſſe participes, quippè quòd *Jeſum*, donorum iſtorum Dominum, dicerent Anathema & execrarentur. *Gentiles* autem è contrà, quos tanto boatu & cachinno, tantâ ſuperbiâ & contumeliâ, donis hiſce tanquam indignos, inidoneos & incongruos exhæreditare, quantùm in ſe eſt, ambiunt *Judæi*; tamen *Gentiles* Spiritum Sanctum beneficio divino eſſe adeptos & lucratos: quippè qui *Jeſum* fateantur, & adorent. Hic planè ſenſus Apoſtoli in iſto verſu, uti pluribus, ſi opus eſſet, poſſet demonſtrari.

Quo concluſo, quod neceſſariò concludendum, hæc duo vel tria emergunt, non indigna quæ obſerventur.

Primò, incredulos *Judæos*, Domini noſtri *Chriſti* oſores, atque *Jeſum*, quantùm in ſe, Anathematizantes, dona Prophetica & ſpiritualia, quibus imbutos viderent *Chriſtianos*, ſimulaſſe etiam, ac præ ſe tuliſſe, ut Euangelio eò meliùs illuderent, idque potiſſimùm ſpiritu inflati atque adjuti magico & diabolico. Exempla habemus in Scripturis, *Simonem Magum*, *Elymam*, filios *Sceva*, atque alios: ac in *Joſepho* Hiſtoriographo alios quamplurimos.

Secundò, hoſce ſeductores ſe & phantaſmata ſua ac enthuſiaſmos ita inter *Chriſtianos* & inter Eccleſiam intruſiſſe ac intermiſcuiſſe, ut à multis dubitaretur quænam eſſent veriora Spiritûs Sancti dona, & quinam veriores Prophetæ, Euangeliumne profitentes *Chriſtiani*, an blaſphemantes *Judæi*. Quam quæſtionem determinat Apoſtolus in iſto Capite.

Tertiò, ex iſto ergò Capite, quod enthuſiaſmis ſuis fundamentum ſubſtruant hodierni noſtri Enthuſiaſtæ, ſtatæ quæſtionis in iſto capitulo, & ſtatu Cœtûs *Corinthiaci* in hac re prophetica benè intellectis; ſatis elucebit ipſos jactatores hoſce noſtros exemplum ſibi intruſionis, arrogantiæ, & ſummæ confuſionis imitandum propoſuiſſe.

Sed redeamus ad ſcopum. Id quod ex loco allegato perpenſum velim, hoc eſt, nempè *Judæis* blaſphemantibus non inſolitum fuiſſe, (non *inſolitum* dixi?) imò uſitatiſſimum, D. *Jeſum* dicere Anathema, atque omni Anathemate maledicere. In ipſos ergò, atque in ipſos præſertim, Anathema meritò & digniſſimè retorquet & revibrat Apoſtolus: *Si quis non amat Dominum Jeſum, eſto Anathema.*

Denique huc adduco, ſeu potiùs huc adducit Apoſtolus illud *Iſaj.* 65: 15. *Relinquetis nomen veſtrum electis meis in execrationem: te enim interficiet Dominus Deus*, (morte ſecundâ, addit *Chaldæus Paraphraſta*) *ſervis autem ſuis vocabitur aliud nomen.* Quid clarius de nomine *Chriſtiano*? Quid evidentius de excidio Gentis Judaicæ? Quid denique ad verſiculum noſtrum interpretandum lucidius vel accommodatius? *Relinquetis nomen veſtrum electis meis in execrationem*: hoc eſt, Eritis Anathema, maledicti in vobiſmet ipſis, maledicti à ſervis meis novo nomine vocitatis. Nam Prophetam de *Judæis* perfidis & rebellantibus illìc loqui, ipſiſſimi *Judæi* non inficiantur: nec quidem ex Textu tam lucido poſſunt inficiari.

Huc etiam adducendum eſt illud, *Mal.* 4. quo concluditur Vetus Teſtamentum, *Ne percutiam terram Anathemate.*

Hiſce omnibus benè perpenſis, extra omnem aleam apud me poſitum eſt, Apoſtolum hoc in loco, & hoc Anathemate, *Judæos*, præ omnibus aliis D. *Jeſu* vel oſoribus, vel non amatoribus, diris dicare, & maledictioni omnimodæ devovere.

Patefacto in hunc modum & ſenſum animo Apoſtoli in hoc noſtro commate, (nam

Digitized by Google

(nam liceat ſaltem hoc ſperare,) duo jam exindè occurrunt aptè & apertè obſervanda.

Primum hoc, quod generalius, *quòd miſerâ maledictione & perditione periturus ſit quiſquis non amat Dominum Jeſum.*

Secundum hoc ſpecialius, quod & prioris primum & præcipuum exemplum, *quòd ſcilicet Judæi præ omnibus mortalibus ſub hac maledictione & perditione corruant atque opprimantur, quippè qui præ omnibus mortalibus Jeſum non ament.*

Res hìc ferè ſic ſe habet, uti olim de Anathemate *Jerichuntino*, *Joſ. 6. & 7.* In priori maledicitur cuilibet ſacrilego: in poſteriori detegitur ille ſacrilegus, *Achan*, & fit Anathema.

De priori, vel generaliori, ſumma cum utilitate poſſet diſſertari, daretur modò par nobilitati rei eloquentia, atque adæquatum latitudini rei tempus & ſpatium.

Elegit ergò ſibi de poſteriori agere oratio noſtra: tum quòd exempla preſſiùs animis infigantur, quàm regulæ: tum quòd patebit regula, exemplo clarè patefacto.

Miſerâ maledictione & perditione pereunt Judæi ob non amatum Dominum Jeſum.

Audiat hoc *Judæus*, & credat & tremat. Audiat *Chriſtianus*, & caveat & amet. Oſculetur uterque Filium, nè ſuccenſeat. Miſerrimam *Judæorum* & conditionem & perditionem ob non amatum, imò ob exoſum, ob interfectum D. *Jeſum*, ſine elocutione noſtra ſonorè eloquitur res ipſa. Loquitur Scriptura Sacra; loquuntur rudera *Hieroſolymitana*; loquitur Gentis ipſius per omnes Gentes diſſipatio; eloquitur ipſa *Judæorum* cæcitas & obduratio; atque eloquerentur ipſorum cordium *Judaicorum* ſaxa, ſi non eſſent pluſquàm ſaxea.

Ut rem propoſitam rimatiùs & clariùs intueamur, hæc tria Diſſertationi noſtræ ſunt proponenda, tribus verſiculi quem tractamus clauſulis parallela.

I. Qualiter *Judæi* non ament Dominum *Jeſum*.

II. Quàm miſero Anathemate pereant ob non amatum.

III. Qualiter *Maran-atha*, Dominus noſter advenerit, ultor & vindex in Gentem iſtam ipſum non amantem.

Primò, quòd Judæi non amaverint D. *Jeſum*, copioſiſſimè teſtantur Euangelia: quòd non ament, teſtatur experientia æquè copioſa. *Chriſtum* amare, ut ſuprà innuimus, præ ſe ferunt, ſed oderunt *Jeſum*.

Diſtinctio illa inter *amare Chriſtum*, & *amare Jeſum*; inter *agnoſcere Chriſtum*, & *agnoſcere Jeſum*, & ſi qua ſunt iſtiuſmodi, floccida licèt videatur & leviuſcula, pondus tamen, mihi credite, habet ſuum ſuo loco. Quòd toties nomini *Chriſti* in Novo Teſtamento ſuperaddatur nomen *Jeſu*, non ideò ſolùm eſt ut ſignetur *Chriſtus* pro Salvatore, prout vox *Jeſus* ſignificat; ſed ut *Jeſus* ſignetur pro vero *Chriſto*, quod *Judæi* inficiabantur. *Chriſtum* quidem vel *Meſſiam* agnoſcunt, clamitant, celebrant pleno ore: at *Jeſum Nazarenum Chriſtum* eſſe, vel *Meſſiam*, ore æquè pleno negant pernegantque.

Hinc eſt quòd nomen *Jeſu* tantâ frequentiâ, celebritate & fervore à Novo Teſtamento adhibeatur atque iteretur: non quòd omnibus aliis vel Dei vel *Chriſti* nominibus anteponatur, prout ſomniarunt quidam de iſtis Apoſtoli verbis, *In nomine Jeſu flectatur omne genu*; ſed quòd perfidiæ *Judaicæ* hoc opponatur, quæ *Chriſtum* quidem quendam profeſſa, *Jeſum* tamen ipſum eſſe ſtrenuè negat.

Locum habet hæc obſervatio in his & hujuſmodi locutionibus in Scriptura, quæ occurrunt, plurimis. *Deus hunc ipſum Jeſum quem crucifixiſtis, conſtituit & Dominum & Chriſtum*, Actor. 2: 36. *Philippus* Eunucho *Meſſiam*, vel *Chriſtum* antè agnoſcenti, prædicavit *Jeſum*, *Actor.* 8: 35. *Quiſquis confeſſus fuerit Jeſum eſſe Filium Dei, Deus habitat in eo*, 1 Joann. 4: 15. Et in eadem Epiſtola, *Cap.* 2: 22. *Quis eſt mendax, niſi qui negat Jeſum eſſe Chriſtum?* Atque alia innumera, quæ, ut dicitur, accommodata ad opponendam *Judæorum* de *Jeſu* infidelitatem, & contra *Jeſum* pervicaciam, clariori atque pleniori elucent ſenſu ſic intellecta.

Hoc parùm animadvertunt *Anabaptiſtæ*, cùm ex illo *Actor.* 19: 5. *Baptizati ſunt in nomine Jeſu*, rebaptizationem arguunt baptizatorum in nomine Patris, Filii, & Spiritûs Sancti. Baptizavit *Joannes* in nomen *Chriſti*: nam *Jeſum*, ſeipſo teſte, ipſe adhuc non novit, *Joann.* 1: 31. Baptizarunt Apoſtoli inter *Judæos* in nomen *Jeſu Chriſti*. *Baptizetur unuſquiſque veſtrûm in nomine Jeſu Chriſti*, inquit *Petrus*, Actor. 2: 38. ut nempè *Chriſtum*, vel *Meſſiam*, antè quidem agnoſcentes, in agnitionem *Jeſu* pro vero *Meſſia* inducerent atque obligarent. At inter Gentes baptizatum eſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, prout præcipit Servator, *Matth.* 28: 19. *Ite & docete omnes Gentes, baptizantes eos in nomine Patris*, &c. Falſorum enim Deorum cultores fuerant Gentes: in veri ergò Trinunius Dei agnitionem & cultum ſunt transferendi & baptizandi.

Si

Si concederetur ergò, *Epheſinos* hoſce olim baptizatos Baptiſmo *Joannis* in nomine *Chriſti*, jam rebaptizatos eſſe Baptiſmo Apoſtolico in nomine *Jeſu*, (quod tamen non conceditur) parùm tamen indè ſequeretur baptizatos ſemel in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, (uti apud nos baptizantur infantes) debere iterùm baptizari in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti, prout rebaptizant *Anabaptiſtæ*.

Sed quo provehemur? Hucuſque è tramite noſtro nos diduxit larvatum Religionis *Judaicæ* ſpectrum, infandum quidem amorem præ ſe ferens erga *Chriſtum*, at infando interim odio proſequens D. *Jeſum Chriſtum*.

Fruſtrà mihi foret & ſupervacaneè hoc vobis ex Euangelica Pagina demonſtrare: quis enim *Chriſtianus* hoc ſatis non novit? Edenti miracula illi ad miraculum uſque pervicaces adverſantur. In omnes morbos ſanantem illi immedicabili malitiâ morbidi inſaniunt. In ejicientem Dæmonia illi pluſquàm Diaboli ipſi diabolizant. Suſcitanti mortuos illi mortem machinantur. Ipſius à mortuis & ſepulcro reſurgentis reſurrectionem ipſam reſepelire oblivione. Quid multa? Nihil uſquam dictum vel factum pejus, quàm quod in D. *Jeſum* dixerunt *Judæi*, & fecerunt. Et nihil fuit odii, furoris, amentiæ uſquam unquam, quod non longè ſuperaret odium, furor, amentia *Judæorum* in Dominum. Ad infinita illa hujus rei exempla, quæ poſſent è S. Scripturis peti, poſſem plurima etiam rabiei & amentiæ ejuſdem monumenta proferre, blaſphemias ſcilicet pluſquàm horrendas in Salvatorem, quibus paſſim ſcatent Volumina Thalmudica, *Venetæ* præſertim editionis. Sed pereant ipſorum memoria cum ipſis.

Unde tibi tam venenata, ô *Judæe*, in D. *Jeſum* malitia & furor? Unde virulentia iſta & rabies? Ex hoc ſcilicet præcipuè, quòd D. *Jeſus* verus *Meſſias*, ficto & picto *Judæorum Meſſiæ* diſſimilis non modò fuerit, ſed & ſummè contrarius. Somniarant & finxerant ſibi *Judæi*, ſed & adhuc etiam ſomniant & fingunt, *Meſſiam* iſtiuſmodi, ut non magis diſcolor ſit albor nigrori, non magis contraria lux tenebris, quàm D. *Jeſus*, verus *Meſſias*, *Meſſiæ* imaginario fictionis *Judaicæ*. Et hinc prima mali labes, atque odii origo; quòd viderent D. *Jeſum*, cùm *Meſſiam* ſe exhiberet, non ſolùm ſublimi ac vanæ ipſorum ſpei de *Meſſia*, atque exſpectationi non reſpondere, ſed & contradicere & contrariari, eamque contundere.

In tribus potiſſimùm articulis comprehendi poteſt tota *Judæorum* fides de ſuo *Meſſia*: in quibus, cùm ſeipſos decepiſſent, D. *Jeſum* deceptorem ſunt arbitrati; quod non concolor eſſet iſti *Meſſiæ* quem effinxerant.

Primus articulus eſt de Regno *Meſſiæ*. *Meſſiam* opinantur renovaturum mundum terrenâ in melius mutatione. Hinc eſt quòd dies *Meſſiæ* vocent, *Mundum futurum* & *Novam Creationem*. Quibus elogiis & eoſdem dies veri *Meſſiæ* inſignit Sacra Pagina, ſed ſenſu ſpiritualiori. Dies hoſce opinantur omnimodâ mundanæ felicitatis ſerenitate *Judaicam* Gentem irradiaturos, atque ſuaviter calefacturos. Perſuadent ſibi atque indulgent, debellandos omnes ſuos terrenos hoſtes, reſuſcitandos à mortuis *Iſraëlitas*, congregandos & vivos & mortuos in terram *Iſraëliticam*, ædificandum Templum, inſtituendum Regnum terrenæ pompæ, reſtituendum cultum ſplendididiſſimè cæremonialem, & ut unico verbo omnia, terram *Judæorum* in cœlum terrenum convertendum, idque per millennium. ישדח עולמו אלף שנים, *Mundum ſuum*, inquiunt, *renovabit per millennium*. Et ימות המשיח אלף שנים, *Dies Meſſiæ mille anni*. Hæc illi, & quamplurima alia de Regno *Meſſiæ* ſui merè terreno & mundanæ gloriæ. Caveant ſibi Chiliaſtæ ne judaizent.

Quàm faſtidioſè & quaſi à deſuper in pauperem, humilem, mitem, paſſum, crucifixum *Meßiam* noſtrum, D. *Jeſum* deſpexit & deſpicit flatuoſa illa ſpes *Judaica*, *Meßiam* tam faſtuoſum præſtolata! Quanto odio & contemptu ſtomachantur atque indignè ferunt, *Jeſum Nazarenum* nomen *Meſſiæ* ſibi aſſumpſiſſe, cùm tam infinitâ contrarietate *Meſſiæ* ſuo, quem ſibi pingunt, fuerit contrarius?

Secundus articulus eſt de Redemptione *Meſſiæ*. *Meßiam* quidem agnoſcunt Redemptorem, ſed eodem ſenſu quo Regem, hoc eſt, terrenum. Redempturum ajunt *Iſraëlitas*, licèt impœnitentes; redempturum corpora & colla à jugo ethnico; at animas ſuâ ipſorum juſtitiâ atque operibus ſalvandas. Doctorem illum futurum ſummum, & novam Legem laturum; ſed ſublimati, ut ita dicam, *Phariſaiſmi*, & rituum carnalium repurgatiorum enodaturum difficilia *Moſaica*, ſed in cultum cæremonialiorem. Et ut uno verbo iterùm omnia, talem tantùm reverà futurum Redemptorem, qualis poſſet eſſe *Julius Cæſar*, vel *Alexander Magnus*, ſi ſatis eſſet *Phariſæus*.

Ab hac doctrina *Judaica* de ſummo articulo fidei, viz. de Redemptione per

Digitized by Google

Meſſiam, quàm immenſo ſpatio diſcreparit doctrina *Jeſu*, qui obſervaverit, ſecundam & fœcundam odii in ipſum *Judaici* cauſam facilè perſpiciet.

Tertius articulus eſt de geſtis & actionibus *Meſſiæ* erga Gentes. Odium *Judæorum* in Gentes, quod ubique teſtantur Sacra Folia, transfuſum ab ipſis volunt in ſuum *Meſſiam*. Fingunt enim illum Gentes ineffabiliter oſurum, gladio, igne, omnimodâ morte & gehenna exciſurum: אומות העולם, hoc eſt, *Nationes mundi* (nam hâc loquendi formâ infinitâ iteratione utuntur) miſerrimæ ruinæ, maledictioni & perditioni deſtinatas, cùm advenerit *Meſſias*, abſque ulla omninò controverſia definiunt & ſententiam ferunt. Et hoc legenti *Judaicos* Scriptores ubique obſervandum palàm occurret. Quod per omnem ferè Scripturam, ubicunque denunciantur minæ, miſeriæ, maledictiones, ruinæ, gehennah, atque iſtiuſmodi mala, non nominatis iis in quos intonatur, *Judæi* hæc ſemper in אומות העולם, *Nationes mundi*, commentantur. Millena exempla occurrent legenti vel unicum Commentariolum *Midras Tillin*.

De hac re liceat obiter, & fortaſſis non incommodè, duo obſervare,

I. Quanto pondere, & quàm ſumma cum ratione illud loquatur Apoſtolus, *Rom.* 3: 19. *Quæcunque Lex loquitur, iis loquitur qui ſunt ſub Lege.* Nam contrarium perpetuò edocent Commentarii *Judaici*: nempè quòd quæcunque loquitur Lex, ſive accuſationum, ſive minarum, iis loquitur qui ſunt *è Nationibus mundi*. Dixerat in præcedentibus Apoſtolus, *Declinarunt à via; non eſt qui facit bonum. Guttur eorum ſepulcrum patens: pedes celeres ad effundendum ſanguinem*, atque ejus generis plurima. Quæ omnia *Judæus* promptiſſimè interpretatur de אומות העולם, *Nationibus mundi*. At *quæcunque Lex loquitur*, inquit Apoſtolus, *iis loquitur qui ſunt ſub Lege.*

II. Quòd tam frequenter innuatur in N. Teſtamento, Deum amaſſe *mundum*, *Chriſtum* mortuum eſſe pro peccatis *mundi*, effudiſſe ſanguinem pro redemptione *mundi*, & quæ alia ſunt ejuſmodi; hoc non ideò dicitur, ac ſi pro omnibus & ſingulis in mundo eſſet mortuus, ſed ut, adhibitâ etiam hac formâ loquendi *Judæis* uſitatiſſimâ, jugularetur deteſtanda illa eorum doctrina, de odio *Meſſiæ* in Gentes, & eorum per manus *Meſſiæ* occiſione atque exitio.

Quamplurimos quidem Gentiles per & ad *Meſſiam* convertendos fatentur quidem, ſed ſenſu ſuo hoc *Judaico*: Proſelytos nempè eos futuros ad fidem *Judaicam* & *Phariſaicam*, quæ in tantùm diſtat à *Chriſtiana*, ut ei vix magis contrarietur Ethniciſmus.

Notandum & *Phariſæis* tremendum eſt illud Servatoris, *Matth.* 23: 15. *Væ vobis, Scribæ & Phariſæi hypocritæ, quoniam circumitis mare & aridam ut faciatis unum Proſelytum: & cùm fuerit factus, facitis eum duplo magis filium gehennæ quàm ſitis ipſi.* Ecce vobis converſionem Gentium quam ſomniabant & quam venabantur: ut fierent ſcilicet Gentiles *Phariſæi*, & *Judæi*, ut ita dicam, *judaizantiſſimi*; & duplo tandem facti ſunt filii gehennæ, magis quàm *Phariſæi* ipſi. At quî hoc, quæſo, fieri poſſit, ut quis poſſet duplo magis filius eſſe gehennæ, quàm *Phariſæus*? Animadvertite in *Actis Apoſtolorum*, ut his Proſelytis pro machinamentis ad Euangelium opponendum uſi fuerunt. *Cap.* 13: 50. *Judæi excitarunt mulieres religioſas, & excitarunt perſecutionem in Paulum*; hoc eſt, Proſelytiſſas. *Cap.* 17: 17. *Diſputavit in Synagoga cum Judæis, & religioſis*; hoc eſt, cum Proſelytis: & ſi qua alia ejuſmodi.

Hæc ergò *Judaica* fides de Ethnicis convertendis, & tale ipſorum odium in non converſos: & hinc ortum eſt illis aſperrimum odium in Dominum *Jeſum*; & quòd ille æquè non odiſſet, & quòd converteret, ſed ad non *Judaiſmum*. In Synagoga *Nazarethana* inter ſuos etiam cognatos & propinquos, cùm vocationem Gentium innueret tantùm, ex exemplis *Eliæ* & *Eliſæi* inter Gentes verſantium mortem vix evadit & internecionem, *Luc.* 4.

Sed ne in hac parte ſim prolixior, atque ut hæc quæ dicta ſunt, & ea quidem quæ dici poſſunt, de odio *Judæorum* in D. *Jeſum*, odiique cauſis, in unum quaſi glomum conglomerem, non amant D. *Jeſum*, quia non amant *Meſſiam* humilem, quia non amant Redemptorem non pompoſum, quia non amant Religionem non cæremonialem. Oderunt D. *Jeſum*, quòd ille odit *Phariſaiſmum*, quòd ille non odit Gentes, & quòd eſſet *Judaicæ* expectationis *Meſſiæ* quàm diſſimillimus.

Sic illi in *Jeſum*. Videamus jam quid in II.
illos ultor *Jeſus*. Huc uſque de ipſorum peccato, id eſt, de ipſorum odio in Dominum
Jeſum; ſequitur jam ut agamus etiam de ip- III.
ſorum pœna, vel Anathemate, & execranda conditione ob hoc odium. Et ſic tranſimus ad ſecundam & tertiam clauſulam verſiculi, *Eſto Anathema Maran atha.*

Miſerâ, inquam, *& meritâ perditione & maledictione pereunt Judæi ob non amatum D. Jeſum.* Huic rei teſtimonium perhibet unaquæque ferè Prophetarum pagina, unaquæque

que ferè N. Teſtamenti. Perpauca hæc multorum vice adducemus.

Matth. 21: 40. *Agricolas ob interfectum filium Domini ſui, cùm venit Dominus malos iſtos malè perdit.* Et Capite eodem, *verſ.* 42. *A vobis*, inquit Salvator, *ob lapidem angularem reprobatum, auferetur Regnum Dei.* Et, *Qui ceciderit ſuper lapidem iſtum, confringetur: ſuper quem verò ceciderit iſte lapis, ipſum conteret.* Hic lapis ille poſitus pro fundamento in *Sione*, Iſaj. 28. Et in hunc lapidem, aut petram, ædificat Dominus Eccleſiam ſuam, *Matth.* 16. At *Judæis* lapis hic *lapis ſcandali*, & petra hæc *petra offenſionis*, Rom. 9. 33. Ita ut titubent, corruant, confringantur, illaqueentur, & capiantur, *Iſaj.* 8. *Qui ceciderit ſuper hunc lapidem, confringetur; ſuper quem verò ceciderit iſte lapis, ipſum conteret.* Loquitur hîc Salvator ad morem *Judaicum*: nam qui ad lapidationem damnati erant à *Synhedrio*, primùm lapidi aſpero impingebantur atque illidebantur ſummo impetu, & deinde lapis graviſſimus in ipſos eodem impetu erat illiſus.

Matth. 12: 43. *Cùm exierit ſpiritus immundus ex homine, tranſit per loca arida, & quærit ſibi requiem, & non invenit: in domum ergò ſuam revertitur, & aſſumit ſibi ſeptem alios ſpiritus ſe nequiores, & ingreſſi habitant illîc; & fit ultima conditio iſtius hominis pejor priore. Ita etiam erit*, inquit Salvator, *peſſima huic generationi.* Ejectus primò fuerat Diabolus per prædicationem Euangelii è Gente *Judaica*: migrat ergò inter Gentes & Ethnicos: at indè etiam per Euangelium abactus, redit in *Judæam* Gentem jam incredulam, & jam longè quàm antè nequiorem.

Sed quid hiſce immoror? Quid teſtimonia Scripturæ enumerare aggredior, cùm ſint innumerabilia? Quid teſte Euangelio eſt opus, cùm rei huic teſtimonium perhibeant etiam ipſi increduli *Judæi*? *Quadraginta*, inquiunt, *annis ante exciſas Hieroſolymas & exuſtum Templum, ultrò & ſponte ſuâ aperta ſunt Templi portæ, in futurum*, ut *Rabban Jochanam Ben Zaccai* interpretatus eſt, *incendium.* Quod fatentur ex Textu Talmudico Commentatores *Judaici* in *Zach.* 11.

Et iterùm alibi. *Quadraginta*, inquiunt, *annis ante dirutas Hieroſolymas, loco ſuo motum, & ſede ſuâ excuſſum eſt Magnum Synhedrium: & exindè aliò atque aliò pervagatum eſt, uſque dum expiravit.* Fatetur hoc *Thalmud Hieroſolymitanum* in Tractatu *Sanhedr.* & *Babylonicum* in *Roſh Haſhanah.*

Ac fatentur etiam alibi, quòd per quadraginta annos ante vaſtatas *Hieroſolymas*, lingula coccinea quæ inter cornua Hirci emiſſarii *Azazel* ligari erat ſolita, non dealbuit. *Et hoc*, inquiunt, *triſte fuit ſignum, atque indicium, quòd non remiſſa fuerint peccata Iſraelis.* Fatentur hoc *Gemariſtæ Babylonici* in Tractatu *Joma.*

Hæc illi, in rem noſtram apertiſſimè. Nam quiſnam, quæſo, *Chriſtianus*, qui vel hiſtoriam *Judaicam*, vel Ethnicam, vel Eccleſiaſticam vel tantillùm deguſtaverit, qui non probè noverit annos à crucifixione D. *Jeſu* ad incenſum Templum, & dirutas *Hieroſolymas*, eſſe computo incluſivâ præciſè quadraginta.

Fatentur ergò hîc ipſiſſimi *Thalmudici*, hoſtes licèt *Chriſti* atque Euangelii ſint acerrimi, ipſa tamen rei veritate, atque ipſius veritatis vi adacti, quòd quadrageſimo ante excidium Urbis ſuæ anno quaſſatum fuerit Templum, & ad futuras flammas apertum; quòd quaſſatum fuerit *Synhedrium*, & authoritas judiciaria ſede ſuâ extirpata; & quòd inciderit populus in peccatum irremiſſibile; idque ſymptomate quodam viſibili demonſtratum. Quæ omnia limatiſſimâ enumeratione annorum computata, in ipſiſſimum incidunt annum, quo *Judæi* perdendo *Chriſtum* ſeipſos miſerrimè perdiderunt.

Ut hanc ipſorum miſeram & meritiſſimam perditionem clariùs perlegeremus, quatuor primò annotabimus, in quibus & generatio iſta quæ *Chriſtum* crucifixit, exuſtaſque poſteà vidit *Hieroſolymas*, & generationes iſtæ, quæ exindè in hunc uſque diem ſint ſubſecutæ, junctim & ex æquo fuerint miſeræ & maledictæ. Deinde quatuor obſervabimus, in quibus generatio illa prima fuerit diſtinctè miſera à ſequentibus. Et quatuor ultimo in loco, in quibus ſequentes iſtæ generationes ſeparatim ſint miſeræ, ac diſtinctè ab iſta prima.

Quod ad primum, in his quatuor rebus æquè miſeræ ac maledictæ ſunt omnes *Judæorum* generationes (nam liceat hac voce cum Interprete Vulgato uti) à tempore *Chriſti* crucifixi ad hunc uſque diem.

I. Quòd pereant ſub ſtupenda *cæcitate*, atque *obduratione*, ipſiſſimo Ethniciſmo cæciori atque magis obduratâ. *Dedit iis Deus ſpiritum ſoporis, oculos ut non videant, aures ut non audiant, in diem uſque hodiernum*, Rom. 11: 8. *Multa videntes vident nihil; apertis auribus nihil audiunt*, Iſaj. 42: 20. De hoc promptius eſt ut ſimus attoniti, quàm ut effemur; ut ſtupore potiùs atque admiratione meditemur, quàm ut verbis & oratione diſſeramus.

Quàm difficile eſt verba iſta Scripturæ

Sacræ

Sacræ intelligere, quæ ignorantiæ *Judæorum* attribuunt ea quæ in D. *Jeſum* perpetrarunt tanto odio, tantâ crudelitate! Qualia ſunt iſta verba *Petri*, *Actor.* 3: 17. *Scio, Fratres,* inquit, *quod hæc per ignorantiam feciſtis, ſicut & Primores veſtri.* Et illa Salvatoris in cruce, *Pater, remitte hoc ipſis, nam ignorant quæ faciunt.* Quo nomine appellanda hæc ignorantia? Quicquid deſiderare poſſunt in *Meſſia*, vident in *Jeſu*; & tamen hunc *Meſſiam* omninò ignorant. Vident adventantem tempore à Prophetis præſtituto, imò tempore ab ipſis ipſorum Doctoribus definito: vident illum omnibus *Meſſiæ* ſignis & virtutibus inſignitum, edentem miracula, ſuſcitantem mortuos, diviniſſimam ſapientiam ſpirantem omnia quæ facturus *Meſſias* facientem; excepto hoc, quòd terreno ſplendore non luceſceret, quod illi ſomniaverant: & tamen tam longè abeunt, ut in illo videant *Meſſiam*, ut *Meſſiæ* inimiciſſimum illum, præ omnibus mortalibus judicaverint. Oh oculos non tam excæcatos, quàm omninò erutos atque effoſſos!

Perpenſis graviter & ſeriò dictis & factis Domini *Jeſu* cum prædictis de illo à Prophetis, & cum iis quæ etiam Doctores Thalmudici de & in *Meſſia* expectando pronuntiant, (de quibus fuſiſſimè *Galatinus*, *Hieronymus de Sancta Fide*, *Mornæus* & alii) fatali neſcio quo cæcitatis Anathemate, & ſtupendæ ignorantiæ maledictione illos perire neceſſe eſt ut fateamur, & de perditione ſtupeamus.

II. Miſerè pereunt & perduntur omnes *Judæorum* iſtæ generationes ſub *Phariſaiſmo*, hoc eſt, Legi innixæ Traditionali, & Canonibus humanis, (dicam, an belluinis?) ſpretis interim præceptis Dei, & irrito facto Verbo Divino, prout ait Salvator, *Matth.* 15.

Non parùm eſt quod dicit *Petrus*, 1 *Pet.* 1: 18. *Redempti eſtis à vana veſtra converſatione à Patribus tradita.* Nam ſub iſta converſatione pereunt miſerrimi *Judæi* in hunc uſque diem. Cùm in occaſum tenderet Sol ac dies *Judaicus*, Traditionibus humanis ita obnubilari cœperunt, ut omni momento creſcente caligine, nox inſequeretur horrenda & æterna. A temporibus *Hillelianis* in denſiores tenebras coactæ ſunt hæ nubeculæ, magis magiſque indies coagmentatæ, uſque dum in noctem profundiſſimam compingerentur; quâ miſeri *Judæi* in hodiernum uſque *Ægyptiacis* veluti tenebris obvolvuntur.

Scriptores *Judaicos* perlegenti ſat pervium atque obvium eſt obſervare, quòd quò propiùs in ruinam ſuam declinaret iſte populus, eò magis auctus eſt Traditionum numerus, & erecta eſt Traditionum autoritas; ita ut tandem in omnia ſæcula *Judæorum* futura pro norma fidei & morum ſtabilirentur, normâ ipſâ divinâ, ut illi volunt, diviniori. Audite, ſi tam horrenda audire ſuſtinetis, quænam illi loquuntur de hiſce Traditionibus in *Thalmude Hieroſolymitano* in Tract. *Beracoth.* חביבים דברי סופרים מדברי תורה, *Amabiliora*, inquiunt, *ſunt verba Scribarum, quàm verba ipſius Legis. Nam verba Legis ſunt gravia & levia; & verba Scribarum ſunt omnia gravia.* Et rursùs: חמורים דברי זקנים מדברי נבאים, *Majoris ponderis ſunt verba Seniorum, quàm verba Prophetarum.* Atque alia ejuſdem Scholæ & farinæ blaſphemæ quamplurima, quæ piget meminiſſe.

Sub jugo hoc Traditionum ad Infernum detruduntur *Judæi* quotidiè ab annis jam elapſis ſedecies centenis, hæreditario Patrum reatu, ob interfectum D. *Jeſum* non ſolùm onerati, ſed & ſub hæreditario Traditionum à Patribus onere preſſi depreſſique.

III. Pereunt etiam ſub *Phariſaiſmo*, propria ſcilicet freti juſtitiâ, & operibus Legis ad ſalutem fiſi. Fidem non norunt *Judæi* niſi hiſtoricam, & juſtificationem hominis niſi humanam. De priori contra illos diſputat *Jacobus* Apoſtolus, *Cap.* 2. De poſteriori Apoſtolus *Paulus* in locis Epiſtolarum ſuarum quampluriniis. *Rom.* 10: 3. *Judæi*, inquit, *ignorantes juſtitiam Dei, & propriam juſtitiam quærentes ſtatuere, juſtitiæ Dei non ſunt ſubjecti.* Nec juſtitiam Dei norunt, nec fidem in Deo. Jam craſſa & denſa eorum faciei inſidet veli *Moſis* iſta portiuncula, *Statuta & judicia mea ſi quiſquam fecerit, in ipſis vivet.*

En quantum illi in ſenſu ſuo diſcrepant à ſenſu Euangelii in quæſtione de fide *Abrahæ*, & ejus juſtificatione! In hiſtoria *Abrahami* primùm exhibetur aperta doctrina de juſtificatione per fidem: *Geneſ.* 15: 6. *Abrahamus credidit Deo, & imputatum eſt ei ad juſtitiam.* Et hinc eſt quòd de illo loquens *Iſajas* Propheta, ipſius *juſtitiæ* nomen ferè ei attribuat, *Cap.* 41: 1. *Quis excitavit* juſtitiam *ab Oriente?* Et hinc eſt quòd Apoſtolus dicat, *Abrahamum* primum accepiſſe *Circumciſionem ſigillum juſtitiæ per fidem*, Rom. 4: 11. At illi fidem *Abrahami* de hiſtorica tantùm interpretantur; contra quod diſputat *Jacobus*. Et juſtificationem *Abrahami* aſſerunt ex operibus; contra quod diſputat *Paulus*. Uſitatiſſimè dicitur à *Judæis*, *Abrahamum adimpleſſe totam Legem ab*

Aleph

Aleph ad Thau. Et hinc juſtificatum eum volunt ex ſuis operibus; quod redarguit *Paulus*. Et ſic juſtificatum volunt unumquemque ſalvandum. Ita ut fidem in *Chriſto* omninò rejiciant; & dum ex operibus ſuis ſalutem ſperant fruſtrà, miſerè pereunt in ſuis operibus.

IV. Dum ad terrenum *Meſſiæ* Regnum & gloriam, ex vanis ipſorum ſomniis & ſpe, fruſtrà inhiant, ſpirituale & cœleſte *Chriſti* Regnum & gloriam perditi perdunt miſerrimè. Summæ curæ eſt Scripturis Sacris Regnum *Chriſti* non terrenum depingere, aut temporale, ſed ſpirituale & æternum. Hinc eſt quòd vocetur *Regnum Cælorum*, *Mundus venturus*, *Hieruſalem è supernè*. Hinc eſt quòd ipſiſſimo illo momento, quo primum promiſſus ſit *Chriſtus*, maledicatur terra, *Geneſ.* 3. ut doceretur Regnum *Chriſti* è maledicta hac terra non futurum. Hinc etiam quòd promiſſione ſolio *Davidis* factâ oriturum indè Regem *Meſſiam*, contabuit citò ſolium illud terrenum, ut non terrenum *Meſſiæ* expectaretur. Plurima ejuſdem generis atque eundem in finem occurrunt paſſim in Scriptura.

At quid *Judæi*? Ex quibuſdam phraſeologiis Prophetarum malè intellectis nullum *Meſſiam* volunt, ut ſuprà dictum eſt, niſi terrenum; & Regnum *Meſſiæ* nullum, ſi non mundanæ gloriæ. Et ſic dum ſomnia ſua aucupantur, & neſcio quæ ficta & picta ſperant, non fictè pereunt, & à *Meſſia* & Regno ſuo in æternum exulant.

In his quatuor convenit inter omnes *Judæorum* generationes, & quoad errorem, & quoad perditionem. Diſtinguatur jam inter generationem iſtam, quæ ante & ad excidium urbis venit, & inter illas quæ ſunt ſubſecutæ. Et illa etiam quadrifariàm miſera fuit, & maledicta.

De prima generatione iſta dicturus, ab illo *Iſajæ* oraculo exordiar, *Cap.* 53 : 8. *Generationem ejus quis enarrabit?* Scio quàm variè Commentatores in hæc verba: nonnulli de *Chriſti* generatione æternâ, quidam de generatione humanâ, quidam de ſpirituali, cùm & Textus ipſe & contextus ſatis clarum reddat ſermonem illîc non eſſe περὶ Χριςῦ γεννήσεως, *de Chriſti generatione*, quâ eſt genitus, vel generatus, ſed περὶ Χριςῦ γενεᾶς, *de Chriſti ſæculo*, ſive generatione hominum, in qua ille vixit. Generationis iſtius nequitiam, improbitatem, malitiam, maledictionem quis ſatis poſſit enarrare? Audite quid de illa D. *Jeſus*, & Spiritus Sanctus.

Generatio hac, inquiunt, *eſt mala*, *adultera atque improba*, Matth. 12. *Generatio adultera & peccatrix*, Marc. 8. *Generatio prava*, Actor. 2. *Generatio incredula*, *& perverſa*, Matth. 17. Et *Generatio*, *in quam venturus omnis ſanguis effuſus*, *à ſanguine Abelis ad ſanguinem Zachariæ filii Barachiæ*, Matth. 23.

Mala & miſerias, & miſeriarum genera, quæ perpeſſa eſt iſta generatio, quis vel poſſit effari, vel fando temperet à lacrymis? Cædes, rapinas, latrocinia, bella, incendia, famem, peſtes, diſſipationes, omnis generis ærumnas & miſerias, queis paria nec priora ſæcula unquam viderant, nec poſteriora viderunt adhuc. Legantur de hac re *Joſephus*, *Egeſippus*, *Gorionides*, aliique. Hiſtoriam contexere non eſt noſtri inſtituti.

Quatuor tantùm hic enumerabo, quæ & enumerat beatiſſimus Servator, cùm ſigna & mala, cladem & ruinam *Judaicæ* Gentis præceſſura, prædicit, *Matth.* 24. Quæ licèt diverſa ab his videantur, ea tamen ſunt, quæ & plurimùm ad miſerias *Judæorum* augendas contulerunt, & ad illuſtrandas conferunt.

I. Peperit atque enutrivit iſta generatio infinitos *Pſeudo-Chriſtos*, & *Pſeudo-Prophetas*, qui populum infelicem, jam ſatis ad exitium feſtinantem, multò velociùs ad exitium impulerunt, atque accelerarunt. De his Salvator in iſtius Capitis *verſ.* 11. *Surgent multi Pſeudo-Prophetæ*, *& decipient multos.* Et *verſ.* 24. *Exurgent multi Pſeudo-Chriſti*, *& Pſeudo-Prophetæ*, *& magna edent ſigna & mirabilia.* Cui rei teſtimonium amplum & egregium perhibet Hiſtoriographus *Joſephus*.

Novit Gens *Judaica* illud ipſum fuiſſe tempus adventui *Meſſiæ* à Prophetis præſtitutum, cùm D. *Jeſus* adveniret. *Tunc temporis opinabantur Regnum Cælorum appropinquare*, Luc. 19: 11. Hoc eos tam apertè edocuerat Propheta *Daniel* ex computatione ſeptuaginta ſuarum hebdomadarum, ut congregarentur ex omnibus duodecim Tribubus quamplurimi *Hieroſolymas*, expectationi ac ſpei ſuæ illîc occurſuri. Notanda eſt emphaſis illa, *Joann.* 11: 49. *Hæc dixit Cajaphas non ex ſemet ipſo*, *ſed cùm eſſet Pontifex Max. illius anni*, *prophetavit*: illius anni hebdomadas *Danielis* terminantis, & *anni illius* ſummæ *Judæorum* ſpei atque expectationis.

Ex congruitate ergò temporis anſam atque audaciam arripiunt ſibi quamplurimi ſe *Chriſtum* eſſe; quamplurimi ſe nobiles aliquos Prophetas eſſe mentiendi: & ſic, quantùm in illis, eluditur ab his falſis veri

Meſſiæ adventus, atque illuditur miſerrimo populo de adventu *Meſſiæ* omninò.

En vobis, ut ſibi non conſtet perfidia, niſi in infidelitate. Præciſum adventûs *Meſſiæ* tempus agnoſcunt; at *Meſſiam* eo tempore adventantem agnoſcunt minimè. Adventum *Meſſiæ* dum mentiuntur, advenire jam fatentur, & tamen negant.

Quæ mala operati ſunt hi *Chriſti* & Prophetæ mendaces populo deceptionum amantiſſimo, facilius eſt animo conjectari, quàm ore eloqui. Hæc duo autem potiſſimùm conſpectui noſtro ſeſe offerunt maximè perſpicua.

Primùm, quòd falſis & fictis hiſce ſuis nominibus, miraculis, Prophetiis, atque iſtiuſmodi blaſphemiis, adventum & manifeſtationem veri *Meſſiæ* ita obfuſcarunt & demerſerunt, ut *Judaicæ* Genti ſub undis ſiet in hunc uſque diem.

Deinde, quòd in infinita ſchiſmata, inſanias, æmulationes, atque omnimoda facinora Gentem malè credulam agitarunt atque impulerunt. Ab his non minima cauſa amentiæ atque impietatis iſtius, de qua Apoſtolus, 2 *Tim.* 3. ab initio. *Illud ſcito fore, ut extremis diebus inſtent tempora moleſta. Erunt enim homines ſui amatores, pecuniæ avidi, glorioſi, ſuperbi, maledici, parentibus non obedientes, ingrati, profani, charitatis expertes, implacabiles, calumniatores, intemperantes, immites*, &c.

De miſera & maledicta conditione & perditione *Judæorum* ob non amatum D. *Jeſum*, eſt diſſertatio noſtra. Cogitate apud vos, Fratres, qualis lues, quale exitium, hi ſeductores. O utinam hoc nos non edoceret dolenda apud nos experientia de deluſoribus iſtiuſmodi! Miſerè & perditè certè pereunt, qui ſeducti, qui deluſi pereunt. Et ſic perit execranda iſta *Judæorum* generatio.

II. Secundum ætatis vel generationis illius malum & peccati & pœnæ, fuit horrenda *Apoſtaſia*, relabentibus & retrocedentibus *Judæis* innumeris à veritate Euangelica, quam ſemel fuerant profeſſi. De hac re Salvator in Capite allegato, verſibus 10, 12. *Tunc offendentur*, inquit, *multi. Et quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum.* Quàm multa millia erant *Judæorum* qui crediderunt, & tamen zelo accendebantur Legis! *Actor.* 21: 20. Quàm diverſicolor hic Chriſtianiſmus. Fidem Euangelicam amplexantes ad ſalutem, amplexantur etiam ad ſalutem opera Legis. *Judaicâ* loquuntur linguâ, & *Aſhdodaâ*. Bove arant & aſino.

Ex illegitimo hoc coitu enatum eſt tandem monſtrum Apoſtaſiæ, recedentibus quamplurimis à fide & ſimplicitate Euangelii ad apertiſſimum *Judaiſmum:* & non ab Euangelio recedentibus tantùm, ſed & Euangelio jam factis hoſtibus, & acerrimis adverſariis. Et hoc primum ovum Antichriſti. 1 Joann. 2: 18. *Filioli, ultimum adeſt tempus: & ſicut audiviſtis Antichriſtum venturum, etiam nunc Antichriſti multi cœperunt eſſe; unde ſcimus ultimum tempus adeſſe. E nobis egreſſi ſunt, ſed non erant è nobis; nam ſi fuiſſent è nobis, manſiſſent utique nobiſcum.*

2 Theſſ. 2: 7. *Etiam nunc operatur myſterium iniquitatis. Etiam nunc*, cum Epiſtolas has ad *Theſſalonicenſes* ſcriberet Apoſtolus, quæ omnium Epiſtolarum *Paulinarum* ſunt ſcriptæ primæ: etiam tunc temporis embryo Antichriſtus. Veriſſimè quidem de Antichriſto *Romano* intelligitur iſte locus Apoſtoli: at veriſſimè etiam intelligendus de Antichriſto *Judaico*, non tam *Romani* patre, quàm parte: ejuſdem monſtri membro, & capite ejuſdem corporis, vel anima eadem in *Romanum* corpus commigrante. Quid enim *Romaniſmus* niſi purus putus *Judaiſmus*, *Chriſti* hoſtis atque Euangelii?

Videte quàm concinnè adaptari poſſint verba Apoſtoli ad Antichriſtianiſmum primò *Judaicum*, à quo etiam fluxit ſuo tempore *Romanus*. Verſ. 3. *Non adveniet dies Chriſti*, inquit, *niſi priùs venerit defectio*, vel *Apoſtaſia*. Prædixerat hoc Dominus noſter *Chriſtus*, Capite priùs allegato; futurum nempè ut priuſquàm ille adveniret ad ſententiam ferendam, & pœnas ſumendas de *Judæis* in excidio *Hieroſolymitano*, deficerent à fide, & deciperentur tam multi, ut ſi poſſibile foret, deficerent & deciperentur ipſi electi. Quam defectionem teſtantur loca Epiſtolarum Apoſtolicarum infinita.

Et revelatus fuerit homo ille peccati filius perditionis, ſeſe opponens, & efferens ſupra quicquid dicitur Deus, aut colitur; adeò ut in Templo Dei ſedeat tanquàm Deus, præ ſe ferens ſe eſſe Deum. Non magis Papiſmo conveniunt hæc verba, quàm huic *Judaiſmo*: qui non ampliùs jam ex ignorantia hoſtis eſſet *Chriſti* & Euangelii, ut anteà, ſed nunc noto etiam & agnito Euangelio, verè *homo peccati*, & *filius perditionis* ſeſe opponit: ſupra omnem humanam dominationem ſeſe efferens, etiam ſupra Verbum Divinum, ſupra *Chriſti* Euangelium & meritum: Traditionibus ſuis atque operibus Legis Deum conculcans, atque pro oraculo ſe ferens. Sed ne hic ultra limites tranſiliam, quicquid Antichriſtus *Romanus* ad-

adverſus Deum, Euangelium & Sanctos, hoc idem Antichriſtus hic *Judaicus*, *Romani* non tam præcurſor, quàm pars prior.

III. Tertium generationis hujus, de qua loquimur, malum, ex quo auctior ei acceſſit perditio & Anathema, hoc fuit, quòd fuerit *prima Eccleſiæ perſecutrix*, & perſecutrix etiam acerrima: non aſperior Gens *Romana*, vel Ethnica, vel Pontificia.

Sæpiuſculè apud me ſum miratus, cur Eccleſiaſtici Scriptores, in decem illis perſecutionibus primævæ Eccleſiæ enumerandis, *Judaicam* hanc vel omninò prætermiſerint, vel ſummo digito vix attigerint, cum hæc & hujuſmodi de ipſa loquatur Scriptura Sacra.

Matth. 24. *Vos tradent in conſeſſus & conventus; cædemini, & coram Regibus & Præſidibus ſiſtemini. Tradet frater fratrem, & pater filium; & eritis odio omnibus propter nomen meum.*

1 Theſſ. 2: 14. *Vos imitatores facti eſtis Eccleſiarum Dei quæ ſunt in Judæa in Chriſto Jeſu; quippè quod eadem paſſi ſitis & vos à propriis tribulibus, quæ & illis à Judæis.*

1 Petr. 1: 6. *Modicum adhuc* (ſi oportet adhuc) *in variis explorationibus triſtitiâ affecti eſtis, ut probatio fidei veſtræ multò pretioſior auro inveniatur.*

Et in eadem Epiſtola, Cap. 4: 12. *Dilecti, ne exploratione illâ per ignem, quæ fit in vobis ad veſtri experimentum, percellamini.* Et verſ. 17. *Jam tempus illud advenit, ut incipiat judicium à Domo Dei. Quòd ſi primùm incipit à nobis, quis erit finis eorum qui non obediunt Euangelio Dei.*

Unde ergò, ut plura omittam, hæc Sanctis tùm temporis exploratio, tribulatio & perſecutio? Non ab Ethnicis, ſed à *Judæis*, ſub quibus primò periit *Stephanus*, deinde *Jacobus Major*, poſteà *Jacobus Minor Hieroſolymis*, *Petrus* in *Babylone Chaldaicâ*, atque alii innumeri, afflictione preſſi, & morte multati, quos nominatim non enumerat Divina Hiſtoria.

Hæc obſervaſſe in lectione N. Teſtamenti, & plurimum lucis plurimis exhibebit locis, niſi mea me multùm fallat opinio, & plurimum miſeræ *Judæorum* conditionis demonſtrabit; qui poſt interfectum D. *Jeſum Chriſtum*, à Pſeudo-Chriſtis fuerint in omnem improbitatem & cæcitatem ducti: Antichriſtianiſmum primùm ſunt profeſſi, & Eccleſiam *Chriſti* primùm perſecuti.

IV. Quartò & ultimò, quàm miſera & miſerè perdita fuerit hæc generatio! Dies hujus excidii vocatur *Dies Domini Magnus & Terribilis*, *Joël.* 2: 31. ut clarè interpretatur divus *Petrus*, *Actor.* 2. Judicium hoc vocatur *Adventus Domini*, ut ſuprà demonſtratum eſt in præcedentibus. Et quàm tremendus hic adventus loquatur ipſe Dominus, qui ſic advenit. *Matth.* 24: 29. *Sol obſcurabitur, & Luna non edet ſplendorem, & ſtellæ cadent è Cœlo, & poteſtates Cœli concutientur. Et tunc apparebit ſignum Filii Hominis in Cœlo, & videbunt Filium Hominis venientem in nubibus.* Quorum verborum mentem anteà dedimus.

Plura non addam: nam addi poſſent quamplurima S. S. loca, quæ exitium & excidium *Judaicum* & *Hieroſolymitanum* tam diris, ſi ita loqui liceat, & feralibus characteribus depingunt, ut facile ſit ex illis ipſis judicare, quàm inaudita & nefanda fuerit generationis & Gentis iſtius cædes & ruina. Legatur in hanc rem pro commentario *Joſephus* Hiſtoriographus.

Tranſeundum jam eſſet ad *Judæorum* generationes, ab iſto *Hieroſolymorum* excidio ad hunc uſque diem. Plurimas & miſerrimas earum cædes, plurima exilia & juga, plurimas diſſipationes & ærumnas memorant plurimi hiſtoriarum Scriptores: de quibus nihil jam dicemus; legantur hæc apud ſuos authores.

Hæc quatuor tantùm enumerabo, ſpiritualioris aliquantùm notæ & miſeriæ, quæ fusè, ſi daretur venia, poſſent explicari.

I. Quòd primâ hac cæcâ generatione eò ſunt cæciores, quò majora ruinæ & rejectionis ſuæ monumenta vident, & tamen non vident. Vident exciſam Urbem, ejectam Gentem, infinita mala, ex quo *Chriſtum* crucifixit, Genti incumbentia, Gentes totius mundi Deum verum profitentes; & tamen ad ſtatum ſuum & conditionem magis magiſque adhuc cæcutiant.

II. Sunt prima iſta mala generatione, ſi fieri poſſit, pejores: utpotè qui omnia quæ verè majores illi ſui de *Chriſto*, vi veritatis adacti, prædicarunt, eludere atque enervare omni ſuo ſtudio, acumine atque induſtriâ nituntur. Quod infinitis exemplis poſſet demonſtrari, ſi eſſet locus.

III. In manibus habent & evolvunt N. Teſtamentum, & Libros & Scripta *Chriſtianorum*, quibus aſſeritur veritas *Chriſti* & Euangelii, & evertitur *Judaiſmus* literis, ut ita dicam, majuſculis, ut

Digitized by Google

etiam qui currit legat: & tamen quod illìc vident, non vident.

IV. Poſtremò, non eſt vel tempus, vel terminus, quo definiatur vel concludatur hæc eorum cæcitas & miſeria. *Non eſt*, ut inquit *Pſaltes*, *qui determinet quamdiu*. In captivitate *Ægyptiacâ* & *Babylonicâ* aderat illis verbum Prophetiæ, & reditum promittens, & tempus definiens: at his poſt ſedecies centenos annos, ne rimula quidem minima, per quam vel tantillum lucis poſſint adipiſci, ut aliquem vel ſpei vel miſeriæ ſuæ terminum contueantur.

Dubitas, ô *Judæe*, de *Jeſu* noſtro, an fuerit *Meſſias*. Recognoſce Gentis tuæ conditionem à tempore quo *Jeſus* noſter ab ea crucifixus. Non alio opus eſt argumento, quàm teipſo. Legas, uti ſcribatur in ipſis *Hieroſolymarum* cineribus, in Gentis & generis tui multifaria miſeria & maledictione, quòd *Jeſum Nazarenum, quem crucifixiſtis, conſtituit Deus Dominum & Chriſtum*. Sic pereunt, ſic pereant hoſtes tui, Domine *Jeſu*. Sic *qui non amat Dominum Jeſum, eſto Anathema:* at quiſquis amat, eſto ut Sol, quando egreditur in virtute ſua: & pax ſit ſuper verum *Iſraëlem* Dei.

Ad te nos recipimus, Domine *Jeſu*, ſuave nomen., dulciſſime Salvator. Tibi debetur omnis amor, honor, laus & cultus. Quis te non colat, ô Rex ſumme Gentium? Quis te non amet, Rex Sanctorum? Conſcii nobis nos ſumus & de ſpreto amore tuo, & de neglecto amore tui. Dum Anathema & miſeram perditionem te non amantium recognoſcimus & effamur, eſt cur in nos ipſos reſpiciamus, & verbum hoc tuum, & oratio noſtra nos ipſos dijudicat. Non amavimus te, Domine *Jeſu*, rei confitemur, vel ut nos decuit, vel ut te fuit dignum. Te vocavimus, & te vocamus Dominum, Dominum: ſed quàm minimum voluntatis tuæ ex amore tui fecimus! Quàm ſummus tuus erga peccatores amor! Quàm nullus noſter in te! Quàm magna tu noſtri cauſa præſtitiſti! Quàm nihil nos cauſa tui! Ex amore noſtri tu è Cœlo deſcendiſti, & ſolio gloriæ tuo quaſi poſthabito, ad crucem uſque te humiliaſti. Nos ex amore tuo è luto & fimo non aſcendimus, ne peccatum quidem unicum crucifigimus, aut morti addicimus. Tu ex amore noſtri precioſiſſimum ſanguinem profudiſti, atque animam depoſuiſti in ſacrificium pro peccatoribus. Nos ex amore tui vanitates vanitatum non abjicimus, non deponimus vel minimum carnalis noſtræ concupiſcentiæ. Heu! quàm parùm, quàm nihil fecimus ex amore *Chriſti!* Heu! quàm intùs ſumus te verſùs tota hyems, gelu & glacies! Languorem hunc remitte nobis, clementiſſime *Jeſu*. Accendatur in nobis ignis tuus, quo incaleſcamus, & liquefiant corda noſtra in lacrymas, pœnitentiam & amorem tui. Amen.

FINIS.

DISPUTATIO IN PUBLICIS COMITIIS

Pro Gradu Doctoratûs. Anno Dom. M DC LII.

QUÆSTIONES.

Poſt Canonem Scripturæ conſignatum non ſunt novæ Revelationes expectandæ.

Perſonalis ab æterno certorum hominum electio fundatur in Scriptura.

UTrâvis quæſtione vix ulla occurrit quæſtio ſpinoſior aut magis nodoſa; & quæ vel plura exercuerit ingenia, vel plures generet ventilata quæſtiones. Nam quantum lubricitatis in articulo de Revelationibus? Quantum in themate de Electione profunditatis? Et quantum de utrâque quæſtione, quæſtionis & controverſiæ?

Non noſtris ergò fiſi viribus, aut freti ingenio, penſum hoc in manus ſuſcepimus tam aſperum & tam intractabile; ſed ipſâ rei nobilitate ducti, aſſiduâ nunc dierum de hiſce quæſtionibus altercatione provocati, & duce Scripturâ, comite veritate, & divino freti & nixi adjutorio.

Ad pedes ergò tuos provoluti opem tuam imploramus, lucem tuam præſtolamur. Ad divina cæcutimus, & ad omnia ſpiritualia miſerè lippiunt oculi noſtri: at ipſo tuo collyrio ita inungantur, ut decidant ab illis omnes ſquamæ & caligines, & in luce tua videamus lucem. Adſis propitius cœpto huic noſtro. Edoce mentes & linguas noſtras, ut nihil niſi quod dignum & prout decet, de hiſce rebus, de quibus acturi ſumus, vel ſentiamus vel loquamur. Abige à nobis omnes tenebras, atque omnes contra divinam veritatem præoccupationes fuga & pelle, atque ita erudiantur & corda & linguæ noſtræ per Verbum tuum, & per Spiritum veritatis, ut in ſpiritu & veritate ſacro-ſancta hæc myſteria tractemus, ab errore procul & levitate. Revela nobis è Scriptura Sacra, Divino Canone, quid de Scriptura, quid de Revelationibus ſentiendum. Et de Electione tuâ, prout Electos tuos decet & in ſolatium noſtrum credamus, & in gloriam tuam diſſeremus. Et protege nos & nunc & ſemper à graſſantibus malorum hominum erroribus, & à flatuoſis & venenatis deceptorum dogmatibus, quæ ſerpunt & depaſcunt ut gangræna.

Solidi ſimus & ſtabiliti in tua veritate; & in communi fluctuatione ne fluctuemur. Sapiamus in Theologia ad ſobrietatem, & ad humilitatem in omnibus ſtudiis & ſcientiis noſtris; & in gloriam tuam cedant quæcunque ſcimus, ſtudemus, agimus aut molimur, & in ſalutem animarum noſtrarum, & in publicum emolumentum. In eum finem cedat faxis præſens hæc noſtra actio & diſceptatio per & propter Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.

Prodit prima quæſtio, (quam non ſolùm defendendam, ſed & illuſtrandam probandamque jam ſuſcepimus) gemellipara, geminam enixa quæſtionem; de *ipſa conſignatione Canonis Scripturæ*, primam; & de *non expectandis poſt hunc conſignatum revelationibus*, ſecundam: utramque ſatis obſcuram ac perplexam.

Tribus præcipuè articulis agitatur controverſia de Scripturæ Canonis conſignatione; primò, *de ipſo Canone conſignato*; I.
ſecundò, *de tempore conſignationis*; tertiò, *de modo conſignandi*. De primo nihil jam dicturi ſumus; de poſterioribus duobus pauca tantùm delibabimus: quòd non totam iſtam controverſiam diſcutere in animo habeamus; ſed ut epocha revelationum

num non expectandarum, ad quam fit à quæſtione noſtrâ calculatio, clariùs percipiatur.

Canonem Scripturæ jamdudùm & diù retrò fuiſſe conſignatum, cum univerſa in omnibus ſæculis Eccleſiâ meritò indubitanterque concludimus. Cum Eccleſia dixi? imò ſumma etiam cum ratione; imò ſummo cum ſuffragio ipſius Scripturæ. Satis enim & ex ipſius rei evidentia & ex ipſiſſimo Scripturæ teſtimonio elici poteſt, quo non tutò ſolùm, ſed & neceſſariò concludatur, Canonem Scripturæ longè olim & diu retrò fuiſſe conſignatum.

Conſignationem Canonis Veteris Teſtamenti faſſi ſunt *Chriſtus* & Apoſtoli, ut & tota Gens etiam *Judaica*, abſque ulla hæſitatione. *Rex Agrippa*, inquit *Paulus*, *credis tu Prophetis?* Et ipſe ſibi ex certo & indubitato totius Gentis ſenſu conſenſùque reſpondet, *Scio quòd credis.*

At quandò hæc conſignatio? Cùm nempè per ultimum Prophetarum, Prophetam *Malachiam*, ultimam limam apponeret Spiritus Sanctus, & exindè à Gente *Judaica* ſe retraheret diſcederetque; quod & fatentur ipſi *Thalmudiſtæ*. *Poſt mortem*, inquiunt, *Haggæi*, *Zachariæ*, *Malachiæ, diſceſſit Spiritus Sanctus ab Iſraële, atque aſcendit.* Quò reſpicit illud *Actor.* 19: 2. *An ſit Spiritus Sanctus ne quidem audivimus:* id eſt, an ſit ab iſto diſceſſu poſt mortem *Malachiæ* reſtitutus.

II. De *tempore* ergò conſignationis minùs eſt controverſiæ: at quid dicendum de conſignandi *modo?* Idem ferè quod & de priore: quòd nempè ipſa ultimi calami per ultimum hunc Spiritûs Sancti amanuenſem Scriptis inſpiratis appoſitio, fuerit ipſiſſima conſignatio. Vox חתם apud Scriptores *Judaicos* & *ſigillare* denotat, & *finire*, vel terminare. Eodem planè ſenſu judicamus de conſignatione Scripturæ, quòd ſcilicet conſignatus ſit Canon, cùm finitus & perfectus eſt Canon. Et hoc ipſum fuerit conſignatio, quòd jam nil ultra eſſet quod adderetur.

Prophetæ ſancti, & Divino Spiritu afflati, in unoquoque ſæculo à Deo ad conſcribendum Sacrum Canonem ordinati & edocti, ab impiis & nefariis hominibus, licèt pro ludibrio & deriſu haberentur, à piis tamen & Deum timentibus pro veris Prophetis & habiti ſunt & honorati. Quæcunque ergò illi ex dictamine Spiritûs Sancti conſcripſerant, in manus piorum hominum ab ipſis tradita, pro Divino Verbo & Canone ab illis ſunt recepta, æſtimata & ſervata. Et ſic tandem perfectus eſt totus Sacer Canon Veteris Teſtamenti. Nam cùm ultimus omnium *Malachias* Prophetiam ſuam conſcripſerat, piiſque Deumque timentibus tradiderat, perfectum jam & completum Veteris Teſtamenti Canonem, hoc ipſo conſignat ille, illi recipiunt.

Pari modo judicandum eſſe de conſignatione Canonis N. Teſtamenti judicamus. Quòd nempè cùm ultimus è Theopneuſtis Scriptoribus noviſſimum calamum Scriptis ſuis applicuiſſet, ut finitus, ita etiam ex hac ipſa re conſignatus eſt Canon, & diſceſſerunt & deſierunt revelationes, non ulteriùs expectandæ.

Crevit minutim N. Teſtamentum, eodem modo quo creverat Vetus. Quo verò ordine conſcripti ſunt ſinguli Libri, non eſt hic narrandi locus. Hæc duo tantùm, quæ ad rem præſentem faciant, liceat mihi hîc obſervare, quæ & quæſtioni ipſi noſtræ illuſtrandæ inſerviant; *De revelationibus* ſcil. *poſt conſignatum Scripturæ Canonem non expectandis*; & quæſtioni huic ex illa ortæ, *De conſignatione* ſcil. *Canonis Scripturæ.*

Primum eſt illud Salvatoris apud *Joannem*, Cap. 16: 12, 13. *Adhuc multa habeo quæ vobis dicam, ſed nunc non poteſtis portare. Cùm autem venerit Spiritus ille veritatis, ducet vos in omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemet ipſo, ſed quæcunque audiverit loquetur, & quæ ventura ſunt annunciabit vobis.* Satis novi qualiter hæc verba torqueantur, dum ea quæ à Servatore per Spiritum revelanda promittuntur, rejiciuntur in ſæcula Apoſtolicum ſubſequentia, etiam ad finem uſque mundi. Facile eſſet, ſi per tempus liceret, ex ipſo loci hujus ſcopo, ex re ipſa, & ex ſenſu verborum horum proprio, multis argumentis demonſtrare, quòd ad Diſcipulos ſolùm *Chriſti* tunc præſentes, Apoſtolos ſcil. reliquoſque inſpirandos, referenda ſint hæc verba, & nullo modo in futura ſæcula poſt Apoſtolicum rejicienda.

Illud ergò quod ex verbis ita intellectis obſervatum velim, hoc eſt, nempè quòd omnia quæ revelanda erant per Spiritum Sanctum de veritate divina & Euangelica, revelanda erant in ſæculo illo, vel ævo Apoſtolico. *Ducet* VOS *in omnem veritatem.* Cùm ergò ſcripſiſſent illi omnia ea quæ ab iis ſcribi voluit Spiritus Sanctus, conſcripta eſt omnis veritas, conſignatus eſt Canon Scripturæ, & revelationes exindè non ſunt expectandæ.

Secun-

Secundum eſt illud quod prædicitur & promittitur per Prophetam *Joëlem*, quòd *in noviſſimis diebus effundendus eſſet Spiritus ſuper omnem carnem*; prout Prophetiam iſtam allegat explicatque *Divus Petrus*, Actor. 2: 17. Effundendus ergò erat Spiritus Sanctus iterùm, qui ſeſe retraxerat (ut anteà diximus) à morte *Malachiæ*. Effundendus erat *ſuper omnem carnem*, id eſt, ſuper Gentiles, æquè ac ſuper *Judæos*: quod & factum eſt, & quod factum eſſe mirantur *Judæi*, Actor. 10: 45. At quid ſibi volunt vocabula iſta, *In noviſſimis diebus?* Non ad noviſſima tempora mundi referenda eſſe, ſatis patet ex ore *Petri*, verba iſta ad id temporis quo effuſus eſt Spiritus, *Actor.* 2. applicante. *Hoc ipſum illud eſt*, inquit, *quod prædicitur per Joëlem: In noviſſimis diebus effundam Spiritum meum.* In iſto temporis articulo, quo deſcendit Spiritus in ſpecie linguarum ignitarum, adimpleta eſt, vel ſaltem adimpleri cœpit iſta Prophetia, ultra vel citra *dies noviſſimos* (quinamcunque illi ſient) non exporrigenda. Dies autem illi ſunt dies noviſſimi *Hieroſolymorum*, cum jam ſeneſceret Urbs iſta, & Gens *Judaica*, & in mortem ac ruinam jam appropinquantem tenderet & nutaret. Quo ſenſu iſtæ loquendi formulæ, *In ultimis dierum*, *In noviſſimis temporibus*, *In ultimis diebus*, occurrunt ſæpiſſimè in perquam plurimis & Veteris Teſtamenti locis, & Novi.

Ante excidium ergò *Hieroſolymitanum* effuſum eſſe Spiritum, & promiſſum eſt per Prophetas, & experientia probatum eſt in Apoſtolis *Chriſti* & Diſcipulis. Hinc linguæ, miracula, ſanationes, revelationes, atque inſpirationes quorundam, quibus amanuenſibus uti viſum eſt Spiritui Sancto, ad Sacroſanctum N. Teſtamenti Canonem & Codicem conſcribendum. Ultimus horum ſcriptorum cœleſtium *Joannes* Euangeliſta atque Apocalypticus: ultimum ille Scriptorum ſuorum omnium conſcripſit *Apocalypſin*; quâ ad coronidem perductâ, perfectus & conſignatus eſt Canon N. Teſtamenti, & totius quidem jam Scripturæ.

Poſſum & illud etiam in medium proferre, quod ab omnibus pro aperta Libri iſtius, & totius quidem N. Teſtamenti eandem veritatem ſpiritumque ſpirantis, conſignatione agnoſcitur: idque non immeritò, verſibus iſtius Libri & Novi Fœderis antepenultimis. *Enimverò unà teſtor cuivis audienti verba Prophetiæ hujus Libri: Si quis appoſuerit ad hæc, apponet ſuper illum Deus plagas ſcriptas in Libro iſto. Et ſi quis diminuerit de verbis Libri Prophetiæ iſtius, auferet Deus partem ejus è Libro Vitæ, & ex Urbe Sancta, & ex iis quæ ſcripta ſunt in Libro iſto.*

Apocalypſin ſuam conſcripſit *Joannes* quàm proximè ante flammas *Hieroſolymitanas*, & Gentis *Judaicæ* everſionem: poſt cujus Urbis & Gentis excidium, diſceſſiſſe Spiritum inſpirationis atque revelationum, ipſemet in iſto Libro atteſtatur, *Cap.* 7: 1. Nam cum Capite ſexto miſeræ iſtius Gentis miſeram perditionem graphicè depinxiſſet, per cædes, famem, peſtem, & omnimodam calamitatem perituræ, ita ut obvolvi ſub montibus, & ſub petris premi præ illis malis eligerent optarentque, quod de excidio iſto prædixerat Salvator, *Luc.* 23: 30. detentionem exindè ſcribit fuiſſe venti, *Ne ſpiraret ſuper terram*; phraſiologiâ è Prophetis ſumptâ, deſitionem Spiritûs Prophetiæ ſignificante.

Ne lapſum me putetis vel linguâ vel memoriâ, cùm Librum *Apocalypſeos* aſſeram conſcriptum ante excidium *Hieroſolymitanum*; bene novi quàm à pleriſque referatur ad tempora *Domitiani*. Habeo tamen dum hoc affirmo, cui innitar, quod demonſtrare, prout res poſtularet, non patitur tempus.

Ut ergò habeat ubi pedem figat de hac quæſtione noſtra diſputatio, atque ut periodum conſignationis Canonis Scripturæ, atque Epocham deſitionis revelationum calculis æquis enumeremus: aſſero primò, Canonem Scripturæ conſignatum fuiſſe, cùm jam inſtaret & ad fores eſſet excidium Urbis & Gentis *Judaicæ*. Atque aſſero inſuper ſecùndò, poſt iſtud excidium Spiritum Prophetiæ deſiiſſe, & revelationes non ultrà eſſe expectandas in æternum.

Non me latet quàm multa dicantur ab Hiſtoriographis, de viſionibus, vocibus cœleſtibus, inſomniis divinis, & aliis iſtiuſmodi revelationum generibus per ſæcula plurima poſt illud tempus exhibitis: qualia etiam de ſeipſis garrire non erubeſcunt hodièque nonnulli è noſtro ſæculo, è noſtrâ Gente. De qua re, & quibus quid habeam quod reſpondeam, ex ſenſûs atque animi quæſtionis hujus noſtræ explicatione ſatis elucebit. II.

Tria ſunt quæ in hac quæſtione præcipuè volumus.

I. Quòd poſt conſignatum Scripturæ Canonem non ſunt expectanda nova dogmata fidei, quæ vel præter Scripturam

ram obtineant, vel ſupra Scripturam ſapiant; multò minùs quæ contra Scripturam machinentur. Divinæ Scripturæ oracula pro oraculo colimus, extra quod nihil vel ſciſcitandum, vel expectandum, vel æſtimandum quod ad fidem pertineat, aut mores, aut bonam conſcientiam. Sacroſanctum hunc Canonem veneramur ut verum, ſolum, perfectum omnium fidei articulorum penuarium, perfectam omnium actionum noſtrarum regulam & normam.

Duo tamen hîc non diffitemur.

I. Oriri ſæpè & elucescere ferè indies novas dogmatum fidei in Scriptura comprehenſorum illuſtrationes. Ex ſtylo ſcil. ſcopo, dialecto, ſenſu Scripturæ clariùs intellectis, explicatiores emergunt atque enodatiores oraculorum Scripturæ ſenſus atque explanationes. At hoc non ex nova aliqua immediata revelatione, ſed ex ipſa Scriptura ſibimet atteſtante, & rerum ſuarum optimo interprete.

II. Non ſolùm non inficiamur, ſed & promptiſſimè alacriterque agnoſcimus Spiritum illum ſapientiæ & revelationis ad agnitionem *Chriſti* omnibus Sanctis conceſſum eſſe, de quo loquitur Apoſtolus, *Epheſ.* 1:17. *Ut Deus Domini noſtri Jeſu Chriſti, Pater ille gloriæ, det vobis Spiritum ſapientiæ & revelationis in agnitione ipſius, illuminatis oculis mentis veſtræ.* At hoc itidem non per novam aliquam immediatam revelationem, ſed mediante Verbo Divino, quàm proximè ad corda Sanctorum per Spiritum gratiæ admoto. Cui conſonum eſt illud Apoſtoli, *Rom.* 15: 4. *Ut ſpem habeamus per conſolationem Scripturarum.* Et illud 2 *Pet.* 1: 19. *Habemus firmiſſimum ſermonem Propheticum, cui benefacitis attendentes, veluti lucernæ in caliginoſo loco lucenti, donec dies illuceſcat, & Lucifer oriatur in cordibus veſtris.*

II. Secundùm quod in hac noſtra quæſtione volumus, hoc eſt: quòd ad eliciendum Scripturæ ſenſum, aut ad dogmata fidei in ea comprehenſa explicandum, non expectandæ ſunt novæ revelationes: hoc eſt, vel quales olim exhibitæ fuerunt inter *Iſraëlitas*, aut quales hodiè ſomniant Enthuſiaſtæ. Omnimodis revelationibus uſus eſt Dominus ad Sacras Scripturas concinnandas & perficiendas; voce cœleſti, oraculo per *Urim* & *Thummim*, viſionibus, inſpirationibus, inſomniis, & ſi qua alia memorantur in Sacra Pagina. At poſt perfectum iſtum Canonem, iſtiuſmodi revelationes, utpotè neque in ſe, neque nobis neceſſariæ, non ſunt ultrà expectandæ, eò quòd non ſolùm omnis veritas in iſto Canone ſit comprehenſa, ſed & perfectiſſima ſui etiam interpretatio.

Lis nobis eſt cum Pontificiis de ultima analyſi fidei, & de ultimo oraculo conſulendo de ſenſu Scripturæ. Illi Eccleſiam ſtatuunt, nos ipſam Scripturam: atque hoc non ſine ſumma ratione, ac ſummâ ipſius Scripturæ authoritate. Ad hoc nempè oraculum, quaſi ab ipſo Dei digito, diriguntur homines ad omnia quærenda & cognoſcenda, quæ ad Deum cognoſcendum & ad ſalutem acquirendam faciunt. 2 Tim. 3. *verſ.* 16, 17. *Tota Scriptura eſt divinitùs inſpirata, & utilis eſt ad doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, ad eruditionem quæ eſt in juſtitia; ut perfectus ſit homo Dei, ad omne opus bonum perfectè inſtructus.* Iſaj. 8: 20. *Ad Legem & Teſtimonium.* Joſ. 1: 8. *Liber hic Legis non recedet ab ore tuo, ſed in eo meditaberis nocte dieque.* Luc. 16: 29. *Habent Moſem & Prophetas, ipſos audiant:* & plura alia iſtiuſmodi ſatis nota.

Delirant, qui Scripturas per revelationes explicare præ ſe ferunt, & Scripturis ipſis ipſi derogant. Revelationibus quidem opus fuiſſe ad ipſas conſcribendas, ſat novimus, promptiſſimè agnoſcimus; at revelationibus ad intelligendas & explicandas Scripturas jam conſcriptas opus eſſe, non legimus, non invenimus uſquam unquam. Detegunt illæ Deum, Dei conſilia & voluntatem, prout ipſi viſum eſt & ſe & ea hominibus detegere. Quàm minimum autem ſui in Scriptura revelavit, ſi Scripturæ ſenſus aliundè quàm à ſeipſa petendus!

III. Tertium quod volumus hoc eſt: quòd ad dirigendas vitæ actiones, ad mores inſtruendos, ad animum anxietate preſſum ſolandum & ſtabiliendum, ad ſtatum animæ ſpiritualem cognoſcendum, non ſunt expectandæ ullæ revelationes, ſed omnia hæc à Scriptura ſunt quærenda. Impetum animi ducem ſequi, quem non ducit Verbum Dei, eſt ducem cæcum ſequi, & in foveam incidere. Facilis & expeditus eſt animus noſter & ad nos fallendum, & ſeipſum, & ad ſibi impetus ac afflatus neſcio quos pro libitu, ſæpiſſimè pro libidine ſuâ efformandum: quos, ut ſequantur actiones noſtræ, urget eadem, quæ impetus hoſce generavit, cupido; & quos dum ſequuntur, ex ipſo impetu, ac ſi ex divino aliquo afflatu concepto, audaciam ſibi ad

iſtas

Digitized by Google

iſtas actiones arripit animus, & acquieſcentiam conſcientia. At nos firmiſſimum habemus Verbum Scripturæ, ad omnia hæc quæ nobis ſcitu opus eſt detegenda, & aptum & datum. A quo divertere & recedere, ut harum rerum cognitionem aliundè hauriamus, eſt fontem *Siloe* aquis vivis effluentem contemptui habere, & lacunas nobis effodere inaquoſas, putridas, fœtidas, & periculi tantùm plenas.

Senſu quæſtionis ſic exhibito, paucula quædam etiam argumenta, quæ ad ejus probationem faciant atque illuſtrationem, breviter exhibebimus.

Ac primò, hiſtorica duo ad hanc cauſam pertinentia obſerventur.

I. Quòd in ipſiſſimis iſtis temporibus in quibus copioſiſſimè affluxerunt revelationes, inſpirationes ac prophetiæ, ad Verbum tamen ſcriptum etiam tunc temporis reducuntur homines & diriguntur, ut conſpicuum eſt ex locis anteà allegatis. Imò (quod ampliùs & notatu digniſſimum) à fundata Eccleſia *Iſraelitica* ad expirantem, licèt præſto eſſent utplurimum Prophetæ atque homines Spiritu Sancto afflati, hos tamen pro ſtato & conſtanti Miniſterio, quo inſtrueretur & doceretur populus, non ordinavit Dominus, ſed Sacerdotes Legis peritos & Sacræ Scripturæ ſtudioſos. Quàm longè ab inſtitutione divina de publico Miniſterio aberrant hodierni noſtri Euthuſiaſtæ! Nec aberrant ſolùm, ſed & ſummè contrariantur. Neminem ſacrorum Miniſtrum patiuntur qui ſit doctus, qui ſit ſtudioſus, ſed eum ſolùm qui ſit Spiritu inflatus, qui poſſit (ut vulgari dialecto utar) *prædicare aut concionari per Spiritum.* Prophetas ſolos volunt miniſtrare in ſacris, cùm jam in toto terrarum orbe non ſit Propheta. At Deus, cùm eſſent Prophetæ plurimi, hos non ad ſtatum Miniſterium conſtituit, ſed homines ſtudio doctos, & in Lege literatos, nempè Sacerdotes. *Hagg.* 2: 11. *De Lege interrogate Sacerdotes.* Mal. 2: 7. *Quum labia Sacerdotis ſcientiam conſervarent, & Lex ab ejus ore requireretur. Ipſe enim eſt nuncius* (vel *Angelus*, uti legitur in fonte) *Domini exercituum.*

II. Secundum quod obſervatum velim, hoc eſt: quòd *Paulus Timotheum Epheſi*, *Titum* in *Cretâ* dereliquit, ut Presbyteros, vel Miniſtros illîc ordinarent in Eccleſia, prout patet ex Epiſtolis *Paulinis* ad utrumque. Quorſùm autem hæc? Adfuerat *Epheſi*, adfuerat in *Cretâ* nuperrimè *Paulus* ipſe: potuit ipſe ordinaſſe, potuit ipſe ex impoſitione manuum ſuarum Spiritum Sanctum ordinatis contuliſſe & donaſſe. Cur ergò ad rem iſtam illos deſignat, in quorum manibus non erat donatio Spiritûs Sancti? (Nam *Timotheus* & *Titus* Spiritum Sanctum ex impoſitione manuum ſuarum largiri non poterant, & ipſe qui poterat, nuperrimè licèt ibidem præſens, non eſt dignatus) Ex hoc ſcil. (nam quidnam aliud cauſæ proferri poteſt?) quòd poſt primam iſtam Euangelii ætatem, in qua & frequentiſſime & ſummè pariter neceſſariæ fuerunt revelationes, (non aliter enim tunc temporis homines habiles & idonei eſſe poſſent ad prædicandum Euangelium. Apoſtoli ergò cùm Eccleſiam aliquam alicubi plantaſſent, cùm eſſent indè ad alibi prædicandum deceſſuri, quoſdam in Eccleſia iſta, dirigente Spiritu Sancto, ſeligunt, quos ex impoſitione manuum Spiritu Sancto imbutos, ſimulque à Spiritu Sancto Euangelium edoctos, & ad illud prædicandum idoneos redditos, in Miniſterium publícum deſignant & conſtituunt: at poſt primam, inquam, Euangelii iſtam ætatem) deſiit iſta Spiritûs Sancti donatio, deſierunt Spiritûs iſta dona: & jam ulteriùs ad prædicandum Euangelium, atque ad explicandas Scripturas non expectanda ſunt extraordinaria iſta dona & chariſmata; ſed ſtudio Scripturæ, & lucubrationibus in Verbo Divino incumbendum, & ex his, comitante ſanctitate, acquirenda aptitudo ad munus fungendum, & opus præſtandum miniſteriale.

Noluit ergò beatiſſimus Apoſtolus in Eccleſiis ulteriùs impoſitione manuum ſuarum dona Spiritûs Sancti conferentium, ad Miniſtros ordinandos uti, quia ſatis novit Miniſterio taliter imbuto non ulteriùs uti viſum eſſe Deo: deſignat ergò ad hoc opus *Timotheum* & *Titum*, atque alios eximii ejuſdem characteris viros, qui cùm Spiritum largiri non poſſent, Miniſtros tamen ordinarent, non Spiritu afflatos, ſed ſtudio doctos.

Inter plurima argumenta quæ ad Theſin noſtram probandam afferri poſſent, hæc tria tantùm adducemus.

I. Quòd non eſt neceſſarium non eſt expectandum. At revelationes poſt conſignatum Scripturæ Canonem non ſunt neceſſariæ. Ergò.

Majorem non opus eſt ut probemus. Minorem probari licet, primò ex Scripturæ ipſius αὐταρκεία, quæ, teſte *Divo Paulo* loco ad *Timotheum* anteà allegato, *ad omnia ſufficit* quæ neceſſaria ad ſalutem:

ſufficit ad cognitionem & ſapientiam, *ut homo Dei*, inquit, *ſit perfectus*: & ſufficit ad ſanctitatem & vitam puram, *ut ſit*, inquit, *ad omne bonum opus inſtructus*. Secundò, ex revelationum ipſarum juſtâ æſtimatione. Licet ex earum incertitudine arguere earum non-neceſſitatem. Quantum fallaciæ, deceptionis & erroris poteſt eſſe in revelationibus? Angelum lucis poteſt ſe fingere Angelus tenebrarum: & quidnam omninò eſt in revelationibus divinis, quod non effingere ac ſimulare etiam poſſit Princeps tenebrarum & deluſionis? Revelationes ſuas habuerunt olim, ac jam etiam habent Magi ac Veneficæ; quibus & ipſi decepti, & alios decipiunt. Omitto dicere (quod non inutiliter etiam dici poſſet) quàm apta ſit hominum phantaſia, melancholia, & ardens inquietuſque ad hoc vel illud affectus, miras ſibi efformare revelationum chimæras, & illuminationis figmenta.

Miſerè certè eſſet miſellis hominibus, ſi ipſis abſolutè eſſet opus re tam incertâ, tam fallaci, tam periculoſâ. Si vel ex neceſſitate *præcepti*, vel ex neceſſitate *finis* tenerentur ad revelationes, quas vel effingere poteſt Diabolus, & efformare poteſt animus hominis turbidus & inquietus. Sic ergò arguo.

Si poſt conſignatum Sacrum Canonem novæ revelationes ſint neceſſariæ, tùm vel ad ſupplendum Canonis defectum, vel ad emolliendam Canonis difficultatem. At non ad ſupplendum Canonis defectum; nam abſolutiſſima eſt Scripturæ perfectio: non ad emolliendam Canonis difficultatem; nam aliam & additam affert ſecum Revelatio difficultatem; in judicando ſcil. an ſit divina, an diabolica: qua de re judicare habet Sacer Canon: atque hinc Canonem non explicat Revelatio, ſed de Revelatione ſententiam fert Canon.

II. Quòd non promittitur non eſt expectandum. At revelationes novæ poſt conſignatum Scripturæ Canonem non promittuntur. Ergò.

Major ex ſe ſatis liquet: quippè quòd non ſolùm vafrum & inſipiens, ſed & impium ſit & inſolens quidvis ad fidem vel ad ſalutem expectare, quod Deus non promiſerit. Ad minorem probandam non tam argumentis opus eſt, quàm reſponſionibus; ad loca ſcil. illa Scripturæ, quæ minorem enervare videntur, quæque à ſententiæ noſtræ adverſantibus in ſuæ defenſionem adducuntur. Inter plurima, hæc quatuor tantùm enumerabimus, & his & aliis pluribus fortaſſis ab opponentibus impugnandi. *Joel.* 2. & *Actor.* 2. *In noviſſimis diebus effundam Spiritum meum ſuper omnem carnem.* Iſaj. 54. & Joann. 6. *Erunt omnes docti à Deo.* Jerem. 31. *Non docebunt ultrà ſe invicem ut me cognoſcant, nam omnes me cognoſcent.* 1 Joann. 2. *Vos unctionem habetis, & noſtis omnia. Et unctio quam accepiſtis ab eo, manet in vobis; nec neceſſe habetis ut aliquis vos doceat, ſed ea unctio vos docet de omnibus.*

Quibus ut breviſſimè & ſummo cum compendio reſpondeam. Primò, ad illud *Joelis* reſponſum eſt anteà, quod & hîc repeto: *noviſſimos* ſcil. *dies* non intelligendos eſſe de diebus noviſſimis mundi, ſed de diebus noviſſimis *Hieroſolymorum*. Ad illud *Iſajæ*, quod & repetit *Chriſtus*, *Omnes erunt docti à Deo*; reſpondetur, quòd ſi de *Iſraëlitis* intelligendum, edocti fuerant illi ſub Lege à Prophetis, ſed ſub adventu Euangelii edocti fuerant ab ipſo Deo, nempè Salvatore, Deo in æternum benedicto. Quo ſenſu & Apoſtolus *Hebr.* 1: 1. *Locutus eſt olim Deus Patribus in Prophetis; at ultimis hiſce diebus locutus eſt nobis in Filio.* Si de Gentilibus intelligendum, docti fuerant illi olim à Diabolo; at ad lucem Euangelicam congregati, *omnes docti erant à Deo.*

Ad illud *Jeremiæ*, *Non docebit ultrà vir fratrem ſuum, dicens, Cognoſce Dominum, nam omnes me cognoſcent*; dupliciter poteſt reſponderi. Primò, quòd *cognitio* non hîc ſumatur pro mera & nuda cognitione Dei, ſed & pro amore. Secundò, innuit Propheta, non opus fore ſub Euangelio Proſelytorum allectione, quali uſi ſunt ſub Lege, ut Gentiles ad cognitionem Dei adducerentur; nam omnes Gentiles jam congregandi.

Quod ad *unctionem*, de qua loquitur *Joannes*, quidam qui de Spiritu intelligunt, pro nobis reſpondent, quòd hoc ſibi voluerit Apoſtolus, quòd nihil ille jam ſcribat aut doceat per Epiſtolam, quod non illi priùs guſtaverant per gratiam: ita ut ipſe commonefaciat, potiùs quàm doceat. At rectiùs alii, meâ quidem ſententiâ, qui per *unctionem* intelligunt Verbum prædicatum, per quod hi ad quos ſcribit *Joannes* anteà edocti, omnia norunt quæ ad ſe muniendos contra graſſantes errorum turbas atque impetus, de quibus loquitur Apoſtolus verſibus proximè antecedentibus, ſatis conducant. Sic promiſſio per Prophetas promulgata nuncupatur *Oleum*, aut *Unctio*. Iſaj. 10: 27. *Auferetur in illo die onus ejus ab humero tuo, & jugum ejus à cervice tua; & perdetur jugum*

gum propter unctionem, hoc eſt, propter promiſſionem factam ſtirpi *Davidis*. Eodem modo dicitur nomen *Chriſti*, per Euangelium prædicatum, *unguentum effuſum*, Cant. 1: 3.

Quæ alia contra ſententiam noſtram proferuntur Scripturæ loca, hîc non enumerabimus.

III. Ubi deſiit finis revelationum, deſinat etiam oportet expectatio revelationum. At deſiit jamdudùm finis revelationum. Ergò.

Majorem qui negaverit, expectet ille per me licet revelationes in nullum finem & in infinitum. Minorem probamus ex animadverſione proprii finis revelationum; qui verè hic fuit, ut detegeret Deus ſe, Filium & Spiritum ſuum, & ſuam voluntatem. At hæc omnia ita ſunt in Scriptura Sacra elucidata, ac aperta, ut non ſolùm non neceſſe ſit, ſed & non poſſibile, ut quidquam addatur amplius aut altius. Poſt tot Prophetiæ & Revelationum oracula in Veteri Teſtamento, poſt Filium Dei in Novo clarè omnem Dei voluntatem aperientem, poſt Spiritum Sanctum in donis ſuis tam abundanter & ultrà omnem ferè menſuram effuſum, atque in omnem veritatem Apoſtolos prædicantes dirigentem, ac poſt omnia ſcitu neceſſaria in Sacro Canone comprehenſa & conſcripta; quid jam reliquum eſſe poſſit, ad quod expectare liceat revelationes? Aut quis jam reliquus earum finis? An ad explicandam Scripturam? Clavem ſuam ipſa ſecum portat. An ad novos articulos fidei generandos? *Scrutamini Scripturas, nam in illis expectanda æterna vita, & hæ ſunt quæ de Chriſto teſtimonium perhibent.* An ad dirigendam vitam? *Lex Dei eſt lux pedibus noſtris, & ſemitis & greſſibus noſtris lampas & lucerna.* An ad prædicenda futura? Hîc hæſitant nonnulli: & hîc paulùm nos ſiſtamus greſſus.

Producuntur in medium exempla plurima, tam antiqua, quàm recentiora, Sanctorum quorundam hominum, qui divini Spiritûs revelatione illuminati, longè & procul futura clarè præviderunt, prædixerunt veriſſimè. Citantur prædictiones, aut Propheticæ quædam præmonitiones *Lutheri*, *Huſſii*, *Knoxii*, aliorum plurium, qui futura nonnulla ac ſi coram præſentia ita certè prædixerunt, ut nonniſi divinâ aliquâ revelatione edocti, edocere hæc poſſent.

I. Non negetur. At parùm hoc facit adverſus quæſtionem noſtram. Nam concedatur licèt tales revelationes ſanctis hiſce viris conceſſas fuiſſe; parùm tamen indè ſequitur, tales revelationes ab iſtis viris expectandas fuiſſe. Aliud eſt aſſerere de facto, aliud de jure. Deſcendit aliquandò Spiritus Prophetiæ in hominem impium, ut in *Balaamum*, in *Saulum*, in *Cajapham*; at malè tamen indè concluditur, Spiritum Prophetiæ ab impio expectandum eſſe. Aliud eſt quærere quid poſſit fieri, aliud quid liceat expectare. Aſſerimus in Theſi noſtra, quòd poſt conſignatum Sacrum Canonem, non opus ſit, imò quòd non deceat, imò quòd non liceat, novas revelationes expectare. Idem etiam de exemplis prolatis aſſerimus; quòd licèt revelationes iſtas viris illis dignari non abnuerit Deus, illis tamen eas expectare non fuerit opus, non fuerit æquum.

II. Loquimur in quæſtione noſtra de novis revelationibus, hoc eſt, ac ſi vicem Scripturæ ullo modo ſuppleturis, vel pro norma fidei futuris, vel pro norma morum. Jam ergò ſi concedatur veras & meras fuiſſe has quas loquimur revelationes, minimè tamen in uſum ceſſerunt talem, tam inſolitum, tam inſolentem; ut facile eſt ex ipſis rebus prædictis & prædicatis obſervare.

III. Prædicta ſunt quamplurima futura ab hominibus quamplurimis, verè & eventui conſonè, non ex immediato aliquo afflatu aut revelatione, ſed ex lectione Scripturæ, & obſervatione & experientiâ, ut in plurimis horum exemplorum demonſtrari poſſet, ſi non nimiùm eſſet. Sed brevitati ſtudemus. Hæc ergò inpræſentiarum ſunto ſatis.

FINIS.

Digitized by Google

IN

PRÆFATAM QUÆSTIONEM CARMEN AUTHORIS.

SIc evaneſcunt exorto ſydera Sole,
Et pudefacta caput Luna inter nubila condit.
Sic triduo exacto, prima ad cunabula mundi,
Quo Solem & Lunam non vidit terra, nec æther,
Sed ſine Sole diem. (Nam tùm ſcintillula lucis
Pauper erat mundo candelula pauperiori,
Nec fax infanti jam clarior affuit orbi.)
Cùm tandem caput exereret, curruque triumphans
Prodiret cæli Sol fulgentiſſima lampas,
Igne coruſcantes quaſſans, & lumine crines,
Perque omnem radios terram perque æthera ſpargens,
Attonitum miro mundum fulgore replevit.
Obſtupuit natura novo ſplendore, memorque
Lippæque atque hebetis, quam viderat anteà, lucis,
Mutatamque videns tam magno fœnore tædam,
Vix oculis credit ſtupefacta: atque, Eſt ſatis, inquit,
Ulteriùs lucis quid non expecto, nec opto.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Locorum Scripturæ quæ in I. Volumine citantur & explicantur.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

Cap. 1: 1. 249
:28. 291
2: 1. ibid.
: 4. 167, 274
3:15. 155, 284
:20. 251
4: 7. 215
6: 2. 197, 252
9:27. 352
10:24. 351
11: 1. 211
: 5. 252
: 7. 212
15:13. 14
19:33. 48
21: 1. 284
:33. 14
26:19. 456
27:40. 258
30:7, 10. 307
33:19. 461
37: 2. 274
42:37. 358
49: 7. 42
:10. 257, 325
:22. 46

Exodus.

Cap. 12: 4. 731
: 6. 730
:10. 158
:18, 19. 729
:39. 728
:40. 163
:46. 727
13:12. 717
15:22. 477
16:37. 714
18: 6. 283
22:28. 197
:29. 617
23: 6. 743
:17. 617
24: 6. 648
26: 5. 180
28: 4. 651, 681
:36. 682
:42. 650
29:39. 730
30:18, 20. 643
:23. 651
33:14. 315
38: 8. 643

Leviticus.

Cap. 1: 3. 702, 716
: 4. 703
: 5. ibid.
: 9. 625
:10, 11. 639
2:13. 625, 704
3: 8. 704
4: 2. 705
: 3. 706
:13. ibid.
:15. 689
6: 9. 702
:13. 755
8: 6. 650
13:12, 13. 513
23:10, 11. 742
:20. 743
:40. 748
28:42, 43. 341

Numeri.

Cap. 2. 227
4: 3. 691
:22. 252
5:15, 18. 754
6:24, 26. 268, 722
8:24. 691
10:10. 696
:35. 63
13:29. 256
14:33. 43
15:24. 707
18:10. 710
19: 4. 750
22:22. 208
24:24. 196
33:41. 37
34:11. 498

Deuteronomium.

Cap. 5:15. 177
6:13. 360
7: 1. 328
9:21. 175
16:11. 743
18:15. 331
22: 8. 572
:12. 578
24:13. 264
25: 2. 677
26: 3. 755
29:29. 39
32: 1. 97
: 8. 213
:21. 353
33: 2. 229
:11. 269
:12. 612

Joſua.

Cap. 3:10. 328
12: 3. 496
19:22. 447
24: 1. 659

Judices.

Cap. 5:14. 477
8:27. 185
14:20. 450
18: 5. 187
20:27, 28. 186

Ruth.

Cap. 1:16. 609
3: 9. 272
:13. 48

I *Samuelis.*

Cap. 1: 3. 716
: 9. 659
2: 4. 685
3: 3. 584
9:24. 158
15: 6. 44
22:10. 187
:19. 659
23: 6. 187
28: 6. 186

II *Samuelis.*

Cap. 1: 9. 681
:18. 37
7:19. 271
16:14. 67

I *Regum.*

Cap. 6:16. 584, 588
:31.

Digitized by Google

:31. 587
:36. 569
7:15. 127
:17. 577
:18. 578
:19. 579
:21. 580
:27, 37. 647
8:65. 631
10:12. 603
15:17. 608
:20. 498
18:29. 715
20:42. 85
22:28. 99

II *Regum.*

Cap. 5: 6. 283
8:18. 277
9:27. 88
11: 4. 89
: 5, 7. 602
: 6. 629
:16. 560
12:10. 624, 689
13: 5. 90
14:28. ibid.
16:18. 629
17: 9. 269
18:11. 275
21:10. 113
23:13. 557
24: 8. 87
:12. 128
:14. 115

I *Paralipomenon.*

Cap. 1: 5. 631
2: 6. 24
3:19, 20. 278
12:32. 477
16: 5. 697
23: 4, 5. 603
24: 6. 258
25: 1. 695
26:15. 560
:16. 559
:17, 18. 694
:20. 561
29: 3. 588

II *Paralipomenon.*

Cap. 3: 3. 567
: 9. 588
:15. 127, 577
:16. 578
4: 1. 630
: 5. 647
8:14. 694
9:11. 603
14: 1. 81
16:12. 82
20: 5. 592
21: 7. 351
22: 1, 2. 277
: 8, 9. 88
:11. 567
23: 4. 603
:15. 560
:24, 27. 691
24: 7. 638
: 8, 14. 625
25:24. 560
26:17. 683
28:22. 182
29:25. 697
:27. 698
30:24. 741
35: 3. 589
: 7, 8. 741
:13. 713
36: 9. 88

Ezra.

Cap. 1: 8. 690
: 9. 648
6: 4. 569
7:21. 690

Nehemia.

Cap. 3: 8. 571
8: 2. 614
11:31, 32. 659
12:25. 560
:27. 697

Jobus.

Cap. 1:21. 206
12: 9. 169

Pſalmi.

Pſalm. 2. 77
:7. 172
:10. 216
9: 1. 55
16:10. 481
22:16. *ibid.*
42: 1. 71
45:13. 156
49:13. 154
50: 1. 71
73: 1. *ibid.*
74: 4. 473
78. 163
79. *ibid.*
80: 1. 71
82: 1. 310
84: 1. 71
87: 1. *ibid.*
88: 1. 71
89:28, 29. 366
99: 6. 163
105:28. 171
110: 3. 154
118:25. 748
:27. 638
132: 6. 54
133: 2. 651

Proverbia.

Cap. 25: 1. 105
30:15. 95
:19. 280

Canticum Canticorum.

Cap. 1: 5, 6. 156
3: 7. 628
6:12. 221
:13. 278

Iſajas.

Cap. 2: 1, 3. 496
: 2. 313, 493
: 6. 300
6: 1. 651
:13. 559
7: 8. 97, 111
:14. 255
:17. 102
8: 3. 280
:18. 481
9: 1. 487
10:32. 659
:33, 34. 322
11: 1. 217, 309
: 2, 3. 183
: 4. 287
: 6, 7. 155
14:28. 106
20: 1. 113
21: 5. 133
:10. 332
28: 1. 461
29: 1. 636
40: 1. 109
42: 1. 537
44:28. 135
52: 7. 496
54: 5, 6. 267
:13. 496
60: 4, 9. 267
: 6. 294
:14. 248
61: 2. 314
62: 5. 267
63: 5. 493
65:17. 314
66:12, 13. 267

Jeremias.

Jeremias.

Cap. 6: 13. 303
7: 31, 32. 557
8: 10. 303
17: 21, 22. 535
19: 6. 557
20: 2. 619
22: 19. 115
: 24. 275
: 30. 258
25: 10. 283
: 11. 139
26: 18. 108
29: 10. 139
32: 44. 257
35: 4. 567
36: 10. 601
38: 14. 629
51: 31. 133
52: 21. 127

Threni.

Cap. 2: 8. 591
: 19. 465
: 22. 497

Ezechiel.

Cap. 1. 651
: 13. 659
4: 5. 97
: 6. 113
8: 3, 5, 14. 619
9: 3. 650
10: 6. 657
: 6, 7. 654
: 14. 652
21: 31. 258
34: 12. 521
36: 25. 327
: 25, 26. 440
40: 5. 555
: 49. 579
42: 13. 710
: 20. 555
43: 3. 655
: 13, 14. 633
: 16. ibid.
44: 2. 655
46: 1, 2. 605
47: 1. 613

Daniel.

Cap. 2: 44. 314
3: 19. 621
4: 25. 432
7: 14. 314
: 21. 665
8: 8. 664
: 10. 665
9: 21. 715
: 25. 142
: 26. 293
: 27. 340
11: 2. 662
: 4. 664
12: 1. 288
: 7. 340
: 11. 666

Hoſeas.

Cap. 1: 4, 5. 98
2: 14. 41
: 15. 460
: 20, 23. 468
3: 2. 32
4: 2. 91
9: 15. 659
10: 14. 103
11: 1. 252
12: 11. 659

Joel.

Cap. 1: 2, 4. 92
2: 28. 313

Amos.

Cap. 1: 1. 93
2: 1. 87
5: 3. 305
7. 91
: 4. 92
: 9. ibid.
9: 13, 14. 468

Obadia.

Verſ. 3. 322

Jona.

Cap. 1: 16. 209
2: 5. 204

Micha.

Cap. 4: 1. 313, 493
6: 16. 82

Habacuc.

Cap. 2: 4. 175, 251
3: 2. 54, 165

Haggai.

Cap. 1: 8. 266
2: 7. 310, 325

Zacharia.

Cap. 1: 12. 139
3: 2. 642
7: 4. 139
11: 1. 604
: 8. 320
: 12, 13. 481
12: 10. 116
14: 5. 93
: 20. 648

Malachias.

Cap. 1: 2, 3. 16
: 9. 266
3: 1, 2. 310, 570
4: 4. 320

I *Maccabæorum.*

Cap. 1: 1. 198

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæus.

Cap. 1: 25. 289
3: 2. 433
4: 6. 573
: 12. 459
5: 3. 229
6: 5. 724
7: 2. 205
: 24, 25. ibid.
: 29. 303
8: 4. 716
9: 37. 205
10: 9, 10. 723
: 17. 433
12: 12. 733
: 32. 495
: 36. 91
13: 52. 302
15: 2. 517
16: 19. 319
18: 17, 20. 475
20: 1. 229
: 20. 434
21: 14, 15. 592
: 33, 35. 98
: 43. 433
: 44. 609
23: 19. 637
23: 27. 523
: 36. 91
25: 33. 608
26: 17. 172
: 26. 738
: 29. 740
: 67. 724
27: 6. 623
: 51. 587

Marcus.

Cap. 1: 14. 459
: 15. 231
6: 27. 217
7: 3. 736
: 7, 9

7: 7, 9. 517
12: 35. 302
: 41. 598
14: 12. 172
: 22. 738
15: 43. 616

Lucas.

Cap. 1: 15, 41, 67. 363
: 22. 722
2: 22. 604
: 37. 567
: 39. 297
3: 2. 688
: 3. 429
: 21. ibid.
4: 17. 207
7: 30. 321
13: 33. 742
15: 18. 196
16: 20. 93
17: 14. 514
18: 9. 320
19: 11. 433
20: 37. 164
22: 7. 172
: 8. 728
: 19. 738
: 52. 663
24: 21. 434
: 44. 221

Joannes.

Cap. 1: 18. 443
: 28. 429
: 40. 499
: 45. 507
2: 14. 592, 711
: 15. 597
: 19. 75
3: 23. 429
4: 5, 12. 160
: 20. 664
: 21. 346
: 35. 429
6: 51. 442
7: 37, 38. 750
: 52. 269
8: 2, 20. 592
: 56. 14
9: 7. 750
10: 23. 565
: 41. 329
12: 28. 343
: 41. 652
13: 1. 172
13: 10. 717
: 23. 734
: 29. 728
18: 28. 729, 741
: 36. 77
: 38. 316
21: 7. 723
: 18. 293
: 20. 734

Acta Apoſtolorum.

Cap. 1: 5. 331
: 6. 214, 434
2: 4. 363
: 27. 759
3: 1. 565
: 2. 593
4: 1. 563
7: 2, 3. 12
: 7. 314
: 14. 212
: 22. 25
8: 18. 363
9: 17, 18. 449
10: 44. 363
13: 1. 471
: 14. 439
: 15. 477
: 21. 53
: 52. 363
15: 21. 439, 479
19: 2. 165, 363
21: 26, 27. 597
22: 3. 439

Epiſt. ad Romanos.

Cap. 1: 4. 346
9: 14, 15. 16
10: 15. 496
13: 14. 650

Ad Corinthios I.

Cap. 1: 20. 303
: 21. 309
5: 5. 505
7: 39. 445
10: 4. 175
: 16. 740
11: 4. 725
: 21. 740
: 24. 738
14: 5. 303
16: 22. 207

Ad Corinthios II.

Cap. 5: 4. 650
: 21. 707
11: 24. 677
13: 10. 722

Ad Galatas.

Cap. 1: 14. 517
2: 9. 501
3: 17. 21, 163
: 27. 650

Ad Epheſios.

Cap. 1: 6. 537
4: 9. 760
: 22, 24. 650

Ad Philippenſes.

Cap. 3: 20. 443

Ad Theſſalonicenſes I.

Cap. 5: 8. 650
: 20. 303

Ad Timotheum I.

Cap. 1: 20. 505
5: 17. 477

Ad Timotheum II.

Cap. 3: 8. 207

Ad Titum.

Cap. 3: 5. 437

Ad Hebræos.

Cap. 9: 19. 329
10: 19, 20. 588
11: 21. 23
: 37. 111
12: 6. 16
13: 11. 707

Epiſt. Petri I.

Cap. 1: 3. 425
: 18. 517
3: 19. 760
: 21. 437, 449

Epiſt. Judæ.

Verſ. 11. 155

Epiſt. Joannis I.

Cap. 2: 2. 445
: 16. 225, 361
: 20, 27. 651

Apocalypſis.

Cap. 1: 13. 186, 650
: 15. 657
3: 4. 595
: 4, 5. 650
7: 9. 595, 650
11: 1, 3. 555
: 2. 712
: 3. 340
15: 3. 699

INDEX

Digitized by Google

I N D E X

Rerum quæ in I. Volumine continentur.

A.

Aron quare non punitus cum cæteris Iſraelitis. 178
quid ſignificet. 25
ejus murmur contra Zipporam. 34
Ab Beth Din quinam dicebatur apud Judæos. 310, 608
Abel & Cain gemelli. 154
ejus fides demonſtratur in materia ſacrificii. ibid.
Abel Maim, ejuſque ſitus. 447
Abiæ ordo quo tempore anni miniſtraret in Templo. 252
Abimelech erat commune nomen Regum Philiſtinorum. 284
Ablactare puerulos perquàm tardè ſolebant Judæi. 302
Abraham quando natus. 12
ejus altaria. ibid.
an fuerit Taræ filius natu maximus. 238
quare vocetur primus inter Taræ filios. 239
an bis in terra Canaan iter inſtituerit. ibid.
eum Patrem ipſorum eſſe ſolebant jactare Judæi. 322, 435
Abſalon pro tempore fit Naziræus. 66
eodem modo cogit Joabum ad ſe venire, ut Deus homines ad ipſum venire cogit. ibid.
quo Davidis anno plebem ad defectionem ſollicitare cœpit. 309
per biennium Hieroſolymis è conſpectu patris ſemotus manſit, antequàm deficeret. ibid.
per triennium Geſchuris exulavit. ibid.
Abyleues regio ex urbe Abyla nomen accepit. 317
fuit ſita in Cœloſyria. ibid.
forſan ab Havila poteſt habere nomen. ibid.
Academiæ Judæorum. 42
Achan quare à Spiritu Sancto vocetur Achar. 461
Achar vallis intercurrit inter Gerizim & Ebal. 460
quomodo dicatur ab Hoſea eſſe ad aperiendam ſpem. ibid.
Achaziæ computatio annorum magnam habet difficultatem. 242
regnum quare peculiari computo numeretur. 243
initium ejus regni à quo tempore numerandum. ibid.
mater quare vocetur filia Omri. 88
Achazus quare vocetur Rex Iſraëlis. 244
eum propter ſcelera infamem reticere omninò placuit Spiritui Sancto in aliquibus rebus geſtis. ibid.
anno decimo genuit Ezechiam. 104
moritur privatus. 105
Acra mons, ejuſque ſitus. 553
Ada Eſavi uxor quare ſic vocata. 16
Adam quâ horâ creatus. 154
ejus lapſus. 223
eum proprio arbitrio labi Deus permiſit. 224
quamdiu vixiſſet ſi non peccaſſet. 5
ejus dominium in omnes creaturas. 2
in quo differat à dominio Noachi. 9
quare poſt peccatum ad laborem damnatus. 2
lapſus ipſo quo creatus eſt die. ibid. 203
& ſacrificavit. 203
quid egerit die proximo. ibid.
ejus Sabbatum. 2, 203
ab eſu carnium cohibitus. 9
eum liberos genuiſſe ex Diabolis Judæi fabulantur. 197
ejus quatuor mulieres. ibid.
tantum audivit in horto, quantum in monte Sinai Iſraël. 228
uno ictu fregit ambas tabulas & omnia præcepta. ibid.
& Eva Hebrone ſepulcra habuerunt. 272
non magis propriè erat filius Dei, quam quivis vir ſanctus. 350
ei primum promiſſum eſt factum, ſepoſito omni perſonarum reſpectu. 353
ab illo quare Chriſti Genealogia deducatur. 402
ſecundus ſimiliter ac primus tentatus eſt; ſed ille vincit, hic vincitur. 357
ſuperat Satanam in tentationibus conſimilibus, à quibus Adamus primus ſuperatus erat. 361
Adar repetitum qualis menſis fuerit apud Judæos. 259
Adolere bis per totum vitæ ſuæ curſum, præter Pontificem Maximum, nulli Sacerdoti permittebatur. 264

Adorare coram ipſo Diabolo nihil aliud eſt quàm ipſum Diabolum adorare. 360
coram imagine idem quoque planè eſt ac adorare ipſam imaginem. ibid.
Deum in aliquibus excelſis licuit. 474
Adventus Chriſti dicitur Conſolatio. 293
Adulterii accuſare uxorem apud Judæos nemo tenebatur, niſi qui in ipſo actu eam deprehenderit. 279
leges variæ circa hanc rem. ibid.
Adultos quomodo baptizabant Judæi. 449
Ædificium Gazith quare ita fuerit vocatum. 608
à quo fuerit conſtructum. ibid.
ejus pars erat intra Atrium, pars extra Atrium. 607
Ægypti nomen unde derivetur. 173
Ægyptii agnoſcebant unum Summum Numen. 169
quid de Jehova ſenſerint. ibid.
quare Iſraëlitas perſecuti fuerint. 28
eorum Numina. 228
Ægyptus pluviâ caret. 225
Æneus Serpens typus execrabilis creaturæ. 444
Ænon erat extra Judæam. 342
ejus aqua è ſuo fonte ipſo illo in loco ſcaturiebat. ibid.
quare ſic dictum. 427
quamdiu ibi commoratus fuit Joannes. 429
& Bethania ſunt diverſa loca. 377
ejus ſitus. 444
eſt nomen ſpatioſiſſimi campi aquarum vivarum ſcaturiginibus abundantis. 477
Ætas quomodo apud Judæos diſtribuatur. 214
mundi cùm populus Judaicus è captivitate Babylonica liberaretur. 246
Sacerdotum cùm miniſterio initiarentur triplex eſt. 691
אולם quid ſignificat. 564
Affirmatione ſimul & negatione ad eundem ſenſum exprimendum uti, communis eſt in Sacra Scriptura elegantia. 377
Afflictio Iſraëlitarum in Ægypto quamdiu duraverit incertum. 225
Ἀγαλλίασις & externam & internam exultationem denotat. 273
Agnus Paſchalis. 171
crudus quare edi non potuerit. ibid.
quare quatuor dies debuerit haberi in cuſtodia. 210
quænam partes in Paſchate debuerint aſſari. ibid.
Agnus Dei quare Chriſtus vocetur à Joanne. 394
nullum epitheton aptius ad deſignandum Chriſtum. ibid.
Ahimeleg & Abimeleg unum idemque nomen. 57
Ahitophel avus videtur Batſebæ. 66
Akiba Rabbi armiger Pſeudo-Meſſiæ. 548
Alabarcha unde originem ducat. 168
Alcoranus Mahummedis deſcribitur ſub pœna mortis, ſi in ulla litera erretur. 218
Alexander Magnus permittit Samaritanis ædificare Templum in Gerizim. 463
Alpheus & Cleophas unum idemque. 406
Alphi apud Hebræos ſignificat & Principes, & mille. 305
Altare ubinam ſteterit in Templo Solomonæo. 641
ſpatium inter Altare & Porticum. ibid.
quare vocetur Ariel. 108
ubinam eſſe oporteret Deus igne deſignavit. 554
priùs reſtaurarunt reduces ex Captivitate, quàm ædificium Templi inchoarent. 570
Suffitûs. 183
Holocauſti. 184
Altitudo omnium Portarum Templi Hieroſolymitani. 556
Templi ipſius. 567
Amalekitæ delata narratio Davidi de morte Saulis non erat mendacium. 59
Amarkalim ſeptem in Templo quinam erant. 679
Amazia quando regnare inceperit. 243
quare regnaverit triennio ante mortem patris ſui Joashi. ibid.
Ambulacra quæ erant intra murum circa Templum. 564
Ambulare cùm metaphoricè uſurpatur, quid ſignificet in Sacra Scriptura. 489
Amen peculiaris uſûs apud Judæos. 379
quare toties à Chriſto in Euangeliis uſurpatum. 400
in Veteri Teſtamento quomodo uſurpetur. ibid.
quid propriè ſignificet. ibid.
quare Chriſtus ſic vocetur. ibid.
Amen, amen quare Joannes ſemper ponat. ibid.
Amiculum Summi Sacerdotis. 185
Amicus ſponſi quiſnam dictus fuerit. 450
Amri quando regnare inceperit. 242
quo anno Aſa id fuerit. ibid.
quomodo dicatur non ultra ſex annos regnaſſe. ibid.
Anabaptiſtæ olim negarunt hiſtoriam de Piſcina Hieroſolymitana. 532
Ἀνακεφαλαιοῦσθαι quid. 425
Andreas, nomen quando in uſu receptum apud Judæos. 379

Andreas etiam in Thalmude notus. 500
Angeli ſimul cum cœlis creati. 2
quando lapſi ſint. ibid.
quare Zeraphim dicti. 99
eos concubuiſſe cum mulieribus falſiſſimum eſt. 197
eorum productio quare Moſi reticeatur. 222
apparentiâ Deus ſub V. Teſtamento magno alicui eventui præludere ſolebat. 265
vocantur exercitus cœli. 291
humanâ ſpecie conſpecti, non verâ carne, ſed aptâ carnis repræſentatione induebantur. 348
hac eorum apparentia quomodo differat à Chriſti incarnatione. 443
Eccleſiæ quinam dicebantur apud Judæos. 439
Angelum nuntium apportantem apparuiſſe ante tempus Zachariæ vix unquam eſt auditum. 266
monſtrat Urim & Thummim in deſuetudinem abiiſſe. ibid.
Angelus quo tempore deſcendebat in aquis Piſcinæ Siloam. 534
quare Deus in hac re ejus miniſterio uti voluerit. ibid.
Eccleſiæ apud Judæos eſt idem qui Miniſter Congregationis. 477
ejus officium in Synagogis Judæorum. ibid.
debebat evocare eum qui lecturus erat in Synagogis. 479
poſt lectionem debebat reponere librum in loco ſuo. 485
Animæ facultates præcipuæ ſunt duæ. 253
Animal ſacrificandum an fuit lavandum antequàm mactaretur. 533
Annales V. Teſtamenti ubinam finiantur. 142
Annas vocatur Pontifex Maximus, quia erat Naſi, ſive Princeps Synhedrii. 317
Anni initium. 171
mutatum. ibid. 210
æquitas hujus mutationis. ibid.
tempeſtas qua natus eſt Chriſtus accuratiùs inveſtigatur. 289
Anni de quibus Gal. 3: 17. *quomodo numerandi.* 21
tres famis ob peccatum Saülis quando inceperint. 68
captivitatis Babylonicæ quando inceperint. 118, 139
quot à Creatione ad Diluvium. 238
à Diluvio ad mortem Teræ. ibid.
à promiſſione facta Abrahamo ad liberationem populi ex Ægypto. 239
ab exitu Iſraëlis ex Ægypto uſque ad fundationem Templi Solomonis. 240
Anni à perfectione Templi Solomonis ad diſceſſionem decem Tribuum. ibid.
in libris Regum, Paralipomenon, aliquando ſumuntur pro integris, aliquando pro currentibus. 241
70. *captivitatis Babylonicæ à quo die numerandi.* 245
Judæorum per menſes lunares erant diſtincti. 259
ſtructuræ Templi quomodo numerandi. 419
tres. Vide *Tres.*
Annos Embolimæos quinam & quomodo impleverint apud Judæos. 258
Annum currentem utcunque nuperrimè inchoatum Scriptores Sacri in ætatibus hominum recenſendis ferè ſemper totali ſummæ annumerant. 350
Annus numeràtus apud Judæos per menſes lunares. 171
nativitatis Chriſti. 238
mortis ejus fuit Jubilæus. 177
ſenſu ſpirituali. 484
Jubilæus. Vide *Jubilæus.*
Ἀνωθεν quid ſæpiſſimè ſignificet tam in ſacris, quàm in prophanis Autoribus. 425
Ἀντὶ ad cauſam finalem valdè propriè refertur, non tantùm in ſacris, ſed etiam prophanis Autoribus. 383
Antichriſtiana Gens ſimul cum Euangelio nata. 493
Antichriſtus exortus ante Chriſti adventum. 77
Antigonus quando in patibulum actus. 298
Antigonus Socæus quiſnam fuerit. 610
ejus doctrina. 320, 520, 610.
Sadoki Magiſter, unde Sadducæi. 520
Antiochi per furorem non licebat Legem populo propinare. 259
Antiochiam excepturam Euangelium Zacharias prædixit. 141
Antipater Herodis pater primus è familia illa illuſtris. 453
fuit Idumæus. ibid.
ejus uxor. ibid.
Phaſaelum Hieroſolymis cum confiniis præponit. 298
Herodis filius quinque diebus ante patrem extinctus eſt. 307
Antonia turris locus in quo Sacerdotes deponebant veſtes ſacras. 563
quare ita fuerit vocata. ibid.
Apocryphi Libri quando conſcripti. 143
id non factum dictamine Spiritûs Sancti. ibid.
eos pro Canonicis habere impoſſibile eſt. 216
אפוד *quotuplex.* 185
Apographum Proverbiorum Solomonis in purgatione Templi inventum 105

Digitized by Google

Apoſtoli in citationibus ex V. Teſtamento non tam de vocum minutiis quàm de mente loci fuerunt ſolliciti. 315
quid ſpecialiter ex Chriſti plenitudine acceperint. 383
quomodo viderint Angelos deſcendentes & aſcendentes ſuper Chriſtum. 401
quare etiam geſtarunt Phylacteria. 476
Apparitiones ſub Veteri Teſtamento non fuerunt vera & genuina corporum qua videbantur ſubſtantia, verùm hujus umbra quadam & ficta ſpecies. 348.
Aqua in regeneratione Nicodemi an ſit Baptiſmus. 436
viva qualis vocari ſolet apud Judæos. 456
In Scriptura vocatur Spiritus gratiæ. 465
Aqua quantitas quæ requirebatur in Baptiſmate Judæorum. 448
Porta in Templo ubinam fuerit ſita. 607
Aqua Siloam exhibebant Davidis & Chriſti regnum. 532
Aquarum inſpector ſemper debebat eſſe Sacerdos. 430
Arabes Chriſtiani res ſuæ Religionis in Turcia linguâ Arabicâ, ſed charactere Syro deſcribunt. 215
Arabica lingua ejuſque laus. 218
Arabs חקים *ſemper vertit* δικαίωμα. 264
Arauna è regio ſanguine Jebuſæorum. 69
Arca typus Chriſti. 182
ejus dimenſiones. 5
quot cubitis aquis innatarit. 8
quamdiu fuerit in terra Philiſtæorum. 54
Arcam habebat quævis Synagoga. 476
cui uſui inſervierit. ibid.
Archelaus Herodem excepit, & uſque ad annum Chriſti decimum regnavit. 288
à Judæis accuſatus ab Auguſto Viennam relegatur. 308
Ἀρχισυνάγωγος *quinam dicebatur.* 477
ejus officium in Synagogis Judæorum. ibid.
Architecturæ quæ Portam Templi Hieroſolymitani exornabat altitudo. 555
Ἀρχιτρίκλινος *quiſnam dicebatur apud Judæos.* 404, 413
an fuerit idem qui Sympoſiarcha Græcorum. 404
Arcûs uſus juvenes Judæi addiſcunt. 59
Area Chriſti quinam dicuntur. 332
Areta Regis Arabiæ filiam Herodes abdicat. 447
Arrianorum error circa Chriſtum refutatur. 537
ארז"ל *quid apud Thalmudicos.* 219
Artaxerxes Prorex à Patre relinquitur. 136
nomen commune Regum Perſiæ. 137
Aſſuerus regnavit quatuordecim annos. 138
tres annos fuit ſine Regina. 137
Darius eſt Darius Hyſtaſpis. 139
Articuli fidei credentis Judæi ex Lege Moſis. 175
Ἀσκαρίζω *quid ſignificet apud Medicos.* 256
Aſcendere vel deſcendere dicuntur in Sacris quicunque iter ſuſcipit, & quacunque proficiſcatur. 285
Aſer fuit in Galilæa. 406
Aſhima Samaritanorum quid ſibi velit. 463
Aſmonæi abrepti cupidine dominandi omnia in Republica Judæorum perturbarunt. 258
Aſnappar quiſnam fuerit. 111
Aſperſio aquæ apud Judæos etiam vocatur Baptiſmus. 450
Aſſyria Monarchia quibus gradibus invaluerit. 112
non eſt prima 4. Monarchiarum. ibid.
ejus Reges. ibid.
Aſuppim an fuerint Theſauri Templi Hieroſolymitani. 560
Atriorum Templi latitudo. 415
Atrium Gentium quale vocetur à Scriptoribus Chriſtianis. 415
unde tale ſortitum ſit nomen. ibid.
ejus quinæ fuerunt portæ. ibid.
earum nomina. ibid.
quomodo à Fœminarum Atrio diſtinctum. ibid.
Iſraëlis ſanctius erat Atrio Mulierum. 674
Mulierum. 415
ſeparatum erat ab Atrio Iſraëlis altiſſimo muro. 600
in Templo ſanctius erat, quàm ſpatium intermurale. 674
populi. 184
Sacerdotum ſanctius erat Atrio Iſraëlis. 674
extra Templum quale. 415
Ave Maria non poteſt eſſe precatiuncula. 270
Auguſtus ſic dictus eſt ob præclaram Reipublicæ adminiſtrationem. 287
quomodo aliàs dicebatur. ibid.
nomen hoc accepit Munacii Planci conſilio. ibid.
quid ſignificat. ibid.
quo anno illius natus eſt Chriſtus non facilè eſt determinare. 289
quot annos regnaverit non eſt adeò certum. ibid.
fertur eum fuiſſe molitoris nepotem. 416
Auricularis confeſſio. Vide *Confeſſio.*

Auſtralis

Auſtralis pars Judææ quænam fuerit, & ubinam terminata. 256
Porticus non eſt idem cum Porticu Solomonis. 564
Authoritas Septuaginta Interpretum. 206
Azaria & Uzia unus idemque Rex. 91

B.

ב *apud Hebræos denotat nunc locum, nunc inſtrumentum.* 326
Baal & Boſchet idem. 60
Baaza quo anno Aſæ aſcenderit contra Judam. 241
quare Romam exſtruxerit. 242
Babylon quâ occaſione exſtructa. 110
quare deſertum maris appelletur. 111
ejus regnum quo tempore exortum. 103
Monarcha totius orbis. 131
ejus Monarchia quamdiu duraverit. 132
Babylone remanſere plurimi Judæi poſt ſolutam Captivitatem. 501
ibi fuerunt celeberrimæ Academiæ Judæorum. ibid.
Babyloniorum Gens vaga undenam ducat originem. 464
Baculum in Templum ferre Judæis non licuit. 417
Baithus & Sadok duo primi Schiſmatici inter Judæos. 520
negarunt reſurrectionem. ibid.
negarunt totam Legem non ſcriptam. ibid.
facti ſunt Samaritani. ibid.
Baithuſæanorum Secta, eorumque origo & dogmata. 320
Balaam maledixit Romæ. 37
Baptiſmus cùm primùm inſtituebatur, Sacramentum erat per quod ſoli Ethnici in veram Eccleſiam & Religionem deducebantur. 267
fuit ritus Judæorum, ſed poſtea etiam ipſis Judæis adhibitus. 314
apud eos à quibuſnam adminiſtratus. 449
ejus exercitium & praxis à quo tempore apud eoſdem. 390
Chriſtianorum Baptiſmi natura. 318
etiam ad infantes pertinet, etiamſi quid ſit pœnitentia protinùs ignorent. 319
ejus finis duplex. 327
quare Circumciſionis vices ſuppleverit. 328
ſumma aptitudo inter ſignum & rem ſignatam. ibid.
illius typi, atque de eo prædictiones. ibid.
hoc purgatur Iſraël ab Idolis. 54
& peracta eſt illius introductio in Eccleſiam viſibilem ad montem Sinæ. 329
inter Joannis Baptiſmum & Chriſti nulla eſt differentia quoad eſſentiam. ibid.
an fuerint per immerſionem, vel per aſperſionem. 449
non differebant inter ſe realiter, quamvis populus id ſomniaret. 450
Joannis & Chriſtianorum inter ſe conferuntur. 330
Joannis non opus habuit repetitione. ibid.
in quibus conveniat cum purificationibus Judæorum. 449
de eo quare Judæi nihil interrogant. 390
ad Chriſti patefactionem duobus præſertim modis ſpectabat. 394
ejus finis novus & à Judæis inauditus. ibid.
Spiritûs Sancti quid illa phraſis oſtendat. 331
uti à Joanne adminiſtrabatur an fuit pars aliqua Legis a Chriſto implenda. 338
an ſit pars juſtitiæ diſtributivæ. ibid.
ritibus legalibus ſub V. Teſtamento fuit præfiguratus. 339
eum ſolus Chriſtus inſtituit. 336
Chriſti tempus, locus, modus. 340
in initio Evangelii neceſſarius. 385
hoc Sacramentum à Chriſto inſtitutum optimè quadrat cum ritibus Judæorum. 392
ejus quare Chriſtus non præſcripſerit regulas. ibid.
eum quare Apoſtolus vocet Lavacrum regenerationis. 437
illum inter diſcrimen & Phariſaicas lotiones. ibid.
ejus virtus conſiſtit in interna Spiritûs Sancti efficacia. ibid.
infantum. Vide *Pædobaptiſmus.*
Baptizandi in fluvium deducti aſpergebantur à Joanne. 326
quare id fieri debuit. ibid.
mos apud Judæos antequàm Joannes Baptiſta venit. 447
quouſque is eorum morem imitatus eſt. ibid.
Baptizari coram teſtes debebant Judæi. 390
cur voluerit Chriſtus. 335
Baptizati fuerunt Iſraëlitæ in mari nocte. 210
à Joanne ſimul ac ritus peractus eſſet, ex aqua aſcendentes Deo preces fundebant. 342

Digitized by Google

בראיך Ecclef. 12: 1. quid ſignificet. 347
Baronii cogitationes de adventu Magorum ad Chriſtum. 297
ſententia circa initium regni Herodis. 299
Βασιλικὸς quis ſit in Euangelio. 470
Baſis Lavacri habuit quatuor rotas æneas. 645
ubinam illa fuerint. ibid.
Bath Kol admodùm celebratur apud Judæos. 349
quare eam vocarunt filiam vocis. ibid.
à Judæis habebatur noviſſimum & infimum revelationis medium. ibid.
an unquam fuerit. ibid.
בתולה uſitatiſſimè virginem denotat, ſed non ſemper. 280
Bathus & Epha una & eadem menſura. 410
maxima apud Hebræos liquidorum menſura. 647
Batſebæ verba ad Solomonem referuntur Proverb. 30. 76
Beati pauperes ſpiritu quare omnium primùm in Concione Chriſti. 229
Beelzebul. 208
ultima litera quare à Judæis immutata. ibid. 461
Belſchazar tantùm tres annos regnavit. 134
Benedictiones Jacobi ſunt verba prophetica. 22
Benjamin non computatur in numeratione Iſraëlis. 69
Beſtiæ quot ex omni genere in initio creata. 2
in Arca vixerunt ſine inimicitia, & quid hoc ſignificaverit. 155
Beſtiam occidere Marcion Hereticus vetabat. 232
Bethabara non à Jordane irrigatur. 341
ubinam fuerit ſita. 393
quare ſic fuerit vocata. ibid.
quamdiu illìc fuerit Joannes Baptiſta eſt incertum. 429
Bethania an ſit aliqua juxta Jordanem ſita. 377
Beth Din ſolummodò potuit baptizare apud Judæos. 449
Beth Din Shel Cohanim quale dicebatur apud Judæos. 679
Betheſda à quibuſdam exiſtimatur vox derivata. 526
quare hoc nomine fuerit inſignita. ibid.
Bethleema erat duplex, vel Judææ, vel Galilææ. 294
Judææ diſtat ab Hieroſolymis 35. ſtadia. ibid.
Bethleemæ Chriſtus eſt educatus uſque ad annum ætatis ſecundum. 297
Betphage ubinam. 557
Bethſaida ubinam fuerit ſita. 398
quid ſignificet. ibid.
Bethſemitæ percuſſi erant Sacerdotes. 54
Biblia non punctata occaſionem errandi dederunt 70. Interpretibus. 206
Binæ Chriſti naturæ. Vide Naturas.
Blaſphemia quomodo à Judæis deſcribatur, ejuſque pœna. 495
Boozum tradunt Hebræi Ibtzanem vocari Judic. 12: 8. 274
Bovem flexis genibus adorant Ægyptii. 228
Brevitati ſtudere in rebus notis familiare eſt Sacris Scriptoribus. 278
Britannica lingua ante annos ab hinc mille. 218

C.

Cabaliſta. 200
Cabbala certa & indubitata habita fuit à Judæis. 518
Cabum qualis menſura apud Judæos. 411
חקה Rabbini explicant ſtatutum vel conſtitutio à Deo ordinata, Septuaginta utplurimum δικαίωμα. 264
Cacodæmones viſi tempore tenebrarum apud Ægyptios. 170
Cæcus unuſquiſque naturâ quoad res cœleſtes 483
Cædes Zachariæ filii Barachiæ ubinam committebatur. 642
Ceremonialis Lex ducit ad Chriſtum. 231
Cæſar erat commune nomen Imperatorum Romanorum. 284
Cajaphas an propter Pontificatum ſive officium tum temporis prophetavit. 303
Cain & Abel gemelli. 3, 159
illi primùm pœnitentia eſt annunciata. 3
Cainan à Lucâ commemoratus, ut & à 70. Interpret. an unquam fuerit in rerum natura. 13, 352
ſignificat luctus, lamentatio, & quare 70. tali nomine fuerint uſi. 352
Calamitates prædictæ contemptoribus. 488
fuere majores quàm tempore captivitatis Judæorum. ibid.
Calcaneum Chriſti conterere quomodo Satanas voluerit. 368
Calceis indutus Judæus in Templum non licuit venire. 417
Calcol quiſnam fuerit. 74
Caligo per quot horas toti mundo in initio incubuerit. 1
Camera leproſorum cui uſui in Templo. 415
Cana duplex. 406
ubinam ſita. ibid.
Canaan uſus fuit linguâ Hebræâ ante Joſuæ ingreſſum. 212
Canaan non tantùm Judæam, ſed etiam magnam partem Arabiæ complectebatur. 300
tota diſtinguitur ab Euangeliſtis in Galilæam & Judæam. 316
ejus poſſeſſio Abrahamo Circumciſione quaſi

quaſi ſigillo obſignatur. 327
ideoque non potuit diutius, quàm ibidem permanerent Judæi, continuari. ibid.
eam jamdudum Semo legaverat Noachus. 327
Cananæi Sodomitæ. 80
Canaanitæ quas regiones & quo jure incoluerunt. 327
Candelabrum aureum. 183
Canem adorant Ægyptii. 228
Canonicæ Scripturæ dignitas. 93
Canticum Canticorum quâ occaſione conſcriptum. 77
Capernaum civitas Joſephi & habitaculum Chriſti. 394
quomodo dicatur in cœlum exaltata. 395
in ea Chriſtus fere ſemper reſidebat. 485
an fuerit urbs à reliquâ Galilæa diſtincta. 507
Capillos etiam immergere debebant Judæi in purificationibus. 448
Captivitas Babylonica duplex. 121
confuſionem primam attulit linguæ Hebrææ. 214
tam in Republica, quàm in locorum nominibus, multa permutavit. 304
Captivitatis Babylonicæ 70. anni unde ſint inchoandi. 245
Captivos erutis oculis ſolebant Orientales concludere in carcere. 483
Carnale brachium Deo exoſum. 108
Carnales ritus, & corporeus & cæremonialis cultus, in Regno Chriſti in ſpiritualem debebant permutari. 346
Carnalis Judæorum ſecuritas atque arrogantia. 322
cultus Judæorum ſpiritualem non excluſit. 434
Carnem vocat Moſes Caini prolem, homines luxui & libidini deditos. 252
Caro & homo planè ejuſdem non rarò ſignificatûs. ibid.
quare ſic potiùs Chriſtus à Joanne vocatur quàm homo. ibid.
eam Deo opponere perquam familiare erat apud Judæos. ibid.
חרשא apud Syros ſignificat tam ſurdum quam mutum. 268
Caſtrorum generalis diſpoſitio. 226
Catarractæ cœli. 153
quænam. 6
Cathedra in medio Synagogæ poſita ad lectionem Legis. 479
חטאת quid. 3
Catholici duo in Templo quinam dicebantur. 679
Cedri Dei ſunt pulchræ & valdè proceræ cedri. 291
Celare ſolet Deus in Sacris nomina impiorum & illa oblivioni dare. 177
Cephar eſt vicus apud Hebræos. 404
Cepharnoma quale oppidum apud Joſephum. ibid.
Cephas eſt nomen Syriacum. 396
quid Chaldaicè ut & Hebraicè Chep ſignificet. ibid.
non eſt ſubſtantivum, ſed adjectivum. ibid.
Ceti quare in creatione mundi ſoli nominentur. 153
Chaldæi unde denominationem acceperint. 13
Chaldæa & Hebræa literæ ſunt eædem. 213
quomodo ſcribant nomen Dei. 197
apud Danielem quare ſcriptum in pariete propriâ linguâ conceptum, legere non potuerunt. 218
Chaldaica & Syriaca Lingua aliquando res una fuerunt. ibid.
Chaldaicè conſignavit Daniel quicquid ſub Monarchia Chaldaica factum eſt; cætera Hebraicè, & quare non Perſicè. 134
Characteres quibus Judæi hodie utuntur an ſint à Moſe. 214
Chebron eſt urbs in quam Maria Chriſti mater, cùm eſſet gravida, profecta eſt. 272
eſt hic locus inter urbes non uno nomine præclarus. ibid.
illic Circumciſio primùm fuit inſtituta. 273
Chittæi ſecundùm omnes Judæos & Chriſtianos ſunt Itali. 281
Chizgner quid valeat in Chaldæo Paraphraſte. 305
Chriſtiani character eſt eſſe verè Iſraelita. 399
Chriſtianos quomodò Judæi ſoleant vocare. 464
Chriſtus vixit annos 32. & dimidium. 60
natus menſe Septembri. 75
baptizatus anno vigeſimo nono. ibid.
fuit in figura primum quod in mundo mortuum. 154
quando Paſcha ederit. 172
eodem die cum Judæis. ibid.
decem præcepta non dedit. 28
an Moſen ſepelire voluerit, & quare. 40
recedit è caſtris Iſraelitarum, & quâ occaſione. 45
ejus typus valde illuſtris David fuit. 72
ejus profeſſio erat Templo alligata. 77
quo anno mundi fuerit natus. 246
quamdiu vixerit. ibid.
quo menſe fuerit conceptus à Maria. 269

Chriſtus quare ex Galilæa voluerit emergere. 269
ex Alphabeto Græco quare nomen ſibi aſſumpſerit. 280
noctu fuit natus. 285
nec plus nec minùs quàm ſpatio 32. annorum cum dimidio in terris egit. 289
uſque ad initium trigeſimi anni privatim vixit. ibid.
natus eſt in feſto Tabernaculorum. 290
an ſine parturientis dolore fuerit natus. ibid.
an poſt præſentationem in Templo ſtatim in Galilæam reverſus fuerit. 297
quamdiu in Ægypto moratus fuit. 298
de ejus ætate, quum inter Magiſtros Hieroſolymis diſputaret, quid exactè velle ſtatuere, eſt impoſſibile. 309
quomodo dicatur eſſe facies Patris. 315
eo adventante novum regnum debebat erigi. 319
quale illud fuerit. ibid.
ante ejus adventum Eccleſia etiam rerum terreſtrium promiſſis erat ſuffulta. ibid.
an dicatur ſecuris in N. Teſtamento. 322
num Joannem Baptiſtam uſpiam aquâ baptizavit. 330
quare ipſe fuerit baptizatus. ibid.
ſolus Baptiſmum inſtituit. 336
gratiam impertire poteſt etiam abſque Sacramenti uſu. ibid.
eum etiam antequam baptizaretur omnem juſtitiam Legis impleviſſe credidit Theophylactus. 338
etiam neceſſariò Legem Cæremonialem debuit implere. 339
an per ſe ea præſtare debuit per quæ homines deinceps erant ſanctificandi. 338
quo tempore anni fuerit baptizatus. 340
quo die non adeò certum eſt. ibid.
mortem obiit decimo quinto menſis Abib ſive Niſan. 341
quâ formulâ fuit baptizatus, an novâ, an nullâ. 342
Baptiſmum non accepit ut Sacramentum. ibid.
quales poſt Baptiſmum preces fuderit. ibid.
eum, quum tentaretur, per aëra devectum ſunt qui credunt. 357
ejus tentatio fuit realis. ibid.
quomodo Spiritu S. dicitur plenus, cùm eſſet ipſe Deus. 362
eum an ut Dei Filium in tentatione cognoverit Satanas. 366
erat Spiritûs S. capacior quàm alii homines. 364
an in tentatione ejus à Diabolo tantùm ex apparentia aſſumptus. 369
an fuerit viſibilis, cùm Diabolus eum per aëra transferret. 370
tentatus eſt eodem modo quo Adam. ibid.
in qua parte Templi à Diabolo collocatus. ibid.
quo in loco cum nummulariis in Templo fuerit. 415
quare à regeneratione cum Nicodemo incipiat. 436
etiam baptizavit. 437
in quatuor præcipuè præcellebat Joannem Baptiſtam. 329
Legis æquè ac Euangelii author. 384
generale Legis & Prophetarum argumentum. 398
ejus Miniſterium à quo tempore incipiat. 402
matrimonium non mutavit in Sacramentum. 406
loquitur aliquando de ſeipſo in plurali numero. 440
ſeipſum pro fidei objecto proponit. 442
duplicis incredulitatis accuſat Judæos. ibid.
quomodo dicatur de cœlo veniſſe. ibid.
quid illâ locutione vult indigitare. ibid.
localiter humanam naturam non deduxit de cœlo. 443
verus homo & verus Deus. ibid.
quomodo dicebatur in cœlo dum eſſet in terris. 443
extra eum qui eſt, extra viam ſalutis eſt. 445
in qua parte Galilææ manſionem habuit haud facile eſt determinare. ibid.
quomodo loquatur verba Dei. 451
cur in Galilæam ivit poſtquàm Joannes eſſet in carcerem conjectus. 459
erat omni populo ſuo bonitas Dei. 464
quâ ratione potuit docere in Synagogis Judæorum. 473, 477
in una tantùm Synagoga legit. 479
an unicum tantùm annum ab initio Miniſterii ad mortem prædicaverit. 484
cur tantùm anno à mundo condito quater milleſimo venerit. 493
quomodo paulatim inter Judæos revelatus eſt. 497
quare tot ejecerit Dæmonia ex hominibus. 505
omnes quos tangebat ægrotos ſanabat. 508
an in omnibus civitatibus Galilææ prædicaverit. 510

Digitized by Google

Chriſtus triplicis potiſſimùm generis curavit morbos. 510
ipſius doctrina duobus potiſſimùm capitibus comprehenditur. ibid.
quare ſemper fuerit Hieroſolymis in feſtis. 531
cur ægrotanti imperavit ut lectum Sabbato tolleret. 534
omnia poterat à ſeipſo ut Deus, ſed non ut Meſſias. 537
quomodo ab omnibus Pſeudo-Prophetis diſcrepabat. 548
eum Sanctum vocari à Dæmone expectari non debet. 506
illum Patrem neceſſariis deſtitutum miraculosè ſuccurriſſe volunt nonnulli. 407
Cicera aliquando ſignificat vinum. 254
utplurimùm quodlibet potûs genus inebrians. ibid.
Cimelia Ægyptiorum mutuò accepta. 173
quâ ſpecie Ægyptii illa dare potuerunt. ibid.
Cingulum Summi Sacerdotis quale erat. 681
ex quibus confici debebat. ibid.
Circumciſi Gentiles quomodo in Judaiſmum admittantur. 448
Circumciſio Iſraëlitarum in Ægypto peracta triduo tenebrarum. 170
quare Deus hoc ita diſpoſuerit. 171
ubi & quando inſtituta. 157, 282
inſtituta eodem anni tempore quo Baptiſta natus. 13
in deſerto. 41
quid ſignificet. ibid.
Chriſti erat admodùm neceſſaria. 292
cujus promiſſi fuit obſignatio Abrahamo. 327
eam in Eccleſiam Chriſtianam quinam iterùm inducant. ibid.
quare non niſi poſt aliquot ſecula à mundi primordiis fuit inſtituta. ibid.
non tantùm Iſraëli propria erat, ſed ad univerſam Abrahami proſapiam attinebat. ibid.
inſtituta ut omnis Abrahami ſoboles ab omnibus terrarum orbis familiis dignoſceretur. ibid.
quòd illa die octavo peragi debuit quònam reſpexerit. 209, 328
quare non potuerit ſub N. Teſtamento adhiberi. ibid.
ei Eliam adeſſe ſomniant Judæi. 386
quomodo adminiſtrari ſoleat à Judæis. 387
ejus Miniſtri quinam præcipuè fuerint inter Apoſtolos. 501
data Abrahamo membro generationis quid ſignificaverit. 209
ejus neglectus in deſerto an merè fuerit politicus, an quid myſterii in ſe habuerit, incertum. ibid.
Circumciſus & non baptizatus erat tamen Proſelytus apud Judæos. 390
Cithim quæ loca occupaverit. 198
Civitas magna quænam dicebatur apud Judæos. 475
Civitates mœnibus cinctæ apud Judæos ſanctiores erant reliquo ſolo. 673
ducentæ & quatuor in Galilæa. 510
Civitatum magnarum nomine quid intelligant Thalmudiſtæ. 513
Clangere tubâ. Vide *Tuba.*
Claſſes Sacerdotum à Davide in 24. diſpoſitæ. 258
etiam ante Davidem fuerunt, ſed non tot. ibid.
Sacerdotum & Levitarum miniſtrantium quomodo diſtinctæ. 603
ea quæ die Sabbato Miniſterio ſuo functa erat, quomodo erat diſpoſita. ibid.
reliqua hujus Ordinis vide *in Sacerdotes.*
ſinguli ſeptimanam miniſtrabant, Sabbato opus incipientes. 259
Claudius Tiberius Nero propter intemperantiam vocatus fuit Caldius Biberius Mero. 311
Cleophas. Vide *Alpheus.*
Cœli quomodo dicantur aperiri. 343
eorum apertio quid ſignificet. 401
Cœlum & terra quando ſunt nova facta. 314
Hebræi ſemper in plurali vel duali, Græci in ſingulari efferunt. 343
eſt vel aëreum, vel æthereum. ibid.
quale tempore Baptiſmi Chriſti fuerit ſciſſum. ibid.
è cœlo deſcendiſſe dicuntur quæ non niſi è nubibus deſcenderunt. ibid.
apertum in Baptiſmo Chriſti non omnes, ſed tantùm Chriſtus & Joannes viderunt. 344
novum qualis dicatur ſtatus in Prophetiis. 434
Cœna Domini eodem modo comedenda, quo Paſcha Judæorum. 210
Cognitio Dei quotuplici viâ acquiratur. 221
Cognominum varietas in S. Scripturis undenam. 399
Columba quæ in Chriſtum deſcendit an fuit viva & realis columba à Deo immediatè in eum finem creata. 347
Collybiſtæ quinam fuerint. 416
Comburendi apud Judæos quâ ratione ſupplicium ſubibant. 609
Committere peccatum quid ſit in S. Scriptura. 445
Communicatio idiomatum in Chriſto quid ſit. 443
Concionatores ex omnibus Tribubus eligebantur apud Judæos. 477

Concionatores debebant eſſe ordinati. 478
Conclave Aſuppim ubinam in Templo. 560
  Piſtoris in Templo ubinam. 606
  Phineæ Veſtiario Præfecti. ibid.
  Gazith quare ita fuerit vocatum. 608
  Vide Ædificium.
Conclavia circa Templum. 568
Confeſſio non præceſſit, ſed conſecuta eſt Baptiſmum Joannis. 320
Confeſſionem Auricularem ex Baptiſmo Joannis deducunt Pontificii. 342
Confuſio linguarum. 211
Congregationem Judæi legitimam non ducunt, in qua non ſunt decem homines. 475
  neque Deum præſentem judicabant illi, ſi decem non adeſſent. ibid.
Conia unde ortum ſit. 121
Conjugio (ſine) vitam tranſigere mulieri erat infame apud Judæos. 271
Conjunctiones in ſententiis omittere valde uſitatum eſt in idiomate Hebræo. 488
Conjunctionis duarum naturarum in Chriſto fructus. 363
  an ex ea habuerit donum Prophetiæ. ibid.
Conſuetudo peccatoribus publicis maledictum infligendi undenam nata. 524
Conſulum Romanorum computatio tempus nativitatis Chriſti docere non poteſt. 237
Convivia temperata ſuo exemplo Chriſtus approbat. 405
Cor qualis menſura apud Judæos. 411
  contritum aptiſſimum Euangelii receptaculum. 496
Coræ thuribula. Vide Thuribula.
Cornua Altaris retenta contra vindictam quid ſignificet. 176
Corona triplex à Deo Iſraëlitis data. 438
Corpus totum lavare debebant Judæi in purificationibus. 448
Creatio initium cœpit à ſuperioribus, & verſus inferiora perrexit. 222
  tribus diebus partes mundi Deus conſtituit, & tribus aliis diebus illas exornavit. ibid.
  ejus tempus ac modus. ibid.
Creaturæ formam mutare maximum eſt miraculum. 368
Crumenam in Templum adferre Judæis non licuit. 417
כתנת propriè veſtem exteriorem indicat.
Cubiculum lavatorium in Templo cujus uſus. 533
Cubiti ſunt vel ſeſquipedales, vel trium pedum. 179
Curiæ duæ præter Synhedrium Magnum erant Hieroſolymis. 310
  ſingulæ ex viginti tribus judicibus conſtabant. ibid.
  ubinam fuerint in illa urbe. ibid.
Cultus cæremonialis Judæorum in quem finem à Deo conſtitutus. 467
Currus bellici continebant ſinguli decem viros. 64
Cush eſt Arabia. 34
Cuthæi quare vocentur Samaritani à Judæis. 464
  gratias agenti Cuthæo Amen reſpondere eis non licuit. ibid.
Cypriani temeritas circa petitionem poſtremam Orationis Dominicæ. 205
Cyrenio (à) Syriæ præſidente quare deſcriptio tempore nativitatis Chriſti computetur. 288
Cyrus quare apud Ethnicos in expeditione Babylonica ſolus nominetur. 136
  quare præſcripſerit dimenſiones Templi poſt Captivitatem. 569
  ejus natales. 133
  mira ejus educatio. ibid.
  quare promulgavit ille ſolus decretum de reditu Judæorum, Dario adhuc ſuperſtite. 135
  quamdiu regnavit ex quo Monarchia Perſica in illo incepit. 136
  repræſentatus per beſtias oblatas. 204
  ejus anni Ezr. 1: 1. numerantur non à principio regni ejus, ſed Monarchiæ univerſalis. 131

D.

DÆmonis poſſeſſi quales fuerint apud Judæos. 504
  tales plures erant Chriſto prædicante, quàm ſub V. Teſtamento. ibid.
  Quare Deus hoc illi ſpiritui impuro permiſerit. ibid.
  talis nemo quod ſcimus ante Chriſti adventum liberatus eſt. 505
  in duas claſſes diſtingui poſſunt. ibid.
  miſeria iſtorum hominum. ibid.
  tales aliquando ſpiritum propheticum præ ſe ferebant. ibid.
  eos verbo ſemper ejiciebat Chriſtus. 508
Dæmonia Spiritu Dei ejicere erant miracula regno Dei propria. 435
Dagon fuit Deus frumentarius. 54
Damaſceni error circa Herodis natales. 298
Damaſci Reges. 112
Dan quare omiſſus Apocal. 7. 46
Daniel quo tempore in leonum ſpeluncam detruſus fuerit. 133
  in numerum trium Principum à Dario eligitur. ibid.
  habet luculenta de Chriſto teſtimonia. 398
  non refertur à Judæis inter Prophetas. ibid.
Danielis Prophetia quomodo ſit diſpoſita. 132
  pars quare Chaldaicè conſcripta. 216

Dar-

Dardabo quiſnam. 74
Darii Monarchia habet 120. *Provincias.* 133
Darius Medus qui Babylonem deſtruxit, eodem anno natus quo Rex Babyloniæ Iſraëlem captivum abduxit. 133
fuit avus Cyri. ibid.
David populum numerari vult ut tributa imponeret. 69
ſignificat inter Arabas vermem. 274
quare primus vocetur in Genealogia Chriſti. 276
typus Chriſti. 72
Davidis ſit mentio Pſalm. 89. *cùm tamen ante ejus tempora ſit conſcriptus, & quomodò.* 163
quo anno Abſolon plebem ad defectionem ſollicitare cœpit. 309
domum uſque ad adventum Chriſti nulla bella potuerunt exterminare. 323
Decalogus ſunt verba verborum Dei. 231
Decem præcepta non ſunt ſcripta in librum Legis. 177
Decembris ſub fine nequaquam eſt natus Chriſtus. 289
Defectio decem Tribuum quandò acciderit. 241
quot anni ab hac defectione ad earundem Tribuum captivitatem effluxerint. ibid.
Dei vindicta peculiaris in homicidam. 204
Deitatem Chriſti crucifixam eſſe dici non poteſt. 443
Deſcendere. Vide *Aſcendere.*
quomodo de Deo qui ubique eſt dicatur. 346
Deſcribendi modus apud Romanos qualiſnam fuerit. 285
Deſertum ubi tentatus eſt Salvator quale fuerit. 364
Horebi per emphaſim vocatur Deſertum. ibid.
Deſiderium remiſſionis peccati fructus eſt remiſſionis peccati. 64
Deum ſæpiſſimè vocare Cœlum ſolent Judæi. 432
deſcendere quid uſitatiſſimè ſignificet in Sacra Scriptura. 442
in precibus Patrem vocare ſolebant Judæi. 467
etiam Samaritani. ibid.
Deus juſtè indurat cor Pharaonis. 170
quare multis incognitus. 195
vocatur metus à Chaldæis. 197
an inducat in tentationem. 206
ſolebat Sacerdoti ſub Veteri Teſtamento voluntatem ſuam tenui & exili voce ex Arca inſuſurrare. 266
quomodo Chriſtum genuiſſe dicatur. 278
ſecundùm Judæos preces congregationis non repudiat licet adſint peccatores. 476
Deus Pater quomodo colebatur in Veteri Teſtamento. 539
Διὰ præpoſitio non tantùm cauſam inſtrumentalem, ſed etiam ſæpenumerò cauſam efficientem ſignificat. 251
Diabolorum ſolatium. 2
Diabolus in tentationum tenore ſibiipſi ſæpiùs adverſatur. 361
Chriſtum aſſumpſit localiter, corporaliter, realiter. 368
ejus potentia in corporibus hominum. 369
nunquam hominem per aëra vexit, niſi antea in corpus ejus ingreſſus. ibid.
voluit intrare in corpus Chriſti. 369
quare Chriſtum in pinnas Templi deduxit. ibid.
an fuerit conſpicuus quando cum Chriſto per aëra volaret. ibid.
Chriſtum potuit tentare, ſed minimè vincere. 370
Diem naturalem à quo tempore Judæi incipere ſolebant. 509
Dies primus in aliqua mundi parte fuit 36. *horarum.* 153
quartus mundi fuit Æquinoctium & Novilunium. 171
Lunæ quare lectioni publicæ Legis in Synagogis deſtinatus. 476
magnus & horribilis qualis. 388
noviſſimi ſunt dies ultimi Hieroſolymæ. ibid.
tres ſeptimanæ apud Judæos publico cultui ſegregatæ. 476
quales illæ fuerunt. ibid.
Differentia inter hunc mundum & dies Meſſiæ ſecundùm Judæos. 434
Digitus Dei eſt hic, *quid cum eo voluerint Magi.* 169
Dignitas Canonicæ Scripturæ. 93
muneris Summi Sacerdotis in quo erat ſita. 682
Δικαίωμα Septuaginta utplurimum transferunt חקים *&* חקות. 264
Arabs è contra חקית *vertit δικαίωμα.* ibid.
ubi perinde valet ac juſtificatio difficile erit tam apud Septuaginta, quàm apud profanos Authores locum producere. ibid.
Dilectio Dei & proximi impletio Legis. 231
Diluvium quo tempore inciderit. 3
quamdiu duraverit. 5
non incepit à menſe Martio. 7
Diræ Judæorum contra Chriſtianos in feſto Paſchatis. 387
Diſcipuli Chriſti à quonam fuerunt baptizati. 446
Diſtinctio inter Iſraëlem & Judam ubi inceperit. 67

Digitized by Google

etiam inter Ephraimum & Judam. 67
naturarum eſt in Chriſto, non verò perſonarum. 443
quomodo illa. ibid.
Doceri non debet in Eccleſia niſi quod eſt benè exploratum. 440
Docti inter Judæos in quot claſſes dividebantur. 517
Doctor ordinatus poterat ſuos ordinare Diſcipulos uſque ad tempora Hillelis. 478
quiſnam poſt ea tempora. ibid.
Doctores ſub Lege ſub bina denominatione ſunt conſiderandi. 468
copioſiſſimè obſervabant Prophetias de Meſſia. 546
Doctorum docendi Legem genera quatuor apud Judæos. 439
Synhedrii præcipua occupatio erat indagatio Scripturarum. 546
Doctrina Joannis Baptiſtæ. Vide *Joannes.*
Chriſti conformis prædictionibus veterum Prophetarum. 546
Dodanim quas regiones incoluerit. 198
Domorum tecta apud Judæos erant plana. 524
Domus Eli penitùs exciſa. 57
Jacobi quid comprehendere ſoleat in Sacris. 271
lignea in Templo quænam fuerit. 569
Donatiſtæ Sacramentum ab improbo Miniſtro celebratum inefficax eſſe docuerunt. 336
Donum Prophetiæ. Vide *Prophetia.*
Dotes neceſſariæ in Senatore Synhedrii Magni. 608
ὁ Δυνατὸς *ex amuſſim reſpondet voci Elohim.* 257

E.

E*Brietas Noachi quando contigerit.* 10
Ebrii Ephraim quinam vocentur in Prophetiis. 461
Ebrio Legem docere apud Judæos non licuit. 521
Eccleſia non poteſt non afflictiones expectare. 226
illius ſtatus ſub V. Teſtamento ante adventum Chriſti. 319
ſub N. Teſtamento. ibid.
denotat & viſibilem & inviſibilem Eccleſiam. 438
in Synagogis quiſnam locus dicebatur. 476
Iſraëlitica vocatur Chriſti area. 332
Eccleſiaſtes formula pœnitentiæ. 76
Edomitæ non habuerunt Regem uſque ad Joramum. 87
Efficacia prædicationis Chriſti præ prædicatione Joannis. 329
Egeum mare unde ita appellatum. 173
Egyptii quare cum opilionibus conſuetudinem habere noluerint. 156
ſolebant ſe exornare in adoratione Idolorum. 173
Ehud quiſnam. 46
Eis ſæpenumerò eundem capit ſenſum ac ἐκ. 376
Elam eſt Perſia. 107
Eleemoſyna apud Hebræos vocatur Juſtitia, & quare. 220
Eleemoſynas dabant Judæi pro animis demortuorum. 219
Eleemoſynis pro peccatis ſatisfacere non poſſumus. 324
Elementa duo, aqua, & ignis, à Deo facta inſtrumenta ſalutis adipiſcendæ. 331
Elkana quam portionem cibi Hannæ dederit. 158
Eli Domus penitùs exciſa. 57
Eljakim quare à Pharaone Jojakim nominatur. 116
Elias primus Gentium fuit Propheta. 82
ejus præcipua geſta. ibid.
eum ex Tribu Levi fuiſſe ajunt Judæi. 266
& Circumciſionem diu omiſſam reſtituiſſe. ibid.
de illius adventu primo & ſecundo opiniones Judæorum. 386
an fuerit Pinehas. ibid.
judicium Rabbinorum circa excellentiam ejus in re prophetica. ibid.
ejus diſceſſus, & de ſtatu ejus poſteà ſomnia Judæorum. ibid.
ejus adventus ſecundùm eos ante diem Domini duplex, viſibilis, & inviſibilis. ibid.
adeſt omni Circumciſioni. ibid.
in anni Paſchate viſibiliter expectant Judæi. 387
ſedet ſecundùm illos in Paradiſo ſub arbore vitæ, & quid ibi agat. ibid.
quid etiam ſecundùm eos in ejus adventu Iſraëli reſtituet. ibid.
quo die veniet. 388
ſpuriis conciliabit puritatem. ibid.
an veniet ante Chriſti ſecundum adventum. ibid.
eum ſcripſiſſe literas è cœlo Judæi ſomniant. 85
Eliezer quare Moſes filium vocaverit. 167
Elihu ſcriptor Libri Jobi. 24, 177
Eliſa prophetaturus pulſum muſici inſtrumenti requirit. 86
ejus geſta. ibid.
Elohim bara myſterium Trinitatis aperit. 222
Eliza filius Javanis quæ loca incoluerit. 198

Elizabetha ſecundùm Septuaginta vocata fuit uxor Aaronis. 254
Ἔμπροσθεν *in N. Teſtamento non tempus, ſed locum reſpicit.* 382
Ἐν *quid plerumque denotat in S. Scriptura.* 441
apud Græcos denotat nunc locum, nunc inſtrumentum. 326
Encænia an inter ſolemnitates magnas numeranda. 419
Enthuſiaſmum ex quo loco ſtabilire conantur. 496
Ἐπεχείρησαν *applicatur ad quodvis opus licitum, & felicem in eo progreſſum.* 297
Epha & Bathus una & eadem menſura. 410
Ephraimum inter & Judam diſtinctio ubi inceperit. 67
Ephrata cognominata eſt in memoriam fœminæ. 304
hoc tempore Michæ notiſſimum fuit, at poſteà verò minùs uſitatum. ibid.
Ephod, ejuſque deſcriptio. 681
Epiſcopus quiſnam dicebatur apud Judæos. 477
Ἐρευνᾷν *ſeriam diſquiſitionem denotat.* 529
Errores totius Congregationis Judaicæ quomodo expiandi. 706
Eſajas quando vixerit, & quâ morte affectus ſit. 111
Eſau deſcribitur. 15
quare ſcortator dictus. 16
ejus veſtes in quibus Jacob benedictionem obtinuit, erant Sacerdotales. 158
quare non nominetur in Genealogia Chriſti. 277
Eſther fuit è Tribu Benjamin. 137
Eſus carnium quando inceperit. 9
ſanguinis quare prohibitus. ibid.
Ethnici quare fingant ſe leges ſuas ab aliquo Numine accepiſſe. 229
tempore Davidis & Solomonis per Baptiſmum, non per Circumciſionem in Eccleſiam Judaicam admiſſi. 329
quam ob cauſam id fuerit factum. ibid.
pariter ac Judæi accurrunt ad Chriſtum cùm prædicaret. 511
Proſelyti per quam portam in Atrium Templi intrabant. 415
Ethnicorum Eccleſiam filios Eccleſiæ Judaicæ vocare uſitatiſſimum eſt apud Prophetas. 267
Ethnicus quomodo Judaiſmo initiandus. 390
Eva quare ſic vocata. 154
in ſtatu integritatis non ſcivit eſſe Diabolos. 2
quo diei tempore peccaverit. ibid.
per fidem ſic vocata ab Adamo. ibid.
eam Satanas aggreſſus eſt cùm eſuriret. 366
Euangeliſtæ tres tacent de Chriſti actionibus per ſpatium plus duodecim junctim menſium. 380
quare id factum. ibid.
in citationibus non tam de vocum minutiis quàm de ſenſu loci fuerunt ſolliciti. 315
quare quatuor. 401
Euangelium Chriſti quomodo vocetur ventilabrum. 331
eſt quaſi lapis Lydius quo aurum & ſcoria, verum & falſum internoſcantur. ibid.
cœlos aperit. 344
eſt ſpirituale regnum & ſceptrum Chriſti quo Gentes recturus erat. 346
omnibus ſine diſcrimine debuit promulgari. 353
tantùm agnoſcit diſtinctionem civitatum ac pagorum aliter ac Thalmudici. 513
ejus indoles miſericordiam, non ſacrificium exigit. 314
ejus claritas. 384
quid credentibus narret ſupra Legem. ibid.
ejus duæ doctrinæ principes. ibid.
quare nulla in primo ortu ſuo habuerit impedimenta. 385
nihil aliud eſt quàm ipſa Lex ſub lenioribus terminis. 231
eſt plena & perfecta voluntatis Dei Patris manifeſtatio. 314
debebat ceremonias rituſque Moſaicos tollere. ibid.
Ethnicos etiam in Eccleſiam intromiſit. ibid.
quomodo deſcribat tempora Meſſiæ. 434
ejus initium quale tempus vocetur. ibid.
ubi maximè ſplenduerit in ipſius Chriſti Miniſterio. 489
ejus prædicatio ſupremum Dei in homines beneficium. 493
quid ſub eo nomine intelligere debeamus. 496
Eucharistia Sacramentum à Chriſto inſtitutum optimè quadrat cum ritibus Judæorum. 391
quare in ejus inſtitutione Chriſtus ſe ad Paſchatis antiquos ritus conformaverit. 327
Evia. 224
Eutyches ſtatuebat Chriſtum non verum, ſed apparens corpus habuiſſe. 253

Excelſa. Vide Loca excelſa.
Excidium Hieroſolymitanum quo anno poſt mortem Chriſti acciderit. 350
Exciſio qualis ſit pœna apud Scriptores Judaicos. 675
triginta ſex eorum genera in Lege. 676
illa mors ab hominibus infligi non poterat. ibid.
quid propriè ſit non bene inter Thalmudicos convenit. ibid.
Excommunicati per quam portam in Atrium Templi intrabant. 415
Excoriationem victimæ poterat apud Judæos etiam peregrinus, vel non Sacerdos præſtare. 703
quando id præcipuè à peregrinis fiebat. ibid.
quomodo id peragere ſolebant Judæi. ibid.
Excubiæ viginti quatuor erant in Templo Hieroſolymitano. 561
Levitarum circa Templum ubinam fuerint. 694
Execratio publica Judæorum contra Samaritanos. 463
Exemplar ſtructuræ Templi quod reduces è Captivitate ſecuti ſunt undenam deſumpſerint. 570
Legis tempore Joſiæ inventum propriâ Moſis manu ſcriptum. 114
Ἐξήγησιν unde derivetur. 527
Expiatio pro leproſo purgando apud Judæos qualis. 754
Expiationis die erant ſex Lectores in Synagogis. 479
feſtum qua de cauſa inſtitutum. 744
ritus quales in eo peracti deſcribuntur. ibid.
Ezechias natus, quando Achaz pater non erat ampliùs decem annorum. 104
ejus morbus fuit peſtis. 109
eo laboravit tempore obſidionis Hieroſolymæ. ibid.
illius tempore inventa ſunt aliqua Proverbia Solomonis. 76
Ezechiel quando prophetare inceperit. 123
non potuit Prophetiam ſuam ordiri ante annum trigeſimum. ibid.
quare in ſuis Prophetiis toties vocetur filius hominis. 198
ejus deſcriptio Templi & Urbis Hieroſolymæ qualis. 555
ſcopus Spiritûs Sancti in illa ichnographia. ibid.
Ezer titulus addititius Monarchis Aſſyriis. 105
Ezra Librum Chronicorum conſcripſit, & quando. 63, 142
ejus & Nehemiæ differentia in recenſendis Judæis unde oriatur. 142
quamdiu vixerit. ibid.
admodum provectæ fuit ætatis, quando è captivitate Babylonica reverſus. 127
& Malachia an unus idemque, incertum. 143
quando vixerit. ibid.
poſt captivitatem Babylonicam Bibliorum reviſionem inſtituit. 201
an primus Legem in Sectiones diviſerit. 259
quomodo vocetur Scriba in Lege Moſis. 302
Ezræ magna pars quare ſit Chaldaica. 216

F.

Facere malum quid ſit in Sacra Scriptura. 445
veritatem quid ſit. ibid.
Fames quæ Jacobum Ægyptum ire coëgit, cauſæ naturali imputanda. 225
Farinæ oblatio quo tempore in Templo oblata. 722
Felem ægrotantem mœrentur Ægyptii. 228
Felicitatem ſuæ nationi propriam futuram temporibus Meſſiæ credebant Judæi. 434
Femoralia linea Summi Sacerdotis quomodo confecta. 681
Feneſtra in muro Templi ubinam fuerint. 568
Fermentum nullum quare Deus voluerit eſſe in domibus Iſraëlitarum tempore Paſchatis. 728
Judæi eo tempore curabant inquiri ad lucem candelæ. ibid.
precatio à Judæis peracta priuſquam fermentum inveſtigare inciperent. ibid.
relatio inter hanc legem & liberationem Ægyptiacam. 729
quare adhibeatur in placentis Paſchatis, & non Pentecoſtes. 743
Ferulam quando ſubimus in Schola Grammatica, damus pœnas de rebellione Babylonica. 211
Feſti uniuſcujuſque primo die populus in Atrio Templi ſe debebat ſiſtere. 428
Feſtis in ſolemnioribus Sacerdotes non ſecundùm claſſes, ſed omnes promiſcuè miniſtrabant. 259
Feſtis diebus erant quinque Lectores in Synagogis. 479
Feſtum Expiationis. 31
eodem anni menſe inſtitutum quo peccatum intravit in mundum, ſed non eodem die. 178
quare decimo die Tiſri celebratum. ibid.
Tabernaculorum non minus typicum erat quàm vel Paſcha vel Pentecoſte. 341

Feſtum

Digitized by Google

Feſtum Tabernaculorum jucundum univerſo populo. 747
natura & inſtitutio hujus feſti quorſum reſpexerunt. 341
ejus origo. ibid.
ritus circa hoc feſtum à Judæis uſurpari ſoliti. 747
quales Pſalmos ſingulis diebus legere ſolebant. 749
Vide *Tabernaculorum feſtum.*
Ficos in Attica creſcentes non licebat aliò deportare. 312
443
Fidem eſſe ſummam Legis dicunt Judæi, & ita teſtimonium perhibent adverſus ſeipſos. 175
unde illud didicerint. 176
per eam ſolam ſalus æterna obtinenda. 443
implicitam ſufficere ad ſalutem non videtur Lucas credidiſſe. 247
Fides in proceſſu gratiæ præcedit pœnitentiam. 496
Filia Pharaonis typus aptiſſimus Eccleſiæ. 76
Filii Dei quinam Geneſ. 6. *& apud Jobum.* 197
hominis quinam. 198
Filios ſoleni vocare ſeniores juniores apud Judæos. 524
Filium Hominis cùm Chriſtus ſeipſum vocat quid ſignificet. 402
an eo nomine tantùm voluerit indicare naturam ſuam humanam. ibid.
eâ appellatione non negat Deitatem ſuam. 528
Filius Dei quomodo dicatur eſſe apud Patrem. 250
poſt diſperſionem Babylonicam ſoli Judæi hoc nomen gerebant. ibid.
quando illi hoc privilegio exuti fuerint. ibid.
Gentes quando primùm ſic vocati. ibid.
quomodo electus id fiat. 253
Dei an aliquando ſignificet hominem valde pium. 367
an unquam uni ulli homini præter Chriſtum in Scriptura tribuatur. ibid.
Sodomam miſſus quare vocetur Angelus. 157
Flagellatio apud Judæos erat ſevera admodum pœna. 677
ex ſententia Judicum qualis erat apud Judæos. ibid.
erat plagis triginta novem. ibid.
quomodo illa peragi debebat. ibid.
à quibus peragebatur. ibid.
Flagro, & non fuſte, quare Chriſtus expulerit ementes & vendentes in Templo. 723
Fœdera quibus ſignis firmabant priſci. 229
Fœdus per tria Deus cum Iſraële inivit. 390
primum quomodo percuſſum. 177
Fœmina aliqua an unquam fuerit à Joanne baptizata. 339
Forum Probaticum & Porta Probatica admodùm propinqua erant Hieruſalem. 631
Formula qua uſus ſuit Joannes in Baptiſmo. 326
Fratres Chriſti quinam fuerint. 406
Fundamenta Templi jacta in monte Moria. 74
Templi ſecundi quando jacta. 136
Fundamentum ſpecioſum omnium Traditionum Judaicarum. 518
Sanctuarii quare ex argento. 179
ad id omnes debebant contribuere, & quid illud ſignificaverit. ibid.

G.

Gabriel an ſit Archangelus. 268
עין *quid apud Thalmudicos.* 219
Galilæa apud Judæos Judææ vilis admodùm habita eſt. 492
fuit tamen tempore Chriſti admodùm celebris. ibid.
ſuperior & Gentium an inter ſe diſtinguantur. 488
Gentium non eſt omnis Galilæa, ſed tantùm pars ejus. 489
quomodo diſtinguebatur apud Judæos. ibid.
Galilæis mos erat per Samaritanorum regionem tranſire ad feſtum Hieroſolymitanum. 460
Galilæorum variæ difficultates euntes ad feſtum. 470
in moribus ritibuſque plurimùm diſtabant à Judæis in Judæa habitantibus. ibid.
עלמה *an neceſſariò ſignificet virginem ætate teneram & omninò intactam.* 280
Gamaliel fuit Theologiæ Profeſſor. 439
fuit filius Simeonis qui Chriſtum ulnis excepit. 292
Genealogia Chriſti diverſimodè, ſed non ſine ratione, ab Evangeliſtis poſita. 61
ejus quiſnam ſit ſcopus. 353
eam cur Matthæus circa nativitatem, Lucas circa ejus Baptiſmum referat. 334
Generatio ſecunda apud Matthæum numerata à quonam Rege incipiat, & quare ab illo. 279
Generationes tres ſibi invicem ſubſequentes quare omittantur à Matthæo. 277
Generationibus quatuordecim exactis ſemper apud Judæos aliquid fuit immutatum in Republica. 279

Genezaret mare deſcribitur à Joſepho. 498
multa habet circa rationem nominis Baal Aruch. ibid.
ubinam fuerit ſitum. 498
vocatur etiam mare Tiberiadis. ibid.
quomodo vocetur ſub Veteri Teſtamento. ibid.
Γεννήματα non tantùm homines hujus ſæculi, ſed & præteriti indigitat 321
Gens Judaica vocatur Chriſti area. 332
Gentem ſuam Chriſti adventu fore extirpandam docuerunt ipſi Judæi. ibid.
Gentes non magis Deo curæ eſſe quàm canes dicunt Judæi. 444
multæ etiam Circumciſionem habebant. 209
quare Judæos averſabantur. 267
non tam homines quàm Religionem ſolebant vituperare. 268
Gentiles quomodo Numina ſua coluerint. 196
quâ ſub diſpoſitione tempore Chriſti. 469
Gentilis factus Proſelytus ſecundùm Judæos eſt ut recens natus. 436
non debuit cognatos Ethnicos pro talibus ampliùs agnoſcere. 436
ſciebant enim, iis admiſſis, ſe protinùs abjiciendos. ibid.
Gentiliſmus quando inceperit. 10
Gentilium monumenta dubia movere non debent circa tempora Scripturæ. 139
Gentium ingreſſus eſt abdicatio Judæorum. 96
de vocatione audire animos Judæorum male urebat. 353
vocationem. Vide Vocationem.
Gerizim in monte Templum quâ occaſione ædificatum. 463
Gibeone maxima erat totius terræ Synagoga. 73
Gibeonitæ facti Netſinim. 41
Gideon an fuerit Chiliarchus, an verò pater ejus. 305
ejus exercitus repræſentat Eccleſiam viſibilem, & inviſibilem. 200
Gihon & Siloam ſunt idem. 582
geminis canalibus geminas in Piſcinas influebat. ibid.
quare Solomonis Piſcina dicatur. ibid.
ejus influxus cohibitus eſt ab Ezechia. ibid.
quare rurſus patefactus. ibid.
miraculum de quo Euangeliſta quando inceperit. ibid.
Gizbarim tres in templo quinam erant inter Sacerdotes. 679
Gladio quomodo percutiebantur damnati à Judæis. 608
Gladius flammans Adamum Paradiſo arcens eſt lex. 228
Gloria Domini eſt magna & admodum illuſtris gloria. 291
Gonorrhæa affectus non niſi in Sancto purificari potuit. 448
Gradus conſanguinitatis inter Mariam & Elizabetham nequit certò determinari. 256
Græca lingua ejuſque laus. 217
eam Deus ante adventum Chriſti per totum mundum diſperſit. ibid.
cœlum in ſingulari efferre ſolet. 343
ejus uſu tanquam inſtrumento credunt Judæi Deum ſtatuiſſe Gentes ad Religionis myſteria perducere. 353
Græca à pronuntiatione abhorret ut vel h ante vocalem in medio vocis efferatur, vel poſt vocalem in fine. 274
Græci ſeptuaginta duas linguas agnoſcunt in mundo. 213
Gratia pro gratia quid ſignificet in Euangelio. 383
duplex, Euangelica, & Legalis. ibid.
opponitur Legi Cæremoniali. 384
& veritas eſt tenor Euangelii. 385
Gratias agere debebat pater-familias in feſto Paſchatis ſuper calicem vini. 735

H.

ה finale lingua Græca neſcit effari. 397
Hadadrimmon quid. 46
Hæreticos vocant Judæi Chriſtianos. 557
שוה apud Judæos quale. 475
Haggadæ recitator quomodo incipere debebat Cœnam Paſchalem. 737
Hagiga quænam oblationes à Judæis vocentur. 741
debebant eſſe ex pecudibus. ibid.
Haman fuit Amalekita. 138
ejus uxor ſcit maledictionem denunciatam Amaleko. ibid.
Hananiah filius Zorobabelis quare vocetur Rheſa. 279
חניות qualis fuerit locus in Monte Templi. 565
Hallel major & minor. 731
Ægyptiacum quale & quare ita fuerit vocatum. ibid.
hæc recitatio Hallel creditur à Judæis inſtituta eſſe à Scribis. 732
dicebatur octodecim in anno & unâ nocte. ibid.
Harodi fons unde nomen. 200
Havila an non dederit nomen Abyleni. 317
חזן quale munus in Synagogis Judæorum. 477
Hebdomadæ initium mutatum inſtituto Paſchate. 210
Hebræa lingua fundamentum omnis ſacræ cognitionis. 198
ejus laus. 218
Hebrææ & Chaldææ literæ ſunt eædem. 213

Hebrææ

Hebræarum literarum antiquitas. ibid.
Hebraica inſcriptio in cruce Chriſti erat Syriaca. 217
Hebræi per affirmationem & negationem in eadem periodo certiorem rei eſſe aſſeverationem & intentiorem ſignificant. 251
non poſſunt cœlum dicere niſi in plurali, vel duali. 343
eos non futuros ſuæ ditionis cùm Meſſias naſceretur prædixerat Jacob. 287
Vide *Judæi.*
Hebron celebris. 60
eam occupant Aaronis poſteri, agros verò villaſque circumjacentes filii Judæ. 282
hujus nominis plures erant civitates. 318
erat quaſi pars Deſerti. ibid.
Heli, ſive Eli fuit Mariæ pater. 351
Heman duplex fuit. 71
Hemon & Ethan quando vixerint. 24
Henoh an in corpore conſpicuo veniet ut ſe opponat Antichriſto. 388
Herbæ quibus utebantur in feſto Paſchatis erant quinque generum. 736
Herodes Antipatris filius, ejus indoles atque natura. 258
trucidavit venerandum Judæorum Synhedrium. ibid.
erat ex ſanguine Eſaü. 298
quo ejus anno infantium lanienа obtigerit. ibid.
quando regnum inchoaverit dubitatur. ibid.
eadem illâ nocte quâ pueros Bethleemiticos trucidari juſſerat, lethali vulnere percuſſus traditur. 299
vitâ ſpoliat binos ſuos filios Alexandrum & Ariſtobulum. 307
tertium Antipatrem juſſit incarcerari, quamvis regni ex teſtamento heredem. ibid.
multiplici morbo ſimul intabuit. ibid.
ejus regnum non fuit in quatuor partes diviſum. 316
repudiat Doridem uxorem ſuam. 453
filium natu maximum interfici mandavit die quinto ante mortem ſuam. ibid.
uxorem Mariamnem è vivis tolli præcepit. ibid.
an Templum Hieroſolymitanum extruxit, vel inſtauravit. 419
regnavit triginta ſeptem annos. ibid.
integra ejus deſcribitur familia. 453
dicitur Magnus. ibid.
ejus facinora. ibid.
novem habuit uxores. ibid.
ex ſeptem earum liberos procreavit. ibid.
Herodes antequàm regnum adipiſceretur coram Synhedrio citatur, & quare. 570
Templum ædificat. ibid.
dimenſiones hujus Templi. 571
forma & facies externa. ibid.
quare fratris ſui uxorem poſt mortem ducere non potuit. 454
eum inter & Aretam Regem bellum undenam ortum. ibid.
prætextus ejus quare Joannem in carcerem conjecit. 455
ejus amicos & regni ejus fautores inter Judæos. 470
Herodiani quinam dicebantur in Evangelio. 470
Herodias fuit Herodis neptis. 378
fuit vera cauſa cur Joannes in carcerem fuit conjectus. 447
Heroes Davidis diverſimodè enumerati. 61
maxima ex parte fuerunt Galilæi. ibid.
Hezechia quomodo regnare inceperit tertio anno Hoſheæ. 244
ejus regnum duplici epochâ numeratur. 245
à quo tempore regni ejus initium computatur. ibid.
Hhoter origine Chaldaicum eſt. 216
Hierichunte undenam tantus Sacerdotum numerus. 693
Hieronymi ſententia de Bethabara. 393
Hieroſolyma erat quaſi radix totius Gentis Judaicæ. 323
communiter ac ſolemniter fuit vocata Sancta Civitas. 359
ea, an mons Gerizim eſſet rectior divini cultûs celebrandi locus diſputabant Judæi & Samaritani. 466
ejus pomœrium quod erat intra, ſanctius erat ſolo quod erat intra mœnia reliquarum urbium. 673
quare vocetur Aniel. 108
quo die & anno à Nebucadnezare obſeſſa. 124
quando capta. 126
illic expectabant Judæi Meſſiam. 408
illic comparere debebant Iſraëlitæ ter in anno. 726
quinam hujus comparitionis immunes erant. ibid.
urbis hujus privilegium præ cæteris omnibus urbibus. 713
qui ab ea procul vivebat quid oportebat facere, cùm in peccatum lapſus erat. 716
Hieroſolymæ novæ initium ex quo tempore rectiſſimè computatur. 350
Hieroſolymam aſcendere paulò ante feſtum ſolebant Judæi. 419
qua de cauſa id factum. ibid.

Digitized by Google

Hieroſolymitani ter à Babylonicis devicti deportantur. 245
Hilaritas Judæorum quàm maxima in feſto Tabernaculorum. 748
Hillel Rabban, ejus laus apud Thalmudicos. 292
quotnam habuerit Diſcipulos. ibid.
quis eorum maximus, quis infimus. ibid.
ejus Diſcipulorum laus. 378
diſceptatio inter illos & Shammai Diſcipulos occaſio titulorum apud Judæos. ibid.
eminentiſſimus inter Judæorum quotquot fuerunt Doctores. 611
Hin fuit menſura Ægyptiaca. 411
Hinnom vallis ubinam. 556
Hiram ſummus Templi artifex quare dicatur Tyrius. 74
Hirci Idololatriæ quinam vocentur à Judæorum Scriptoribus. 707
quomodo extra Caſtra comburebantur. 708
Hircus emiſſarius quibus cæremoniis fuit electus in die Expiationis. 745
alter quando fuerit mactatus. ibid.
quibus cæremoniis emiſſarius fuit dimiſſus. ibid.
quouſque Judæi eum comitari ſolebant. 746
quomodo conjicere poterant quando in deſertum pervenerat. ibid.
Hoc eſt corpus meum *quid ſignificet.* 171
Holocauſta quam ob cauſam deberentur quæritur inter Judæos. 702
erant ex quinque animalium generibus. ibid.
eorum offerendi ratio qualis. ibid.
debebant adduci in Atrium ab iis qui pro ſe offerri cupiebant. ibid.
iis qui offerebant debebant manum imponere capiti victimæ. ibid.
quid illo ritu fuerit ſignificatum. ibid.
Holocauſtum in Templo cùm cœpit, Tibicines tubis canere, & Cantores voce modulari ſolebant. 265
Homer qualis menſura apud Judæos. 411
quare ita vocetur. ibid.
Primitiarum meſſis quomodo Deo oblata. 714
ſecundo die feſti Paſchatis offerri debuit. 742
Homicida fortuitus per mortem Sacerdotis libertati reſtitutus, figura Chriſti. 176
Homicidæ divinum judicium memorabile. 204
Homines vocat Moſes Sethi ſobolem Religioni & rationi obſequentes. 252
Stationis quinam dicantur apud Rabbinos. 265
privati in Eccleſia Chriſtiana baptizare non debent. 449
Homines otioſos decem quare volebant Judæi in locis ubi eſſet Synagoga. 475
quinam per tales intelligantur. ibid.
Homini cuivis in Synagogis Judæorum concionari non licuit. 477
Hominum ætas quare tam longa ante Diluvium. 5
Homo, ſi non peccaſſet, quamdiu in terris vixiſſet. ibid.
quâ horâ creatus. 154
Honoris quatuor gradus apud Romanos. 316
Hora plerumque in S. Scriptura tempus generaliter & indefinitè ſignificat. 408
mortis precum genus apud Judæos. 721
illud recitare magnæ pietatis putabant. ibid.
precationis. Vide *Precationis.*
Horeb unde dictum. 174
& Sinai unus idemque mons. 39
Hoſea matrimonium cum ſcorto Parabola eſt. 93
Hoshea quomodo dicatur Pekahum interemiſſe viceſimo anno Jothami. 244
filius Elæ quomodo dicatur cœpiſſe regnare anno Achabi duodecimo. ibid.
Huldah Porta in Templo quare ſic fuerit dicta incertum. 558
Hydriæ quænam vaſa vocentur. 403
Hypocriſis Judæorum à Chriſto reprehenditur. 547
Hyrcanus Summus Sacerdos eligit turrim Antoniam ad deponendas veſtes ſacras. 563

I.

Jacobus Patriarcha Baptiſmum quando inſtituerit. 329
fuit 77. *annorum cùm ab Harane famulus conducitur.* 17
cùm Rachelem duxit tantùm unam ſeptimanam in arram 7. *annorum ſerviverat.* 18
Iſraël quare vocatus. ibid.
Jacobus Apoſtolus quare vocetur Jacobus Major. 500
Jahu nomen ſui nominum affigere placuit Judæis. 275
Janitores Templi quinam fuerint, eorumque officium. 561
eorum diſtributio in viginti quatuor claſſes non tam clarè habetur in Scriptura. 694
eorum munus. ibid.
Jannes & Jambres. 207

Janſe-

Janſenii cogitationes de adventu Magorum ad Chriſtum. 297
Javan an ſit Græcia. 198
Græcorum pater. 217
Ibſan fuiſſe Boazum non eſt probabile. 52
Idololatria quando inventa. 3
in Iſraële per mulierem cœpta eſt. 45
extirpat familias. 82
in Tribu Dan primùm inchoata. 277
Jebuſæi Jeruſalemi pendebant tributum. 69
Jechonias quare in Sacris vocetur Conias. 275
quomodo vocetur pater Salatielis. 278
ſecundùm Judæos duos habuit filios. ibid.
Jehoram filius Jehoſaphati antequàm regnum adipiſceretur, exercuit vicariam poteſtatem. 242
iterum quando Prorex conſtitutus eſt. ibid.
interregnum inter Iſraëlitas viginti duorum annorum. 243
non eſt in promptu conjectare unde hoc evenerit. ibid.
Jehova. 167, 196
ſic Deus non vocatur niſi creatione jam peractâ, & quare. 167
ſingulis in Trinitate perſonis attribuitur. 168
ejus ſignificationem perfectè Patres ante Moſem noverunt. ibid.
quid de illo ſenſerint Ægyptii. 169
ſecundùm Judæos loquitur in Scripturis ſtilo ad auditorum captum accommodato, ut intelligant. 441
Jehovah nomen ſuis ipſorum nominibus aliquantulum correptum præfigere placuit Judæis. 275
Jehu in Sacris diverſa habet nomina. 88
Jejunare quibus diebus ſolebant Judæi. 476
primâ hebdomadis die quare nolebant. 700
Jejunavit Moſes tribus vicibus. 178
Jejunia Judæorum tempore Captivitatis. 140
Jejunium obſervant Judæi propter Verſionem Græcam V. Teſtamenti. 217, 353
Jephta an crudelitatis ſit accuſandus in offerenda filia. 203
quomodo eam obtulerit. ibid.
ejus votum. 51
erat temerarium, & poterat jure revocari. 271
non cogitavit de beſtiis, ſed de perſonis. 51
revera obtulit filiam. ibid.
luit pœnas, quia redemptionem ejus non perſolverit. ibid.
Jeremia admodùm juvenis prophetare incipit. 114
ſecundùm Judæos fuit Diſcipulus Zephaniæ. 116
illius Prophetia verſus unus quare Chaldaicè conſcriptus. 216
Jerichuntida quare Iſraël in ejus obſidione per ſeptem dies quotidie ſemel circumibant. 41, 328
Jeroboam typus Antichriſti. 77
ejus ſtrages fuit maxima, quam unâ acie editam eſſe unquam legimus. 79
morbis luctuoſis percuſſus eſt. ibid.
quomodo regnaverit 22. annos. 241
Jeſabel Sidonia. 82
Jeſaja 53. *Caput veteres Judæi de Meſſia explicant.* 508
poſteriores non item. ibid.
Vide *Eſajas.*
Jeſſe Davidis pater quando natus. 52
ejus ſtirpem uſque ad adventum Chriſti nulla bella potuerunt exterminare. 323
Jeſus. 196
quomodo Judæi ſcribant. 197
in Galilæam abit ſtatim poſt tentationem in eremo. 472
Vide *Chriſtus.*
Jeſus mentionem faciunt Judæi, ejuſque nativitatis & miniſterii. 176
Jethro quare Kenæus dictus. 44
fuit circumciſus. 167
ejus hiſtoria non eſt poſita ſuo loco. 174
fuit primus Judæorum Proſelytus. 300
Ignes tres perpetuò ſtruebantur in Altari. 718
quomodo, quando, & à quibus fuerint accenſi. ibid.
Ignis qui in rubo erat non fuit verus ignis. 348
Ignominioſum erat apud Judæos ſine prole defungi. 271
Ignorantiam non eſſe pietatis matrem oſtendit Lucas. 247
Immerſio an neceſſaria in Baptiſmo. 449
Immolatio victimæ juxta leges muneris Sacerdotalis. 703
Immunditiei gradus. 31
Imperatorum Romanorum anni à quo menſe ſupputandi. 315
Imperfectiones inter ob quas arcendi erant Sacerdotes à Sacerdotio, non erant mutum & ſurdum eſſe. 268
Imponere manum capiti victimæ quomodò debebat offerens holocauſtum. 702
Incarnatio Chriſti eſt doctrina regni cœlorum. 442
illius finis proprius. 363
Incredulitas, nec non neglecta Circumciſio filio fuit cauſa quare Deus Moſem in deſerto voluerit occidere. 166
Infantes etiam baptizarunt Judæi. 392
an per immerſionem baptizati. 449

Infernum eſſe ſub terra fuit ſomnium Poëtarum Ethnicorum. 760
Ingrediens Templum ad orandum & ad ſpectandos ſacros ritus oportebat ſtare, & non ſedere. 724
Inimici quinam revera ſunt fidelibus in hoc mundo. 284
Inimicitia inter ſerpentem & ſemen mulieris quare ſpiritualiter intelligenda. 5
Inimicitiam per Meſſiam delendam eſſe inter Judæos & Gentes ab Iſaja prædictum. 97
Inſtruere alios in Lege magnæ æſtimationis apud Judæos. 438
Inſtrumenta muſica quibus Judæi utebantur in Templo duplicis erant generis. 696
  ordinaria in Templo Judæorum. 697
Inſulæ quomodo à Continenti avulſæ. 7
Integritas Scripturæ à Maſorethis contra Papiſtas ſufficienter adſtructa eſt. 201
Intercedere mortuos pro vivis credunt Judæi. 220
Interpretes LXX. Vide *Septuaginta Interpretes.*
Interrogatoria Proſelyto ante Baptiſmum propoſita. 448
  Proſelyto juſtitiæ propoſita. ibid.
Inteſtina Agni Paſchalis an etiam cum eo toſta. 736
Inverſio nominis proprii eſt familiaris in Sacris. 84
Inumbrare quid ſignificet apud Judæos. 272
Inunctio Chriſti quando contigerit. 481
Joabus in catalogo Heroum David quare non memoretur. 277
Joachimus Rex quare non memoretur in Genealogia Chriſti. ibid.
Joahas quare dicatur Joſiæ primogenitus. 113
Joannes ſignificat Deus ſe gratioſum præſtitit. 283
Joannes Baptiſta natus eodem anni die, quo Circumciſio inſtituta. 113
  ex linea Sacerdotali tam ex parte matris, quàm patris. 254
  quo tempore anni fuerit natus. 264
  fuit in omnibus Eliæ ſimilis. 266
  ejus nativitas admodùm miraculoſa. 283
  ejus doctrina tam quoad modum prædicandi, quàm ſcopum, erat à literali Legis doctrina admodùm diverſa. 314
  Lex enim exigit perfectam obedientiam, Joannes reſipiſcentiam. ibid.
  eodem modo fuit miſſus, quo Propheta. 317
  eum fuiſſe Chriſtum quare populus ſuſpicabatur. 325
  non habuit poteſtatem edendi miracula. 329
  quare Chriſtum baptizare renuit. 335
  unde cognoverit illum eſſe Chriſtum. 336
  Chriſtum ante ejus adventum ad Baptiſmum nunquam aſpexerat. 337
  quo tempore anni baptizare inceperit. 315
  an unquam ipſe fuerit baptizatus. 338
  tres emenſus eſt annos publicè intra quatuor Paſchata concluſos. 340
  per ſex menſes prædicaverat cùm Chriſtus baptizaretur. 341
  poſt baptizatum Chriſtum nunquam in eodem loco vel fluvio legitur baptizaſſe. ibid.
  an in Baptiſmo Chriſti communi baptizandi formulâ, an verò nullâ, vel novâ uſus ſit, dubitari poteſt. 342
  ejus Baptiſmus eſt idem qui Baptiſmus Apoſtolorum. 446
  Scholaſtici hoc negant. ibid.
  an fuerit in Galilea. ibid.
  quouſque ritus Judæorum in Baptiſmo ſit imitatus. 447
  primùm docebat antequàm baptizaret. 449
  etiam parvulos abſque dubio baptizavit. ibid.
  quo ſub prætextu ab Herode in carcerem conjectus. 455
  priùs prædicavit quàm baptizavit. 437
  illius teſtimonii de Chriſto perſpicuitas & vigor. 376
  fuit Elias; ſed non ille quem expectabant Judæi. 377
  quomodo ante & quomodo poſt Baptiſmum loquatur de Chriſto. 381
  quare à Judæis interrogatus an eſſet Chriſtus. 386
  an eſſet Elias quare Judæi tam anxiè percunctati ſint. 388
  ubique baptizavit inter Judæos. 392
  ejus præcipuum munus. 496
  quare non loquatur de credere Euangelio. ibid.
  eum poſſe eſſe Meſſiam Judæi putarunt. 545
Joannes Euangeliſta in initio Moſem preſſè ſequitur. 252
  quare dicitur iſto elogio Diſcipulus quem Jeſus diligebat. 500
Job quando & ubi vixerit. 24, 227
  ejus liber quando & à quo conſcriptus. 24, 177
  ex quo oriundus. 24
  fuit Gentilis. 227
  ejus afflictiones. ibid.
  ejus filii quare non duplicati. 25
  fuit Moſi ſuperſtes. ibid.

Jobi amici nunquam niſi ſemel Deum Jehovam vocarunt, & quare. 168
Joël quando vixerit non idem ſentiunt docti. 94
Jojakimi exitus. 128
ימי כניכה *quinam dicebantur à Judæis.* 476
ימים *annum ſæpè ſonat in S. Scriptura.* 486
Jonas quando vixerit. 91
ejus natales. 208
quare noluerit ire Niniven. 96
fuit Propheta Gentium. ibid.
ejus authoritas à Kimchio probatur. 201
ejus liber totus miraculis contextus eſt. 208
quare hæc Prophetia pars ſit facta S. Scripturæ, cùm tota ſit adverſus civitatem Ethnicam. 202
quare vocetur Ben Amitthai. 208
in navi cum eo fuiſſe de ſeptuaginta nationibus credunt Judæi. 213
fuit ortus ex Galilæa. 269
quare præter mandatum Tarſum confugit. 486
Jones quinam. 198
Joram Prorex. 85
Jordanes totus quà Judæam alluit in tranſitu Iſraëlitarum fuit exſiccatus. 342
ejus aqua non fuit ſolùm ad Baptiſmum Joannis deſtinata. 318
per ejus alveum Iſraëlitæ Canaanem intrantes duplici agmine inceſſerunt. 342
Chriſtus eadem fluvii parte fuit baptizatus. ibid.
ejus latitudo. 393
Joſaphat quare Rex Iſraëlis vocetur. 85
Joſephi oſſa ex Ægypto exportata, & quare. 210
Joſephus corrigendus. 454
ejus teſtimonium de Joanne Baptiſta. 267
Joſephus Bethleemæ natus qua de cauſa in Galilæam migraverit. 289
illum jam Mariæ deſponſatum Capernaumi vixiſſe veriſimile eſt. 279
uxorem eum repudiaſſe volunt Pontificii, non ob aliam cauſam, quàm ob nimiam virtutem. ibid.
uxori adulterii ſuſpectæ indulgendo non fecit contra Legem. 280
propriè non fuit filius, ſed gener Heli. 350
ejus majores Mariæ majoribus ſinguli ſingulis ferè duplo diutiùs vitam protraxerunt. 351
videtur ante publicum Chriſti miniſterium mortuus. 406
Joſua non ſcripſit librum Joſuæ. 42
ejus geſta illuſtriora typi fuere Chriſti. ibid.
quamdiu Iſraëli præfuerit. 240
ei, ad introitum terræ Canaan, quare in mandatis detur ut omnem populum circumcideret. 327
Jothami de viceſimo anno ſcrupuli duo. 244
Irreverentiam monſtrare in toto Monte Domûs Judæis quàm ſeverè prohibitum erat. 725
Iſaac quare ſic vocatus, & quando oblatus. 14
Iſis Ægyptiorum Dea. 173
Iſmaël probabiliter fuit ſervatus. 16
quare non nominetur in Genealogia Chriſti. 277
Iſraël in Ægypto circumciſus triduo tenebrarum. 170
quare Deus hoc ita diſpoſuerit. 171
poſt obitum Patriarcharum peſſimè ſe gerit. 23
ejus introductio ad montem Sinæ in Eccleſiam viſibilem Baptiſmo peracta eſt. 329
populus Dei dilectus quare dicatur. 200
adorat verſus Occidentem. 179
Iſraëlem inter & Judam diſtinctio ubi inceperit. 67
Iſraëlitæ in Ægypto quo tempore circumciſi. 28
cruda in feſtivis epulis comedebant. 171
eodem die cum Chriſto ederunt Agnum Paſchalem. 172
eorum afflictio in Ægypto quamdiu duraverit eſt incertum. 225
diſperſi inter Ethnicos quare circumciſione olim utebantur. 328
eorum jus ad Terram Sanctam quando ſenſim cœperit imminui. ibid.
Iturea videtur ſic dicta à Jethure Iſmaëlis filio. 316
erat ſita in confinibus Arabiæ. ibid.
Jubilæa in ſcriptis ſuis valde confundunt Judæi. 484
qua de cauſa. ibid.
quo tempore ſecundùm eos deſierunt. ibid.
Jubilæum quid ſignificabat. 176
Juda uxorem duxit ante annum duodecimum. 159
Judæa dividitur in montoſa, planitiem, & loca Auſtralia. 256
quare dicatur Vallis Viſionis. 107
& Syria tempore Chriſti erant una Provincia. 316
in ejus regionibus quamdiu commora-

ratus fuit Joannes Baptiſta. 429
Judæi quando in formam Reipublicæ redacti. 173
teſtimonium perhibent adverſus ſeipſos, dicendo fidem eſſe ſummam Legis. 175
eorum articuli fidei ex Lege Moſis. ibid.
qualia eorum ſtudia. 198
Thalmud tanti faciunt, quanti Pontificii Concilium Tridentinum. 199
multa furati ſunt ex Euangeliis. 205
linguas numerant ſeptuaginta. 213
non ſunt Phœnices. ibid.
hodie linguam propriam non habent. 214
quomodo ætatem hominis diſtribuant. ibid.
in Turcia res ſuæ Religionis linguâ Arabicâ, ſed charactere Hebræo deſcribunt, & quare. 215
nugantur fœminas Iſraëliticas ſenos ediſſe uno partu. 226
quotuplici modo dicantur eſſe Chriſti. 252
eorum annus brevior eſt anno ſolari undecim diebus. 259
acerbiſſimum erat eorum adverſus Gentes odium. 266
quare Gentes abominabantur. 267
tempore Chriſti puram linguam Hebræam non intellexerunt. 280
quare etiam à Joanne Baptiſta debuerunt baptizari. 314
eorum odium acerbiſſimum erga Publicanos unde natum. 324
quomodo ſolebant baptizare. 447
ſolùm Ethnicos baptizabant, non Judæos. 449
eorum damnatio tempore Chriſti in quibus conſtiterit. 445
eis à Samaritanis cibum emere licuit. 457
quibus ritibus ſolemnibus Samaritanos execrari ſolebant. 462
quàm plurimi tempore Ezræ fiebant Samaritani. 463
qua de cauſa. ibid.
nominibus Græcis abundarunt. 397
in diebus Meſſiæ res incomparabilis terrenæ pompæ ſibi vanè promiſerunt. 434
quare in Scriptis ſuis Samaritanos vocent Cuthæos. 464
quomodo Chriſtianos vocare ſoleant. ibid.
Deum externis omnino ritibus & ceremoniis adorarunt. 467
eorum peccata tempore adventûs Meſſiæ. 493
ſervitutem ſpiritualem & corporalem patiebantur cùm Chriſtus advenit. ibid.
eorum opiniones de adventu Chriſti erant plena terroris. 506
diu caruerunt Phariſaïſmo & Sadduceiſmo. 519
credebant ſe poſſe obtinere vitam æternam ſtudio Legis ex opere operato. 529
eorum diſtributio. Vide Teſtamenti.
Judæo in cultu divino occupato non licet ſe convertere, ſi ſerpens calcem ejus morſu petat. 199
Judaicæ Theologiæ pars optima in quibus conſtiterit. 439
nationis diviſio ſecundùm Thalmudicos. 517
Judaicus Papiſmus. 219
Judaiſmus ab Euangelii tenore non prorſus alienus. 449
Judas Græcè ponitur pro Hebræo Jehudas, & quare. 274
Judices apud Judæos quibus diebus in tribunali ſedere ſolebant. 476
Judicia primo die feſti Paſchalis incipere non debebant Judæi. 742
Judicialis Lex ducit ad Chriſtum. 231
Judicis imperium quo uſque ſe extendebat apud Iſraëlitas. 47
Judith quare vocetur Aholibama. 159
Jugum cœli ſuſcipitur, phraſeologia Thalmudicis uſitata, quid ſignificet. 432
Juſti etiam ſunt morbis obnoxii. 524
Juſtitia ſumitur aliquando pro æquitate, ſive ſubſtantia Legis Cæremonialis. 339
Juſtitia Dei aſſerta per hiſtoriam Creationis. 153
Juſtitiam (per) Legis abſque fide nemo juſtificari poteſt. 264
omnem Legis impleviſſe Chriſtum etiam antequàm baptizaretur, credidit Theophylactus. 338
Juvencos edebant Judæi poſt Agnum Paſchalem. 172
Juvencus Summi Sacerdotis pro peccato ignorantiæ quomodo offerendus. 707
quomodo extra Caſtra comburebatur. ibid.
Juvenes Sacerdotii quinam ſunt in Scriptis Thalmudicorum. 691

K.

Kades Barnea quid ſignificet. 35
קדשים quænam ſint. 80
Kainan quare Hebraicæ veritati à 70. Interpretibus additus. 212
Kalendarium Sacerdotale, ſive Claſſium ſucceſſio hebdomadaria. 259
portionum Legis & Prophetarum quæ ſingulis hebdomadis prælegebantur. ibid.
Ka-

Digitized by Google

Karaitæ quinam, & undenam ſic dicti inter Judæos. 520
Kedorlaomer unde oriundus. 12
Kedron vallis ubinam. 557
Keriath Shema quid vocare ſoleant Judæi. 720
  tempus quando hoc recitandum. ibid.
Ketura quo tempore nupſerit Abrahamo. 157
Kinnor ſive Cinnyra quale inſtrumentum muſicum fuerit apud Judæos. 697
Kir eſt Aſſyria. 107
Koheleth quare Eccleſiaſtes vocetur. 76
Κόλασις *qualis pœna vocetur apud Græcos.* 275
Κωφὸς *ſignificat tam ſurdum, quàm mutum.* 268
קראת *multiplices admittere poteſt ſignificationes.* 270
Κύριος *& Adonai & Jehovah exprimit apud Græcos.* 471

L.

Labrum aquæ. 185
  figura aquæ Baptiſmi. ibid.
Lætiores quare eſſent Judæi in feſto Tabernaculorum quàm in aliis feſtis. 751
Laico licitum eſſe Sacras Scripturas evolvere teſtatur Lucas. 247
Lamech Polygamiam introduxit. 3
  ejus uxor conſulit Adamum ſuper rixas cum marito. 472
Lamina aurea Summi Sacerdotis fronti alligata qualis. 682
Lana coccinea alba aliquando evaſit in capite Hirci emiſſitii. 610
Lapidatio quomodo peragebatur apud Judæos. 609
Lapides quare à Chriſto Satanas in panes mutatos vult. 368
Lapidibus qui obruebantur nudi erant apud Judæos. 609
Lapſus Adami. 223
  in eo erant tres offendentes, tres offenſæ, tres offenſi. ibid.
Laqueo quomodo ſupplicium ab aliquo ſumebant Judæi. 609
Latina lingua ejuſque laus. 218
  mater eſt Francicæ, Italicæ, & Hiſpanicæ linguæ. ibid.
Latini aquam ebullientem eodem modo quo Hebræi exprimunt. 456
Latronum multitudo admodùm magna in Judæa paulo ante excidium Hieroſolymitanum. 460
Lavacra decem Solomonis qualia fuerunt. 643
Lavacri forma & capacitas ſub Templo ſecundo. ibid.
Lavacrum ubinam fuerit in Templo Hieroſolymitano. 642
  à Moſe in deſerto factum an ſuperfuerit tempore Solomonis. 645
Lavandi modus in purificationibus Judæorum. 448
Lavare quamdiu ploratori erat interdictum. 415
Lavationes manuum traditionales Phariſæorum. 409
  quantum aquæ ad id neceſſarium. ibid.
  in quo vaſe aquâ illâ fuerit reponenda. ibid.
Lazari nomine quare Chriſtus in Parabola utatur. 93
Lea & Rachel figuræ duarum Eccleſiarum Veteris & Novi Teſtamenti. 17
Lecti tres in tricliniis veterum. 404
Lectionem Bibliorum inchoant Judæi à feſto Tabernaculorum, & quare. 222
Lectiones Legis quomodo habebantur unoquoque Sabbato. 259
  erant in fine breviores, ſi annus erat Embolimæus. ibid.
Legales victimæ. Vide *victimæ.*
Lectiones variæ ab Ezra inventæ. 201
Legatus Judæ Rex vocatur apud Idumæos. 87
Legem debebat legere publicè ipſe Rex apud Judæos. 751
  ubi. ibid.
  quando. ibid.
  quibus cæremoniis hoc factum. ibid.
  quænam ejus capita prælegebat. ibid.
  Cæremonialem in melius mutatum iri tempore Meſſiæ credebant Judæi. 434
  Civilem vocant Judæi ſeptem Legis ſcripta. 518
  quomodo illud explicent. ibid.
Legere in Synagogis in quinque libris Moſis ſimul colligatis non licuit. 480
  idem de Prophetis majoribus. ibid.
Leges de adulterio quouſque ſe extendebant apud Judæos. 279
  quando monitus circa hanc rem poterat connivere, quando verò non poterat. ibid.
Legis purgationes & lectiones in quem finem collimarint. 331
  inter promulgationem & Spiritûs Sancti donationem quomodo conveniat. 331
  & Euangelii diſcrimen. 384
  ſtudium nocturnum multum commendant Judæi. 431
  diſciplinæ nullum mandatum æquale ſecundùm Judæos. 439
Legiſlator quando inceperit aſſidere puppi Judæorum reipublicæ. 258

Digitized by Google

quinam dicantur in Veteri Teſtamento. 258
Lepra minor tam immunda cenſebatur, quam major. 513
Lepræ curatio ſemel tantùm contigit in Veteri Teſtamento. 86
Lepram nemo Prophetarum præter Moſem ſanavit, & quare. 166
Leproſa manus Moſis quid ſignificaverit. ibid.
Leproſi per quam portam in Atrium Templi intrabant. 415
apud Judæos quomodo à Sacerdote examinati. 754
Leproſus in Euangelio qui potuerit in civitatem intrare. 513
qui ingreſſus erat Montem Templi octoginta ictibus flagellabatur. 678
Lethech qualis menſura apud Judæos. 411
Levi inter filios Jacobi vitam diutiſſimè produxit. 163
omnium Patriarcharum longiſſimè vixit. 23
quare in Sacerdotium electus. 219
Levi etiam quare vocetur Matthæus Euangeliſta. 525
Levitæ non ſubjecti fuerunt maledictioni de non ingrediendi in quietem. 32
non computantur in numeratione Iſraëlis. 69
in Janitores & Cantores diſtributi ea officia mutare non poterant. 694
à quo tempore & quamdiu adſtricti ad miniſterium. 32
quinquennium dare debebant tyrocinio. 33
Leviticæ Tribûs erant quaſi triginta octo Academiæ. 302
Lex lata in Sinai. 229
cur hoc tempore, & non antea ſit promulgata. ibid.
ubinam hæc Lex lata fuerit, deque modo illius. ibid.
quare cum igne & tubis. ibid.
de ejus virtute. ibid.
quo ſenſu vocetur Pædagogus. 230
nos ducit ad Chriſtum. ibid.
quolibet anno in Synagogis perlegebatur. 259
occludit cœlos. 344
Cæremonialis quem in finem ſit data. 339
ejus genuina æquitas & perfectio. ibid.
etiam Lex ſpei dici poteſt, ſicut Lex Moralis Lex fidei, & Judicialis Lex charitatis. ibid.
juxta literam mortis nuncia, juxta ſpiritum mutatur in doctrinam fidei ſalutiferam. 339
Moralis deducebat Judæum ad fidem. ibid.
tradidit doctrinam ſalutis cum maxima obſcuritate. 344
in ſpiritu & medulla ipſius erat doctrina fidei, ſed in litera & externa adminiſtratione nuntia mortis. 384
cæremoniarum Legem quomodo Chriſtus exhibuerit. ibid.
hæc dupliciter Judæos obligatos tenet. 414
ſecundùm Judæos ſeptuaginta & duabus diverſis rationibus exponi poterat. 439
in Synagogis à paucioribus quàm à tribus legi non poterat. 479
contra opiliones in Ægypto unde nata. 156
Moſis quot præceptis conſtet. 175
de redemptione agri figura Chriſti. 176
de mundo & immundo. 31
qualis per Adamum in Paradiſo violata. 228
Libanum montana regio ingentis ſpatii erat. 447
undenam hoc nomen. ibid.
Liber Legis fuit ſcriptus quadraginta dies ante Tabulas Legis. 177
quâ occaſione. ibid.
bellorum Dei qualis. 137
rectus. ibid.
Libra viginti quinque ſiclos continet. 179
Lignum ad Altare afferre ſolebant omnis populus. 755
quando. ibid.
ubinam deponebatur. 756
Lingua Hebræa, ejuſque laus. 214
Linguarum confuſio. Vide *Confuſio.*
quot linguæ in illa confuſione exortæ incertum. 211
Literæ ante dationem Legis fuerunt in uſu. 213
imò ante diluvium. ibid.
earum inventio quibus gentibus adſcribatur. ibid.
à Deo tabulis inſcriptæ an fuerint omnium primæ. ibid.
Lites quomodo decidebat Synhedrium ex Lege non ſcripta. 518
Loca excelſa in Scripturis toties celebrata qualia fuerint. 474
ſæpè malè ſonat in Sacra Scriptura, ſed non ſemper. ibid.
in quibus ſedit Magnum Synhedrium antequàm ſederet in Conclavi Gazith. 566
Locus ubi Chriſtus baptizatus eſt admodùm incertus. 341
Longanimitas Dei erga Iſraëlitas. 95
Longitudo laterum Templi deſcribitur. 554

Lot

Digitized by Google

Lot è filiabus duas flammis Sodomæ amiſit. 13, 157
uxoremque fulmine. ibid.
Loti uxor quando perierit. 157
Lucas conſcripſit Euangelium in uſum Gentium & Judæorum. 334
Ethnicis ſcribens juxta Ethnicorum codicum uſus debebat ſcribere. 353
quare non obſervavit ordinem in hiſtoria tentationis Chriſti. 361
in una continuata narratione totum Joannis miniſterium comprehendere voluit. 452
auctorum opera, qui ante ſe de Chriſto ſcripſerunt, non vituperat. 247
Lucernæ quomodo reficiebantur in Templo Hieroſolymitano. 719
Luctus Jacobi cum Deo qua de cauſa. 219
Lulabb vocabant Judæi faſciculum ramorum in feſto Scenopegiæ. 748
Luna nova. Vide *Nova.*
ante ſolem creata. 153
Λύτρωσις eſt redemptio ſoluto pretio. 283
Lux ſumitur aliquando perſonaliter pro ipſo Chriſto, aliquando virtualiter pro lumine ab ipſo emanante. 251
quare Chriſtus ita vocetur. 252
Lychnuchus. Vide *Candelabrum.*
Lyſaniam Herodis filium fuiſſe falſiſſimum eſt. 316
neque etiam Ptolomæi Mennæi. 317

M.

MAccabæi. Vide *Aſmonæi.*
Maccabæorum à tempore lingua Hebræa deſiit eſſe familiaris. 214
Macedonia quare dicatur Cithim. 198
Macedonica dialectus in lingua Græca durior eſt. 217
Machæri caſtellum erat in Peræa. 447
Mactatio matutini ſacrificii quando & quomodo peracta. 719
Magi Ægyptiorum in ipſis plagis blaſphemi. 169
quo anno Chriſti & quo anno mundi Chriſtum inviſerunt. 246
quandonam venerint ad Chriſtum adorandum. 295
in S. Scriptura ſemper in ſequiorem veniunt ſenſum. 299
aſt apud Ethnicos Autores laudem plerumque hoc nomen ſubindicat. ibid.
apud Perſas nemo regno potiri potuit, niſi illorum præceptis inſtitutus. ibid.
qui Chriſtum adorarunt fuerunt venefici & homines malæ notæ. 300
illos ab Erythræa Sibylla monitos fuiſſe crediderunt Veteres. ibid.
alii eos Balaamo conſanguinitate conjunctos fuiſſe credunt. ibid.
nonnulli hos patriâ Chaldæos fuiſſe exiſtimant. ibid.
alii eos Perſas fuiſſe credunt, quia Magus Perſarum vox eſt. ibid.
alii eos ex Arabia, vel Meſopotamia haud procul à Charrane profectos volunt: quæ ſententia eſt probabilior. ibid.
Magiſtrum à Deo miſſum quomodo Nicodemus Chriſtum vocet. 431
מעזיבה *quid ſignificet apud Thalmudicos.* 571
Mahhanaim quid. 221
Mahommetes in Alcorano vocat Jeſum Verbum Dei. 250
ejus Alcoranus mortis ſub pœna deſcribitur, ſi in ulla litera erretur. 218
Mala citrea habere debebant Judæi in feſto Tabernaculorum. 748
Maleaci Propheta quiſnam fuerit. 143
vinculum Judaiſmi & Chriſtianiſmi. 216
מלות שונות *quales ſunt phraſes apud Hebræos.* 358
Manaſſe Jeſajam obtruncavit. 111
Mandatum primum Iſraëli per Moſem datum. 171
Manipulum frugum quando offerre debebant Judæi. 468
Manum Dei eſſe cum aliquo quid ſignificet.
Manus lavare. Vide *Lavatio.*
non ſemper imponebant Judæi in ordinatione. 478
ambas an deberent imponere capiti victimæ diſputatur apud Judæos. 702
Maonitæ quinam ſic appellantur. 84
Maran atha quid apud Judæos. 779
Marcion vetabat beſtias occidere. 232
Mare Rubrum quare ſic dictum. 204
Æneum in Templo fuit miraculum artis. 647
Mares quare ſolummodo circumcidi Deus voluit. 327
Margarita qualis vocetur Tharſis. 198
in Pectorali meliùs Zebuloni quàm Aſero adſcribitur. ibid.
Marginales lectiones Biblia Hebræa non arguunt corruptionis. 201
non ſunt humanæ correctiones. ibid.
Maria minimè prædicatur ab Angelo ut gratiâ plena. 269
neque etiam talis reverà fuit aut præ aliis quid habuit, quàm quòd peperit Chriſtum. 270
eam poſt natum Chriſtum nunquam ab ullo mortalium fuiſſe ſalutatam credunt Pontificii. ibid.

Mariam virginitatis voto fuiſſe obſtrictam unam concludant Pontificii. 271
quandonam hoc ſe obligaverit diſputant. ibid.
quare poſt nuntium Angeli Chebronem feſtinaverit diſputatur. 272
pro Euangelio Martyrium ſubire debuit. 293
ejus nomen quare omittatur in Genealogia Chriſti. 351
novit Chriſtum eſſe Filium Dei. 407
eam caſtigatione unquam opus habuiſſe negant Pontificii. ibid.
etiam graviſſimè peccavit. 408
eam Joſepho deſponſatam non eum ipſo in eodem oppido vixiſſe veriſimile eſt. 279
Maſoretha quinam. 201
Matrimonium inter Judæos non erat res indifferens, ſed potiùs habebat vim præcepti. 271
honore proſecutus eſt Chriſtus. 405
Matthæus Euangelium ſuum in Hebræorum uſum exaravit. 276
id non potuit Hebraicè ſcripſiſſe. 280
& Lucas diſcrepant in narratione ſua de Chriſti tentatione. 361
etiam vocatur Levi. 525
ubinam fuerit Publicanus. ibid.
Media nox. Vide Nox.
Medice cura te ipſum *quali proverbio efferre ſoleant Judæi.* 472
מולת *quid ſignificet apud Hebræos.* 471
Melchiſedek eſt Sem. 15, 212
Membra victimæ immolandæ quomodo igni impoſita. 705
Membrum Synagogæ ſolummodò in ea legere poterat. 479
Menſa panum propoſitionis. 182
Menſæ in lectis ſedentes accumbere ſolebant Judæi in feſto Paſchatis. 734
inclinatio corporis eorum. ibid.
quare hoc ita fecerint. ibid.
Menſarius quinam dicebatur apud Romanos. 416
Menſe Martio Joannes cœpit baptizare. 171
Menſura ſoli Montis Templi. 554
Templi à filiis Captivitatis extructi. 605
Menſuræ liquidorum apud Judæos uſurpatæ. 410
quid communiter indigitent apud Anglos. 412
Meſopotamius primus oppreſſit Iſraëlem in terra Canaanis. 47
Meſſem quo tempore incipere ſolebant Judæi. 429, 468
Meſſiæ veri duæ erant præcipuæ ac primariæ notæ apud Judæos. 276
Meſſiam qualem Judæi adhuc expectent. 214
Meſſiam Ben Joſeph inter & Meſſiam Ben David diſtinguunt Judæi. 276
Meſſias ſecundùm Judæos ſex benedictionibus locupletabitur. 256
eum vocari Jeſum quia homines liberabit, dicunt Judæi. 280
ejus nomen ſecundùm Rabbi Jochanan futurum eſt Haninah. 283
ſecundùm Rabbinos per ſermonem labiorum ejus occidet Romulum illum nequam. 287
ad ejus cognitionem quomodo Deus homines perducere voluit. 345
cùm venerit, ſecundùm Judæos nemo cogniturus eſt unde ſit. 395
Græcè expreſſum nunquam non Chriſtum ſignificat. ibid.
quare nulla eum miracula editurum dicant Judæi. 435
eum expectare Samaritani à Judæis didicerant. 467
ut jam jam adventantem tempore Chriſti expectabant Samaritani. 469
à quibus Judæos, ſecundùm eos, redimere debebat. 494
eum futurum magnum Judæorum Doctorem fusè in Prophetis prædictum. 496
etiam ut Legiſlatorem eum expectare jubebant Prophetæ. 497
ſe Meſſiam eſſe Chriſtus probat perſpicuis argumentis. 535
eum conquerentem adverſus coævam ſibi generationem introducunt Thalmudiſtæ. 548
Meſſis ſpiritualiter ſumpta quid ſignificet in Euangelio. 468
Μετανοεῖν *quomodo à Septuaginta uſurpetur.* 495
Methuſala quid ſignificet. 5
quando mortuus. ibid.
an poſt diluvium fuerit ſuperſtes. 207
ejus mors. 224
Μετρητὴς *qualis menſura.* 404, 410
Mica primus Religionis corruptor. 46
Midraſhoth quales dicebantur Scholæ apud Judæos. 432
Migrephah Thalmudicorum non facilè in linguam Latinam transferri poteſt. 642
Milites Davidis quomodo ſerviebant. 69
de quibus in Euangelio non fuerunt Judæi, ſed Gentiles. 325
Millia Judæ ſunt ſecundùm Rabbinos, vel familiæ, vel urbes Judæ. 305
Millo ejuſque ſitus. 560
Miniſter Judæorum Atria perambulabat, ejuſque officium. 417
poterat cremare veſtes dormientium in Templo. ibid.

Digitized by Google

quale nomen ei dabant. 417
Miniſter Congregationis quinam dicebatur apud Judæos. 476
Miniſteria varia in Templo. 718
uniuſcujuſque Claſſis Sacerdotalis apud Judæos quomodo dividebantur. 694
Miniſterium Joannis non carebat fructu in aula Herodis. 471
Miracula prima, quæ uſquam à Propheta patrata ſunt, quænam fuere. 166
illorum ſignificatio. ibid.
duo ſtupenda in nativitate Domini. 265
quamdiu ceſſarunt inter Judæos. 417
multa patravit Chriſtus Hieroſolymis. 418
quare noluerit facere ad petitionem Judæorum. ibid.
Chriſti prima in Templo qualia fuerunt. 428
à Chriſto peracta fuerunt ſignum indubitatum regnum cœlorum jam adveniſſe. 435
majora fecit Chriſtus ſub N. Teſtamento, quàm Pater ſub Veteri. 538
Chriſti quomodo Judæi eludere conati ſint. 545
Miraculorum donum quando inceperit in Eccleſia. 165
Miraculum noviſſimum ab homine patratum ante tempora Chriſti. 418
primum ab ullo homine editum. 405
Ænei Serpentis fuit poſtremum à Moſe peractum. 444
editum in porta ænea Templi. 605
Miriam quid ſignificet. 25
murmurat adverſus Zipporam Moſis uxorem. 34
Moab ſubigitur. 106
ejus pars tertia à Davide occiditur, metiendo illos funiculo. 63
מובני כיור quid ſit apud Thalmudicos. 643
Modus ſedendi in Synagogis Judæorum. 476
Mons in quo Lex data biceps, & inde binominis. 174
Domûs totus vocatur Templum. 414
quid ſit cùm à Templo diſtinguitur. 415
ab Urbe undequaque concluſus. 562
ſanctior erat ipſâ Hieroſolymâ. 673
à Chriſtianis Scriptoribus vocatur vulgò Atrium Gentium. 712
eum ingreſſi à quatuor abſtinere oportebat. 724
pertranſire Judæis prohibitum. ibid.
Oliveti oppoſitus erat è regione Hieroſolymæ. 556
Monarchia Aſſyria quomodo ceperit incrementa. 112
Monarchia Babylonicæ initium inveſtigare non eſt arduum. 246
Monarchia quatuor regnorum, Babylonii, Medo-Perſici, Græci, & Syro-Græci. 132
Moralis Lex. Vide Lex.
Morbis mederi an fuerit in Chriſto è conjunctione duarum naturarum. 363
Morbos triplicis potiſſimùm generis curavit Chriſtus. 510
Mordechai quando captivus abductus. 122
Moriah mons Domûs Domini undenam trahat originem. 553
ejus etymologia aliquid futurum indicat. ibid.
ejus ſitus. ibid.
erat valde præfractus. ibid.
etiam in diſtributione agrorum fuit inter Tribus diviſus. ibid.
Mors ſecunda, undenam illa phraſis invaluit apud Judæos. 520
per manum Cæli quid ſit apud Thalmudicos. 675
ab hominibus infligi non poterat. 676
erat ſubita aliqua ultio Dei erga tranſgreſſores. 677
Mortuum primum in mundo fuit figura Chriſti. 2
Moſes jejunavit tribus vicibus. 178
ejus nativitas ſupernaturalis. 164
ejus baculus quare ad montem Sinai in נחש, & coram Pharaone in תנין converſus. 166
quare acceperit cineres è fornace ad producenda ulcera. 170
ejus uxor quare tam ſerò venerit in caſtra Iſraëlitarum. 174
ejus baculus in Crocodilum verſus. 27
peccatum ejus Kadeſchi. 36
à quo ſepultus. 40
ejus pronepos eſt primus Sacerdos idololatricus. 45
de Creatione agens, diſtinctionem perſonarum per plurale Elohim oſtendit. 250
an primus Legem in Sectiones diviſerit. 259
eum inter & Zachariam patrem Joannis Baptiſtæ comparatio. 283
Legem dedit ad opera promovenda. 384
plus Dei vidit, quàm ullus hominum. 385
ejus primum & ultimum miraculum in ſerpentibus verſabatur. 444
legebatur quovis die Synagogæ. 479
eum Legem Oralem etiam in Sinai accepiſſe tradunt Judæi. 517
ejus Canticum Deuter. 32. quando canebant Levitæ. 699
Motza locus paulò infra Hieroſolymam. 748

Mulier cùm ſacrificium offerret admittebatur in Atrium. 700
Mulieres etiam in miniſterium Tabernaculi admiſſæ. 53
quomodo in Judaiſmum recipiant Judæi. 448
præcipuè ſolebant offerre aves apud Judæos, ſed non ſolæ. 711
cùm non aſcenderent ad Paſcha, quid illis intereà injunctum. 731
Mundus eſt Liber conſtans tribus foliis. 222
habuit initium. ibid.
quo tempore anni creatus. 171, 222
ejus ætas tempore Nativitatis Chriſti. 237
per ſex annorum millia continuabitur. 240
ejus annus quotus jam ſit. 246
erat à Creatore redimendus. 249
Judais opponitur in S. Scriptura. 377
in Scriptura non ſunt omnes & ſinguli. 444
quare eo verbo in negotio ſalutis ſæpius utatur Salvator. ibid.
Murus qui ambibat tetragonum ſacri ſoli qualis fuerit. 555
Orientalis altus fuit ſex cubitis. ibid.
Muſicam ad ſacram in Templo quinam apud Judæos admittendi. 696
Mutatio temporum in Scriptura res uſitatiſſima. 376
Myſterium Incarnationis an Satanæ fuerit ignotum. 367

N.

נ *inverſum quid ſignificet.* 201
Naaman Proſelytus factus eſt. 86
veniam petit ab idololatria commiſſa, non à committenda. ibid.
Nabel inſtrumentum muſicum quale fuerit apud Judæos. 697
Nadab Jeroboami filius quomodo dicatur biennio regnaſſe. 241
נערה *virginem quidem notat, ſed non ſemper, eſtque propriè adoleſcentula, virgo an ſit, necne.* 280
Nahum Propheta conſolator Hieroſolymæ. 109
Naſi vocatus fuit Princeps Synhedrii apud Judæos. 310
Nathan quare David filium vocaverit. 64
Nationum omnium jus ad Meſſiam ex Lucæ Genealogia patet. 353
Naturæ binæ Chriſti in ejus Genealogia demonſtrantur. 354
Naturas Chriſti binas in una perſona ut intelligamus Spiritus Sanctus ſedulò omni datâ occaſione curat. 347
Navem inter majorem & minorem qualem ſtatuant differentiam Thalmudici. 498
Nautæ Gentiles, qui cum Jona in navi erant, quomodo ſacrificaverint & vota voverint. 204
Nazarenus quare dicebatur Chriſtus. 487
Nazareth Arabicè auxilium, *Hebraicè* ramus *eſt.* 269
Nazarethæ nequitia. 399
Nazi Synhedrii Magni quiſnam eligebatur. 608
Nebucadnezar non tres pueros, ſed viros quadraginta annorum fornaci impoſuit. 131
ejus Monarchia quando inceperit. ibid.
Negatio inter duas affirmationes interpoſita emphaſin addit locutioni. 377
probationis quid & quomodo uſurpetur in Scripturis. 409
Nehemiæ & Ezræ differentia in recenſendis Judæis unde oriatur. 142
quamdiu vixerit. ibid.
Nehemiah quomodo procedat in enumerandis portis Hieroſolymitanis. 532
Neomenias quomodo Synhedrium toti Genti innoteſcere faciebat. 725
Neri pater Salatiëlis unde nomen acceperit. 351
Neſtorii error circa unionem Hypoſtaticam. 253
Nethenim quinam, & quid illorum officium. 41
Netzer eſt duplicis ſignificationis. 461
Nicanoris in porta uxor probabatur potu aquarum amararum. 604
Nicodemus quâ nocte venerit ad Chriſtum. 429
talis cujuſdam celebris mentio in Thalmude. 430
preces ejus mirabili modo bis exauditæ. ibid.
filia, ejuſque lectus ſplendidiſſimus. ibid.
an ſit idem cum illo in Euangelio. ibid.
in Euangelio an fuerit Sacerdos. ibid.
an aquarum inſpector in feſtivis ſolemnitatibus Judæorum. ibid.
ejus converſio magis miranda quàm cæterorum Judæorum. ibid.
in eo ſpectatur potentia Euangelii. ibid.
nomen quando in uſu receptum apud Judæos. 379
quare ad Chriſtum venerit nocte. 430
id non fuit ſolummodò ex metu Judæorum. ibid.
veniens ad Chriſtum habuit apparentiam quandam debilem regni Chriſti 434
an habuerit Scholam Theologicam. 439
Nilus numen Ægyptiorum. 27
exundans ripas reddit Ægyptum fertilem. 225
ejus

Digitized by Google

ejus aquæ an fuerint cauſa multiplicationis Iſraelitarum. 226
Ninives converſio fuit magnum miraculum. 208
an timuerint Deum ante tempora Jonæ. ibid.
Noah quare Conſolator dictus. 155
ex Arca exiit ipſo hyemis principio. ibid.
an ſacrificaverit eodem altari quo Adam. 203
quo reſpectu dicatur octavus. 3
dominium habuit in creaturas. ibid.
in quo illud aſſerat a dominio Adami. ibid.
Nocturnum Legis & Theologiæ ſtudium multùm commendant Judæi. 431
Nomen Dei ſæpiſſime in Sacro Codice pro ipſo Deo ſumitur. 252
Dei & ipſe Deus quare unum idemque ſunt. ibid.
pueris aliquando à matre fuit inditum. 282
nonnunquam à fœminis quæ puerperio intererant. ibid.
aſt ſemper patris judicio fuit reſervatum, ſi vellet comprobare, vel novum ſubſtituere pro lubitu. ibid.
Nomina in Circumciſione impoſita. 167
impiorum celare & oblivioni tradere ſolet Deus. 277
uni homini fuiſſe plura ſemper in Sacris obſervare eſt. 278
in Sacra Scriptura crebrò mutantur. 396
Chriſtus trium virorum mutavit in Novo Teſtamento. ibid.
Deus trium virorum mutavit in Veteri Teſtamento. ibid.
Syriaco ſermone appellativa in a plurimùm terminantur. 397
vertuntur in propria s fini adjiciendo. ibid.
prima ab Adamo uxori & liberis indita non erant ſine præſago Spiritu de Chriſto ejuſque liberatione. 283
Nominum tranſmutationes in Scriptura unde ortæ. 79
geminatio fuit frequens apud Judæos. 525
Nova luna ejuſque ritus apud Judæos. 725
quomodo incolis totius terræ Judaicæ fuerit ſignificata. 726
Novem circiter annis non pluit aliquo tempore Hieroſolymis. 570
Noviluniis ſingulis erant quatuor Lectores Legis in Synagogis Judæorum. 479
Νωθεία qualis pœna fuerit apud Græcos. 275
Novum & Vetus Teſtamentum quomodo inter ſe conveniant. 216
Nox inter Judæos in quatuor vigilias erat diſtributa. 291
quamdiu unaquæque duraverit. ibid.
Thalmudici eam tantùm in tres dividunt. ibid.
media diem à die diſtinguebat apud Judæos. 509
Nubes gloriæ quando primùm apparuerit Iſraelitis. 173
quando receſſit. ibid.
in eremo tempore Moſis montes disjeciſſe, & complanaſſe valles credunt Judæi. 319
Numas Deum per imaginem repræſentari poſſe negavit. 195
Numina Ægyptiorum. 228
Nummularii quinam fuerint apud Romanos. 416
Nuntii miſſi per totam terram Iſraeliticam ad feſta ſignificanda. 726
Dei prima inſtitutio, Chriſtus ibi primum miraculum. 405
Nuptiæ illegitimæ quales vocantur exterminabiles. 454
Dei prima inſtitutio, Chriſtus ibi primum edidit miraculum. 405
Nuptiali die convivium celebrare ſolebant Judæi. 403

O.

'O Articulus utplurimùm habet ſignificationem maximè generalem. 389
Obadia quiſnam fuerit. 95
quando vixerit. ibid.
Obed-Edom filii ſervabant argentea & aurea vaſa Templi. 561
Obedientia Iſraelis. 175
Obitus Herodis ſequitur è veſtigio puerulorum cædem. 307
Oblatio primitiarum ſecundo die Paſchatis quibus ritibus peracta. 742
uxoris adulterii ſuſpectæ qualis. 754
pro peccato Principis qualis. 708
pro peccato privati cujuſpiam qualis. ibid.
dubia vel ſuſpenſa quare ſic fuerit vocata. ibid.
certo pro delicto erat quintuplex. 710
peccantis quænam ſic dicta apud Thalmudicos. 714
farinæ debebat ad minimum eſſe decima pars Ephæ. ibid.
quæ offerebatur cum quotidiano ſacrificio, conjunctam habebat oblationem vini. 715
erat farinæ quæ quotidie matutino ſacrificio conjungebatur. ibid.
Oblationes quotuplices fuerunt in Templo Hieroſo-

 roſo-

roſolymitano. 700
debiti quales. 701
voluntariæ quales. 701
pro peccato pro quibus rebus offerebantur. 705
aſcendentes & deſcendentes quæ à Thalmudicis dicantur. 706
pro peccatis duplicis erant generis. ibid.
pro peccatis ſingulorum hominum. 707
pro peccato quæ non comburebantur extra caſtra quid de iis peractum. 708
pro delicto conſimiles erant oblationibus pro peccato. ibid.
erant duorum generum. ibid.
pro delicto & pro peccato in quo differant. 709
ubinam comedebantur in Templo. 710
ad eas comedendas non accubuerunt menſæ niſi noctu. 711
quædam requirebant ſimul oleum & thus. 714
omnes quæ fiebant in vaſe habebant tres effuſiones olei in orbem. 715
Oblationum farinæ vel panis duodecim genera deſcribuntur. 714
Obſtetrices tempore Pharaonis non fuerunt Iſraelitæ, ſed Ægyptiæ. 24, 164
Obſtetricum Hebræarum verba non fuiſſe mendacium, ſed glorioſam confeſſionem fidei. 164
Odium graviſſimum fuit inter Judæos & Samaritanos. 461
ex quibus cauſis illud originem habuerit. 462
Offerens Holocauſtum debebat manum imponere capiti victimæ. 702
in quo loco ſtabat. ibid.
Offerre pro purificatione bis debebat leproſus. 514
quando. ibid.
Ogus gigas ſecundùm Judæos in ſummitate Arcæ tempore diluvii fuit conſtitutus. 224
Olympiadum computatio tempus nativitatis Chriſti docere non potuit. 237
Omer primum maturorum frugum Deo offerre ſolis Judæis proprium. 673
Omnia vox quomodo ſæpius in Sacra Scriptura intelligi debeat. 467
Opera quædam Chriſto à Deo erant præſcripta. 545
Ophitæ Hæretici. 224
Opſonium non Græca, ſed Latina vox eſt. 312
Opus quod Chriſto à Deo datum quale erat. 468
Oraculum Divinum. 15
primum è Propitiatorio fuit lex de ſacrificiis. 30
intra Velum ſanctiſſimum erat omnium partium Templi. 674
Orare capite aperto in Templo Judæis non licuit. 725
Orationum variæ formulæ quæ apud Judæos in uſu. 721
Oratio Dominica ferè tota ex Judæorum ſcriptis excerpi poteſt. 205
Oratione (ab) incipere debebant Lectores in Synagogis. 479
Orationes. Vide Preces.
Ordinare quinam ſolebat apud Judæos ante tempora Hillelis. 478
quinam poſteà. ibid.
Ordinarius Sacerdos in Templo quinam dicebatur. 679
Ordinatio non ſolùm per manuum impoſitionem fiebat apud Judæos. 431
Concionatorum erat quaſi vocatio apud Judæos. 478
Ordinatus nullum munus niſi ad quod ordinatus erat exercere poterat. 478
circumſpectio Judæorum circa hanc rem. ibid.
Ordinem tentationis Chriſti non obſervavit Lucas. 361
Ordines virorum qui erant circa Montem Domûs. 603
Ordo Sacerdotum ſingulis ſeptimanis in Templo miniſtrantium. 261
legendi Legem ſingulis Sabbatis in Synagogis. 479
Oriens ſemper fuit ob auguria, incantationes & ſortilegia celebris. 300
Orientalis porta Montis Domûs qualis. 555
Othniel Calebi patruus. 44
dux expeditionis contra Gibeonitas. 46

P.

פ & ע quare in Threnis tranſponantur. 127
Pacifica quæ in die Paſchatis obtulerant, comedebant Judæi in Cœna Paſchali. 739
erant præcipua pars ferculi iſtius diei. ibid.
Pacificæ oblationes quare ſic fuerint dictæ. 711
Septuaginta quare tranſtulerunt θυσίας σωτηρίου. ibid.
erant duplicis generis. ibid.
Ethnicorum quæ in ipſo Templo offerebant. 712
Iſraelitarum erant duplicis generis, vel totius Congregationis, vel privatorum. ibid.
privatorum triplices erant. ibid.
ſine pane quales. ibid.
cum pane quales. 713
ex quo animali conſtare debuerint. 712
pro quibus rebus offerebantur. ibid.
ubinam fuerint immolatæ. ibid.

quo-

quomodo ſanguis pacificæ oblationis aſpergebatur. 713
gratiarum actionis comedebantur ipſo die. ibid.
ſed votivæ poterant etiam craſtinâ die comedi. ibid.
Pædagogus quorſum vocetur Lex. 230
Pædobaptiſmus adſtruitur. 390
æquè familiaris erat ſub V. Teſtamento ultimis diebus, quàm Circumciſio. ibid.
Pagorum incolæ apud Judæos in centurias erant relati. 305
Pagus qualiſnam locus reputatur apud Judæos. 475
Palea in Scripturis ſæpè vocatur falſa doctrina. 332
Pallium Ephodi ſolus Summus Pontifex gerere poterat. 681
Palmarum rami quem in finem præciperentur in feſto Tabernaculorum diſputabant Phariſæi & Sadducæi. 748
Palmus qualis menſura fuerit apud Judæos. 554
Panem azymum comedere in feſto Paſchali quàm exactè obſervant Judæi. 735
Panes Propoſitionis quid ſignificaverint. 183
Panis & vinum præcipui inter cibos quos in feſto Paſchatis unà ſumebant Judæi. 734
Papiſtarum error circa Apocrypha res eſt non parvi momenti. 216
Papiſticus Judaiſmus. 219
Parabola Chriſti de Sacerdote & Samaritano. 230
Parabolam Chriſti de Vinea qua de cauſa ſtatim à Judæis fuerit intellecta. 98
Παράδειγμα qualis pœna vocetur apud Græcos. 275
ſemper apud eos in pejore ſenſu uſurpatur. 279
Paradiſus, undenam illa phraſis invaluit apud Judæos. 520
Παραίνεσις qualis pœna vocetur apud Græcos. 275
Paranymphos habebant Judæi, ſed non Galilæi. 470
Parash ſemel tantùm in Scriptura ſeparationem notat. 521
Παρθένος non niſi virginem notare ſolet apud Græcos. 280
Paſcha. 171
transfertur in menſem ſequentem & quando. ibid.
quid illa tranſlatio ſignificaverit. 172
quando Chriſtus illud ederit. ibid.
ejus mandatum quando Moſes acceperit. 27
ſecundum. 30, 33
tranſlatum quid ſignificet. 31
plena erat repræſentatio paſſionis Chriſti. 210
erat Judæis quid amplius quàm mera umbra. ibid.
quænam partes Agni debuerint aſſari. ibid.
quare habitum per noctem. ibid.
in ejus obſervatione præcepta tredecim. ibid.
ejus primo die populus ſe in Atrio Templi ſiſtere debebat. 428
unum tantùm Chriſti deſcribunt tres Evangeliſtæ. 413
quot Joannes. ibid.
Chriſtianorum Paſchatis origo & antiquitas. 414
Chriſtus adhuc privatus etiam ad Paſcha venit. ibid.
quare ibi venerit in publico conſtitutus miniſterio. ibid.
quomodo celebratum fuit apud Judæos. 726
tempore Chriſti per traditiones quàm maximè diſcrepabat ab eo quod tempore exitûs Iſraëlis ex Ægypto celebratum fuit. 727
Ægyptiacum & poſtremorum temporum inter ſe comparantur. ibid.
in primo Paſchate non fit mentio exciſionis contra prævaricantes. ibid.
ejus ipſam diem Scriptores Novi Teſtamenti vocant diem primam Azymorum. 728
ejus præparatio qualis dies fuerit vocata apud Judæos. ibid.
Judaicum an Chriſtus ejuſque Diſcipuli unam diem anteverterint. 729
quo tempore diei à Judæis fuerit mactatum. 731
ejus mactatio ſi incideret in diem Sabbati; non abſtinebant Judæi ab ullo operum Paſchalium. 733
non comedebant niſi ſedendo. ibid.
Paſchata quot publicè celebraverit Chriſtus. 289
Judæorum an à Chriſtianis diſtinguenda. 414
Paſchate quid comedebant Levitæ in Templo. 700
Paſchatis à quo die numerare ſolebant ſeptem ſeptimanas ad feſtum Pentecoſtis. 743
Paſſerculi ad leproſum purgandum undenam. 416
Paſtores tres apud Zachariam ſunt Phariſæi, Sadducæi, Eſſæi. 141
פתח ſignificat & aperire & ſolvere. 281
Pater ſemet ipſum in Chriſto conſpiciendum dedit hominibus. 315
etiam amat Filium ut Meſſiam. 537

ſub V. Teſtamento, mediante Filio, Eccleſiæ beneficia multa contulit. 536
eo mediante mundum condidit. ibid.
longè magis conſpicua per eum geſſit ſub N. Teſtamento. ibid.
Patrem Deum in precibus vocare ſolebant Judæi. 467
etiam fortè Samaritani. ibid.
Patres proximè ante diluvium quare diutiùs cœlibatum coluerint. 155
Græci & Latini quare Verſionem ſequantur Græcam. 207
optimi & ſanctiſſimi ſæpiſſimè habent filios ſibi diſſimillimos. 292
Patriarchas in Limbo fuiſſe abſurdum & ridiculum eſſe probatur. 760
Paulus ſæpiſſimè thalmudizat. 778
ejus converſio à Zacharia prædicta. 141
Paulus Samoſatenus negat Deitatem Chriſti. 528
Pauperes quomodo vocantur Sancti ſub V. Teſtamento. 482
Pax erat non ſolùm in Imperio Romano, ſed in toto terrarum orbe, cùm Chriſtus naſceretur. 288
Peccati varia ſignificatio. 155
Peccatores triginta ſex exterminandi numerant Judæi. 454
Peccatum in Spiritum S. cujuſmodi ſit Scriptura tectis verbis occulit, & quare. 202
abſolutè poſitum omnia peccata includit. 377
ſummum erat cùm Chriſtus in mundum veniret. 493
ex ignorantia quomodo expiare ſolebant Judæi. 706
quare adeò geſtiat ſuperbire. 228
Pectorale quid. 186
Summi Sacerdotis quale erat. 681
Pecunia cum ſua in crumena nemo poterat ingredi Montem Domûs apud Judæos. 723
פקח קוח quid ſignificet. 483
Pediculos quare Magi Ægyptiorum producere non potuerint. 169
etiam fuerunt in terra Gozen. ibid.
& quare. ibid.
quare illorum non ſit mentio Pſalm. 78. ibid.
Pentecoſtis feſtum quomodo & à Judæis & in Scriptura fuerit vocatum. 743
ritus in hoc feſto peracti. ibid.
Πεπληρωφορημένα in ſacro Scripturarum ſtilo certitudinem indicat non ſolùm de rebus geſtis, verùm etiam de modo quo gerebantur. 247
ſemel malè apud LXX. ſumitur. ibid.
Pera cum ſua circa ſe nemo poterat ingredi Montem Domûs apud Judæos. 723
Πέρας an ſignificet aliquando ſecus. 392, 489
Perſæ Deum templo non poſſe comprehendi crediderunt. 195
Perſonarum permutatio in Hebræorum Rhetorica eſt perquam uſitata. 315
diſtinctionem in Trinitate non norant Judæi. 537
Peſtis inter Iſraëlitas tempore Davidis ubi inceperit Hieroſolymæ. 69
Πέτρος quid propriè ſignificet. 396
Petrus non fuit primus Diſcipulorum qui ſe Chriſto adjunxit. 395
quare vocetur Cephas. 397
an adhuc vitam piſcatoriam exercuerit poſtquàm à Chriſto vocatus erat. 499
quare ſemper recenſetur primus in Catalogo Apoſtolorum. 500
ſubiit martyrium in Babylone Orientali. 501
quomodo factus ſit incola Capernaum. 507
Phar apud Ægyptios titulus ordinis, Phara nobilitatis, Phara-oh regiæ majeſtatis. 168
Pharao indurat ſe ipſum in quinque plagis prioribus, Deus indurat Pharaonem in quinque poſterioribus. 170
ejus filia quare omnibus uxoribus à Solomone præpoſita. 74
ea eſt typus aptiſſimus Eccleſiæ. 76
Phariſæi & Sadducæi erant erga ſe invicem odio flagrantes. 320
horum origo quæ fuit, quæve nominis ratio, non eſt facilè inveſtigare. ibid.
eos alii à Paroſcho uno ex populi ducibus cùm ex captivitate Babylonica reverterentur, deducunt. 320
alii à Peruſch, quod eſt expoſitio. ibid.
alii à Paruſch, ſeparatio, quoniam ſe reliquis omnibus ſanctiores exiſtimabant. ibid.
quo tempore hæc Secta primùm ſit nata, obſcurum eſt. ibid
Sadducæis videntur antiquiores. ibid.
dicebant ſua gloſſemata uſque à Moſe continuatâ ſerie dimanaſſe. 321
auſteritate vitæ, ſeveriſque moribus & ſpecie pietatis ſua dogmata commendarunt. ibid.
ii eorumque Secta fuſiùs deſcribuntur. 521
quomodo Judæi ſcribant eorum nomina. ibid.
eorum ſeparatio in quo erat poſita. ibid.
à quibus potiſſimùm ſeparati fuerunt. ibid.
familiariter poterant agere cum aliis. ibid.

inſignem prodebant ſanctitatis ſimulationem. 522
eorum varia genera. ibid.
deſpiciebant Sadducæos ut Hæreticos. ibid.
deſpiciebant omnem populum. 523
quare tam magnâ oſtentatione ſanctitatis utebantur. ibid.
& Scribæ ſæpiùs iidem ſunt. ibid.
qualiſnam tamen ſæpiùs diſtinctio inter illos. ibid.
Philippus nomen quando in uſu receptum apud Judæos. 379
Phineas Autor libri Joſuæ. 42
Phœnices & Judæi non ſunt eadem nationes. 213
Phœnicia lingua intercidit, niſi fortè ſit Punica. ibid.
Φωνὴ varias ſignificationes habet in Scriptura. 427
Phraſes Thalmudicæ in N. Teſtamento uſurpatæ. 207
variæ ejuſdem rei in Euangeliſtis quomodo intelligendæ. 367
Phylacteria eorumque uſus. 200
ad recitanda non tenetur ſponſus. 433
geſtare non niſi docti ſolebant apud Judæos. 476
quando ſub veſperam percurrebant Judæi. 509
quando recitabant Judæi in Templo. 720
Judæorum deſcribuntur. ibid.
an univerſa Gens iis fuerit uſa admodùm incertum. ibid.
Pictor cùm Deam pro civitate Græciæ pingendam haberet, in tabella amaſiam ſuam expreſſit, fecitque ut adoratione culta fuerit. 228
Pilati mores. 316
magno cum Judæorum malo & dolore adminiſtravit Provinciam. ibid.
Piſcina Bethesda eadem eſt cum Piſcina Solomonis Joſephi. 532
hujus aquæ canale ducebantur ad fontem Siloam. ibid.
in Piſcina Siloam victimæ fuerunt lotæ. 533
Placentæ quot panis azymi debuerint eſſe in feſto Paſchatis. 737
Placentas decem faciebant utplurimùm qui ex quatuor coctilium generibus oblationes Deo offerebant. 714
Plagæ Ægypti initium cœpere pro ratione peccatorum. 68
Plato conceptum habuit unius Dei. 195
Plenitudo Spiritûs Sancti in Chriſto quomodo differat ab illa quæ eſt in fidelibus. 362
Ploratores per quam portam intrarunt in Templum. 415, 416
Ploratori quamdiu erat interdictum lavare. 415
Πνεῦμα vox varias ſignificationes habet apud Græcos. 426
Pœna capitalis apud Judæos quatuor generum. 609
in eos qui polluti in Templum intrarent. 675
Pœnarum genera quatuor contra tranſgreſſores conſtituta in pollutionibus. 675
Pœnas Legis Proſelyto ante Baptiſmum proponunt Judæi. 448
Pœnitentia quando primùm propoſita. 3
eam neceſſariam ducebant Judæi ad ſuſcipiendum regnum cœlorum. 494
eâ tamen ſe non egere quàm plurimi putabant. ibid.
congruit quàm optimè ipſi naturæ regni cœlorum. ibid.
quid ſignificet in S. Scriptura. 495
ejus præcipua pars in quibus conſiſtat. 495
Judæorum doctrina de ea. ibid.
eam fere omnem in exterioribus ponebant. 496
quamvis poſt fidem producatur, tamen primum apparet in homine. ibid.
Polluti quomodo arcerentur à Templo. 674
Polygamia facilioris veniæ in Davide, & quare. 16
Pontifex Maximus pro lubitu ſuo ſolebat adolere. 264
in die Expiationis quamdiu intus commorabatur, populus valde angi ſolebat. 265
non niſi unus eodem tempore apud Judæos eſſe potuit. 317
illo in die Expiationis in pace reverſo magna erat lætitia apud Judæos. 265
ſolus per portam Atrii Orientalis potuit intrare, & quando. 415
Pontifices multi Judæorum à Romanis dignitate ſpoliantur. 302
hi videntur poſteà vocari Pontifices primarii. ibid.
& docebant & judicabant, ita tamen ut dubiis explicandis & tollendis difficultatibus potiſſimùm occuparentur. 303
Pontificia dignitas quare translata è linea Eleazaris in lineam Ithamaris. 51
Pontificiorum ſuperſtitio quàm miſerè & iniquè ſacrum cruciat textum, ut aliquas ſaltem Virgini Mariæ extorqueat laudes. 270

Populo nec Sacerdotibus in Atrio ſedere licuit. 724
Populus Eccleſiæ vocantur filii Dei. 252
Judaicus quare tanto cum deſiderio audivit conciones Chriſti. 498
Porta Probatica Hieroſolymis ubinam fuerit ſita. 532
Orientalis Templi, ejuſque exacta deſcriptio. 556
Regis qualis vocetur in S. Scriptura. ibid.
Huldah. 558
an fuerit tantùm una in Templo ad Occidentem. ibid.
Shallecheth vel Coponii qualis. ibid.
Parbar in Templo qualis fuerit, & quare ſic dicta. 559
Septentrionalis, ejuſque ſitus. 562
nomen ejus incertum apud Scriptores. ibid.
inter Atrium Mulierum & Atrium Iſraëlis vocata fuit ſeptem nominibus. 600
nomen ejus notiſſimum poſtremis Templi temporibus. 601
Portæ duæ Meridionales in Templo. 557
Templi à quibuſnam & quomodo aſſervabantur. 603
quinæ fuerunt Atrio Gentium, earumque nomina. 415
cui uſui inſervierint. ibid.
Portarum numerus in Atrio mulierum admodum incertus. 607
Templi Hieroſolymitani altitudo. Vide *Altitudo.*
Porticus Siloam quales fuerunt. 533
Portiones Legis & Prophetarum ſingulis Sabbatis in Synagogis prælectæ. 262
Poti, vel Puti Ægyptii adjungebant ſuis titulis. 168
Præcepta cæremonialia & judicialia quot numero. 177
negativa quot numerent Judæi. 705
negativa & affirmativa in tota Lege tot, quot literæ in Decalogo. 232
decem. Vide *Decem.*
Prædicandi munus exercuit Chriſtus ſpatio trium integrorum annorum cum dimidio. 340
Prædicatores apud Judæos qui erant fixi alicui Eccleſiæ. 432
Præfecti & milites Davidis. 69
Præfectus Synagogæ. Vide *Archiſynagogus.*
temporibus quinam erat in Templo. 679
claudendis januis quinam. ibid.
Cuſtodum quinam. ibid.
Cantorum quinam. ibid.
Cymbalorum quinam. ibid.
ſortium quinam. ibid.
avium quinam. ibid.
ſigillorum quinam. ibid.
libaminum quinam. 680
ægris quinam. ibid.
aquis quinam. ibid.
eorum qui faciebant panem propoſitionis. ibid.
eorum qui faciebant Thymiama. ibid.
artificum qui vela conficiebant. ibid.
eorum qui curam gerebant veſtium Sacerdotalium. ibid.
Præmia Legis Proſelyto proponere ſolent Judæi. 448
Prænomen uſitatum erat inter Romanos. 311
Prærogativa Judæorum præ cæteris orbis terrarum populis. 673
Præſides Synhedrii Magni à Captivitate ad ejus diſſolutionem. 610
miniſterii Sacerdotalis quare altâ voce clamare debebant, Offer Thymiama. 641
Precationis ad horam quinam fuerint ordinariè in Templo. 265
Preces in publico fundere moris erat apud Judæos. 225
efficaces ex opere operato credebant Judæi. 439
quotidianæ octodecim apud Judæos. 519
Precum publicarum matutinarum in Templo Hieroſolymitano formula. 720
Primitias quâ ratione offerrent Judæi. 755
cæremoniæ circa illam oblationem peractæ. ibid.
Primogeniti privilegia. 16
Primogenitum appellare filium primo partu editum Juriſperitis eſt familiare, ſive alius ſubſequatur, ſive non. 289
Primogenitura Joſephi. 22
Princeps uniuſcujuſque Claſſis Sacerdotalis ordinariè erat membrum Synhedrii Magni. 693
domûs patris in unaquaque Claſſe Sacerdotali Judæorum. ibid.
Principes quinam dicebantur in Magno Synhedrio. 556
Promiſſio Abrahamo facta Geneſ. 2. *quomodo impleta.* 163
prima Adamo facta eſt ſepoſito omni perſonarum reſpectu. 353
de terra Canaan olim poſſidenda quando perfectiſſimè adimpleta ſit. 300
Probare quis potuit uxorem adulterii ſuſpectam. 279
Profundere ſanguinem proprium eſt humanitatis Chriſti, non Deitatis. 443
Profunditatem quid Thalmudici vocare ſoleant. 554
Propheta qui non erat, & tamen non ordinatus

tùs concionari vellet, ſuo id periculo faciebat. 478
& Pontifex Summus è cœlo declaratur Chriſtus. 349
Prophetæ omnes locuti ſunt ea, quæ cum Chriſto adeò utrè quadrabant, ut eos uno ore locutos eſſe judicares. 281
Spiritu Sancto aliud eſt afflari, aliud verò eodem impellente populum ſolemniter & aſſiduè prædicando inſtituere. 317
non potuerunt omnia agere vel prædicare. 364
habebant poteſtatem edendi miracula. 431
ſemper nominibus ſuis contenti vixerunt. 378
in V. Teſtamento ſerebant verbum Dei in meſſem Euangelii. 468
ſub Lege ſub bina denominatione ſunt conſiderandi. ibid.
eis ſolemne eſt de ſe quædam loqui, quæ interdum ipſimet ad litteram ſolis applicari nequeunt. 481
à Spiritu Sancto rapti dicuntur eſſe in Spiritu. 505
eorum ſucceſſio quando inceperit, & quando finita eſt. 165
Prophetæ legebantur in Synagogis Judæorum quovis die feſto. 479
quinam eos prælegere ſolebant inter illos. 480
in iis legendis in Synagogis Judæi non æquè accurati erant ac in Lege. 481
in eorum lectione ſolebant ſaltus facere in Synagogis ab uno ad alium. 483
quare id factum. 484
eorum Sectiones erant Legi ex parallelo allocatæ. 259
Prophetam judicare licitum erat ſoli Synhedrio Hieroſolymæ conſtituto. 385
Prophetia admodùm rara erat ſub Templo ſecundo. 284
aliquando à Paulo ſumitur pro prædicandi munere. 303
Prophetiæ quales ſcribi debebant. 92
Prophetiæ donum quando inceperit in Eccleſia. 165
aliquando etiam impiis conceſſum. 363
non reddidit homines coram Deo ſanctiores. ibid.
Propitiatorium quid. 182
Proreges apud Iſraëlitas. 83
Proſelyti per Baptiſmum à Jacobo admiſſi. 19
ad materiam Templo parandam fuerunt conſtituti. 74
tempore Solomonis ſolo Baptiſmo admiſſi fuere. 209
eos quare Judæi per Baptiſmum admittebant. 329
ad Baptiſmum Proſelyti quantum aquæ requirebatur apud Judæos. 448
etiam poterant eſſe Concionatores apud Judæos. 478
primi ubinam in Eccleſiam Iſraëlis intrarunt. 460
Proſelytus quibus rationibus & cæremoniis Judaiſmo initiandus. 448
ejus parvulos etiam baptizabant Judæi. 454
Protectores tempore Regum. 90
Proverbia Solomonis quando inventa. 105
pleraque ſunt amiſſa, ut & ejus Philoſophia. 75
Provocatione & Dei & Satanæ David numeravit populum. 69
Prudentia in Sacris Literis ſæpè ſumitur pro religione. 267
Pſalmi 88. & 89. quando conſcripti, & eorum ſcopus. 163
120. incerti vel temporis, vel autoris. 71
dividuntur in quinque libros. 221
quare apud Judæos ultimo in loco Bibliorum ponantur. ibid.
graduum quindecim in libro Pſalmorum cuinam rei reſpondere videantur. 600
qui ordinariè canebantur in Templo. 699
ſinguli à Cantoribus dividebantur in tres partes. ibid.
Pſalmus 1. alludit ad lapſum Adami. 77
2. Prophetia de rebellione Jeroboami. 90
34. lectiſſimum & exactiſſimum habet compoſitionis artificium. 57
99. à Moſe conſcriptus, tamen Samuelis meminit, & quomodo. 163
Ψυχὴ ſæpiùs vitam ſignificat. 293
Πτερύγιον Templi quid ſit. 359
Publicani erant tributorum collectores per provincias Romanæ ditioni ſubditas. 324
apud Romanos hoc munus non carebat honore in initio. ibid.
poſteà quare tam malè audiverint. ibid.
erant valde exoſi Judæis. 525
Judæorum odium acerbiſſimum erga eos unde natum. 324
eorum duo genera. 525
Puer ut ex patre nomen accipiat rarum in Scriptura exemplum eſt. 282
Pueros quomodo alloqui ſolebant Judæi in feſto Paſchali. 737
Pulverem priùs ſeponere debebant Judæi, antequam in Templum intrarent. 417
Punctatio Decalogi planè ſingularis eſt. 232
Puniendi rationes tres præcipuè reputantur. 275

Purgatio Altaris Holocautomatum quomodo peracta. 718
Purgatorium non ſolùm abſurdum, ſed & pietati contrarium eſt. 761
Purificationum genera quatuor obtinebant apud Judæos. 450
Putiel quiſnam fuerit. 168
Pythagoras etiam circumciſus fuit, & quare. 290

Q.

QUadrans qualis menſura fuerit apud Judæos. 412
Quomodo in Sacro Volumine nonnunquam ſtrenuè aſſerit, vel negat. 256
nunc cum dubitatione interrogat. ibid.
nunc interrogat cum ignorantia, ſed abſque dubitatione cum diſcendi deſiderio. ibid.

R.

RAb titulus Doctorum Babylonicorum. 378
titulo Judaicorum Doctorum præſtantiſſimo non ultra ſeptem unquam inſigniti fuerunt. 292
Rabban titulus ſeptem ſolummodò hominibus affixus. 378
Rabbi titulus quando inceperit inter Judæos. 378
titulus Doctorum Judaicorum. ibid.
nullus dicebatur niſi priùs ordinatus. 478
fuit titulus diſtinctivus cujuſque ordinati ad miniſterium. 431
qua de cauſa Nicodemus hoc Chriſtum vocaverit. ibid.
Rabbini variè Deum exprimunt. 196
Rachabam Joſuæ nuptam fuiſſe volunt Judæi. 277
Rachelis ſepultura fuit inter Ramam Bethleemamque, vel ſaltem non longè ab utravis. 306
ejus filii non fuerunt in Bethleema, ſed in Rama. ibid.
Raka quid. 205
Rama non longè aberat à Bethleema, quanquam inter alterius Tribûs limites. 306
Rameſes unde illud nomen habuerit. 173
Ranæ Magorum Ægyptiorum non fuerunt veræ ranæ. 169
Raphidim & Sinai unus idemque locus. 174
Rebelles utplurimùm applicatur ad liberos erga parentes immorigeros. 267
Rebellionis verbera qualia dicebantur apud Judæos. 677
Rechabæi unde oriundi. 44
Rechabæorum laus. 120
Redemptorem quando Judæi debeant expectare ſecundùm Judæos. 288
Reformatio Judæ univerſalis. 80
Regeneratio quale tempus vocetur. 434
Regenerationis doctrina Judæis ne per ſomnium nota. 439
copioſè, plenè & clarè in Veteri Teſtamento docetur. 440
Regia dignitas præ Sacerdotio. 40
Regis habendi deſiderium Iſraëlitarum à Deo caſtigatum. 309
Regna & provinciæ ſigillatim à Romanis cenſebantur. 288
Regni cœlorum initium ex quo tempore rectiſſimè computatur. 350
Regnum Davidi promiſſum non eſt de hoc mundo. 77
Aſſyriæ impropriè dicitur prima quatuor Monarchiarum. 112
cœlorum phraſis admodùm uſitata in Euangelio. 319
ſignificat regnum Chriſti ſpirituale ſub Euangelio latè propagato cunctis Gentibus patefacto. ibid.
latiori ſenſu quid comprehendat. ibid.
Dei & Cœlorum unum idemque ſenſu ſunt, quanquam verbo diſſonant. 432
quare hoc ita indifferenter uſurpetur. ibid.
Thalmudici hac phraſi ſenſu miro aliquando utuntur. ibid.
etiam ſecundùm Judæos ſignificat celebratiſſima Meſſiæ tempora. 433
Chriſtus tempora Novi Teſtamenti per id ſignificare ſolet. ibid.
quare ita tempora Novi Teſtamenti vocentur. 434
quid ſignificet ſub Novo Teſtamento. ibid.
ejus initium à duobus diebus computatur. ibid.
in quo ſenſu computetur ab initio miniſterii Joannis. ibid.
aliquando vocatur ſtatus futuræ gloriæ. ibid.
non ſolùm viſibile, ſed & inviſibile regnum Chriſti indicat. 438
cur tantùm poſt quatuor mille annos poſt mundum conditum intravit. 493
eſt primariò adventus Meſſiæ. 494
cùm Chriſtus in mundum venit, an jam advenerat vel appropinquaret. 497
Chriſti erat ei naturale. 538
Religio ſtata Judæorum tempore Chriſti. 517

Re-

Remiſſionem peccatorum quare prædicavit Joannes. 394
Remiſſionis peccati deſiderium fructus eſt remiſſionis peccati. 64
Res Deo dicata Dei nomine exprimuntur à ſacris Scriptoribus. 394
Reſipiſcenti Deus exhibet miſericordiam. 202
Reſipiſcentis vera effigies in pariete quodam Romæ. 220
Reſpublica Judæorum quando inceperit. 173
Reſurrectio docetur per creationem. 153
eam qui negat eſt Hæreticus. 520
Rex judicat, & judicant ipſum, non judicat, & non judicant ipſum, *axiomata Thalmudicorum quomodo vera.* 608
Ritus ſacrificiorum varii fuerant fines. 700
in torrendo Agno Paſchali quàm plurimos & ſupervacaneos habuerunt Judæi. 733
in comedendo Agno Paſchali. ibid.
ſolemnes in feſto Pentecoſtes peracti. 743
cæremoniales Judæorum nunquam fecit Chriſtus, quæ ad homines privatos pertinebant. 414
iſte nomina pueris imponendi in Circumciſione, jam inde uſque ab Abrahamo & Sara defluxit. 282
Rochardus Phriſonum Rex mavult cum patre in inferno, quàm ſolus in cœlo degere. 209
Romanæ Monarchiæ initium undenam ſit propriè computandum. 288
Romani ſibi aſſumpſerunt cuſtodiam veſtium ſacrarum. 563
Romanum Imperium non eſt inter quatuor Monarchias à Daniele deſcriptas. 132
Romanum Pontificem non eſſe Antichriſtum quomodo probet Bellarminus. 388
Romanus ſtatus in Apocalypſi deſcribitur. 132
רוח *varias habet ſignificationes apud Hebræos.* 426
רוח הקודש *quare vocetur Spiritus Sanctus, & non* רוח קדושה. 346
רוח הקודש *quid ſignificet apud Judæos.* 362
ab eorum ſcriptis mutuata eſt hæc phraſis ſub N. Teſtamento. ibid.
Rutha mater Chriſti ex inceſtu Loti. 48

S.

SAbbati cæremonialis finis. 177
moralis finis. ibid.
die quovis erant ſeptem Lectores in Synagogis. 479
quinam primus, & deinceps. ibid.
Sabbatum quare immediatè ſequatur hiſtoriam Creationis. 154
quomodo fuerit ab initio, & quomodo poſteà apud Judæos. ibid.
ejus inſtitutio. 2
prout quarto præcepto continetur non eſt tantùm Judaicum. 177
nec tantum cæremoniale. ibid.
fuiſſet inſtitutum etiamſi Adam non peccaſſet. 3
in Ægypto ab Iſraëlitis fuit neglectum. 28
diverſimodè deſcribitur in Exodo & Deuteronomio. 39
quibus in locis celebrarunt Judæi primo tempore Reipublicæ. 474
intermedium quid ſit in S. Scriptura. 476
à quo tempore Judæi inceperint finierintque. 507
eo prohibitum erat rem è loco in locum ferre. 534
ejus mutandi ſigna multa edidit Chriſtus. 535
novum erat introducturus. 563
quinam violaſſe dicebatur ſecundùm Judæos. 706
voluntaria violatio hujus præcepti merebatur excidium. ibid.
Sacerdos qui ingrediebatur in Atrium dum eſſet pollutus, reus erat exciſionis. 678
præcipuus uniuſcujuſque Claſſis, ejuſque officium. 679
quomodo ſe gerebat circa ſanguinem qui inferebatur in Locum Sanctum. 708
quibus ritibus ſanguinem aſpergere ſolebat. ibid.
etiamſi eſſet mundus, non poterat in Atrium Templi ad miniſtrandum intrare, donec ſemet ipſum aquâ abluiſſet. 717
quomodo probari debuit antequàm ad miniſterium admitteretur. 691
illius, ut & conſanguineorum nomina, cùm eligeretur, quare in publicis tabulis referri debuerunt. 692
illius erat, finito in Templo cultu, populo antequàm dimitteretur benedictionem pronunciare. 268
Sacerdos Summus quomodo & à quo inaugurabatur in miniſterium. 680
eo munere per totam vitam ex præcepto fungi debebat. 682
in quibuſdam nullo privilegio à populo diſtinguebatur. ibid.
in aliis autem quàm maximè. ibid.
eorum ſucceſſio ante Templum. ibid.
ſub Templo primo. ibid.
ſub Templo ſecundo. 683
ſeptem diebus ante diem Expiationis debebat

Digitized by Google

bebat ſecedere ex propriis ædibus in Conclave Parhedrin. 744
quid ei unaquaque die ex bis ſeptem fuerit impoſitum. ibid.
aliquot Seniores quotidie debebant ipſi prælegere officium iſtius diei. ibid.
præparatione diei Expiationis eum deducebant ad portam Orientalem Atrii. ibid.
quare. ibid.
adjurari debuit ut nihil quidquam immutet in cæremoniis diei Expiationis. ibid.
veſperâ eâ non permittebant ei edere niſi admodùm parcè. ibid.
eâ nocte ipſi dormire non licuit. ibid.
quomodo ſe illo ipſo die ad miniſterium comparabat. ibid.
Sacerdotem agere cuilibet etiam ſub Lege licuit, obveniente occaſione aliquâ extraordinariâ. 155
Sacerdotes quinam vocentur בְּרִי. 89
qui de lepra judicabant eâ infici non poterant. 31
à Davide primùm diſponebantur in 24. Claſſes. 258
etiam antè fuerunt in Claſſes diſpoſiti, ſed non in tot. ibid.
à Moſe in octo Claſſes fuerunt diſpoſiti, quarum quatuor præfuit Eleazar, reliquis Ithamar. ibid.
aliquot eorum millia erant in quavis Claſſe. 264
eorum Claſſes à quo tempore anni vices ſuas obire inceperunt in Templo. 265
primarii quinam ſic fuerunt vocati apud Judæos. 302
Iſraëlis quomodo ſub Lege in munus ſuum initiati. 362
eorum filii quomodo à Judæis in miniſterium ſolebant inaugurari. 317
eis permiſſum fuit ſe lavare in Æneo Mari. 449
non poterant leproſum ſanum facere. 513
quatuor in lavacro ſemper poterant ſimul ſe abluere. 644
qui iverant ad miniſterium illotis manibus, rei erant mortis per manum Cœli. ibid.
quomodo ſe lavare ſolebant. ibid.
eorum officium fuit difficillimum tempore hyemis. ibid.
eorum varii ordines. 678
quomodo ad miniſterium admiſſi. 691
Claſſis non miniſtrantis noctu, aſt non interdiu, vinum bibere poterant. 694
aſt aliis non, nec nocte, nec interdiu. ibid.
poterant in quibuſdam occaſionibus miniſtrare, licèt eſſent immundi. ibid.
iis nec populo in Templi Atrio ſedere licuit. 724
Sacerdotium Summum ſemper ad primogenitum devolvebatur. 680
hinc contigit ut aliquando Sacerdos eſſet minùs aptus muneri. ibid.
Sacra Scriptura eſt familiare ſermones priores repetituræ, ſenſum eundem diverſis verbis adornare. 381
Sacramenta debebant eſſe nova ſub N. Teſtamento. 327
N. Teſtamenti debebant eſſe lenia, moleſtiaque vacua. 328
Legis erant acerba & doloris plena. ibid.
Sacrarium in Synagogis Judæorum quale dicebatur. 476
Sacrificia cæremonialia nunquam fecit Chriſtus. 414
Euchariſtica an feſtis ex Decimis conſtabant. 416
ab Ethnicis in Templo Hieroſolymitano oblata qualia fuerunt. 712
animalium erant duplicis generis ſecundùm diſtinctionem Judæorum. 702
quædam erant totius Iſraëlis. 700
varia in feſto Tabernaculorum. 747
quare Deus tot ſacrificia Iſraëli imperaverit. 203
eorum initium & progreſſus. ibid.
Sacrificium fuit primum mortuum in mundo, atque adeò Chriſti in figura. 2
Gideonis. 49
parum abeſt quin antiquitate peccato æquale ſit. 203
humanum valde frequens inter Gentes. ibid.
offerri noluit Varro, & quare. ibid.
quotidianum quomodo fuerit adminiſtratum. 716
addititium in prima anni die inſtitutum. 699
nullius offerri poterat, niſi ipſe adſtaret. 700
Sadducæi à quonam ducant originem. 320, 520
ſequebantur Religionem cæremoniis plenam, non minùs quàm Phariſæi. 520
utebantur etiam Phylacteriis, ſed non geſtabant eodem modo quo Phariſæi. ibid.
& Phariſæi erant erga ſe invicem odio flagrantes. 320
Sadok & Baithus duo primi Schiſmatici inter Judæos. 520
negarunt reſurrectionem. ibid.

nega-

Digitized by Google

negarunt totam Legem non ſcriptam. ibid.
facti ſunt Samaritani. ibid.
Sagan erat ſecundus à Sacerdote. 678
Sacerdotum rarò occurrit in Scripturis. 687
qua in re fuit ſitum ejus munus ibid.
Salicum rami cui fini præciperentur diſputabant Phariſæi & Sadducæi in feſto Tabernaculorum. 748
Salim, ubi Joannes baptizavit, quòd ſit civitas prope Sichemum non eſt credibile. 446
an ſit aliqua in parte Ephraimi. ibid.
ejus ſitus. ibid.
Salutem Lex non poteſt offerre, niſi per perfectam omnium mandatorum Dei obſervantiam. 284
Gentibus non adſcribebant Judæi. 444
Samaria quando Lo-ruhama facta. 106
populo commixto habitanda data. ibid.
urbs tempore Chriſti non ampliùs extabat. 460
lapſa in confuſam quandam Religionis farraginem. 462
Samaritani acerrimi Judæorum inimici. 111
eorum regio inter Judæam erat & Galilæam. 460
pro ratione temporum Judæos vel odio vel amore proſequebantur. 462
ſe præcipuè Templi extructioni poſt captivitatem Babylonicam oppoſuerunt. ibid.
quamdiu fuerint Ethnici. 463
tempore captivitatis Babylonicæ habebant librum Legis, ſed valde barbarè conſcriptum. 463
ab Antiocho petunt, ut templum Jovi Græco dedicare liceat. 466
eorum converſio eſt initium converſionis Gentium. 469
Samſon primus Naziræus cujus mentio extat. 52
Samuel quando mortuus. 58
ejus ſit mentio Pſalm. 99: 6. cùm tamen à Moſe ſit conſcriptus, & quomodo. 163
ejus miniſterium in Tabernaculo quod erat Silunte, erat caſus extraordinarius. 691
Sanbalatus à Dario ad Alexandrum Magnum deficit. 463
templum ut ei extruere liceret ab eo impetrat. ibid.
ejus filiam duxit Sacerdos in uxorem. ibid.
pellitur ideo Sacerdotio. ibid.
cauſa fuit hæc quare multi Judæi fierent Samaritani. ibid.
Sancta Civitas vocata fuit communiter ac ſolemniter Hieroſolyma. 359
Sancti cuncti plenitudinem gratiæ ſuæ ex Chriſto accipiunt. 382
Sanctificatio eſt ſpecialiter opus Spiritûs Sancti. 272
Sanctitas Chriſti ſumma. 545
Sanctitatis gradus inter Judæos undecim numerantur. 673
Sanctuarium ingredi in immunditia merebatur excidium apud Judæos. 706
Sandaliis (cum) poterant ingredi Montem Domûs. 723
Sanguinem edere quare Noacho non fuerit permiſſum. 9
aſperſionis quinam excipere poterant. 703
Sanguis Magorum Ægyptiorum non fuit verus ſanguis. 169
omnis aſperſionis non in eodem loco debebat ſpargi. 704
quarundam victimarum debebat habere quatuor aſperſiones. ibid.
juvencorum mactatorum pro peccato occulto quonam deferebatur. 707
qui non inferebatur in Sanctuarium quid de eo fiebat. 708
ab aſperſione reliquus ubinam fuſus. ibid.
Sanhedrin imperium tenebat tempore Judicum. 47
Sapientia in ſacris literis ſæpe ſumitur pro Religione. 267
Sargon eſt Sanherib. 113
Satanæ traditio. Vide Traditio.
Satanas tentavit Chriſtum modo inviſibili quadraginta dies. 365
an noverit Chriſtum verè eſſe Filium Dei. 367
quomodo auſus ſit aggredi Chriſtum, quem novit Filium Dei. ibid.
quare Chriſtum poſt triginta annos primùm aggreditur. ibid.
an ei myſterium Incarnationis ſit ignotum. ibid.
ei in tentationibus quomodo reſiſtendum. 362
ab eo multi morbi inflicti dicuntur. 524
Satum qualiſnam menſura apud Judæos. 410
Saul quot annos regnaverit. 72
inter Prophetas Kirjat-jearim. 55
Scala Jacobi typus Chriſti. 17
Scamnum lavacri in Templo quale fuerit. 645
Sceptrum penès Judam erat uſque ad captivitatem Babylonicam. 257
Schamir ubinam. 50
Schibboleth quare Jephta elegerit ad dicernendum Ephraimitas. 51

Schola fuit in unoquoque oppido Judæorum. 439
ſi non eſſet talis, viri iſtius civitatis erant excommunicati uſque dum eſſet. ibid.
Scholæ Theologicæ, *quidque in iis peractum.* ibid.
Scientiam Scripturæ quando maximè viguiſſe dicant Judæi. 546
Scortatio ſpiritualis eodem modo probata, quo carnalis. 178
Scribæ populi quinam ſic apud Judæos dicantur. 302
eorum officium erat ſacra Volumina exſcribere, quoties exemplar deſiderabatur. ibid.
erant vel Levitæ, vel Sacerdotes. ibid.
erant præcipui & præ aliis aſſidui Verbi divini præcones. ibid.
Sacras Paginas puras atque integras conſervabant. ibid.
apud Judæos erant qui populum docebant & Legem exponebant. 503
ſic Chaldæus Paraphraſtes ſæpè exponit vocem Propheta. ibid.
varios in ordines diſtinguebantur. 504
nihil niſi traditiones docebant. ibid.
eorum doctrina omnis circa externa verſabatur. ibid.
erat plena litibus nunquam finiendis. ibid.
eorum quatuor genera fuere apud Judæos. 519
quinam dicantur, cùm Synhedrium dividitur in Sacerdotes, Scribas, & Seniores. ibid.
aliquando ſignificant totum Synhedrium. ibid.
aliquando publicos Doctores. ibid.
& Phariſæi ſæpiùs ſunt idem. 523
qualiſnam tamen ſæpiùs diſtinctio inter illos. ibid.
Scripta Prophetarum à ſubſequentibus Prophetis dono Dei præditis aliquando expoſita ſunt. 163
Scriptiones vocum extraordinariæ in Bibliis de nihilo eſſe non poſſunt. 201
Scriptores N. Teſtamenti quare Græcè ſcribere debuerint. 280
ſacri in ætatibus hominum recenſendis currentem annum utcunque nuperrimè inchoatum totali ſummæ fere ſemper annumerant. 350
Scriptum eſt in Propheta dicere non convenit cum idiomate N. Teſtamenti. 315
Scriptura Dei in Belſchazaris pariete erat Chaldaica. 132
Veteris Teſtamenti quare Deus permiſerit verti in linguam Græcam. 207
Sacra quare loquatur de Chriſto ſine reſtrictione ad hanc vel illam naturam. 443
ejus dignitas in quo conſiſtat. 93
res aliquoties vocat non ſicut in ſe ſunt realiter, ſed prout apprehenduntur vel deſignantur ab hominibus. 377
ei numeros pro ſe invicem uſurpare familiare eſt. ibid.
ex opere operato ad ſalutem eam prodeſſe credebant Judæi. 547
eſt ſingularis Chriſti teſtis. ibid.
Scrupuli in Chronologia componenda. 241
Sea qualis menſura apud Judæos. 410
Sechem Metropolis Iſraëlis uſque ad tempora Davidis. 50
ubinam. 461
an ſit corruptè ſcriptum pro Sichem. ibid.
Sectæ Judæorum quarum frequentior in Scripturis mentio. 519
Sectio Regis qualis dicatur in Pentateucho. 752
Sectiones Legis & Prophetarum. Vide *Legis & Prophetarum.*
Seculum venturum, *unde illa phraſis invaluit apud Judæos.* 520
Sedere cùm metaphoricè uſurpatur quid ſignificet in Scriptura. 489
Sèdes Magni Synhedrii, ejuſque conſtitutio. 608
Sella Prophetæ Eliæ adornatur in omnibus Circumciſionibus. 387
Sem fuit Melchiſedek. 15, 155, 212
Rex & Sacerdos. 156
ejus mors. 224
quare vocetur primus inter Noachi filios. 239
Semina Evangelii diverſo tempore à diverſis facta. 469
Senatores Synhedrii Magni promiſcuè eligebantur ex Sacerdotibus, Levitis & Iſraëlitis. 608
poterant eſſe omnes nec Sacerdotes, nec Levitæ. ibid.
Seniorem, qui peccaverat, apud Judæos, morte non plectebant niſi in aliquo feſto. 742
Seniores in Synhedrio è laicis ſumebantur. 303
hi ſolebant dirimere lites, cauſaſque adjudicare, nec intereà docebant populum ex officio. ibid.
quinam dicebantur in Synagogis Judæorum. 476
qui bene regunt quinam ſunt Apoſtolo. 477
Sacerdotii quinam dicebantur apud Judæos. 679
Sepharad non eſt Hiſpania. 96
Separatiſtæ Anglicani refutantur. 479
Septuaginta animæ familiæ Jacobi quæ in

Ægypto deſcenderunt, à Judæis æqualis pretu dicuntur, ac ſeptuaginta mundi nationes. 352
Septuaginta Interpretes multis Pſalmis autores dederunt. 71
inviti confecerunt ſuam Verſionem. 206 352
res ex ingenio ſuo in ea Verſione confingunt. 206
quare Scriptores N. Teſtamenti eos ſæpiſſimè ſequantur. 207
eis nimia autoritas à quibuſdam tributa. ibid.
de induſtria veritatem, quantum fieri potuit, ſuppreſſerunt. 352
uſi ſunt Bibliis non punctatis. ibid.
hinc factum ut ſæpiùs etiam per ignorantiam errarunt. ibid.
Sepulcrum eſt primum quod Abraham in terra Canaanis poſſidet, & quid Deus per id ſignificare voluerit. 157
Seraja probabiliter eſt Ezra. 135
Seraphim dicuntur Angeli, & quare. 99
Sermo Chriſtus paſſim in Veteri Teſtamento appellatur. 249
ut creationis author. ibid.
ut promiſſi author. ibid.
ut ipſum ſubjectum fœderis & promiſſi. ibid.
quid Joannes Chriſtum ſic vocando indicare voluerit. ibid.
Sermo primus à Chriſto poſtquam in Miniſterium publicum intraſſet literis mandatus. 368
Serpens Æneus ab Iſraële in idolum converſus. 105
quoſnam ſanaverit. 444
Serpentium plagâ quare ſe percuſſos credunt Judæi. ibid.
Servus manumiſſus ſecundùm Judæos eſt ut puer recens natus. 436
Seth natus in peccato originali quare vocetur ſator omnium hominum poſt diluvium. 4
natus in peccato originali. 155
Sextarius qualis menſura apud Judæos. 410
Sharon fuit campus latiſſimus. 447
à quo derivetur. ibid.
Shilo ex Tribu Judæ oriundus, etiam in aliqua ejuſdem Tribûs civitate debuit concipi. 272
Shiloh à deſtructione ad ædificationem Templi ſecundùm Judæos excelſa erant licita. 474
etiam ad ſacrificia. ibid.
שושבין *quinam dicebantur apud Judæos.* 450
duo erant, unus ſponſi, alter ſponſæ cognatus. ibid.
Shushan porta ubinam. 555
palatium qualenam fuerit dictum in Templo. 556
urbs depicta ſupra portam Orientalem Templi. ibid.
Sichar quare Judæi Samaritanos vocarunt. 461
Sichem tempore Chriſti Samaritanorum Metropolis. 455
primi Proſelyti in Eccleſiam Iſraëlis intrarunt. 460
Siclus Iſraëlis ex altero latere inſcriptionem obtinuit Hieroſolyma Sancta. 359
Sigillis in Templo quomodo utebantur Judæi. 679
Signum quare toties petierunt Judæi à Chriſto. 418
manifeſtum adventantis Meſſiæ. 545
Siloam & Gihon ſunt idem. 532
Vide *reliqua in Gihon.*
Simei quare dicatur Cush. 66
Simeon qui Chriſtum ulnis accepit idem videtur fuiſſe cum Hillel Judæorum. 292
ejus genealogia ſecundùm Thalmudicos. ibid.
ſtatim poſt glorioſam ſuam confeſſionem occubuit. ibid.
Hillelis filius. 378
fuit primus vocatus Rabban. ibid.
nonus Synhedrii Magni Præſes. 611
Simeon Gamalielis filius undecimus Synhedrii Magni Præſes periit in excidio Templi Hieroſolymitani. ibid.
Simon nomen apud Hebræos frequentiſſimum. 395
Magus undenam occaſionem nactus diſpergendi illuſiones ſuas. 470
Sinai & Raphidim unus idemque locus. 174
unde mons ita dictus. ibid.
& Horeb unus idemque mons. 39
Sinus Abrahæ, *unde illa phraſis invaluit apud Hebræos.* 520
Sion mons ad Septentrionem montis Moriæ. 553
Sitarchi Solomonis quomodo ſervierint in anno intercalari. 171
Situs corporum Hebræorum cùm Dominum adorarent. 725
Societates Paſchales ad comedendum Agnum quot hominum debuerint eſſe. 730
Sodoma deſtructa à Filio & Spiritu Sancto. 13
Sodomitæ tempore Aſæ. 80
Solomon typus Chriſti. 75
quando in Regem unctus. 70
ejus conjugium cum filia Pharaonis quando contigerit. 73
tantùm duodecim annos habuit cùm de dubia meretricum cauſa definiret. ibid. 309

Vvvvv *ejus*

ejus lapſus quid nos doceat. 75
tempore ejus Proſelyti Baptiſmo ſolo admiſſi fuere. 209
ejus Templum fuit perfectum anno mundi 3000. 240
Vide Templum.
ejus ſalus aſſerta. 398
Solomonis porticus undenam ſic fuerit appellata. 565
Solum Montis Templi non erat planum, ſed ex Oriente ad Occidentem aſſurgebat. 567
Sorte determinabant Sacerdotes cuilibet ſuum officium in Templo. 264
Sortes quomodo jaciebant Sacerdotes, ut ſuum unicuique aſſignaretur munus. 717
prima jactio erat ad definiendum quis Altare Holocautomatum eſſet cineribus purgaturus. ibid.
duplici utebantur ad attribuendum munus offerendi Thymiamatis. 719
in duos Hircos quando die Expiationis conjicere ſolebat Summus Sacerdos. 745
quibus cæremoniis hoc fuit peractum. ibid.
Sortior quid ſignificet apud Latinos. 264
Spatium inter Altare & Porticum. 641
nemo ibi poterat venire qui aliquo vitio pollutus erat, aut nudo capite. ibid.
nemo ibi ſtare poterat, dum Sacerdos in Sanctuario Thymiama offerebat. ibid.
intermurale in Templo erat ſanctius Monte Domûs. 674
inter Porticum & Altare ſanctius erat inferiore parte Atrii. ibid.
Spiritus Sanctus Sodomam miſſus quare vocetur Angelus. 157
quando ſub V. Teſtamento cœlum repetens dereliquerit Iſraelem. 268
quando & quomodo deſcenderit in Mariam. 272
ejus operationes & vires per ignem aptiſſimè videntur repræſentari. 331
ejus inter donationem & promulgationem Legis quomodo conveniat. ibid.
in mundi creati & renovati viſus primordus. 346
vocatur Spiritus non tam propter ſuam ipſius naturam, quàm propter modum procedendi. ibid.
vocatur Sanctus non perſonæ, ſed officii reſpectu, quia ad eum ſpectat Eccleſiam ſanctificare. ibid.
Iſraëlitis eſt ademtus poſt obitum Prophetarum. ibid.
quare potiùs columbæ ſpeciem in Baptiſmo Chriſti, quàm alterius cujuſvis creaturæ formam induerit. 348
quamdiu Chriſto inſederit. ibid.
quando de Chriſto dicitur quomodo debeamus intelligere. 362
quid illud ſub N. Teſtamento ſignificet, & unde mutuatum ſit. ibid.
ejus dona Prophetica plurimùm differebant à gratia ſanctificationis. 363
quomodo fuerit in Chriſto ante Baptiſmum, & quomodo poſt. ibid.
ejus operatio in Chriſto nullos habuit terminos præter ſuam ipſius voluntatem. 364
ejus differentia in Chriſto & in aliis hominibus. ibid.
operatio ejus per aquam ſæpiùs ſignificatur. 437
ejus operationes quomodo in homine fiant. 438
quare in Scripturis comparetur igni & aquæ. 465
quomodo fuerit ſuper Chriſtum, quomodo ſuper Prophetas. 482
Sponſus non tenetur ad recitanda Phylacteria. 433
Spuere in toto Monte Domûs interdictum erat apud Judæos. 724
Stabula equorum Regis ubinam fuerint Hieroſolymæ. 560
Stantes orare debebant Judæi. 724
Stare oportet qui legit Legem in Synagogis Judæorum. 479
debebant Diſcipuli ſub Templo primo apud Judæos, cùm Magiſter eos doceret; at ſub ſecundo ſederunt. 485
judicium Judæorum de hac re. ibid.
Statio Iſraelis ante Sinai. 175
Stationarii in Templo quinam dicebantur. 700
eſt nomen ignotum in S. Scriptura. ibid.
aſt non res. ibid.
quando jejunabant. ibid.
erant congregatio repræſentativa pro toto populo. 701
quid eorum munus. ibid.
an manus impoſuerint ſacrificio quotidiano. ibid.
ab aliquibus ſacrificiis abeſſe poterant. ibid.
Stationis homines. Vide Homines.
Stella an viſa ſit Magis biennio ante Chriſtum natum. 296
nihil aliud fuiſſe videtur quàm ſtupendus ille glorioſiſſimuſque fulgor, quo paſtores Bethleemitici percellebantur. 301
Stellæ ante ſolem creatæ. 153
Sterilitas per totam Scripturam ſemper mulieri attribuitur. 254
& quare. 265
Στοὰ quid ſit apud Græcos. 526

Subſiſtentia Filii per ſe, ac coëxiſtentia cum Patre probatur. 25
Suburbia Hieroſolymitana. 560
Succoth unde. 173
Suffitus duplex. 265
in Sancto Sanctorum ſolemni more in die Expiationis. ibid.
ante Velum ex uſu quotidiani miniſterii. ibid.
ejus prima oblatio magno erat cum Sacerdotum malo. 255
ſummo in pretio ritus iſte erat apud Judæos. ibid.
Summa 42. celebratiſſima in S. Scriptura. 279
Summum Pontificem Euangeliſta Lucas ſemper cum ſuo titulo appellare ſolet. 265
an in aliqua Claſſe Sacerdotum fuerit conſtitutus. ibid.
Superſtitio res eſt ſemper nimiùm officioſa. 269
Supplicia inobedientibus divinitùs illata. 84
Supplicii locus apud Judæos erat extra urbem. 609
Sur porta collocari debet in monte Sion. 603
Suſpicione ortâ de adulterio apud Judæos, potuit vir nihilominus uxorem tolerare. 279
Sychar ſit ne legendum, an Sichar. 456
ubinam & quale oppidum. ibid.
Sycophantæ quinam ſic primùm dicti fuerunt. 312
in initio vox illa non malè audiit. ibid.
quinam poſteà ſic fuerint dicti. ibid.
Sympoſiarcha quinam apud Authores Ethnicos. 413
ejus officium quale fuerit in conviviis. ibid.
an talis fuerit etiam apud Judæos in uſu. ibid.
Synagoga Magna qualis congregatio dicebatur apud Judæos. 610
conſtitit 120. viris. ibid.
Synagogæ ſatis multæ antiquis temporibus apud Judæos. 473
à primo tempore fuerunt Judæis neceſſariæ. 474
ſine illis Judæorum Religio ſtare non potuit. ibid.
poſt Judæorum à Captivitate regreſſum. 475
in quibuſnam locis ſecundùm Judæos poterant extrui. ibid.
quot fuerunt in Tiberiade. 476
quot Hieroſolymis. ibid.
quomodo à Judæis dividantur. ibid.
ſient lupanaria cùm Meſſias adveniet, ſecundùm Judæos. 506
Synhedria duo viginti trium virorum Hieroſolymis. 604
Synhedrium Judæorum ſolebat in Atrio Templi haberi. 310
Senatorum hujus numerus erat LXXI. ibid. 609
diſpoſitio locorum inter eos qualiſnam fuerit. 310
quandonam inſtitutum. 609
quandonam ad Tabernas migraverit. 565
ejus adventus Jabneam quando contigerit. 566
quare ſedere inceperit in Tabernis. ibid.
ſedebat in lineam ſemicircularem. 608
proprium ac perpetuum tempus eorum ſeſſionis. ibid.
de quibus rebus & perſonis judicare debebat. ibid.
erat fundamentum Legis oralis. 609
fuit quaſi magna Schola Gentis Judaicæ. 439
ejus definitiones in dubium vocari non debebant à Judæis. ibid.
errans in negotio idololatriæ quomodo expiandum. 707
23. virorum ubinam ſederit Hieroſolymis, cùm Synhedrium Magnum eſſet in Conclavi Gazith. 568
Syria & Judæa tempore Chriſti erant una provincia. 316
denotatur Ituræâ, Trachonitide, atque Abilene ab Euangeliſtis. ibid.
ejus ſtatus. 112
varia continet regna. ibid.
ex ea provenerunt maximæ calamitates, quas unquam ſenſerunt Judæi, quamdiu Canaanem incoluerunt. 288
Syria omnis quid ſignificat in N. Teſtamento. 510
vocatur Decapolis. ibid.
Syriaca & Chaldaica lingua aliquando re una fuerunt. 218
Syriaca Verſio an fuerit in uſu tempore Euangeliſtarum. 303
Syriacè an Chriſtus in terris fuerit locutus. 425
Syro-Chaldaico idiomate utebantur Judæi tempore Chriſti. 207

T.

Tabernaculorum feſtum deſcribitur. 290
hoc tempore Iſraël in deſerto ad magnificum illud Tabernaculum erigendum ſe primùm applicuit. 291
eodem tempore Templum fuit dedicatum. ibid.
eodem tempore Chriſtus fuit natus. ibid.
& baptizatus. ibid.
eo feſto Judæi incipiebant lectionem Legis à prima Paraſha. 259

Tabernaculum abſolutum paulò minus medio anno. 178, 335.
in monte à Moſe viſum quid ſignificaverit. ibid.
ejus dimenſiones. 179
fundamentum ex argento quid ſignificaverit. ibid.
quando erectum. 187
ejus conſtructio quomodo conveniat cum Creatione. 223
Tabernæ ſedes Magni Synhedrii Hieroſolymis ubinam fuerit. 565
quandonam ibi ſedere inceperit. ibid.
qua de cauſa. ibid.
Tabulæ Legis non ſunt ſcriptura prima. 177
Tabulas ambas Legis fregit Adam uno ictu. 228
Tabulis publicis inſcripta fuerunt atque poſteris reſervata nomina eorum qui erant ex Tribu Judæ. 276
id factum non ſolùm durante Captivitate, ſed & deinceps. ibid.
תחשים *qualia animalia.* 181
Talentum Sanctuarii 120. *libræ.* 179
תנין *quale genus ſerpentis.* 166
תנינם *quid.* 2
Ταπείνωσις *quid ſignificare ſoleat in Sacris.* 273
Τελείωσις *denotat aliquando ſeparationem rei à communi ad ſacros uſus.* 257
Scriptores Chriſtiani pro Baptiſmo & Martyrio ponunt. ibid.
etiam de Chriſto dicitur. ibid.
Templi excidium & Meſſiæ nativitatem prope idem tempus eventura dicunt Judæi. 332
Templo (à) per Nebuzaradanum concremato ad reverſionem è Babylone ſunt anni quinquaginta. 445
Templum quare vocaverit Chriſtus corpus ſuum. 419
glorioſa fuit Chriſti figura multas ob cauſas. ibid.
verſus quare facies convertere debebant Judæi. 419
quare in morte Chriſti in principe ejus parte à ſummo ad imum fuit ſciſſum. ibid.
à Zorobabele extructum. ibid.
ab Herode extructum. ibid.
quomodo ingredi & egredi deberent Judæi. 606
poſt Captivitatem duplo amplius quàm ante Captivitatem. 569
ſanctius erat ſpatio inter Porticum & Altare. 674
immune conſervari debuit ab omnibus pollutis. 675
Templum Hieroſolymitanum quando incenſum eſt. 126
fuit perfectum anno mundi 3000. 240
ejus locum deſignavit ignis è cœlo. 72
fundamenta jacta in monte Moria. 74
quando fuit perfectum & conſecratum. 75
quomodo à Solomone. ibid.
quomodo à Deo. ibid.
quo tempore anni conſecratum. 341
fuit figura corporis Chriſti. ibid.
quamdiu ſteterit. 484
inter primum & ſecundum Templum quinquaginta tres anni effluxere. 136
ſecundum quando abſolutum. 140
ejus fundamenta quando jacta. 136
carebat quinque quæ fuerunt in primo. 266, 568
quando deſtructum. 484
Templum in monte Gerizim quâ occaſione ædificatum. 463
ejus primus Sacerdos quiſnam fuerit. ibid.
quouſque duraverit illud Templum. 464
quo tempore extructum. ibid.
ut erroris Templum à Chriſto declaratum. 466
à Jochanane filio Simeonis ſolo æquatum. ibid.
utrum verius Templum eſſet diſputabant ſemper Judæi & Samaritani. 464
Tempora longiora precibus fundendis à Synhedrio præſcripta. 518
Tempora Meſſiæ qualia futura ſecundùm Judæos. 434
Tempus Novi Teſtamenti variis titulis inſignitur. 313
inchoandum eſt à prædicatione Joannis Baptiſtæ. 314
proprium ac perpetuum ſeſſionis Synhedrii Magni. 608
Tenebræ immiſſæ omnium plagarum maximè terribiles fuere. 170
eo tempore cacodæmones viſæ. ibid.
ſæpius immiſſa ante extirpationem malorum. ibid.
Tentatio Chriſti à Diabolo in qua parte deſerti Judææ fuerit peracta. 365
Teraphim. 18
erant in civilem uſum. 158
Terræ motus in Iſraële. 92
Teſtes adhibiti ad novam Lunam indicandam. 725
duo in Apocalypſi quinam ſint. 389
Teſtimonium quodnam validum pro tribunali habebatur apud Judæos. 441
Tetrarcha non ſignificat eum qui quartam partem regni moderatur. 316
eſt is qui in quarto dignitatis ac honoris gradu apud Romanos fuit conſtitutus. ibid.

Tex-

Textus autenticus non eſt corruptus. 201
Textus in Euangeliis neceſſariò aliquando ſunt tranſponendi. 313
טהרה *in Hebraicis Auctoribus omnia lotionum religioſarum atque purgationum genera comprehendit.* 450
Thalmud quanti æſtimetur apud Judæos. 199
quid ſit. ibid.
origo vocis. ibid.
ejus valor. ibid.
à Deo ſecundùm Judæos Moſi datus, & quando. ibid.
ejus finis. ibid.
vix quidquam præter carnalia continet. 504
Thalmudicæ phraſes in Novo Teſtamento uſurpatæ. 207
Thalmudiſtæ diſcrimen ponunt inter magnam civitatem, urbem munitam, & pagum. 513
Thamara quare vocetur in Genealogia Chriſti. 277
Thamaris ſtuprum fuit ad minimum decennium ante Davidis mortem. 309
Thammus & Adonis unum idemque ſunt. 124
Tharſis nomen viri, urbis, maris. 198
Theologiæ Judaicæ pars optima in quibus conſtiterit. 439
Theologica Schola in Monte Domûs in quâ Synhedrium ſederit, qualis fuerit. 566
Theophilum Lucæ veriſimillimum eſt fuiſſe nobilem Antiochenum. 248
Theophilus *apud Græcos idem eſt ac inter Hebræos* Jedidia, ibid.
Theſaurarii etiam ex parte erant Janitores Templi apud Judæos. 694
Theſaurus Domûs Dei quidnam vocetur in Templo. 561
rerum dedicatarum quidnam. ibid.
Thymiamatis offerendi tempus. 721
ritus. ibid.
Tiara Summi Sacerdotis qualis. 681
ex quibus confici debuerit ibid.
Tiberius matrem habuit Liviam uxorem Auguſti. 315
fuit homo admodùm vafer, crudelis, avarus. ibid.
ejus imperii quo anno baptizatus ſit Chriſtus non eſt adeò certum. 289
Tibni regnandi cupidus per aliquot annos perturbat Judam. 242
Tikkun Sopherim quid ſit apud Thalmudicos. 302
Timor Domini totum noſtrum officium circa Deum continet. 360
Τιμωρία qualis pœna vocetur apud Græcos. 275
Tisri menſis circa medium natus eſt Chriſtus. 289
reſpondet ille menſis noſtro Septembri. 290
eodem menſe mundus & peccatum initium habuere. ibid.
eodem menſe nati ſunt omnes quotquot ante diluvium vixerunt Patres. ibid.
ab hoc menſe incipiebat Æra à creatione mundi ad exitum ex Ægypto. ibid.
ab eodem typicus iſte Jubilæus initium duxit. ibid.
quare hic menſis adeò celebris fuit per totum Vetus Teſtamentum. 341
Titulorum uſus quando & quare inceperit apud Judæos. 378
תומים *quare ſcribatur ſine* א *in nativitate Jacobi & Eſavi, & cum* א *in nativitate Phareſi & Zarami.* 277
Tophet ubinam. 556
Trachonitis nomen undenam ſit mutuatum. 316
an habeat nomen è duobus montibus ſive ſcopulis Trachones dictis. ibid.
an verò ab Hebræa voce טרח *laſſitudo.* 317
Uz Arami filius natu maximus primus hanc terram incoluit. ibid.
hujus incolæ ex Damaſcenorum ſpoliis vivebant. ibid.
Traditio Satanæ graviſſima omnium pœna. 505, 524
Traditiones Judæorum erant duplices. 517
quomodo de manu ad manum ſunt tradita ante & poſt captivitatem Babylonicam. 518
Tranſitiones etiam de rebus poſt aliquot annos factis habent Euangelia. 297
Tranſitus Iſraëlitarum per Jordanem admodùm ſpatioſus. 393
Tranſubſtantiatio confutata. 10, 171
Tres anni cum dimidio multifariè memorantur in S. Scriptura. 340
Tria memoratu digna quæ contigerunt quadraginta annis ante excidium Templi. 604
Tribus Levitica. Vide *Levitica.*
Tribus Iſraëliticæ univerſa in Chiliades fuerunt diſtributæ. 305
ſingularum harum Chiliadum nomina in tabulas publicas urbis ſunt relata. ibid.
Tributum ſolvit Chriſtus Capernaumi. 384
Triclinia Veterum habebant tres lectos. 404
Trinitas mirum in modum à Deo ipſo aſſerta. 197
Beatiſſima eò collimabat, ut Deus Trinus honoraretur. 538

Digitized by Google

Trinitatis perſonæ leguntur primò in Scripturis carnem comediſſe. 157
cum Abrahamo prandent. 13
demonſtratio in Euangelii infantia exhibita. 347
probatur variis Scripturæ locis. ibid.
Spiritus S. per totam S. Scripturam omni occaſione id curat, ut hoc myſterium nobis innoteſcat. ibid.
Triticum & palea in Scriptura ſæpè vocatur vera & falſa doctrina. 332
Trium annorum ſexque menſium ſpatium valde celebre in S. Scriptura. 486
Triumviratus ſub Darii Monarchia in quem finem inſtitutus. 133
צעיר *an ſignificet in S. Scriptura aliquando parvum eſſe.* 304
Tſelſel quale inſtrumentum muſicum fuerit apud Judæos 696
Tuba ejuſque uſus in Templo. ibid.
ejus cantus qualis debebat eſſe. ibid.
quot vicibus caneret quotidie ad Altare. ibid.
Tubâ clangere quare debebant Judæi in Jubilæo. 405
quotidie canebant Judæi, cùm Atriorum januæ aperirentur. 698
ejus ſonitus qualis fuerit. ibid.
canebant bis præter ordinem in præparatione Sabbati. 699
Tubæ quot numero debebant eſſe in Templo. 696
Tubarum feſtum apud Judæos quale. 751
Tunica Summi Sacerdotis qualis dicebatur. 680
quomodo conſici debebat. ibid.
Turca quid boni Chriſtianis præſtiterit. 217
Turcæ unde originem ducant. 17
Tyrus qua de cauſa extructa. 111

V.

Vacca rufa quomodo combuſta à Judæis. 752
anxietas in illa eligenda. ibid.
Sacerdos qui eam combuſturus erat ſeptem diebus ante detinebatur in Templo. ibid.
ritus circa hanc vaccam & ejus combuſtionem peragendi. ibid.
quo in loco eam ſolebant comburere Judæi. 557
Valentinus ſtatuebat Chriſtum non verum, ſed apparens corpus habuiſſe. 253
Vallis Viſionis eſt Judæa. 107
Oſſium in Sacra Scriptura eſt Tophet. 557
Kedron. Vide Kedron.
Valvæ Templi ſpontè apertæ quadraginta annos ante excidium. 604
Varro noluit offerri ſacrificia, & quare. 203
Vaſe in Baptiſmo immergi Judæis prohibitum. 449
Veadar qualis menſis fuerit apud Judæos. 171, 259.
Vellus madidum tempore Gideonis typus Iſraëlis. 49
Verbera rebellionis qualia dicebantur apud Judæos. 677
Verbo Dei qui credit ſubſcribit illud eſſe verum. 452
Verbum cur Euangeliſta Joannes Chriſtum potiùs vocaverit, quàm alio nomine. 251
& caro binas in Chriſto naturas ſignificant. 252
Verbum Dei creditur eſſe inter Saracenos proprium Jeſu Chriſti nomen. 250
ſecundum aliquos dicitur ſecuris. 322
Veritas opponitur Legi Cæremoniali. 384
Verſionis Septuaginta Interpretum quiſnam fuerit præcipuus ſcopus. 362
fuit quaſi prodromus Novi Teſtamenti Græcâ linguâ conſcribendi. 363
Veſpertino ſacrificio quid canebant Judæi in Templo. 700
Veſtes Summi Sacerdotis. 185, 680.
Vetulæ partus ſub Veteri Teſtamento erat præludium magni alicujus eventûs. 265
Vetus Teſtamentum quo uſque annorum computationem perducat. 142
& Novum Teſtamentum quomodo inter ſe conveniant. 216
Græcè verſum ancambulo fuit Novi. 217
à principio ad finem nihil aliud eſt quàm ipſum Euangelium, quanquam obvelatum. 251
Vexilla Iſraëlitarum, eorumque inſcriptiones. 226
Via ordinaria qua veniebant Judæi in Templum ad adorandum. 606
Vicinus iniquus quinam fuerit dictus à Judæis. 476
Victimæ variæ ſaliri debuerunt antequam mactarentur. 704
Victimam pacificam qui adduxerat, poterat ejus partem comedere in quocunque vellet Hieroſolymæ loco. 713
Victimarum legalium, quas ignis cœlitùs illapſus deprædabatur, recondita ſignificatio. 331
Victimas offerre ſolebant Judæi primâ die Paſchatis. 741
Videre regnum Dei eſt in illud ingredi. 426
corruptionem eſt videre mortem. ibid.
Vini quantùm in feſto Paſchatis ad minimum ſumere debebant Judæi. 738
Violatores mandatorum Dei quomodo eos tractabant Judæi. 524
Vipera peſſimum eſt ſerpentum genus maximèque

mèque noxium. 322
Vir Montis Domûs quinam dicebatur apud Judæos. 694
Virgines tantùm ſepties per totam Scripturam locutas eſſe obſervant. 257
Viri an in feſtis ſolemnioribus ſeorſim à fœminis iter fecerint apud Judæos Hieroſolymam proficiſcentes. 310
Virtutes operari in Chriſto an fuerit è conjunctione duarum naturarum. 363
Vita in promiſſo erat lux hominum ſub Veteri Teſtamento, ad quam Patriarchæ tanquam ad ſtellam in tenebris fulgentem reſpexerunt. 251
Vitta purpurea capiti Hirci emiſſarii in die Expiationis alligata quibus ritibus. 745
myſteria Judæorum circa illam. ibid.
eam nunquam albam evaſiſſe per quadraginta annos ante deſtructionem Hieroſolymæ tradunt Thalmudici. ibid.
Vitulus aureus. 177
quid Iſraëlitæ cum eo voluerint. ibid.
gravitas iſtius peccati. ibid.
pœna. ibid.
Vlcerum plaga duplex miraculum. 170
Vltimos dies adveniſſe, cùm Chriſtus in mundum intraret, Judæi ex omnibus circumſtantiis facilè videre poterant. 493
Vnciæ Hebræorum quomodo dividuntur. 416
Vocales Hebræorum quando inventæ. 215
Vocationem Gentium nunquam æquo animo audire poterant Judæi. 486
Vocem edere dicuntur etiam anima expertia. 427
Volvere libros ſolebant omnes antiqui. 471
Voluntas carnis aliquando ſunt vires naturæ. 252
viri aliquando eſt Philoſophia moralis. ibid.
Voti virginitatis nulla uſpiam apud Judæos fit mentio. 271
Vox in ipſo Templo ante excidium clarè audita, Migremus hinc. 333
quædam quaſi ex caverna reſonans noviſſimum atque unicum, ſtante Templo ſecundo, revelationis remedium. 349
Vrija fuit Proſelytus Cananita. 64
Vrim & Thummim. 186
erat vox quædam ex operculo Propitiatorii, quæ intra Velum erat prolata. 349
Vxor adulterii ſuſpecta ubinam probaretur potu aquarum amararum in Templo. 604
quomodo à Judæis fuerit examinata. 753
Vz. Arami filius natu maximus primus Trachonitida incoluit. 317
Vzia & Azaria unus idemque Rex. 91
ambit Sacerdotium & quare. 99

X.

Χάελις *quem ſenſum habeat in S. Scriptura.* 383
Ξέστης *qualis menſura in Euangelio.* 411
Χιτὼν *propriè veſtem exteriorem indicat.* 312

Z.

Zacharias filius Barachiæ quiſnam fuerit. 91
varia conjecturæ circa eum. 643
ejus cædes initium rejectionis Judæorum. 91
Zacharias Propheta converſionem Pauli prædixit. 141
Zacharias pater Joannis Baptiſtæ ut eo nomine inſigniretur æquiſſimum erat. 258
erat ex Claſſe octava Sacerdotum. 265
non tantùm fuit ſurdus, ſed etiam mutus. 268
Zalmona unde nomen habeat. 37
Zaramus quare æquè ac Phareſus vocetur in Genealogia Chriſti. 277
Zarepta non eſt Gallia. 96
Zebedæus quid de eo factum ſit, cùm Chriſtus filios ejus in Diſcipulos evocavit, incertum eſt. 501
Zedekia patruus Jehojakimi quare ejus frater & filius vocetur. 122
an nuntios miſerit, vel ipſe Babylonem profectus ſit, incertum eſt. ibid.
Zephania pronepos Regis Ezechiæ. 115
ejus Diſcipulus ſecundùm Judæos fuit Jeremias. 116
Zippora quare Moſen bis vocet ſponſum ſanguineum. 167
cùm iter in Ægyptum aggrederetur decumbebat è puerperio. ibid.
quare filium circumciderit. ibid.
Zonam habebant cavam viatores, in qua pecuniam ſuam reponebant. 417
Zorobabel quare filium vocaverit Meſſullam. 278
Zuzim 200. promittebat ſponſus ſponſæ. 416

F I N I S.

Digitized by Google

TORI[illegible] BIBLIOTECA IN ROMA

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

/-/-/

Digitized by Google

Digitized by Google